THESAURUS HISTORIAE HELVETICAE

CONTINENS

LECTISSIMOS SCRIPTORES,

QUI

PER VARIAS AETATES

REIPUBLICAE HELVETICAE

RATIONEM, INSTITUTA, MORES,

DISCIPLINAM, FATA ET RES GESTAS

SERMONE LATINO

EXPLICARUNT ET ILLUSTRARUNT:

Quorum Pars antehac edita;

Nunc vero

Ob raritatem recusa, et ex ipsorum Auctorum Chirographis

vel aucta, vel correcta;

Nonnulla nunc primum in lucem prodeunt.

CUM INDICE COPIOSO.

TIGURI,

LITERIS CONRADI ORELLII ET SOCIORUM.

MDCCXXXV.

PROLEGOMENA.

LECTORI INGENUO SALUTEM EDITOR.

MAjores quondam nostros de propaganda ad posteros rerum suarum memoria incurios gloriæ suæ multum offecisse, non equidem ibo inficias; quid tamen per idem tempus vel a Francis vel a Germanis præclarum hoc in genere fuerit præstitum, quo se magnopere efferre possint, adhuc non intelligo: profecto si inde a prima Helvetici nominis memoria rem repetere, & Patriæ Historiæ faciem per singula eundo secula cum reliquorum versus Septentrionem populorum monumentis componere libeat, manifestum fore arbitror, hanc præ nostra præcipuam quandam fortunam, aut nostram præ illa iniquius fatum expertam nunquam esse.

Quo tempore enim cum ceteris Gallis prisci Helvetii nativa sua libertate gaudebant, Bardis omnis Historiæ cura commissa fuerat, qui egregia popularium suorum facinora rudi inconditoque carmine celebrare solebant: horum vero memoria diuturna esse non potuit, tum quod ad arcanum paucorum disciplinam pertinerent, tum quod in tanto præclare gestorum numero recentiora semper facta priorum famam obscurarent & obsoletam redderent: quicquid adeo Helvetii juxta cum Germanis & Francis de rebus illorum temporum cognitum habent, id omne hostibus debent, qui res suas ad posteros transmittere intenti sæpius in Gallorum, Germanorumque facta inciderunt, multaque de illorum virtute, artibus, moribus prodiderunt, quæ insatiabile nobis desiderium plenioris & uberioris cognitionis, sed frustra, excitant.

Post ubi Romani Helvetiorum libertate oppressa agrum omnem in provinciæ formam redegissent, quam deinceps Burgundiones & Allemanni, hisque profligatis, Franci infestis armis occupavere, tum paulatim antiqua Helvetiorum gloria ita concidit, ut ne nomen quidem Gentis ruinæ superesset: Omnis per hoc tempus Historiæ patriæ cura una cum agro ad victores transiit, quorum intererat virtutis & fortunæ suæ memoriam ire in secula; sed cum ab hac cura procul abessent ferocia Francorum ingenia, toto illo tempore, quo cum victricibus armis cognatam sibi barbariem longe lateque circumferebant & Romanis artibus literisque juxta ac Imperio exitium minabantur, nullus Historiæ honos, nulla dignitas fuit, neglecta prorsus & inculta jacuit; quod fatum tamen nostra cum cæterorum Europæ populorum Historia commune habuit: ita illorum temporum res longa oblivione essent sepultæ, nisi quidam ruentis Imperii Rom. scriptores quædam fragmenta nobis conservassent.

Demum ubi Christiana fides & Disciplina ingenia & animos hominum paululum mansuefecissent, Literarum & Historiæ studium, quod superiorum temporum barbaries & foeda superstitio, bonis literis semper inimica, penitus oppresserat, sensim sensimque renasci ac in vitam redire cœpit: ejus tamen rudimenta ita omni cultu erant destituta, ut pristinam barbariem redolerent, & præter bene de posteris merendi conatum ac voluntatem nihil magnopere haberent laude dignum; neque quemquam fore arbitror, qui tædium, quod cum lectione illorum conjunctum est, facile superaret, nisi dulcis amor patriæ & incredibile res domesticas cognoscendi studium stimulum ac calcar adderent.

Cum vero labente ævo patria nostra inter Comites & Barones liberos ex Francica prosapia oriundos prædæ instar divisa, magna etiam parte coenobiis & collegiis ecclesiasticis mancipata, Germaniæ tanquam insignis portio accessisset, tunc Helvetica propriam & sejunctam a reliquæ Germaniæ Historia curam non amplius requirebat, sed iisdem commentariis digesta unum corpus cum illa absolvebat.

Longo demum post temporum intervallo recuperata atque asserta, utcunque poterant, pristina libertate, quæ funesta clade Tolbiacensi penitus collapsa fuerat, Patrum virtus domesticos testes adhibere & quasi in sinu fovere cœpit: Inde postquam Helveticæ Civitates, rupto, quo

Germanico Imperio obstrictæ erant, nexu, communis salutis ac libertatis tuendæ gratia in æternam foederis societatem coivissent, ac jam propriis viribus niti instituerent, patria Historia indies majora capere incrementa & fines suos latius proferre coepit: hæc enim ætas rerum consiliorumque magnitudine ac fortunæ varietate uberrimam exemplorum in omni genere copiam suppeditabat.

Primi tamen qui hac periodo, præsertim ante renatas literas, hoc argumentum aggressi sunt, non id spectasse videntur, ut cum aliena laude sui nominis immortalitatem conjungerent, contenti promiscue omnia ac nullo habito discrimine, ut quæque ad aures eorum pervenerant, in chartas retulisse: Annales enim illorum libri frigida plerunque, incomposita & jejuna narratione rudem indigestamque nullo nec ordine nec nexu cohærentem rerum gestarum & eventuum molem continent; prodigia insuper, ostenta, conficta miracula, aniles fabulas, & quæcunque superstitiosa credulitas maxime mirari solet, adeo importune ubique infarciunt, ut mirum non sit, neminem facile illorum lectione capi: attamen si aliquando rudi huic materiæ peritus contingeret artifex, qui ingenio valeret, & usum rerum quoque cum doctrina conjunxisset, qui res, tempora, mores, studiaque confœderatorum haberet perspecta, qui dum eventa notat, animum referret ad causas, in easque attente inspiceret, nihil temere, nihil incomposite narrans, omnia graviter, suo quidque ordine & loco; profecto Helvetica Historia rerum magnitudine & casuum varietate, exemplorum etiam in omni genere copia vix alii inferior, abunde haberet, quo moveret legentium animos ac pasceret gaudio, & vel metu vel exspectatione suspenderet. Hactenus quidem nec fabro labor, nec labori faber defuit; sed ea est rerum omnium natura & conditio, ut parvis ortæ principiis, paulatim hominum studiis & ingeniis auctæ, ad suam demum maturitatem perveniant; a qua quam prope absit hoc tempore patria Historia meum non est definire; negari tamen non potest, protulisse proxime superiorem ætatem apud nos præclaris ingeniis viros qui in hoc opere non infeliciter fuerint versati, & Historiæ patriæ scriptis suis lucem aliquam ac dignitatem conciliarint; quanquam & illos a perfectionis fastigio & arce, in qua Romanarum & Græcarum rerum scriptores non sine omnium admiratione constitutos cernimus, longo adhuc intervallo abesse, si modeste de nobis rebusque nostris statuere velimus, fatendum sit: atqui & hoc præclarum est, in secundis substitisse, cum ad prima temporis injuria magis quam culpa ingenii nequeas eniti.

Ego certe præclare de literis, de patria præsertim Historia, cujus studium ex aliquo tempore fausto omine certatim urgeri & invalescere cœpit, mereri me posse confidebam, si principes in hoc genere scriptores, qui res nostras latino sermone complexi sunt, & quorum scripta rarius obvia non nisi magno pretio comparari poterant, typis nitide descriptos uno volumine comprehenderem, & ita posteræ ætati materiam undique collectam sufficerem, in qua formanda ac perpolienda ingenii, judicii ac eloquentiæ vim experiri posset.

Proximum est, ut hujus mei consilii rationes singillatim nunc exponam, & quo quisque animo ad scribendum accesserit, paulo accuratius disquiram, siquidem ex sententia Dionysii Halicarnassei in quovis Historico Scriptore, de quo non temere statuere velis, spectanda sit ἡ διάθεσις τῆς ξυγγραφίας: Inde simul quoque, ut spero, constabit, me fide ac diligentia singulari in recensendis his autoribus & in tota hac editione versatum esse. Placet autem in hac disquisitione præliminari Scriptorum ætatem sequi, quem ordinem si quis in iisdem legendis observare velit, facile intelliget, quibus quisque instructus subsidiis ad opus accesserit, quam lucem priores recentioribus prætulerint, quid hi ab illis acceperint, quid de suo addiderint. Quibus vero in hac scriptorum dispositione alium ordinem sequi visum fuerit, hoc ut integrum ipsis foret, singulos autores titulis suis instruximus, et paginarum seriem notis numeralibus distinctam in singulis abrupimus; nihilque reliquum fecimus, quod commodis lectorum inservire ullatenus posse sumus arbitrati.

I. Primum itaque locum tribuo JOANNIS *de oppido Winterthur fratrum minorum minimi Actis & Gestis suorum temporum præsertim in Allemaniæ partibus*. Commentarii enim hujus verum Autorem esse *JOANNEM* Monachum Franciscanum Vitoduri natum, ipsa ejus confessio fidem facit, quæ in limine præfationis ita habet: *Ego Frater Johannes ortus de oppido Wintertur, Fratrum minorum minimus decrevi acta & gesta meorum temporum & paulo ante habita summatim annotare.* Celeberrimus noster *Bullingerus* primus *Joannis Vitodurani* mentionem injicit in opere historico *de rebus Tigurinorum* vernaculo sermone conscripto *Lib. VIII. Cap. IV.* sub nomine *Johannis Barfater;* quæ appellatio quendam ex nostratibus Virum clarissimum in eum errorem induxit, ut pro gentili Johannis nomine acciperet; cum tamen non gentis sed ordinis monastici nomen sit, Franciscani enim Germanis *Barvater* vel *Barfuesser* audiunt, q. d. *patres nudipedes:* ob quem errorem levissimum sane & haud magni momenti, (siquidem constat hæc ordinum monasticorum nomina in gentilitia multis in locis abiisse,) a Celeb. *Gundlingio* indignis modis exagitatus est. *Vitoduranus* demum post renatas literas a Viris eruditis Joannes noster cognominatus est a loco nativitatis, nimirum a *Winterthur* oppido, quod ex antiquissimi Vitodurani castri ruderibus excitatum est; sed maluit ipse ex more illorum temporum recentis appellationis memoriam cognominis loco conservare. Aetatem qua vixerit rite subducto calculo mihi deprehendisse videor; memorat enim in Chronico hoc suo, se Ducem Leopoldum ex funesta clade

clade ad fauces Morengartenses profugum ac reducem oculis suis conspexisse, *se enim scolarem tunc existentem cum aliis longe scolaribus patri*, qui eadem cum Leopoldo fortuna usus fuerit, *ante portam cum gaudio non modico occurrisse*. Pugnatum autem est ad Morengartam anno post Christum natum MCCCXV. Obitum vero ejus in annum MCCCXLVIII. rejicio, ad hunc enim usque annum memoriam rerum sua ætate gestarum persequitur; huic autem labori immortuum esse Joannem nostrum non inepte colligere mihi videor ex autographi extremis particulis sive pagellis, quas sine lituris & lima, quam alias diligenter adhibere solebat, reliquit; ita ut idem annus vitæ qui Chronici fatalis terminus erat recte censeatur: adeoque si illum anno clade Morengartensi memorabili, quem MCCCXV. esse diximus, duodecim annos natum fuisse fingas, vix ultra XLV. annum vitam suam protraxisset. Neque me longe abesse a vero alia temporis circumstantia fidem facit; memorat enim Johannes noster parentem suum Anno MCCLXXXVII. in eorum civium suorum numero fuisse, qui eruptione facta Comiti Hugoni de Werdenberg e propinquo montis Limperg jugo auxilia sibi ferenti & in Thuricensium castra per dolum jam illato, in subsidium missi, ingentem hostium stragem fecerunt, & urbem obsidione pressam liberaverunt. Tantum de Autore: plura scire nefas.

Libri hujus Chronici autographum Bibliotheca nostra Insulana asservat: autographum enim esse illum codicem & ad seculum XIII. referendum characterum forma, & scribendi ratio, & totius voluminis conditio satis arguunt: Chartaceus est, nonaginta tribus constans paginis, formæ quam quartam dicunt; continua serie & calamo pingui crassoque satis negligenter scriptus: interpunctionis signa rarissime apparent, neque literis initialibus pictus aut exornatus est. In scribendi ratione prorsus refert illius ætatis morem, ut *e* simplex pro *æ*, *y* pro *i*, *mm* pro *dm*, *mpn*, pro *mn*, *mgn* pro *gn* exprimat, e. gr. *Secte*, *Pape*, *Ytalia*, *ammiratio*, *dampnificatio*, *angnus*, *mangnalia*, &c. Hanc scribendi rationem nostra hæc Editio passim refert, nisi quod subinde ubi forte typotheta usu receptam orthographiam expressit, huic errori gratiam feci. Charta rudis est & crassa, ut scalpello erasis integris sententiis alia superscribere licuerit. Integra hinc inde folia abscissa & in eorum locum alia esse adsuta, interrupta foliorum series & languidior atramenti color suspicionem movent, quod sine dubio ob frequentiores lituras, quibus priora folia inducebantur, factum est.

A fine Codicis plures Chartæ puræ plagulæ, ejusdem prorsus notæ ac commatis cum reliquo voluminis corpore, adglutinatæ comparent, quæ me in hanc suspicionem adduxerunt, Vitoduranum in animo habuisse, quoad vitæ usura frui sibi liceret, hoc institutum persequi, & ut quæque memoria, suo judicio, digna gesta esse acciperet, eadem narrationis serie pertexta uno Volumine complecti: Sed subitam & præmaturam mortem vanam, qua se lactaverat, longioris vitæ spem præcidisse, & duram necessitatem imposuisse, in medio quasi operis cursu pedem figendi.

His Chartæ puræ foliis medio ferme a nostro Codice intervallo librarius seu bibliopega duo folia inseruit Vitodurani manu perscripta, quorum alterum humani generis primordia; urbis vero Babylon excidium alterum carptim exponere orditur. Scilicet Johannis nostri ætate mos invaluerat, specialem quamvis historiam a mundo condito ordiri; quem morem & nostrum hunc monachum tenuisse inde fit verosimile, quod sub finem Chronici sui Friderici II. Imp. mentione injecta profitetur, ab hoc commentario *secundam præsentis operis partem inchoasse*; unde proclive est colligere, eum prius alium similis argumenti librum consarcinasse, quam hoc opus adgrederetur, cujus nonnisi quædam laciniæ binis istis foliolis contineantur.

Cæterum quod Chronici nostri partem attinet præcipuam, plurimæ, quibus scatet, emendationes & castigationes sæpius id incudi redditum, diligentiorem limam esse perpessum abunde docent: has autem ab ipso operis autore esse profectas affirmare non ausim. Non raro ad exteriorem codicis marginem occurrit nota censoria VACAT, quæ illa capita otiosa esse significat: cujus generis sunt: *De sponso ab affine interemto* p. n. 48. a. *De Dapiferis a Waldburg matrem ob veneni Patri propinati suspicionem in custodia detinentibus* p. n. 52. b. *De Virgine ab Episcopo Constantiensi rapta ejusdemque avaris exactionibus* p. 55. b. *De discordi duarum Monialium electione* pag. 56. a. *De duobus viris fulmine lethaliter percussis* p. 58. b. *De capto castro Walsa* p. 59. a. *De Guerra dominorum de Montfort & Ems* ibidem. *De Ulrico de Feldkirch custodiæ a consanguineis mancipato* pag. 66. b. Postrema quæ ibi habentur verba, *sed statim postea liberatus*, margini postliminio adjecta fuerunt. *De ejus in libertatem restituti insurrectione in Comites Hugonem & Rodolphum* p. 74. a. *De subacto per Castellæ Regem agro Granatensi trecenta milliaria lato* p. 75. b. *De fœda Civitatum ad Lacum Bodamicum confœderatarum fuga* p. 77. a. *De Christicolis mari Mediterraneo trajecto contra Turcam rebellantibus & urbe quadam capta*. Ibidem.

Hæc argumenta an studio veritatis an vitandæ potius invidiæ causa censorio isto stigmate notata sint, parum liquet; hoc tamen magis fit vero simile, quia vel magnatum scandala vel sacerdotum vitia, quæ prodere nefas, maximam partem tangunt: Hæc tamen, quod autori nostro fidem conciliare viderentur, ex nostra editione temere non esse eliminanda censui. Id vero præterire silentio non possum, errorem per quem accidit ut narratio de *Vitoduri incendio* p. 31. a. nostræ editionis iisdem verbis repetita fuerit, quibus jam p. 23. descripta legitur, ex ipso MSC. Codice promanasse; utroque enim loco habetur, uti nos religiose exhibuimus, at posteriore expresse monetur VACARE.

Sunt porro loca nonnulla, non quidem notata tanquam otiosa, sed prorsus confixa & expuncta. Ubi de Papa Nicolao III. dicitur p. n. 11. b. *Regulam Fratrum minorum per totum mundum precepisse cum suis declarationibus legi publice in omnibus Scholis juris, excommunicasseque omnes dictam regulam impugnantes;* ex cicatrice palam fit alia prius verba ibi fuisse scripta, quæ erasa fuerint, ut hæc reponerentur. Fabella p. 83. a. *De funere, quod prono ore in arca sepulchrali depositum fuerat, at post elapsum temporis spatium supinum jacere repertum est*, chartæ rasæ superscripta est. Paginâ Manuscripti Codicis vicesima sexta, ubi Acheruntis urbis vastatio describitur, in ora marginis exteriore multa sunt rasa neque tamen alia pro iis rescripta. Non minoris momenti sunt in hoc codice accessiones magno numero extra linearum seriem ad extremas marginis oras adscriptæ, ubi argumentum in contextu enarratum vel emendatur vel illustratur vel augetur; nonnunquam nova argumenta attexuntur. Hujus generis sunt p. n. 10. b. *Fuit autem ut contra eum proferrent verbum Petri sc. per aspersionem sanguinis Jesu Christi.* p. 11. b. Bini versus annum Rodolphi emortualem designantes. p. 19. b. *Ante introitum suum per montana in Italiam, totam Allemanniam pacificavit & sibi subjugavit.* p. 21. a. *Obiit An. d. MCCCXIII. anno regni sui quinto X. Kal. Septembris. De cujus jussu graviter Dominus de Wirtenberg dampnificatus fuit per dampnificationem Terre sue.* Ibidem: *Quidam ajunt, quod postquam Mediolanum cum labore & alias civitates sibi rebelles expugnasset, tandem Civitatem Priss obsedit, cujus obsidione propter nimium laborem suum apostema incurrit, quod primum sensit in assumtione beatæ Virginis Corpus Christi recipiens, & de hoc exierit sermo, quod in Calicis participatione intoxicatus fuisset. Electus fuit in Frankenfurt circiter festum S. Martini & in Regem Romanorum consecratus Aquisgrani in Epiphania.* p. 24. a. *Anno D. MCCCXVI.* p. 32. b. *Sed quidam famant contrarium, quod non sit rehabita* (Trapezon urbs) *a Christicolis, sed adhuc a Paganis detenta.* Tota fabella de Diabolo vapulante p. 62. b. nec non versus emortuales de Ludovico Imperatore, ibidem, cura secundaria Codicis margini adscripti sunt. Urbis similiter maritimæ a Venetis obsessæ nomen *Sadert*, de qua p. 82. a. postliminio ad Codicis oram appositum cum postremis illius Paragraphi verbis: *quam tandem Veneti ceperunt.* Quæ hactenus recensui accessoria, eadem qua contextus manu exarata sunt, de sequentibus incertus sum, utrum eadem, an aliena, antiqua certe, scripta sint. Causa quæ p. 27. a. traditur, quur panes quidam Korrenburræ sanguineo colore tincti fuerint, sc. quod Villica illa feriam Sancti Laurentii non observasset, postliminio addita. Tota de Fratre minori Apostata fabula, quæ ibidem exhibetur in peculiari schedula descripta & Codici adsuta est Caractere vetusto p. 29. a. Vox *Gæsa*, qua vasa illa interfectionis exponuntur, ad MSC. marginem adscripta. Versiculus, qui p. n. 70. a. legitur,

Poscebat humilis satis hoc a Præsule celso,

prius ita scriptus fuerat:

Poscebat humilis satis a Pontifice celso,

pro quo autor quisquis ille fuerit, cum animadvertisset secundam Syllabam vocis *Pontifice* brevem esse, superscripsit *hoc a Præsule*; obelo configens *a Pontifice.* De Rodolpho Rege nasuto in margine MSC. hæc attexuntur: *Nasum cum digito in alteram partem detorquendo;* ac signo addito monetur inserenda post verba: *quod audiens rex retro cessit.* Nescio per quam incuriam in nostra editione omissa sint p. 9. b. Præterea monendum, insigni quodam errore temporis ordinem in MSC. codice interrumpi p. 31. qui licet in ipso indigitatus, nescio qua oscitantia in nostram editionem quoque irrepsit. Paragrapho sc. quo Alberti Imperatoris mores describuntur post verba: *eo usque ad mortem caruit;* hæc in margine monentur: *Post ista verba sequitur secundum ordinem historicum in octavo folio sequente historia paragraphi, quæ incipit: Presagium mortis Regis Alberti;* appingitur quoque Virgula signatoria. Præsagium istud editionis nostræ p. 22. a. sistitur, quod proinde ad p. 15. referri debet.

Ex iis, quæ hactenus singulatim de liturarum & emendationum, quæ in isthoc codice frequentes occurrunt, ratione notavi, imprimis manifestum esse credo, autographum esse & ab ipso autore aliquoties recensitum ac castigatum: Postquam enim res sua ætate gestas non religiose servato temporis ordine, ut quæque prima ad aures essent delata in chartam tumultuarie conjicere instituisset, (nam pauca ex aliorum commentariis compilavit) fieri aliter non potuit, quin sæpe tractata, quæ falsus rumor, aut fama mendax sparserat, retractare aut etiam plenius illustrare necesse habuerit: Id futurum ipse prævidit præmonuitque in operis exordio, simul veniam præfatus: *Acta & gesta*, inquit, *meorum temporum & paulo ante habita, non semper secundum debitum ordinem, sed secundum quod mihi occurrerunt summatim interdum & curtatim, quandoque singularius & diffusius annotare decrevi. Que autem in principio operis presentis scripturus sum, ad majorem perfectionem ejus faciendam, partim ex quibusdam Cronicis a me perlectis partim ex relatione hominum ipsa coram me attestantium hec compaginavi. Que vero post hec per totum opus ponenda censui, prouti visu proprio vel auditu didici vel communis vox vel fama celebris me edocuit, diligenter conscribam - - - Et si quando me contingat aliqualiter exorbitare ac metas plene mereque veritatis excedere vel incaute vel diminute vel superflue vel preposterо procedere ordine, vel ab aliis, qui forte etiam eorundem temporum monimenta reliquerunt, discrepare; discretus Lector, si placet corrigat & mee fictioni vel temeritati non imponat, sed potius mee ignorantie, cum melius non intellexerim aut in memoria retinuerim, condescendat.* Veritatis sane studio, quod in autore summum fuit, debemus tam frequentes interpolationes & emendationes, quæ abunde probant, autographum esse codicem, quanquam ne ultimam operi manum admoveret, totque lituris deformatum nitidius describeret, morte fuisse præventus videatur.

Caete-

Caeterum idemne cum hoc codice, an alius fuerit, quem Joa. Gerardus Vossius *Lib. III. de Historicis Latinis Cap. IX.* in monasterio Sancti Galli latere scripsit, ignoro, cum illius nullam exhibuerit notitiam, ex qua in alterutram sententiam pronuntiare possem. Id de nostro exploratum habeo illum inde ab An. MDCXXIX. in civica Tigurinorum Bibliotheca fuisse, ab *Ulrico Oerio* Cænobii, quod Monachorum quondam Augustinorum fuit, curatore in publicos usus concessum. *Goldasto* non ignotum eundem fuisse, ex fragmento libri quod illustris Leibnitius inter Bibliothecæ Goldastianæ λείψανα Bremæ inventa repertum publici Juris fecit in Accessionibus Historicis constat. Clariss. *Jo. Henricus Hottingerus* Vitoduranum nostrum plurimi fecit, *utpote qui plerisque vel interfuerit, vel ab iis cognoverit, qui αὐτόπται erant & αὐτήκοοι.* In Bibliotheca Tigurina meminit se pridem Apographo suam instruxisse Bibliothecam, quod *multa haberet Auctor, quæ ubique obvia non sint, & quæ non patriæ tantum sive Helveticæ sed et Ecclesiasticæ Historiæ magnam afferant lucem.* Ex hoc Apographo cum MSC. codice collato Viri celeberrimi filius doctissimus Jo. Jacobus Hottingerus novum Exemplar in gratiam Leibnitii describi curavit ut cum aliis medii ævi scriptoribus typis exscribere posset: Sed illustri viro immatura morte prærepto in spongiam incubuisset hoc institutum, nisi in immortalis gloriæ hæreditatem succedens Jo. Georgius Eccardus hanc curam suscepisset, & hoc consilium ea diligentia explicasset, quam in hoc studiorum genere dudum Eruditis probaverat; præstare tamen non potuit, (cum MSC. codicem inspiciendi facultas ei nunquam fuerit,) quin Editio sua passim reciperet lectiones ab Autographi fide alienas, quæ sensum aut turbant aut adulterant; Quam rem facile cognoscent, qui nostram cum Eccardiana collaturi sunt; facillime vero manus dabunt qui manuscriptum auctoris Codicem adhibita diligentia expendere non gravabuntur.

II. Secundum in hoc Thesauro locum sibi vindicat FELIX HEMMERLEIN sive MALLEOLUS *Decretorum Doctor & Canonicus Thuricensis*, qui circa annum post restauratam salutem M CCCC XXXIV. floruit. Nomen inter literatos infelices & in Historia quoque Helvetica satis celebre. Scripta illius præcipua vir quidam eruditus, sed anonymus post inventam demum circa medium seculi XV. typographicam artem, rudem illam quidem in principio & minus accuratam, digna censuit, quæ uno Volumine comprehensa publicæ luci exponantur: Titulum quoque operi posthumo præfixit splendidum & pro Malleoli modestia nimis superbum, qui semet Decretalium Doctorem minimum, valde modicum & valde inutilem nuncupare pudori non habuit. Is vero ita habet: *Felicis Malleoli vulgo Hemmerlein decretorum doctoris jureconsultissimi de Nobilitate & rusticitate dialogus, sacre Theologie, Jurium, Philosophorum & Poetarum sententiis, hystoriis & facetiis refertissimus. Ejusdem de Switensium ortu, nomine, confœderatione & quibusdam (utinam bene) gestis. Ejusdem Processus judiciarius coram Deo habitus inter Nobiles & Thuricenses ex una & Switenses partibus ex altera; cum sententia diffinitiva & ejus executione. Ejusdem Epistola nomine Caroli magni ad Fridericum tertium Romanorum regem, qua de cælo eum hortatur, ut de Switensibus vindictam sumat.*

AD LECTOREM

Quantumcunque leges minimum; te lectio parva
Vix satiet, veniam si dabis ipse stylo.

Vixit Fælix iste Malleolus circa annum Domini MCCCCXXXIV. Rarissime obvius est iste liber, utut multiplicatis exemplaribus typis exscriptus: Guillimanno certe, qui eum manuscriptum duntaxat citare solet, nihil de impresso codice hoc innotuisse suspicor; & Vir Celeberrimus H. Hottingerus diligentissimus alias veterum monumentorum indagator *nunquam se vidisse librum, nec etsi serio inquisiverit, investigare potuisse fatetur, habere tamen fragmenta & excerpta quædam ex illo.* Idem expertus & ego, quanquam feliciore successu; postquam enim amicorum, quos in Helvetia, in finitima Suevia & transalpinis quoque regionibus mihi obstrictos habeo, operam in investigando, si usquam lateret, hoc codice multum diuque frustra tentaveram, & jam fere omnem ejus nanciscendi spem abjeceram, Viri Clar. *Jo. Rodolphi Iselii* J. U. D. & in Colleg. Super. Basil. Inspectoris indicio oportune accepi, in Novis literariis Hamburgensibus doctissimum Virum *Jo. Ernest. Vockerodium, Molhusæ Thuringorum Pastorem* publice renuntiasse, Codicem hunc in sua Bibliotheca latere, cujus etiam usum pro singulari in promovendas literas studio liberaliter offerret: ita ex Thuringia in patriam suam evocandus erat Malleolus, ut ex tenebris & squalore, quo per duo secula oblitus latuit, publicæ luci restitui posset. Quo vero fato pleraque hujus libri exempla perierint, difficile est pronuntiare, cum plures ejus rei potuerint esse causæ: ego inter præcipuas numero, tum quod Malleoli nostri nomen a Pontifice Rom. inter primæ classis prohibitos scriptores, quorum cuncti libri proscripti sunt, relatum memorat Martinus Delrio *Disq. Mag. Lib. III.* tum quod styli licentia intemperanter abusus multorum non privatorum hominum tantum, sed ordinum ac civitatum, quinimo gentium odia in se provocavit: quo factum est, ut magna pars exemplorum, quorum usu religio interdixerat, neglecta salsamentariis prædæ fuerint, aut muribus, tineis, blattisque in escam cesserint, aut igne, quam luce digniora æstimata invidiæ pœnas dederint.

Inter hæc opera principem locum occupat ille de *Nobilitate & Rusticitate Dialogus*, quem omnium suorum operum maximi semper fecisse Malleolum ferunt, & in quo formando omnes eruditionis suæ nervos intendisse videtur. Scripsit hunc librum inter gravissimos belli civilis, quod Tigurinos inter & Suitenses exarserat, motus ac furores, quibus Thuricenses ita afflicti & ad in-

citas redacti sunt, ut in fidem Austriacorum, quos paulo ante infestissimos hostes habuerant, sese recipere, urbemque suam illorum præsidiis tutandam tradere omne alia ope destituti necesse habuerint: per id temporis ingens nobilium equestriumque virorum turba intra moenia recepti sunt, quorum gratiam Malleolus ambiens animum ad hoc argumentum applicuit.

In hoc libro, cujus argumentum mere dogmaticum & proinde a nostro instituto alienum est, temperare sibi non potuit, quin superiori civili bello a Suitensibus truculenter & crudeliter perpetrata carpendi subinde occasionem studiose captaret; ex professo autem & dedita opera id agere instituit circa illius libri finem capite XXXIII. invidiose omnia compilando, quæcunque odium bonorum Suitensibus conflare posse videbantur, ita ut hoc capite singularia multa comprehendantur, quæ obscuro & incerto rumore sparsa, avideque a nostro hausta cavillandi materiem suppeditarent. Inscripsit hoc caput Malleolus satis procaciter: *De gentibus illis, qui Swizer vulgo seu Switenses dicuntur & rusticorum vocabulo non comprehenduntur.* Hoc tanquam a reliquo opere sejunctum anonymus editor in rubrica Volumini præfixa peculiari titulo *de Switensium ortu, nomine, confœderatione, & quibusdam utinam bene gestis* insignivit.

Præcipuum accusationis caput, quod sociis Suitensibus in eo libello objectat, hoc est, quod superiori bello nefariis artibus usi fraudulenter & atrociter cum Thuricensibus egerint, tum maxime, cum ad fanum divi Jacobi ad Silam albarum crucium signa cum nigris commutassent. Suitenses contra, & quotquot illorum partibus favebant, factum, quod stratagematis titulo excusari potuisset, constanter inficiabantur. Testis est *Petrus Numagen Trevirensis*, Capellanus ad fanum Sancti Leonhardi juxta urbem Thuricensem, qui ad illum Malleoli locum hæc adnotavit: *Salva pace dicti doctoris Hæmerly ego contrarium audivi, quod videlicet Turicensium exploratores incaute inciderint in Switenses & ab eis usque ad castra fugati fuerint & tanto ardore persecuti, quod Switenses cum Thuricensibus in castra Thuricensium procurrerint & more leonum sæviverint; Et ita permixti fuerunt rubeæ & albæ cruces, nulla tamen falsitas commissa.* Porro ubi Malleolus perhibet, *Bernenses contra Friburgenses bellando tali falsitate multis & iteratis vicibus usos*, Numagen hæc observavit: *De hoc etiam dubito*, inquit, *nam & anno domini MCCCCXCIX. Confœderati habuerunt bellum cum Liga Suevia & fuit eis similiter falso impositum tale crimen falsitatis. Semper hostis hostem consuevit criminari.* Malleolus vero his commentis nihil movebatur; sed extra controversiam posita esse quæ objectasset, non tantum in *Passionali* sed aliis etiam opusculis Lucernæ demum sub custode scriptis pertinaciter contendebat: unicum in hanc rem locum ex Passionali afferam: *Audi quid fecerit Dominus noster Jesus Christus, cujus actio nobis est instructio, qui in ultima cœna Petri denegationem & Judæ Scarioth proditionem deduxit pro memoria sempiterna - - - sic ego Felix iniquissimi belli progressionem & aggressus falsitatem rubeis crucibus per Suitenses in prælio Thuricensi commissam in libro de Nobilitate C. XXXIII. in perpetuam rei memoriam largiter non omisi conscribendam. Et hoc decet quemlibet Historiographum, ut per mera probitatis & veritatis vinculum, sive sint bona sive mala, dictamen rerum regulariter scribat gestarum; & sic illi fecerunt, qui Jacob fratris sui deceptorem, & Moysen homicidam, ac Davidem adulterum, & Salomonem idolatram, & Petrum prævaricatorem, & Paulum fidelium persecutorem fideliter conscripserunt, & usque ad nos & in finem seculorum deduxerunt.*

Hunc libellum, quem nonnisi appendicem majoris operis *de Nobilitate* esse dicas, quoniam multa complectitur arcana ad illorum temporum historiam pertinentia, hæc nostra Editio exhibet, non quidem integrum sed probe castigatum, & a multis otiosis ac tædiosis digressionibus atque citationibus ex classicis Juris Canonici scriptoribus petitis repurgatum; quo factum me lectorum commodo bene consuluisse puto: Et quoniam me non tantum intra Historiæ Helveticæ, sed etiam intra modestiæ fines continere constitui, ne cui calumniandi ansam præberem, hæc ipsa modestiæ ratio suasit, ut loca nonnulla in quibus impotens animi Malleolus stomachum suum & atram bilem in professos tunc temporis Thuricensium hostes intemperanter evomuit, infanda illis crimina objectando, consulto præterirem: honestatis enim & pudoris leges in accusationibus quoque & erga hostes esse observandas, nemo sapiens negabit. Possem quædam incontinentiæ hujus exempla speciminis loco producere; sed prohibet pudor.

Pergo ad tertium, quod hæc collectio exhibet, opusculum Doctoris nostri, quod inscribitur: *Processus judiciarius coram Deo habitus inter Nobiles & Thuricenses ex una & Switenses partibus ex altera, cum sententia diffinitiva & ejus executione.* Comicum hoc scriptum est & fabulam ex Malleoli ingenio confictam, non rei gestæ historicam narrationem complectitur: quod ut fidem inveniat & ne forte nobis fraudi sit, quod illius nullam in hoc nostro Scriptorum Helveticorum Thesauro rationem habendam esse censuimus, brevem ejus sciagraphiam adtexam. Autor oratione ad Fridericum III. Imp. conversa memoriæ se traditurum profitetur, quæ fata deinceps fuerint experti Thuricenses, qui superiore bello civili pro aris & focis fortiter pugnantes occubuerunt, erant autem numero CLI. & in illis, ut Malleoli verbis utar, magnæ strenuitatis miles ab humero sursum præ aliis proeminens, cui Switenses singulariter insidiabantur. Hi statim atque mortales exuvias posuerunt duce Archangelo Michaele ad Paradisum devecti; ibi tantisper præstolari jussi, dum commilitones, qui castrum Grifensee præsidiis suis tenuerant, a Switensibus interemti in eosdem fortunatissimos campos devenissent: cum quibus conjuncti coelestia regna peterent. Nec longum iter erat. Apostolus janitor novos colonos in coelum admissos continuo ad tutelares urbis Thuricensis Divos

Divos deduci jussit, qui eos amantissime complexi sunt. Mox etiam a Carolo Magno Thuregi conditore & instauratore honorificentissime excepti. *Cœnam magnam*, inquit Malleolus, *parari fecit apparatu regali, ad quam Moyses apportavit mensas de lignis Sethim. Isac portavit ligna & pater ejus Abraham ignem & gladium. Melchisedek Rex Salem proferebat panem & vinum. Jacob attulit duos hedos optimos & Esau coctos de venatione cibos. Abigael uxor Nabal pessimi tulit ducentos panes & duos uteros vini & quinque arietes coctos & quinque sata polente & centum ligaturas uve passe & ducentas massas caritarum. Et Jacob Patriarcha misit per filios suos de optimis terre fructibus & modicum resine & mellis & storacis & stactes & Therebinti & amygdalarum. Hinc Simon Petrus & Thomas, & Nathanael, & filii Zebedei, & alii ex discipulis domini duo portabant rete plenum magnis piscibus. Et mulier quædam Martha vacabat circa frequens ministerium. David Rex tollebat cytharam & percutiebat manu sua & refocillabat omnes. Cœna finita omnes placidam capiebant quietem. Solus Imperator somnum hac nocte non vidit oculis suis.* Cum postera luce Carolus Jurisconsultos, quotquot cœli ambitus includeret, in consilium advocasset, unus Yvo Anglus comparuit, qui cur solus adesset interrogatus, respondit: Gyrum cœli circumivi solus, cum & naturaliter similis similem sibi quærat, & similis simili congaudeat, nullum tamen Jurisperitum in diebus nostris solers mea sagacitas in omnibus cœli mansionibus invenire poterat. Ab illo Thuricensium patrocinium susceptum est. Qui regis cœlorum pedibus advolutus Suitenses falsi, perfidiæ, crudelitatis, reos peragit. Porro illi Divi & Apostoli, quorum fana Suitenses igni injecto subverterant, sacrilegii eosdem accusant. Causa cognita summus Judex Olympi Gregorium Magnum, Gregorium IX. Alexandrum III. aliosque Pontifices Rom. sententiam rogat. Suitensibus diem dicendam censent. Angelus Azahel cœlo delapsus Suitenses & vivos & nuper bello cæsos in judicium vocat. Die præfinita, cum Suitensium nemo adesset, tamen Patriarchæ & Prophetæ Veteris Testamenti rogati sententiam dicunt. Postquam omnes ordine dixissent, Jeremias propheta jubente judice justissimo sententiam definitivam, ut in contumaces, protulit hujusmodi: Ecce adducam contra vos gentem de longinquo, gentem robustam, gentem antiquam, gentem cujus ignoras linguam nec intelligis, quid loquatur; pharetra autem ejus quasi sepulchrum patens, & comedet segetes tuas & panem tuum, devorabit filios tuos & filias tuas, & conteret urbes tuas, in quibus habebas fiduciam, in gladio. Sed in diebus illis non faciam vos in consummationem. Et si dixerint, quare facit nobis Dominus Deus noster hæc omnia, dicetis ad eos nomine meo: Sicut dereliquistis me, & servivistis Deo alieno in terra vestra, sic servietis Diis alienis in terra non vestra. Ad quam postremam sententiæ partem Malleolus observat, Suitenses coluisse hominem pro Deo cujus nomen erat J. & R. cognominatus, qui fuerit fons & clausula omnium malorum præteritorum. In mortuos autem nihil statutum, quod jam in rem judicatam transiissent. Vindex sententiæ Patriarcha Jacobus constituitur; qui Delphinum genus a Carolo Magno ducentem excitavit, ut Suitenses ad sacellum Sancti Jacobi juxta Byrsæ fluenta adgrederetur, &c. &c. Fabellam hanc autor orationibus τὸ ἦθος exprimentibus passim adspersit, sententias etiam scriptorum sacrorum & canonicorum ubique intertexuit. Sicuti autem vel nudum fabulæ schema acerbitatis plenum est, ita illius partes omnes sal merum, æruginem meram sapiunt. Personæ tamen gravissimæ in scenam productæ nescio quam dignitatem comicam fabellæ conciliant.

Caeterum Malleolus noster styli sui acerbitatem & intemperantiam non semper impune ferebat; postquam enim multorum, quorum famam quacunque occasione oblata inclementius prosciderat, odia incurrisset, Præpositus Ecclesiæ Thuricensis Matthæus Nydhart, & nonnulli ex Canonicis fratribus, qui dudum in ejus perniciem conspiraverant, quod rigidus nimis esset luxus & intemperantiæ suæ censor, hanc opportunitatem captandam sibi statuebant, ut clandestine & per insidias implacabile suum odium explerent & animo satisfacerent. Primum itaque Bernenses in eum accenderant, qui Malleolum apud Episcopum Lausodunensem, cui ob præposituram suam Salodurensem obnoxius erat, accusarent; sed Malleolo æquus Episcopus ita illos delusit: O vos, ait, Bernenses cum vestratibus, duxistisne gloriosum legaliter bellum contra Thuricenses? Et ipsi responderunt: Ita Domine. At Episcopus: Ergo gratanter regratiamini Magistro Felici, quod in perpetuum gestorum notitiam vestrorum designaverit bellorum historiam, ut vos & successores vestri sciant per mille generationes Rempublicam tam glorianter expeditam. Sic etiam Romanorum, Punicorum, Trojanorum, & Longobardorum bella sunt scripturis commendata per fideles peragratores. Hâc ubi non procederet, Vicarium Episcopi Constantiensis Nicolaum Gundelfingerum in Malleolum concitarunt, qui dudum a Canonicis muneribus corruptus odiis illorum obsequi non dubitavit; accedebat quod hoc pacto apud Confœderatos, in quorum agro Præposituram Beronensem possidebat, sese gratiorem fore confideret. Ita Tiguri in propriis ædibus vinculis constrictum & Godiebam deductum carceri mancipavit & in teterrima custodia detinuit, atque anno demum exacto hanc in eum sententiam statuit: ut Canonici & Cantoris munere & beneficiis exutus in coenobio vitæ reliquum tempus duceret. Malleolus salebrosi carceris squaloribus misere maceratus, ubi sententiam cognovisset, in spem erigebatur vel hoc saltem modo injuriarum finem futurum. Sed & hæc spes illum frustrabatur. Vicarius enim hostium infensissimorum iris eum exposuit, qui Lucernæ tenebroso carcere sepultum aliquot mensibus detinuerunt, deinde Cœnobio Fratrum minorum, quem religio-

 gioso-

giosorum ordinem cane peius & angue oderat, quasi manciparunt, Patre Guardiano vindice ac custode perpetuo ei addito. Malleolus tamen adversus omnes fortunæ casus fortiter constitit conscientia bene factorum ac multijuga eruditione confirmatus, sub ipso enim rigidissimo custode plures se dignos tractatulos conscripsit hodienum superstites. Clariss. enim seculi XV. ICT. *Sebastianus Brand* hæc opuscula, cum aliis Malleoli dissertationibus in volumen collecta, typis exscripta vulgavit sub titulo: *Variæ oblectationis opuscula*.

Ex illis quæ sub custode scripsit non postremum est *Registrum in causa querelæ lamentabilis Felicis Hemmerlein de Thurego mota in pallacio curiæ cœlestis*; cujus exemplum anecdotum habet Bibliotheca Vener. Collegii Carol. Hæc Querela per modum actionis juridicæ scripta est. Angelus procurator Magistri Felicis Deo omnipotenti cedulam commissionis sive supplicationis porrigit, post cujus tenorem perceptum Patri Conrado quondam Episcopo Constantiensi nunc curiæ cœlestis domestico demandatur, ut causam audiat. Auditor itaque Vicarium Episcopi Constantiensis Henrici von Heuen Nicolaum Gundelfinger citari jubet, qui in judicium se venturum negat, impeditum sæculi præsentis negotiis. Inde in contumacem sententia definitiva pronunciatur. In hoc vero Apologetico id præcipue agere instituit Malleolus, tum ut Vicarium Constantiensem crudelitatis & injuriæ arcessat, tum ut crimina sibi ab infensis hominibus nequissime impacta ordine singula diluat: qua occasione suum de nobilitate librum a calumniis vindicare studet, & quo major sibi a posteris fides haberetur his inter alia verbis utitur: *Quod quidquid scripserit, prælio durante compleverit & veritatis stilo frequenter usus fuerit, & ideo non peccaverit; Et insuper, quod fortius est, cum Universitas Thuricensis cum suis incolis & adhærentibus quibuscunque fuerit finaliter & effectualiter in Villa Bernensum cum adversariis de anno Jubilæo proxime præterito solenniter concordata, & cum ipse sit unus ex illis & ab antiquo & utroque parente civis Thuricensis, similiter gaudere privilegio mutuæ reconciliationis, etiamsi, quod absit, multipliciter excesserit in forma relationis, cum etiam interpretes hinc inde processerint sermones, scripturæ, similiter & canencium carmina patenter & latenter odiosissima apud plerosque pro verum gestarum memoria curialiter conservata*.

Aegidius Tschudius in Annalibus Diplomaticis tradit, Malleolum, quod nonnulla contra dignitatem Confoederatarum Civitatum in scriptis suis esset complexus, ex suis ædibus in custodiam quidem ductum, sed paucis post diebus libertati restitutum stylum deinceps continuisse: in quo tamen virum eruditissimum nonnihil a vero abesse ex dictis constare arbitror. Quo autem anno vitam sub Minoritarum custodia finierit infelix iste literatus & pro veritate Historica Martyr, non habeo compertum: id unum mihi certum est, eum An. MCCCCLVII. adhuc in vivis fuisse, ipso indicium faciente in tractatu *de religiosis proprietariis*. Plura in hanc rem addere supersedeo. Idem vir Cl. qui nobis has observationes suggessit, historiam vitæ ac fatorum Felicis Malleoli maximam partem ex propriis ejus scriptis continua serie & improbo labore concinnavit; quam alio tempore, ut spero, publicæ luci sistet: nos ea tantum attigimus, quæ ad institutum nostrum facere videbantur. At non ingratum fore lectoribus confido, si colophonis loco versiculos adjiciam, quibus *Sebastianus Brand* in dedicatione & rubrica *opusculorum variæ oblectationis* Malleoli nostri ingenium, stylum, fata, non infeliciter descripsit:

Dicacem offendet lector cynicumque magistrum,
Quique hostes lacerat mordicus usque suos.
Unde & jure suo poterit dici ille Cicada,
Quæ semel ut tacta est, murmura longa canit.
Temporis ille sui carpit variosque reprendit
Indecoros actus, scandala multa notans.
Ipse stylus scripti, quamvis levis atque humilis sit,
Nec satis incudi traditus eloquii,
Plautino quamvis redolet minus ille nidore
Est tamen & salibus plenior atque jocis.

* * * * *

Illius ingenium variis scabronibus actum
Perspicis & stimulos sustinuisse graves.
Casibus adversis, aurum velut igne, probatus,
Hostibus usque suis Malleus acer erat.
Hinc sibi conveniens sortitus nomen, ut esset
Hemmerlin dictus, nomine, reque, statu.
At Felix tandem, vitioque illæsus ab omni,
Carceris e tenebris sydera clara subit.

III Locus tertius BILIBALDI PIRCKHEIMERI esto, cui *Descriptionem Belli Helvetici MCCCCXCIX.* debemus. Hujus apud eruditos nomen celeberrimum est, ut nostris laudibus nihil indigeat: Extat de ejus vita Commentarius amplissimus a *Conrado Rittershusio* J.C. & Antecessore Altorfino doctissimo conscriptus, quo civem de Republ. Norica juxta ac literaria optime meritum laudibus ad cœlum extulit. Idem Rittershusius non de Pirckheimeri modo manibus sed de omnibus, qui Helvetiorum nomini famæque student, optime meruit, quod hocce de Bello Helvetico opusculum ab oblivione & interitu, cui proximum jam erat, restauratum in dias luminis auras revocaverit. Quo vero id casu, quove consilio factum sit, ipse in præfatione Lectorem his edocuit verbis: „Etsi hoc memorabile & geminum bellum quod cum Helvetiorum fortissima gente duo gesserunt maximi duces ac bellatores, Carolus Burgundus & Maximilianus I. ejus gener, ab aliis quoque descriptum extat, a nemine tamen fortasse melius & copiosius magisque ex fide quam a Bilibaldo, qui ipsemet posteriori interfuit, Præfectus Copiarum Norimbergensis Reipublicæ tam equestrium quam pedestrium, ut tam hic, quam in vitæ suæ Commentariolo profitetur. Operæ pretium igitur facturi videbamur, si hanc historiam Xenophontis nostri Germanici (appelletur ita sane ex merito noster Pirckheimerus, vir cum quo illius ævi, fortassis & aliorum temporum, paucissimos Germanos

„con-

„conferre possis,) ex tenebris in lucem proferremus. Latuerunt hactenus duo isti libri, partim in archivo Reipubl. Noricæ partim in lituraris Bibliothecæ Pirckheimerianæ, quorum folia sic erant dispersa, ut folia Sibyllina jure dici possent. Alterum vero exemplar satis vitiose mutilateque descriptum erat, cui nec mures alicubi pepercerant, particulam ejus abrodentes, quam non facile quisquam ex conjectura restituisset. Verum collatione ejus instituta cum autoris autographo, quod in ordinem illius beneficio redegimus, egregie id redintegravimus, omninoque tale tibi opus totum exhibemus, amice Lector, quale ab ipso (ne dubita) conceptum est Pirckheimero. Quodsi quis quærat ex nobis, cur non multo ante vel ipse autor vel ejus hæredes hæc ediderint: causam hanc esse putamus, quod autorem quidem mors prævenisse videatur, antequam ederet ipse, quæ idcirco, ut ederentur, tam diligenter descripserat: hæredes vero filias tantum reliquit (fuit enim cum ipso stirps Pirckheimeriana, olim inter patritias gentes Noricas clarissima, plane extincta) quæ talia parum curarunt. Sed ut dicitur, sat cito vel nunc, dummodo sat bene.„ Hoc Bilibaldi opusculum dein MELCHIOR GOLDASTUS HAIMENSFELDIUS Francofurti ad Mœnum caeteris autoris operibus addidit MDCX. apud Bringerum, quam editionem in recudendo libello secutus sum. Caeterum Bilibaldus singularem ac privatam causam habuit cur Commentarium de bello Helvetico scriberet, quam ipsiusmet & Rittershusii verbis exponam. Pirckheimerus patritio genere natus optimis belli pacisque artibus egregie instructus Patribus Norimbergensibus studium suum prudentiamque variis legationibus aliisque muneribus publicis comprobaverat; jamque triennium Senator fuerat, cum bellum inter Cæsarem & Helvetios exardesceret. Ibi Norinbergenses a Cæsare per edictum convocati auxilia Imperialia ex veteri consuetudine mittere sunt coacti. In ea expeditione adornanda, cum undique circumspicerent, quemnam Præfectum suarum copiarum ad Cæsarem mitterent, tandem summa ea dignitas Bilibaldo Pirckheimero ultro delata est. Quod officium sicut minime exambiverat ita nec recusandum sibi existimavit, quantumvis etiam amici plerique omnes id ei proposita magnitudine periculi summopere dissuaderent. Sic enim secum ratiocinabatur, venisse jam tempus quo specimen eorum præberet, quæ adolescens in aula Episcopi Eystadiensis, tum itineribus variis cum patre confectis, denique in Academiis & urbibus Italiæ celeberrimis, inque libris & aliunde didicisset, vidisset, cognovisset. Itaque commissas suæ fidei copias (quæ cum primum constarent CCCC. peditibus & LX. equitibus, posterius ad eum auctæ sunt numerum, ut ad alterum tantum ascenderent) ad Cæsarem produxit, una cum VI. colubrinis cannis & majori tormento pulverario, octo præterea curribus militaribus. Adjungebatur autem Bilibaldo præter alios complures nobiles quidam Eques auratus Joannes a Bagesdorf, qui vir fama celebrabatur strenuus & multarum palmarum bellator. Ex hoc bello Suevi ingentia acceperunt damna. Quidquid autem adversi accidebat, sive minimum sive maximum aut ubicunque res male gesta erat, id totum Norimbergensibus imputabatur a malevolis & calumniatoribus. Imo quidquid alii sua culpa, temeritate atque imperitia neglexerant aut corruperant, id ipsis impingere conabantur, sed falso & ex mera invidia atque odio, quod dolentes cernerent Norinbergenses maxime apud Cæsarem gratia florere. Quidquid sinistri, inquit Bilibaldus, accidebat, id omne in Norimbergensium referebatur caput, ita ut etiam occulti fœderis cum Helvetiis submissique insimularentur subsidii; quod quidem ob nullam aliam fiebat causam quam odium singulare ac animi pravitatem, & quod nonnulli libenter culpam propriam aliorum texissent innocentia. Sed neque Bilibaldo ipsorum stratego parcebatur, quem similiter suis calumniis licet innocentissimum flagellabant. At is apud Cæsarem bis tam egregie se suosque defendit, ut in ipsius Apologia Cæsar se acquiescere diceret, ipsumque bono animo esse juberet; se nihil nec in ipso nec in militibus suis desiderare, tantum pergerent quo modo cœpissent. Ad summa ita se illo bello gessit Bilibaldus, ut facta jam pace & copiis dimissis magna cum gloria in patriam reverteretur: ubi senatui rationes rerum a se gestarum redderet, ab eodem solenniter ob rem bene gestam laudaretur & munere satis splendido donaretur. Secutæ sunt etiam paulo post literæ Cæsaris, quibus & senatui Norimbergensi pro missis auxiliis gratiæ agebantur & Bilibaldi opera magnopere collaudabatur. Bilibaldus autem non contentus Cæsari virtutem suam privatim comprobasse, belli illius casus omnes statumque verum summa cura explicatum literis commendavit, quo publicum quoque fidei suæ atque fortitudinis monumentum extaret. Cum id ageret, non potuit, si gloriæ suæ consultum vellet, quin Suevorum ignaviam segnitiemque sæpius adcusaret aperteque proferret, *Suevos gentem lingua magis quam armis strenuam, primo omnia magis impetu quam consilio agere, deinde discordare inter se, aliis negligentiæ ac trepidationis accusantibus alios.* Neque Bilibaldi candor summus dissimulavit, bellum temere a Suevis susceptum fuisse: *Non tam Maximilianus Rex*, inquit, *quam potentes ejus elati animo volvere coeperunt, sub qua honesta occasione Helvetiis bellum inferre ac olim acceptas injurias vendicare possent, & hæc potissima causa discordiarum fuit.* Contra Helveticæ virtutis exempla summis extulit laudibus ingenue fassus non fortunam modo sed & rectam rationem cum Helvetiis stetisse. *Si quis*, ait, *recte considerare velit, non solum ea clades, sed omnes aliæ ob militum præcipue temeritatem nimiumque hostium acceptæ sunt contemtum, quum Helvetii nihil nisi ex præscripto agerent ac diligentissime disciplinam servarent militarem.* Hæc ideo pluribus commemoravi, quia clarissime declarant, hoc habere virtutem, ut species ejus atque pulchritudo etiam in hoste delectent.

IV. Pirckheimero comitem adjungimus HENRICUM LORITUM GLAREANUM pago Claronensium oriundum. *Glareanus* enim non ut vulgo putant a patria, sed a domo paterna *a Glarea, am Steinacker*, vocabatur. Loritus autem nomen gentile. Natus fuit Anno M CCCC LXXXVIII. quo anno Nicolaus Eremita Sylvanus mortuus est, honestis parentibus domique claris, *Ægidio Tschudio* clarissimo illi Claronensium Syderi adfinis. Hujus *Descriptioni Helvetiæ & Panegyrico* quartum in hoc Thesauro locum adsignamus. Primus autem Glareanus vel certe in primis literas humaniores in Helvetiam intulit, adhuc prorsus jacentes & neglectas; quas Basileæ primo dein Argentorati & Friburgi Brisgoviorum publice docuit. De rebus quidem Helvetiorum ante Glareanum nemo quidquam typis commiserat. *In describenda Helvetia*, Myconius inquit, *ducem, cujus vestigia notaverit, habuit neminem. Hactenus enim (ut verum fatear) parum apud nostros tributum est literis, quocirca, qui illis dederint operam, fuerunt paucissimi. Eo modo res omneis, quas & regio ipsa laudabiles continet & quæ a viris Helveticis tum prudentia tum fortitudine non absque ingenti gloria sunt gestæ, usque adhuc jacuerunt. Sed quod nulla ferme pars est hodie totius orbis Christiani, quæ non fertilis sit ingeniorum, edidit & nobis præter ceteros Helvetia Henricum Glareanum, de quo dubites doctiorne sit an melior.* Ut hoc opus adgrederetur, autor ei fuerat *Henricus Utingerus* Tigurinæ Ecclesiæ Canonicus, de quo in Epistola dedicatoria ad eundem nos edoctos voluit: *Cum nuper*, inquit, *in itinere tuo me viseres, conferremusque plurima de instituenda Juventute Helvetica, tandem in nostræ patriæ antiquitates longiore, quam nos ipsi putavimus, sermone, nescio quomodo, incidimus. Cœpi ego me ipsum opportune colligere, quæque de Helvetia apud optimos quosque aut reperissem aut invenissem autores congerere, posterisque tradere, & ad majora invenienda ansam præbere.* Carmine autem hoc argumentum complexus poeta laureatus, non infimi spiritus, legatis tredecim pagorum Helvetiæ dicavit, consecravit, eo cum successu, quem ipse in posterioris editionis dedicatione ad *Hieronymum von Roll* his verbis significavit: *Undequadragesimus nunc agitur annus, quando juvenis ego, elato, ut ætas illa habet, spiritu Patriæ nostræ descriptionem orsus cum XIII. Civitatum Panegyrico sequente anno perfectum opus, Basileæ editum ac typis excusum, concilio Helvetiorum, quod Tiguri habebatur, obtuli: rem ea tempestate mirabilem, quando nemo antea, quod equidem sciam, apud nostrates quidquam tale tentaverat, imo fortassis, ne cogitarat quidem, (nisi cantilenas vulgo decantatas commemorare libet.) Cessit tum feliciter quod cœperam, magnifice enim exceptus, liberaliter donatus, ac honestius dimissus ab Helvetiis, magnum momentum nostris hominibus & facilem ansam majora commentandi dedisse videbar.* Caeterum quamquam nihil in hoc opusculo neglexerit, quod Helvetiorum virtutem vel illustraret vel extolleret, sibi tamen ab horum temperavit insolentia, qui se non putant satis quenquam laudasse, nisi alios vituperent. Rara huic scriptiunculae obtigit felicitas, ut quinto statim anno postquam lucem primum attigisset, commentatorem nancisceretur: OSWALDUS enim MYCONIUS *Lucernanus* tum temporis apud Tigurinos Ludimoderator *Commentario Philologico-Historico* Glareani carmen illustravit, adductus rationibus scholasticis, quas in dedicatione operis enarravit: *Commentariolum paravi in Glareani Poetæ doctissimi carmen de Helvetia. Quod quidem a multis lectum, a paucis vero intellectum cum haberetur compertum, adierunt me ex Glareani discipulis quidam rogitantes, ut Præceptoris opusculum redderem lucidius. Sic enim sibi persuaserunt fore, ut & a pluribus legeretur, & lubentius, utque hoc modo Helvetiorum laudi nonnihil accessurum esset.* Non arbitror fore quenquam qui Myconium multam lucem operi attulisse diffiteri ausit. Ipse Glareanus Myconii labores & maximi fecit & grato æquoque animo laudavit elegiâ, quæ incipit:

Candide pars ingens nostrorum Oswalde laborum.

Attamen cum poeta jam senex An. MDLIV. post Myconii obitum novam carminis editionem Basileæ adornandam suscepisset, non pauca in Myconii Commentario vel sustulit vel immutavit. Hujus rei, quas causas habuerit, explicabo. Quamvis Glareanus satis superque perspiceret superstitionis labem Sacra Ecclesiæ Romanæ contaminasse, imprimis autem vitam moresque Cleri esse corruptissimos, reformationem tamen severius ac res tulisset & ultra modum exercitam, multaque pontificiæ religionis scita placitaque abrogata esse dolebat, quæ rectius fuissent servata: Porro *Erasmum* ducem Reformationis cupiebat, quem unice observabat, a quo pendebat, in cujus tempora vitam suam incidisse lætabatur:

Lætor ego quod temporibus sum natus Erasmi,
Gaudeo & exultans bella trophæa fero.
Ah quoties agro comites affatus amice est,
Pabula quanta animæ contulit ille meæ.
Is docuit mores meliusque infudit JESUM.
Is docuit cœlum perpetuasque domus.
Et docuit penitus stultum contemnere mundum,
Vexit & ad superos mentem animumque meum.

Cum interim Reformatio & ab aliis suscepta & ultra modum, quem ipse animo sibi proposuerat, deducta esset, Glareanus antiquam tenere rationem quam illos sequi autores maluit; Reformatores nostros novatorum numero habuit, ab iis dissensionis, quæ Helvetiam tum in partes diviserat, semen dispersum omnium animis se infudisse existimavit. *Per seditiosos homines*, inquit in Epistola dedicatoria ad Hier. von Roll, *variæ in religione opiniones ac sectæ, urbium ac principum dissensiones, quæ per hosce triginta annos universam fere Germaniam pessundedere, vicinos Germanis Helvetios mire afflixere, ut sæpius propemodum pigeret ac potius puderet operæ, quemadmodum putabam probe navatæ.* Hæc causa fuit, cur poeta noster Anno M D LIV. in Myconii Commentarium manu immissa expungeret, quascunque ille Zwinglio aliisque Reformatoribus corollas sertaque operi suo intexuerat; ne forte Reformationi calculum adjecisse adcusaretur. Sed hæc pauciora sunt, plura Glareano in Geographicis opusculi partibus mutanda fuerunt, postquam

Ægidii

Ægidii Tſchudii libris de antiqua Helvetia perlectis toto animo in ejus ſententiam diſceſſiſſet. *Nunc demum ſenex reviſo*, inquit, *quod mihi olim juveni excidiſſe judicari poterat. Et totum quidem reviſi opus, quædam etiam retexui, maxime Geographica, imo ad regulam Domini Ægidii Tſchudii affinis noſtri plurimum dilecti pleroſque locos emendavi, ex eo videlicet libro, quem ille de Rhætia doctiſſime ſcripſit, quo intra mille annos vix melior in re Topographica prodiit. In eo enim libro multiplex eruditio, judicium acutiſſimum, Celticæ linguæ, qua hodie Helvetii utuntur, proprietas egregie expreſſa, ut qui eum in latinam linguam vertere conati ſunt, ridiculos ſe plane oſtenderint.* Quibus verbis *Sebaſtianum Munſterum* notatum voluit, qui Tſchudii opus autore inſcio latine a ſe redditum prælo ſubjecerat. Mox paucis interjectis ita pergit: *In commentario Oſwaldi Myconii multa mutanda fuere ipſi, quod verſus in eo mutati ſunt opere, & res pleræque lucidiores factæ; Sed illud nunc laboris in nos incubuit, poſtquam ille nuper fato functus e vivis ceſſit, ne quis putet id odio magis quam ratione factum.* Quod ad noſtram editionem pertinet in illa Myconii Frobenianam Anni M D XIX. expreſſi, locaque a Poeta vel ſublata vel emendata ad operis calcem collegi. Quod reliquum eſt, & illud notari velim, Myconium hoc nominis a caprearum mugitu finxiſſe, quod Germanicum *Geißheuſer* molles auriculas læderet. Glareanus *Molitorem* vocavit, quo jure neſcire me fateor. Monendum tamen duxi, ne quis eum cum *Jodoco Molitore* confundat, qui Chami Tuginorum ſacerdos Evangelii cauſam cum primis ſuſceperat defendendam, ſed odiis adverſariorum ita exagitatus, ut vitæ ſuæ timens Tigurum ſe in portum ſubduceret. Ejus in Bibliotheca Carolina plures Elegiæ ſervantur, pleræque Canonicis Eccleſiæ Thuricenſis inſcriptæ.

V. VI. VII. Glareanum & Myconium pone ſecutus eſt JOSIAS SIMLERUS, cujus extant *de Valleſia libri duo*, *de Alpibus Commentarius*, *de Republica Helvetiorum libri duo*, ſede quinta, ſexta & ſeptima a nobis locati. Sunt iſta viri celeberrimi opuſcula tanquam totidem tabulæ e magno naufragio ſervatæ; unde conjecturam facere poſſis quantam Helvetiorum Hiſtoria ceteris deperditis jacturam fecerit. Conſtituerat autem integros rerum Helveticarum commentarios condere ſeptem diſtinctos libris, partibus duabus majoribus, quorum primæ adſignaverat res geſtas Helvetiorum a prima gentis claritate ad annum Chriſti M D XIX. Alteram eſſe voluit Chorographicam, Topographicam & Genealogicam: Hac enim urbes, vicos, villas, caſtella, fluvios, aquas; ſtemmata item & natales Patritiorum & Nobilium Helvetiorum exhibere ſtatuerat. Tantam rem quo conſilio, atque ſtudio adgreſſus ſit, ipſe in Valleſiæ dedicatione diſtincte ediſſeruit. „Cum proximis ætatibus celebre fuerit confœderatorum nomen, ſæpe admiratus ſum, *inquit*, neminem extitiſſe, qui ipſorum res, adhæc regionis ſitum et hominum mores latina lingua deſcriberet, quo Helvetica etiam ab exteris & remotis gentibus cognoſci poſſent. Præſertim cum non defuerint homines docti & eruditi, quibus hoc præſtare non fuiſſet difficile, maxime cum privatim extent non pauci vernacula lingua conſcripti commentarii rerum Helveticarum, & præterea in publicum prodierint Chronica Johannis Stumpfii, quibus Helvetiorum plena & accurata deſcriptio continetur. Sæpe interfui exterorum hominum ſermonibus, quibus ſe latinam Helvetiæ deſcriptionem valde expetere oſtendebant. Horum ſermonibus commotus & amicorum hortationibus impulſus Helvetiorum res latino ſermone mandare cœpi: non quod tantarum rerum deſcriptioni parem me eſſe exiſtimarem, ſed ne tam pertinaci noſtrorum hominum ſilentio majorum præclare facta ignorantia & oblivione ſepulta manerent. Caeterum in his commentariis conſcribendis Stumpfium in plериſque ſecutus ſum, is namque ſingulas Helvetiæ regiones, lacus, flumina eorumque fontes, decurſus, montium juga, vallium anfractus, oppida, arces, pagos, familias illuſtres, hominum ingenia & mores, Reipublicæ rationem, res denique domi foriſque geſtas, ſingulari fide & diligentia pene infinita perſecutus eſt, ita ut illi hoc nomine multum debeat univerſa Helvetia.„ Iniquiſſime autem facere cenſet moroſulos quoſdam homines, qui cum ipſi nihil in lucem proferre audeant, interim graviſſimos diligentiſſimi Viri labores carpunt, neque cogitant ipſum reprehendendo ſimul quoque a ſe damnari multos clariſſimos viros, quorum conſilio & ope Stumpfius uſus eſt in ſuis Chronicis concinnandis. Quod ſi alicubi aberraverit in tam immenſo opere, hos qui id reprehendunt cogitare debere, ubi ipſi ſua diligentia annotaſſent unum & alterum ejus errorem, viciſſim ab ipſo denas imo centenas res memoratu dignas literis & memoriæ mandatas eſſe, quas ipſi antea ignoraverint. Interim ſe ita ſecutum eſſe Stumpfium profitetur, ut tamen non interpretis more ejus commentarios redderet, ſed primùm alium ordinem & eum qui ſibi huic inſtituto maxime idoneus videbatur adhibuiſſe; deinde Hiſtoricam tractationem a περιηγήσει ſeu regionis deſcriptione ſejunxiſſe; poſtremo non pauca partim a clariſſimo Viro Sebaſtiano Mynſtero antea tradita, partim ſtudio & labore ſuo collecta, addidiſſe. Ut igitur hujus inſtituti guſtum aliquem præberet libros de *Valleſia* in publicum edidit, hancque operis ſui partem eo libentius a reliquo corpore quaſi avulſam publicare voluit, ut ejus rationis ac viæ, quam in opere majore ſibi deligendam eſſe cenſuit, publicum aliquod extaret Specimen ac documentum, & ut hoc modo bonorum omnium ſtudia atque ſubſidia labori ſuo conciliaret. Quod enim conſilium in hoc ſpecimine ſecutus eſt, eodem in toto opere commentariorum Helveticorum utebatur; nempe ut regionum deſcriptionem ſingulatim perſequeretur ac ab ea ſeparatim hiſtoriam omnium confœderatorum populorum uno opere complecteretur. Hinc etiam ſecundo hujus deſcriptionis Valleſiæ libro quædam brevius quam rerum magnitudo poſtularet expoſuit, quod eadem in Helvetica Hiſtoria copioſius enarranda

)( )( )( )(5 cen-

censeret. Prius autem quam hunc libellum in publicum ederet, viris doctis legendum dedit atque inter alios *Thomæ Plattero*, a quo monitus quædam mutavit, nonnulla addidit.

A libris de Vallesia sejunctum voluit *Commentariolum de Alpibus*, operam brevem & tumultuariam, cum enim universa Helvetia alpina regio sit, naturæ miracula, quæ passim haud contemnenda sese offerunt, in Vallesiæ descriptione tractare noluit, sed peculiarem libellum de Alpibus festinata opera confecit; in quo multa de Alpinis itineribus ad explicanda veterum loca, & quæ maxime memoratu digna videbantur, congessit.

Quo tempore Vallesiæ Descriptio operarios exercebat, auctor incidit in *Historiolam beatorum Martyrum Thebeæ legionis*, quam continuo descriptam suo libello appendicis loco adjecit, ut hoc testimonio scilicet rem creditu difficilem confirmaret. Sed vereor, ne criticum nasum habentes ex hoc ipso opusculo nova colligant tela, quibus totam illam legionem crebris ictibus convellant & configant.

Aliud deinceps operis sui majoris, quod gnaviter urgebat, specimen & quasi Epitomen publice extare voluit Simlerus *libris duobus de Helvetiorum Republica*. *Interea*, inquit, *dum justos commentarios rerum Helveticarum jam dudum a me inchoatos sed sæpe de manibus depositos & pene neglectos ad finem perduco, hoc de Republica Commentariolum & majoris operis quasi Epitomen quandam in lucem emittere & nostris hominibus judicandam proponere volui*. In hoc opere Autor id agit, ut priore libro fœdus, quo Civitates Helveticæ coaluerunt nec non pacta & fœdera illarum cum vicinis regibus atque civitatibus describat; altero vero regiminis formam, belli & pacis jura, leges, ritus, totam denique rem publicam Helvetiorum illustret. Non ultima hujus libri laus est, quod Commentatorem nactus sit *Joh. Jacobum Leonem* de re publica & literaria bene factis optimeque scriptis meritissimum, qui raro nostrorum temporum exemplo summam doctrinam ad summa Reipublicæ munera attulit. *Franciscus* quidem *Guillimannus* hunc Josiæ librum leviter aspersisse videtur *Lib. III. Cap. 16.* parce & ambigue dictis, ut facile intelligas, non magni fecisse hunc librum: *Et de Republica Helvetiorum*, inquit, *liber editus, de quo nihil habeo dicere*. Alii tamen viri doctissimi huic commentario tribuerunt plurimum; cujus argumentum est, quod cum primum prodivisset in lucem, in varias statim conversus linguas omnium pæne manibus tereretur. Ex eo fere hauserunt exteri quidquid de rebus nostris recte tradiderunt. A *Calvisio* & aliis magni nominis Historicis crebro citatur. *Augustus* etiam *Thuanus* egregius in hoc præsertim genere judex & hanc de Republ. lucubrationem & de Alpibus & Vallesia libros encomio non proletario dignatus est. At Josia Simlero in literis assiduo & arthritide ac calculi intolerandis doloribus in horas afflicto præmatura mors præclarum ipsius rei literariæ juvandæ desiderium & conceptam de optimi viri laboribus omnium spem suffocavit. Rumore quidem fertur, maximam *Commentariorum Helveticorum* partem in Bibliotheca privata abditam custodiri, sed affectam tantum, non ita confectam, ut diem & lucem ferre possit.

VIII. IX. Locum octavum cum nono sibi vendicat FRANCISCUS GUILLIMANNUS Aventico-Friburgensis, genere, virtute & eruditione nobilissimus. Hic de rebus Helvetiorum libros quinque *Friburgi Aventicorum* opera *M. Wilhelmi Mæß* publicaverat anno post Christum natum MDXCIIX. cum hac inscriptione: *Francisci Guillimanni de rebus Helvetiorum sive antiquitatum libri quinque. Ex variis scriptis, tabulis, monimentis, lapidibus, optimis plurium linguarum auctoribus.* Huic editioni vicesimo quinto post anno, dum adhuc in vivis ageret auctor, nova & splendidior Rubrica præfixa est in hunc modum: *Francisci Guillimanni Helvetia sive de rebus Helvetiorum Lib. V. In quibus gentis illius antiquitas, origo, mores, leges, uno verbo omnes belli pacisque artes historica fide ex antiquis tabulis atque monumentis eruuntur & curioso Lectori breviter exponuntur*. Iste porro titulus pro Friburgo, qui in priori locus impressionis erat, *Amiternum* præfert, pro M. Wilhelmo Mæß *Raphael Camilletum* substituit. In reliquo libri volumine nihil mutatum. Quo consilio hoc factum sit, non satis constat, an ut emtori hianti hac ratione imponeretur, quæ vulgaris librariorum fraus est, an vero ut malevolorum obtrectationibus ansa præcideretur. Erant enim qui indigne ferebant in Civitate Helvetica librum prodivisse, qui minus magnifice de libertatis primordiis priscaq; rerum nostrarum conditione loqueretur: cujus generis hominum stomachum auctorem nostrum expertum esse, sunt qui obscurum quendam rumorem secuti perhibent, cum enim per pagum Helvetiorum non illaudatum iter carperet, adolescentes aliquot fervidioris ingenii eo progressos insolentiæ, ut virum bonum salientis fontis gurgiti ridicule immergerent. Quæcunque autem nominum permutatorum causa fuerit, de re constat. Hæc interim *Lengleto* & *Menckenio* nec non *Gundlingio* imposuit, ut Editionem Amiterninam tanquam a Friburgensi diversam, immo in multis auctam emendatamque serio commendarent. Verum Exemplaribus inspectis & collatis nullo labore cognoscas, quamvis rubrica novam editionem splendide mentiatur; alteram magis alteri similem esse quam binos Sosias apud Comicum, quippe una est eademque. Amiternum nullum est hodie, fuit olim in prima Latii regione, quam Abrutiam Romani dixerunt, ex cujus ruinis Aquila urbs deinceps ædificata est regni nunc Neapolitani. Amiternum locus olim fuit natalibus Caji Salustii Crispi inprimis clarus, quem Scriptorem quod unice in deliciis haberet noster, uniceque exprimere studeret, tacita quadam sui cum Salustio comparatione pro Friburgo suo Amiternum Salustianum posuisse videtur.

Celeberrimus *Gundlingius* Guillimanni Helvetiam tanti fecit, ut typis iterum describendam cura-

curaret. Cujus consilii rationem in præfamine suæ editionis his verbis explicuit: „Nunc de Francisci „Guillimanni Helvetia quædam attexam, quæ „quasi alba avis perraro in lectissimorum homi„num Bibliothecis videbatur. Natus is est in „Helvetiis, quemadmodum ipse de se sæpius „memoriæ prodidit; atque in Friburgensi Aca„demia ingenuas literas historiamque non sine „laudis quodam cumulo publice docuit; donec „post Habsburgiaca, quæ Rudolpho II. Impera„tori Augusto consecraverat, Consiliarii ac Hi„storiographi Cæsarei insignia titulosque pro„fessioni adjiceret. Primus quem emisit liber „in patriæ antiquitatibus eruendis detegendis„que occupabatur; saniori, ut credo, consilio, „quam si de rebus alienis atque exoticis sollici„tus extra orbitam prosiliisset & ad Asiæ Afri„cæque interiora delatus mores atque consue„tudines quæ ante pedes sunt oblivioni tradidis„set. Prodierunt enim Res Helvetiorum Fri„burgi primum Anno MDXCVIII. deinde „Amiterni apud Italos MDCXXIII. media „forma; tantaque aviditate ab omnibus lectæ „sunt, ut parce comparerent exemplaria nec „nisi magno ætatis intervallo invenirentur. Et „placuit autem universis quod primus in Histo„ria Helvetiorum desierit fabulari; nihilque ex „vano haustum suis adsperserit, quo nimis alias „scribentium animi inclinant, ac Stumpfius „cumprimis, qui in antiquis Poeticæ similem „licentiam arripuit & mentiendi fingendique „nullum fere modum tenuit. Quæ consuetu„do ut minus apta est veritati inveniendæ sta„biliendæve; ita eos cummaxime deterret, qui „ad illa, quæ narrantur, potius quam ad nar„rantis animum advertunt; nec nominibus „titulisque librorum, sed rebus in iis traditis „quod fas est ac decet tribuunt. Neque tamen „Guillimannus propterea origines & progressus „civitatium ac rerum publicarum omisit; sed „Romanam Historiam cum media itemque Ger„manica connectens adeo sobrie atque pruden„ter ubique versatus est, ut nescias fere, utrum „magis mirari conveniat in veterum monumen„tis evoluendis exactam industriam; an in di„judicandis tot difficillimis rebus providentissi„mum consilium cum mentis ingeniique soler„tia singulari conjunctum? Ad quod cum elo„quentiæ non modicæ opes accessissent, augeri „cœpit Guillimanni auctoritas, utpote qui reli„quis rebus non tantum esset ornatus atque ele„gans sed oratorum in numero merito habere„tur. Memini me a clarissimo *Sagittario* audi„visse aliquando, Guillimannum confusi, quod „Stumpfius emisit, operis pertæsum Helvetiam „suam eo potissimum fine adornasse, ut omnia „scitu necessaria quasi in tabula legentibus offer„rentur & facta, conversiones, pagi, fœdera, „socii, aliaque ad rempublicam pertinentia ex „fastis actisque publicis via compendiaria trade„rentur. Quod judicium eo lubentius nunc „quidem meum facio quod istud videam cum „re ipsa concordare & *Suicero*, *Stattlero* atque *Spre„chero* Helveticarum ac Rhæticarum rerum „gnarissimis viris haud quaquam displicere.„ Et paucis intercedentibus: „Libellum *de Argen„tinensibus Episcopis*, quem Friburgi A. MDCVIII. „publici Juris esse factum memoria tenemus, „omni equidem studio quaesivimus, ut denuo „recusus in eodem cum Helveticis Volumine „compareret; sed inveniri non potuit, quam„quam non sit nobis incognitum eum OBRECH„TO olim in Prodromo rerum Alsaticarum con„scribendo non inutilem operam præstitisse. „Simili fere fato tractatus singularis *de Origine & „Stemmate Conradi Salici* Mediolani A. MDCIX. „typis editus omnem diligentiam nostram effu„git; tametsi varias Bibliothecas perreptantes, „& oculis illum anxie quaereremus, & voce & „precibus ab Amicis modeste posceremus. Est „enim semel unquam impressus, quodque pre„tium auget, extra Germaniam in Italiae solo, „unde haud ita crebro librorum utilium codi„ces ad nos exportantur. Magni hunc librum „Doctiss. BLONDELLUS fecit, qui Ottonem „Conradi Salici avum ex Ludolpho Ottonis „Magni filio perperam sibi cum Guillimanno „persuasit. Sed huic tamen facile ignoscent, „qui *Bernonis* Augiensis Abbatis, Scriptoris Con„rado æqualis ambiguo eum testimonio fuisse „deceptum considerabunt. Nam cum hic Con„radi prosapiam ex generoso Ottonis Augusti „germine deduxisset, putavit is Bernonem li„neam paternam designasse, cum de materna „loqueretur. Ex quo factum esse videmus, ut „vir eruditissimus impingeret, non tam culpa sua, „quam clariori veterum monumentorum luce „destitutus. Forsitan alio tempore felicius no„bis ad ejusmodi libellos inveniendos sidus ad„fulgebit, utpote qui nihil magis in votis habe„mus quam ut rari & ad domesticam historiam „facientes codices, quibus alii superbiunt, iis„que veluti dracones ovis suis incubant, per„ruptis claustris foras educantur, omniumque „usibus consecrati patescant.„

Equidem utroque pollice probo hoc Viri Doctiss. de Guillimanno judicium; neque diffiteor summa esse illius in Historiam patriam merita, eumque inter principes illius Scriptores jure suo esse referendum: duo tamen complectitur capita, in quibus majorem æquitatem & modestiam in hoc arbitro requiro: alterum, quod primum fuisse Guillimannum affirmet, qui in Helvetica Historia desierit fabulari: alterum quod hujus laudes non posse constare pro suo ingenio arbitratus est, nisi cum Stumpfii nostri calumnia forent conjunctæ. Stumpfio enim iniquiorem fuisse Gundlingium, Josias Simlerus qui strenue ejus caussam defendit, ut accepistis, docuit: qui etiamsi non magnopere diffiteatur, Stumpfium aliquoties cespitasse, eundem tamen in Historia Helvetica condenda sibi præivisse, seque illum potissimum auctorem secutum esse candide profitetur. Jam ad alterum caput quod adtinet, ipsum Josiam priorem Guillimanno summa diligentia & acri judicio in cernendis & examinandis veterum fabulis feliciter versatum fuisse, nemo negaverit: quid? quod ipse Guillimannus

primas sibi hoc in genere tribui nolit, cum Aegidium Tschudium Glaronensem non parce laudet, quod facem in Historia antiqua sibi praetulerit, & a quo multum profecerit. Capite enim XI. Libri II. tantum huic viro debere amatores Antiquitatum quantum alteri nemini fatetur. Quod ad Guillimanni libellos Gundlingio tantopere desideratos attinet, eos in promtu habeo, suo tempore cum aliis boni commatis monumentis historicis luce donandos: Quidquam enim ab hoc viro scriptum mea negligentiâ intercidere nefas duco. Inprimis autem deploro temporum iniquitatem, quae rerum Helveticarum annales continua serie ad Livianae Historiae exemplum scribere coeptos commodis & usibus nostris inviderunt: de quibus ipse sub Libri V. finem: *Helvetiorum fortia facta patrataque pro libertate, pro gloria, pro regibus, pro principibus, pro foederatis bella, inde per tempus exponentur.* Et ad operis calcem: *Liber mihi sub manu crescit de virtute antiqua & moribus, dictis factisque Helvetiorum memorabilibus, in quo inter alia foedera pleraque explicantur, disputantur, componuntur. Si tamen unquam his rerum & omnium bonarum disciplinarum corruptionibus manu mittatur.* Caeterum qua diligentia Clarissimus Gundlingius opera suscepta defunctus sit, malo per se quisque cui lubitum fuerit, quam me statuente, cognoscat: In eo certe, quod in Capitum summariis pro auctoris verbis sua saepius posuit, plus sibi indulsit, quam in aliis aequo animo ferre potuisset. De nostra editione id persuasum habeo, suis eam meritis insignem esse, etenim in adcurata argumentorum & citationum dispositione nihil neglectum est quod cultum operi & perspicuitatem inprimis conciliare posset. Neque tamen dissimulare volo, nonnullos errores typographicos ex Friburgensi in nostram manasse editionem, quos parum cavit recensentis cura, eos tamen levioris esse momenti & venia dignos quivis cognoscet.

Pergo ad ejusdem autoris HABSBURGIACA; quem partum eodem fere tempore cum *Helvetia* animo destinatum paucis annis interjectis in lucem emisit. Quum enim satis ei non esset auctores vulgo notos & publici juris factos in consilium adhibere, celebriorum plerarumque per Helvetiam Bibliothecarum & Archivorum forulos scrutatus est vel ipse vel per amicos, ut ad plenam rerum Helveticarum cognitionem nihil, quoad ejus fieri poterat praetermitteret. Huic intentus studio de Comitum Habsburgiacorum origine, vita & rebus gestis multa invenit veteribus aut ignorata aut perperam tradita, quae ut illustri *Comiti Casati* Patrono suo, Hispaniarum Regis ad Confoederatos legato, maxime vero Principibus ex Stemmate Habsburgiaco gratum faceret, septem digessit libris, *hanc partem qui serio vereque tradidisset desiderari, opido indignatus, non invidia laudis aliena sed hujus incuria.* Anno post *Helvetiam* editam tertio, Domini sexcentesimo quinto supra millesimum *Mediolani* publici juris fecit opera *Pandolphi & Marci Tullii Maletestarum* in officina regia Hispaniarum Regis, sumtuque regio. Opus Rudolpho I. Imperatori inscripserat qui voluntatis suae testificandi gratia Historiographi Caesarei munus & titulum auctori benigne contulit. Cel. Gundlingius fatetur, de Habsburgicorum Comitum origine multo verisimiliora quam *Petrum Lambeccium* aliosque attulisse, qui eosdem a Perleoniis, Perleonios autem ab Anicia stirpe vinculo male cohaerente deducunt. Editionem Mediolanensem octodecim interjectis lustris *Ratisbonae Jo. Zacharias Seidelius* iteravit, qua fide, quo consilio, ipse in praefatione ad lectorem exposuit, quam integram sistere placet, quia epicrisin de Guillimanni stylo fideque habet. „*Guillimannum*, inquit, *Augustissimae Domus Austriacae* Origines, tanto candore, „tantaque industria eruentem, in paucorum „hactenus delituisse manibus, merito aegre tulerunt, quos aliqua Historiae, & veritatis in „ea, cura delectat. Luci igitur redditum vides; „ea tamen lege, ne quid vel in rerum momentis, vel in scriptionis indole, vel parte ulla alia „hic mutatum occurrat, & diversum ab iis, „quae prima exhibet editio; adeo ut ea etiam „auctori integra & intacta reperias servari, quae „hodierno scriptionis genio, & politiori in latinis studio, ex asse vix congruent. Cujus „quidem consilii ratio illis se probaverit facile, „qui auctorum quorumvis faciem nativam, ut„ut naevis quibusdam deformatam, intueri malunt, quam alienis curis immutata specie decipi. „Historici prima cura ac gloria est, veritatis „studium. Hoc qui in eo deprehendit, is si „quid dictioni forte deest ornamenti non adeo „requiret. Nostro certe auctori veritatis custodiam cordi fuisse, ubique prae se ferre videtur; adeo ut aliorum hac in parte negligentiam, vel audaciam, vel pravitatem etiam, „passim incuset, illique limam admoveat, & „veritatis vindicem per totum opus se profiteatur. Haec ut praemoneri hic cupiebant; sic „de cetero conatum hunc editoris satis vel excusat, vel tuetur arbitrium & jussus eorum, „quibus, editionem novam Guillimanni urgentibus, obsequium negari non debuit. Fruere „hoc labore, Lector Benigne, & *Invictissimae* „*Domus Austriacae* incunabula in Guillimanno ita „contemplare, ut summum, quod nunc occupat, fastigium mecum pie venerari non „desinas.„ Quinam fuerint qui Seidelium ad hunc laborem suscipiendum instigaverint, primi ordinis viri ut videtur, explicatum non habeo. Caeterum optimo consilio eam sibi legem imposuit, ut in opere Guillimanniano nihil immutaret, quam legem a naturali aequitate sancitam, ne quis falcem in alienam messem mitteret, utinam servarent omnes qui aliorum opera describenda suscipiunt. Quod autem ad Guillimanni stylum pertinet eum curiosius elaboratum esse ususque frequentiori vocum & locutionum obsoletarum insolentem factum fateor. Adde brevitatis studium, quod obscuritatem habet. Verum de hoc scriptore plura dicere lubens supersedeo; quae hic desiderari possent, abunde supplebit propediem opera viri literatissimi & in hoc studiorum genere exercita-

citatissimi qui scripta Guillimanniana dedita opera recognovit, neque in sermone recensendo substitit sed & res & historiam autoris sub examen revocavit.

X. Guillimannum excipiat sede decima JO. HENRICUS SUICERUS Tigurinus, cujus CHRONOLOGIA HELVETICA res gestas Helvetiorum ab An. mundi MDCLVI. ante Christum natum MMCCCXIV. ad annum usque Christi MDCVII. indicat temporum ordine & brevissime complectitur. Typis *Wechelianis* apud *Claudium Marnium & haeredes Joannis Aubrii Hanoviae* MDCVII. in lucem prodivit. Suicerus ecclesiae Rickenbaccensi in agro Tigurino a sacrorum ministerio fuit ab Anno Christi MDXCIV. ad annum MDCXII. Opusculum illud magnifico & amplissimo Viro *Jo. Huldrico Wolphio* patricio & senatori Tigurino Comitatus Kyburgensis expraesecto affini & compatri inscripsit; ad quem verba faciens de instituti ratione & consilio haec prodidit: „Inter „alia quibus Marcus Tullius, Romanae elo„quentiae princeps, historiam commendat, „haud est postremum, quod testem temporis „lucemque veritatis vocat. Est enim VERITAS „primum & unicum ornamentum historiae, „quae ei fidem conciliat. Sunt autem ex omni„bus rerum circumstantiis tres potissimum „quae rei fidem faciunt: Persona, tempus, „locus, nempe quorum auspiciis, per quos, „quando, quove in loco res fit gesta, quae si „inter se congruere non videntur res est su„specta, deque ejus veritate haud absque causa „dubitatur. Quare omnis historiae scriptor „nullas circumstantias, quae ad asserendam rei „veritatem facere videntur, praeterire debet. „Illud etiam interdum accidere solet festinanti „lectori, ut prae jucunditate rerum gestarum „personas & tempora minus observet & sola „lectionis dulcedine oblectetur. Unde ple„rumque ob diversitatem nominum incogni„torum, locorum & personarum mens pertur„batur, memoria labitur, legendi studium eva„nescit & lector omni fructu destituitur. Maxi„me in iis, quibus unius populi, qui divisis „imperiis regitur, res describuntur: quando „non omnia simul (quod diversis temporibus, „locis & a variis personis gestae sunt) compre„hendi & describi possunt. Id quod in omni „nostra historia est observandum, praetertim in „tribus prioribus de Antiquitatibus libris. Ita„que ne qua confusio lectori ex mixta Orien„talis & Occidentalis Helvetiae, & utriusque „diversorum Principum rebus gestis oboriatur, „visum est me operae pretium facturum si Chro„nologicis tabulis, Synopsi quadam, uno quasi „intuitu, res, tempora, personasque simul „spectandas proponerem. Posteriorum vero „librorum, de libertatis Helveticae defensione, „chronologiam ita sum persecutus, ut Germa„norum Imperatorum, quos Imperii capita „agnoscimus, seriem ordine proposuerim, simul„que Helvetiorum res paucis attigerim, ad „annum Rodolphi Imperatoris trigesimum.

Sed plenius haec & distinctius in libri praefatione persecutus est his verbis: „Quando„quidem res Helveticae hactenus a quibusdam „satis fuse & copiose, ab aliis autem fere com„pendiose nimis tractatae, atque ideo populari„bus tenuioris fortunae graviores sunt, quam ut „illorum tenuitas hos sumtus ferre possit, sive „breviores, ut eorum desiderio sufficiant, ante „aliquot annos animum ad scribendum appuli „idque mihi negotium dari credidi, ut ex omni„bus, qui res Helveticas unquam tractarunt, „scriptoribus, brevem quidem, veram tamen, „plenam, perspicuam & ordine conscriptam „historiam rerum ab Helvetiis gestarum con„scriberem & in id omnes ingenii mei exigui „vires intenderem; nullo ductus affectu pri„vato, habito tantum respectu boni publici & „famae communis patriae. Caeterum cum libri „mei antiquitatum Helveticarum pro variis mu„tationibus, praecipue imperiorum, quibus Hel„vetia fuit subjecta, studiosum & attentum „lectorem requirant, visum est me operae pre„tium facturum, si brevem quandam Chrono„logiam & totius historiae summam praemitte„rem, qua tanquam in tabella sive speculo im„peria & res ab Helvetiis gestae summatim com„prehensae uno quasi intuitu cerni, memoriae „mandari & magno cum fructu, non solum „tres antiquitatum sed etiam reliqui sequentes „de libertatis Helveticae defensione libri legi & „intelligi a quovis possint. Placuit denique „majoris evidentiae causa & terrae & gentis prae„cipuarumque in Helvetia mutationum summa„riam quandam descriptionem adjungere: ne„quid omnino, quod memoriam juvet, deesse „videatur.„ Ex quibus cognoscitur autori propositum fuisse hac Chronologia in lucem edita ad majora opera viam quasi munire, lectorumque studium cum excitare, tum dirigere. Commentarios illos rerum Helveticarum vernacule scriptos Celeberrimus Hottingerus *laude minime carere censuit, historiam praesertim bellorum Italicorum methodo & prolixa tractatione non displicuisse aut supervacaneam visam fuisse iis, quibus eam legere datum. Ut perfectiorem daret historiam etiam exteros consuluisse Historicos, Guicciardinum & Paulum Jovium* idem prodidit. Verum illa opera typis nunquam, manu rarissime descripta fuerunt.

XI. Undecima sede JOH. BAPTISTAM PLANTINUM collocamus, Helvetiae antiquae & novae scriptorem. Civis fuit *Lausodunensis*; cum hoc opusculum scriberet *Castroduni*, qui praefecturae Sanensis vicus est (Germanice *Oesch*, gallice *Chateau d'Oyes ou d'Oex*) ministerio V. D. fungebatur. „Continet autem hoc opus gene„ralem Helvetiae antiquae & novae quoad ad„juncta & partes descriptionem, Helvetiorum „originem, nomina, mores, religionem, poli„tiam, virtutem bellicam &c. aliasque antiqui„tates, quales ex tot vastationibus superesse „possunt, sufficientes quidem ad demonstran„dum, nostram Helvetiam inter Europae pro„vincias non infimas tenere, nec tam vilem & „abjectam fuisse, quin apud veteres insignis

„ habita fuerit. Agri bonitatem & amœnitatem, „ aëris salubritatem & inprimis cœli benedictionem possidere. „ Ita Plantinus in operis dedicatione ad Augustissimum Reipublicæ Bernensis senatum instituti operis rationem modumque exposuit. Qua dein fiducia erectus, quibus subsidiis firmatus ad opus accesserit in libri præfatione ipse edisseruit. Quam autor sub finem Historiæ Helveticæ Synopsin promisit, paucis interjectis annis dedit sermone Gallico: *Abregè de l'histoire generale de Suisse avec une description particuliere du Pays des Suisses, de leurs sujets & de leurs alliez. A Geneve M D C X V I.*

XII. Agmen hoc scriptorum Helveticorum claudit, quisquis *bellum civile Helvetiorum An. M D C L V I.* literis illustravit, PEREGRINI SIMPLICII AMERINI personam induens, ut obscuritate nominis falleret. Hanc ei personam detrahere cupientes quidam verum libelli auctorem WALTHERUM SCHNORFIUM esse contendunt Virum non tam suis, quam filii *Caspari Ludovici Equitis, Prætoris & Vexilliferi Badensium* meritis & gloria celebrem: alii certiori fama edocti non Schnorfium sed PAPPUM quendam de Canonicorum Capituli Constantiensis collegio genuinum non ignobilis fœtus parentem esse dixerunt. Quibus ut accedam facit memoria in pugillari veteri a me reperta, quæ hoc opusculum disertis verbis Pappo vindicat. Quicunque autem nobis hunc pepererit partum, dignum habui, qui in memoriam hominum lucemque revocetur, etiamsi a studiis partium immunem esse prorsus non censeam.

† † †

Atque hæc sunt, benigne Lector, quæ de Scriptoribus hoc Tomo comprehensis præfari libuit; ne ignorares, quas ob rationes istos aliis, qui supersunt, Historiæ Helvet. Scriptoribus anteferendos esse censuerim: quos enim hic exhibemus auctores citra controversiam in hoc genere principes primum locum & omnium judicio & suo quodam merito sibi postulare videbantur: quanquam enim ex illorum numero, quos præterire nunc debui, ne justi voluminis modum excederem, plerique & argumenti novitate, & eruditionis claritate, & sagacitate judicii, & veritatis studio, his non sint inferiores; eos tamen vel hoc solo nomine inpræsentiarum posthabendos esse duxi, quod maxima pars non integram Helvetiorum historiam sunt complexi; sed vel in sola gentis suæ historia enarranda substiterunt; quales sunt rerum Rhæticarum scriptores &c. vel quod ex infinito exemplorum & casuum, quos Patria historia suppeditat numero, singulare aliquod & memorabile facinus diligentius exponere sunt aggressi; quorum in censum refero *OSWALDI MICONII Commentarios de tumultu Bernensium intestino* ab Hasliensibus An. M D XXVIII. suscitato; *Ejusdem Narrationem verissimam Civilis Helvetiorum belli propter Religionis Reformationem suborti*; *JOH. HENRICI HOTTINGERI de Irenico Helvetico diss.* quibus adde *ejusdem Celeberr. Viri Methodum legendi Historiam Helveticam*; *RUDOLPHUM GUALTHERUM de Helvetia origine, successu, incrementis, gloria*; aliosque plures ejus commatis scriptores, quos pluribus hic enumerare nihil attinet. Hos omnes in subsidiis quasi relictos, suo tempore editurus sum, ubi primum hocce specimen viris bonis ac eruditis non displicuisse cognovero. Fore saltem ut populares nostri calculum suum huic operi adjiciant, cum alia spem nobis excitant, tum maxime, quod omnium sapientum concordi judicio non reperiatur aliud dignius nobili & ingenuo studium quam patriæ historiæ, neque ad Reipublicæ Gubernacula natus majori cum laude & fruge possit otium suum terere, quam in lectione autorum, qui res majorum publice privatimque gestas summa fide literis mandarunt. Sic valere te nostroque de Patria & re literaria bene indies merendi studio favere cupio. Scripsi Tiguri sub auspicia A. R. S. M D CC XXXV.

INDEX UNIVERSALIS.

Litera a. denotat	Columnam dextram.
Litera b.	Columnam ſiniſtram.
Vit.	Vitodurani Chronicon.
Mal.	Malleoli opuſcula.
Pirck.	Pirckheimeri deſcriptionem belli Helvetici.
Glar.	Glareani opuſcula.
Sim. Val.	Simleri deſcriptionem Valleſiæ.
Sim. Alp.	Simleri Commentarium de Alpibus.
Sim. Resp.	Simlerum de Republ. Helvetioru.
Guil. Helv.	Guillimanni Helvetiam.
Guil. Habsp.	Guillimanni Habspurgiaca.
Suiz.	Suizeri Chronologiam Helveticam.
P. Simpl.	Peregrini Simplicii bellum civile Helveticum.
Plant.	Plantini Helvetiam antiquam & novam.

A.

Abbates principes & primæ autoritatis viri ſeu magnates ſeculares. Guil. Helv. *pag.* 18. b. & 82. a.

Abbatiscella vicus egregius ab abbate S. Galli ædificatus. Guil. Helvet. *pag.* 118. b. Abbatiscellæ ſitus Sim. Resp. *pag.* 32 a. Abbatiscellani in varias jurisdictiones olim diviſi ſua inſignia, vexilla & jura ſingularia habuere. Guil. Helv. *p.* 119. a. Se in libertatem vindicant Pirck. *p.* 5. b. Jura ſua armis defendunt Guil. Helv. *p.* 119. a. Nobilitatem regione ſua expellunt Suiz. *p.* 40. Excommunicati ſunt Suiz. *p.* 42. Sim. Resp. *p.* 32. b. A Suitenſibus in tutelam recepti ſunt Pirck. *p.* 6. a. Rineggum & Rheguscorum vallem occupant Suiz. *p.* 40. Sim. R. *p.* 32. b. in fœdus Helveticum recipiuntur Sim. ib. Guil. Helv. *p.* 119. a. A Friderico Imperatore maximis privilegiis ornantur Suiz. *p.* 46. Abbatis S. Galli palatium Roſaci diruunt, unde natum bellum civile in Helvetia Sim. Resp. *p.* 28. b. Suiz. *p.* 49. Rheguſca vallis iis ademta Sim. Resp. *p.* 28. b. Abbatiſcellanorum laus Glar. *p.* 21. b.

Abiolica Plant. *p.* 56. a.

Abiſontes gens alpina Sim. Alp. *p.* 27. b.

Academia Baſilienſis inſtituta Guil. Helv. *p.* 117. b.

Acheron urbs Syriæ multis Chriſtianis interfectis vaſtatur Vit. *p.* 14. a.

Acitavones gens alpina. Sim. Alp. *p.* 16. b.

Acronius lacus hodie Conſtantienſis Glar. *p.* 3. a.

Adamas magnitudine & nitore inſignis a milite Helvetio in caſtris Burgundicis inventus Pirck. *p.* 9. a.

Adolphus Naſſovicus eligitur imperator Vit. *pag.* 14. b.

Adrianus Papa Imperatori tradit jus eligendi Pontificem & ordinandi ſedem apoſtolicam Vit. *pag.* 28. a.

Adulas mons, hodie der Ezel Glar. *p.* 9. b.

Advocatia & Jurisdictio Imperialis in Turegum Berchtoldo Zæringio data Suiz. *p.* 24.

Advocatia Tigurina Civibus ab Imperatore dono data Suiz. *p.* 39. Advocatia Glaronenſis fuit penes Imperium Romanum Sim. Resp. *p.* 19. b. Salodorenſis fuit penes duces Allemanniæ ib. *p.* 28. a. Curienſis Friderico Sueviæ duci commiſſa Guil. Helv. *p.* 67. b.

Ætius dux Romanorum gravia bella cum Burgundiis geſſit Suiz. *p.* 11.

Agaunum (am gand) hodie S. Mauritium, Sim. Val. *p.* 20. a. Guil. Helv. *p.* 6. a. & *p.* 134. b. Plant. *p.* 70. a.

Agnes Hungariæ Regina pacem conciliat Bernenſibus Vit. *p.* 53. b. Suiz. *p.* 34.

Agrippa Galliam regit Guil. Helv. *p.* 46. a.

Ala urbs antiqua Helvetiorum Guil. Helv. *p.* 33. a.

Alaricus cum ſuis Gothis univerſam Italiam in ſuam poteſtatem redegit ib. *p.* 61. b.

Albertus auſtriacus vi ſe conſtituit Imperatorem Vit. *p.* 15. a. Cives Tigurinos captivos in Winterthur in libertatem reſtituit ib. Avaritiæ deditus alienis terris inhiavit ib. Ejus artes regnum ſuum ampliandi Guil. Helv. *p.* 90. b. cunctos exterminavit Judæos ut eorum bona occuparet Vit. *p.* 16. a. Sim. *p.* 4. b. Imperator factus Nobilibus & urbibus Helveticis ſua privilegia confirmavit, Suiz. *p.* 31. Tigurum obſidet Vit. *p.* 15. a. Tigurum ſecundo obſidet Sim. Resp. *p.* 14. b. Suiz. *p.* 31. Bernam obſidet Suiz. *p.* 30. Albertus hoſtis libertatis Helveticæ Sim. Resp. *p.* 4. a. Uriis, Suitiis, Sylvaniis negat confirmationem privilegiorum Suiz. *p.* 31. iis per legatos perſuadere conatur, ut in ſuam clientelam ſe committerent. Sim. Resp. *p.* 4. a. Reſponſum Alberti legatis a Pagis datum ibid. Albertus ſibi vindicavit omnem poteſtatem in Glaronenſes Sim. Resp. *p.* 19. b. Guil. Helv. *p.* 109. b. Legatis Tuginorum ſuperbe reſpondet Sim. Resp. *p.* 20. a. a Johanne ex fratre nepote interficitur Vit. *p.* 15. a. Mal. *p.* 15. a. Guil. Helv. *p.* 93. b. Sim. Resp. *p.* 8. a. Suiz. *p.* 32. Alberti filii patris necem vindicaturi in Nobilitatem ſæviunt. Guil. Helv. *p.* 94. b. Sim. Resp. *p.* 8. a. Suiz. *p.* 32.

Albertus auſtriæ dux Baſileam fruſtra obſedit Pirck. *p.* 7. b.

Allemanni unde dicti ſint Guil. Helv. *p.* 51. a. Plant. *p.* 76. a. Eorum nomen quando innotuerit Suiz. *p.* 10. Allemanni Galliam infeſtant Suiz. *pag.* 12. Helvetiam vaſtant ib. *p.* 10. partem Helvetiæ occupant ib. Provincias Ræticas diripiunt Guil. Helvet. *p.* 52. b. Rætiam & Helvetiam vaſtant ib. *p.* 54. a.

Hel-

Helvetiam & Galliam depopulantur ib. p. 55. a. Barbetionem Augustam Rauracorum usque persequuntur ib. 56. a. in Helvetiam irruptionem faciunt ib. p. 58. a. Allemanni Lentienses Rætiæ & Helvetiæ finitimi ib. p. 59. a. Allemanni a Gratiano Imperatore in Helvetiam traducti ib. b. Allemannorum superstitio ib. p. 44. a. Allemannorum prælio Tolbiaco clades Guil. Helv. p. 72. a. post hanc cladem a Francis extrema servitute adficiuntur ib. p. 73. a. Allemanni Helvetios ultraursanos infestant Guil. Helv. p. 77. a. Allemanniæ ducatus exolevit & Suevicus substituitur ib. p. 51. b. Allemanniæ ducatus inter Berchtoldum Zæringensem & Fridericum Hoenstauffæ comitem divisus ib. p. 52. b. Allemannia ingentem famem passa Vit. pag. 72. b.

Allobroges populus Galliæ Narbonensis Glar. p. 4. a. Plant. p. 68. a. Allobroges dictos esse quasi a la Broja Got. Viterbiensis prodidit Guil. Helv. p. 10. a. not.

Albius mons Plant. p. 17. a.

Allodium quid sit. Guil. Helv. p. 25. a. not.

Alpes Italiam a Gallia & Germania dividunt Sim. Alp. p. 20. b. Alpes dicuntur a candore, quia perpetuis fere nivibus albescunt ib. & Glar. p. 6. a. *Alp* in vernaculo sermone dicitur mons pascuus, in quo fœnum non secatur Sim. Alp. p. 20. b. Plant. p. 11. b. Alpes multi dicuntur montes Plant. ib. a. Alpium montes variis nominibus nuncupantur, olim a diis quibus consecrati erant, hodie a Divis, quibus sacella in his locis dedicata sunt. Aliæ a populis, qui ad eas incolunt; aliæ a situ suo Sim. Alp. p. 4. b. Plant. p. 14. b. Alpium longitudo & latitudo Sim. ibid. Plant. pag. 12. a. Earum altitudo Sim. ib. p. 5. a. Plant. ib. Alpes graiæ cur ita dicantur Sim. Alp. p. 8. a. A plerisque apud Sedunos ponuntur Sim. Val. p. 12. a. Provincia Alpium graiarum inter Galliæ provincias ib. p. 14. b. Alpes ex Herodiani descriptione Glar. pag. 6. a. Alpes ante inexsuperabiles Tarquinii Prisci tempore primum apertæ Guil. Helv. p. 6. b. quis primus cum exercitu alpes superaverit Sim. Alp. p. 8. a. ante Hannibalem Galli alpes transiverunt ib. b. Alpes ante Tarquinium perviæ fuerunt ib. p. 9. a. Hannibalis iter per Alpes ib. ubi alpes transgressus sit Hannibal ib. p. 11. b. Alpium celebriora itinera ib. p. 12. a. Peculiaris provincia Alpium cujus Metropolis Ebrodunum ib. b. Alpes maritimas & graias easdem putavit Alciatus ib. p. 13. a. Alpes Cottiæ ib. Alpes Penninas ab Hannibalis transitu dictas esse putarunt veteres; a Pennino Deo Livius ib. p. 16. b. Plant. 14. b. alii a Pennone Noricorum Deo Sim. ib. p. 17. a. Alpes Penninæ apud Salassos Sim. ib. p. 16. b. Plant. p. 15. a. Summæ Alpes Sim. ib. Plant. p. 15. a. Lepontiæ alpes Sim. ib. p. 18. b. Plant. p. 16. a. Alpes Ræticæ Sim. ib. p. 19. b. Plant. ib. Juliæ Alpes Sim. ib. p. 21. b. Gentes alpinæ Sim. ib. p. 25. b. ab Augusto devictæ ib. p. 26. a. Alpium admiranda Plant. p. 12. b. Earum fœcunditas ib. p. 7. b. & 9. a. Glar. p. 7. b. Alpinæ aquæ Sim. ib. p. 27. b. & 28. b. Alpibus originem debent quatuor nobilissima Europæ flumina ib. p. 28. b. Arbores alpinæ ib. 29. b. Abietes proveniunt in Alpibus frequentissimæ ib. p. 30. a. Mures alpini Plant. 14. a. Herbæ alpinæ Sim. ib. pag. 30. b. Animalia alpina ib. p. 32. a. Plant. p. 13. b.

J. Alpinus concitator belli Helvetici multatur a Cæcinna Guil. Helv. p. 49. a.

Alpina Gæsa Plant. p. 44. b.

Altenburgi sive castri Vindonissensis reliquiæ Guil. Habsp. p. 11. b. Altenburgensium comitum origo Guil. Helv. p. 11. b.

Alsatiam Sequani tenuere sed a Germanis ex ea pulsi sunt Guil. Habsb. p. 11. b.

Altensaxii Barones Sim. Resp. p. 79. b.

Ammannus supremus magistratus in Pagis democraticis Sim. Resp. 65. b.

Amorbachiorum laus Glar. p. 19. b.

Ambronum limites Plant. p. 7. a. Ambrones a Mario victi Guil. Helv. p. 100. a.

Ammont (ad montem) ad lacum Rivarium Guil. Helv. p. 46. b.

Anarchia longa & fœda in Imperio post Friderici II. obitum Guil. Habsp. p. 86. a.

Angli regi suo bellum inferunt ob exactiones insolitas Vit. p. 5. b. Angliæ rex Francis bellum infert ib. p. 51. b. Hoc bellum compositum ib. p. 54. b. Angliæ proceres a Rege Franciæ corrumpuntur Vit. p. 55. b. Angliæ rex Scotiæ regem capit ib. p. 57. b. Francos parva manu vicit ib. p. 81. b. Angli in Helvetiam irruptionem faciunt suasu Leopoldi austrii Suiz. p. 37. Sim. Resp. p. 22. b. Pirck. p. 5. a. Agrum Bernensem vastant ib. retroire sunt coacti ib.

Antonius utramque Galliam administravit Guil. Helv. p. 45. b.

Antuatius pagus Guil. Helvet. p. 8. b. ejus oppida ib. Plant. p. 7. a. & p. 69. a. Antuatti populus Rætiæ Sim. Resp. p. 36. a. Antuates ab aliis Nantuates, vocantur Sim. Val. p. 20. b.

Apollo in honore habitus ab Helvetiis Guil. Helv. p. 106. Plant. p. 38. a. Genevæ cultus ib. p 51. a. & p. 57. b.

Apostolica sedes vacavit tribus annis Vit. p. 7. b.

Aquæ minerales in Helvetiis Plant. p. 18. b. Aquæ marinæ longo circuitu percolatæ omnem salsedinem amittunt Sim. Alp. p. 27. b. Aqua fluviorum per Lacus transeuntium ab aqua Lacuum dignosci potest ib. p 28. a. Aquæ calidæ hominibus salutares apud Helvetios Sim. ib. b. Aquæ Helveticæ sive Bada Guil. Helv. p. 12. b. & p. 32. b. urbs pagi Tugini Plant. p. 61. b.

Araris mendose pro Arula Glar. p. 11. b.

Arbogastes militiæ comes ex stirpe Francorum Guil. Helv. pag. 71. a. Arelatensis regni initium Guil. Habsb. p. 33. b.

Arbor felix Sim. Resp. p. 78. a. Plant. 65. a. Guil. Helv. p. 31. b.

Arbona castrum Guil. Helv. p. 125. a.

Argentina civitas Rodolphum Habsburgium Imperatorem sumsit Guil. Habsb. p. 89. b.

Argovia quasi Herogea dicitur, Heroum terra Glar. p. 12. a.

Arovia antiquitus Rore Guil. Habsb. p. 15. b.

Arguel seu S. Immeri vallis sub ditione Biennensium Sim. Resp. p. 75. b.

Ariovistus dicitur quasi Erenvest. Glar. p. 28. a.

Armeniacorum Exercitus Ludovici Delphini Sim. Resp. p. 46. a.

Armleder contra Judæos sæviens Vit. p. 43. b.

Arnoldus

INDEX UNIVERSALIS.

Arnoldus Brixianus Italia profugus Tiguri nova dogmata fpargit Guil. Helv. *p.* 107. b. & 108. b.

Arnolphus Imperator factus Guil. Habsb. *p.* 29. a. Rodolphum Burgundiæ Regem bello perfequitur Suiz. *p.* 20. Romam expugnat Guil. ib. Romæ coronatur Guil. ib. *p.* 30. a.

Arola fons in Furca monte. Guil. Helv. *p.* 131. a.

Arta in Suitenfium ditione quidam nova dogmata inde a Reformatione retinuerunt P. Simpl. *p.* 4. b. Hi Tigurum concedunt ib. *p.* 5. a. acerbarum difceptationum occafionem faciunt. ib.

Arx Tigurina a Civibus diruta Sim. Resp. *pag.* 13. b. Arces duæ ab Underwaldiis dolo captæ ib. *p.* 7. b.

Avendum caftrum Guil. Habsb. *p.* 21. b.

Aventicus pagus. Guil. Helv. *p.* 8. b. Ejus pagi oppida ib. Aventicum Helvetiorum caput ib. *p.* 9. b. accipit Romanorum coloniam ib. *p.* 10. A Vefpafiano reftauratum Plant. *p.* 57. a. Colonia Aventicenfis a Vefpafiano diducta ib. ab Allemannis vaftatur Guil. Helv. *p.* 10. a. Brenni temporibus jam celebre fuiffe dicitur ib. hodie dicitur Vivilsburg vulgo Wiflisburg a Vivilo comite ib. Ab Ammiano in provincia alpium graiarum ponitur Sim. Alp. *p.* 14. b. Aventica regio Pagus Valdenfis dicitur Guil. Habsb. *p.* 33. b. Urbis Aventici amplitudo Guil. Helvet. *p.* 10. b. Aventia dea ib. Aventicum Claudii Coffi facundia fervatum ib. *p.* 49. a. Aventicorum Epifcopus ib. *p.* 8. b.

Augienfe monafterium (die Richenau) conditum. Guil. Habsb. *p.* 25. a.

Auguftus in Galliam profectus ib. *p.* 47. b. Augufto Trophæus pofitus ob alpinos populos devictos Plant. *p.* 73. a. Auguftorum numina in Helvetia. Plant. *p.* 39. a. Augufta Rauracorum Plant. *p.* 67. a. Augufta Tiberii feu Ratisbona Plant. *p.* 75. a. Augufta Rætica Plant. *p.* 72. a. & 75. a. Auguftenfis Epifcopus Virginem violat Vit. *p.* 55. b. Memmingenfibus propter Judæum cultum divinum interdicit ibid. *p.* 73. a.

Auftriacorum Principum origo Guil. Helvet. *p.* 12. a. Auftrii duces Præfectos Glaronam mittunt & jura Majoratus ad fe transferunt Sim. Resp. *pag.* 19. a. Guil. Helv. *p.* 110. a. contra Suitenfes bellum parant Vit. *p.* 40. a. Auftriacorum cum Helvetiis fœdus hæreditarium Guil. Helv. *p.* 135. a.

B.

Badæ urbis fitus & antiquitas Sim. Resp. *p.* 39. a. Plant. *p.* 61. b. quomodo ad Helvetios pervenerit ib. b. & *p.* 41. b. Badæ ut plurimum congregatur Senatus Helvetiorum Sim. Resp. *p.* 55. b.

Bagaudarum tumultus Sim. Val. *p.* 24. b.

Bagbardorum hærefis Vit. *p.* 76. a.

Bardi apud Gallos facris præerant Guil. Helvet. *p.* 41. b.

Bafilea unde dicta fit Sim. Resp. *p.* 29. b. Plant. *p.* 67. a & b. fublato jugo regni Burgundici Imperio fubditur Suiz. *p.* 22. *Bafileæ* defcriptio Glar. *p.* 19. a. Bafilea terræ motu concuffa Sim. Resp. *p.* 29. b. Suiz. *p.* 36. A Nobilibus multa mala paffa ib. *p.* 30. a. A Henrico Bavaro inftaurata; a Friderico III. multis privilegiis ornata Guil. Helv. *p.* 117. b. Bafilienfes profligunt Nobiles luxuriæ deditos Guil. Habsb. *p.* 93. b. Ad fœdus Helveticum accedunt Sim. Resp. *p.* 30. a. Helvetiorum amicitiam coluerunt antequam fœderi acceffiffent ib. *p.* 29. b.

Beatus Sacerdos Anglus Chriftum in Helvetia prædicavit Guil. Helv. *p.* 43. a.

Bellinzona Uraniis, Suitiis & Sylvaniis venditur Pirck. *p.* 7. a. Suitenfes Bellinzonam invadunt, quibus dux Mediolanenfis fe oppofuit ib.

Bellovefi iter in Italiam Sim. Alp. *p.* 21. b.

Belli calamitates & injuriæ defcriptæ Pirck. *pag.* 19. b. bellum abbatis S. Gallenfis cum Berchtoldo Zæringio Suiz. *p.* 23. belli civilis inter Tigurinos & Suitenfes eorumque confœderatos caufa & origo Mal. *p.* 5. a. Suiz. *p.* 42. & feq. hoc bellum Friderici Toggii opera conflatum ib. hoc bellum auftrii nutriverunt Sim. Resp. *p.* 23. b. Bellum Helveticum cum Sigismundo auftrio Sim. Resp. *p.* 24. a. Bellum contra Billitionenfes ib. *p.* 23. b. bellum Burgundicum ib. 24. a. bella Friburgenfium & rurfus fœdera cum Bernatibus ib. *p.* 27. b. bellum Helvetiorum contra Mediolanenfes ib. *pag.* 28. a. bella Helvetiorum in Italia gefta ib. & *p.* 31. a. bellum Abbatifcellanum ib. *p.* 23. b. Suiz. *p.* 40. bellum civile in Helvetia ab Abbatifcellanis conflatum Sim. Resp. *p.* 28. b. bellum Suevicum ib. Suiz. *p.* 49. & Pirck. *p.* 12. b. hujus belli fax Paulus de Lichtenftein & Goffenbrat Auguftenfis olim mercator ib. *p.* 13. a. belli Suevici initium a Curienfibus ib. Cæfareani vallem Engadinenfem vaftant ib. apud Bregentium in fugam vertuntur ib. *p.* 14. a. fugam capeffunt apud Ermentingen in Turgea ib. *p.* 15. a. Maximilianus Imperator accerfitur ad bellum Suevicum ib. b. Cæfareani cæduntur apud Feldkirch. ib. *p.* 17. a. turpis receffus Suevorum prope urbem Stein ib. b. eorum clades in valle monafterii ibid. *p.* 19. a. Cæfareani Engadinenfes difpergunt ib. *p.* 20. b. Cæfareanorum clades apud Dorneck ib. *p.* 23. b. bellum Suevicum finitum ib. *p.* 27. b.

Benedictus XIV. Papa ab Imperatore Ludovico inique poftulat, ut imperium refignaret Vit. *p.* 49. a.

Berchta Rodolphii II. Regis Burgundiæ Uxor collegium Salodorenfe ditavit Guil. Helvet. *pag.* 115 b.

Berchtoldus dux Allemanniæ Guil. Habsb. *pag.* 25. a. Berchtoldus Zæringius a Friderico I. dux creatus Mal. *p.* 14. b. Ei Carinthiæ ducatus adimitur Guil. Helv. *p.* 49. a. Ei Præfectura Tigurina traditur ib. *p.* 61. a. Ipfe & Reginaldus conciliantur, ib. *p.* 64. a. Burgundiam minorem ex pacto obtinet Guil. Helvet. *p.* 88. a. Nobilitatis Burgundicæ contra Berchtoldum confpiratio ib. Berchtoldus Zæringius V. Imperatoriam dignitatem refpuit ib. & Habsp. *p.* 74. a. Hujus liberi perierunt Nobilitatis fraude Guil. Helv. *p.* 88. b. Bernam condidit ad necem vindicandam filiorum Mal. *p.* 14 b. Ejus poffeffiones inter forores divifæ Guil. Habsb. *p.* 77. a.

Berna condita Guil. Helv. *p.* 88. a. & *p.* 111. a. Habsb. *p.* 70. b. Sim. Resp. *p.* 20. b. Sita in metis Galliæ & Allemanniæ Vit. *p.* 10. b. Urbs imperialis facta Guil. Helv. *p.* 111. a. A Friderico II. multa privilegia accipit. ib. Bernenfium bellum cum Friburgiis Sim. Resp. *p.* 20. b. Bernenfes fe in clientelam Comitis Sabaudiæ committunt fed mox in libertatem reftituuntur, ib. Guil. Helv. *p.* 88. b. & *p.* 111. a. Suiz. *p.* 26. Bernenfes & Friburgenfes mutua clade omnia pervaftant Pirck. *p.* 5. b. Bernenfes decipiunt Friburgenfes fignis mentitis Mal. *p.* 5. a. bella

bella gerunt pro libertate sua ante fœdus æternum Sim. Resp. *p.* 21. a. magna clade adficiuntur a Gotfrido Habspurgio Guil. Habsp. *p.* 98. b. Bernensium bellum cum Kyburgio Sim. *p.* 20. b. apud Laupam urbem fortiter prælium committunt ib. *pag.* 21. a. Bernensium bellum cum Underwaldiis Sim. ib. *pag.* 20. b. Bernenses contra hostem pugnaturi hostia seu corpore Christi se muniunt Vit. *p.* 51. b. cum fœderatis civitatibus se conjungunt Guil. Helv. *pag.* 111. b. Ad Helvetiorum fœdus accedunt Sim. Resp. *p.* 20. b. Suiz. *p.* 36. arcem & oppidum Tunense emunt a Kyburgio Suiz. *p.* 33. Berna mœnibus ampliatur Suiz. *p.* 35. Bernæ descriptio Glar. *p.* 14. b. Bernenses defendunt Biennam contra vim Episcopi Basiliensis Suiz. *p.* 37. Sabaudiæ ducem suo imperio exuunt ib. *p.* 55. omnia loca in Antuatibus & Equestribus occupant Sim. Resp. *p.* 45. b. Impediti variis metibus bello civili Helvetico An. 1656. suscepto nihil fere agunt. P. Simpl. *p.* 8. a. Eorum clades apud Vilmergam ib. bellum hoc civile componitur ib. *p.* 9. a & b. In Bernensium senatum qui non possint deligi Sim. Resp. *p.* 63. a. Bernensium præfecturæ ib. *p.* 64. a.

Bertoldus frater ex ordine minorum donum prophetiæ habere creditur Vit. *p.* 7. a. meretrici resipiscenti matrimonium conciliavit ib.

Bienna Sim. Resp. *p.* 75. a. & *p.* 38. a. Episcopus Basiliensis Majorem constituit Biennæ ib. *p.* 75. a. Civitas Biennensis in sex Societates distributa ib. b. Magistratus Biennensis ib. S. Immeri Vallis Biennensibus subdita ib.

Bilitionum (aliis Bellitionum) Uriis, Suitiis & Underwaldiis paret Sim. Resp. *p.* 42. b. ab iis emtum Suiz. *p.* 42. inde natum bellum cum Mediolanensi duce ibid.

Birenfeld campus latissimus apud Vindonissam Guil. Habsp. *p.* 10. b.

Bohemia ex ducatu fit regnum Guil. Habsp. *p.* 65. a.

Boii & Helvetii sese mutuo conficiunt Suiz. *p.* 8. Boii Helvetiis in Galliam proficiscentibus se jungunt Guil. Helv. *p.* 24. a. Iis Cæsar permittit in Gallia remanere ib.

Bovis cum sacerdote effigies prope Lausannam reperta Plant. *p.* 53. a.

Bonifacius papa ab Alberto Imperatore Romodiolam terram postulans repulsam tulit Vit. *p.* 16. b.

Bramagus locus ob antiquitatem notus Guil. Helv. *pag.* 16. a. Plant. *p.* 56. b.

Brengarten quasi prima guardia Plant. *p.* 62. a. Guil. Helv. *p.* 33. a. Sim. Resp. *p.* 40. b. & *p.* 76. a.

Brennus Aventicum Helvetiorum expugnat Suiz. *p.* 8.

Breuni gens alpina Sim. Alp. *p.* 27. a. Plant. *p.* 74. a.

Briganti Glar. *p.* 2. b. Brigantium Guil. Helv. *p.* 32. a.

Brigiani gens alpina Sim. Alp. *p.* 27. b.

Brisiaci quondam in Sequanis Guil. Habsp. *pag.* 16. b. Brisiaca Allemanniæ pars ib. *p.* 18. b. Brisiacum Ottoni austriaco oppigneratum loco Tiguri Vit. *p.* 29. a.

Brixentes gens alpina Sim. Alp. *p.* 27. a.

Brunechildis insignis crudelitate fœmina Guil. Helv. *pag.* 77. a. Suiz. *p.* 15. Columbanum persequitur Guil. Helv. *p.* 124. a. Scelerum suorum pœnas exolvit Guil. ib. *p.* 77. b.

Buchheimerus (*Albertus*) austrius præfectus Sim. Resp. *p.* 22. a.

Burckhardus Allemanniæ dux Guil. Helv. *p.* 82. b.

Burckhardus superioris Turgoviæ & Rhegusćorum comes, dux Allemanniæ Guil. Helv. *p.* 32. b.

Burgdorffium oppidum factum Guil. Habsp. *pag.* 70. a. Venditum Sim. Resp. *p.* 22. b.

Burgundiones unde dicti sint Guil. Helv. *p.* 63. a. ita dicti a Burgorum multitudine Mal. *p.* 14. b. instigantur contra Allemannos Guil. Helv. *p.* 58. b. Sequanorum & Heduorum agrum & Helvetiæ partem occupant ib. *p.* 62. b. Sim. Val. *p.* 26. b. Suiz. *p.* 4. & *p.* 11. Eorum sedes antiqua Guil. Helv. *p.* 63. a. secunda illorum sedes ib. illorum posteri Romanos se stirpe & origine jactarunt ib. cum Allemannis decertant ib. b. Reges habuerunt quorum potestas valde fuit circumscripta ib. *p.* 64. b. summum sacerdotem habuerunt ib. Romanis fœdere adjuncti ib. Duces, Comites & ceteros Romanos magistratus in societatem administrandæ Reipublicæ sumserunt. Guil. Habsp. *p.* 12. b. Burgundionum urbes Glar. *p.* 4. a. Burgundiæ olim tres partes fuere Sim. Val. *p.* 28. b. Burgundionum leges Guil. Helv. *p.* 67. b. Burgundiones Francis tributarii facti ib. a. In Francorum potestatem venerunt ib. *p.* 69. a. Ad fidem Christianam convertuntur Guil. Helv. *p.* 63. b. Burgundiæ regnum restitutum Guil. ib. *p.* 81. a. & Habsp. *p.* 29. a. Burgundiæ regum insignia Guil. Habsp. *p.* 8. b. Burgundici regni posterioris finis Guil. Helv. *p.* 85. a. Burgundiæ rex Rodolphus III. Henricum imperatorem hæredem instituit Guil. Habsp. *p.* 45. b. Burgundia Imperio Rom. connectitur ib. *p.* 35. a. in multos comitatus divisa ib. *p.* 46. a. ditionis Germanicæ facta ib. Burgundionum contra Imperatorem rebellio ib. *p.* 47. b. Burgundia Conrado Zæringio traditur ib. *p.* 62. a. Burgundionum contra Berchtoldum Zæringium conspiratio ib. *p.* 69. b. & *p.* 76. b. Burgundia minor vastata ab Arnulpho ib. *p.* 30. a. Burgundia minor hæreditate ad Kyburgios venit Suiz. *p.* 26.

C.

Q. Cæcilius Cæsiacus Rætiæ procurator, Guil. Helv. *p.* 129. a.

A. Cæcinna Vitellii dux belli Guil. Habsp. *p.* 10. Helvetiam vastavit Guil. Helv. *p.* 49. a.

J. Cæsar contra Helvetios missus pontem ad Genevam rescindit, murum fossamque a Lemanno ad Jurassum perducit Guil. Helv. *p.* 21. b. Tigurinos prælio fundit Guil. ib. *p.* 22. b. Helvetios vicit & in patriam reverti coegit ib. Helvetios in fœderatorum numerum recipit ib. *p.* 25. b. Galliam subegit ib. *p.* 45. a. Sedunis & Veragris bellum intulit Sim. Val. *p.* 23. a. Agaunum restauravit Suiz. *p.* 9. Alpinos populos non subegit Sim. Alp. *p.* 26. a.

Calerona Guil. Helv. *p.* 33. a. Plant. *p.* 56. a.

Camera Imperialis Tiguri Guil. Helv. *p.* 115. b.

Camuni gens alpina Sim. Alp. 26. a. Plant. *p.* 73. b.

Capellatium sive Palas regio, nunc die Pfalz Guil. Helv. *p.* 57. a. not.

Capellæ prope Tugium conditæ Suiz. *p.* 25.

Capitaneus generalis Toggenburgii (vulgo der Landshaubtmann) constitutus Guil. Helv. *p.* 127. a. Sim. Resp. *p.* 35. b. Capitaneus apud Vallesios Guil. ib. *p.* 134. a.

Capitula Mediolanensia Sim. Resp. *p.* 43. b.

Carbones bituminosi Sim. Val. *p.* 7. b. Plant. *p.* 13. a.

Careti juxta Rheni fontes Glar. *p.* 2. b.

Caracalla Allemannicus dictus Guil. Helv. *p.* 51. b.

Carolus Martellus major domus Guil. Resp. *p.* 24. b. Suiz. *p.* 16. *Carolus* magnus Imperator Guil. Helv. *p.* 79. a.

p. 79. a. Urbem Tigurinam magnis privilegiis ornavit Suiz. *p.* 18. Caroli M. gestorum summa Guil. Habsb. *p.* 26. b. *Carolus* Crassus primus Imperium Rom. in Germaniam transtulit Guil. Helv. *p.* 80. b. Tiguro cudendæ monetæ potestatem fecit ib. *p.* 106. b. in Augia sepultus est Guil. Habsb. *p.* 29. a. Carolingorum & Francorum vigor extinctus est Guil. Helv. *p.* 80. b. *Carolus* Sabaudiæ dux fœdus cum Helvetiis renovat, Sim. Resp. *p.* 31. b. *Carolus* Burgundus placatur Cæsari hac conditione, ut Helvetios infestaret Pirck. *p.* 8. a. Ejus laus ib. Splendidissimum exercitum duxit contra Helvetios ib. b. In fugam vertitur ib. Murton obsidet sed magna clade repellitur ib. *p.* 9. b. Ad Nanceium vincitur ib. *p.* 10. b.

L. Cassius Cos. a Tigurinis occisus Guil. Helv. *p.* 20. b. Suiz. *p.* 9.

Castrum quid sit Guil. Helv. *p.* 105. b. Castrum Vindonissense Guil. Habsb. *p.* 11. b. Salodorense Episcopatui Genevensi subditum fuit. Sim. Resp. *p.* 28. a.

Cathedralis Basileæ fundata Guil. Habsb. *p.* 40. b. Cathedralis Argentinæ fundata ib. *p.* 41. a.

Cataractes Rheni Glar. *p.* 30. b.

Caturiges gens alpina. Sim. Alp. *p.* 27. a.

Cattenates gens alpina ib.

Celestinus IV. Papa confirmavit Teutonibus jus eligendi Imperatorem Vit. *p.* 2. b.

Celtarum nomine omnes Galli comprehensi Plant. *pag.* 5. a.

Certiacum vicus paulo infra Forum Tiberii Guil. Habsb. *p.* 14. b.

Christus a fratribus Prædicatoribus in odium Minorum depingebatur in cruce pendens una manu cruci affixus, altera pecuniam tractans Vit. *p.* 30. b.

Cimbri Provincias Romanas infestant Suiz. *pag.* 9. Cn. Carbonem Cos. vincunt in Illyria Guil. Helv. *pag.* 100. a. Cimbrorum cum Tigurinis & Tuginis conjunctio ib. Suiz. *p.* 9. Cimbri cum Ambronibus & Teutonis sociis in Italiam proficisci statuunt. Guil. Helv. *p.* 100. a. primo Catulum dejiciunt deinde ipsi vincuntur a Mario ib. Cimbrorum reliquiæ cum Tigurinis & Tuginis domum redeunt ib. Suiz. *p.* 9. in Suitiis consident Guil. Helv. *p.* 99. b.

Civitas quid sit Guil. Helv. *p.* 6. b. & *p.* 119. b. Plant. *p.* 6. b. Civitates Helveticæ Ecclesiasticorum jura ad se transferunt Guil. Helv. *p.* 89. b.

Claudius Severus dux Helvetiorum contra Cæcinnam Guil. Habsb. *p.* 10. a.

Clemens Rætiæ Procurator Guil. Habsb. *p.* 129. a.

Clemens IV. post uxoris obitum in Papam eligitur Vit. *p.* 6. b. Is confirmavit, ut Principes Teutoniæ Imperatorem eligerent ib. *p.* 7. b.

Clerus & omnes religiosi de Civitate Thuricensi expulsi Vit. *p.* 4. b. Suiz. *p.* 26.

Clientes & Vasalli quomodo differant, Guil. Helv. *p.* 74. b.

Clingenovium Sim. Resp. *p.* 72. a.

Clodomirus Biturigum Rex Sigismundum Burgundiæ Regem perimit, Suiz. *p.* 13.

Clodoveus seu Ludovicus I. Francorum Rex Romanorum Imperio in Gallia finem fecit, Guil. Habsb. *p.* 72. a. Burgundos tributarios fecit, Visigothos domuit, Allemannos extrema servitute adfecit, Guil. ib. moritur regno quatuor filiis suis diviso, Suiz. *p.* 13.

Colonia Equestris Guil. Helv. *p.* 26. a. Plant. *p.* 50. b. Colonia Aventicensis Guil. ib. *p.* 27. a. Coloniarum duo genera Guil. ib. *p.* 28. b. Plant. *p.* 41. a. Causæ coloniarum deducendarum ib. Plant. 41. a. Coloniæ suos Magistratus atque leges habuerunt, Guil. ib. Plant. ib. b.

Columna J. Cæsaris, Sim. Alp. *p.* 20. a.

Columbanus Guil. Helv. *p.* 44. a. in Galliam venit ib. *p.* 77. a. in Helvetiam venit Plant. *p.* 39. a. a Theodeberto suscipitur Guil. ib. *pag.* 124. a. Tuconiæ moratur ib. b. venit Arbonam ib. *p.* 125. a. Brigantii moratus est ib. In Italiam proficiscitur ib.

Comitum origo Guil. Habsp. *p.* 12. a. Comites vel Burgundici vel Romani, Guil. ib. *p.* 13. a. Comites quare Germanice *Graven* dicti sint, cur Landgravii, Margravii, Pfalzgravii, ib. Comitum administratio olim temporaria fuit ib. singulis fere Civitatibus, Urbibus, Castellis sui Comites fuerunt ib. b. Comites Civitatum & Pagorum præfecti Guil. Helv. *p.* 67. a. & Habsp. *p.* 13. a. Comites alii regionis solum possederunt, alii superimpositi res fiscales Imperatorum seu Regum curarunt Guil. Habsp. *p.* 38. a. Comitatus in vitam dati ib. *p.* 13. b. Comites iis locis frequentes, quæ Romani coluerunt ib. Comitatus hæreditarii facti Guil. ib. *p.* 38. a. Comites Vitodurenses ex Kyburgiorum stemmate Guil. Helv. *p.* 12. b. Comites Rætii ib. *p.* 129. b. Burgundiæ minoris ib. *p.* 46. a. Comites & Nobiles quos fœderati Helvetii feliciter vicerunt & domuerunt Pirck. *p.* 6. b.

Communitates Urania, Suitia & Underwaldia Rodolphum Habspurgium protectorem eligunt, Guil. Habsp. *p.* 86. b. Communitates superioris Fœderis Rætici Guil. Helv. *p.* 130. b. Fœderis Domus Dei ib. *pag.* 132. a. X. Jurisdictionum ib. *p.* 131. b.

Concilium Lugduni celebratur Vit. *p.* 7. b. Basilea Lausannam transfertur Suiz. *p.* 45. *Concilium* minus & majus in singulis urbibus Helvetiorum Sim. Resp. *p.* 58. b. Concilium minus Tiguri in duo dividitur ib. *p.* 59. a. Concilium XIII. Virorum Basileæ ib. Concilium quæstorium Tiguri *der Rechenrath* ibid. b. Concilium totius plebis habet summam potestatem in Pagis democraticis ib. *p.* 66. a. Concilia duo S. Galli ib. *p.* 69. b.

Concordia Helvetiis imperium auxit, Glar. *p.* 13. b.

Confluentia Guil. Helv. *p.* 32. b. Plant. *p.* 64. a.

Confœderatio Civitatum Helveticarum Guil. Helvet. *p.* 120. b. Confœderationis primum consortium in Suitiis Mal. *p* 2. b.

Conradus Burgundiæ Rex Hungaros & Saracenos inter se commisit Guil. Helv. *p.* 83. b. Imperio est subjectus Suiz. *p.* 21.

Conradus Imperator Genevæ Rex Burgundiæ creatus ab Episcopo Mediolanensi Guil. Helv. *p.* 85. a.

Conradus Dux Zæringensis & Rector Burgundiæ ibid. *p.* 87. a.

Conradinus Imperator Sim. Resp. 13. b. matri matrimonium contra dignitatem suam contrahenti debitum honorem denegavit Vit. *p.* 4. b. Conradinus proditur ib. *p.* 5. a.

Constantius Cæsar Allemannos vicit in campis Vindonissæ Guil. Helv. *p.* 54. a. Habsp. *p.* 11. b. Vindonissam ab Allemannis vastatam restauravit Guil. Habsp. ib. Vitodurum restituendum curavit Guil. Helv. *p.* 12. a. & Habsp. *p.* 11. b. *Constantius II.* Lentiensibus bellum indixit Guil. Helv. *p.* 55. b.

Constantia facta Episcopi Cathedralis Childeberti regis Franciæ auspiciis Guil. Helvet. *pag.* 13. a. Episcopalis sedes Vindonissa Constantiam translata ib. *pag.* 11. b. Maximus vel Macentius primus Constantiæ Episcopus ibid. *pag.* 13. a. Constantiensis Episcopus post suam electionem debuit se Tigurum conferre & ibi sacra facere Guil. Helvet. *p.* 106. b.

pag. 106. b. Constantia Civitas abbati S. Gallensi auxilium mittit contra Abbatiscellanos Pirck. *p.* 5. b. Constantienses Turgeam Helvetiis vendunt ib. *p.* 27. a. Episcopus Constantiensis Glatfeldæ per insidias capitur Vit. *p.* 52. b.
Constantinus Allemannos vicit Guil. Helv. *p.* 55. a.
Consules in plerisque urbibus Helveticis Sim. Resp. *pag.* 59. a.
Consulibus proximi Tribuni *die oberste Meister* ib.
Consuanetes gens alpina Sim. Alp. *p.* 26. a.
Cottiæ alpes Sim. Alp. *p.* 13. a. Cottianæ Civitates XII. Sim. ib. *p.* 26. a.
Conventicula impura Coloniæ Agrippinæ habita Vit. *p.* 36. b.
Crocus Vandalorum Rex Argentinos & Rauracos diripuit, Helvetiam & Vallesiam vastavit, Guil. Helv. *p.* 61. b.
Crystallum Sim. Alp. *pag.* 29. a. Crystalli generatio Plant. *p.* 13. a. Crystalli duo genera Sim. Val. *p.* 7. b.
Curatores & Procuratores Cæsarum Guil. Helvet. *pag.* 34. a.
Curia Rotvillana ib. *p.* 134. a.
Curia Rætorum, Plant. *p.* 75. a.
Cussenacum Grisleri Præfecti sedes Guil. Helv. *p.* 91. a.

D.

DÆmones in specie Trinitatis homines deludunt, Vit. *p.* 47. b.
Dagobertus Magnus Guil. Helv. *p.* 77. a. Monarchiam Francicam divisit Guil. Habsp. *p.* 22. b.
Dapifer de Diesenhoffen Vit. *p.* 52. a.
Dea Aventia, Plant. *p.* 38. b. & 58. b.
Dea Epona, Plant. *p.* 59. b.
Decentius Cæsar victus a Chorodamario Allemannorum rege Guil. Helv. *p.* 55. a.
Desena Vallesianorum Sim. Val. *p.* 8. b. Desena unde dicatur ib.
Diesenhofium Sim. Resp. *p.* 78. b. Austriis ab Helvetiis ereptum Pirck. *p.* 7. b. Sim. Resp. *p.* 41. a. Suiz. *p.* 41. Diesenhofium mœnibus cinctum ib. *p.* 25. Guil. Habsp. *p.* 91. a.
Dietricus Franciæ Rex monasterio inclusus restituitur, Suiz. *p.* 15.
Dii monticolæ Sim. Alp. *p.* 3. a. Dii Gallorum Guil. Helv. *p.* 40. a.
Dina urbs ib. *p.* 16. b.
Disciplina militaris Helvetiorum Sim. Resp. *p.* 51. b.
Disentisius abbas Baro Rætiæ & Comes Misaucorum, Sim. Resp. *p.* 36. a.
Disputatio religionis causa Tiguri instituta Suiz. *p.* 53. Badæ habita ib. *p.* 54. Bernæ ib. Marburgi de cœna dominica, ib.
Dissidia intestina funestissima, Vit. *p.* 54. a. Dissidia Helvetiorum apud Mediolanum Glar. *p.* 13. b.
Doggii potius a Tuconia dicuntur quam a *Dog* (cane) Glar. *p.* 9. b.
Dorneck obsessum Pirck. *p.* 23. b. Suiz. *p.* 51.
Drusus Rætos in ordinem redegit, Guil. Helv. *p.* 128. a.
Druides Gallorum Guil. Helv. *pag.* 35. a. De omnibus controversii publicis & privatis statuerunt ib. *p.* 36. b. Eorum disciplinæ ib. *p.* 42. a. Animarum immortalitatem crediderunt ib. b. Humanis sacrificiis utebantur, ib. Druidæ sub Tiberio prohibiti ibid. Eorum disciplinæ usque ad Carolum M. durarunt, ib. *p.* 43. a.
Duces fuerunt supra Centuriones & Tribunos constituti sed infra Prætores Guil. Helv. *p.* 129. a. Ducatus hæreditarii facti ib. *p.* 38. a. Ducatus Allemanniæ exolevit & Suevicus substitutus fuit, Guil. Habsp. *p.* 51. b. Ducatus Allemannicus inter Berchtoldum Zæringium & Fridericum Hoenstauffæ divisus ib. Ducum Saxoniæ hodiernorum origo ib. *p.* 68 a. Ducum Bavariæ hodiernorum origo ib. Dux Poloniæ Regio titulo decoratus Vit. *p.* 32. b. Duces Rætici limitis Guil. Helv. *p.* 129. b. Duces Zæringenses Guil. Habsp. *p.* 19. a.
Dunum celtica vox collem significat Guil. Helv. *p.* 14. a.
Durum celtica vox Turrim significat Guil. ib.
Durgea vide Turgea.
Duumviri in coloniis iidem qui Romæ consules Guil. Helv. *p.* 29. a.

E.

EBroinus vel Eberuinus Major domus Guil. Habsp. *p.* 23. a. sua potestate abusus est Guil. Helvet. *p.* 61. a.
Ebrodunum vulgo Iverdunum Guil. Helv. *pag.* 13. b. Plant. *p.* 55. b. Eburodunum Metropolis Provinciæ alpium maritimarum Sim. Alp. *p.* 12. b.
Ecclesia a Clero misere vastata Vit. *p.* 85. a. Ecclesiæ status perversus descriptus ib. 69. b.
Elico Helvetius populares suos commovit ut in Italiam transiverint, Guil. Helv. *pag.* 96. a. Sim. Alp. *p.* 9. a. Suiz. *p.* 8.
Fllerbachius dux Austriorum Sim. Resp. *p.* 19. b.
Elogium Mathæi Cardinalis Episcopi Sedunensis Sim. Append.
Elsatiæ nominis origo Guil. Habsp. *p.* 17. a. Elsatia Burgundiæ provincia. ib.
Engadinenses omnia vastant bello Suevico Pirck. *p.* 21. a.
Episcopus Constantiensis post suam electionem debuit Tiguri sacra facere Guil. Helv. *p.* 106. b. Episcopus Curiensis totius Rætiæ Præses & Rector ib. *p.* 130. a. Sedunensis Comes & Præfectus Vallesiæ Guil. ib. *p.* 133. b. Sim. Resp. *pag.* 74. b. & Val. *p.* 9. a. Ejus electio per Canonicos & VII. Communitatum legatos Guil. ib. *p.* 134. a. Sim. Val. *p.* 9. a. Episcopatus Sedunensis antiquitas ib. *p.* 17. a. Episcopus Constantiensis clerum reformat Vit. *pag.* 69. b. Episcopi quidam ab Imperatore feuda accipiunt, ib. *p.* 29. b Episcopi cella Sim. Resp. *p.* 78. a. Episcopales sedes in Helvetia duæ Guil. Helv. *p.* 9. a. Episcopalis sedes Vindonissa Constantiam translata, ib. *p.* 11. b. Habsp. *p.* 10. b. Suiz. *p.* 15.
Equites Gallorum Guil. Habsp. *p.* 35. a.
Eremitani Cœnobii consecratio Glar. *p.* 10. a.
Ergau dicitur ob honoratam & copiosam nobilitatem, quasi Honoratus Pagus Pirck. *p.* 6. b.
Erlachii Præfecti Bernensium in pugna Laupensi virtus Pirck. *p.* 4. b.
Esus vel Hesus Gallorum Deus Guil. Helv. *p.* 40. a.
Eubages Gallorum arcana rerum & naturæ sublimia pandebant, Guil. Helv. *p.* 42. a.
Eucherius Stilichonis Comitis filius ib. *p.* 61. a.
Evangelium Rætis mature prædicatum, Suiz. *p.* 10.
Exuperantius e Legione Thebæorum, Guil. Helv. *pag.* 109. a.

F. *Faber*

INDEX UNIVERSALIS.

F.

Faber quidam Friderico II. Imperatori similis a multis pro isto agnoscitur sed temeritati suæ pœnas dedit Vit. *p.* 8. a.
Fabarianæ thermæ Plant. *p.* 20. a.
Falckensteinius (*Thom.*) Tigurinus Brugas oppidum incendit & diripit Suiz. *p.* 43.
Felix e legione Thebæorum profugus Guil. Helvet. *p.* 109. a. Felix & Regula Uriæ, Glaronæ & Tiguri Christum prædicant, Sim. Val. *p.* 25. a.
Ferdinandus Gonzaga Mediolani Præfectus Caroli Quinti nomine capitulationem renovat cum Helvetiis, Sim. Resp. *p.* 43. b.
Fines seu ad Fines hodie *Pfin* Guil. Helv. *p.* 14. a.
Firn quid sit, Sim. Alp. *p.* 7. a.
Fiscalini quinam fuerint, Guil. Helv. *p.* 118. b.
Flaucatus Burgundiæ Palatii Præfectus Vilibaldum patritium ultrajuranum interficit Guil. Helv. *p.* 78. a. Suiz. *p.* 15. Sim. Val. *p.* 27. b.
Florenicus scripsit vitam Felicis & Regulæ, Guil. Helv. *p.* 109. a.
Florentini contra ducem rebellant, eum eiciunt & alium eligunt Vit. *p.* 63. b.
Fluvii Helvetiæ Plant. *p.* 23. a. & seq.
Focunates gens alpina Sim. Alp. *pag.* 26. b. Plant. *p.* 74. b.
Fœderis superioris vel cani apud Rætos origo Guil. Helv. *p.* 130. b. Sim. Resp. *p.* 36. a. Fœdus domus Dei Guil. ib. Sim. ib. Fœdus X. Jurisdictionum, Guil. ib. Sim. ib. b. Fœdus Tigurinorum cum Uraniis & Suitiis An. MCCLI. factum Sim. Resp. *p.* 3. b. Fœderis Helvetici primi autores ib. *p.* 6. b. Fœderatorum consilium de occupandis arcibus præfectorum ib. *p.* 7. a. Fœdus trium Pagorum in perpetuum extenditur ib. *p.* 10. a. Guil. Helv. *p.* 94. b. Suiz. *p.* 33. Fœderis Helvetici causa & origo Suiz. *p.* 28. & 31. Fœderis summa quinque postremorum Pagorum, Sim. Resp. *p.* 33. a. Fœderati Helvetii Glaronam occupant ib. *p.* 19. b. Fœderum summa inter octo veteres Pagos Helvetiæ ib. *p.* 25. b. Pro fœdere Tigurinorum cum Austriis defensio Mal. *p.* 10. a. Fœdus Helvetiorum cum Gallis ib. *p.* 33. b. Tigurini fœdus Gallicum respuunt ib. *pag.* 34. a. *pag.* 47. a. Argumenta pro fœdere Gallico recipiendo ib. b. Fœdus Sabaudicum ib. *p.* 45. b. Guil. Helv. *p.* 138. a. Fœdera Gallica ib. *p.* 46. a. Suiz. *p.* 41. arctius fœdus Gallorum cum Helvetiis Sim. Resp. *p.* 47. a. Fœdus Suevicum Pirck. *p.* 12. a. Fœderatio Suevica induit arrogantiam ib. b. Fœderum apud Romanos tria genera Guil. Helv. *p.* 24. b. & *p.* 135. a. Fœdus cochleare Suiz. *p.* 54. Fœdus privatum inter Civitates Catholicas ib. Fœdus hæreditarium Helvetiorum cum Sigismundo Austrio Suiz. *p.* 47. per Maximilianum renovatum ib. *p.* 51. Guil. Helv. *p.* 135. a. Fœdus Maximiliani cum Helvetiis Suiz. *p.* 52.
Fons Strumarum in agro Tigurino Sim. Val. *p.* 8. a.
Fontes frigidi salutares apud Helvetios Sim. Alp. *p.* 29. a. Fontes certis tantum horis æstate fluentes ib. Plant. *p.* 19. a. Fontes calidarum Leucensium Sim. Val. *p.* 15. b. Fontium & fluminum in altissimis montibus generatio, Sim. Resp. *p.* 27. b. Fontes Helv. Plant. *p.* 18.
Forma Reipublicæ Helveticæ Plant. *p.* 42. a. & b.
Formula Fœderis perpetui Helvetiorum Sim. Resp. *p.* 10. a. Formula Pacti Stantiani ib. *p.* 26. b.
Forum Tiberii Guil. Helv. *p.* 14. a. Suiz. *p.* 9. Plant. *pag.* 64. a. Forum inter alias significationes pro loco negotiationis ponitur Guil. ibid. b.
Francorum nomen recens, gens vetusta, Guil. Helv. *p.* 69. a. Franci piraticam exercuerunt ibid. *p.* 70. a. Insulam Batavorum & Galliam infestarunt, ib. A Juliano humaniter tractati ib. b. in Galliam transgressi ib. *p.* 71. a. Allemannos & Burgundiones oppressere Suiz. *p.* 4. b. & *p.* 11. totius Galliæ potiti sunt Guil. Helv. *p.* 72. a. Sim. Val. *p.* 27. a. Franci linguæ Romanæ studiosi suam corrumpunt, Guil. Helv. *p.* 27. b. Franci maxime Lucernam coluere, ib. *p.* 102. b.
Franciscus Rex Gallorum Mediolanensi Ducatu potitus est, Sim. Resp. *p.* 46. b. Helvetiorum amicitiam magno auri pondere redimit, Suiz. *p.* 53.
Fratres minores Papæ adversantur, Vit. *p.* 29. b.
Frauenfeldum Sim. Resp. *p.* 76. a. Frauenfeldum & tota Turgea ab Helvetiis occupatur, Sim. Resp. *p.* 41. a. Frauenfeldum cum adjacenti regione Daniæ reginæ, quæ Austrio nupserat, traditur, Suiz. *p.* 45.
Fredegonda fortissima regina, Guil. Helvet. *pag.* 76. b.
Friburgum in Aventicis conditum Guil. Helv. *p.* 88. a. Sim. Resp. *p.* 27. a. Suiz. *p.* 25. Friburgum continendæ Burgundicæ Nobilitatis causa conditum, Guil. Habsp. *p.* 69. b. Friburgi ambitus, situs, nominis origo Guil. Helv. *pag.* 112. a. cum Berna amicitia ligatur ibid. Friburgenses urbem suam Kyburgiis, qui Burgdorffi agebant, committunt ib. *p.* 113. a. Habsp. *p.* 91. Sim. Resp. 27. b. Rudolphum Habsburgium Tutorem sumsere Guil. Helvet. *p.* 113. a. Habsp. 91. b. Sabaudiæ comiti se dedunt Guil. Helv. *pag.* 114. a. Friburgum a Rodolpho Habspurgio Imperatore in Imperii protectionem sumtum ib. *p.* 113. a. Friburgum in fœdus Helvetiorum receptum ib. *p.* 114. a. Sim. Resp. *p.* 27. a.
Friburgum in Brisiacis conditum Guil. Habsp. *pag.* 59. b.
Fridberga Gunzonis filia per S. Gallum a Dæmone liberata Guil. Helv. *p.* 125. b.
Fridericus a Stauffen dux Sueviæ, Guil. Helv. *p.* 87. b. Habsb. *p.* 51. b. Fridericus Barbarossa Turegum expugnat ib. *pag.* 61. b. Suiz. *pag.* 24. Fridericus I. Imperator mercatoribus proficiscentibus gladios permisit sed ne accingerent, Guil. Helv. *p.* 74. b. Fridericus II. Imperator factus Guil. Habsp. *pag.* 75. b. Romæ coronatus Vit. *p.* 2. a. A Pontifice excommunicatus ib. Regno privatus Guil. Habsp. *p.* 84. b. obsidet Gregorium IX. Papam Vit. *p.* 2. b. Multa decreta contra hæreticos dedit ib. crimina ipsi objecta ib. *p.* 3. a. dixisse fertur tres Impostores maximos esse Mosen, Christum & Mahometum ib. b. Post Berchtoldi Zæringensis obitum Aventicos, Vindones, Antuates, Valesios, Tigurum & Præfecturam Tigurinam Imperii nomine in suam potestatem recepit, Guil. Habsp. *p.* 77. a. Veneno extinctus est, Vit. *p.* 4. b. Multi sperarunt Fridericum II. e mortuis rediturum ad reformandam Ecclesiam ib. *p.* 85. b. Helvetii jussi sunt Friderico Austrio

Austrio bellum inferre Sim. Resp. pag. 39. b. Suiz. p. 41. Fridericus Austrius Imperatori reconciliatur eique omnia restituuntur, præter ea quæ Helvetiis fuerant oppignerata ib. Friderici Austrii vidua Basiliensibus bellum intulit. Basilienses sociorum auxilium implorant. Tandem fit pax. Pirck. p. 6. a.

Fridolinus Hybernus Stirpe regia natus venit in Helvetiam Guil. Helv. p. 43. & 109. a. Plant. p. 39. a. Ejus insigne miraculum, Guil. Helv. pag. 109. a. Glaronensium primo fit dominus, dein Patronus, ibid. b.

Fulachiorum vetusta & nobilis familia Scaphusianorum, quæ arcem ad Cataractas Rheni possidebat, Sim. Resp. p. 30. b.

Furca mons initium & caput Valesiæ & limes inter eos & Uranios, Sim. Val. p. 11. a.

G.

GÆsa Instrumenta occisionis *Halmbarten* Vit. p. 26. a. & p. 29. a. Gæsa alpina, Plant. p. 44. b.

Galli ante Hannibalem alpes transierunt, Sim. Alp. p. 8. b. Galli Græcis literis usi sunt, Plant. p. 30. b. Gallorum & Germanorum quoad mores comparatio Guil. Helv. pag. 35. & seq. Gallis natura corpora animosque magna magis quam firma dedit ib. p. 36. a. Gallorum armatura ib. Gallorum victus ib. p. 38. a. Vestitus ib. Barbari quidam mores ib. b. mercede militiam fecerunt ib. literas amplexi sunt ib. p. 39. a. quotannis juvenes in Græciam miserunt Philosophiæ & artium causa ib. Villas habuerunt nullis septas mœnibus ib. p. 38. a. Eorum dii ib. p. 40. a. Eorum Druides, Bardi & Eubages sacris præerant ibid. p. 41. b. Gallicarum mulierum virtus ib. p. 36. b. Galli mulieribus causarum cognitionem commiserunt, ib. p. 37. a. Gallia a Cæsare subacta & in Provinciam redacta, Guil. Helv. p. 45. a. Galliæ Stipendium impositum ib. Galli civitate Romana donati ib. p. 25. a. Galliarum mores dissoluti vitiis omnibus corrupti ib. p. 62. a. Galliarum ruinæ per Sequanorum & Æduorum dissensiones ib. p. 17. b. Gallorum antiquæ migrationes ib. p. 18. b. Veterum Gallorum lingua hodienum Helvetiis in usu est, Suiz. p. 4. a. Galli plurimi Legionibus & Provinciis Romanis præfecti ib. p. 13. b. Gallia in tres partes divisa Plant. p. 5. a. Intestina discordia Gallis causa in Italiam veniendi, Plant. p. 71. b. Galliam Gentes ex Germania Visigothi, Burgundiones, Franci & Allemanni occupavere, Guil. Helv. p. 72. a.

Gallorum arctius fœdus cum Helvetiis Sim. Resp. p. 47. a. Galli student Carolum Burgundum cum Helvetiis committere ib. p. 45. a. Galli cum Helvetiis pacem perpetuam & varia fœdera faciunt, Guil. Helv. pag. 137. a. Galli populos Maximiliano Cæsari subjectos adversus eum concitant, Pirck. p. 12. a. Galli fœdus fecerunt cum Helvetiis in bello Suevico ib. pag. 15. a. adjuvant Helvetios adversus Cæsarem ibid. p. 24. b. Auxilium miserunt ib. pag. 25. a. Gallicus morbus in Helvetiam adductus Suiz. p. 49.

S. Gallus ex Scotia in Helvetiam venit, Sim. Resp. p. 35. a. Guil. Helv. p. 44. a. Plant. pag. 39. a. S. Galli Monasterii & Oppidi origo Guil. Helv. pag. 123. b. Eorum incrementa ib. p. 118. b. Sim. Resp. p. 35. a. S. Gallus Brigantii moratus Guil. Helv. p. 125. a. Fridbergam Gunzonis Allemanniæ ducis filiam Dæmone obsessam liberavit ibid. b. S. Gallum mœnibus cinctum ib. p. 127. a. Suiz. p. 21. Sim. Resp. p. 35. a. S. Gallensis abbas Toggium comitatum emit Suiz. pag. 46. Fœdus facit cum quatuor pagis. Quatuor pagos Advocatos & Protectores asciscit, Guil. ib. pag. 126. b. Suiz. pag. 45. Sim. Resp. p. 35. a. S. Galli abbatis ditio Sim. Resp. pag. 69. a. S. Gallum oppidum cum VI. pagis Helvetiorum fœdus iniit Suiz. pag. 45. Sim. ib. pag. 36. a. Adhæsit Abbatiscellanis se ex abbatis servitute vindicantibus Pirck. p. 6. a. frustra obsidetur a Friderico Austriæ duce in gratiam abbatis ib. b. S. Galli oppidi descriptio Glar. p. 22. a. Populi S. Gallensis conventus, Sim. Resp. p. 70. a.

Galeatius Sfortia cum Helvetiis fœdus fecit, Guil. Helv. p. 139. b. Sim. Resp. p. 43. b. Galeatius vicecomes Ludovici Sfortiæ legatus ad Helvetios contra magistratuum voluntatem militem conscripsit, Sim. ib. p. 29. a.

Gasteren unde dictum sit Guil. Helv. p. 47. a. Plant. p. 65. b.

Gaunodurum, de hoc oppido variæ sententiæ Guil. Helv. p. 12. b.

Gemmius mons vulgo Lœtschemberg. Plant. p. 15. b.

Geneva Sim. Resp. p. 38. b. Plant. p. 49. a. Glar. pag. 26. b. contra Genevam Nobilitatis Sabaudicæ conspiratio Suiz. p. 54. 55. Sabaudi Genevam per proditionem capere tentaverunt ib. p. 57. Fœdus Genevensium cum Tigurinis ib. alia Sabaudorum contra Genevam conspiratio ib. p. 59.

Georgius Suprasaxus Sim. Val. p. 13. b.

Germani unde dicti sint, Guil. Helv. p. 54. b. Germanorum regum potestas Guil. ib. p. 36. b. Germanorum Nobilitas ib. p. 37. b. eorum ædificia ib. pag. 38. a. eorum victus ib. vestitus atque cultus ibid. armatura ib. 36. a. Germani maxime Mercurium Deum coluere ib. p. 40. b.

Germani militandi disciplinam ab Helvetiis accepere Pirck. pag. 11. b.

Gessata Guil. Helv. p. 19. a. Plant. 30. a. & p. 44. b.

Glima comites principatum in Helvetia obtinent Guil. Helv. p. 86. b.

Glarona situs Sim. Resp. p. 19. b. Glaronenses quondam Suanetes dicti Guil. Helv. p. 109. a. Plant. p. 62. b. Glaronæ primus meminit Florenicus in vita Felicis & Regulæ ib. Glaronenses per multos annos monasterii Seconiensis subditi Sim. Resp. p. 19. b. Guil. Helv. p. 109. b. suis tamen vivebant legibus Sim. ib. Advocatia Glaronensium fuit penes Imperium Romanum Sim. ib. Otto Burgundiæ Palatinus Glaronensium advocatus, Guil. ib. Albertus I. eos a Monasterio Seconiensi in perpetuum feudum accipit ib. Glaronenses cum Uraniis de limitibus conciliantur ib. Austrii omnem potestatem in Glaronenses ad se rapiunt ib. p. 100. a. Glaronenses se fœderatis Helvetiis adjungunt ib. Suiz. p. 35. a Monasterio Seconiensi jura ejus redimunt, Guil. ib. Suiz. p. 39. Glaronensium pugna ad Navalia, Sim. Resp. p. 23. a. Quotannis memoriam hujus victoriæ celebrant ib. p. 68. a. Glaronæ descriptio Glar. p. 18. b. Glaronenses a Comitibus de Toggenburg & Werdenberg oppugnati Pirck. p. 5. b. Glaronenses in controversiis matrimonialibus Tigurum veniunt, Sim. Resp. p. 67. a.

Glareanus quatuor Helvetiorum pagos secundum fluvios descripsit, Guil. Helv. p. 7. a. Ejus refutatur sententia ib. Glareanus carmen suum de Helvetia obtulit legatis Helvetiorum, Glar. p. 25. a. Lutetiæ stipendio regio alebatur ib.

Godemarus regno Burgundico pellitur Suiz. *p.* 13.
Gomer Germanorum pater Plant. *p.* 76. a.
Gothardi mons altissimus Lepontiarum alpium, Sim. Alp. *p.* 18. b. e Gothardi monte VII. fluvii ad quatuor mundi plagas profluunt, Glar. *p.* 26. b.
Gothi antiquitus Getæ dicti Guil. Helv. *p.* 63. a. Gothicæ Gentes ib. Rætiam occupant, quæ versus Italiam vergit ibid. *pag.* 129. b. Apud Uranios consident Suiz, *p.* 13.
Gouchen fatui homines, Sim. Val. *p.* 8. b.
Græci ad communitatem Ecclesiæ redire promittunt, Vit. *p.* 7. b. & *p.* 84. a.
Granfonium obsidetur a Carolo Burgundo eique traditur Pirck. *p.* 8. b. præsidium contra datam fidem interfectum, Sim. Resp. *p.* 24. b. Suiz. *p.* 47.
Gregorius pontifex condemnatur ab Henrico Imperatore, Guil. Helv. *p.* 49. b.
Gryffensea bello civili Tigurino Suitiis dedita, qui contra datam fidem præsidium interficiunt Suiz, *p.* 43. Mal. *p.* 4. b.
Grimvaldi Majoris domus improbitas Guil. Helvet. *p.* 22. b.
Gristlerus (Guillimanno Gæslerus dicitur) Præfectus Cussenaci Sim. Resp. *p.* 5. a. Guil. Helv. *p.* 91. a. Ejus Tyrannis Sim. ib. *p.* 6. a. Glar. *p.* 17. a. Suiz. *p.* 31. A Tellio interficitur Guil. Helv. *p.* 93. a.
Grunenbergius Lucernensium præfectus Mal. *pag.* 2. b. Tyrannice premit populum, Sim. Resp. *p.* 22. b.
Gundebaldus Rex Burgundionum legislator, Guil. Helv. *p.* 65. b.
Gulielmus Burgundiæ comes ib. *p.* 85. b.
Gunzo Allemanniæ dux ib. *p.* 125. a.
Guntramus ex stirpe Francorum miracula fecit ibid. *p.* 43. b.
Guardianus fratrum minorum Episcopus Basiliensis creatus, postea Archi-Episcopus Moguntinus. Ejus studio Rodolphus Habspurgius Imperator factus est, Mal. *p.* 14. b.

H.

HAbspurgiorum Comitum origo Guil. Helv. *p.* 12. a. Habsp. *p.* 2. a. de eorum origine duæ opiniones, quarum altera eos Roma deducit, altera e Stirpe Francica ib. *p.* 4. b. Quidam ab Arca Noæ ad Priamum Trojanum, ad Sugambros deinceps duces eorum progeniem derivant, ib. *p.* 2. a. A Perleonibus Romanis comitibus eos alii deducunt ibid. b. Habspurgios Cæsarei Romæ Palatii fuisse comites autor est Hemmerlinus ib. *p.* 3. b. Habspurgii Comites Perleonibus antiquiores ib. *p.* 4. a. Habspurgii Roma orti videri possunt ib. *p.* 13. a. Habspurgensis stirpis antiquitas, ib. *p.* 15. a. Habspurgii Comites Vindonissa oriundi sunt ib. *p.* 14. a. Habspurgum conditum & nominis ratio ib. *p.* 4. b. & *p.* 42. b. Habspurgii successores Comitum Rapersvillanorum, Sim. Resp. *p.* 40. b. Johannes Habspurgius comes Tiguri in captivitate detentus ib. *p.* 17. a. Suiz. *p.* 36. Habsburgii hæredes Kyburgiorum Suiz. *p.* 29. Habsburgum ad Lucernensem lacum a Lucernensibus incendio deletum, Suiz. *p.* 35.
Hagenbachius præcipua fax belli Burgundici Sim. Resp. *p.* 24. a. Suiz. *p.* 46. Ejus Tyannis Sim. ib. *p.* 44. a. Pirck. *p.* 8. a. Capite plectitur Suiz. *p.* 47.
Hæreses in partibus Allemanniæ pullulant, Vit. *p.* 16. a.
Hæretici quidam conventus agebant in hypogeis ibid. *p.* 44. b. Hæreticorum impia sacra ib. *pag.* 45. a. Hæretici quidam Norinbergæ cremantur, ib. *p.* 81. a.
Hannibal Alpes facit pervias Guil. Helv. *pag.* 96. b. Hannibalis iter per Alpes, Sim. Alp. *p.* 9. a. & *p.* 25. a. ubi Hannibal alpes transgressus sit, ib. *p.* 11. b. in superandis alpibus multa mala passus, Glar. *pag.* 3. b.
Haselii Plant. *p.* 61. b. Haselii Cimbrorum reliquiæ Guil. Helv. *p.* 100. b. Bernatum tutelæ se committunt, Suiz. *p.* 34.
Hastiludium Guil. Habsp. *p.* 34. a.
Hartmannus Kyburgius comes Rodolphum Habspurgium ex asse hæredem instituit, Guil. Habsp. *pag.* 91. a.
Hedui Romanis consanguinitate conjuncti Glar. *p.* 4. b.
Helbutteri inter Celtas populus quasi Ditis custodes dicuntur, Guil. Helv. *p.* 6. b.
Helvetii gens Gallica Guil. Habsp. *p.* 5. a. Suiz. *pag.* 4. a. Inter Celtas numerati, Guil. ib. Lugdunensi Provinciæ adsignati ib. Plant. *pag.* 5. a. Belgicæ, Guil. ibid. In Germania superiori positi ib. cur ab Eutropio Sequani dicantur ib. *p.* 5. b. Helvetiorum limites ib. Helvetia hodie latius patet Guil. ibid. *p.* 6. a. Suiz. *p.* 4. a. Sim. Resp. *pag.* 2. a. Ejus latitudo & longitudo ib. Plant. *p.* 28. a. Suiz. *p.* 4. a. & *p.* 5. a. Helvetii dicuntur quasi *Helvetter* h. e. Ditis propinqui Guil. ib. b. vel quia Ditem seu Deum infernalem patrem habent, Suiz. *pag.* 4. a. Helvetii dicti quasi *Heldväter* heroum patres Plant. *p.* 28. a. Helvetii primi in Italiam transierunt Guil. Helv. *p.* 18. b. Helvetii Gessatæ Polybii ib. *p.* 19. a. Interfuerunt Gallis Romam capientibus ib. *p.* 19. b. Tacitus eos inter Hercyniam silvam Rhenumque & Mœnum amnes collocat Guil. ib. *p.* 20. a. Helvetii totius Galliæ potentissimi ib. b. consilium capiunt de patria sua relinquenda & urbibus suis incendendis ib. *p.* 21. a. Plant. *p.* 45 a. primo per Provinciam deinde per Sequanos viam ingrediuntur, Guil. ib. b. a Cæsare victi in patriam reverti coguntur ib. *p.* 22. & seq. Helvetii Romanorum fœderati ib. *p.* 25. a. quare Cæsar eos in fœderatorum numerum susceperit ibid. b. Helvetiorum quatuor pagi, Suiz. *p.* 4. a. Glar. *p.* 8. b. Helvetia quando coli cœperit, Suiz. *p.* 8. Helvetiorum antiqua oppida Guil. Helv. *p.* 9. a. libertatem amittunt a Cæcinna victi, Suiz. *p.* 10. partim Ræticæ partim Sequanæ Provinciæ adscripti Plant. *p.* 5. a. Suiz. *p.* 10. Helvetii Vespasiano militarunt in obsidione Hierosolymitana, Suiz. *p.* 10. Eorum Urbes restauratæ ib. Helvetiorum antiquorum Respublica Guil. Helv. *p.* 17. a. & b. Helvetii Deum invictum coluerunt, Guil. Helv. *p.* 40. a. Imperatoribus Romanis sacra fecerunt ib. *pag.* 41. a. Helvetiæ pars Burgundiæ, pars Allemanniæ adtributa Plant. *p.* 5. b. Suiz. *p.* 4. a. Helvetia Allemannica post prœlium Tolbiacense in servitutem redacta Guil. Helv. *p.* 73. a. In Helvetia multi, qui ad Fiscum regium pertinuerunt, mancipiaque & collegiis addicti ib. *p.* 97. b. Helvetii a Ludovico pio αὐτονομίαν acceperunt bello Saracenico Sim. Resp. *p.* 2. b. Helvetia sub Francis plena servis & servitutibus, Plant. *pag.* 42. a. Helvetii orientales in Burgundiam minorem irruptionem fe-

 cere

cere Suiz. *p.* 15. Helvetia plures nobiles protulit, Guil. Helv. *p.* 76. b. Helvetiorum status sub Friderico II. ib. *p.* 89. a. Helveticæ libertatis origo ab eodem Imperatore, Sim. Resp. *p.* 3. a.

Helvetiorum primum bellum cum Nobilibus, Sim. Resp. *p.* 4. a. Helveticæ libertatis restauratores & vindices, Guil. Helv. *p.* 92. a. Helvetiorum Respublica ib. *p.* 120. a. & b. ex optimatum & populi imperio mixta est Sim. Resp. *p.* 49. a. an Helvetia una Respublica dicenda sit, Guil. Helv. *p.* 119. a. & b. Helvetii ad unius Reipublicæ formam accedunt Sim. Resp. *p.* 1. b. Plant. *p.* 42. b. Helveticarum Rerumpublicarum tres formæ, Sim. Resp. *p.* 57. b. Helvetia hodierna tribus partibus constat Sim. Resp. *p.* 1. b. Helvetiorum Civitates seu Cantones, ib. Socii ibid. Guil. Helv. *p.* 123. a. Præfecturæ Sim. ib. *p.* 2. b. Guil. ib. *p.* 121. a. Municipia ib. Helvetii natura militares Sim. Resp. *p.* 50. a. Plant. *p.* 46. b. Glar. *p.* 1 a. Helvetia nobilior armis quam literis Præf. ad Glar. Sim. Resp. *p.* 52. a. In Helveticis oppidis populus divisus in duos ordines Nobilium & Plebejorum ib. *p.* 58. a. Tres in Helvetia hominum ordines Nobilium, Civium & Rusticorum Suiz. *p.* 6. a. Helvetii omnes arma gerunt, Sim. Resp. *p.* 50. a. Variis exercitiis & ludis ad belli studia præparantur ib. Suiz. *p.* 5. a. Helvetiorum leges in bellum proficiscentium Pirck. *p.* 13. b. delectus militum apud Helvetios, Suiz. *p.* 6. a. Sim. Resp. *p.* 57. a. Helvetii per fumi signum a suis auxilium implorant, Pirck. *p.* 14. b. severe observant disciplinam militarem ib. Helvetiæ fœcunditas Glar. *p.* 7. b. Plant. *p.* 9. a. Helvetia fluminibus abundans ib. *p.* 8. a. Helvetii publicis delectantur conviviis, Sim. Resp. *p.* 53. a. Plant. *p.* 35. a. Helvetii corpore robusti ib. *p.* 32. a & seq. eorum ingenium ib. *pag.* 33. b. Suiz. *p.* 4. a. Helvetii hodie tribus loquuntur linguis, Suiz. *p.* 5. a. veterum Gallorum lingua hodienum Helvetiis in usu est ib. *p.* 4. a. Helvetii majorum fortia facta celebrant carminibus, Sim. Resp. *p.* 52. a. Helvetiorum laus Glar. Paneg. versu 184. & seq. Helvetii se sistunt judicio Agnetis Reginæ Hungariæ, Sim. Resp. *p.* 19. a. Decreto Imperatoris & Concilii Constantiensis adversus Fridericum Austrium arma sumunt ib. *p.* 23. b. & *p.* 39. b. Suiz. *p.* 41. Ejus terras occupant, Sim. ib. *pag.* 40. a. Pirck. *p.* 6. b. Frauenfeldum & totam Turgeam occupant ibid. *p.* 41. a. Suiz. ib. Pontificis jussu Sigismundo Austrio bellum inferunt Sim. ib. Suiz. *pag.* 46. Helvetiis Judicium Rerum Capitalium in Turgea a Constantiensibus concessum. Sim. ib. b. Suiz. *p.* 47. Helvetii bello Burgundico Lausannum capiunt, Pirck. *p.* 10. b. non procul a Basilea Brisgauenses & Sundgauenses vincunt ib. *p.* 14. b. Suevos fugant apud Ermentingen in Turgea ib. *p.* 15. a. obsident Thungen Comitum de Sulz, ib. *p.* 16. a. Helvetii interfici potuerunt, capi nequaquam, ibid. *p.* 22. a. Helveticæ puellæ respondendi audacia ib. b. Helvetii milites Mathæum Cardinalem Sedunensem sequi nolunt contra Gallos, Sim. Resp. *pag.* 31. b. Helvetii Julio Papæ auxilio missi Gallos toto ducatu Mediolanensi pellunt ib. Helvetii a Papa Defensores Ecclesiæ appellati ib. Guil. Helv. *p.* 97. b. Helvetiorum Virtus in pugna Novarica ib. Helvetii in duas partes divisi partim Sfortiam ducem adjuvant partim Gallos, Sim. Val. *p.* 33. a. Suiz. *p.* 52. Helvetiorum dissensio in Religione, Glar. *p.* 25. a. Helvetii reformati ostentatione Suecicorum armorum evicere, ut res ad religionem pertinentes non jam suffragiis sed ex arbitrio parium utriusque religionis judicum in communibus præfecturis deciderentur. P. Simpl. *p.* 4. a. Helvetii scinduntur factionibus & studiis partium in externos reges ib. Helvetiorum diversæ religionis animi ante bellum civile anni MDCLVI. ibid. b.

Hendinus nomen regum Burgundionum; Guillimannus interpretatur, *Handgraven*. Guil. Habsp. *pag.* 64. b.

Henricus I. Auceps Imp. Guil. Habsp. *p.* 32. b. *Henricus IV.* Imp. multorum criminum accusatus ibid. *p.* 49. a. Regia dignitate privatus a pontifice, Guil. ib. b. Romam expugnat Guil. ib. *p.* 54. a. *Henricus* Lutzenburgicus Imperator creatur, Vit. *p.* 19. b. bella gerit in Italia ib. Helvetiorum privilegia confirmavit, Guil. Habsp. *p.* 93. b. Ejus rescripta ad Uranios, Guil. Helv. *p.* 98. b. Ejus privilegium Suitiis datum ib. *p.* 101. a. Suiz. *p.* 32. Pagorum privilegia confirmavit, Sim. Resp. *p.* 8. a. veneno in hostia oblato extinctus est, Vit. *p.* 20. b. Ejus laus ib. *p.* 21. a.

Henricus III. Gallorum rex novum fœdus cum Helvetiis facit, Sim. Resp. *p.* 47. b.

Henricus a Melchtal oculis privatur, ib. *p.* 5. b.

Hercyniam sylvam Tectosages occupant, Glar. *p.* 5. a.

Hercules in Gallia fuit, Guil. Helv. *p.* 35. b.

Heribannum quid fuerit ib. *p.* 74. b.

Hermesbubel prope Salodorum quasi Mercurii collis, Guil. Helv. *p.* 40. b. & *p.* 115. b. Hermisaul columna Mercurii in Saxonia, ib. *p.* 40. b.

Hesus Gallorum Deus, *p.* 40. a.

Heudorffius (*Pereg*) Scaphusianos Rotvilæ accusat & ut proscriberentur effecit, Sim. Resp. *p.* 30. b. Suiz. *p.* 40.

Hilpericus ultimus Rex Franciæ ex Merevingorum stirpe, Guil. Helv. *p.* 79. a.

Hirtacus Sequanicæ Provinciæ procurator legionis Thebææ profugos ad supplicium rapit, ib. *p.* 115. b. Glar. *p.* 20. b.

Hombergius (*Wernh.*) Comes Rapersvilam veterem pessumdedit, Sim. Resp. *p.* 18. a.

Hospitium in summo Pennino, Sim. Val. *p.* 19. a.

Hugbertus abbas Helvetiæ Præfectus, Guil. Helvet. *p.* 79. b.

Huninga nomen unde sit, Guil. Habsp. *p.* 35. a.

Hungari Germaniam vastant. Basileam incendunt, Guil. Habsp. *p.* 32. b. Helvetiam depopulantur, Suiz. *p.* 20. iterum Germaniam pervastant, Guil. ib. *p.* 34. a. ad Sacconium vincuntur Suiz. *pag.* 21. a Conrado Burgundiæ Rege circumveniuntur, Guil. ib. *p.* 35. a. iterum Germaniam & Italiam depopulantur, ib. *p.* 37. a.

I.

IDolum in summo Pennino Sim. Val. *p.* 19. a.

Imperium a Francis ad alias familias devolutum, Guil. Helv. *p.* 80. b. ad Germanos translatum Suiz. *p.* 20. Imperii nomine tribus Civitatibus Sylvestribus

bus præfecti dati, Guil. ib. p. 91. a. Imperatores duo eliguntur, Vit. p. 25. a. Imperator ad futurum concilium provocat, ib. p. 31. a.

Innocentius III. concilium habet pro subsidio terræ sanctæ, Vit. p. 1. b.

Insubres populus Galliæ citerioris Pirck. p. 3. b.

Instrumentum fundationis monasterii abbatissani Tiguri Guil. Helv. p. 105. b. Sim. Resp. p. 2. b.

Interregnum a Friderico II. Imperatore ad Rodolphum I. Suiz. p. 26.

Johannes apostolus apud Helvetios in summa veneratione, Guil. Helv. p. 43. b. *Johannes II.* Habsburgi Comes & Lauffenbergæ Dominus Austriorum ducum in Argovia præfectus Guil. Habsp. pag. 100. a. Tigurum per proditionem capere conatur ib. *Johannes* Comes Habsburgius Tigurinorum hostis, Sim. Resp. p. 15. b. *Johannes XXII.* Papa Sorores S. Francisci ordinis persequitur, Vit. p. 24. a. multa homicidia perpetravit, ib. p. 33. b. multum sanguinis effudit, ut lacus Bodamicus non recepisset ib. asserit animas fidelium post diem judicii demum ad cœlestia regna evolaturas ib. a. Ejusdem prosopographia ibid. A Friderico Austrio e Concilio Constantiensi abductus est, Sim. Resp. pag. 23. b. Pirck. p. 6. b. Suiz. p. 41. *Johannes* dux Sueviæ Albertum patruum interimit, Mal. p. 15. a. propter hanc cædem in exilio vitam degens tandem post septuaginta annos heremitarius rediit ib. b.

Isidis templum prope Aquas Helveticas, Guil. Helv. p. 40. b. Plant. p. 64. a.

Itali Tigurum vocabantur in judicium, Guil. Helv. p. 106. b.

Judicium Imperiale Tiguri, Suiz. p. 36. Judicium provinciale Turgeæ *das Landgericht*, Sim. Resp. pag. 78. b. ab Imperatore Sigismundo Constantiensibus oppigneratum, Suiz. p. 41. A Constantiensibus concessum est Helvetiis, Sim. Resp. p. 41. b. Judicia publica Tiguri, Sim. Resp. p. 59. b. & 60. a. Judicia matrimonialia apud Helvetios, ib. p. 60. a. Judicia publica tria Bernæ, ib. p. 63. a. duo apud Lucernates ib. b. diversa in Pagis ib. p. 66. b. Judicia rerum capitalium in Pagis, ib. p. 67. a. Judicia publicarum controversiarum apud Rætos, ib. p. 73. a. Judices in controversiis, quæ oriuntur inter duas pluresve Pagos, ib. p. 57. a.

Judæorum horribile exitium in *Ueberlingen*, Vit. pag. 37. a. Judæi interficiendi liberos necant, ne ad Christianam fidem deficiant, ib. p. 43. b. Judæorum singularis tribulatio, ib. p. 44. b.

Julianus Cæsar appellatus Galliæ præficitur, Guil. Helv. p. 55. b. Ejus res gestæ contra Allemannos, ib. p. 56. a. Idem Augustus & Imperator salutatus in Rauracis, ib. b. Gallos apud Argentoratum vicit, ib. in Allemannos grassatur ib. Francos qui Salii dicuntur percussit, ib magnis clamoribus militum coronatur, ib. p. 57. a. divinitus transverberatus occubuit, ib. b. Julianus Basileæ conditor, ib. p. 116. a.

Jupiter ab Helvetiis cultus, Plant. p. 38. a.

Jura mons Plant. p. 9. b.

Juris præfectus apud Vallesios, Sim. Resp. p. 74. b.

K.

Kaysersful Tribunal Cæsaris, Sim. Resp. p. 77. a.

Kerrenried arx Kyburgii comitis captum a Bernatibus, Suiz. p. 33.

Krieg (Ulricus) nobilis Tigurinus, Guil. Habsp. pag. 3. b.

Kyburgensium comitum potentia, Guil. Habsp. pag. 77. a. Kyburgii comites qui Burgdorffi egerunt, ib. p. 91. b. Kyburgius comes Bernensibus bellum indixit, Vit. pag. 35. b. & pag. 51. a. Rodolphus comes Kyburgius Salodorum per proditionem capere conatus, Sim. Resp. p. 22. b. Suiz. pag. 37. Kyburgius comes Biennam obsedit, ib. p. 33. Kyburgius comitatus Tigurinis ab Imperatore venditus, Suiz. p. 42. Tigurini hunc comitatum denuo recipiunt, ib. p. 49.

L.

Labinæ Löuwinen, Sim. Alp. p. 27. a. Glar. p. 2. b. Plant. p. 72. a.

Lacobrigi vel Latobrigi, Plant. pag. 66. b. se jungunt Helvetiis in Galliam proficiscentibus, Guil. Helv. p. 24. a. Lacobrigorum fines ib. p. 118. a.

Lacuum in altissimis montibus generatio, Sim. Alp. p. 27. b. Lacus a fluminibus in cavum amplumque locum defluentibus confici falso creduntur, Sim. Val. p. 28. a. Lacus Dunensis aqua fervescens ebullivit, ut pisces decoctos ad littus projiceret, Guil. Helv. p. 77. a. Suiz. p. 15. Lacus Helvetiæ majores Plant. p. 24. a. & minores p. 25. b. & seq. Lacus a Pilato nomen habens, Suiz. pag. 5. a. superstitio circa hunc lacum, Sim. Alp. p. 28. a. Lacus & flumina Helvetiæ, Suiz. p. 6. a.

Lancea Constantini M. Guil. Helv. p. 82. b.

Lancelinus comes Altenburgi, Guil. Habsp. p. 14. a.

Landenbergius (Pereg.) Sarnæ præfectus, Guil. Helv. p. 91. a. Sim. Resp. p. 5. b. Ejus Tyrannis ibid. Glar. p. 17. b. Suiz. p. 31. ab Underwaldiis circumventus, Mal. p. 2. b. Jurejurando adactus, quod nunquam in Helvetiam rediturus sit, Guil. Helvet. p. 93. a. *Landenbergius (Pereg.)* in nocturno prælio Tiguri occubuit, Sim. Resp. p. 17. a. *Landenbergius* (*Huld.*) Tigurinos decipit, iis pollicens arcem Regenspergam tradere, Suiz. pag. 38. *Berengarius Landenbergius*, Mal. p. 6. a.

Landsknecht quinam dicti sint, Pirck. p. 11. b.

Laubheim oppidi obsessio, Pirck. p. 4 b.

Lausanna Plant. p. 53. a. Ejus antiquitas ib. p. 54. b. Ex XII. urbibus fuit Helvetiorum ib. pag. 55. a. Guil. Helv. p. 13. b.

Legio Thebaica Sim. Val. p. 19. b. & p. 24. b. tres Legiones Thebææ ib. pag. 25. a. Legio Thebæa unde dicatur, Guil. Helv. p. 53. b. Ejus martyrium, Suiz. pag. 10.

Lentienses Allemanni, Guil. Helv. p. 55. b.

S. Leodegarii martyrium, Guil. ib. pag. 103. b. Suiz. pag. 16.

Leopoldus Austrius in patriæ interfectores sævit, Vit. p. 17. a. Pagis fœderatis bellum infert, Sim. Resp. p. 9. a. apud fauces Morgartenses repellitur ib. b. Suiz.

Suiz. p. 33. Pirck. p. 4. a. Anglos cum Helvetiis committit Sim. Resp. p. 22. b. Suiz. pag. 37. cum Pagis pacem facit ad aliquot annos, Suiz. pag. 33. *Leopoldus II.* Austriæ dux in prœlio Sempachiano occisus & Kœnigsfeldæ sepultus est Pirck. p. 5. b. Mal. p. 3. a. & p. 15. b.

Lepontii gens alpina Sim. Alp. p. 27. a. Glar. p. 2. b. Plant. p. 72. a. Sim. Resp. p. 36. a. Lepontiæ alpes minores & majores, Sim. ib. p. 17. a. Plant. p. 13. a. Lepontiorum oppida Guil. Helv. p. 96. a.

Leucenses thermæ Plant. p. 20. b. Sim. Val. p. 15. b.

Liberæ præfecturæ origo, Guil. Helv. p. 12. a. Ea Tigurinis in perpetuum feudum concessa fuit, Sim. Resp. p. 40. a. Olim comitatus Rore dicebatur, ib. p. 41. a.

Limagi descriptio Glar. p. 28. b.

Lingones Glar. p. 4. b.

Linificii cura apud S. Gallenses, Sim. Resp. p. 70. b.

Literæ non cultæ sunt a priscis Helvetiis, Sim. Resp. p. 52. a.

Locarni descriptio Sim. Resp. p. 80. a.

Longobardi in Burgundiam & Helvetiam descendunt prædaturi, Guil. Helv. p. 76. a.

Lotharingius ope Helvetiorum Carolum Burgundum ad Nanseium acie vicit, quo prœlio ipse Carolus cecidit Pirck. p. 10. b.

Lotharius I. in Francia solus regnavit, Guil. Helv. p. 77. b.

Lucerna unde dicta sit, Guil. Helv. p. 102. a. Plant. p. 62. b. Glar. p. 26. b. Lucernæ descriptio, ib. p. 15. b. Lucernæ urbis situs & origo, Sim. Resp. p. 11. b. Franci maxime Lucernam coluere, Guil. Helv. p. 102. a. Lucernensium prima privilegia a Carolo Martello ib. p. 103. b. Lucernensibus æreorum cornuum usum dedit Carolus M. ib. Idem Lucernenses in suam & Imperii protectionem suscepit, ib. p. 104. a. Lucernæ maxima celebritas a Monasterio, ib. p. 102. a. instrumentum fundationis Ecclesiæ Lucernensis ib. Sub quo Ludovico Franciæ Rege Monasterium Lucernense conditum sit, ibid. Lucernenses quoad Rempublicam liberi, munera & officia Morbacensibus præstiterunt ib. quomodo in Austriorum potestatem venerint, Sim. Resp. p. 11. 12. Lucernensium bella primo contra Fœderatos dein contra Austrios, Guil. Helv. p. 104. b. Lucernates pacem faciunt cum Fœderatis, Sim. Resp. p. 12. a. ad fœdus Helveticum accedunt, quia male defendebantur a nobilitate, Glar. p. 15. b. Mal. p. 2. b. Sim. Resp. p. 12. a. Vit. p. 39. b. Conjuratio contra Lucernates, ib. Suiz. p. 34. secunda contra eos conjuratio, Sim. ib. b. Lucernates Habspurgum ad Lacum Lucernensem evertunt ib. p. 20. a. Lucernates inviti admittunt sex pagos in Societatem imperii in liberam Præfecturam, Sim. Resp. p. 41. b.

Lucius Rex Britanniæ in Helvetia Christiana Sacra docuit, Guil. Helv. p. 43. b. Plant. p. 39. a.

Ludovicus pius, Guil. Helv. p. 26. b. Ei majora cum filiis quam exteris bella fuere, ib. p. 27. b. Helvetiorum aliquot cohortes contra Saracenos in Italiam misit, Guil. Helv. p. 79. b. tribus pagis αὐτονομίαν permisit ib. p. 97. b. *Ludovicus* Bavarus imperator, Sim. Resp. p. 9. a. Ei adhærent tres pagi ib. Suiz. p. 32. Confirmavit fœdus Helveticum, Sim. ib. p. 10. b. Ottoni Austriaco quatuor civitates Imperiales obligavit, inter quas Tigurum, Vit. p. 28. b. Suiz. p. 34. moritur Vit. p. 83. b. *Ludovicus* Delphinus contra Helvetios vocatus, Sim. Resp. p. 23. b. Suiz. p. 44. Tigurinos ab obsidione liberat, Mal. p. 5. b.

Ludovicus XII. rex Gallorum Helvetiorum amicitiam ambiebat, Sim. Resp. p. 28. b.

Lupinum Meyenfelden, Guil. Helv. p. 14. a.

M.

Magistratus varii in oppidis Helvetiorum, Sim. Resp. p. 60. b.

Mallum quid significet, Guil. Hasp. p. 15. b. mannire ad mallum ib.

Manessus (*Rod.*) Tigurinus eques S. Gallensis oppidi Advocatus imperialis, Suiz. p. 37.

Manfredus filius naturalis Fridericii II. coronam sumsit sed excommunicatur a pontifice, Vit. p. 6. a.

Manumissiones antiquæ, Guil. Helv. pag. 73. b. literæ manumissionis Johannis Tschudii ib. manumissi qua ratione Nobilitatem consecuti fuerint, ib. p. 74. a.

Marchionum Badensium origo, Guil. Habsp. p. 53. b. Marchio Moraviæ contra Ludovicum Imperatorem suscitatus a Pontifice, Vit. p. 40. b.

Marcomanni Plant. p. 29. b.

Matthias Ungariæ rex universam fere Austriam occupavit, Pirck. p. 12. a.

Mazza signum conspirationis apud Valesios, Sim. Val. p. 9. b. & Resp. p. 74. b.

S. *Mauritius* Martyr, Plant. pag. 70. a. Apend. Sim.

Mazingius in nocturno prœlio Tiguri occubuit, Sim. Resp. p. 17. a.

Maximus vel Macentius primus Constantiæ Episcopus, Guil. Helv. p. 13. a.

Maximinus ingentem Germaniæ vastitatem intulit, ibid. p. 51. a.

Maximinianus Agaunum venit & legionem Thebæam integram interfici jussit, ib. p. 53. b.

Maximilianus Cæsar Sigismundo resignante universam Austriam suscipit, Pirck. p. 12. b. Non tam Maximilianus quam ejus principes Helvetiis bellum inferre gestiebant ib. Suis mandavit, ut jure potius quam armis contenderent adversus Rætos, ib. pag. 13. a. accersitur ad bellum Suevicum, ib. p. 15. b. Suiz. p. 50. cum Helvetiis pacem facit, Sim. Resp. p. 30. a. Fœdus hæreditarium renovat, ib. p. 29. a. & p. 45. b. Suiz. p. 51.

Mediolanum a fundamentis evertitur, Guil. Habsp. pag. 66. a.

Mediomatrices ib. p. 17. a.

Medulli gens alpina Sim. Alp. p. 27. b.

Melchtal (*Henricus*) oculis privatus, Sim. Resp. p. 5. b. Guil. Helv. p. 91. b.

Mercenaria militia, Plant. p. 47. a.

Mercurii cultus apud Helvetios, Plant. p. 38. a. Mercurii effigies Vindonissæ hodie *Konigsfelden*, Guil. Habsp. p. 10. a.

Meroveus Francorum Rex Aetium contra Attilam juvat. Guil. Helv. p. 71. b.

Metalla alpium Sim. Alp. p. 29. b. Plant. p. 14. b.

Meyenfeld dicitur quasi Campus Majæ, quia in eo loco idolum hujus mulieris colebatur, Guil. Helv. pag. 132. a. Plant. pag. 76. a. vel corrupte dicitur pro magna villa, Plant. ib.

Minidunum ex vetustis urbibus Helvetiæ, Guil. Helvet. p. 16. a. Plant. p. 56. b.

Minoritarum ordo institutus, Vit. p. 1. b.

Misauci Sim. Resp. p. 36. a. Plant. p. 74. a. Misaucorum comes ib. p. 42. b.

Missam infidelis princeps irridet, Vit. p. 3. b.

Mona-

Monasterium Thuricense conditum, Guil. Helv. *p.* 97. b. Abbatissanum Tiguri fundatum, Suiz. *p.* 19. Augustinorum ibidem, Guil. Habsp. *p.* 92. b. Sub Monasteriorum potestate veteres lubentius fuerunt quam Comitum, Guil. Helv. *p.* 98. a. Monasterii Capellensis prope Tigurum fundatio, Guil. Helv. *p.* 86. b. Murensis fundatio, Guil. Habsp. *p.* 41. a. & 42. a. Monasterium Jurense, Guil. Helv. *p.* 44. b.
Montes altissimi frigidiores sunt & magis glacie & nivibus rigent, Sim. Alp. *p.* 7. a. in montibus veteres sacra fecerunt, ib. *p.* 3. a.
Monimenta antiqua Salodori, Guil. Helv. *p.* 116. a.
Monsaxii domini, Sim. Resp. *p.* 79. b.
Morbacensis Collegii origo, Guil. ib. *p.* 103. a & Habsp. *p.* 25. a. Morbacenses Lucernam vendunt Alberto Regi, Guil. Helv. *p.* 104. a.
Mulhausium antiquitus Arialbonum appellatum, Sim. Resp. *p.* 38. a. Episcopo Argentoratino a Rodolpho Habspurgio ereptum ib. primo a Basiliensibus deinde ab Helvetiis in fœdus receptum ib. Pirck. *p.* 7. a. Conspiratio ibi per Helvetios vi sedata, Suiz. *pag.* 58.
Mulieres Tigurinæ arma induunt & hostem deludunt, Vit. *p.* 15. a.
Muller civis Tigurinus Rodolphum Habspurgium in prælio prostratum servat, Vit. *p.* 8. a. Sim. Resp. *pag.* 14. b.
Mummolus Helvetiæ præfectus, Guil. Helv. *p.* 15. b.
Municipia quæ sint, Guil. ib. *pag.* 121. a. Municipia Helvetiorum ib.
Murtensis cladis descriptio, Pirck. *p.* 10. a.
Murus Cæsaris Plant. *p.* 51. b. difficultates circa hunc murum ibid.

N.

Nantuates Helvetiorum finitimi, Plant. *p.* 72. b.
Nannes gens alpina, Sim. Alp. *p.* 26. b.
Neocomum Sim. Resp. *p.* 39. a. Comitatus Neocomensis hæreditate pervenit ad Hochbergios Comites, ibid.
Nephelina pugna, Glar. *pag.* 30. a. in ea ceciderunt MMM hostium præter eos, qui in Lacu Rivario submersi sunt ib.
Nicolai Eremitæ sanctitas, Guil. Helv. *p.* 44. b. Glar. *p.* 18. a. Ejus apud Helvetios autoritas, Sim. Resp. *p.* 25. a.
Nicolaus quintus per populum Romanum constitutus est Pontifex, Vit. *p.* 28.
Nidovienfis Comes cum omnibus suis in prælio adversus Bernenses occubuit, Vit. *p.* 51. a.
Nivis moles plures quam CCCC. milites abripuit, qui tamen omnes servati sunt, Pirck. *p.* 20. b.
Nobilitatis multitudo in Helvetia, Guil. Helv. *p.* 71. b. Nobilitas falso dicitur ab Helvetiis ejecta, Guil. ib. *p.* 90. a. Plant. *p.* 43. a. Nobilitas Helvetica contra præfectos incensa, Guil. ib. *p.* 91. b. Nobiles Comitatus Vindonissensis, Guil. Habsp. *pag.* 16. a. Nobiles multi in Pagis seu Civitatibus Sylvestribus, Sim. Resp. *pag.* 3. a. Nobilitatis contra Bernenses conspiratio, Guil. Helv. *p.* 111. b. Suiz. 34.
Noidenolex urbs Helvetiorum, de qua variæ sententiæ, Guil. Helv. *p.* 13. a. Plant. *p.* 59. a.
Nuchtland a Nuithonibus dictum esse Rhenanus putavit, Guil. Helv. *pag.* 8. b. Uchtland potius dicendum quam Nuchtland ib.
Nuithones in Galliam migrant & partem Helvetiæ occupant, Suiz. *p.* 4. b. & 11. Nuichtonia, ib.
Nummi inventi Vindonissæ, Plant. *p.* 61. a.

O.

Occa plura volumina cum Theologica tum Philosophica composuit, Vit. *p.* 82. a.
Octodurum civitas Valensium hodie Martinach, Guil. Helv. *p.* 133. a. Habsp. *p.* 45. b. Sim. Val. *p.* 19. b. Plant. *p.* 70. b. Sim. Alp. *p.* 14. b. Glar. *p.* 27. b.
Oppida Stipendiaria Helvetiorum, Sim. Resp. *p.* 75. b.
Orgetorigis acta & consilia, Guil. Helv. *p.* 20. b.
Ottokarus Bohemiæ Rex, Guil. Habsp. *pag.* 89. a. Vit. *p.* 9. b. Victus a Rodolpho Habspurgico, Suiz. *p.* 30.
Ottonis Frisingensis circa Allemannorum appellationem error, Guil. Helv. *p.* 54. b.
Otto Comes Burgundiam minorem occupat, ib. *p.* 85. a. Glaronensibus Advocatus datus, ibid. *pag.* 109. b. Habsp. *p.* 45. b. contra Imperatorem rebellat, ibid. *p.* 47. a.

P.

Pagus unde dictus sit, Glar. *p.* 8. b. Plant. *p.* 6. b. Regiones per Pagos dividendi ratio, Guil. Helv. *p.* 7. a. Pagus Tigurinus, Guil. Helv. ib. Plant. *p.* 7. a. Ejus Pagi oppida, Guil. Helv. *pag.* 7. b. Pagus Tigurinus ultimis temporibus partem Ducatus Allemannici constituit ib. Pagus Urbigenus ib. *p.* 8. a. Plant. *p.* 7. a. Eius oppida ib. Aventicensis Plant. *p.* 7. a. Antuatius Plant. ib. difficultates circa Pagorum distinctionem, Plant. ib. Pagi Helvetiorum secundum flumina divisi, Glar. *p.* 9. & seq.
Pagi Sylvestres vulgo *die Länder*, Sim. Resp. *p.* 65. b. in certas partes dividuntur ib. summa potestas in Pagis penes Concilium populi, ib. *p.* 66. a. Pagi excommunicati sunt ib. *p.* 9. a. & *p.* 11. a. Præfecturarum ratio in Pagis, ib. *p.* 66. a. Pagi non patiuntur fundos extra regiones suas oppignerari ibid. b. Senatus eligendi ratio in Pagis ib. *p.* 65. b.
Palas regio nunc die *Pfalz*, Guil. Helv. *p.* 57. not.
Palensis vallis, Sim. Resp. *p.* 43. a.
Papa Soldanum juvit adversus Fridericum Imperatorem, Vit. *p.* 3. b. Condemnavit librum, quo asseritur Evangelium Christi neminem ad perfectionem perducere, ib. *p.* 6. a. Papa fœmina, ib. *p.* 11. b. Papa & Imperator mutuo se hæreseos accusant, ib. *p.* 31. a. Papa vitam tyrannicam induit, ib. Clerum prohibet sacra facere in Imperii Urbibus, ib. *p.* 49. b. ab imperatore inique postulat, ut Imperium resignet, ibid. a. Imperatorem & totam Allemanniam fallit, ib. *p.* 75. a.
Passeres inter se divisi conflictum committunt, Vit. *p.* 67. a.
Paterniacum Plant. *pag.* 57. a. A Paterno viro Coloniæ Aventicensis nomen habet, Guil. Helv. *pag.* 15. b. Paterniacum monasterium conditum, Suiz. *p.* 14.
Patricius aliquando Præfectum significavit, Guil. Helv. *p.* 21. a.
Pax Maximiliani Imperatoris cum Helvetiis facta, Sim. Resp. *p.* 30. a. Pax inter Helvetios & Austrios ad annos L. Suiz. *pag.* 41. inter Tigurinos & Suitenses Constantiæ facta, Mal. *p.* 13. b.
Penne Guil. Helv. *p.* 16. b.
Penninus mons est mons Jovis, hodie mons Bernhardi, Sim. Alp. *p.* 16. b.
Perleones Comites Romani, Guil. Habsp. *p.* 2. b.
Persæ instituunt persecutionem contra Christianos, Vit. *p.* 59. b.
Petinesca Plant. *p.* 59. a.

Petrum primum Helvetios convertisse traditio, Guil. Helv. *p.* 43. a.
Petrus Sabaudiæ dux quantum Burgundiæ Comites in Helvetia habuerunt adeptus est, ib. *p.* 88. b.
Phalanx Helvetica, Sim. Resp. *p.* 51. b.
Phrygii operis tessulæ, Guil. Helv. *p.* 116. a.
Pipinus utriusque regni magister, Guil. Helv. *p.* 78. b. Suiz. *pag.* 16. Pipinus brevis Pontificis autoritate Regna Franciæ occupat, Guil. ib. *p.* 79. a. Habsp. *p.* 25. b. Suiz. *p.* 17. Pipini gesta, Guil. Helv. *p.* 23. b. & 24. a. sæpius in Helvetia egit, Guil. Helv. *p.* 79. a. & *p.* 115. b.
Pirckheimerus a Republica Norica præfectus militum Suevis subsidio missus, Pirck. *p.* 18. a. Calumnias in se & suos milites sparsas apud Cæsarem diluit, ib. *p.* 25. b.
Pius II. Papa (alias Aeneas Sylvius) Academiam Basiliensem instituit, Sim. Resp. *p.* 61. a.
Placitum pro conventu seu comitiis antiquitus dictum, Guil. Helv. *p.* 21. a. Placitum Nobilitatis Argoviæ Turgoviæque, ib. *p.* 42. a.
Platterus (Thomas), Sim. Val. *p.* 14. a.
Politica Helvetiorum, Plant. *p.* 40. a.
Pons tremulus, Sim. Alp. *p.* 19. a. Pons Satanæ ibid. Pons Aelius, Guil. Helv. *p.* 50. b.
Præfectura Imperialis Tiguri Berchtoldo Zæringensi tradita, Guil. Habsp. *p.* 52. b. Præfecti Helvetiis ab Imperio non a Domo Austriaca dati, Sim. Resp. *p.* 4. a. Guil. Helv. *pag.* 91. a. Præfectorum Imperialium potestas circumscripta fuit, Sim. Resp. *pag.* 11. a. Præfecti Alberti tyrannice imperant, Guil. ib. b. Sim. Resp. *p.* 5. b. Injuriæ præfectorum Helvetiis ansam præbuere libertatis repetendæ Pirck. *p.* 4. a.
Præfectura Helvetiorum communes, Guil. Helv. *pag.* 121. b. Sim. Resp. *p.* 76. b. Suiz. *pag.* 5. a. Præfectura Badensis, ib. *p.* 77. a. Turgeæ ib. b. Rhegusciorum ib. *pag.* 79. b. Saruncetum ib. a. Non omnes Pagi æquale imperium in Præfecturas habent Sim. Resp. *p.* 2. a. Præfecturæ Italicæ Helvetiis a Maximiliano Sfortia datæ, Sim. Resp. *pag.* 42. b. Præfecturæ Tigurinorum, ib. *p.* 61. b. Bernensium ib. 69. a. Lucernensium, ib. Friburgensium, ib. *p.* 65. a. Rætorum ib. *p.* 73. b. Guil. Helv. *pag.* 121. b. Valesianorum, Sim. ib. *p.* 75. a. Præfectus imperii seu rerum capitalium in urbibus Helveticis *der Reichsvogt*, ib. *p.* 59. b.
Præpositura Tigurinæ origo, Guil. Habsp. *p.* 24. a.
Præsidia Romana circa Rhenum, Guil. Helv. *p.* 30. a.
Præsidia contra frigus per alpes proficiscentium, Sim. Alp. *p.* 24. a.
Procuratores Romani in Helvetia, Guil. Helv. *p.* 34. b.
Prœlium Morgartense, Sim. Resp. *pag.* 9. b. Pirck. *p.* 4. a. ad Sempachum, Sim. Resp. *p.* 23. a. Suiz. *p.* 38. ad Navalia, Sim. ib. Glar. *p.* 19. a. Suiz. *p.* 38. ad Buchanassum, Sim. ib. *p.* 12. b. ad S. Jacobi fanum prope Basileam, Sim. ib. *p.* 24. a. Mal. *p.* 5. b. & *p.* 29. b. Pirck. *p.* 7. a. Suiz. *p.* 44. ad S. Jacobi fanum prope Tigurum, Mal. *pag.* 5. a. prœlium inter Thuricenses & Scaphusianos, Vit. *p.* 59. a. prœlium ad Tetvilam, Sim. Resp. *p.* 19. b. Laupense, Suiz. *p.* 34. Pirck. *p.* 4. b. ad Moratum in Aventicis, Sim. ib. *p.* 24. b. Suiz. *p.* 47. ad Nanceium, Suiz. ib. *p.* 48. Sim. ib. ad Gransonium, Suiz. *p.* 47. ad Novarium in Italia, Suiz. *pag.* 52. Prœlium Capellanum primum, Suiz. *p.* 54.
Prothadius dux Burgundiæ minoris, Suiz. *p.* 14. Guil. Helv. *p.* 77. a.
Provincias Romanas cognoscendi modus, Guil. Helv. *p.* 9. a.
Provinciarum Romanarum variæ species, ib. *p.* 24. b. Earum divisio, ib. *p.* 33. b.
Puella quatuor annos cibo abstinuit, Vit. *p.* 86. b.

Q.

QUarten, Quinten loca ad Rivarium Lacum a statione Legionum Romanarum nomen habent, Guil. Helv. *p.* 46. b
Quadi Plant. *p.* 30. a.

R.

RÆtorum origo & migratio, Guil. Helv. *p.* 127. b. Sim. Resp. *p.* 36. a. Glar. *p.* 3. a. Suiz. *pag.* 8. Plant. *p.* 71. b. Rætiæ situs, Guil. Helv. *p.* 46. b. Eorum limites, ib. *p.* 127. b. olim latius patuit Rætia, Sim. Resp. *p.* 36. a. Plant. *p.* 72. a. Rætia prima & secunda, ib. Rætiæ primæ terminus Danubii fons, Guil. Helv. *pag.* 54. a. Rætorum gentes, ib. *p.* 128. a. Helvetiam infestarunt, ib. a M. Planco victi ib. A Tiberio in ordinem redacti, ib. Ræti Cæcinnam contra Helvetios adjuvant, ib. *pag.* 49. a. Antonini tempore magnam partem Helvetiæ tenuerunt, ib. *p.* 46. b. Ræti unde Cani dicti sint, Italis Grisoni, ib. *p.* 128. b. Sim. Resp. *p.* 36. a. Rætorum Respublica, Guil. ib. *p.* 132. a. Sim. Resp. *p.* 71. b. Rætorum tria Fœdera, Sim. ib. *p.* 36. a. & *pag.* 71. & seq. vide Fœdus. Rætorum antiqua cum Helvetiis amicitia, Guil. ib. Fœdus faciunt cum Helvetiis, Sim. ib. *p.* 36. a. Pirck. *p.* 13. a. occasio hujus Fœderis faciendi, Sim. ib. Summa Fœderis Rætorum cum Helvetiis, ib. *p.* 37. a. Ræti Clavennam recipiunt, Suiz. *p.* 54.
Rapersvila per matrimonium venit ad Rodolphum Habspurgium Imperatoris agnatum, Suiz. *pag.* 29. Rapersvila utraque a Tigurinis vastata, Guil. Helv. *p.* 100. a. Suiz. ib. Rapersvila a Tigurinis obsessa, Sim. Resp. *p.* 17. b. & *p.* 18. b. Suiz. *p.* 34. ab iis occupatur, ib. *p.* 35. Alberto Austrio Tigurinorum hosti traditur, ib. *p.* 36. utraque Rapersvila Austriis vendita ib.
Ramswagius Austrius præfectus, Sim. Resp. *pag.* 12. a. Ramswagii nobiles S. Gallum occupare conati, Suiz. *p.* 30.
Raronii Barones Valesiæ, Sim. Val. *p.* 14. b. Petrus vel Petromannus Raronius Comitatum Toggenburgium adeptus est, ib. *p.* 15. a.
Rauracorum regio, Glar. *p.* 27. b. Plant. *pag.* 66. b. Guil. Helv. *p.* 116. b. Rauraci se jungunt Helvetiis e patria migrantibus, Guil. ib. *p.* 24. a. Rauraca colonia ib. *p.* 117. b. sæpius a Germanis eversa, ib. a. ex ejus ruinis Basileæ incrementa, ib.
Reformatio Ecclesiæ Reipublicæ multa bona attulit P. Simpl. *p.* 4. a.
Regenspergius hostis Tigurinorum, Sim. Resp. *p.* 14. Tigurinis ejus protectionem petentibus superbe respondet, Guil. Helv. *p.* 91. a. Ejus contra Tigurinos

rinos apparatus, ib. b. Tigurini eum bello persequuntur, Suiz. p. 29.
Reginaldus (aliis Reinaldus) Burgundiam repetit, Guil. Helv. pag. 85. b. cum Zæringio de principatu Burgundiæ dimicat, Sim. Val. p. 29. cum eo convenit, ut ipse Transjurana, hic Cisjurana seu Burgundiam minorem haberet, Suiz. pag. 25. Reginaldus Rector Burgundiæ, Suiz. p. 23. Guil. Habsp. p. 47.
Reinsfelden arx Tigurinorum ad Rhenum per Episcopum Constantiensem combusta, Suiz. p. 40.
Religionis divortium bellorum causa & origo in Helvetia, P. Simpl. p. 4. a.
Rhegusci gens alpina, Sim. Alp. pag. 27. a. & Resp. p. 41. b. ib. p. 79. b. Plant. p. 72. b. olim ad Rætiam Curiensem pertinebant, Guil. Helv. p. 130. b. Rhegusci Abbatiscellanis venditi & his deinde per Helvetios ablati, Sim. Resp. p. 42. a.
B. *Rhenani* laus, Glar. p. 19. b.
Rheni fontes & limitatio, Guil. Helv. p. 5. b. Plant. p. 21. a. & seq. Rheni origo triplex, ib. p. 131. a. Sim. Alp. p. 19. b. Rhenus impuri lecti vindex infantes adulterio conceptos suffocat, Plant. p. 22. a.
Rhinovium Guil. Helv. p. 32. b. Sim. Resp. p. 78. a. Plant. p. 65. b.
Rhodani ortus ex Furca monte, Guil. Helv. p. 131. a. Sim. Val. p. 10. b. Plant. p. 22. a. & seq. Glar. p. 3. b.
Richardi Imperatoris privilegium Tiguro datum, Guil. Helv. p. 107. a. Sim. Resp. p. 13. b.
Rineggum & Vallis Rheguscorum ab Abbatiscellanis occupantur, Sim. ib. p. 32. b.
Ringgenberga arx igne deleta, Sim. Resp. p. 20. b.
Ripanum vinum nobilissimum, Guil. Helv. p. 16. b.
Riviera vallis, Sim. Resp. p. 43. a.
Rodenburg castrum Grunenbergii a Lucernensibus destructum, Mal. p. 2. b.
Rodolphus Burgundiæ Comes se regem appellavit, Sim. Val. pag. 28. a. in gratiam resumitur ab Arnolpho Imperatore, Guil. Habsp. p. 30. a. *Rodolphus II.* Burgundiæ Rex ib. p. 32. b. Vincitur apud Vitodurum, ib. p. 33. a. Guil. Helv. p. 82. b. Italiæ Rex appellatus, ib. pag. 83. a. Suiz. pag. 20. regnum iterum amisit, Guil. ib. *Rodolphus III.* Burgundiæ Rex ib. p. 39. a. Henricum Imperatorem hæredem instituit, ib. p. 45. b. Suiz. p. 22. *Rodolphus* Comes Rheinfeldensis dux Allemanniæ, Guil. Habsp. p. 48. a. Germaniæ Rex Guil. Helv. pag. 86. a. Ejus causa motus oriuntur in Helvetia ib. *Rodolphi* Habspurgii Genealogia, Guil. Habsp. pag. 71. b. A tribus Civitatibus Sylvestribus Protector eligitur, Guil. Helv. p. 90. a. Sim. Resp. p. 14. a. A Tigurinis Protector eligitur, Guil. Habsp. pag. 91. a. Ab Argentinis quoque ib. p. 89. b. Castra destruit ex quibus homines spoliabantur, Vit. p. 8. a. Utlibergam Tigurinis præ aliis gravem arcem destruit, ib. Guil. Habsp. p. 92. a. Uznabergam capit ib. b. Vitodurum subigit, ib. p. 91. b. Basileam obsidet, ib. p. 86. b. Vit. p. 7. b. Suiz. p. 24. Bernam obsidet, Suiz. p. 30. Ottokaro Bohemiæ regi militavit, Guil. Habsp. p. 89. a. uxorem cujusdam fabri amare cœpit, Vit. pag. 8. a. Regenspergensem se contemnentem vicit, ib. p. 9. a. humilitatis studiosus fuit ib. b. Suburbia Basiliensia vastavit, Guil. Habsp. pag. 94. b. Contra Episcopum Basiliensem bellum gerit ib. Imperator Romanus eligitur, Guil. Helv. p. 90. a. Mal. p. 15. a. Guil. Habsp. p. 97. b. Vit. p. 7. b. Trium Civitatum seu Pagorum privilegia confirmavit, Guil. ib. Sim. Resp. p. 4. a. in Italiam proficisci noluit ad occupanda bona imperii; vestigia terrebant, Vit. ib. Regem Bohemiæ Ottokarum compescuit, Vit. p. 9. a. Suiz. p. 30. Tigurinorum opera bello Bohemico usus est, Sim. Resp. pag. 14. a. contra Bernenses victoria potitus, Vit. p. 10. b. mortuus est, ib. p. 12. a. *Rodolphus* Habspurgius Lauffenbergæ dominus Rodolphi Imperatoris ex fratre nepos Advocatus provincialis in Helvetia constitutus, Guil. Helv. p. 91. a. *Rodolphus* Kyburgius Salodorum proditione capere tentavit, Suiz. p. 37. Guil. Helv. p. 102. b.
Rore comitatus, Guil. Helv. p. 16. a.
Roschach a Suevis incenditur, Pirck. p. 23. a.
Rotundus mons, Guil. Helv. p. 16. a.
Rotvila Glareano Erythropolis dicitur, Sim. Resp. p. 37. b. Rotvila Cimbrorum caput, Guil. Helvet. p. 134. b. Curia Rotvilana (*das Hofgericht*) ibid. Sim. ib. Glar. p. 5. b. Fœdus facit cum Helvetiis Guil. ib. Sim. ib. Suiz. p. 53.
Rotzenberga arx a Fœderatis dolo occupata, Guil. Helv. p. 93. a. Suiz. p. 32.
Rupertus dux Allemanniæ, Guil. Habsp. p. 24. a. condit monasterium majus Tiguri, Suiz. p. 16. *Rupertus* dux Austriæ lites inter Abbatiscellanos & Abbatem S. Galli composuit, Pirck. p. 6. a.
Rupertivilla, Guil. Helv. p. 15. a. Plant. p. 64. b.

S.

Sabaudi unde dicti sint, Sim. Val. p. 21. a. Sabaudiæ ducum origo, Guil. Helv. p. 84. a. Sim. ib. Principum Sabaudiæ stirps & series, Sim. ib. Sabaudi pleraque sibi in Pago Aventicensi vindicant, Guil. ib. p. 88. b. Veragros occupant, sed Helvetiorum ope repelluntur, Sim. ib. p. 32. a. Genevæ urbi insidiantur, Suiz. p. 57. & seq. Sabaudiæ ducis fœdus cum Helvetiis, Guil. Helv. p. 138. a.
Sabinus Pater Vespasiani apud Helvetios fœnus exercuit, Guil. Helv. p. 27. b.
Salodori antiquitas, Guil. Helv. p. 114. a. Suiz. p. 8. Salodorum Trevirorum soror, Glar. p. 20. b. Sim. Resp. p. 28. a. Plant. p. 59. b. Salodorum vicus Salensium, Plant. pag. 60. a. Guil. ib. ita dicitur quasi salis donum, Glar. p. 11. b. Salodorum ex vico castrum factum ib. ob Martyres Thebæos celebratum ib. Salodorum urbs imperialis, Resp. p. 28. a. cum Bernatibus antiquitus Fœdus habuit ib. Salodorienses excommunicati & ab Austriis obsessi, ib. Suiz. p. 33. cum Bernensibus Fœdus perpetuum fecerunt, Sim. ib. in Fœdus Helveticum recepti, ib.
Saraceni ab Helvetiis tota Italia pelluntur, Guil. Helv. p. 97. b. Suiz. p. 18.
Sarna Landenbergii præfecti sedes, Guil. Helv. p. 91. a. Glar. p. 17. b. Sarna capta, Guil. ib. p. 93. a. Suiz. p. 32. Mal. p. 2. b.
Sarunetum, Sim. Resp. p. 79. a. Sarunetes Tigurinis adhærent bello civili quod Tigurinum dicitur, Suiz. p. 42.
Saxones a Carolo M. ad diversas Europæ partes relegati, Mal. p. 2. a. in Vallem Uraniæ translati ib. ad vallem Artam ib.

Scafusiæ antiquitas, Guil. Helv. *p.* 118. a. Scafhusiani Collegii & Oppidi origo, Suiz, *p.* 23. Scafhusia quasi *Schifhusen* dicitur, Glar. *p.* 5. a. vel *a Scapha*, Sim. Resp. *pag.* 30. a. Ejus descriptio, Glar. *pag.* 21. a. Scafusiæ summa potestas penes Abbatem cœnobii omnium sanctorum, Sim. ib. Scafusia alienatur ab Imperio ib. b. bellum gerit cum Austriis, ib. Scafusiani fortiter occurrunt Cæsareanis bello Suevico, Pirck. *p.* 25. b. & 27. b. ad Fœdus Helveticum accedunt, Guil. Helv. *p.* 118. a. b. Sim. Resp. *p.* 30. b.

Scaurus (*M. A.*) a Cimbris fusus, Suiz. *p.* 9.

Schennisium monasterium conditum, Suiz. *p.* 9.

Schinnerus (*Math.*) Episcopus Sedunensis magna mala Helvetiis intulit, Sim. Præf. Val. & *pag.* 33. a. & *pag.* 34. b.

Scholæ celebres in Helvetia, Sim. Resp. *p.* 52. a & *p.* 61. a. Plant. *p.* 34. a.

Schultheis unde dicatur, Sim. Resp. *p.* 62. a.

Sedes Episcopalis Constantiensis vacavit per integrum annum magno scandalo, Vit. *p.* 78. a.

Seduni hodie Valesiani, Glar. *p.* 4. Plant. *pag.* 71. a. adversus suum Episcopum arma capiunt, cum Uraniis, Suitiis & Underwaldiis Fœdus faciunt, Bernenses offendunt, Pirck. *p.* 6. b.

Senatus Helveticus, Sim. Resp. *p.* 53. b. quibus de rebus cognoscat, ib. *p.* 54. a. curam habet communium præfecturarum regendarum, ib. *p.* 55. a. Senatus Rætiæ, Sim. Resp. *p.* 72. b.

Senones Galli Helvetiorum auxilio Romam capiunt & incendunt, Suiz. *p.* 8.

Sequani Plant. *p.* 67. b.

Servius Galba Valesiis bellum intulit, Suiz. *p.* 9.

Sextumviri augustales in Helvetia, Guil. Helv. *p.* 41. a. Plant. *p.* 41. b.

Sfortia (*Lud.*) Mediolanensis dux a Gallis captus, Sim. Resp. *p.* 20. a. *Sfortia* (Maximilianus) ab Helvetiis adjutus, Sim. Val. *p.* 33. a. ab iisdem restitutus, ib. *p.* 34. b. Helvetiis quatuor præfecturas Italicas dono dat, Sim. Resp. *p.* 31. b. Suiz. *p.* 52. Uriis Bilitionem dat ib.

Sigismundus Burgundiæ Rex novercæ fraude filium necavit, Guil. Helv. *p.* 68. b. Suiz. *p.* 13. pœnitentiam egit, Guil. ib. S. Mauritii templum ædificavit in honorem martyrum Thebæorum, ib. Sim. Val. *p.* 20. b. & *p.* 27. A Clodomiro Biturigum Rege interemtus est, Suiz. *p.* 13. post mortem miracula fecit, Guil. ib. & *p.* 43. b.

Sigismundus Imperator Constantiensibus Judicium provinciale & omnem Turgeam oppignerat, Suiz. *p.* 41. Tigurinis & Bernatibus quasdam Regiones oppignerat; Tigurini cæteros Pagos hujus oppignerationis participes faciunt; Bernates suas terras soli possident Sim. Resp. *p.* 40. a. *Sigismundus* Austrius ab Helvetiis bello petitur, Sim. ib. Suiz. *p.* 46. Reconciliatur cum Helvetiis, Sim. ib. *pag.* 24. b. Unionem perpetuam cum iis facit, ib. *p.* 44. a. b. Burgundo Comitatum Ferratensem Helvetiis proximum vendit, Sim. ib. Pirck. *p.* 8. a. Suas regiones resignat Maximiliano Imperatori, Sim. ib. *pag.* 45. a. Ejus laus, Pirck. *p.* 12. b.

Silius gentes alpinas domuit, Guil. Helv. *p.* 46. b.

Sillinus (*Justus*) Episcopus Sedunensis, Sim. Val. Præf. & *p.* 32. b. Exercitum duxit in Italiam, Sim. Resp. *p.* 28. b.

Simlerus in conscribendis Commentariis de Rebus Helvetiorum in plerisque secutus est Stumpfium, Sim. Præf. ad Val.

Socii Helvetiorum, Guil. Helv. *p.* 123. a. Sim. Resp. *p.* 1. b. *p.* 35. a. Suiz. *p.* 5. a.

Soldanus LX. regibus coronatis præfuit, Vit. *p.* 50. b.

Soldurii milites galli. Plant. *p.* 60. a.

Solium Cæsaris, Guil. Helv. *p.* 14. b. quando sit conditum, Suiz. *p.* 9.

Speluga insignis vicus Rætorum. Plant. *p.* 75. a.

a Stadio (*Walth.*) Glaronensium præfectus, Sim. Resp. *p.* 14. b. cæditur ib. *p.* 20. a.

Stauffacherus (*Vern.*) Guil. Helv. *p.* 91. b. Sim. Resp. *pag.* 6. a.

Strasbergii gesta in Underwaldiis, Sim. Resp. *pag.* 9. b. Strasbergensis comes victus ab Helvetiis, Pirck. *pag.* 4. a. Suiz. *p.* 33.

Steina oppidum ad Rhenum Tigurinorum tutelæ se committit, Suiz. *p.* 41. Plant. *p.* 65. a.

Stilicho comes Imperium Romanum pessumdedit, Guil. Helv. *p.* 60. a. Eucherio filio regnum parare studuit, ib. *p.* 61. a.

Stretlingiorum comitum nobilis & prisca memoria apud Helvetios, Guil. Helv. *p.* 82. b.

Stumpfii laus, Sim. Præf. ad Val. Ejusdem defensio, ib.

Styssii (*Rod.*) Equitis & Consulis Tigurini fortitudo, Suiz. *p.* 43. Ejus Prosopographia, Mal. *p.* 5. a.

Styria a Tauriscis dicitur, Glar. *p.* 26. b.

Suandius Baro patria pellitur, Sim. Resp. *p.* 19. b.

Suanetes gens alpina, Sim. Alp. *p.* 26. b.

Suevus Rex Germanorum Helvetios adoritur, Suiz. *p.* 8. Suevici Ducatus initium, Suiz. *p.* 27. Guil. Habsp. *p.* 51. b. Suevici duces advocatiam Tigurinam habuerunt, Suiz. ib. Suevicæ civitates Fœdus ineunt Pirck. *pag.* 12. a. Suevi ceperunt Rætos vexare, Pirck. *p.* 12. b.

Suizerorum nomen a Suitia secunda Civitate Helvetiæ, Guil. Helv. *p.* 6. b. Suiz. *p.* 4. b. Plant. *p.* 28. b. Sim. *p.* 10. a. Mal. *p.* 7. a. Suitia dicta vel a Suito Duce vel a Suevis, Guil. ib. *p.* 100. b. Suitii a Suetis qui ob Oceani inundationes aut populi multitudinem aut terræ sterilitatem patriam reliquerunt, Plant. *p.* 29. a. hanc opinionem refutat Pirckheimerus, *p.* 3. a. Suitii originem habent a Suedis, Glar. *p.* 16. b. Suicii a Cimbris orti, Sim. Resp. *p.* 2. b. Guil. Helv. *p.* 99. b. A Saxonibus, Mal. *p.* 2. a. Suitiorum descriptio, Glar. *pag.* 16. b. Suitiorum pars Comitibus Lenzburgensibus subjecta; pars sui semper juris fuit. Guil. Helv. *p.* 100. b. se ab Eberhardo Habspurgio redemerunt, ib. *p.* 101. a. In Imperii protectionem sumuntur, ib. *p.* 89. b. Turrim pro firmamento contra Austrios in monte Sattel educunt, ib. *p.* 93. b. Leopoldum ducem ad fauces Morgartenses vincunt, Vit. *p.* 25. a. Pirck. *p.* 4. a. Suitenses inter & Abbatem Eremitanum lis orta, Guil. Habsp. *p.* 59. a. Sim. Resp. *p.* 8. b. Mal. *pag.* 3. a. Suitenses monasterium Eremitanum occupant, Suiz. *p.* 33. Monachos captivos secum ducunt, Mal. ib. Propterea iis sacra interdicuntur, Guil. Helv. *p.* 94. b. Suitii domino de Vaz auxilium mittunt contra Montfortium, Vit. *p.* 36. a. Bernatibus auxilium ferunt contra Kyburgium, ib. *pag.* 51. a. Pirck. *pag.* 4. b. Tigurum obsident, Mal. *p.* 5. a. Suitius a Tigurinis captus mortem sibi conscivit, ne cogeretur secreta suorum evulgare, Mal. *p.* 8. b. Suitiorum erga Tigurinos crudelitas, Pirck. *p.* 7. b.

Summæ alpes apud Cæsarem, Sim. Val. *p.* 10. a.

Sylvæ Helvetiæ, Plant. *p.* 17. a. & seq.

Sylvanii Plant. *p.* 61. b. Glar. *p.* 17. b. partim a Cimbris partim a Romanis orti, Guil. Helv. *p.* 101. b.

Suiz.

Suiz. p. 9. Sim. Resp. p. 2. b. apud Sylvanios romana nomina, ib. Sylvanii omnes superiores & inferiores *Stantes* appellati, ib. Sylvanii nominis origo ib. quare eorum regio Underwalden dicatur ib. Sylvanii in Imperii protectionem sumti, ib. p. 89. b. Sylvaniæ imperiales seu regii reditus Lucernensi collegio attributi, ib. pag. 102. a. Sylvanii duas arces dolo capiunt, Sim. Resp. p. 7. b.

T.

Tabula Græcis litteris confectæ in Helvetiorum castris repertæ, Guil. Helv. p. 24.

Tacitus Helvetios inter Hercyniam Sylvam Rhenumque & Mœnum amnes collocat, Guil. Helv. p. 20. a. Plant. p. 28. a.

Talto Comes Turgoviæ, Suiz. p. 15.

Tarnadas Urbs Valesiæ, hodie S. Mauritium dicitur, Plant. p. 70. a.

Tartari per solemnem legationem se Regi Franciæ dedunt, Vit. p. 5. b. Poloniam & Hungariam invadunt, ib. p. 56. b.

Taurifcorum origo, Guil. Helv. p. 95. a. Plant. pag. 62. b. Helvetiæ partem occupant, ib. b. Eorum cum Tectosagis migratio, ib. Etiam in Venetiam migrant, ib. p. 96. a. in Noricum veniunt, ubi hodie Styria, ib. Totum tractum Tigurinum habitarunt, ib. p. 97. a.

Tauregum vide Tigurum.

Tellius (Guil.) Brutus Helvetiorum, Glar. p. 24. a. Guil. Helv. p. 92. b. Sim. Resp. p. 7. a. Grislerum præfectum conficit jaculo, Guil. ib. p. 93. a. Sim. ib. b. Suiz. p. 31.

Tereten locus ad lacum Rivarium a statione legionis Romanæ nomen habet, Guil. Helv. p. 46. b.

Teutates Gallorum Deus idem qui Mercurius, Guil. Helv. p. 40. a.

Teutoniæ principibus jus datum eligendi Imperatorem, Vit. p. 1. b.

Theodebertus Austrasiæ & Burgundiæ Rex expeditionem facit in Italiam, Guil. Helv. p. 75. a.

Theodoricus Gothorum rex pro Allemannis apud Clodoveum intercedit, Guil. Helv. p. 72. b. *Theodoricus* primus e Francorum stirpe Burgundiæ Rex Jus civile Justiniani suscipit, Guil. Helv. p. 75. a. *Theodoricus* Rex Franciæ monasterio inclusus, sed restitutus est, Guil. Helv. p. 78. a.

Theodosius Allemannos sæpius vicit, Guil. Helv. p. 58. b. ab Helvetiis adjuvatur contra Eugenium Tyrannum ib. p. 59. b.

Thermarum Badensium amœnitas, Glar. pag. 10. b. Plant. p. 20. a.

Thuricum vide Tigurum.

Tiberius contra Germanos missus, Guil. Helv. p. 47. a. Rætos domuit, Guil. ib. pag. 128. a. Elogium ei Senatus consulto consecratum, Guil. ib. p. 47. a.

Tigurum, alias Thuricum vel Tauregum antiquissimum oppidum semper habitum, Plant. pag. 63. a. Sim. Resp. p. 13. a. Quando sit conditum, Suiz. p. 8. Tigurum a Taurifcis conditum, Guil. Helv. pag. 95. b. Ex oppidis fuit, quæ Helvetii incenderunt, Guil. ib. p. 105. a. Quomodo ex Thurico formatum sit Zurich, ib. Tigurum castrum, ib. Tiguri Camera imperialis, Guil. ibid. b. Tiguro propter Martyres dignitas & magnificentia addita, ib. a. Tigurinæ Urbis illustrator Ludovicus Germaniæ Rex, Guil. ib. Instrumentum fundationis monasterii Monialium Tiguri, Guil. ib. Tigurum & omnia vicina Monasteriis binis subjecta, Guil. ib. p. 106. a. & p. 89. a. Tigurum mendose vocatur oppidum Sueviæ, Guil. ib. pag. 107. a. Tigurum mœnibus cinctum, ib. Tiguri descriptio ex Ottone Frisingensi, ib. p. 106. b. ex Glareano, Glar. pag. 14. a. Reipublicæ Tigurinæ mutatio sub Rodolpho Brunio, Guil. Helv. p. 107. b. Vit. p. 41. b. Sim. Resp. p. 15. a & b. Arx Tiguri a civibus diruta, Sim. Resp. pag. 13. b. Tiguro mercatura Novocomum translata, Sim. ib. Clerus Tiguro ejectus, Sim. Resp. p. 15. a. Suiz. p. 26. & p. 34. Tigurum a Friderico II. in tutelam Imperii receptum, ibid. p. 27. Tigurum excommunicatum, Suiz. p. 34.

Tigurinus Pagus, Guil. Helv. p. 7. a. Plant. p. 6. b. hujus pagi oppida, Guil. ib. Tigurinus pagus ultimis temporibus partem ducatus Allemanici constituit, Guil. ibid. b. male quidam dicunt Tigurinos fuisse Uranios, ib. p. 105. a. Tigurinorum antiquorum limites, Plant. p. 7. a. Tigurini & Tugini se jungunt Cimbris in Italiam proficiscentibus, Guil. ib. p. 20. a. Tigurini Lucium Cassium consulem occiderunt ib. b. & p. 100. a. Tigurini hodie Turgeani, Suiz. p. 4. a. Cum Allemannis Societatem pacti communi consilio Romanis insurgebant, ib. b. & p. 12. Tigurini circumventi apud Vitodurum, Mal. p. 15. a. Suiz. p. 30. Vit. pag. 12. a. Sim. Resp. p. 14. b. Ex servitute emergunt, Sim. ib. p. 13. b. Tigurinorum primum cum Uriis & Suitiis Fœdus, Suiz. pag. 26. Sim. Resp. p. 3. b. Tigurini suam libertatem defendunt contra Conradinum Imperatorem, Sim. Resp. ib. p. 13. b. Exulum Tigurinorum perfidia & conjuratio, ib. p. 15. a. b. Suiz. p. 34. Vit. p. 41. a. Tigurinis insidiæ structæ a multis nobilibus exulum causa, Suiz. p. 35. Tigurini Rapersvillam oppugnant, Sim. ib. p. 15. b. Suiz. p. 34. & 35. Tigurini ab Imperio abalienari nolunt, Suiz. p. 34. Sim. Resp. p. 15. a. Tigurinorum pro libertate bella, Guil. Helv. pag. 107. b. Sim. ib. p. 17. & 18. Tigurum cum quatuor civitatibus fœderatum, Guil. ib. Sim. ib. Suiz. p. 35. hoc Fœdus confirmatum per Carolum IV. Imperatorem, Suiz. p. 36. Privilegium Tigurinis datum a Richardo Anglo Imperatore, Guil. ib. Sim. Resp. pag. 13. b. Tigurini a nobilibus vexati Suitiorum opem implorant, Pirck. p. 5. a. Tigurum obsessum ab Alberto, Sim. Resp. p. 14. b. Secundo obsessum, ib. Vit. p. 15. a. Suiz. p. 36. Tertio obsessum Sim. ib. p. 21. b. Suiz. ib. Inter Tigurinos & Austrium principem facta est pax studio Caroli Quarti, Sim. ib. p. 22. a. Tigurini novum Fœdus cum Austriis faciunt invitis Suitensibus & cæteris fœderatis, Mal. p. 3. b. pro hoc Fœdere defensio, ib. p. 10. a. Tigurum obsessum bello civili, Mal. p. 5. a. & p. 9. a. b. Pirck. p. 7. a. Tigurinis princeps locus datus in Helvetiis, Sim. Resp. p. 18. b. Tigurinus Pagus convocat supremum Senatum Helveticum, ib. p. 55. b. Pagi Tigurini legatus in Senatu Helvetico primas tenet, ib. pag. 56. a. Tigurini Fœdus Gallicum recusarunt, Sim. ib. p. 34. a. Suiz. p. 53. 55. & 57. Tigurini cum Bernatibus, Uriis, Suitiis & Sylva-

Sylvaniis conveniunt, ne posthac ab ullo principe donum aut stipendium recipiant, Suiz. p. 51. Tigurini cives Sacramento se obligant nullum stipendium a quoquam principe accepturos, Suiz. p. 53.
Tobinium Zoffingen, Guil. Helv. p. 15. b. Plant. pag. 61. a.
Toggenburgius Comes Thuricenses & Suitenses inter se commisit, unde funestissimum bellum civile in Helvetia conflatum, Pirck. p. 7. a. Suiz. p. 42.
Torbergius (Pet.) Austriæ præfectus tyrannice imperat in Helvetia, Sim. Resp. p. 22. b.
Tramulius dux Gallicus cum Helvetiis pacem facit regi suo iniquam, Sim. Resp. p. 37. a. Suiz. p. 52.
Trevirorum urbs condita, Suiz. p. 8.
Triboni Guil. Habsp. p. 16. b.
Tribus in Urbibus Helveticis, Sim. Resp. p. 58. a. b.
Tribuum magistri ib. Tribuni consulibus proximi *die oberste Meister*, ib. p. 59. a.
Triumpilini gens alpina, Sim. Alp. pag. 26. a. Plant. pag. 73. a.
Triumviri Basileæ ærarii curatores, Sim. Resp. p. 60. b.
Tropheus Augusto positus ob devictas gentes alpinas, Plant. p. 73. a.
Tugium, Glar. p. 18. a. Pagus Tuginus, Plant. pag. 61. b. Tugini priscis Scriptoribus noti, Guil. Helv. p. 100. a. primo Habspurgiis deinde Austriis subjecti fuerunt, ib. b. Tugium a Fœderatis obsessum, ib. iis se jungit ib. Sim. Resp. p. 20. a. Tugium mansit in Fœdere Helvetico etsi Austriis paruit, ib. p. 22. b. Tuginorum subditi Suitensium auxilio contra urbem insurrexere, hinc funesta dissensio in Helvetia, Pirck. p. 6. a. Tugii duæ plateæ in lacus viscera subsedere, Guil. Helv. p. 100. a. Suiz. pag. 42.
Tulingi Plant. p. 66. a.
Turgea Sigismundo Austrio ademta, Sim. Resp. pag. 44. a. Turgoviæ jurisdictiones ib. p. 77. b. Turgoviæ rustici contra nobilitatem conspirarunt, Suiz. p. 22.
Typus dominorum Helvetiæ tempore interregni, Suiz. pag. 28.
Tyrannis nobilium vindicandæ libertatis Helvetiis ansam præbuit, Glar. p. 1. b. & 2. a. Suiz. p. 28.

V.

Vadimonia diligenter Friburgi observantur, Sim. Resp. p. 65. a.
Vadomarius Allemannicus in Rætias irruptionem facit, Guil. Helv. p. 57. a. in vincula conjicitur & in Hispaniam transportatur, ib. b.
Valentinianus apud Basileam munimentum ædificavit Robur vulgo dictum, Guil. Helv. p. 58. b.
Valesiani olim Valensani & Valinsani dicti, Guil. Helv. p. 132. b. Plant. pag. 69. b. Valesiæ situs, Guil. Habsp. p. 70. a. Sim. Val. p. 7. a. limites, Guil. Helv. ibid. Plant. ib. Valesiam olim tres populi habitarunt, Sim. Præf. Val. & Resp. p. 37. a. in Valesia Romanorum colonia, ib. Valinsa vocatur in inscriptione, ib. p. 7. a. Unum tantum commodum iter ad Valesios ib. Valesiæ divisio, Sim. Resp. p. 74. a. Valesiæ longitudo & latitudo, Sim. Val. p. 7. a. Ejus frugalitas, ib. b. & p. 8. a. Valesianorum ingenium ibid. sunt strumosi ib. Plant. p. 20. b. Valesia in duas partes dividitur, ib. b. Valesiæ superioris sunt septem conventus seu desenæ, ib. Valesianorum Fœdus cum Helvetiis, Sim. Resp. pag. 37. b. Guil. Helv. p. 134. a. Valesiæ thermæ medicatæ, Sim. App. Plant. p. 20. b. Valesii Sabaudos repellunt; Raronium terra sua ejiciunt; Veragros debellant, Suiz. p. 47.
Vallis Telina Rætis a Maximiliano Sfortia data, Sim. Resp. p. 31. b.
Vandali unde dicti sint, Plant. p. 76. b.
Vartensee Romanorum ad Lacum Acronium specula, Guil. Helv. p. 31. b.
Vasalli quinam dicti sint, Guil. Helv. p. 74. a. quomodo a clientibus differant, ib. b.
Uchtlandia vide Nuichtlandia.
Veneris auricomæ simulachrum, Guil. Helvet. pag. 116. a.
Venner magistratus Bernensis, Sim. Resp. p. 62. b.
Venetus lacus hodie Cellensis dicitur, Glar. p. 3. a.
Vennones gens alpina, Sim. Alp. pag. 26. b. Plant. p. 73. b.
Vennonetes gens alpina, Sim. ib. Plant. p. 73. b.
Veragri Plant. p. 70. a. Sim. Val. p. 18. a. Ab Augusto subacti sunt, ib. p. 24. a. in sex conventus distinguntur, ib. p. 18. a. quondam Sabaudiæ ducibus subditi, Guil. Helv. pag. 133. b. nunc VII. Communitatibus Valesianorum subsunt, ibid. p. 134. a. Sim. Val. p. 9. a. Glar. p. 4. a.
Vespasianus ductor coloniæ Aventicensis, Guil. Helv. p. 27. a. Helvetiis in honore habitus, ib. p. 49. b.
Vettinga Plant. pag 63. b. Vettingense monasterium fundatum, Guil. Habsp. p. 56. b.
Viberi seu Juberi, Plant. p. 71. b. Rhodani fontem accolunt; secundum alios Ursæ seu Rusæ fontem, Sim. Val. p. 10. a.
S. Victoris corpus Salodoro Genevam translatum, Guil. Helv. p. 115. a.
Vicus qui dictus sit, Guil. Helv. p. 114. b.
Vighardus presbyter frater Roberti Allemanniæ ducis, Guil. Habsp. p. 24. a. & 102. b. Suiz. p. 16.
Vilibaldus Patritius Ultrajuranus interficitur, Guil. Helv. p. 78. a. & p. 97. b.
Villimarius presbyter Arbonensis, ib. p. 125. a.
Vindelicorum gentes quatuor, Sim. Alp. pag. 27. a. Plant. p. 74. b.
Vindelegi juxta Rheni principium, Glar. p. 2. b.
Vindex (C. J.) Gallos impulit, ut a Romanis deficerent, Guil. Helv. p. 48. b.
Vindonissa situs, antiquitas & commoditas, Guil. Helv. p. 11. a. Habsp. p. 9. b. Plant. p. 61. a. b. Vindonissa ab Allemannis vastata, ib. Vindonissa castellum, ib. Ejus dignitas ad Habspurgios translata, Guil. ib. Nummi Vindonissæ reperti, Guil. Habsp. pag. 9. b. Vindonissæ prima clades, ib. p. 10. a. Vindonissa præsidium Romanum recipere coacta ib. b. Legio XXI. Vindonissæ in præsidio, ib. Vindonissæ sedes Episcopalis ib. Ea inde Constantiam translata, ib. p. 11. a. Vindonissæ excidium ibid.
Viri docti apud Helvetios, Plant. p. 34. a.
Virtus bellica Helvetiorum, ib. p. 44. a.

Vita-

INDEX UNIVERSALIS.

Vitodurum a Constantio restitutum, Guil. Habsp. *p.* 11. a. Plant. *pag.* 64. b. Ex iis fuit urbibus, quas Helvetii incenderunt, Guil. Helv. *p.* 12. a. Ex ejus ruinis hodiernum Vinterthur extructum, ibid. b. Vitodurani castrum antiquum Vitodurum paulo supra Urbem positum exscindunt, Guil. Habsp. *pag.* 91. a. plebem Tigurinam nundinis suis excludunt, unde Vitodurum obsessum fuit, Sim. Resp. *pag.* 41. a.

Vivifcum, Guil. Helv. *p.* 16. b. Plant. *p.* 56. a.

Uncelinus Allemanniæ dux, Guil. Helvet. *pag.* 77. a. Suiz. *p.* 14.

Vocetius mons Juræ principium, Guil. Helv. *p.* 6. a. Habsp. *p.* 10. b.

Voiti seu præfecti Imperiales summam rerum Capitalium potestatem habuerunt in Helvetia, Sim. Resp. *pag.* 3. a.

Uranii Collegio Monialium Tigurino subjecti fuerunt, Guil. Helv. *p.* 89. a. & *p.* 97. b. Sim. Resp. *pag.* 2. b. Uranii a Tauriscis orti, Guil. ib. *p.* 95. a. Plant. *p.* 62. b. Sim. Resp. *p.* 2. b. Glar. *p.* 26. a. b. Tauriscæ gentis insignia colunt, Guil. ibid. *pag.* 97. a. Primo in Comitum Rapertivillensium, dein in Abbatis & Conventus Vettingensis potestatem venerunt, Guil. ib. *p.* 98. a. In Imperii protectionem sumuntur, Guil. ib. *p.* 89. b. Præfectum Imperialem habuerunt, attamen Ammannus & Senatores ex populo delecti in commune Reipublicæ consuluerunt, Sim. Resp. *p.* 3. a. A Præfectura Habspurgica liberati sunt, Guil. Habsp. *pag.* 79. b. Ab Abbate & Conventu Vettingensi jura & dominium redimunt, Guil. Helv. *p.* 97. b. Suiz. *p.* 36. Apud Uranios duarum familiarum factio, Guil. Habsp. *pag.* 88. a. Uranii duci Mediolanensi annuum vectigal pendebant, quatuor accipitres & arcubalistam, Sim. Resp. *p.* 43. b. Uraniorum descriptio, Glar. *p.* 10. a.

Urba oppidum situm ad Tilam ubi multa antiqua monimenta, Guil. Helvet. *pag.* 16. b. Plant. *p.* 55. a.

Urbes Helveticæ quædam privatum Fœdus ineunt, Sim. Resp. *pag.* 25. a.

Urbigenus Pagus, Guil. Helv. *p.* 8. a. Plant. *p.* 7. a. b. Ejus Pagi oppida, ib.

Urbium Imperialium Fœdus cum Helveticis, Sim. Resp. *p.* 22. b.

Utliberga arx Tigurinis ante alias gravis, Guil. Helv. *p.* 92. a. Suiz. *p.* 29. A Rodolpho Habspurgio dolo capta & deleta. Vid. *Rodolph.*

Uznaberga arx, Guil. Habsp. *p.* 93. b. Suiz. *p.* 29.

W.

Waldmannus (Joh.) Tigurinus vir fortis, Suiz. *p.* 46. capite plectitur, ib. *p.* 48.

Wartensee vide Vartensee.

Wighardus vide Vighardus.

Winterthur ex ruinis antiqui Vitoduri, Guil. Helvet. *p.* 12. b. Vide *Vitodurum*.

Wirtenbergensis dux (Huld.) principatu suo dejicitur, Suiz. *p.* 53. ab Helvetiis militibus deseritur, ib.

Wolfenschiessi libido, Guil. Helv. *p.* 91. b. Sim. Resp. *p.* 6. a. Suiz. *p.* 31.

Wollebii (Henr.) encomium, Pirck. *p.* 16. b.

Z.

Zæringa arx condita, Guil. Habsp. *p.* 46. b. Zæringii inter Duces numerati, ib. *p.* 48. b. magnam partem Ducatus Allemannici obtinuerunt, ib. *p.* 51. b. totius Helvetiæ principatum adepti, Guil. Helvet. *p.* 87. a. Pirck. *pag.* 4. a. Berchtoldus Zæringius Jurisdictionem Imperialem in Turegum & Advocatiam ab Imperatore accipit, Suiz. *p.* 24.

Zurich dicitur pro Thuric T in S mutato, Plant. *pag.* 63. b. Vide *Tigurum*.

Zurzachum, Sim. Resp. *p.* 77. a. Vide *Certiacum*.

Zwinglius (Huld.) pleraque quæ olim Arnoldus Brixianus docuerat renovavit, Guil. Helv. *p.* 107. b. Zwinglii Laus, Glar. *p.* 9. Suiz. *p.* 53.

FINIS.

SCRIPTORES

DE

REBUS HELVETIORUM,

QUI

LATINO QUIDEM SERMONE

SCRIPSERINT,

CLARISSIMI.

JOHANNIS DE ORDINE
FRATRUM MINORUM

DE

OPPIDO WINTERTHUR
ACTA ET GESTA
SUORUM TEMPORUM

PRAESERTIM

IN ALLEMANNIAE PARTIBUS.

JOHANNIS VITODURANI CHRONICON

A FRIDERICO II. IMP. AD ANNUM MCCCXLVIII. PROCEDENS.

CUm rerum gestarum in præteritis temporibus & retroactus certa cognitio, & fidelis conscripcio posteris per continuas successiones sibi succedentibus non paucam, imo multam conferat utilitatem, idcirco ego frater Johannes ortus de oppido dicto Wintertur, fratrum Minorum minimus, decrevi non immerito, rudi tamen & incocto sermone, cum faleratis & pompaticis verbis loquendi periciam & eloquenciam non habeam, acta & gesta meorum temporum & paulo ante habita, non semper secundum debitum ordinem, sed secundum quod mihi occurrerunt summatim interdum & curtatim, quandoque singularius & diffusius annotare. Quæ autem in principio operis præsentis scripturus sum, ad majorem perfectionem ejus faciendam, partim ex quibusdam Cronicis a me perlectis, partim ex relacione hominum ipsa coram me attestancium & affirmancium hacc compaginavi. Quæ vero post hæc per totum opus ponenda censui, prout visu proprio vel auditu didici vel communis vox & fama celebris me edocuit, diligenter conscribam, novitatem & varietatem insuper historiarum scribendarum ab inicio usque ad finem in margine libri hujus per paragraphum designabo. Et si quando me contingat in prosecucione ipsarum aliqualiter exorbitare ac metas plenæ meræque veritatis excedere, vel incaute, vel diminute, vel superflue, seu præpostero procedere ordine, vel ab aliis, qui forte eorundem eciam temporum monimenta reliquerunt, discrepare: discretus lector, si placet, corrigat, et meæ fictioni vel temeritati non imponat, sed potius meæ ignoranciæ, cum melius non intellexerim, aut in memoria retinuerim, condescendat. Summos vero Pontifices & Imperatores contemperaneos non alternatim, more quorundam Historicorum, sed mixtim, prout mihi expedire in processu videbitur, collocabo. Exordium autem narracionis meæ assumere cogitavi ab Innocentio III. illius nominis Papa, & a Friderico Imperatore secundo hujus nominis, qui non longe mea meorumque progenitorum antecesserunt tempora. Quamvis autem de plurium parcium gestis scripturus sim, præsertim tamen, cum Alemannus sim, de Alemanniæ partibus.

Innocencius tercius fuit vir eruditus valde & plurimum eloquens, sedit annos XX. duos. Hic multa opera famosa fecit, & libros composuit. Natus fuit de nobilibus Romanis: sub eo cœpit ordo Teutonicæ domus oriri in Achoron. Hujus tempore capta est a Francis Constantinopolis, & a Venetis Amirandinus quoque Saracenorum cum innumerabili multitudine contra Hispanos veniens confusus ad partes suas reversus est. Hic Innocencius Papa in Lateranensi basilica generale concilium celebravit pro subsidio terræ sanctæ, & pro statu terræ utili, in quo Prælatorum summa fuit MCCXV. in quo multas constituciones edidit: ante agnus Dei, oraciones in Missa fieri instituit pro terra sancta, videlicet psalmos, Deus venerunt gentes cum collecta, Deus qui admirabili providencia &c. Hic Abbatis Joachimi libellum, contra quem Magister Petrus Lonbardus librum composuit, et damnavit, & Almarici doctrinam, sicut habetur in decretali, damnavit. Hujus tempore cæperunt duo ordines, scilicet Prædicatorum & Minorum. Prædicatorum incepit Beatus Dominicus in Tolosanis. Minorum iniciavit sanctus Franciscus prope civitatem Asinatem. Prædicatorum ordo inchoatus fuit anno Dom. MCCXVI. pontificatus Papæ anno VI. Sed Fratrum minorum anno Domini MCCVI. pontificatus Papæ anno XIV. Iste Papa sicut Alexander tercius sententiam interdicti in personas et loca constituit. Hic eciam canonizavit beatum Thomam Episcopum Cantuariensem & Martyrem & sanctam Kunegundim virginem, scilicet Heinrici Imperatoris sponsam. Hic Papa declaravit, quod Principes Teutoniæ jus habeant in eligendo Regem & promovendo: ut habetur extra de electione venerabilis & promovendo extra. In Perusio obiit, sepultus ibidem. Iste Papa Ottonem de Brunschvvich coronavit in Imperatorem, & post eundem excommunicavit, suscitavitque illi adversarium Fridericum filium Heinrici Imperatoris.

Racio autem movens Papam ad hoc faciendum fuit hæc, videlicet quod Heinricus noviter per venenum extinctus contra Ecclesiam Romanam in vita sua tyrannidem exercuit, et ideo eo mortuo Papa iste, ne frater ejus Philippus factus Rex Alemanniæ in regni scismate promoveretur, se opposuit & Ot-

toni adhæsit & eum Aquisgrani in Regem Alemanniæ fecit coronari; deinde eum in Imperatorem coronavit, & ut jura Ecclesiæ servaret, ab eo juramentum exegit, qui statim ipsa die contra juramentum venit & fecit, nec non Romipetas fecit spoliari, unde Papa eum excommunicavit & ab imperio deposuit, & Fridericum prædictum Heinrici Imperatoris filium contra eum erexit & ipsum ad sceptrum Regni sublimavit. Sed Otto Filius Heinrici Ducis Bavvariæ & Saxonum Imperium adeptus, regnavit annis XI. usque ad mortem suam fuit excommunicatus, tamen in mortis articulo a Prælatis absolutus, obiit sepultus in Brunschvvich, Fridericus vero secundus hujus nominis sæpe dictus de propagacione Ducum Svveviæ Inperium affecutus est, & regnavit annis XXX. Hic Fridericus & sui Prædecessores progenitores oriundi de Svvevia per multa annorum curricula sine interruptione Inperii gubernacula tenuerunt.

Honorius III. defuncto Innocencio III. natione Romanus sedit annos decem. Hic confirmavit ordinem fratrum Prædicatorum anno Domini MCCXVI. & sequenti anno ordinem fratrum minorum. Hic Papa Fridericum Regem Siciliæ coronavit & consecravit Romæ in Imperatorem, sed tandem ipsum sibi rebellem & Ecclesiæ Romanæ adversarium comperiens anathematizavit, atque Barones ab ejus fidelitate absolvit. Hujus tempore Damietum Christiani ceperunt: sed Saraceni fortuito casu contingente eam postea recuperaverunt. Hic Papa multas constitutiones edidit & decretales conpilavit. Ejus tempore Engelbertus Coloniensis Archiepiscopus occisus a Comite Friderico de Ysenburg, qui in ultionem sanguinis in Colonia per judicialem sentenciam crurifragio misere interiit. Iste Papa sanctitate & virtutibus plenus, feliciter obiit, sepultus Romæ ad sanctam Mariam, Anno Domini MCCXXX. Beatus Franciscus contuens in aere Seraphim in cruce ex tunc in palmis, latere, & pedibus, effigiem plagarum Christi tulit usque ad felicem exitum suum, multis utriusque sexus videntibus illa in eo Christi stigmata.

Defuncto Honorio sedit Gregorius IX. annis XVI. natione Campanus. Hic canonizavit Bononiæ Beatum Dominicum, item Beatum Franciscum, qui ordinem suum incepit sub Innocencio cursumque sub Honorio perfecit gloriosum, succedens hiis Gregorius magnificavit anplius miraculis famosum. Hic Papa canonizavit de ordine fratrum minorum Beatum Antonium Paduæ Patronum: Item Beatam Elisabeth relictam Domini Ludvvici Lantgravii Thuringiæ: Item excommunicavit Fridericum Imperatorem: sententiam, quam suus prædecessor Honorius contra eum fulminaverat roborando, objiciens sibi multa mala, & constituit sententiam interdicti, nam Tertius hanc pœnam Ecclesiæ introduxit. Hic Papa secum habuit Prædicatores pro Secretariis suis. Et per fratrem Raymundum ex pluribus voluminibus decretalium unum volumen conpilavit, dividens id in V. libros. Huic Papæ Beatus Franciscus prophetico spiritu prædixit futurum Papam eum; Item duos novos ordines confirmavit, quos Beatus Franciscus ordinaverat, unum Dominarum sanctimonialium sanctæ Claræ, unum pœnitentium sexum utrumque scil. virorum & mulierum capientem. Item confirmavit ordinem de pœnitentia nuncupatum, sive, Mariæ Magdalenæ. Hic Papa, cum ab Imperatore Friderico, qui tunc ex magna parte patrimonium Ecclesiæ occupaverat, in urbe obsideretur, videns pene omnes Romanos per pecuniam corruptos esse: accipiens capita Apostolorum, & processionem a Laterano usque ad sanctum Petrum faciens animos Romanorum sic revocavit, ut fere omnes contra Imperatorem cruce signarentur, quod Imperator, qui jam se credebat intraturum urbem, audiens, timens longe retrocessit ab urbe. Item anno Domini MCCXLI. peregrina militia Barbarorum gens ferocissima cultibus Idolorum dedita Tartari Ungariam & Poloniam invaserunt & multa millia hominum occiderunt: Contra quos crucem fecit Papa prædicari; similiter contra Saracenos, de quibus quinque M. et XXX. a cruce signatis in ore gladii occisi sunt.

Item ut jam dictum est, quando Tartari stragem memoratam commiserunt in Ungaria & Polonia utrobique Dominos interfecerunt, quo facto tanta penuria in Ungaria subsecuta est, quod matres suos pueros manducarent, & pro farina quodam pulvere uterentur homines. Item in Burgundia mons magnus ad alios montes longe translatus est. Hiis etiam temporibus quidam Judæus in Hispania volens anpliare vineam quoddam saxum amovit, in cujus spelunca cavata reperit tabulam continentem ab Adam duplicem mundum, & in ultimo Christum nasciturum & humanum genus redemturum, & se inveniendum tempore Judicis tunc regnaturi in Hispania, propter quod Judeus ad fidem Catholicam est conversus. Gregorius IX. demum multis pressus tribulationibus feliciter obiit, sepultus Romæ in Vaticano. Hic Papa Celestino successori suo cum adhuc foret Cardinalis, prædixit, quod post obitum suum sessurus esset in sede Apostolica.

Anno Domini MCCXLIII. Celestinus Papa sedit dies XVI. Hic dum esset Cardinalis & Episcopus negotia pauperum Clericorum frequenter promovit apud Papam Gregorium IX. Celestino hoc IV. Papa defuncto feliciter, cessavit Episcopatus fere duobus annis, & cum non essent, nisi IX. Cardinales in Electione Papæ, concordare non poterant, & hoc in periculum totius Ecclesiæ.

Celestino IV. successit Innocentius IV. natione Januensis sedit annis XII. Hic canonizavit Beatum Petrum Martyrem de ordine fratrum Prædicatorum occisum ab hæreticis apud Mediolanum, Inquisitor enim erat hæreticæ pravitatis & cum una dierum de Cumis Mediolanum pergeret pro inquirendis hæreticis, satelles Diaboli nuncius hæreticorum loricatus, ei obvians venerandum caput ejus impressis vulneribus sauciavit, & Christi martyrem fecit. Iste Papa dedit Principibus Theutoniæ potestatem libere eligendi Regem Romanorum. Iste Papa contra fratres minores Prædicatores iniquas constitutiones edidit, quas postea successores sui retractaverunt. Hic in Lugduno celebrans Concilium prædictum Imperatorem propter crimina sua omni honore destituit, ipsumque condemnavit & imperio privavit, procuravitque Landgravium Thuringiæ in Regem Alemaniæ eligi, & mortuo eo comitem Hollandiæ. Hujus Friderici condemnatio & ejus a Regno depositio patet in VI. Decretalium capitulo incipiente: Ad apostolicæ dignitatis; & infra: Sane cum dura Gvvertarum commotio, titulo: de sententia & re judicata. Hic Fridericus primo optimas leges pro libertate Ecclesiæ & contra hæreticos dedit, supra multos prædecessores suos divitiis & gloria habundavit, sed eis in superbia abusus fuit. Nam tyrannidem

dem contra Eccleſiam exercuit, quamvis enim ab infantia per Eccleſiam tanquam per matrem fuiſſet educatus, non tamen ipſam ut matrem fovit, ſed tanquam novercam, quantum potuit, laniavit, & primo in Concilio Lugdunenſi convocato ab Innocencio IV. ut dictum eſt, imperiali nomine ac dignitate ſpoliatus eſt. Cauſæ autem principales hujus depoſitionis in prædicto Concilio exprimuntur, ſcilicet, perjurium, pacis violacio reformatæ, frequens duorum Cardinalium Romanæ Eccleſiæ captivacio, multorum Prælatorum ſubmerſio venientium ad Concilium, quod Papa Gregorius IX. Romæ duxerat convocandum, quod & ipſe Imperator petierat convocari, Prælatos ab Eccleſiarum Regimine deſtituit, ſacrilegium commiſit, nam cruces aureas, thuribula precioſa, calices, pannos ſericos, & Eccleſiarum theſauros diripuit, Clericos angariis & perangariis afflixit, qui non ſolum trahebantur ad judicia ſecularia, ſed etiam cogebantur ſubire duella, incarcerabantur, decollabantur, ſuſpendebantur in patibulis in opprobrium ordinis clericalis. De hæreſi quoque ſuſpectus habebatur, nam priusquam Gregorius Papa IX. ipſum anethematis vinculo innodavit, & poſt captionem Cardinalium, Prælatorum & Clericorum ad ſedem Apoſtolicam venientium, claves Eccleſiæ contempſit, ſibi faciens celebrari, vel potius, quantum in eo fuit, prophanari divina, & ſententias Gregorii Papæ IX. ſcripſit, vel allegavit, non vereri, & eas coëgit non ſervari; Præterea conjunctus amicitia deteſtabili Saracenorum nuncios & munera eorum hilaritate ac honorificentia recepit & munera eis pluries deſtinavit, ritus eorum amplectens, illos cottidie obſequiis ſecum tenuit, exiſtimans quoque ipſe; in partibus transmarinis facta compoſitione quadam cum Soldano Machmeti nomen in templo Jeroſolimis diebus & noctibus proclamari permiſit, Bachario Regi ſcismatico inimico Dei & Eccleſiæ ſolemniter excommunicato, filiam ſuam tradidit in uxorem: Ducem Bavariæ fecit occidi per Aſſaſſinos, nulla hoſpitalia, nulla clauſtra, nullas Eccleſias conſtruxit, ſed deſtruxit, religioſas perſonas jugiter attrivit, manum ſicut decet Principem, ad pauperes non extendit, poſſeſſiones Romanæ Eccleſiæ ſibi ſubjugavit ſcilicet Marchiam Anchonetanam, Ducatum Spoletanum, Beneventum civitatem nobilem in Appulia, cujus Archiepiſcopus habet ſub ſe XXIV. ſuffraganeos, diruit & præoccupavit præter alias civitates Tuſciæ. Hæc de eo promulgavit Innocencius Papa in decreto Concilii Lugdunenſis.

Hic Fridericus, ut quidam ajunt, cum ſuis exercitibus & etiam Papæ copioſis, id inſtanter ab eo fieri poſtulantis ad debellandum Soldanum Regem Egipti, qui Jeroſolimam cum Chriſti ſepulcro dudum Chriſticolis per vim abſtulerat, dum ſemel transfretaſſet, & in proximo die prælium, certamen cum ipſo committere decreviſſet, ab eo taliter revocatus eſt a ſuo propoſito, nam ſibi ſignificavit, quod fruſtra bellum ſecum inire diſponeret, cum Papam ſuſpicatum cooperatorem ſuum haberet adverſarium, dicebat enim. Ego accepi Epiſtolas ſummi Pontificis certiſſimas ſuis exercitibus propriis directas, & etiam ſibi delatas continentes hoc mandatum videlicet, quod quam cito nos aggredi ad præliandum contingeret, quod juncti meo populo pro me & ipſo contra te & tuum populum, ad proſternendum te viriliter dimicarent, tibi ergo nullo modo expedit ut nobis bellum inferas, ne in manus noſtras corruas miſerabiliter cruciandus. Hiis auditis Cæſar territus cum Soldano pacem compoſuit, & mox furore magno ſuccenſus ad perſequendum Papam, iter, rediturus, arripuit, quod Papa audiens, Romam reliquit, & in Avionem ſeceſſit, ut ſub protectione illic Regis Franciæ tute poſſet iram ejus effugere pertimeſcendam, & ſic ſecundum relatores memoratos ſedes papalis in Avionem translata eſt, & illic ſub multis Apoſtolicis per multorum curricula annorum perduravit. Hic Imperator iniquitatem in Excelſo eſt locutus, ponens in cœlo os ſuum, nam dixit, audiente Henrico Lantgravio: tres ſeduxerunt totum mundum, videlicet Moſes Judeos, Chriſtus Chriſtianos, Machemetus barbaros; quamobrem ſi Principes Imperii inſtitutioni meæ aſſentirent, ego utique multo meliorem modum vivendi & credendi cunctis nationibus ordinare vellem. Henricus Lantgravius electus in Regem Alamanniæ in odium Friderici Cunradinum filium ejus apud Franckenfurt cum exercitu ſuo in die ſancti Oſvvaldi, vicit, confudit & ignominioſe fugavit, & ipſe Heinricus eodem anno Rex exiſtens in profluvio ventris interiit, & ſepultus eſt in Yſnaco, & ſine herede defunctus eſt, quamvis feliciter plurima bella ſuperaverat.

Wilhelmus Comes Hollandiæ ſimiliter contra Fridericum electus eſt & regnans annis tribus, a Friſonibus occiſus eſt. Hic Imperator, quemadmodum fertur a quibusdam, cum magno exercitu & copioſo tam Suevorum, quam aliarum nationum ad partes infidelium transfretavit, ubi Soldanum per bellum atrociſſimum, quod ſibi intulerat, debellavit, cum autem pro triumpho accepto tam glorioſe ab infidelibus, Domino cœli, a quo habuit, gratiarum actiones relaturus Monaſterium intraret Jeroſolimitanum & victimas ac pacifica hoſtiarum munera, Domino una cum optimatibus & Primatibus ſuis, & univerſa Catholicorum thurma in templo Chriſti obtuliſſet, videns templariorum & hoſpitalariorum cuneos non ad dandum Deo gloriam & laudum preconia pro victoria tam ſolemni & laude digna & mirifica, ab omnium Dominatore data, paratos & intentos, ſed æſtu avariciæ ſuccenſos, non poſſe concordare in pacifica diviſione, ac æquali poſſeſſione, vel perceptione libaminum et oblationum precioſarum ineſtimabilium, in baſilica prætaxata, cui præfuerunt, ut aſſeritur, ad honorem & Dei reverentiam oblatarum, ſed magis injurioſe diſceptare, nec non ad vendicandas & uſurpandas ſibi oblationes certatim ruere, ac hoſtiliter invadere eſſe ſtudioſos, ſcandalizatus & offenſus nimis in fide orthodoxa fuit, in tantum quod verba perfidiæ, blaſphemiæ & erroris multa protulit, quibus fidei detraxit, & ejus ſalutarem & firmam veritatem penitus annullavit, & ſic id factum, a juſtitiæ tramite penitus alienum, cum alias in fide claudicaverit, ſibi non modicum fomentum hæreticæ pravitatis miniſtravit. Unde agens in partibus forte ut ſuſpicor transmarinis, triumpho jam potito, ſecundum opinionem iſtorum ac relationem, aſtruitur, quadam dierum ipſum in pompa præcellenti ſtipatum undique corona Procerum, miſſarum ſolemniis interfuiſſe, & ibidem a Soldano, vel Principe quodam alio infideli, inquiſitum ab eo fuiſſe, quid in manibus Sacerdotis elevaretur, & cum adoratione tam reverenda ab eo, & cunctis Chriſticolis tam diligenter conſpiceretur, tale dicitur ei dediſſe reſponſum: ſacerdotes noſtri fabulantur, id quod ſurſum erigitur, fore Deum noſtrum, ad quod ille, ſi fuiſſet Deus ille tantæ magnitudinis ut mons maximus dudum a Presbyteris veſtris ipſum cottidie in

Missa manducantibus consumptus fore potuisset. Quod dixi jam ultimo de ingressu Cæsaris Friderici ad terram sanctam, per confictum habitum cum Soldano, secundum assertionem quorundam, quod minus verisimile factum prius enarratum est, imo minus comprobandum, sed tenendum est, quod per pacta quædam compositionis, vel Treugarum intraverit. Quidam tamen de eo referunt, quod ad tantæ dementiæ foveam deciderit, quod ad hoc totis vellet niti viribus ut ritus salutaris hostiæ seu Eucharistiæ de medio tolleretur, & huic cogitatui malignissimo judicio meo, incitamentum præstitit, prædicti Principis pagani venenosum verbum & plenum vesania, dicentis ad eum: Nisi hanc superstitionem pessimam abdicaret, totam gloriam suam deturparet. Fertur autem de ipso, dum transiret quadam die cum exercitu suo campum prope fluvium Renum plenum segetibus uberibus speltarum, quod dixerit impie & perverse sentiens de altissimo Sacramento corporis Christi: O quot dii ex hoc frumento suo tempore conficientur? Quidam quoque ajunt eum per anni circulum cottidie jejunasse, nisi semel in die comedendo, non intuitu divinæ retributionis, sed corporalis conservandæ causa sanitatis. Fertur insuper, quod frequenter balneis usus fuerit diebus Dominicis, per hoc patet, quod præcepta Dei & Festa & Sacramenta Ecclesiæ irrita censuit & inania. Nihilominus aliqui testantur & affirmant de Friderico Imperatore, quod dum aliquo tempore in partibus remotis ageret, quod militarit pro consorte sua Imperatrice, quæ dum Mediolanam urbem transiret a civibus ibidem putantibus ipsum forte mortuum, vel alias in statu quodam impossibilitatis redeundi positum esse, in odium & contemptum ipsius turpiter tractaverunt, nam ipsam vestibus detractis nudam ut in die nativitatis suæ statuentes posterioribus asinæ imposuerunt, & publice coram universo populo, ludibrio & ignominiæ & extremæ confusioni eam tradentes quasi perypsema, imo quasi scortum vel centonem abjecerunt, quod Imperator intelligens & ob hoc ad furorem inæstimabilem accensus in reversione sua postea acerbissime vindicavit, nam civitatem cum grandi exercitu obsedit & eam graviter ac multipliciter afflixit, tandem cum eam cepisset & multum sanguinem effudisset hostium, & in ulcionem injuriæ uxori suæ irrogatæ omnes cives dirissimis suppliciis absumere disponeret, difficillime placatus factus est, nam ceteri cives perterriti res & corpora sibi supplicissime subjecerunt & emendam dignam cum humilitate profundissima subdiderunt. Fertur præterea de ipso, quod dum eum quidam Comes Sweviæ quadam vice offendisse debuisset & quendam ob hoc sibi accusatum persequi & infestare graviter cœpisset, & hoc Comes ultra ferre pertimuisset, amicos & consanguineos suos congregavit & cum illis Cæsarem adiens & sufficienter se a sibi falso impositis expurgans, ipsum placavit, & ad sui amicitiam gratam flexit: cui dum postea in quodam pomerio reverentiam decentem exhibuisset & Imperator cum omnibus sibi cooperantibus & cohabitantibus illic deliciis, solatiis & gaudiis operam daret cifum preciosum optimo vino repletum cum salvia ex incuria & negligencia non coopertum, locatum in gramine, bufo grandis subintravit, quem dum prædictus Comes nescius de hoc Imperatori porrexisset & cifum ori applicuisset, bufo ore distorto & aperto contra ipsum caput erexit, de quo nimis perterritus, de intoxicacione Comitem suspectum habuit, quod cernens Comes totus stupefactus, in argumentum suæ innocentiæ bufonem illico discerpebat, & coxam unam ejus mittens in os suum comedit, quod dum Imperator illæsum in hoc pertransire conspiceret, eum inculpabilem & alienum a crimine recognoscens, sibi pro suis meritis mox comitatum donavit. Insuper fertur de eo, quod dum esset a sede Apostolica mucrone anathematis percussus propter suam contumaciam & rebellionem, & cunctus Clerus tam secularis quam religiosus arctatus per summum Pontificem ad pronunciandum hoc districte teneretur, & medio tempore contingeret eum cum magno comitatu, quandam, ut puto, Sweviæ civitatem ingredi, & ab universo populo ibidem sibi obviam procedente, solemniter esse susceptum, quidam de fratribus Minoribus zelo fidei animatus & anhelans martyrii palmam attingere, sibi etiam juxta portam introeundam occursum dedit, & spiritu Dei fortiter super eum irruente coram tota multitudine habenas equi Imperatoris apprehendens, ipsum figere gressum coegit, & aperta voce, erecto vultu ipsum hæreticum proclamavit, quod dum sui Satellites eum occidendo vel ad minus fustigando vindicare vellent, ab ipso Cæsare cohibiti sunt, & refrenati; dicebat enim: Iste per me vellet martyrizari, sed certe per me suum propositum ferventissimum nullatenus assequetur; & sic permissus est illæsus abire.

Tempore illo, quo fuit anathematisatus, Clerus & omnes religiosi de civitate Thuricensi expulsi sunt præter fratres minores, qui in manu forti retenti sunt & protecti, nam propter dissensionem Papæ & Imperatoris scisma grande fuit in Clero, quidam enim Papæ, quidam vero Imperatori adhærentes astabant. Tempestas itaque ferocissimæ persecutionis in Clero sæviebat illis in temporibus. Tunc fratres Prædicatores de Conventu Thuricensi se receperunt in monte sancto ad tempus extra muros oppidi Wintertur sito. Fridericus Imperator quondam sed anathematisatus & imperialis honoris apice privatus cum Parmam in obsidione cingeret, victus in Appuliam rediit, & anno Domini MCCLII. veneno extinctus est & in die Sanctæ Luciæ virginis & Martyris, sepultus apud Fodiam tam occulte, quod multi per annos XI. vadiabant eum vivere, venturum in proximo in manu robusta; Alii famant, quod ad exhortationem suorum Astronomorum Europam reliquerit & ad partes terræ longissimas per mare & per terram cum suis familiaribus servicialibus dudum ante mortem suam diverterit, ne mala sævissima incurreret sibi imminentia juxta Astrologorum suorum in astris certam præcognitionem, si remaneret, qui recedens ultra non apparuit in terra.

Post mortem patris filius suus Rex Cunradinus, cujus mentio sed sinistra habetur in VI. Decretalium capitulo incipiente, fundamenta, titulo de Electione. Post breve tempus misere apud Patrem mortuus est quemadmodum infra dicetur. Iste Rex per Breganciam Italiam devenit. Et in Ravenspurg, antequam iter arriperet, longam contraxit moram, nec se ad prælia disposuit, quietem enim quæsivit, & de hoc a vulgo ignominiam multam suscepit: nam de eo carmina prava decantaverunt. Fertur quoque de eo, quod ante introitum suum in Italiam una die matri assurrexit, & eam debito alias honore, sicut decuit suam magnificentiam, prosecutus fuit: In crastino vero dum comperisset, quod Dominum de Tirol in maritum traduxisset, commotus nimis, & ultra quam dici possit, consternatus, honorem debitum

tum & ante exhibitum subtraxit, & nulla reverentiæ indicia demonstravit: quod admirans Mater & moleste ferens causam sciscitans ab eo, responsum ejus habuit tale: Tibi heri adhuc assurrexi tanquam Imperatrici Romanorum, sed hodie tibi degeneranti tuam illustrem & præcellentem stirpem & regiam honorificentiam, contrahendo matrimonium cum viro longe te minore, teque minime decente, Ego Rex & filius Imperatoris nego, & in perpetuum recusabo. Hic Rex dum vellet intrare Italiam, congregavit Exercitum copiosum & fortem pugnatorum & expeditorum ad prælium, ut fertur de regno Alemanniæ, & profectus est in Italiam, ubi dum esset Romæ & alibi honorifice susceptus & more regio pertractatus in Apuliam properavit, & citara sua versa est in luctum & organum suum in vocem flentium. Nam dolo ipse suique circumventi & irretiti, capti sunt, & capitum abscissione deleti sunt. Secundum quosdam vero propter avariciam suam nimiam interierunt, qui dicunt ipsos quandam civitatem obsedisse, quam cum jam fere cepissent & de inimicis triumphare debuissent, ipsos concludendo, occidendo vel captivando, nimis præsumentes, de se adversarios conglobatos ad tuendum se et sua in civitate parvi pendebant prædam catervatim insequendo, quod hostes intranei jam desperati nimio præ amore videntes confortati in ipsos minus circumspectos impetum facientes, eos crudeliter percusserunt, & spoliis intendentes tantum ceperunt, quibus Rex ille dictus Carolus Gallicus a summo Pontifice illic Rex constitutus non pepercit, nam eos variis pænis puniri ac trucidari præcepit, nam Principes Regis Cunradini cum de nocte secundum unam satis famosam assertionem fuissent repentino accessu convicti, quibusdam virilia fuerunt amputata; quidam decollati, quidam alias male tractati sunt, ibi multi nobiles insignes, Proceres robusti & bellicosi viri de Alemannia oriundi, heu truncatis capitibus lamentabiliter perierunt: cujus pectus nisi saxeum non contremiscit & stupescit attendens & animadvertens inclitum Regem exspectabilem tam genere, quam corpore tam crudeliter omni ablata misericordia capite jugulari cum tam egregia acie militum ex milibus electorum: qui si circumspecti & magis cauti fuissent nec ipsos adversarios ad deprædandum tantum accelerassent cum Rege suo, ut ita dicam, sine resistentia, devorassent hostium cuneos. Sermo famosus longe lateque divulgatus & in scripturam, ut dicitur, redactus testatur, hunc Cunradinum filium Friderici a conflictu inter ipsum & Siciliæ Regem Carolum inito mortis timore perculsum, ad oppidum cujusdam Domini creati quondam a Patre suo in militem confugisse, ut ibi latere posset sub umbra alarum suæ protectionis a facie inimici, animam ipsius perdere cupientis, qui immemor beneficiorum cunctorum sibi collatorum, contra suam firmam confidenciam eum Regi Seculorum prodidit & tradidit puniendum, qui gavisus Cunradinum una cum suo proditore sceleratissimo & XXXVI Comitibus Alemannis victis & captis in bello præfato, genere & corpore, ut supra dixi, exspectabilibus, ad mortem sententialiter & ordine judiciario coram maxima multitudine populi condemnavit, qui omnes mox capitum obtruncacione plexi sunt, cæteris variis cruciatibus & tormentis consumptis. Fertur quoque, quod dum Rex Cunradino optionem dedisset primo an in medio, vel in ultimo inter cæteros mortis supplicium subeundi, primus in ordine acephalandorum mori elegit, ne funestam necem gloriosæ suæ militiæ gemitibus inenarrabilibus perspiceret. Adjicitur quoque præmissis, quod est stupendum nimis & admirabile in oculis meis, scilicet, quod una Aquila Cunradini Regis, passionis inpatiens de alto in imum citissimo volatu descenderit, & dexteram alam suam coram omni populo circumstante & ad spectaculum terribilissimum congregato per cruorem suum traxerit, & taliter cruentatus effectus in aera, unde se præcipitaverat, revolaverit.

Præterea fertur, quod post decollationem Cunradini Regis prædicti, Miles quidam oriundus de Franconia veniens de Longobardia, ubi militaverat, ad patriam suam reverti voluit, quem videntes cives Thuricenses, quos in repatriando præterivit fore similem per omnia lineamenta corporis Regi Cunradino tunc noviter perempto suspicantes ipsum esse, in custodiam detruserunt forte per spatium unius mensis, donec de eo an esset vel non, certiores redderentur, comperto autem quod non erat, veniam ab eo postulantes pro offensa cum magna reverentia, & sumptuum in itinere necessariorum exhibitione ipsum libertati suæ restituerunt.

Circiter ista tempora Tartari partes orientales Soldano subactas expugnaverunt fugatis habitatoribus illarum regionum tam Christianis, quam aliis nationibus scilicet Saracenis & Judæis ultra mare, de quo dolens Pharao Rex Egypti Soldanus resumptis viribus cum exercitu clam irruit similiter castra Tartarorum multa milia ex eis interfecit, quod factum fuit anno Domini MCCLVI.

Anno Domini MCCLXII. Rex Tartarorum misit solemnes nuncios citra XXX. nobiles Tartaros cum duobus Fratribus de ordine Prædicatorum, qui essent interpretes Linguarum ad Regem Franciæ Ludwicum, ut se & totum regnum Franciæ ditioni subjiceret Tartarorum, alioquin Franciam impugnaret tempore procedente, qui Ludwicus Rex habito consilio cum Primoribus suis in regno constanter restitit.

Item anno Domini MCCLXIV. universitas Angliæ bellum inferentes Regi ipsorum propter graves exactiones suas & violentas populo illatas, ipsum cum fratre suo ceperunt & multis aliis nobilibus, multaque millia hominum in ore gladii perierunt; a populo itaque Rex cum fratre suo & duobus filiis Regis & nobilibus plurimis captivi ducti sunt.

Hoc etiam tempore fere inter multos Dominos Teutoniæ bellum acerrimum commissum est in Vigilia Simonis & Judæ, in quo Dux Albertus de Brunswich strenuus in armis vulneratus est & captus, & cum eo multi Magnates & electa militia usque ad DL. cum amissione equorum & armorum, & in vinculis sunt detenti, circiter tria millia hominum memorata die in eodem bello prope Halle ceciderunt. Sed Dux Albertus redemit se a captivitate cum VIII. millibus marcarum argenti & VIII. castellis in Brunswich. Stella cometes apparuit in illo anno in oriente, ante ortum diei post stellam matutinam cum radiis multis veloci cursu transivit, usque ad meridiem, præcessit stellam Luciferum, a festo Mariæ Magdalenæ apparuit usque ad Festum sancti Augustini.

Innocencio IV. successit Alexander IV. natione Campanus sedens annis VII. Hic Papa beatam Claram canonizavit, & Ezelinum, tortorem Christianorum & interfectorem LX. fratrum de ordine Minorum, & eciam aliorum hominum sanctæ fidei pro-

professorum, tanquam hæreticum & persecutorem sanctæ fidei Catholicæ condemnavit & excommunicavit in litera Apostolica, quæ sic incipit: Scandalum fidei, malum Italiæ & macula populi iste Ezelinus hæreticus, publicus hostis Christiani nominis. Captivatus cum crux Christi contra eum prædicaretur, traditus in reprobum sensum, nequaquam cibum volens capere se ipsum fame interfecit. Hic etiam Papa reprobavit duos pestiferos libellos, quorum unus dicebat, quod omnes religiosi etiam verbum Dei prædicantes de elemosynis vivendo salvari non possent: alter quod Evangelium Christi & doctrina Novi Testamenti neminem ad perfectionem perduxit, & evacuato eo anno Domini MCCLX. deberet inchoari doctrina Joachim, quam conditor libri Evangelium æternum nominavit, & tandem perfectionem hominum salvandorum in illo ponendo. Nam quidam Theologi Parisienses duplici corde composuerunt librum infamiæ contra venerabiles Fratres Prædicatores & Minores, qui tale habuit initium: Ecce videntes clamabunt foris. Hunc librum Papa Alexander IV. condemnans sentencialiter combussit in audiencia Domini Alberti ordinis fratrum Prædicatorum, eosdem errores principaliter expurgantis, destituit eosdem magistros ab officiis & beneficiis, restituens Fratres supradictos famæ sanctæ & honestæ, scribens universis regionibus de statu & numero salvandorum.

Hujus tempore, scilicet Alexandri Papæ Manfredus filius naturalis quondam Friderici Imperatoris gerens se pro pædagogo Cunradini nepotis Friderici, ipso Cunradino mendaciter publicato mortuo, sibi ipsi coronam assumsit, quod quia factum in præjudicium Domini Papæ fuit, propterea excommunicatus erat, post contra ipsum magnus exercitus, sed in nullo proficiens mittitur.

Hujus etiam temporis Principes Alamanniæ in duo se dividentes, quidam Regem Castellæ, & quidam Richardum Comitem Cornubiæ ad Imperium elegerunt, quod scisma multis annis duravit. Hic Papa Alexander in die sancti Urbani Papæ defunctus est in Bitervino & ibidem sepultus est, & cessavit Episcopatus usque ad decollationem Beati Johannis Babtistæ discordantibus Cardinalibus in Electione. Anno Domini MCCLXIII. elegerunt Cardinales Patriarcham Jerosolomitanum nomine Jacobum in Papam, & vocatus est Urbanus IV. Hic congregata multitudine tam Cleri quam populi cum Cardinalibus & Pontificibus XIV. Kalendas Decembris incepit solemniter prædicare crucem in subsidium terræ sanctæ, & fratribus prædicatoribus per literas Apostolicas datas Witerbii, stricte dedit in mandatis eandem crucem constanter & diligenter prædicando per Dei Ecclesiam cum larga indulgentia in subsidium terræ sanctæ. Inter hunc Papam & Manfredum Principem Appuliæ filium Friderici quondam Imperatoris orta est contentio pro Regno Appuliæ: & cum Dominus Papa cottidie stipendiariis suis donaret salarium, mille marcas, defendere se non potuit.

His etiam temporibus venit quidam cum magno exercitu dicens, se esse Fridericum Inperatorem, qui ante X. annos mortuus fuerat. Hic impugnavit Manfredum Principem Appuliæ, & strenue ipsum persequebatur, afferens se velle rehabere Regnum Appuliæ & Siciliæ.

Temporibus etiam istis Soldanus Rex Egypti inpugnans Christianos in terra sancta, cepit Azotum, castrum firmissimum & aliud domus hospitalis, quod alio nomine vocabatur Assur in quo habitabant duo millia hominum, quos omnes occidit, sed & fratres milites domus hospitalis & domus templi centum LXXX. captivos stricte vinculatos deduxit in Egiptum, cepit Cæsaream & civitatem Raphas, quas nunc tenet violenter.

Hic Papa Urbanus IV. devocione speciali corporis Christi affectus pie statuit annuatim Feria V. proxima post Festum Pentecostes memoriam integro officio Domini corporis fieri per universam Dei Ecclesiam, tribuens largas indulgentias agentibus, recolentibus & frequentantibus officium Missarum & septem horarum per totam octavam solemnitatis corporis Dominici, sedit II. annos tantum & defunctus est. Post hunc ordinatur Clemens IV. qui ante fuerat Archiepiscopus Narbonensis, & sedit annos III. Hic uxorem & liberos habuit, Consiliarius Regis Franciæ fuit, post vero uxoris obitum in Papam electus est propter vitam & scientiam suam laudabilem. Hic Cunradinum debellaturum Regem Siciliæ, cui Papa Regnum contulerat, superandum prædixit & tanquam fumum transiturum & ipsum tanquam ad victimam Apuliam intraturum: quod factum fuit, quia captus, deinde decollatus fuit. Hic Papa bellum habuit cum Manfredo Principe Appuliæ pro patrimonio Beati Petri. Hic etiam sub præcepto districte Festum Corporis Christi fecit per Ecclesiam solemniter celebrari.

Post hæc anno Domini MCCLXV. Ludwicus Rex Franciæ cum Christiano exercitu contra consilium Papæ tunc sedentis transfretavit, & fugientibus Barbaris a facie ejus cepit Damiatam, & eam pacificam habuit. Postea vero in brevi bello ipse a Soldano Babiloniæ, id est, a Pharaone Rege Egipti captus est, & suus Christianus exercitus dissipatus est & occisus totus, dedit autem Soldano pro redemptione sua centum mille Marcas argenti & civitatem Damiatam, arma vero & tentoria, vasa preciosa, equos electos, alimenta Christianorum Saraceni in illo prælio obtinuerunt. Cum autem Ludwicus Rex captus esset ultra mare convenerunt multa millia pastorum dicentes, quod venire vellent in adjutorium Regi Ludwico, & habebant unum Capitaneum nomine Jacobum peritum in pluribus linguis. Hic fuit Apostata Cistercientium, sceleratissimus homo, violentas injecit manus in Clerum, & hunc sequebantur meretrices, Latrones, Magi, malefici, apud Bituris civitatem occisus est sententialiter, & plures occisi sunt, alii dissipati sunt. Dixit autem hic seductor adhuc vivens, se vidisse in cursu astrorum Regem Ludwicum redimendum fore per pastores, & sic sub tali prætextu pastores allexit & congregavit.

Circiter ista tempora floruit frater Bertoldus ordinis Fratrum Minorum in Alamania egregius Prædicator, qui circumeundo & perambulando frequenter Alamaniam ipsam mirabiliter illustravit, & peccatores innumeros verbo & exemplo pariter ad Dominum convertebat, cujus memoria in benedictione est, & adhuc recentissima meo tempore perseverat in hominibus. In campis sæpius solebat prædicare, & tunc populus ex omnibus partibus finitimis & locis circumadjacentibus in maxima multitudine confluebat, qui solitus erat cum anbonem in camporum planicie sibi constructum ibidem sermocinaturus ascenderat, quod per pennam filo appensam & in aërem protensam, flatum venti a qua parte veniret perpendebat, & versus illam partem populum perswadebat conse-

consedere. Ipse fuit linguæ disertæ, vitæ sanctæ, magnæ litteraturæ, sicut adhuc evidenter apparet & patet in diversis voluminibus ab eo conpilatis sermonum, quos rusticanos appellari voluit. In suis prædicationibus peccatores inveterati, obstinati ac sceleratissimi surrexerunt aperte peccata sua confitentes, & vitam turpem præteritam abdicantes, veniamque postulantes, et satisfactionem ac emendam dignam promittentes. Hic ab hominibus adhuc præsenti tempore scilicet anno Domini MCCCXL. superextantibus, qui sæpe suis sermonibus interfuerant, mihi et aliis hoc narrantibus, asseritur habuisse Spiritum prophetiæ, nam multa et diversa prædixerat secundum relata eorum, quæ nostris sunt temporibus adimpleta. Hic nunquam in oppido, de quo oriundus sum, dicto Wintertur sito in pago nuncupato Turgow seminare verbum Dei voluit propter quoddam theloneum pessimum, imo exactionem nefandissimam, quæ illic in pauperibus huc usque acta est, et quia Burgenses illius oppidi illud theloneum noluerunt intuitu divinæ pietatis et ob precum suarum instantiam deserere, ideo ad eos declinare sprevit, dissimulans imo repellens precamina eorum assidua et obnixa, ut ad eos divertere dignaretur, licet loca circunposita causa prædicationis ibidem faciendæ, sicut oppidum vocatum Wil et oppidum nominatum Klingnow et civitatem Thuregum nomine, sæpius visitaret. Inter cætera autem facta miranda sua, unum ponam, in quo patebit ipsum tam peccatores convertisse, quam etiam spiritum prophetiæ habuisse. In quodam enim sermone suo meretrix publica conpuncta surrexit, et suam vitam fædam et turpem abnegavit. Cum autem Frater Bertoldus in turba copiosa sedente coram eo de eminenti loco suo, in quo stabat, proclamaret: si ibi vir aliquis esset, qui filiam suam peccatricem per eum conversam et renatam in uxorem traducere vellet ob respectum amoris divini, nam ipsam sibi daret et insuper dotaret, quod dum surgens quidam de multitudine faceret, sibi pro dote X. libras se donaturum repromisit; quas ut promtas de turba, cum alias non haberet, colligeret, viros aliquot, turmas populi conpressi præ multitudine perambulare mendicando hortatur, singillatim ab hominibus poscendo eleemosinam, quousque summa X. librarum denariorum conpleatur. Qui cum partem hominum petendo suffragium dotis percurrissent, et pars magna hominum adhuc restaret petenda, clamavit alta voce Pater sanctus in Ambone; sufficit, nos habemus pecuniam quam optamus. Illi sicut prius monitis suis obtemperantes, ab incepto destiterunt, et revertentes ad eum eleemosynam petendo quæsitam dinumeraverunt, et inventa est præcise summa prætaxata, nec plus nec minus, nec pauciores nec plures denarii quam X. libræ sunt reperti, quos in continenti dari jussit illi viro, qui desponsaverat præfatam peccatricem, sibi eam fideliter recommendans. Quis sibi revelavit et suggessit hanc occultam et inscrutabilem veritatem? nemo alius nisi Spiritus Sanctus, qui cor ipsius habundanter inhabitando illustraverat. Humana enim ratio hoc archanum et ab humanis sensibus semotum et alienum capere non sufficit. Post mortem suam in civitate Bawariæ dicta Ratispona, in qua, ut fertur, natus et alitus erat, multis multo tempore coruscavit miraculis in loco Fratrum Minorum ubi sepultus est.

Postquam vacavit sedes Apostolica tribus annis defuncto Clemente IV. Cardinales in Biterbio concorditer elegerunt in Papam quendam Canonicum Ecclesiæ Leodicensis, nomine Thobaldum ultra mare existentem de Placencia oriundum; cum in ipsa peregrinatione esset, electus est, et missum pro eo ultra mare. Hunc Gregorium X. vocaverunt. Hic Papa cum solemni comitatu intravit urbem Romam, Karolum Gallicum institutum Regem Siciliæ fovit. Ante hunc Papam per annos XI. nullus intravit urbem propter discordiam Romanorum. Dum ille Papa processionaliter transivit per Romam, eum deduxerunt reverenter Baldwinus Inperator Græciæ et Rex Karolus Siciliæ tanquam famuli super terram sibi ministrantes. Hic Papa ordinavit, quod Principes Teutoniæ Regem eligerent et consecrarent, quod factum est, nam elegerunt Comitem de Habspurg. Hic in Lugduno Concilium celebravit, ubi vir sanctus multas edidit constitutiones. Hoc autem Concilium tertio Pontificatus sui anno pro utilitate terræ sanctæ, quam personaliter visitare intendebat, celebravit, in quo et Græcorum et Tartarorum solemnes nuncii interfuerunt. Græci ad unitatem Ecclesiæ redire promittentes in signum ejus Spiritum Sanctum confessi sunt a Patre et Filio procedere, symbolum in Concilio solemniter decantando. Tunc Tartari fere omnes in Concilio babtizati ad propria redierunt. Numerus autem Prælatorum, qui fuerant in Concilio, sunt Quingenti, Episcopi LX. Abbates et alii Prælati circiter mille.

Hujus tempore ad ordinationem suam, ut prius dixi, anno Domini MCCLXXIII. mense Octobri, Principes convenerunt in Franckenfurt, et elegerunt Comitem præfatum Rudolphum de Habspurg in Regem Alamanniæ, quam electionem Gregorius X. apud Losannam confirmavit, sed postea consecratus est Aquisgrani in Regem Alamaniæ et Romanorum, et concorditer fuit electus ab universis Principibus. Fertur de eo, dum adhuc Comes tantum extiterat, quod cum quadam vice per terram suam equitaret cum suis satellitibus obviam habuit Clericum corpus Domini portantem, et in terra pedibus ambulantem, quod cordi apponens, illico de equo prosiliit et Clerico in reverenciam corporis Christi dedit, qui statim post sublimatus fuit in Regem Romanorum, noluit tamen se transferre ad partes Italiæ ad captivanda et occupanda ibidem bona Inperii, quocunque nomine censerentur, territus exemplo Cunradini Regis in Apulia, ut supra dixi, cum sua milicia decollati, ne more ipsius contingeret eum perire et periclitari, volens potius Regno Alamaniæ in tranquilla possessione potiri et contentari, quam alias se exponere discrimini et perditioni.

Cum Principes in Franckenfurt elegerunt Comitem Rudolfum de Habspurg ipse interim potenter obsedit civitatem Basileam, cum adjutorio suorum Civium Thuricensium, et licet Comes adhuc et tenuis rebus fuerit, tamen adeo acriter et hostiliter ipsam oppugnavit circunquaque, quod nullus per multos dies ipsis civibus introitus vel exitus evasionisque oportunitas patebat. Nam cives utriusque sexus de spe salutis diffidentes stupore ac tremore in eo, quod illis contigerat, medullitus sunt perculsi, dum autem medio tempore post longam et discriminosam conflictationem et perniciosum scisma habitum, ut supra dixi, inter Regem Castellæ Comitemque Cornubiæ in discordia electos, Principibus iterum Alamaniæ congregatis in unum ad Regem Alama-

Alamaniæ eligendum, postea secundum tenorem Decretalis incipientis: Venerabilem in Inperatorem coronandum et confirmandum, et intelligentibus fama celebri gesta et acta terribilia et nimis mirifica magnanimi Comitis invictissimi et strenuissimi militis Rudolfi coram præfata civitate, ipsum concorditer, et, ut dixi, canonice elegerunt, sibi in continenti Legatos hæc nunciantes destinando in obsidione, quibus perspectis a Comite Rodolpho admirabatur præ gaudio de gratia minus præcogitata et sperata sibi tam dignative in sui absencia collata, et exultans in spiritu jucunditatis, obsidione postposita abiit cum festinacione ad ipsos Principes, ipsisque gratiarum actiones referens, postulavit mediante eorum auxilio et consilio in Regno Alamaniæ intronizari, et bona imperii possessione pacifica obtinere, quod et factum est secundum ejus votum et omnimodam voluntatem.

Fertur, quod tempore Rudolfi quidam faber per omnia similis Friderico Imperatori apparuit, qui a multis Baronibus et Magnatibus dicti Regis, nec non a plebeja turma Imperator Fridericus æstimabatur, et valde honorifice et gloriose tractabatur, qui cum hujusmodi honorem non recusaret, imo libenti animo acceptaret gerendo se in persona ipsius et hoc in præjudicium Regis R. vergeret, commotus Rex dixit: Tociens et tam frequenter vidi faciem Friderici Imperatoris, quia sæpe sibi conversatus sum, et quasi in aula sua enutritus, quod nolo dimittere, quin istum, de quo est opinio ista frivola, videam an ipse sit vel non. Quem cum ipsum non esse comperisset, jussus est ab eo occidi et de memoria hominum tolli nimium credula falsitate. Quidam vero ajunt, quod judicio meo credibilius et verisimilius est, fabrum jam dictum similem Imperatori Friderico Domino diu ante defuncto et sepulto, totis viribus suis renitentem, prænominatis honoribus applicatum, maluisset enim operi, officio et artificio suo cum uxore et liberis suis in domo, et commodo suo vacasse et invigilasse, quam falso et contra justitiam honoris apicem et culmen dignitatis, de quo non erat dignus taliter usurpare, cum autem diu reluctabatur suæ gloriæ indebitæ, et ad domum suam redire anhelaret, exaudiri meruit et ad propria rediit.

Item fertur de R. dum adhuc Comes erat, quod uno tempore cum adjutorio civium Thuricensium bellum commiserit cum Dominis nuncupatis de Regensperg: tunc quidem in rebus et personis florentibus, nunc autem quantum ad utrunque in nihilum redactis. In quo quamvis victoria potitus fuerit, de equo tamen miserabiliter cecidit, nam tam acriter percussus et ad terram prostratus fuit, quod ab hostibus mortuus putabatur, unde Garcones more suo prædam insequentes, arma sua cum vestimentis detrahentes, ipsum in conflictu nudum reliquerunt, mortuum enim se simulabat, ut tempore oportuno de ficta morte resurgeret et de mortis faucibus erui videretur. Quod videns quidam Burgensis de Thurego appellatus Muller, quem ego vidi, vir corpulentus et procerus fortisque viribus, ipsum defensavit pro eo se ut Clipeum opponendo, potenter eum erexit et in equum suum reposuit, qui postea acies inimicorum secans et dirumpens ipsos crudeli plaga percussit. Hoc beneficium Rex factus in almario cordis sui reponens dum post hæc una dierum in civitate Moguntina demoraretur et inter militiam sederet suam, et Molitori præfato civi, ad se illuc venienti sereno vultu et alacri assurgeret, et eum dignis honoribus, et amicitiæ indiciis præcipue pertractaret, et ab eo sciscitaretur, cur tam simplici viro nulla dignitatis apice sublimato tam reverenter et devote assurrexisset, respondit: Quia me in uno conflictu, dum adhuc Comes extiteram, cum in manus hominum incidissem hostium, de eis eripuit et in equum suum collocavit; per eum mortem evasi et hostes meos fortiter stravi: nunquam non illum revereri debeo, qui vitam meam Domino adjuvante conservavit.

Præterea fertur, quod tempore suo, eo adhuc Comite existente, unum castrum excelsum et firmum in monte dicto Albis prope Thuregum situm erat, quod Thuricensibus onerosum et infestum valde fuit, nam ipsos odio habuit incessanter, quod tanto perniciosius fuerat, quanto patencius introitum et exitum eorum de vertice montis, in quo castrum locatum erat, inhabitatores castri conspicere potuerunt. Cum hoc diu tolerassent et se minime defendere valuissent, suscitavit eis Dominus liberatorem Comitem qui tunc temporis civibus Thuricensibus glutino amoris et vinculo amicitiæ colligatus et conjunctus erat, nam illo tempore domicilium seu mansionem in oppido suo dicto Bremgarten tenens sito in Ergow, ad quod etiam patulus erat aspectus de castro prænominato, mira astutia et callida adinventione Castellanum cum suis auxiliatoribus taliter circumvenit et decepit: nam circiter XXX. equos præparari jubebat, et singulis binos armatos viros insidere, qui una cum Comite præcepto hujuscemodi obtemperantes et ad nutum obaudientes in fortitudine et audacia magna montem contra castrum hostiliter ascendentes, habitatoribus castri speciem tantum unius viri prætendebant, propter quod eos ad exitum contra se provocabant, nam de sua multitudine confidebant, paucitatem adversariorum suspicantes, qui dum fere congressi fuissent ad dimicandum, parati posteriores de equis deciderunt, et simul cum in equis remanentibus in hostes irruere conati sunt, sed alii videntes eos multiplicatos contra suam confidentiam, et in visu se delusos, esse, certatim cum festinatione fugerunt, sed isti ipsos celerius persequentes et tandem superantes, castrum ceperunt, et ipsum demolientes solo coæquaverunt; Et sic Thuricensibus pax per Comitem acquisita et reddita est. Quod factum tantum amicitiam, quam habebant Thuricenses adversus R. Comitem de Habspurg, augmentavit et roboravit, quod postea secum ad confligendum pro eo contra Dominos memoratos processerunt, ubi prosperati sunt.

Hic Comes R. Rex factus extitit maximus desolator et destructor castrorum, ex quibus homines spoliabantur; nam ipsa expugnavit, et expugnata confregit solo coæquando. Benignus fuit erga amicos et domesticos, sed sævissimus contra hostes; Liberalis fuit, sed præcipue suis militibus sibi fideliter militantibus. Usurpavit sibi res Dominorum, qui spreverunt eum, nec defendit Bonifacium Papam. Vir erat strenuus et sapiens, de confessione Fratrum Minorum.

Hic cum quadam vice in civitate Thuricensi quandam civem excellenter speciosam, uxorem cujusdam fabri ardenter amare cœpisset, quadam die, depositis Regalibus indumentis, in similitudine mercatoris

catoris

catoris domum ipsius intravit, marito stante super incude suo ipsum pacifice salutante et minime cognoscente. Cum autem Rex cum uxore fabri per modicam horam sedisset, et sibi, sicut concupiverat et intendebat, solaciose dulciterque confabulatus fuisset, conjux fabri ivit ad eum, dicens et hortans, hospitem illum ut majori reverentia reciperet et honorificentius eum, quam fecit, pertractaret, quia esset Rex R. qui in specie mercatoris, ipso vidente, intrasset; quo audito cum admiratione et stupore Regem accessit, et ipsum honore debito et congruo prosecutus fuit, rogans et invitans eum pariter, ut quando sibi placeret, domum suam frequentaret. De hoc vero Rex gratus existens, eis vicissitudinem rependebat similem, ambos diligenter commendando, et mulieri inmediate per unum famulum suum pannum preciosum et decentem pro novo vestimento emendo.

Præterea cum quadam die vicum unum civitatis Basiliensis pertransiret, et quendam Cerdonem illic videret cuti rudi et fætidæ super lignum extensæ assistentem, ei dixit: O quam dulce et suave esset habere centum Marcarum reditus et insuper formosam uxorem! Respondit Cerdo: Ambo in plena possessione habeo. Ad quam responsionem Rex cum vehementi admiratione subjunxit: Et ego quam cito in hospitio meo de equo descendero, rediturus ad te, hæc videbo. Medio autem tempore, Cerdo abjectis et exutis vestimentis suis sordidis, induit vestes decentes et splendidas et decoras, quibus amiciri diebus festivis solitus erat; nec non consortem suam idem facere jubebat, mensam quoque poni præcipit solemniter, et desuper in cifis et aliis vasis aureis et argenteis vinum nobilissimum copiose infundi, et de cibis delicatis et exquisitis apparatum magnum super mensam fecit præsentari, et matronam suam pulcherrimam indutam purpura et bysso, imo cultu muliebri accuratissime ornatam in capite mensæ locari. His factis Rex expeditus, sicut promiserat, advenit, et videns singula admirans nimis, credidit et non parum magnificavit. Cum vero Rex omnia perspexisset et sibi placuissent, et ædificia sua cerdo et divitias non visas Regi declarasset, Rex subintulit: Cum his omnibus abundes, cur tam feculentum exercitium non relinquis? Qui ait: quamvis his affluam, tamen sicut quando me præteristis, vobis dixi, non minus artis meæ officium fædum et contemptibile exerceo, ne divitiæ meæ decrescant, sed potius augeantur, quia per otium et vacationem notabile statim paterentur decrementum vel paulatim penitus absumerentur. Quod audiens Rex approbavit et consorti suæ xenia preciosa tribuens recessit.

Item quodam tempore, dum adhuc Comes existeret, in Castro dicto Kiburg residens, quidam Domini vocati de Regensperg æmuli sui ab antiquo una die in unum congregati dixerunt: Iste vilis Comes non effugiet manus nostras, nam hac vice sibi, quandiu sumus coadunati, insidias tendemus et suum nasum longum discerpemus. Quod audiens quidam fatuus eorum continuæ vecordiæ iter suum in continenti de Regensperg in Kiburg direxit, qui dum inportune in porta castri pulsaret et primo incognitus, tandem agnitus fieret, intromissus fuit, intuens autem vultum Comitis, ait: Certe tu non habes tam longum nasum, sicut audivi hodie a Dominis meis in Regensperg. Qui audiens hæc verba coram familia sua sibi astanti dixit: Notate verba, signate misteria, aliquid enim innuunt. Volens autem sensum verborum clarius investigare, dixit: Quid dixisti? Ille ait: Domini mei multiplicati plus solito ad invicem dixerunt hæc: Comitis nasum longum conteremus. Longum enim, ut dicitur, nasum habuit. Comes autem animadvertens verba ab illo prolata, et in corde suo ponens, instruxit mox aciem virorum armatorum robustam, et cum ea contra Regensperg in furore tendens, Dominos illos conglobatos et contra eum conspiratos obvios habuit, et in eos bestiali more et indomito cum suis clientulis irruens plures ex eis occidit, reliqui vero per fugam, quam inierunt, salvati sunt, et sic malitiam eorum funditus extinxit inolitam.

Magnæ mansvetudinis et humilitatis fuit Rex Rudolfus, quod per tale exempli argumentum luculentissime demonstratur, nam cum quodam tempore in civitate Thuricensi moram ad aliquot dies contraheret, cum staret cum magna ex omni vallatus parte militum acie, quidam de plebeja turba pertransire cupiens, irrisit eum, alta voce dicens: Iste Rex cum longo naso suo, quem habuisse, ut supra dixi asseritur, me inpedit, quod stratam recto tramite perambulare nequeo. Quod audiens Rex retrocessit, et sibi locum eundi vultu hylari et verbis pacificis benignisque dedit.

Fertur quoque, dum quadam die Lindaudiam venisset, quidam Burgensis ibidem sibi magnum piscem Lucium nominatum erogavit, quem dum coquus exenterare vellet et ad decoquendum præparare, invenit in faucibus suis grandem bufonem: ob hoc coquus piscem abjecit et eum coquere tanquam cibum abominabilem sprevit, quem dum Rex diu in mensa exspectaret, quemadmodum moris sui erat, ut eum militibus suis distribueret, et sibi apportaretur minime, coquum aspectui suo præsentari jubet, a quo dum causam didicisset, quare sibi piscis non esset allatus, respondit: Bufo suus cibus erat, ipse autem meus et meorum erit propter hoc rejiciendus non est, nec minus edendus: vade igitur, et mihi eum coctum affer, quod factum est.

Hic Rex Rudolfus quanquam forte multa bellica facta strenue gesserit, inter cetera tamen unum laude dignum in scripturam redigere summatim curavi, quod celebri et recenti hominum fama et opinione vulgatur. Fertur, quod Rex Boemiæ dictus Ottaker ob persuasionem conjugis suæ nimis elatæ, et de fastigio regalis honoris sui supra modum inflatæ contempsit R. Romanorum Regem regnumque Boemiæ in feodum ab eo, sicut merito debuerat, postulare, quod cum tandem saniori ductus consilio facere reluctante sua uxore disponeret, et ad iter se cum sua militia præpararet, et hoc Regi R. veraciter innotesceret, suis appocrisariis pariter convocatis, sciscitabatur ab eis, quali veste se ostendere deberet Regi Boemorum venienti ad se et petituro ab eo Regnum Boemiæ in feodum sibi concedi, quibus sibi respondentibus, quod regio cultu et indumento gloriæ ac excellentiæ suæ deberet coram eo apparere, respondit eis, quod nequaquam, sed in veste rusticali et rudi scilicet tunica grisei coloris vellet se suis obtutibus demonstrare, ut per hoc sibi patefaceret, quod tumorem suæ arroganciæ parvi penderet, imo quasi pro minimo reputaret. Quod dum totum, secundum quod decreverat, evenisset, et Rex Boemiæ remeasset, et consorti hæc omnia secundum ordi-

ordinem enarrasset, plus quam dici possit, igne furoris accensa Regem conviciis affecit et improbriis acerbissime laceravit, dicens: Quare a tali tibi dissimili et viliori et tali vestimento simplici et agresti in tui contemptum et confusionem induto, cum sis longe praestantior eo divitiis et honore, regnum tuum titulo feodi petere ac recipere, in tuam grandem ignominiam praesumpsisti. Hiis et aliis verbis multis ipsum toto conatu suo provocavit, ut Regnum Boemiae, rejecto titulo infeodationis, per se proprietatis titulo possideret, et insuper Ducatum Austriae, quem sibi contra justitiam diu usurpaverat, fortiter teneret, et Regi R. eundem petenti sibi resignari, cum ad inperium pertineret, nullatenus restitueret, sed pocius ad defendendum eum et sibi conservandum, se Regi R. opponeret, Principatum ejus nullatenus formidando, sed ad resistendum sibi et ad rebellandum contra eum, quanto citius posset, se totis viribus praepararet. Quod intelligens Rex R. instruxit virorum electorum de Swevia et aliis partibus exercitum robustum, et directus est contra eum in fortitudine et audacia magna, et convenientes in campo quodam magno, acriter pugnaverunt, sed praevalente Rege R. cum suo exercitu, sine multa sanguinis effusione suorum, Rex Boemiae occisus est et exercitus suus contritus, et sic Rex R. gloriose triumphans regnum memoratum sibi subjecit, et Ducatum Austriae suis liberis et eorum posteritati jure feodi possidendum a se et a suis successoribus in perpetuum dereliquit, Filium suum Albertum illic collocavit, et multos Alemannos ibi praefecit, et sic terrae praevaluit. De ordine Fratrum Minorum tunc duo Episcopi creati fuerunt. Tullensis et Archiepiscopus Moguntinus frater Henricus ambo de Ysnina oriundi oppido in Albgowia sito.

Fertur quod in hoc bello Rex R. corruens de equo suo miserabiliter in terram prostratus, pedibus caballorum et manibus hostium expositus erat; quod cernens quidam miles suus vocatus de Ramswag, ipsum non solum a conculcatione equorum et insultu inimicorum eripuit, verum eciam super equum alium gloriose locavit, in quo devicta morte hostem fortiter caedens, solemniter triumphavit; cujus beneficii Rex memor existens, adjutori suo in tribulacione, Domino de Ramswag et suis posteris theloneum Lindaugense XX. ut dicitur, librarum et theloneum aliud apud Renum situm II. librarum contulit in perpetuum possidendum, et super hiis patentes sibi litteras assignavit. Cujus haeredes usque in hodiernum diem haec possident, et in usus suos convertunt. Inpetentibus ea instrumentum confectum super hoc demonstrantes et ab inpeticione conpescentes.

Ante congressum pugnae praelibatae per totam expeditionem, ut multi famant, quidam lector de ordine fratrum minorum magnae scientiae et optimi consilii Regem Rudolfum comitabatur, nam sibi speciali praerogativa et praecipuo amoris privilegio dilectus erat. Hic exhortationis verbum fecit ad exercitum Regis R. jam hostium cuneis se inmiscere volentem, per quod tantum proficiebant, quod victoriam celeriter obtinuerunt. Per hujus lectoris prudentiam, consilia et salubria monita non solum illa vice, verum etiam multis vicibus in periculosis et causis arduis et plenis vigiliarum negotiis Rex R. secundum omnem voluntatem suam prosperatus est, propter quod volens eum pro meritis praemiari, brevi postea interjecto temporis spatio sibi Episcopatum Basiliensem, tandem Moguntinum obtinuit, quibus per eum adeptis sibi fecerat, sicut et poterat, efficacius auxiliari. Fratres etiam sui ordinis confessores sibi et suis liberis propter eum adoptavit, et prae cunctis religiosis elegit; quod et per multa annorum curricula inviolabiliter perduravit. Hic suum ordinem intimo et praecordiali prosequebatur affectu, quamobrem ipsum ab injuriis defensavit, et in suis honoribus fovit ex totis visceribus et protexit, sed sacerdotibus et Clericis secularibus minus deferens, et favoris sui gratiam subtrahens, infestus nimis fuit.

Hic in Basilea apud Minores Fratres adhuc in Minoribus agens Lector existens quandam Dominam ibidem filiam confessionis habuit, quae spiritus maligni per multa tempora illusiones frequentes sub specie angeli Lucis habuit, quae putans taliter a Domino consolari, diu cum gaudio, sed falso sustinuit et amplexabatur affectuose illam visionem, tandem in haesitationem et in ancipitem dubii agonem dictae visionis Domino instigante perducta, querulosis vocibus causa informationis Lectori memorato exposuit, qui visionem ejus per propriam sapientiam sibi a Domino datam profundam recognoscens dyabolicam, sibi consilium salubre tribuit, (fuit autem ut contra eum proferret verbum Petri scilicet: Per aspersionem sanguinis Jesu Christi) quo ipsa proxima nocte sequenti utens, daemonem abegit, et eum penitus effugavit, qui dolens de hoc dominam, ut fertur, taliter allocutus est: Ille quem novi, qui tibi suggessit suis monitis, ut sic me repelleres, talionem a me recipiet, laqueum enim sibi extendam, in quem incidet non post multos hos dies, et ex quo mihi decidisti, per eum ipse loco tui cedet mihi. Cum vero Lector post istud factum statim fastigium Episcopalis dignitatis ascenderit, conjicitur Daemonis taliter respondentis ex verbis, laqueum esse Praelaturam Pontificatus, quam procurare sibi Diabolus animo malevolo voluit causa capiendae ultionis, ut sic tanto profundius et gravius in praecipicium mortis aeternae caderet, quando altius per suum instinctum et suggestionem in gradu dignitatis tumore excessivo superbiae comitante scanderet in altum, quod a multis evenisse minime dubitatur, quia in dignitatis suae culmine positus, plus quam dici vel scribi possit, cordis et operis elatione intumescens, omnis humilitatis modum et metas penitus abjecit.

Tempore illo, quo Rex R. adhuc Comes, ut dicitur, extiterat, quoddam praelium ortum fuerat inter invictissimos Dominos Comites de Habspurg consanguineos Regis et civitatem dictam Bern sitam in metis Galliae et Alamaniae, quod quantum ad Bernenses flebilem sortiebatur exitum, nam cum utraque pars in campo ante civitatem sito convenisset, pars Bernensium stetit contra hostes conglobata in modum coronae et conpressa cuspitibus suis praetensis, quam dum de adversa parte nemo aggredi praesumeret, Comes querulosis vocibus valenter et miserabiliter clamare coepit: Heu mihi quod neminem habeo, qui cuneum adversariorum penetrare possit, vel etiam invadere praesumat! Quod audiens quidam cordatus miles fidelissimus, respondit: Ego solus meo impetu ipsos attemptabo invadere, vestris desideriis satisfacere cupiens; qui cum dicto modo in eos efferatus fuisset et in eorum lanceas receptus, in

frusta

frusta discerptus et concisus, lamentabiliter periit, cujus occisione turmæ Comitum nimio furore succensæ unanimiter in turmam hostium more Beluæ inpegerunt et ipsam ab invicem disjunxerunt: quo facto in ipsos Bernenses tanta furia et crudelitate debacchati sunt, quod multi ex eis ceciderunt, multo vero plures pedibus mutilati sunt, ad quod faciendum maxime conati sunt, pauci illæsi de Bernensibus transierunt. Extranei ergo triumpho secundum vota ipsorum potito concinebant et alternantibus modulis miscebant dulcisona carmina; Intranei vero e contrario cum luctu et merore corpora peremptorum sepelierunt, sed mutilatis ex intimo cordis condolebant, statuerunt quoque suffragia pro peccatis mortuorum debita inpendi, præcipue autem anniversarium diem missarum solemniis et oblationibus, orationibus et eleemosinis devotissime in perpetuum celebrari, quod fideliter servatur usque in hodiernum diem.

Post istud bellum aliquanto tempore decurso, bellum atrocissimum excrevit inter Regem Francorum et Comitem Flandriæ, quod sæpe Flandrensibus prosperantibus et triumphantibus, Francigenis vero succunbentibus viribusque resumptis iterum rebellantibus nec prævalere valentibus perniciosissime replicatum est: una autem vice Flandrenses taliter Francos superaverunt; cum enim essent proxima die una in quadam valle ad præliandum congressuri, Flandrenses dolum hujuscemodi, quo animas adversariorum minus cautas et inscias involverent, machinati sunt, foveas subterraneas in nocte præcedente conflictum, occulte parando, subtiliter sollerterque desuper obducendo, quod Franci nescientes, et in crastino commissuri prælium contra hostes insultum et inpetum facientes, in foveas plenas aqua inciderunt, nam quendam rivum prædictam vallem præterfluentem in ipsas fluere fecerunt, qui sive in foveis obruti et conclusi, sive in aqua absorpti, seu in ore gladii hostium ipsos insequentium consumpti, in maximo numero perierunt, viginti enim quinque milia virorum fortium et armatorum ibi perierunt, ut a pluribus in aliis partibus tunc temporis commorantibus enarratur; septuaginta quoque famosi et potentes Domini terrarum, ut didici relatione fide digna eorum, qui in bello eodem fuerant, illic interierunt, qui omnes sua vexilla distincta ab aliis, nota et nominata habuerunt. Quidam ajunt, Flandrenses callida intentione solas equas ascendisse, et illis ubi castra metati fuerant, ad resistendum parati, insedisse, ut per eas equos Francorum faleratos et egregios ex adverso constitutorum ad coitus appetitum accenderent vehementem, ut sic desiderio nimio commixtionis habendæ cum equabus tanquam furiosi et amentes effecti rapido cursu certatim per præfatam vallem contra ipsos ruerent et in fossas præcipites se darent cum suis sessoribus effrenatis, quod et factum est, quam cito enim equi equas senserunt, contra eas omni disciplina obliti cucurrerunt, et in fossas sibi studiose paratas, deciderunt. Tandem tamen Rex resumpto et recuperato quasi post infinitam stragem suorum robore, renovatoque exercitu de Flandrensibus triumphavit, et eos desolando prosternens et humiliando subiciens post jacturam magnam et ignominiam, fructum copiosum et superefluentem gloriam reportavit ad prosequendum.

Adhuc factum laudabile unum de Rege Rudolfo manum apponam, nam licet ad Inperium non ascenderit, tamen fortunatus existens in Regno Alamaniæ mirifica opera et insignia multa patrabat: Paulo enim ante finem vitæ suæ quoddam castrum spolii, dictum Wisenburg situm infra Schafusam obsidebat, quod quamvis modicæ firmitatis et munitionis fuerit, tamen ejus obsidio ad sex septimanas continuas se protraxit, quia remisse obsidentes agebant non irruendo in muros ipsos ad dirumpendos, cum autem quidam de Familia Regis hoc tacitus animadverteret et Regi diceret, quod castrum studiosius et expeditius oppugnari juberet, et ut muri frangerentur operam diligentiorem adhiberi præciperet, quia cum magno dispendio et gravibus sumptibus ibi moraretur; ad hoc Rex tale fertur dedisse responsum: Ego malo castrum tardius capi et demoliri et prolixiori tempore, cum alibi constitutus, sumtus me habere oporteat cum salute corporum pugnatorum meorum, in quibus dependet virtus et gloria mea, quam citius et breviori spacio cum eorum discrimine ac ingenti periculo: et sic noluit, quod se morti muros incaute et inportune, more insipientium et freneticorum invadendo, irrumpendoque exponerent. Et sic castrum sine aliqua suorum cæde per suffossiones et concavationem montis captum et dirutum est. Hic cum regnasset XVIIII. annis in die Beatæ Margaretæ virginis defunctus est, sepultus regia sepultura in Spira.

Mortuus est anno Milleno C. triplicato
Sex minus atque tribus Julii Rex mense Rudolfus.

Circiter ista tempora oppidum nomine Buchhorn situm in ripa Lacus Botannici captum et desolatum ab aliis civitatibus in odium Domini sui, cui obligatum erat.

Defuncto Gregorio X. qui ut supra dictum est, electionem Regis Rudolfi confirmavit, sedit Innocentius V. natione Burgundus de ordine Prædicatorum menses V. dies II. Electus est in die Agnetis, obiit vero in vigilia Johannis Babtistæ. Magister in Theologia erat, et plura opera fecit super Bibliam et sententias. Fuerunt autem usque ad hoc tempus a Beato Petro Apostolici CXCVII. Lino et Cleto exceptis et fœmina, quæ non conputatur. Innocentio V. successit Adrianus V. natione Januensis, et sedit mensem I. dies IX. anno Domini MCCLXXVI.

Adriano V. successit Johannes XXI. natione Hyspanus, qui sedit pauco tempore, nam cum Kamera nova, quam pro se in Witerbio circa palatium construxerat, solus corruit, et inter ligna et lapides collisus, die VI. post casum sacramentis omnibus perceptis exspiravit. Sedit autem anno Domini MCCLXXVII. Hic scientiæ florem et Pontificalem dignitatem morum stoliditate quadam deformavit, adeo ut industria naturali pro parte carere videretur. Prius Tusculanus Episcopus erat. In hoc laudabilis erat, quod tam pauperibus se, quam divitibus communem exhibens multos egenos studia literarum anplectentes fovit, et in beneficiis Ecclesiasticis promovit: et cum vitæ spatium in annos plurimos extendi crederet, et hoc etiam coram aliis asfereret, subito cum Kamera nova, ut dictum est, cadens extinctus est.

Post eum sedit Nicolaus III. natione Romanus. Hic regulam Fratrum Minorum per totum mundum præcepit cum suis declarationibus legi publicæ in omnibus scholis juris, excommunicans de cætero omnes dictam regulam inpugnantes. Hic sedit

dit anno Domini MCCLXXVII. ante vocatus Johannes Gajetanus. Sedit autem annos IV. et feliciter, ut pie creditur, defunctus est Domino conjunctus. Hujus tempore Tiberis excrevit in tantum, quod super Altare Beatæ virginis rotundæ per IV. pedes et amplius ascendit. Hic ordinavit duos Episcopos Prædicatorum et unum Minorum. Post ejus decessum vacabat sedes V. mensibus, dies XXXII. multa quoque dissensio est secuta inter Ursinos et Hanibaldenses, et multa homicidia.

Nicolao III. defuncto successit Martinus III. Hic Fratres Prædicatores et Minores super confessionibus audiendis decoravit privilegio speciali, ut possent hominibus ministrare Ecclesiastica Sacramenta, si Plebani contra confitentes, dictis fratribus voluerint malignari. Hic fuit natione Gallicus, et anno Domini MCCLXXXI. in Papam eligitur. Hujus tempore primo Pontificatus sui anno piscis marinus captus est monstruosus, pellis ejus pilosa, pedes ejus breves, cauda leonina, caput leoninum, aures, os et infra dentes et linguam habebat quasi Leo: In ejus captione planctum horribilem emisit pronosticum futurorum, quia parum post in Regno Siciliæ Panormitani Gallicos, qui morabantur ibidem, omnes tam mares, quam fœminas, senes et juvenes in ipsorum Regis Karoli contemptum occiderunt, ac etiam per latus mulierum prægnantium Latinarum Gallicos partus antequam nascerentur necabant; deinde tota Sicilia rebellans, Regem Arragoniæ in suum defensorem et Dominum invocabant.

Honorius IV. natione Romanus hunc sequitur anno Domini MCCLXXXIV. et annos V. sedit, mente expeditus, sed toto corpore contractus, misit in Theutoniam Legatum Episcopum Cardinalem, qui Rege præsente in Herbipoli solemne Concilium convocavit, et quartam partem omnium proventuum a Prælatis omnibus postulavit per annos quatuor. Multis ergo Episcopis et aliis Prælatis trementibus et contradicere formidantibus, surrexit Dominus Probus Tullensis Episcopus Frater Minor quondam Lector Constanciensis de Tuwingen oriundus, et stans super Babtysterium nobilissimum pro omnibus appellavit, et se confudit, quia de Episcopatu contemptibiliter dejectus, in pristinum saccum est reversus.

Temporibus mortis Incliti Regis Rudolfi, quæ fuit circiter annos Domini MCCLXXXVII. in Alamania plura terribilia prælia pullulabant, imo more torrentis inundantis impetuose supervenientes inundabant in tantum, cum adhuc hodierno die illa tempora ab antiquis rememorantur, magni prælii nomine vocitantur; sed inter cætera unum durum prælium inter cives Thuricenses et Winterturenses. Nam Thuricenses æmuli ab antiquo Dominii de Habspurg existentes, sublato de medio Rege Serenissimo Rudolfo, qui sicut supra dixi, de Habspurg oriundus fuit, machinationes pessimas diu ante latenter in cordibus suis versatas in lucem produxerunt; operibus, in quantum poterant exequentes, constituerunt enim bellum adversus Winterturenses, qui Dominio de Habspurg jure proprietatis pertinent, congregantes virtutem et exercitum fortem, et exaltatum et elevatum est cor eorum, et venerunt in multitudine gravi et turba bellatorum copiosa, et nimis de sua virtute præsumentes et malitia propria excæcati supra modum et infecti, enormia et exsecrabilia, quæ pudor est dicere, cogitarunt de Wintertur facere ab eorum offensa seu turbatione penitus aliena: nam habitatores ejus viros et mulieres, juvenes et senes in ore gladii perdere decreverunt, mœnia quoque succendere igni, muros subvertere, mulierum prægnantium uteros et latera aperire, fœtusque extinguere et omnia adeo funditus delere moliti sunt, ut nec vestigium aliquod civitatis deinceps appareret, quæ omnia cives in Wintertur audientes, veriti sunt a facie eorum, et eorum corda nimia præ angustia et timore ipsis superveniente tabuerunt, aures tinnierunt, mentes tremuerunt, vultus emarcuerunt, arescentes nimio præ pavore et exspectatione eorum, quæ incumbebant universitati Burgensium, oculi ex nimio profluvio lacrimarum intumuerunt, viscera et omnia interiora ipsorum quodammodo concussa sunt, facies conciderunt, speciositas quoque mulierum inmutata est: Hæc omnia eis evenerunt, quia spem evadendi manus hostium non habebant, sed se magis morti subjacere æstimabant, attendentes suam paucitatem, et auxiliatorum raritatem, et adversariorum respectu ipsorum infinitam multitudinem; quæ tamen aliquantulum in eis mitigata sunt in nocte præcurrente pugnam et adventum hostium, qua receperunt de civitate Schafusensi semper adhærente fideliter Dominis de Habspurg et nunc de Austria et de aliis oppidis et locis prædicti Dominii circumpositis et Dominis circumsedentibus adjutores ydoneos et bellicosos, quorum multos oculis meis vidi, sed in crastino omni consolatione mittigante ac leniente dolorem eorum ad nihilum pro modo loquendi redacta, desolatio acerbissima cum quadam horripilacione corda civium de Wintertur medullitus penetravit, quia tunc acies Thuricensium in apparatu incredibili aspectu terribiles more locustarum occupantium campum attingentem oppidum Wintertur apparuerunt, quæ tantum horrorem et stuporem eorum mentibus incusserunt, quod mulieres præcipue muros, tecta, propugnacula, turres et alia loca eminentiora ascendentes, aera repleverunt clamoribus et resolutis crinibus, scissis vestibus, expansis manibus et conplosis, oculis lamentantibus, rauco sonitu præ nimio fletu et dolore vociferantes in cœlum gemitibus inenarrabilibus a Domino postularunt, ut de manibus inimicorum venientium ad devorandum eos, mediante suo auxilio, qui salvos facit sperantes in se, eriperentur, alias libentius mortem subire vellent, quam videre mala gentis suæ ac excidium civitatis; cum ergo Deus vota humilium respiciat solita miseratione et tumorem superborum a longe cognoscendo conterat, congregatis Thuricensibus in campo propinquo muris Wintertur et ibi exspectantibus exercitum Episcopi Constanciensis sibi confœderati secundum quod condixerant, pro auxilio eis destinandum illa die, sed præpeditum per inundationem fluvii dicti Tur inter Constanciam et Wintertur fluentis, quem pertransire propter hoc minime poterant; suscitavit Dominus illico liberatorem illis de Wintertur fortissimum Comitem Hugonem de Werdenberg, qui ex inproviso multum desideratus, jam instante turbine certaminis formidolosissimi et conflictationis acerrimæ, quasi Leo inperterritus advenit, et ascendens montem modicum dictum Linperg, in cujus pede versus occidentem Thuricensium agmina erant coadunata, erexit vexillum in altum habens speciem vexilli Dyocesani, quod prospicientes Thuricenses et suspicantes esse Episcopi, animati et exhylerati contra cives et civitatem hostiliter processerunt: Cognoscentes autem Winterturenses ipsum suum

suum propugnatorem, et hostes eorum fortiter cedentem et conterentem revivicati, qui semimortui fuerant, et supra modum consolati, mulieribus super tectis suis precibus et obsecrationibus salutem eis poscentibus constitutis, de civitate cum suis auxiliatoribus eruperunt cum magna audacia et confidencia et incurrentes adversarios prælium commiserunt; Videntes vero Thuricenses se fore defraudatos et aggravatum esse bellum contra eos, conclusi ex omni parte ab hostium cuneis, qui poterant, terga verterunt et fugam cursu leporino inierunt; reliqui vero vel occisi sunt, vel vulnerati; maxima autem pars, quia humane eos tractaverunt, captiva ducta est; si enim inpie contra eos egissent, maximam stragem commisissent. Nam isto modo tantum cruorem, prosternendo hostes et equos eorum, effuderunt, quod multi hostium volutabant se in eo sicut porcus in volutabro, ut sic occisorum similitudinem habentes mortem effugerent: multi spiramen retraxerunt et in antra cordis retruserunt, ut mortui apparerent. Dulcissimum fuit eis capi, imo videbatur ipsis ut quasi transitum habentes per ignem, et aquam educti essent in refrigerium. In argumentum hujus verbi et attestationem est, quod certatim instabant obnixis precibus, quod ad captivitatem recipi dignerentur, quod et factum est; Nam quantumcunque vilis vel levis persona fuerat, quotquot valebat captos ad civitatem quasi pastor oves ad caulas ducebant. Unde locum habet hic verbum Isaiæ Prophetæ dicentis: Et puer parvulus minabit eos; et verbum Moysi dicentis: Unus ex nobis decem persequetur. Pater meus interfuit bello, qui contentabatur in uno sedente super equo phalerato et armato, armis rutilantibus ad instar quodammodo solarium radiorum. Fuerunt autem capti, qui pro majori parte fuerant nobiles et cives reputati, in multis locis, tam in Wintertur, quam in aliis circumadjacentibus per multos dies custodiæ mancipati. Fuit tamen eis indultum, ut anbulare illic possent in conpedibus et manicis ferreis. Est autem Cœnobium Monialium extra muros non longe oppidi Wintertur situm, ubi, ut fertur, LXXX. occisorum Thuricensum in una fossa eis ad hoc præparata fuerant tumulata. Cæteri vero Thuricenses occisi deducti sunt Thuregum, et cum fletu magno et planctu sepulti sunt. Hæc dies triumphi gloriosi civium de Wintertur videbatur in diluculo in se gerere typum et pronosticum quasi extremi judicii calamitatis et miseriæ, iræ et caliginis, et horroris, quantum ad eos: sed post vesperam fuit eis conversa in diem gaudii et lætitiæ; et visum est eis, quasi novam lucem oriri.

Honorio IV. defuncto successit Nicolaus IV. de ordine Fratrum Minorum, qui sedit anno Domini MCCLXXXVIII. Hic erat Doctor Theologiæ et bis electus fuit, et toties cum lacrimis resignavit. Tertio conpulsus ab omnibus Cardinalibus difficulter acquievit; sedit autem annos VI. et feliciter ab hoc seculo transmigravit.

Anno Domini MCCLXXX. in Succental fragore nubium trecenti homines perierunt. Anno Domini MCCLXXXI. Sarraceni Tripolim destruxerunt. Item sub Nicolao IV. Sarraceni ceperunt Acheron, qualiter autem ceperint prout fama frequenti et adhuc recenti mihi innotuit, quanto succinctius et realius potero, declarabo. Cum in illo tempore in partibus transmarinis Asiæ civitates a fide orthodoxa primo illic pullulante et florente juxta illud Isaiæ Prophetæ: De Syon exibit Lux et verbum Domini de Jerusalem, apostaverunt et Machmeti sectæ et ditioni Soldani se subdiderunt, civitas Acheron grandis et populosa sita in portu maris inmobilis in fide Katholica, præter quam, et extra quam non est salus, sicut Petrus dicit in Actibus Apostolorum, perseveravit, quam gubernabant, ut dicitur, Cruciferi, nam eis subjecta fuit, quæ civitatibus aliis circunpositis et villis infidelium in tota illa contracta nimis infesta fuit, nam ex ea Christiani frequenter egrediebantur per turmas et Paganis indigenis et incolis illius terræ depopulando agros et vineta eorum, et auferendo eis res suas per rapinas, et ad civitatem suam Acheron deferendo magna et inportabilia damna intulerunt: Quae cum diu amaro animo pertulissent, tandem unanimiter surrexerunt et Soldanum adierunt, et hæc omnia sibi querulosis vocibus exponebant, petentes ab eo, ut dictam Civitatem conpesceret, et temeritati habitatorum in ea eos spoliantium resisteret, et ausibus eorum frivolis aliqualiter contrairet, ut pace solita et quietis dulcedine consueta frui possent. Quo audito Soldanus commotus juravit per thronum Regni sui, quod nunquam desistere vellet, quousque civitatem illam humiliaret, contradixit ergo ei, tamen per anni spatium inducias habitatoribus ejus indulsit, infra quod si vellent ad resistendum sibi se præpararent. Hoc facto exiit edictum districtum a Soldano, ut nationes omnium Provinciarum sibi mundi subjectarum ad obsidendam et demum demoliendam civitatem Acharon contra eum rebellantem convenirent. Insuper fuit ibidem a Sacerdotibus Sarracenorum et cuncti generis illorum Paganorum solemniter prædicatum, quicunque in expeditione sibi conpetenti ad illam obsidionem veniret et eum ibi occumbere contingeret, cœlica Regna immediate attingeret. Fuit etiam ex parte civitatis Acheron, cruciferis, qui sibi præfuerunt, id agentibus procuratum, quod in cunctis generibus Katholicorum et finibus valenter et efficaciter prædicatum erat, quicunque ad civitatem Acheron termino ad id faciendum præfixo contra Paganos ad tuendam eam intuitu æternæ retributionis et divini amoris properarent, veniam omnium peccatorum suorum perciperent, et si eos illic decedere contingeret, sine purgatorio, imo sine medio ad cœlestem Patriam evolarent. Propter hoc de diversis partibus Christianitatis et regionibus multi exercitati in prælis viri ad urbem confluxerunt prænominatam: Ex parte autem Soldani, quia præceptum Regis urgebat, convenit maxima multitudo populi sicut arena maris, quæ præ multitudine dinumerari non potest: et illius multitudinis hominibus erat cor unum et anima una ad devastandam urbem ipsis tam contrariam et molestam et mutuo se inpellentibus in fossata magnæ altitudinis et latitudinis corruentes ipsa repleverunt: qui enim erant inutiles et minus expediti ad bellandum ad fossata urbis replenda trudebantur: multi eciam tantum accensi amore cœlestis mansionis, quam adipisci per hoc voluntarie, sine aliorum inpulsu oppinabantur, certatim ad fossata se præcipitaverunt, et fossatis usque ad summum per tales repletis, cæteri super eis anbulantes in muros inpegerunt, et continue sine intermissione vicibus sibi succedentibus ad minus per sex menses cum arietibus et aliis instrumentis bellicis urbem oppugnantes persistebant, Christianis viris bel-

 licosis

licosis et animosis super muris et turribus constitutis cum machinis et sagittis ac lapidibus toto conatu, totisque viribus rebellantibus et repugnantibus, nec per hoc proficientibus, sed in cassum laborantibus, quia paucitas eorum in conparatione ad extraneos, quorum infinita multitudo et inæstimabilis erat, non quibat inpetum tantum restringere vel cohibere. Fertur unum, quod mirari non cesso, quod sacerdotes Paganorum, quamquam in prima cohorte, se ipsos locaverint, voluntarie confisi de suis maleficiis ad oppugnandam Acheron, quantumcunque telis Christianorum inpetebantur, minime lædebantur. Fertur tamen, quod quidam Dominus Christianus de muro fortiter agens et hostes viriliter propulsans et reprimens, videns quendam Dominum Sarracenum præ omnibus acriter et incessanter murum infringere et ad desolationem urbis infatigabiliter nisum præbere, interrogavit eum, quis esset, quia eis præ cæteris horrorem et molestiam inferret, respondit, quod Soldani cognatus vel Affinis propinquus esset, et propter hoc tantum esset sibi cordi. Insuper adjecit, quod in crastino ascensurus et capturus esset locum suum, quod effectum perfecte sortiebatur. Pluries etiam audivi, quod illa die, qua civitas capta fuit, antequam caperetur, et jam capta esset in janùis, Soldanum in hoc verbum blasphemiæ prorupisse: Si Deus crucifixus jurasset super caput suum, oportet quod die hac relinquat mihi hanc civitatem: quod plenissime evenit sicut adhuc exitus rei conprobat nulla Dei plaga comitante: Quod dum factum esset, Katholici cuncti, qui poterant, fugam arreperunt, et se in naves sibi ad hoc in littore maris, cui urbs ex una parte imminebat, paratas receperunt, et salvi in suas patrias redierunt; qui cum navigare cœpissent, multi timore mortis attoniti eos jam quasi præmortui insequebantur conantes naves ingredi, et cum eis mortis supplicium evadere, cujus cum facultatem non habuissent, in mari submersi sunt. Cum vero Barbari urbem ceperunt, paucis pepercerunt, nam fere omnes deprehensos in ore gladii peremerunt, multos etiam in captivitatem redegerunt, qui adhuc hodierna die cum suis posteris eorum servitiis sunt astricti, in magna tamen ut fertur ab eis reverentia retinentur. Numerus autem Christicolarum in civitate deprehensorum et occisorum famatur extitisse LXX. millia; Paganorum vero multo plures propter pestilentiam inter eos exortam propter causam prædictam perierunt. Præterea in captione civitatis, quod est miserabile dictu, Pagani mulieres fideles formosas sibi placentes temeraverunt, et cum ad Monasterium Sanctæ Claræ venissent, et Moniales ibidem Domino servientes violare vellent, Abbatissa cum magna precum instantia ab ipsis vix inpetravit, ut dimissa eis castitatis sanctimonia post hymnum et canticum Domino persolutum ab eis capita earum reciperent. Cum ergo Antiphonam salve Regina devote percantassent flexis poblitibus, porrectis cervicibus Martyrum palmam capitis obtruncatione meruerunt. Vastata itaque est civitas et heu penitus desolata. In mercatibus et mercimoniis, ut audio, ad diversas terras deducendis primatum inter alias civitates tenuit, et ideo, ut dicitur, Pagani pœnitentia ducti amara quod ipsam desertam fecerunt: utilis enim toti orbi fuit et fructuosa. O Si Deus ad verba blasphemiæ Soldani supra dicta, quemadmodum quondam Rapsacis exercitum percussisset? O quantum fidei profuisset Christianæ, imo eam non modicum confortasset, et hoc dico judicio meo et humano, quia judicia Dei multa occulta et inscrutabilia sunt, qui novit, quare fieri permisit. Dicitur, quod habitatores urbis illius et præcipue capita Deum in suis iniquitatibus provocaverunt, non ergo mittam manum meam in Christum Domini, nec os meum ponam in cœlum, ut aliquid de hoc temere diffiniam, sed Deo totum, qui omnia novit et potest, et rationes eorum scit, committo.

Nicolaum IV. sequitur Cælestinus V. natus de terra laboris, vitam heremiticam prius duxit, et inde in Papam eligitur, et anno Domini MCCXCIV. Papatum resignavit. Sub quo Rex Adolfus de Nasowia in Regem eligitur anno Domini MCCXCII. Illo enim tempore Principes eum elegerunt vocatum Comitem Adolfum de Heidelberg, qui regnavit annis VI. Hic erat vehemens et audax in factis, et Principes, qui ipsum elegerunt, postea insurrexerunt contra eum, et Duci Austriæ Alberto adhæserunt: qui evocatus de Austria ab eis, iniit pugnam cum eo juxta Spiram in loco, qui dicitur Hasenbühel, sed Albertus Dux cum suis venit contra eum ex parte orientis orto Sole, et ille ex adverso, et erat indutus thorace aurea. Rex Adolfus nec voluit exspectare suos pedissequos, et in prima acie irruit super Ducem insignem, qui defensionem susceperat a Comite quodam, qui dicebatur *der Riche Grave*, qui misit manum suam in Christum Domini occidendo Regem, qui statim denudatus fuit, et thorax data est Duci Heinrico et fratribus Karinthiæ, qui illa die primam aciem direxerunt ad conflictum, quorum sororem Elizabet nomine Dux Albertus in matrimonio duxerat. Comes *der Riche* postea a suis interemptus est. Comites de Muntfort de monte forti divisi erant pro tunc contra se. Quidam cum Rege, quidam cum Duce fuerant. Comes de Veltkilch dictus Rudolfus vir strenuus et valens pugnavit usque ad noctem in strage met secundus ipse et Armiger suus Dominus Rudolfus Willer. De bello jam tacto sic rumor vulgaris in auribus meis, ab eis qui ei interfuerant de mea patria, personuit, quod Dux Albertus cum evocatus fuisset, sicut jam dixi, de terra Austriæ et concitatus contra Regem Adolfum, de partibus Sweviæ electorum virorum populum fortem et robustum, exceptis secum ductis de Austria, et exercitum paratum ad prælium congregavit et ad partes inferiores, pugnaturus cum Adolfo properavit. Rex autem Adolfus hoc audiens, de Alsacia et Renensibus, exercitu copioso congregato, præter magnam multitudinem pugnatorum venturorum de Bawaria, fugiendo tamen adversarium suum, ad partes inferiores Regni juxta Rhenum sitas festinus secessit. Dux autem Albertus cum suis tanta celeritate, et serio ipsum insecutus fuit, ut ubicunque in nocte præcedente fugiendo castra sua posuerat, illic in nocte sequenti Dux Albertus poneret eum persequendo, qui tandem velociori cursu Regem Adolfum præcurrentem præcucurrit, et locum, in quem causa tuitionis se contulerat, circumdans et infestans ipsum ad confligendum secum coegit: nam Rex Adolfus videns sed bellum declinare non posse, de cetero confidens de sua justitia et de exercitus sui multitudine, non exspectans turbam bellatorum copiosam adhuc in adjutorium sibi advenientium, quia nimis audax et præsumptuosus erat, conflicturus cum Duce Alberto contra eum processit,

sit, qui concurrentes in loco memorato prælium commiserunt, et aggravato bello et invalescente contra Regem, occisus est, et sic Albertus triumphans Regnum sibi usurpavit. Fertur autem inter ceteros pugnatores unum valde strenuum habuisse, qui adversarios fortiter cædens et multos prosternens, in galea demum suffocatus fuit propter nimium laborem, quo desudavit in belli certamine; mirabile dictu, quia postquam mortuus fuerat, tamen adhuc equo insidens et ab eo hinc inde in belli turbine portatus, veritus fuit, quia vivus æstimatus fuit. Hunc Albertus Rex de facto factus, post belli finem videns mortuum amare deploravit, et non inmerito, quia per ipsum in magna parte victoria potitus fuit. Præfatus Dux Rex effectus non de jure, sed per vim, regio honore a Principibus et militia Alamaniæ tractatus est.

Hic Albertus post egressum suum de Austria ad colligendam expeditionem præfatam, cum jam collecta Wintertur veniens, Thuricenses cives ibidem et alibi in locis sibi subjectis invenit captivos a tempore conflictus, quem ante dudum cum civibus in Wintertur commiserant, pro quorum manumissione et liberatione Dominorum et civitatum dum preces recepisset supplices, et ut animos eorum sibi conciliaret, et ut ad juvandum se inclinatos redderet, ipsos captivos ibi vel alibi detentos, salvis rebus et corporibus libertati suæ fecit restitui.

Post hæc, ut fertur, dum de Austria egressus fuisset propter causam jam inmediate tactam, et malitiam Thuricensium partim occisorum et in grandi numero captorum perspexisset, civitatem eorum potenter obsedit, et per aliquot dies ipsam graviter coangustavit et afflixit: Propter quod cives in terrorem inmanem versi, imo quasi desperati callidam adinvencionem seu astutiam, qua hostes terrerent ac deluderent, invenerunt, videlicet, quod mulieres cunctas illic præ aliis locis copiosas numero arma portare valentes, armis inducrent et eas cum cuspitibus super locum unum eminentem intra muros ejus situm, arboribus multis consitum, locarent, ut pavorem hostibus per hoc incuterent: nam patulus erat aspectus adversariis constitutis in monte vinetorum ad illum locum; quæ in oculis ipsorum multa millia armatorum apparuerunt. Cum autem illas in tanta multitudine considerassent et probabiliter æstimassent, suspicantes eas esse viros, supra modum attoniti Duci Alberto dixerunt: si ille tam ingens exercitus de civitate contra nos erumpet, in momento peribimus, imo quod majus et gravius est, si etiam contingeret, nos Deo dante civitatem oppugnando capere, similiter filii mortis erimus. Dux ergo hæc animadvertens, firmiter eis pacem donare, si peterent, alta voce repromisit: quod Thuricenses percipientes exierunt, et pacis fœdera humiliter postulabant, quibus Dux annuens recessit. Quidam vero ajunt, quod propter cædem et captivitatem virorum Thuricensium solæ quasi mulieres in civitate remanserint et ipsam custodierint, quæ attendentes se circumdatas et conclusas obsidione Ducis acerba, tremefactæ, quid facerent penitus ignorabant, tandem a vetulo propter senium et inbecillitatem suam in civitate relicto informationem acceperunt, ut ad dictum locum armatæ confluerent, et corizando illic hostium obtutibus lætitiam et pugnatorum multitudinem demonstrarent, ut sic seducti pacem civitati relinquerent et abirent: quod et factum est. Dicitur tamen, Ducem non latuisse illam industriam ante discessum suum, sed quia contentari voluit in captivis, nolens ultra civitatem molestare, et etiam, quia tantum causa ostentationis potentatus sui coram civitate comparere voluit in robore et virtute, voluntarie a turbacione destitit civitatis. Huic dicto argumentum præstat veritatis, quod postea captivos omnes diu fame, cruciatu, verecundia, miserabiliter afflictos salvis rebus et corporibus, ut dictum est, abire permisit.

Rex Albertus dum Regnum Alamaniæ adeptus fuisset possessione pacifica, accidit Regnum Ungariæ defuncto Rege suo absque liberis vacare et carere successore, quod tandem hæres verus de stirpe Regia Regni Siciliæ Dux et Dominus, ut fertur, Venetorum Andreas nomine obtinuit et possedit, qui licet potens, opulentus, generosus, satis esset, tamen, quia illic male parentatus fuerat, filiam Regis Alberti unam sibi in conjugem dari poposcit, qui dum sibi negasset, civitatem Wiennam Metropolim Austriæ cum exercitu grandi circumdedit, et civitatem tam atrociter coangustavit, quod Rex Albertus necessitate conpulsus filiarum suarum sibi unam tradidit in uxorem. Qui post aliquot annos Consorti cohabitatos, viam universæ carnis est ingressus, relinquens eam pinguibus reditibus prædotatam, quos multis annis sibi devectos in Alemaniam integre percepit.

Item de Rege Alberto narratur, quod quadam vice intoxicatus fuit, propter quod graviter ægrotare cœpit, cui Medicus poscenti ab eo suffragia in hæc verba respondit: Venenum quod hausistis a vobis expelli non poterit nisi per alterum oculorum vestrorum, cujus visum in continenti amittetis. Ad hoc Rex ait: Malo oculum unum quam vitam perdere: quod ita factum fuit, quia eo usque ad mortem caruit.

Hunc Regem Albertum fama vicio avaritiæ nimis excessive irretitum testatur: nam tantum lucris et rebus temporalibus inhyavit, quod castra, civitates et oppida suorum consanguineorum sibi indebite usurpavit: quod causam ante tempus morti suæ dedit. Unde factum est, cum regni gubernacula XI. annis tenuisset, profectus est in oppidum dictum Brugg in Argowia situm, et dum ante oppidum, sive extra muros ejus non longe patruelis Dux Johannes bona sibi ab eo ablata restitui amicabiliter postulasset, et hoc duris verbis sibi facere denegasset, et sua fore assereret, Dux Johannes ob hoc nimis iratus effectus, cum quibusdam Familiæ Regis pocioribus scilicet Domino de Wart, Domino de Eschibach, Domino de Balm et quibusdam aliis partem suam foventibus in necem Regis conspiravit et eum in loco memorato mox occidit: quo facto ipsi fugam arripientes festinanter in diversis locis, timore filiorum relictorum perculsi delituerunt. In loco autem, ubi interfectus est, Monasterium solemne in brevi constructum est cum Cænobio duplici sibi annexo in remedium animæ ejus: In cujus una parte locati sunt Fratres Minores dominio illi dilecti: In altero Sanctæ Claræ ordinis Moniales Domino in hymnis et canticis, jejuniis, orationibus, et lectionibus jugiter famulantes. Rex Adolphus electus fuit sub Celestino V. anno Domini MCCXCII. et sub Bonifacio VIII. ab Alberto Duce Austriæ occiditur, anno Domini MCCXCVIII. unde versus:

Millenis ac trecentis binis minus annis

In

In Julio mense Rex Adolfus cadit ense,
Per manus Australis processi Martiniani.

Rex vero Albertus sub Clemente V. a Johanne filio fratris sui occiditur, anno Domini CCCVIII. secundum hos versus:

Annis completis octo cum mille trecentis
Rex est Albertus gladiorum morte peremptus;
Contigit hoc Jacobi Festo sanctoque Philippi.

Et hoc factum in suo patrio solo. Hic Rex effectus juramentum fecerat Bonifacio VIII. fidelitatis et obedientiæ, propter hoc eum in specialem filium acceptavit. Sepultus autem est in Spira, sicut et Pater suus regia sepultura.

His temporibus, scilicet anno Domini CCXC. in medio fere æstatis sævissima grando importunissime veniens cum lapidibus in magnitudine pugni, arbores multas radicitus evulsit, mænia discerpsit, pecora necavit, volucres prostravit, omnia terræ nascentia sibi occurrentia vastavit, et in campis fætorem pessimum post se reliquit. Fertur autem hanc grandinem non solum in Alemania, verum etiam de mari ad mare percussisse; unde illa dies quasi typum extremæ diei gessisse dinoscitur.

Paulo, ut fertur, ante ista tempora Rex Franciæ de regno suo cunctos simul exterminavit Judæos, ut eorum cuncta sibi bona usurparet.

Circiter etiam ista tempora Apostolicus ob petitionem Regis Franciæ templarios propugnatores Ecclesiæ nobiles contra feritatem Paganorum abolevit, bona eorum pinguissima Regi conferendo, ut dicitur, minuta vero Hospitalariis.

Circiter annos Domini MCCXX. dum quidam prolictor in cemiterio oppidi DIESENHOVEN sepulcrum foderet pro mortuo homine in eo tumulando, sepultus in eo ante decem annos fossorem alloquebatur, et inter cetera verba, quæ sibi dixit, mortem sibi in proximo imminentem veraciter ac determinate prænunciavit.

In iis temporibus cœperunt pullulare multæ hæreticæ pravitates in Alemaniæ partibus præcipue, imo aliquæ tam enormiter excreverunt, quod cum dolore cordis mei refero, quod octo Articuli sunt ex eis districte a sede Apostolica in perpetuum condemnati, sicut patet in septimo Decretalium, titulo de hæreticis, capitulo, incipiente: Ad nostrum, qui desiderantur in votis ect. Sed heu tempore posteriori memorato circiter annos Domini MCCCXLVII. in aliquibus locis Sweviæ tam valenter in scandalum hominum gravissimum et fidei perniciosissimum detrimentum, tantum multiplicatæ ac longe lateque disseminatæ sunt ac radicatæ quod evelli et aboleri non possunt, prochdolor ad hoc, quod lamentabilius est, devenit, quod nemo eos visitare, corrigere, examinare vel corripere attemptat vel præsumit, et idcirco more Lolii seu Zisaniæ triticum suffocare solentis fidem inficiunt orthodoxam, plusquam Judei vel gentes, nec inmerito cum liberiorem accessum habeant ad fideles, quam exteræ nationes; unde fundamentum Ecclesiæ militantis subverterent penitus si Doctores eis non obsisterent.

Fertur, quod Bonifacius Papa Regi Alberto tunc demoranti in Kolmar civitate una Alsaciæ per duos fratres minores verbotenus et in scriptis instantissime supplicaverit, quod dignaretur terram Romodiolam uberem et sibi valde acceptabilem ob amorem sui sedi Apostolicæ erogare, quibus consilio habito bene cocto cum appocrisariis suis, respondit, sibi non licere possessiones imperii sibi vel aliis distrahere vel alienare, nisi vellet terram meliorem vel æquivalentem imperio vice versa conferre. Illis itaque reversis cum tali responso ad Papam, requisiti fuerant ab eo qualiter eis successisset, qui dicebant, optime quantum ad personas nostras, sed quantum ad intentum nostrum minime prosperati sumus. Et seriem rei et eventus, sic ut supra expressi differentes. Quo audito Papa indignatus supra modum, post paucos dies memoratos Fratres cum eorum non parva desolatione secundario ad Regem remisit cum Epistola hunc verborum tenorem tenente: videlicet, quod si prænominatam terram Sedi Apostolicæ finaliter negaturus esset, ipsum in filium adoptivum susceptum abnegaret, et ipsi regnum ultra non cuperet, nec ad Imperii coronam ullatenus acceptaret quia in Christum Domini manum misisset, occidendo Regem Adolfum filium suum perdilectum. Qua coram Rege et satrapis suis recitata, et diligenti consideracione habita, sine responsali littera Papæ destinanda remandavit, quod eum in Patrem habere contemnat, et Regnum et coronam Imperii minime ab eo capere ambiat, cum dare sibi nequeat, contradicente malicia sua, quia non per hostium, sed aliunde tanquam fur et latro Papatum perceperit et intraverit: Celestinum Papam suum Prædecessorem in similitudine celestis oraculi, quod Pontificatum resignaret, et ad solitudinem remearet, sicut et fecerat, seducendo. Quo responso dum Fratres prælibati de Kolmar civitate, in qua eum iterum repererant, ad Apostolicum reversi fuissent, ipsi de suo itinere sciscitant responderunt, quod Rex iterum sicut ante eos benigne recepisset reverenterque pertractasset et amicabiliter reliquisset, sed sibi heu nulla prospera vel placentia nunciarent, quæ dum Papæ clare mediante Anbasiatorum suorum viva relatione Fratrum Prædictorum, quod etiam Epistolæ Regiæ tristi tenore, patuissent, frontem sui capitis repletus stupore cum una manu percussit, dicens: Bene mihi respondit, verba enim pro verbis mihi reddidit. Timens autem propter hoc sibi dissensionem et persecutionem Regis inminere, et satagens futuro periculo salubriter occurrere, reddendo sibi Regem propitium et pacatum, ad quendam mox locum Tusciæ se contulit, ut inde Legationem pacis et reconciliationis Regi mitteret, eum ad se vocare gestiens, quod sibi cuncta placita liberaliter inpenderet et donaret. Cum ergo ad locum illum pervenisset, ut prætaxata illic disponeret, a Legatis Dominorum Romanorum nominatorum de Columna ad petitionem Regis Franciæ, quem anathematizaverat, præventus et retractus est, et Romam deductus est, et arcte custodiæ carceris intrusus injectusque. Hic Rex Albertus, postquam perdomaverat Boëmos, Henricum Ducem Karinthiæ, qui tunc Regnum Boemiæ occupaverat, de regno illo fugavit, et Rudolphum filium suum seniorem inter cæteros terræ præfecit, et in Karinthiam Ducem redire conpulit; veruntamen usque ad mortem suam se Regem Boemiæ intitulavit.

Paulo post prædicta quædam mulier in Walastat devota Fratribus Minoribus defuncta, sed mondum sepulta revixit, et erigens se super feretro, in quo

quo adhuc jacuit, vestimentis funeralibus insuta, sepulturae jam tradenda, coram multis hominibus praesentibus in stuporem versis ingentem, narravit, se fere fuisse damnatam propter quoddam delictum suum in confessione non detectum, quia ipsam confiteri erubuit, sed per interventionem sancti Francisci, cujus fratribus multum benefica fuerat, liberatam, resuscitatamque et vitae restitutam, quousque peccatum absconditum in confessione Terminario fratri Minori faciendam, tunc non longe a loco illo constituto, quo facto, sicut praedixerat, spiritum iterum exhalavit. Haec, ut fertur, antequam secundario mortis debitum persolveret, plura secreta absentia et longe existentia cum quibusdam in futuro tempore eventuris disseruit, quae omnia evidenter hominibus tandem patuerunt post tunc suum secundum obitum. Multa terribilia. In domo illa diu noctuque Spiritus quidam malignus dolens de subtractione animae mulieris memoratae patenter exercuit, quae hominibus inhabitantibus domum illam pavorem grandem et tremorem incusserunt. Haec domus Fratribus Minoribus pro hospitio fuerat collata, per quorum inhabitationem daemoniaca saevicia repressa fuerat et sopita. Affirmavit insuper haec mulier in sua revivicacione coram multis personis circumstantibus eam, quam gloriose Fratres Minores coram Domino apparerent, quod luce clarius in sua defunctione se asseruit conspexisse: Unde factum est, quod propter haec et alia Fratres praenominati ibidem deinceps per multorum curricula annorum acceptiores fierent.

Pluribus annis revolutis post praedicta, extra muros civitatis Rotwil una nocte in quodam molendino Nekaro fluvio annexo spiritus unus vel forsan plures, quinque homines strangulavit, uno vel tantum duobus hominibus molae illaesis remanentibus, qui istos ante diluculum suffocatos repertos aliis enarraverunt, qui cum stupore et planctu totius civitatis tumulati sunt.

Circiter ista tempora quaedam filia meae confessionis pulchra et decora satis in villula quadam commorans, quia villana vel rustica fuit, dum cujusdam diei diluculo, ad calefaciendum se apud ignem sederet in domo sua in qua sola vel metsecunda vitam miseram actitabat, viro honesto, quem etiam novi, ultra stratam in casa e regione posita degente, jam in strata regia ligna secante, jam lucis orientis sydere quidam vir niger de stabulo, vel, ut verius loquar, de faeno super stabulo jacente egrediens visibiliter, et contra eam progrediens, unum pedem ipsius violenter, ipsa renitente, in ignem ponendo vel tradendo absumpsit.

Post haec surrexit filius Regis Alberti alter Jehu dictus Lupoldus in furore magno, et severus ultor factus est sanguinis Patris sui, nam Dominum de Wart post fugam redeuntem et in via sibi proditum deprehendit et arctae custodiae mancipavit, cui cum objiceretur quod latrocinium et crimen laesae Majestatis commiserit, verum Dominum suum occidendo, respondit, quod non Dominum, sed malefactorem occiderit, qui manus suas cruentas miserit in Dominum suum verum et proprium Regem Adolfum interimendo innocentem. Tandem tamen post istam temeritatem in serventissimam poenitentiam suorum scelerum deductus est: sed in ultionem flagitii sui absque judicio ac sine sententia crurifragio et rotacione consumptus est. Rotatus vitam finivit, qui Domini sui et benefactoris praecipui turpiter vitam ademit. Unde verbum Prophetae in eo verificatum est, dicentis: Qui edebat panes meos, magnificavit super me subplantacionem. Tribus diebus vixit super rota, uxore sua, ipso ignorante, tam diu, ne ipsum in animae suae salute ibi agitanda inpediret, subter rota demorante. Non est dubium, quin acerbissime doloris gladius ipsam pertransierit. Castrum suum, quod habuit juxta Wintertur, funditus destructum est, tota sua substantia ibi et alibi direpta est. Insuper castrum fratris sui cum suis pertinentiis amenissimis per incendium, quod oculis meis vidi, vastatum est, qui post multis annis, quasi in tugurio in domo rusticana deguit, et quia immunis erat a scelere fratris sui haec indebite meo judicio passus est juxta illud juris: Pena suos debet tenere auctores, nec est ulterius extendenda, quam delictum sit in excedente repertum. Item juxta verbum Ezechielis Prophetae: Anima quae peccaverit, ipsa morietur, supple, et non alia. Et sic patet ultio, quam accepit de uno Dux Lupoldus. Quomodo autem ultus sit patrem in conp'icibus suis, consequenter, sicut et quantum mihi innotuit, pertractabo. Castrum excelsum Domini de Eschibach dictum Schnabelburg prope Thuregum situm, obsidens paucis diebus cepit et solo coequavit: Castellum quoque, a quo denominatus est, vocatum Eschibach radicitus subvertit et alia bona ipsius diripuit; Ipse vero profugus factus est, et in terra longinqua defunctus. Dux vero Johannes patruelis Regis, auctor sceleris fugitivus effectus penitus de terra et cognatione sua exterminatus est, et in partibus alienis de medio sublatus; bona vero sua cuncta Dux Lupoldus sibi et suis in perpetuum vendicavit, et postea per sententiam Heinrici Imperatoris successoris Patris sui Ducibus Austriae sunt jure proprietatis et haereditario adjecta in perpetuum duraturo. Insuper Dominus de Palm effugiens etiam manus Ducis Lupoldi et fratrum suorum, in terra ultra non apparuit, cujus Castrum dictum Alburren situm in Ergow Dominus Lupoldus obsidens pluribus diebus cepit, et deprehensos in eo auctores et fautores homicidii Patris sui XLV. decollari secundum ordinem super uno sulco praecepit. Praeterea cum Dominus de Vinstingen patronus et protector praedictorum sceleratorum virorum factus, quadam die Duci Lupoldo insidias apud Argentinam posuisset, et hoc Duci significatum fuisset, congregavit exercitum, et ad terram Domini de Vinstingen properans, ipsam per incendium devastavit. Ecce quam gloriose vindicavit mortem Patris sui Dux Lupoldus? Laudabilissime autem in illis decapitatis. Unde adinpletum est in eis verbum Christi, in Evangelio dicentis: Qui acceperit gladium in gladio peribit; et verbum Sapientis dicentis: In quo quis deliquit, in hoc et punietur.

Post haec Dominus Henricus de Lyzlenburg anno Domini MCCCIX. in Regem Alamaniae, postea in Inperatorem confirmandum et coronandum eligitur. Anno autem Domini MCCCX. idem a Clemente V. Papa ad titulum Imperialem vocatur.

Coelestino V. Papae hoc nomine successit Bonifacius VIII. natione Tuscus, et anno Domini MCCXCVI. in Papam eligitur. Hic, ut fama testatur, suum Praedecessorem Coelestinum V. ut Papatum resignaret, taliter fefellit: nam cum esset Clericus magnus, aspirans medullitus ascendere dignitatem

tatem Papalem, Cœlestino humili et devoto viro in similitudine quadam vocis angelicæ, cum esset orationi deditus, elapsæ de cœlo, suggessit, ut Papatui renunciaret et alteri relinqueret. Qui voci hujuscemodi satisfacere volens, putans eam advenisse divinitus, Papatum postposuit. Postea vero Bonifacius creatus, sextum Decretalium conpilavit, et annum Jubileum solemniter celebravit. Idem anno Domini MCCC. Regem Franciæ excommunicavit. Rex vero Franciæ eum hæreticum appellavit, et eodem anno Bonifacius obiit, quem plures asserunt a Dominis nuncupatis de Columna Romanis ob aliquam injuriam, quam eis intulit, turris altissimæ custodiæ mancipatum, et in ea manus suas præ nimia fame, quod est horribile dictu, devorasse.

Paulo ante ista tempora quidam nauta tempore hyemali navem mercimoniis valde onustam de Constantia Lindaudiam ducens, cum attigisset castrum dictum Wasserburg, et dies declinata esset ad vesperam, propter algorem insolitum et intemperiem aëris intolerabilem, ibidem applicuit, et dum neminem haberet, cui rerum navis custodiam vigilem committeret, et ipse in propria persona frigus horribile permanendo in navi sustinere non valeret, navem cum rebus Beato Georgio Patrono in Ecclesia Parochiali sita intra muros castri prædicti fideliter commendavit. Cum autem nauta a navi discessisset, et ad domum unam ad calefaciendum et recreandum illic sitam se contulisset, quidam rusticus videns nautæ absentiam et rerum navis copiam, navem intravit, et saccum unum frumento refertum, ut eum tolleret et domum portaret, super suos humeros posuit, et cum unum pedem extra navim locasset, altero adhuc intus remanente immobilis sic contra omnem voluntatem suam usque ad diluculum permansit, quem nauta sic inveniens irato animo arguit, et furtum sibi objiciendo ad judicium trahere conabatur, ut illic apud Judicem accusatus pœnas furti attemptati exsolveret: Propter quod fur terrore concussus nautæ voce lacrimabili supplicavit, ut sibi ignosceret, quia nunquam plus tempore vitæ suæ furandi animum, nisi illa hora habuisset, sed hac vice instinctu quodam diabolico validissime ad furandum attemptatum, et propter hoc, sicut cerneret, confusibiliter divina virtute percussum; Cui nauta hoc audiens, misericordia commotus simpliciter condonans ipsum illæsum abire permisit. Ipse vero cœptum iter conplens navigando, salvis rebus suis Lindaudiam pervenit, quia custos suus Beatus Georgius mirificus, sicut ab eo poposcerat, ipsas integras conservavit.

Circiter idem tempus tempore æstivali quædam nubes grandis et aquosa nimis ultra Wintertur apparens, resoluta fuit, et alluvium rapidissimum et valde ingens procreavit, et contra Wintertur inpetuose fluens cunctos terræ fructus sibi occurrentes et inventos devastavit, homines de planiciebus fugavit, et ad montes ascendere coegit, arbores radicitus evulsit et subvertit, et in una arbore mulierem deprehensam quandam, quæ ipsam scandendo ascenderat, ut aquæ impetum furiosæ effugeret, infra Wintertur ad villam unam vocatam Wulflingen devexit: Fossata vero oppidi Wintertur vicos et plateas replevit, et tandem evanuit.

Dux Lupoldus propter varia magnalia supra recitata et propter alia plura his infra narranda pluribus Principibus Ecclesiæ et regionibus stupore plenis et admiratione, desiderabilis factus est; unde sibi non inproprie adaptari quodammodo potuit verbum Psalmistæ dicentis: In omnem terram exivit sonus eorum: In tantum enim invictæ virtutis suæ nomen in finitimis et circumpositis regionibus personuit, quod Rex Franciæ regnans tum temporis, præ cæteris Principibus terrarum circunjacentium, desiderio videndi eum speciali accensus in tantum fuit, quod sibi significare per epistolas et Legatos omni reverentia dignos seriosius curavit, quod ad eum ad locum aliquem sibi placibilem declinare dignaretur: Nam beatum fore se æstimaret, si ejus in brevi jocunda præsentia perfrui mereretur. Hiis auditis Dux Lupoldus voto Regis exhyleratus satisfacere cupiens, collecta militia electa et copiosa ad Regem profectus est: Dum autem usque in Burgundiam pervenisset, Regem præcognoscentem adventum suum in apparatu incredibili recipientem eum in visceribus Karitatis, cum reverentia indicibili obvium habuit: Sed dum Rex Franciæ Ducem Lupoldum progredientem ad se, ante non sibi cognitum, præ cæteris comitivæ suæ gracilem et parvæ staturæ, vestitum tunica grisea coopertumque capite virgato seu acuto pileo, aspiceret, mirari ultra modum tacitus intra se, ac verbotenus coram familia sua se deducente et familiariter assistente, cujus informatione et revelatione eum Ducem Lupoldum cognoverat, cœpit, dicendo: Divini muneris est, non humani, quod tam exiguus homo in corpore, tam magno robore vigeret, et tantæ excellentiæ gloria atque tantæ potestatis, magnanimitatis, et famæ magnificencia per plura orbis climata præpolleret. Cum autem ambo cum suis exercitibus dulci salutationis alloquio, indiciis amoris mutui, benevolentiæ amplexibus, benignitatis et amicitiæ affatu mellifluo, osculoque pacis, et societatis sinceræ, honoris et reverentiæ quoque multimodis argumentis dum convenissent, se recepissent et prosecuti se in alterutrum fuissent, ad convivia et ad solatia inmensa et innumerabilia, et ad ludos diversi generis, et ad spectacula se contulerunt. Cum vero plures dies in deliciis et voluptatibus seculi peregissent, et Rex singulos magnates et nobiles Ducis insignibus exeniis et preciosis muneribus honorasset, et tractatibus, confabulacionibus, consiliis in causis arduis, dulcorosisque consorciis et graciosis mutuis aspectibus diu desideratis, se recreassent, cum conjuratione ad invicem indissolubilis Karitatis deinceps habendæ, ab invicem cum valedictione amicabili discesserunt, ad propria remeantes.

Circiter ista tempora, scilicet circiter annos Domini MCCXX. Rex Persarum volens scire, quæ sectarum certior esset orbis inter omnes alias, misit pro universis sapientibus et prudentibus Magistris, Doctoribus, tam de paganis, quam Christianis et Judæis suæ ditioni subactis, quatenus ad diem statutam et præfixam eis sub obtentu suæ gratiæ, omnibus negociis postpositis, se suis aspectibus præsentarent: Quibus congregatis et coram eo conparentibus universis, sciscitabatur ab eis, quæ mundi verior et certior esset fides. Cui quæstioni singulæ sectæ respondentes, seipsas præ cæteris in certitudine et veritate pollere asserebant. Hiis auditis Rex iterum a singulis inquisivit sectis, quam post se veriorem et securiorem ad credendum affirmarent. Ad quam interrogationem singulæ secundario respondentes, fidem Katholicam post se sectis omnibus tanquam approbatam

batam et autenticam praetulerunt. Quibus Rex responsionibus concludendo subintulit, dicens: Ergo secundum dicta vestra secta Christianorum certissima est et verissima potens salvare hominem. Ejus professorem fecit ergo fratrem suum carnalem Christianum fieri sacrum Baptisma suscipiendo; ipse autem in Paganismi ritu remansit, nolens amittere suam regiam dignitatem, quam utique immediate perdidisset, si fidem cum fratre Katholicam assumsisset. Frater vero proficiens paulatim et succrescens in fide, perdurarit in ea usque ad obitum Regis: Quo defuncto a fide Christi apostatavit, ut Imperium fratris carperet haereditando, postposita et abjecta fide: Nam si in ea perseverasset, ad regnum relictum a fratre mortuo possidendum ineptus fuisset. Antequam igitur regno Perfidis privari ac carere vellet, potius fidem orthodoxam, extra quam non est salus, resignare voluit. Unde patet in hoc, quod radicem fidei non habuit, quia ad tempus credidit et in tempore tentationis, scilicet prosperitatis, recessit, a fide desistendo, apicemque regalem amplectendo.

Circiter illa tempora quidam vir ex instinctu forte Diabolico concipiens taedium et displicenciam vitae mortalium, ascendit pontem Rheni apud oppidum Stein, ut fertur, et dicendo: Quid est vita ista mundana, nisi manducare et bibere, dormire, concumbere, in sero cubatum vadere, in crastino surgere, frequenter pedere et egerere, mingere, laborare: In profundum fluvii se de ponte praecipitem dedit, ut a fluctibus ejus absorptus et submersus, a vita tolleretur praesenti.

His etiam fere temporibus dum multi Christicolae in Baldach civitate maritima dedita cultui Machmeti, applicuissent, et unus ex eis nacta opportunitate fenestram unam, per quam Saraceni Machmeti Sanctuarium quoddam tangendo adorabant, stercore suo in eius contemptum faedasset, et hoc idolatrae conperissent, eos saeviendo peremissent, si non ad asilum confugissent.

Bonifacio VIII. successit Benedictus XI. natione Lonbardus de ordine Praedicatorum, et sedit menses X. diesquatuor, qui constitutionem praedecessoris sui scilicet super Kathedram benignissime declaravit, qui, ut ab aliquibus fertur, haustu veneni sibi fraudulenter porrecto extinctus est. Incipit autem declaratio sua memorata: Cum inter cunctas. Quae si adhuc in suo robore inviolata persisteret, Fratres Praedicatores et Minores in Ecclesia gloriosiores essent.

Cui successit Clemens V. natione Vasco, qui declarationem sui Praedecessoris retractavit: Nam apud Viennam concilium celebravit, ubi septimum Decretalium statuit, sed tandem poenitencia ductus, sub praecepto publicari prohibuit, qui tamen per suum successorem publicatus est: Ubi super Kathedram constitutio Bonifacii VIII. per unam Clementinam, quae incipit: Dudum a praedecessore edita; renovata est, in praejudicium et gravamen magnum ordinum mendicantium.

Circiter ista tempora ingens multitudo fidelium mota cujusdam praedicatione ad eripiendum sepulcrum Christi et terram sanctam de manibus Paganorum surrexit, qui praeparantes se ad iter perficiendum incedebant bini et bini secundum ordinem armati et valde disciplinati, petentes in singulis locis, quae praeteribant, eleemosynam seu suffragium ab hominibus pro passagio et pro tam salubri itinere voluntarie assumpto consummando; qui magnam quantitatem pecuniae taliter colligebant: Nam in singulis oppidis, villis vel civitatibus, quas cum vexillis cruce Christi splendide depictis perambulabant, homines ad visitandos eos turmatim confluxerunt, et eis certatim manus adjutrices porrexerunt: Qui coeptum opus non conpleverunt, sed mari apud Marsiliam et aliis locis appropiantes, et ipsum procellosum forte videntes territi, cum peccunia sic turpiter acquisita redierunt. Unde verificatum fuit in eis verbum Psalmistae dicentis: Mare vidit et fugit. Et hoc dico mari passive sumpto. Nam secundum aliquos, quando mare viderunt, illico fugierunt. Quidam vero ajunt, eos ab initio deceptores fuisse, et callide res hominum tali modo surripuisse, et sic malo titulo possedisse. Ignorantia enim et aliqualis coactio excludunt voluntarium simpliciter. Hi radicem non habebant etiam primo modo, quia tempore temptacionis recesserunt. Hos ego vidi et tunc fueram scolis nuperrime applicatus.

De Imperatore Heinrico (VII.) de quo narrare exorsus sum, sciendum est, quod postquam a Principibus legitime et concorditer electus fuit et hoc constaret Papae Clementi V. per Decretum ipsorum et Legatos Heinrici Imperatoris, et ab eo et suis Cardinalibus de Persona Heinrici et de fide ac probitate, moribus, statu et conditionibus ejus, facta discussio et examinatio esset, et ipsis conplacuisset: In continenti Rex Romanorum nominatus, denunciatus et declaratus fuit. Et post haec quemadmodum Heinricus petierat de Avione, ubi tunc Papa cum curia residentiam habuit, in urbem Romanam per Cardinales, Papa consecrationis et coronationis insignia sibi transmisit. Quo facto Heinricus ipsis loco Papae juramentum, quod debuit, fidelitatis et obedientiae exhibuit. Heinricus autem aliqualiter postea, ut Papae videbatur, in juramento claudicavit: Ipsum partim denegando, quod patet in septimo Decretalium, in una, quae incipit: Principes Romanorum ortodoxae fidei.

Inter Heinricum Inperatorem et Regem Appuliae Ropertum materia grandis turbationis et discordiae orta est: Nam Inperator asseruit, quod Rex Appuliae Ropertus contra eum cum quibusdam conspiraverit, et quod Inperii civitates sibi rebellare fecerit, et bona ab eo Inperii occupata restituere recusaret, et insuper officiales suos a locis suis amoverit, suis loco eorum institutis, et propter hoc crimen laesae Majestatis eum incurrisse, quem cum citasset et non conparuisset, contumacem eum appellans, et laesae Majestatis crimine reum processus fecit contra eum privando eum omni titulo dignitatis quocunque nomine censeretur, et cum hoc sententiam mutilationis capitis ipsius publice promulgavit, sicut etiam in VII. Decretalium innuitur, in uno capitulo, quod incipit: Pastoralis cura sollicitudinis. Narratur de hoc Inperatore, quod cottidie volebat Missam habere in Nota, imo in propria persona devote et reverenter audire voluit quoque, ut quidam affirmant, omnes horas canonicas in curia sua solemniter decantari. Ante introitum suum per montana in Italiam, totam Alemaniam pacificavit et sibi subjugavit.

Hic dum intrasset terram Ytaliae quandam civitatem nuncupatam Pris sibi rebellantem invenit, in quam tanta multitudo bellatorum ad defendendam urbem et ad resistendum sibi convenerat, quod prae nimia pressura se mutuo conprimentes vix actus poterant

rant bellicos exercere: Ipse vero Imperator obsidendo eam, tanta multitudine et tam copioso exercitu ipsam circumdedit, quod dinumerari non poterat nec aestimari. Prout enim audivi a quodam milite, qui eidem obsidioni interfuerat, plura illic fuerunt, quam centum centena millia: Nam campus circumjacens civitati ex omni parte occupatus erat in tantum, quod nemo populum cunctum plene conspicere valebat: Fines enim ipsius nullus oculus quantumcunque acutus vel altus attingere poterat: Quocunque enim oculus vagando vertebatur, ibi populus diffusus latus cernebatur. Item alius miles de Alamania, qui etiam sub Imperatore in obsidione illa militabat, mihi recitavit, quod Imperator jubebat recenseri vexilla exercitus; quod nullo modo prae nimia multitudine fieri potuit. Durabat autem obsidio illa XXII. hebdomadibus. Infra illud tempus tam in civitate, quam extra propter pestiferum et infectum, aerem ortum propter eorum nimiam multitudinem et intollerabilem et propter nimis artae conpressaeque commansionis diuturnitatem inter eos innumerabilis multitudo fuit mortua, ita quod vix decimus de tanto populo incolomis ad patriam rediit; et adhuc cum reversi fuerant, plurimi propter corruptum aerem ibidem haustum defuncti sunt. Quidam ajunt, quod omnes aquae circa civitatem fluentes veneno corruptae fuerint a terriginis illius regionis, et hac de causa viri in obsidione positi, potantes eas obierunt, et mortalitas illa fuerat subsecuta. Frater quoque Inperatoris vir utique magnanimus et robustus de civitate telo emisso percussus est ad mortem. Sed Inperatrix mortalitate praefata saeviente in populo de medio sublata est. Ecce quanta pestilentia hominum tam inopinate subsecuta fuit, ita quod stupor est dicere vel redigere in scripturam. Multa itaque mala Inperatorem in illa obsidione conprehenderunt. Tandem Burgenses civitatis illius cum suis stipendiariis et auxiliatoribus multipliciter afflicti, quod ultra non quibant conservare ac defensare ab hostibus civitatem, desperantes ipsam in manus Imperatoris resignaverunt, pacis foedera humiliter postulantes, quibus facilem praebebat assensum, tali tamen conditione adjecta ut in pluribus partibus ad spatium XXX. vel XL. cubitorum murum civitatis dirumperent, et quatuor stratas regias facerent per medium civitatis. Praeterea cives talliavit in multis millibus puto XX. auri et argenti, quibus adeptis a loco illo discessit.

Praedictorum militum mihi unus narravit, quod Inperator in eadem obsidione constitutus, de alia civitate dicta Pisa Lonbardiae sibi semper fideliter assistente, tentorium habuit sibi inde missum cum micantibus excellentissime et luculentissime nodis, de super nobilissimo panno contextum, de supter vero lineo panno vel canapino bene reparato, quod tantae latitudinis vel amplitudinis fuit, quod duo milia virorum commode sub eo discumbere valebant, excepta familia Imperatricis constante ex XL. pedissequis seu ancillis ipsam tantum respicientibus et duodecim servis. Continebat etiam sub se diversas officinas ad diversos usus deputatas, nec non citra trecentos equos: Quod tentorium XII. servi vix sex diebus erigere et locare valebant.

Ajunt etiam, dum ad urbem Romanam venisset, ubi per duos menses moram contraxit, et per duos Cardinales, sicut supra dictum est, missos sibi a Papa coronationis et consecrationis insignia reciperet, interim, sicut moris ab antiquo fuisse astruitur, Teutonici cum Romanis super ponte Tyberis conflictum acerrimum commiserunt, ubi dum fortiter agerent et usque ad internecionem et sanguinis multam effusionem Italos seu Romanos absque trepidacione omni misericordia oblita percuterent, quod Tiberis multo cruore permixtus et aspersus fuit: Nam in magna parte rubens apparuit. Romani hoc videntes valido clamore Imperatorem invocabant, ut Alemannos compesceret, quod a suo furore desisterent, quo inebriati multos Romanos occidissent, et nisi eos refrenaret, innumeros Romanos prosternerent. Quo audito Imperator imperterritus in magna praesumptuositate ac elatione mentis suae fertur dedisse responsum; quod secundum querimoniam vestram Germani Romanos tam crudeliter usque ad internecionem ceciderunt, argumentum mihi est, quod eos pro stipendiariis minime conducere et praemiari curarent.

Cum igitur Heinricus Imperator Romam in manu forti et brachio extento sibi ad unguem subjecisset, et ibi omnia secundum omne votum suum ordinasset, Germaniamque, Longobardiam, Galliam et Italiam suae ditioni subdidisset, triumpho potito de civitate dicta Prisa, pauco tempore evoluto in Appuliam sibi rebellantem, in aliquot civitatibus Imperialibus, quemadmodum supra breviter perstrinxi, profectus est, ut et illam cum Rege suo contra eum, quasi contra stimulum calcitrantem perdomaret, et suo jugo, sicut merito debuit, applicaret. Cum vero adhuc in procinctu itineris esset constitutus, et igne divini amoris medullitus fervesceret, in tantum quod desideranti animo Corpus Dominicum toto mentis affectu percipere gestiret, ut suo voto mox divinitus immisso satisfaceret; In quodam loco ad id faciendum se multo devotionis studio contulit. Quod intelligentes quaedam civitates sibi adversantes, Cappellanum Imperatoris approbati ordinis, ut fama publica protestatur, quem tamen ad deferendum ei reticeo, a quo more solito Sacramentum id percepturus erat, Episcopatus in proximo sibi conferendi et aliorum munerum promissione agitatae instinctu Diabolico corruperunt, ut latenter in communionis administratione venenum Imperatori immitteret et sic occideret. Quibus ille malignissimus traditor, et more Judae mercator pessimus, excaecatus malitia sua acquiescens post sacrosanctae hostiae Inperatori porrectam refectionem et ab eo reverenter sumptam, in communione calicis venenum in juncturarum digitorum manus suae conplicatione occulte et dolose conditum et reservatum potui vini invisibiliter immiscebat; et Inperatori epotandum praebebat: Quo exhausto sentiens se Inperator intoxicatum, dixit communicatori: Video, quod intoxicastis me, et ideo quanto cicius poteritis fugam inite, ne in ultionem mortis meae mihi illatae a nobis in frusta concidamini. Qui aufugiens Episcopatum sibi promissum pro mercede adeptus est. Medici autem haec notantes persuaserunt Inperatori, ut potionem ab eis, quo venenum evacuaretur et extraheretur, acciperet, si sanitati restitui vellet. Quibus ipse taliter respondit: Deum meum sumpsi, cum illo etiam moriar animo libenti, Nam si sibi plus vita mea super terra placeret, me utique custodisset, vel me adhuc incolumem faceret, et virtuosius et efficacius posset; quam vos, cum omnia possibilia sint apud eum. Dum ergo medicinam recusaret infra triduum a car-

nis

nis ergastulo feliciter migravit, ut pie credendum est, et deductus inde in civitatem dictam Pis, honorifice ac solenniter conditus est regia, ut ipsum decuit, sepultura. Obiit anno Domini MCCCXIII. anno regni sui quinto X. Kalend. Septembris. De cujus jussu graviter Dominus de Wirtenberg damnificatus fuit per devastationem terrae suae.

Hic (Henricus Imp.) adhuc vivus et sanus existens firmiter decreverat, si, Domino sibi favente, Appuliam contra eum rebellantem suo Dominio subjugaret, mox robusto et copioso exercitu congregato mare transfretare vellet, ad subjiciendas sibi barbaras nationes. Quidam ajunt, quod postquam Mediolanum cum labore et alias civitates sibi rebelles expugnasset, tandem civitatem Pisis obsedit, in cujus obsidione propter nimium laborem suum apostema incurrit, quod primo sensit in assumptione Beatae Virginis corpus Christi recipiens, et de hoc exierit sermo, quod in calicis participatione intoxicatus fuisset, electus fuit in Franckenfurt circiter Festum sancti Martini, et in Regem Romanorum consecratus est Aquisgrani in Epiphania. In morte Imperatoris verificatum fuit verbum Evangelii dicentis: Inimici homines domestici ejus; et Jeremiae Prophetae dicentis: In omni fratre tuo non habeto fiduciam, omnis enim frater incedit fraudulenter.

Hic erat regula Justitiae, summa Legis, Lux Ecclesiae, fidei inmobilis columna, insolentium silentium, lima correctionis, zelator praecipuus veritatis, fidelis in commissis, constans in promissis, amator sedulus latriae, norma temperantiae, castitatis speculum, liberalitatis exemplum, forma justitiae, defensor et patronus pauperum, imitator egregius Evangelicae doctrinae. Hic talis et tantus, quod cum maxima cordis mei amaritudine loquor, veneno necatur, quod heu Christianae disciplinae ruina et plaga perniciosissima fuit: Nam maxime ei derogavit, quod in altissimo sacramento Religionis Katholicae homo tantae superemimentiae interemptus est. Nam ubi in nostris temporibus affluentissime vernat fides credentium; et in sacramento, in quo maxime dependet devotio modernorum, ibi nefandissimum scelus perpetratum est, scandalum etiam perpetuo duraturum, quod infidelibus nauseam et displicentiam generavit nostrae professionis, imo insultant nobis per hoc, dicentes: Si illa species, quam sumunt et reverentur Christiani, Deus esset, tam execrabile et horribile facinus sua in specie et participatione fieri nullatenus permisisset. Et quia nobis taliter insultant judicio humano et sensuum meorum compellor dicere et exclamare, dicens: O Domine quare finivisti, vel si ob aliquam causam tibi soli notam finere voluisti, quod est in tam grande judicium et detrimentum fidei, quare ergo secundum verbum sapientis non innovasti tua signa et immutasti tua mirabilia ad demonstrandam potentiam dextrae tuae et ad firmandam plebis fidem, sicuti caecum a nativitate illuminare voluisti ad manifestandam gloriam tuam, et Lazarum quatriduanum in monumento jam foetentem resuscitare? Sed quando ista revolvo in mente mea, et Domino obicio per modum argumentacionis et altercacionis, quemadmodum fecit Domino Jeremias Propheta dicens, quasi disputando et contendendo: Quare Domine impius prosperatur in via sua; rursus confligendo in me ipso, in memoriam reduco, quod consilia Domini et cogitaciones nemo novit, et judicia Domini abscondita et inscrutabilia sunt; Et sicut in Isaja dicitur: Perscrutator Majestatis opprimetur a gloria; Et quod in Ezechiele Propheta dicitur: Quoniam sicut coeli exaltati sunt a terra, sic viae meae a viis vestris. Et David dicit in Psalmis: Defecerunt scrutantes scrutinio. Et sic cogitando ista, Domini potentiam et Majestatem, sapientiaeque infinitatem, et meam fragilitatem ignorantiamque perpendo, et decidens in me ipsum obstupesco, meamque curiositatem et praesumptuositatem reprehendo, et agens poenitentiam tales frivolos cogitatus postpono, et Deo, sicut debeo, totum committo: Tamen concludendo sermonem jam habitum, dico, quod religiosus ille, qui intoxicavit invictissimum Imperatorem, Christianitatem prophanavit, confudit ordinem, temeravit Imperium, corrupit quidquid erat religionis, quod legis, quod vitae, quod morum, quod fidei, quod disciplinae, quod Sacerdotalis dignitatis, quod Monachalis reverentiae, perdidit et confudit.

Quod Heinricus Imperator Sanctus et incontaminatus fuerit et a peccatoribus gravibus segregatus, in multis virtutum suarum insignis, quae causa brevitatis dinumerare omitto, luculenter apparet, specialiter lucet luce clarius in hoc, quod sentiens se in communione ab illo malefico Monacho, filio Diaboli, cujus opera fecit, occidendo caput Ecclesiae nobilissimum, imo fere totius mundi, si vita sibi comes affuisset, intoxicatum ipsum charitative admonuit, ut fugeret si mortis supplicium evadere vellet. Dico autem explanando dicta mea, hunc Monachum filium Sathanae extitisse faciendo opera ejus, occidendo Caesarem, quia secundum Evangelium Johannis Daemon ab initio fuit homicida, et in veritate non stetit. Ergo bene dico, quod hic filius ejus erat, non fuit filius Abrahae, quia opera ejus non patrabat: Unde dicitur: Patrem sequitur sua proles.

Tunc temporis puer ego existens audivi, quod Fratribus Minoribus in terminis annonam petentibus multa contumelia irrogata fuerat, et multi terrores multusque contemptus, quia primo rumor, et postremo vulgaris exiit de iis, quamvis inmunes ab illo inmani crimine per Dei gratiam ipsos praeservantem penitus fuerint, quod Regem Romanum veneno peremissent; Non tamen dico, quod ordini quicunque est sit inponendum interficientis unica et singularis malitia, cum ceteri illius ordinis malefactori assensum non praebuissent, nec conscii sibi criminis illius extitissent. Unde reatus illius extendendus non fuit in caeteros vel singulos sui ordinis, sed solum in delinquentem. Unde jus dicit: Delictum personae non debet redundare in damnum Ecclesiae. Ergo a simili, nec in damnum totius ordinis. Item jus: Poena suos debet tenere auctores, nec est ulterius protrahenda, quam delictum sit in excedente repertum. Item jus dicit, quod vitia personalia non transeunt ad successores. Item Moyses in sacra Pagina dicit: Filius non portabit iniquitatem Patris, nec e converso. Item Ezechiel: Anima, quae peccaverit, ipsa morietur. Item Gregorius in Omilia super Evangelium Matthaei dicit: Non fuit societas tam sancta ab initio mundi, in qua reprobi non essent: Incipiens hoc differere in creatione et societate Angelorum in coelis; quorum multi mali fuerant inventi, et ideo de coelis eliminati, et in aerem caliginosum detrusi et in Daemones conversi, unde Job in Angelis suis reperit pravitatem. Item Christus duodecim elegit viros ex toto mundo,

do, quorum unus Judas Ischarioth pessimus fuit tradendo Christum ex avaritia nimia pro XXX. denariis in mortem, sicut et iste sceleratissimus hominum fecit. Item post ascensionem Domini Apostoli elegerunt ex omnibus discipulis, imo ex cunctis fidelibus septem Diaconos, quorum unus Nicolaus Antiocenus, sicut habetur in Actibus Apostolorum, malus excessive fuit, quare ergo ut ista verba introducta sacræ scripturæ applicem et coaptem proposito meo, Michael Angelus deterior dici deberet propter culpam Luciferi et aliorum malorum angelorum secum corruentium, vel, cur malitia sua in bonos extendi deberet, cum non esset consonum rationi? Quid demeruit Petrus in nequitia Judæ? Quid sanctus Stephanus in Nicolai Antioceni perversitate? Sic dico in proposito. Quid peccavit ordo in scelere istius maligni traditoris? Nihil ergo ceteris sui ordinis Fratribus nunc est imputandum. His asto, quamquam multi ex eis præsertim in civitate Thuricensi lætati fuerunt invidiæ stimulo agitati, quando primo divulgatum erat de Fratribus Minoribus et postea comperta rei veritate Fratres Minores percipientes hoc e contrario de interitu eorum, non tam affectuose sicut debuissent, fuerant conturbati, quia unus ex eis auctor fuit sceleris non eorum.

Patet etiam sanctitas Imperatoris in alio, quia post sumptionem Eucharistiæ, cum qua venenum hauserat, repudiavit omnem medicinam, per quam evacuaretur venenum, ne Deo et suo sacramento contumeliam et irreverentiam inferret. Hæc duo allegata et in medium producta pro Imperatore extollunt eum et reddunt ipsum laudabilem et gloriosum in secula tam in Ecclesia militante quam triumphante. Quis unquam audivit talia, quod inferenti sibi mortem non solum indulgebat, verum etiam karitative ammonuit, ut fuga accepta vitam salvaret, ne pœnas mortis ejus exsolveret et crudeliter mactatus et discerptus lueret? Hoc raro vel nunquam in Primitiva Ecclesia visum est. A seculo autem non est audita tanta reverentia, quantam ipse corpori Christi exhibuit, quod potionem expulsivam veneni a medicis et sanativam accipere recusavit, ne sacramento injuriam irrogaret, malens vitam cunctis desiderabilem perdere, quam cum Dei et sui Sacramenti contemptu ultra vivere. De ipso audivi, quod eo Romæ, ut supra dixi, moram contrahente tantus cruor per Romanos et Germanos mutuo quasi cottidie acerrime confligentes, effusus est, quod usque ad talos hominibus transeuntibus vicos attingebat; Germanis tamen frequentius prævalentibus propter prædicta et alia virtutum suarum insignia, Mortem ejus pretiosam non cesso dolere Ecclesiæ immaturam et nocivam.

Per prædicta patet, quod a Rege Rudolfo omnes Reges Alamaniæ seu Imperatores in occisione gladii vel veneni mortui sunt. Præsagium autem mortis Regis Alberti mirabile audivi, quod recitavit quidam miles Sueviæ pluribus frequenter personis, adhuc hodierna die vivens, et dicit se illi facto interfuisse et oculis propriis conspexisse, videlicet, quod dum proxima die præcurrente necem Regis Alberti, in balneis naturalibus extitisset in præsentia Regis memorati et familiæ suæ ibidem tunc commorantium quidam vir vagus et in terra famosus de partibus remotis adveniens comparuit, a quo dum sciscitarentur si aliqua nova sibi constarent, respondit quod sic; quibus instanter exponi sibi poscentibus narravit, quod in via sibi sedenti super equo suo occurrerit maxima multitudo vesparum et attacorum, qui ipsum circumdantes, molestiam maximam intulerunt, quos dum abigere cum gladio et fustibus conaretur ne ipsum suffocarent, minime profecit: Nam tanto importunius et ferocius in ipsum, ut vitam ei adimerent, inpegerunt: quod animadvertens sagaciter sibi remedium adinvenit, quo mortem sibi intentatam et quasi proximam salubriter evaderet. Nam de equo celeriter decidit et sellam ab equo solvendo capiti suo imposuit, et illam morsibus et aculeis eorum sic opponens vitam suam cum multis laboribus conservavit: Videntes autem memorata volatilia, quod facultas ultra eum lædendi ablata fuisset, in equum irruerant, ipsum penitus perimentes. Cum autem Rex hæc audiens et admirando ab eo quæreret, quid hæc innuere vel significare possent, subintulit ejus vitæ periculum, nisi caute ambularet: quod dum Rex distracta et suspensa mente cum vultus inmutatione cordi apponeret, conterritus; recitator inmediate graviter ab auctoribus necis Regis futuris percussus est, imo vix de manibus eorum ereptus est. Quod pronosticum vel præsagium in crastino rei exitus conprobavit, quia occisus tunc ab eis fuit extra muros oppidi dicti BRUG, ut superius est expressum.

Circiter ista tempora quidam Frater Minor Lindaudiæ conventuales in visione una divinitus, ut creditur, ostensa præsagium hoc accepit, videlicet, quod non posset evadere submersionis mortem in lacu Botanico, qui expergefactus de visionis oraculo stupefactus pertimuit et humane sentiens lacum abhorruit, et accessum et ascensum diu sollicite evitavit ejus. Dum autem quodam die post hæc tempora cujusdam necessitatis articulus ex insperato occurrens conventui suo Lindaugensi ingrueret, et sibi per obedientiam a suo Prælato injungeretur tanquam magis ad hoc idoneo, ut in navi citissime Constantiam pergeret, expediturus causam seu negotium prædicti articuli, et miliare navigando de Lindaudia Constantiam perfecisset, turbinem ventorum et tempestatis jam supervenientis sævitiam venturam prævidens, et per conjecturam sagacem notans, nautis supplicavit, ut festinanter applicarent, ne eos periclitari a voragine tempestatis prope existentis sive inminentis contingeret. Qui minime dicta sua advertentes per directum versus Constantiam remigando properabant: Superveniens autem procellarum inmensa more indomito atrocitas, adeo quod ad litus eam fugiendo venire non poterant, repentinus enim supra modum erat ejus incursus, navem validissimis ictibus et dirissimis inpulsionibus concutiens et collidens subvertit, et Fratrem absorbuit, et in fundum projecit. Ibi per anni circulum integrum ignotus a cunctis immobiliter jacendo permansit, sed tum visum est quibusdam piscatoribus in somnis, quod ad locum illum cum navibus et retibus festinare deberent: Nam laxatis illic retibus piscando multum prosperum tractum facerent: qui intelligentes de piscium prospero tractu gavisi sunt valde et prædictum locum attingentes navigando recia laxabant et Fratrem extrahentes prendiderunt, et quod est mirabile dictu, corpus ejus integrum illæsum et breviarium suum illibatum repererunt; qui dum ab eis miro cum stupore Fratribus conventus Lindaugensis repræsentatus fuisset, honorifice in Monasterio ipsorum tumulatus est.

Circiter idem tempus, ut pluries audivi certa relatione, duo Fratres de Schafusa Minores, dum ambularent in oppidum dictum Vilingen in nocte

ipsos

ipsos deprehendente montem appellatum Rando Cantum quendam laudes gloriosæ Virginis Mariæ Dominæ nostræ personantem, celebrantes laxis fibris pertransibant. Quem audiens quidam latro latitans latibulis montis, et intelligens ipsos Fratres per eum fore viros litteratos et religiosos, quia Latina Lingua editus erat, in tantum conpunctus fuit, quod non solum ipsos non perdidit et spoliavit, quod ante molitus facere fuit, verum etiam vitam suam abhominabilem in latrocinio transactam deserere et firmiter abdicare disponebat. Et ut voto suo salubri divinitus inspirato satisfaceret ipsos Fratres a longe sequitur, veniensque in Villigen portam Fratrum Minorum illic residentium adit et a portario sciscitatur, si ne duo Fratres de Schafusa advenerint illa die, qui cum respondisset quod sic, vocari sibi eos vel alterum eorum instanter petit. Nam haberet aliquod secretum ad eos perferre, quod dum factum fuisset, uni ex ipsis peccata sua detexit pure cum lacrimis serium et fervorem contritionis interioris significantibus confitendo, et inter cetera in confessione sibi aperuit, quod ipsos in monte prædicto cogitaverat occidere, sed per cantum suum a proposito suo turpi destiterit et penitus resipuerit. Quod audiens Frater confessor non modicum admirans Deo gratiarum uberes actiones egit, quod sibi et socio suo vitam temporalem conservavit, et latronem ad statum salutis perduxit.

Item circiter ista tempora vel non longe ante insigne factum satisque mirabile, dignum quoque relatione ac conscriptione actum enarratur a Fratribus famosis, veridicis adhuc hodierna die superextantibus, in Provincia Saxoniæ in quodam Conventu Fratrum Minorum Lübeg videlicet, quod quidam Gardianus in termino suæ gardianiæ cum socio suo de eodem Conventu exiens una noctium in castro quodam hospitatus fuit, cujus Dominus ab antiquo informatus in hoc a suis Progenitoribus fratres in turri Castri solemniter ac reverenter lectisterniis copiosis collocare solebat, sed illa nocte non audebat, quia noviter quoddam Dæmonium turrim illam inhabitare cum maxima insolencia cœpit. Quamobrem Fratres more solito illic ponere pertimuit et in alio loco ipsis lectos sterni jubebat. Cum autem Gardianus intentum Castellani tandem percepisset, carere noluit, quin in loco et comodo consueto poneretur. Dum autem sibi diligenter dissuaderetur ne in eodem loco cubare attemptaret, ne a Dæmonio vexaretur, respondit, quod Domino bene confideret, quod eundem Dæmonem conpesceret, et se castigari ab eo non fineret : Nam violentiam suam exercere in nemine valeret, nisi sibi Deus indulgeret. Cum ergo Gardianus cum socio suo se in loco illo sopori et quieti dedissent, Diabolus illico eos asperrime inquietavit, cui cum Gardianus cum increpatione severa indixisset silentium et pacem in nomine crucifixi, subintulit : Si mihi crastina die hospitium in tuo cum redieris Cænobio præstiteris, ab insolentia mea penitus cessabo. Cui Gardianus in hunc modum fertur dedisse responsum : Si absque nocumento et malitia inter Fratres meos conversari vis, tibi utique concedam. Qui sibi hoc sub asseveratione repromisit. Dum ergo in crastino Gardianus cum socio suo illæsus, somno tranquillo bene refocillatus exivit, Castellanus cum tota familia non modica admiratione ac stupore repletus fuit, et per hoc viri sanctitatem agnovit. Qui dum Gardianus rediisset altera die et portæ Claustri sui apropiasset, Dæmon, qui eum prævenerat, de limite portæ eum salutavit : Qui dum neminem videret, quamvis oculos hinc inde regirasset, non modicum mirabatur, quisnam eum salutaverit. Dæmon vero hoc recognoscens respondit : Ego sum ille cui heri in turri in angustiis propter me positus tuum hospicium firmiter promisisti. Cujus verbis Gardianus adjecit : Hodie tibi promissum meum ratificabo, si tu mihi fidem præstitam illæsam servabis, ita ut inter fratres meos in Conventu innocenter transeas : qui facere hoc spopondit. Intrans ergo Ministerium Satanas cum licentia Gardiani per biennium Fratribus cohabitando, illic pactum hoc inviolabiliter custodivit, imo quod majus est, beneficia ipsis plura inpendit, Fratres ad officia sua ipsis injuncta sollicite ac vigilanter hortando et eorum negligentias supplendo, etiam in actibus humilibus videlicet in cifis purgandis, in scultellis lavandis et in aliis similibus. Studenti in cella sua cum lumine Fratri quandoque lumen extinxit, qui dum sibi minaretur quod ad chorum iturus esset, ad vacandum orationi, ut studii defectum ibidem reconpensaret per orationem, rogatus statim a Dæmone fuit, quod remaneret : Nam lumen sibi reincendere vellet libenter, quod et fecit. Quando Fratres tempore collationis habendæ consederant, cum ipsis conferebat et confabulabatur ; audibilis quidem erat, sed non visibilis. Quadam autem vice dum Fratres Juvenes ad frequentationem cultus divini more suo solito monuisset, et quidam Frater somnolentus et præ ceteris acidiosus contra admonitionem suam ad matutinum non venisset, Diabolus hoc videns, ad dormitorium properat, et ipsum de stratu suo tollens in medio chori deportavit, dicens : Oportet te velis vel nolis cum aliis Fratribus tuo Creatori servire. Ad cujus facti miraculum frater stupefactus cum cæteris fratribus matutinas laudes decantando Domino persolvebat. Dum hic tandem Dæmon opus sibi injunctum a suis superioribus in civitate illa executioni dedisset, et ad finem intentum perduxisset, scilicet, quod quendam Dominum Canonicum Reverendum cum Domina famosa et bene parentata prius vitam celibem agente conviscatos et conglutinatos per eum glutino amoris in lapsum carnis seu vitium fornicationis prostravisset, et homicidium Canonici propter hoc subsecutum fuisset a Parentibus Dominæ inflictum deprehendentibus eum in actu venereo ; et cum hoc Fratribus in noctis silentio, dum adhuc eis minime constaret, et jam post factum esset, revelasset, et sui causam adventus extitisse declarasset, Gardiano hospiti suo gratias agens et Fratribus valedicens abscessit hortando eos ad ordinis sui disciplinam et observantiam : Nam infinita et inæstimabilia præmia et gaudia in cœlis per hoc consequi in perpetuum mererentur.

Circiter annos Domini MCCCXIII. lamentabile factum evenit in mea patria in oppido Winterthur in Festo sancti Thomæ non longe post crepusculum. Nam ignis casualiter invalescens partem superiorem oppidi concremans consumpsit, in favillam et cinerem redigendo. In quo incendio dum quidam homines propter hoc nimis consternati et attoniti et minus circumspecti facti fuissent ad cellaria, quibus nimis confidebant, se contulerant, qui magis contra cogitatum suum periculo corporum suorum per hoc se dederant : Nam ignis fumigationes, vapores et fervorem per januas, rimulos et fenestram inmit-

inmittens circiter XX. homines promiscui sexus suffocavit.

Clemente V. Papa hujus nominis viam universæ carnis ingresso, sedes, ut fertur a quibusdam, vacavit III. annis. Cui tandem successit Johannes XXII. anno Domini MCCCXVIII. oriundus de Katurco, homo brevis staturæ, corpore macilentus, linguæ velocissimæ, qui contra prohibitionem sui Prædecessoris VII. Decretalium publicavit: propter quod tanta pericula, scandala, dissensiones, commotiones in populis, tot terrores, tot perplexitates saltem in Theutonia ebulliebant, quod nemo dinumerare valeret, specialiter per unam constitutionem libri VII. incipientem; Cum de quibusdam mulieribus. Qua divulgata et pessime intellecta et pertinaciter mendaciterque in cancellis per universam Alamaniam pronunciata innumerabilia corda sororum tertii sancti Francisci ordinis, et etiam aliarum multarum fuerunt gravissime sauciata. Nam deposito habitu religioso oportebat eas induere secularem. Multæ enim in domibus propriis vel Parentum, quæ XL. et ultra annis griseis nigris vel albis Domino in castitate et aliis virtutibus et bonis operationibus famulabantur vestibus, cogebantur per parochianos suos sibi assumere vestimenta rubea vel crocia, viridia vel blavia, et in illis rejectis aliis in Ecclesiis conparere, et si non faciebant modo et forma vel consuetudine seculari, Pastoribus seu Parochianis minime satisfecerunt. Quot ludibria, quot contemptus, temeritates, irrisiones, tunc pertulerint multæ pudoratæ et castæ sorores, Deus novit. Fuerunt etiam in spectaculum et in Proverbium conversæ omnibus hominibus. O quam sæpe multæ verecundiam magnam passæ sunt, cum publice turpiter tractæ et tractatæ fuerunt. Confusio, quæ prætextu constitutionis Clementinæ eis inferebatur, quod dictu miserabile est, multis occasio ruinæ fuit: Nam plures, quæ cælibem multo tempore vitam pro Domino actitabant, voto castitatis rupto, ad seculum redierunt, vel matrimonia contrahendo, vel, quod pejus est, fornicationes multimodas committendo. Sed illæ, quæ tunc perseverabant in tam ingenti rabie persecutionis in voto continentiæ sicut aurum in fornace probatæ, dignum Deo habitaculum in sua puritate præparabant. Quot et quantos tunc labores et sumptus apud sedem Apostolicam Fratres Minores pro reparatione ac instauratione suarum sororum habuerint, nemo facile æstimabit: Nam tantum per sedem Apostolicam Fratres et Sorores tertii ordinis Beati Francisci, mediante intercessione Fratrum Minorum et suorum amicorum ad pristinum statum reductæ sunt statim tempestate prædicta in sua adhuc asperitate perdurante. Si quis vidisset et audisset singultus varios, gemitus miserabiles, lamenta amarissima, ejulatus altisonos, suffusiones vultuum, sicut ego cum clamoribus argutissimis, non ambigo, quin ipsis ex intimis præcordiis condoluisset. Conpellebant autem acerbissime Parochiani eas excæcati in malitia sua, nescientes scripturas, verba Decretalis hujus non intelligentes; vel aliqui ex eis intelligentes, sed ex invidia et ex pravitate sua studiose sensum verborum pervertentes, sub prætextu præcepti Papalis; et per terrores et comminationes et calumnias, per fulminationes excommunicationum et exclusiones a Sacramentis per verendos et pudendos latratus, horribiles clamores in conspectu omnium hominum singulis diebus Dominicis in Ecclesiis, quod quodammodo impletum fuit verbum Jeremiæ Prophetæ dicentis: Vox in Rama audita est, ploratus et ululatus, quia usque in excelsa vociferatæ sunt a nimia turbatione hominum innocentiam suam præferentes, et injustitiam, quæ in eis exercebatur, totis viribus quærulantes. Nam constitutio, de qua jam est mentio, non loquitur, nec intendit, ut patet luculenter intuenti, nisi de Beginis, quæ nulli promittunt obedientiam, nec propriis renunciant, nec profitentur aliquam regulam approbatam, quamquam habitum deferant Beginarum, quarum quædam perductæ in mentis insaniam, de summa Trinitate et divina essentia disputant et prædicant, et circa articulos et Ecclesiastica Sacramenta opiniones fidei Katholicæ contrarias introducunt. Sane mulieres fideles non prohibentur per prædicta, quin in domibus propriis promissa vel non promissa continentia honeste conversari, pœnitenciam agere volentes et in spiritu humilitatis Domino deservire. Ecce quam plana est Decretalis hæc, cujus medullam inserui. Patet ergo evidenter, quod ex sola invidia in sorores Parochiani sicut copiose disserui sævierunt, conantes extinguere scintillam, imo lucernam religionis et Katholicæ disciplinæ. Cum vero penitus non possent hanc Lucernam obducere ac obfuscare, quemadmodum cogitaruut, sed ad minus quantum ad sorores tertiæ regulæ tanto magis creverint, quanto magis opprimebantur, liquet verbum in hoc David in Psalmis adinpletum, dicentis: Quare fremuerunt gentes, et populi meditati sunt inania adversus Dominum et adversus Christum ejus, et iterum cogitaverunt consilia, quæ non poterant stabilire.

De ista materia unum ridiculum factum tunc temporis præcedentibus adiciam. Quidam Plebanus inofficians Ecclesiam oppidi dicti Diezenhoven mihi notus, illo in tempore nimia stimulatus invidia contra prænominatas sorores multum ob hoc gaudens de ipsarum desolatione, ipsum interrogantibus, si verisimile esset vel credibile, eas ut aliqui sperarent resurrecturas de dejectione sua, et a gravi suorum ludibriorum præcipitio in culmen prioris status honorificum, respondit valde temere ac indignanter: Si de cætero unquam apparebunt in terra, me ipsum vobis aureum erogabo. Cum autem tribulationem illam brevi tempore pertulissent, et ad statum pristinum rediissent de mandato Papæ, et illo ubique locorum promulgato, Moniales apud oppidum memoratum residentes propter ædificia sua plurima noviter constructa multis debitis involutæ, scientes eum in verba prædicta prorupisse, sibi per nuncium irrisorie instabant, ut ad relevandam inopiam ipsarum et in subsidium solutionis debitorum suorum saltem dignaretur eis unum membrorum suorum aureorum destinare, quia sorores tercii ordinis cum sint gloriose reversæ, et appareant in habitu suo sicut prius, et ipse propter hoc totus aureus effectus cunctis sit indigentibus dispensandus. Quo audito confusus, nesciens quid diceret, nimia propter hoc vesania, verecundia, et tristitia perculsus, verba inepta, scurrilia et plena spurcitia remandavit. Qui adhuc hodierna superest die, de mendacio si quis sibi objiceret, erubescens in invidia non desistens.

Circiter ista tempora propter Karistiam, quæ invaluerat in pluribus mundi partibus, perierunt præ fame in civitate Alsatiæ dicta Calmur tot homines, quod in duabus foveis extra muros ad hoc paratis, sepulti fuerant XX. et XVII. centena et in aliis tribus

tribus LXXX. XIX. centena hominum, qui pro majori parte de Westerrich et de Lotharingia, ut fertur, extiterunt. Nam illic fames crudelius inhorruerat, et ut eam homines ibidem habitantes effugerent, ad civitatem prænominatam terræ fructibus tunc magis exuberantem turmatim confluxerunt.

Tempore eodem famis accidit homines de terris præfatis fugere et ad terram Ungariæ tunc fertilem et uberem, sterilitatem aliarum terrarum penitus nescientem properare. Cum autem in magna multitudine ad unam navim fluvii Danubii consedissent, ut proficiscerentur ad terram Ungariæ, nauta intelligens ipsorum intentionem et iter, et insuper perspiciens eos fame prævalida maceratos, confectos et pene consumptos, navem subvertit et omnes pariter in profundum Danubii dimergendo eos præcipitavit, dicens: Melius est, quod in hoc fluvio pereant, quam quod terram totam Ungariæ depascendo consumerent. Quod factum inhumanum, imo Diabolico persuasum instinctu, dum ad nostros terrigenos relatione plurimorum pervenisset, nautam celebriter commendabant.

Anno Domini MCCCXIII. (In marg. MCCCXIV.) tempore Johannis Papæ Fridericus Dux Austriæ filius Alberti Regis, et Ludwicus Dux Bavariæ in Franckenfurt in discordia eliguntur, sed secundus coronatus est Aquisgrani ab Petro Archiepiscopo Moguntino, qui ipsum elegerat. Plures famant, quod Ludwicus ante electionem una cum fratre suo cum jurejurando promisit Friderico, quod nullo modo vellet eum in electione impedire, et propter hoc magnam pecuniam ab ipso recepit uterque. Quod pactum frater Ludwici firmiter custodivit, sed Ludwicus juramentum et pactum minime servavit, et ideo a multis asseritur propter hoc perjurus esse. Alii vero zelantes pro eo, negant eum ob hoc pejerasse, quia Juridici sibi declaraverint, quod juramentum ab eo præstitum non obligaverit eum contra se; si enim alius ab eo electus fuisset, merito jusjurandum ab eo exhibitum servandum fuisset; ex quo autem ipse personaliter electus fuit secus fuit. Ex quo autem discorditer electi fuerant, annis multis puta X. se invicem persecuti sunt, et propter Guerram exortam inde in regno Germaniæ multi depauperati, depulsi, spoliati, captivati, conbusti et occisi sunt, quia uterque opposuit se alteri, sæpius ad invicem sunt congregati ad pugnandum, quod uterque habuit circiter mille trecentos equites galeatos vel ultra, et circa XX. milia peditum; non tamen prælium commiserunt, quia nunc ille, nunc iste timore concussus, ut salvaret animam, fugiebat. Tribus, ut puto, vicibus ante Spiram convenerunt; duabus vicibus ante Eslingen, ubi plures, ut fertur, occisi fuerant et captivati in Nekaro fluvio; duabus vicibus ante Augustam; semel in Bavvaria, sed maxime Fridericus per fratrem suum Ducem Lupoldum, qui totus cordatus et animosus et quietis inpatiens, Duci Ludwico se opposuit, et eum coadunatum in virtute ac multitudine exercitus sui de multis locis, sicut de Spir, de Cels, de Argentina potenter fugavit.

Horum tempore anno Domini MCCCXV. quædam gens rusticalis in vallibus dictis Swiz habitans, montibus fere excelsis ubique vallata, confisa de montium suorum præsidiis et munitionibus firmissimis, ab obedientia et stipendiis et consuetis serviciis Duci Lupoldo debitis se subtraxit et ad resistendum sibi se præparavit. Quod Dux Lupoldus dissimulare nolens in ira magna congregavit circa Festum sancti Martini exercitum de oppidis sibi subjectis, et de aliis auxilium sibi ferentibus in propinquo positis XX. ut fertur, milia virorum expeditorum ad prælium, ad debellandum, ad deprædandum, et ad subjugandum montanos illos rebelles sibi factos. In quo exercitu Dux Lupoldus habuit militiam robustissimam et electissimam, et ad pugnandum peritissimam et intrepidissimam. Convenerunt igitur viri istius exercitus unanimiter quasi vir unus ad perdomandos et humiliandos illos rusticos, montibus pro muris circundatos, et volentes esse certissimi de victoria sua, et captione illius terræ ejusque direptione et deprædatione, restes et funes secum tulerunt, ut medjantibus illis prædam pecudum et pecorum inde abducerent. Quod illi audientes et nimis timentes, infirmiora loca terræ, et ubi ad eos aditus esse poterat, muris et fossatis et aliis quibus poterant modis muniverunt, et orationibus, jejuniis, processionibus Letaniisque Deo se commendaverunt, præoccupaveruntque omnes vertices montium, et datum est in mandatis singulis, per quos transitus esse poterat, ut obtinerent ascensus montium, per quos via esse poterat ad terram suam, et illic custodirent, ubi angustum iter esse viderent inter montes, et fecerunt secundum quod constitutum erat eis, et clamavit omnis populus ad Dominum in instantia magna, et humiliaverunt animas suas in jejuniis ipsi et mulieres suæ, et clamaverunt unanimiter ad Deum, ne darentur ad prædam pecora eorum, et uxores eorum in divisionem, et loca eorum in exterminium et honor et virtus ipsorum in pollutionem. Orabant itaque Dominum ex toto corde, ut visitaret eos populum suum, dicentes: Domine Deus cœli et terræ intuere superbiam eorum et respice ad humilitatem nostram, et ostende, quoniam non derelinquis præsumentes de te, et præsumentes de se, ac de sua virtute gloriantes humilias. Hæc autem dixerunt, pœnitentiam agentes et de sua contumacia, gratiam et pacem totis viribus postulantes, per Dominum quendam dictum de Toggenburg Comitem, virum in virtute animi et corporis insignem, qui mediator extitit utrorumque, nitens pacem inter eos conponere et totam discordiam conplanare. Qui cum agitando profectum utriusque partis multum fideliter laborasset, nihil profecit apud Ducem Lupoldum, quia nimis indignatus contra Swicenses, et nimio furore succensus, noluit pacta humilia ipsorum sibi porrecta per Comitem de Toggenburg acceptare, sed tantum eos conterere voluit, et cum rebus suis dissipare. Quod audientes Swicenses timore ac tremore concussi sunt. Assumpserunt ergo arma sua bellica Swicenses et sederunt super loca, quæ angusti itineris erant et tramitem dirigunt inter montuosa, et erant custodientes ea tota die et nocte. Die ergo sancti Othmari Dux Lupoldus cum suis bellatoribus inter quendam montem et lacum vocatum Egrer Sew, terram invadere cupiens, propter montis proclivitatem et celsitudinem præpeditus est. Equites enim fere omnes nobiles amore et spe rerum percipiendarum æstuantes in prima acie se locantes et audacter constituentes, minime facultatem seu possibilitatem ascendendi montem habebant pedites: Nam vix gressus suos ibidem figere vel sistere quibant. Præscientes autem Suicenses per revelationem Comitis memorati se in illa parte aggrediendos, et recognoscentes inpedimentum et obstaculum eorum propter difficultatem

tem accessus ad terram ipsorum, animati et valde cordati contra eos descendunt de latibulis suis, et eos quasi pisces in sagena conclusos invadunt, et sine omni resistentia occidunt. Erant enim in pedibus secundum eorum consuetudinem quibusdam instrumentis, pedicis et ferreis induti, quibus faciliter gressum vel gradum in terra fixerant, in montibus quantumcunque proclivis, inimicis et inimicorum equis minime pedes suos sistere valentibus. Habebant quoque Swicenses in manibus quædam instrumenta occisionis *gesa*, in vulgari illo appellata Helnbartas, valde terribilia, quibus adversarios firmissime armatos quasi cum novacula diviserunt, et in frusta conciderunt. Ibi non erat pugna, sed tantum propter causam prætactam populi Ducis Lupoldi a montanis illis quasi mactatio gregis ducti ad victimam. Nemini pepercerunt, nec aliquos capere curabant, sed omnes indifferenter usque ad internecionem percusserunt. Qui vero ab eis interfecti non fuerunt, in lacu submersi sunt, per quem manus eorum effugere autumabant, transire posse nando sperantes. Quidam etiam de peditibus audientes pugnatores strenuissimos suos tam crudeliter a Swicensibus in mortem prosterni, terrore tam horribilis mortis consternati et inebriati, lacui se immiserunt, magis volentes se in profundum aquæ dimergere, quam in manus hostium tam terribilium incidere. Referuntur autem mille et quingenti viri in illa cæde cecidisse in ore gladii, exceptis submersis in loco memorato; propter militiam illic perditam in terra circumposita, per multos dies militia rarior fuit, nam fere soli milites ibi perierunt, et alii nobiles in armis ab annis infantilibus exercitati. Qui vero ad alias vias directi sunt ad terram capiendam, evaserunt hostium manus cruentas: Nam audientes alios tam ferociter cædi ab hostibus, cunctis postpositis ad salvandas animas fugierunt; De singulis Civitatibus, Castellis et oppidis plures interempti fuerunt, et ideo ubique voce lætitiæ et jubilationis deposita, sola vox fletus et ululatus audita est. De oppido vero Wintertur nullus periit, nisi unus civis, qui se ab aliis sequestravit, et se in malum sui nobilibus associavit: Ceteri omnes sani corpore et salvi suis rebus ad propria redierunt, inter quos Dux Lupoldus reversus, tanquam semimortuus apparuit nimia præ tristitia. Quod oculis meis conspexi, quia tunc scolaris existens cum aliis longe scolaribus Patri meo ante portam cum gaudio non modico occurrebam. Merito autem Ducis Lupoldi vultus lugubris et turbulentus apparuit, quia robur et virtutem exercitus sui pene amiserat. Hæc autem facta sunt fratre suo Friderico interim in Austria existente, anno Domini MCCCXV. XVII. Kalendas Decembris in Festo sancti Othmari. Bello peracto Swicenses detractis armis occisorum et submersorum, et spoliatis cæteris rebus suis, in armis et pecunia multum locupletati sunt, et illa die pro Triumpho a Deo habito diem festum, feriamque solemnem singulis annis in perpetuum recolendam statuerunt.

Post hæc anno Dominicæ Incarnationis MCCCXXII. uterque prædictorum Fridericus et Ludwicus resumentes bella aliquanto tempore intermissa, collegerunt magnum exercitum. Ludwicus vero in suo exercitu habuit Regem Boëmiæ et multos nobiles et Barones, sed Fridericus veniens de Austria duxit secum Australes Ungaros. Porro Fridericus præventus et præoccupatus a Ludwico et exercitu suo fratrem suum Lupoldum venientem de Swevia cum robusto exercitu ibidem congregato adhuc ad plura miliaria distantem, festinantem in auxilium sui non exspectavit, sed in, Bawaria, ubi convenerant anbo, cum Ludwico prælium committens in vigilia Michahelis, fortuna sibi minime arridente, captus est una cum fratre suo Heinrico et aliis nobilibus multis, quo ad mille viros et quingentos, et multi Ungari ex parte Friderici occisi fuerant cum pluribus aliis. Lupoldus Dux hoc percipiens, rediit in Sueviam, inæstimabiliter merens et lugens. Postea tamen longo tempore eidem Ludwico se opposuit, et sibi restitit in regno, et orta sunt prælia multa in Alemania.

Anno Domini MCCCXXIII. Dux Lupoldus intravit Alsatiam ac omnes adversarios suos superavit, vindictam multam de eis accipiens. Item tempore illo, quo restitit Duci Ludwico in regno, sumto secum exercitu Suevorum copioso, terram Bavariæ audacter intravit et eam per incendium graviter devastavit.

Eodem anno Dux Ludwicus anathematizatus a Papa Johanne, contra ipsum appellavit, et ideo deponitur, adhuc Friderico in captivitate detento.

Post hæc anno Domini MCCCXXIV. vel V. Dominus Dux Ludwicus obsederat Castrum dictum Burgow circa Festum Martini. Quod audiens Dux Austriæ Lupoldus, non abhorrens frigus asperrimum, quod tunc inhorruerat, congregavit exercitum copiosum de Alsatia, do Swevia et Burgundia tam peditum, quam equitum, et ascendens versus Buchhorniam et obvians fratribus suis in Bibracho, qui venerunt de Austria cum sexcentis galeatis et multis peditibus, contra Ludwicum processit audacter, et fugavit eum in oppidum vocatum Laugingum, et ita liberavit castrum, dicto Bawaro Ludwico in nocte recedente et relinquente ibidem tentoria, tuguria, machinas et alia instrumenta inconbusta Domino Friderico de Austria adhuc captivato usque ad Festum Paschæ.

Item quodam tempore Dux Lupoldus Comitem Wilhelmum de Muntfort se contemnentem et vilificantem humiliavit. Nam oppidum suum Tetnang obsedit in virtute magna, ubi quicquid per circuitum, arborum, segetum, frumentorum, hortorum, lignorum, vel aliorum terræ nascentium invenit, abscidit, conculcavit et destruxit. Et absque expugnatione ac desolatione Castelli seu oppidi non recessisset, si consors Domini Wilhelmi ipsum fletibus et suppliciſſimis obsecrationibus de Castello exiens non placasset. Nam propter illam in virtutibus et prosapia præclaram ab incepto destitit, pacem plenam relinquens, licet quidam hoc negent et dicant, Ducem Lupoldum præter prædicta minime profecisse.

Postquam Fridericus duobus annis fuit in captivitate, Duce Lupoldo procurante liberationem Fratris cum adjutorio Papæ sibi multum propitii, nec proficiente tandem mirabiliter liberatus fuit, mediante interpositione cujusdam prioris ordinis Kartusiensium. Nam ille salubriter et sollerter se interponens, famosus enim in terra, boni consilii, et maturæ conversationis erat, et utrique acceptus in præsentia anborum sola et sui, omni homine absente et excluso ipsos concordavit scilicet Ludwicum et Fridericum per quædam pacta utrique conplacencia, et illa juramento confirmavit, sed quæ fuerint, nesciebatur, nisi quod Fridericus duas de suis filiabus in Bavariam in civitatem Monacensem destinavit, et sic a captivitate eruitur. Multa quoque colloquia inter Fridericum et Ludwicum tractantur, præsente Lupoldo.

do. Poſt illa vero pacta et colloquia uterque ſibi nomen Regale aſcripſit publice, et ſigillo regio utebatur, ut fertur. Et ſic tempore ſe prolongante usque ad annos Domini MCCCXXVI. circa finem Martii moritur Dux Lupoldus Argentinæ, medio tempore Fridericus ſolo nomine in Auſtria deguit et regnavit apud ſuos.

De Duce Lupoldo refertur, quod vitam ſuam quaſi tyrannicam bono fine terminavit: Nam cum Argentinæ per aliquot dies decunberet, fortem egit pœnitentiam. Inſuper a Papa Johanne ſibi valde favorabili, eo quod ſe Ludwico ſemper oppoſuit, per Confeſſorem ſuum Fratrem Minorem cognomento appellatum de Bibrach abſolutionem omnium peccatorum ſuorum atque pœnæ debitæ pro peccatis meruit adipiſci. Dum ergo in illa infirmitate diem clauſiſſet extremum, in campum Regis, ubi Pater ſuus Rex Albertus occiſus fuit, ſolemniter deductus eſt, et ibi in Monaſterio Fratrum minorum terræ commendatus eſt ſepultura glorioſa. Obiit autem anno Domini MCCCXXVI. ut tactum eſt ſupra. Poſt eum Frater ſuus Albertus gubernavit Sueviam, etiam opponendo ſe Ludovico. Poſt hæc brevi tempore elapſo Heinricus frater ſuus etiam obiit, vir elegantis formæ.

Tempore illo quo obiit Dux Lupoldus Argentinæ, frater ſuus Albertus homo proceræ ſtaturæ et litteratus pulcherque in aſpectu, agens in partibus Sweviæ, et ob quandam offenſam ſibi et ſuis factam, in procinctu itineris et expeditionis obſidendi civitatem Mullnhuſum conſtitutus, et audiens interim mortis famam fratris ſui, imo veritatem, dixit illud verbum Evangelicum Lucæ: Dimitte mortuos ſepelire mortuos ſuos, nos autem oppugnabimus civitatem. Quod et factum fuit per dies plures.

De Friderico poſito in captivitate inſperata hoc divulgabatur, quod a quodam Nigromantico Dæmon ad eum miſſus fuerit, invitans eum, ut ſecum deſcenderet, ſi de captivitate eripi vellet: nam ſi hoc faceret, ipſum illæſum et incolumem ad quemcunque locum vellet, transportaret. Qui nolens ſe ipſum ſibi conmittere, ſed ibi quamdiu Domino placeret, captivus remanere, fecit eum abire. Quod Fridericus poſt liberationem ſuam coram multis ore proprio confeſſus eſt.

Frequenter recitari audivi, quod paulo ante iſta tempora Dominus de Wirtenberg potens in Swevia, una dierum, quia mirabilis et homo ſeverus erat, multos pauperes ad unum horreum colligi præcepit: Quod dum factum fuiſſet, ignem abunde horreo inmtti jubet, quod in flammam converſum pauperes in ſe clauſos penitus incineravit. Dicebat enim, cum pauperum ſecundum Evangelium ſit regnum cœlorum, ipſos ad regna cœlica abſque medio transmiſi. Ecce qualis Tyrannus hic fuit, naturam humanam abnegans, et feralem ſeu beſtialem in hoc facto tyrannico induens!

Circiter iſta tempora quidam lector in ordine Fratrum minorum quodam maligno ſpiritu dominatus, judaizare cupiens, ab ordine apoſtatavit declinando ad Judæos, apud quos tandem proditus, in quodam oppido Alſatiæ a Fratribus captus eſt, et ad Fratres deductus, qui dum eum per argumenta, rationes et auctoritates ſacræ ſcripturæ convincere non poſſent, ut ab erroris propoſito cepto deſiſteret: nam inſtantias eorum confutabat, et in quantum poterat, refellebat, ipſum de Alſatia in Herbipolim urbem ibi arctæ cuſtodiæ, quousque ab errore ſibi infiſcato reſipiſceret, deduxerunt. Cum autem ad quoddam oppidum dictum Werdach deveniſſent, et eum ibi in ſtupa hoſpitii Fratrum donec percepta refectione ulterius pergerent, recluſiſſent, ipſe interim per feneſtram reſpiciens contra vicum, populum transeuntem allocutus alta voce fuit, dicens: O vos omnes, qui tranſitis, vel me videtis, ut ſciatis me non eſſe Chriſtianum, ſed Judæum et eorum fide moriturum; Hujus rei in ſignum me ipſum in oculis veſtris transfodiam. Et arrepto iis dictis cultro incaute in ſtupa relicto, in conſpectu hominum concurrentium ad vocem ſuam, ſe cum cultro usque ad mortem vulneravit. Quem Fratres ſemivivum poſt refectionem invenientes, nimis conſternati ad mortem itineris perduxerunt: Ubi altera die vitam finiens, ſepultus illic in orto Fratrum fuit.

De Friderico fertur, ut cœptum de ipſo conpleam ſermonem, quod poſt liberationem ſuam, converſationem laudabilem ante habitam ab eo, malo fine concluſerit: Nam cujusdam Cœnobii ſacram Monialem formoſam et ſibi conplacentem rapuit, contempta ſua honeſta conſorte, Filia Regis Arragoniæ. Et ſic inceſtum ſimul et adulterium commiſit. Præterea eandem Reginam uxorem ſuam propter intoxicationem ei factam viſu privatam irreverenter tractavit, imo, ut fertur, tanquam peripſima et inmunditiam usque ad mortem deteſtabatur. Propter quod forte Deum tantum irritavit, quod juſto judicio ipſius permittente vel agente, irremediabili plaga ſcilicet pediculorum morſibus et corroſionibus longo tempore caſtigatus fuit et tandem conſumptus.

Tempore, quo Fridericus ſolo nomine in Auſtria apud ſuos regnavit, Ludovicus Bavarus prænominatus cum paucis galeatis ſe tranſtulit in Longobardiam, anno Domini MCCCXXVII. et eodem anno in civitate Cumis corona ferrea coronatus eſt; poſtea potentia ſua roborata et augmentata venit Mediolanum, ubi reverenter tractatus, magnam pecuniam aſſecutus fuit, ubi etiam Capitaneo per juſſum ſuum depoſito et ſuſpenſo, ut fertur, propter demerita ſua Dominum Wilhelmum Comitem de Monte forti civitati et terræ ibidem præfecit. Qui quatuor annis illic potenter dominans, furtim, quia dilectus et acceptus valde ibi erat, abiens et diſcedens, in terram ſuam Sweviam rediit, reportans ſecum grandem pecuniam per ſuam dominationem in Mediolana civitate adeptam. Nam tantum illic locupletatus fuit, quod caſtrum ſolemne multis ſumptibus in lacu poſtea Botanico apud villam dictam Argo exſtruxit. Hic in bellicoſis artibus ſtrenuus excellenter erat. Quidam ajunt de eo, quod multis præliis canpeſtribus, puta XX. perſonaliter interfuerit, fortiter et glorioſe ibi agendo. Ludwicus vero de Mediolano peractis ſibi placitis recedens, et ulterius potenter et ſine pugna in Italiam progrediens, venit Romam, ubi a Romanis civibus gratulanter receptus, contra voluntatem Papæ coronatus eſt in Inperatorem. Ubi alium Papam una cum Romano populo creavit de facto ordinis Fratrum Minorum, ſed ut non fieret, totis viribus renitentem, ſed prævalere non valens, coactus cum amaritudine permaxima mentis non volens ſed nolens, Papatum ſuſcepit.

Qui miræ fuisse dicitur sanctitatis, qui inter cætera virtutum suarum insignia abstinentiæ gloriabatur angustiis et cum orationum vigiliis, erat blandimentis præditus lenitatis, et ideo omnium civium Romanorum provocavit ad se eligendum vel instituendum, affectum. Qui per biennium, ut aliqui affirmarunt, diligentius quam ego temporis ejus momenta supputantes, jura et officia Papalia exercuit et ministravit, plures præter alia Episcopos ordinando per diversa loca, qui etiam pluribus Clericatus ordines inpenderunt. Hic communiter Antipapa vocabatur. Dum ergo plures ei obedientiam et reverentiam tanquam vero Christi vicario exhibuissent, et beneficia Papalia ab eo percepissent, tandem Ludwici et populi Romani suique errorem recognoscens, ad Papam Johannem in Avinionem convolavit, suam gratiam super commisso scelere humiliter postulando: qui ad votum exaudiri meruit: Nam sibi misericorditer condonavit, et ipsum in custodia tamen in domicilio suo collocans seorsum, cuncta sibi necessaria usque ad mortem suam, quam brevi temporis spatio postea interjecto persolvit, pleniter ministravit, adhuc Johanne Papa per aliquot annos in vigore corporis Ecclesiæ præsidente. Ratio, vel motivum, quod Ludwicus Bawarus Romæ, sicut dictum est, coronatus, cum populo Romano attemptavit et ausus erat Papam alium eligere et instituere, fuit, quod Romani dixerunt, quod, quandocunque Papa transferret sedem suam ad alia loca, sicut tunc longo tempore actum fuit, ex privilegiis ipsis concessis, licite possent alium Papam creare: Quod et factum erat, mediante consilio et auxilio Ludwici Bavari qui a Papa Johanne erat excommunicatus, et loca interdicta, ad quæ venerat propter hoc, quod intromisit se de Regno sine legitima et unanimi electione Principum, et etiam, quod defendit quosdam hæreticos in civitate Mediolanensi: Et sic, quemadmodum dictum est, creaverunt Romani novum Papam, nomine Petrum Cornarium, et appellaverunt eum Nicolaum Quintum. Vel forte motivum Romani populi ad creandum novum Papam fuit, quod forte in memoriam eis venit, quod plurimi Imperatores in temporibus retroactis, sicut aliquæ Cronicæ testantur, similia fecerunt, Papam tunc temporis Ecclesiæ præsidentem, jura et insignia eis temere consecrationis et confirmationis negantem, amovendo, repellendo, et alium instituendo, qui voluntarie eis munus benedictionis Papalis inpendit, prædicta eis sicut exegerant, conferendo. Legitur in una Cronica, quod Adrianus Papa celebrans synodum Romæ præsente Karolo Rege Francorum et Imperatore Romanorum, dedit Karolo jus eligendi summum Pontificem et sedem Apostolicam ordinandi. Quod resumere forsitan Romani una cum Bavaro cupientes, prædictum factum attemptarunt; sed non super petram, sed potius super arenam sic intendendo et faciendo ædificassent. Quia sicut etiam in libris Annalibus legitur, successores Karoli memorati præfato juri longe ante istius Bavari renunciaverunt tempora.

Post hæc anno Domini MCCCXXX. obiit Fridericus Dux Austriæ præfatus in lecto suo, sicut et fratres sui supra nominati. Quod audiens Ludwicus, illico exivit Italiam et venit in Sweviam superiorem, et inde descendit per Ulmam ad Rhenum, et venit in Coloniam, deinde Moguntiam et Wormatiam, et Spiram, et in alias Civitates finitimas, quæ omnes eum gratulanter receperunt, sed fere omnes religiosi et seculares Clerici servabant interdictum in civitatibus sibi juratis. Quod videns posuit in eis clericos alios, ut illi ibi cantarent. Postea volenti ascendere in Alsatiam et in Sweviam Dux Otto Austriæ Frater junior prædictorum restitit, et præcipue ne ad partes Lacus Botanici dilatando suam potestatem venire valeret, se firmiter opposuit. Tunc Civitas Alsatiæ Imperialis Colmur nomine contra se notabiliter divisa est: Nam parte Ducum Austriæ reluctante, pars Ludwico adhærens, ipsum tunc temporis circa Hagnow civitatem etiam Imperialem demorantem ad se venire ut dignaretur, seriosis et devotis precibus invitando flagitabat. Quibus inmediate libenti animo et alacri vultu annuisset, si a Duce Ottone fratre Lupoldi resistentiam et obstaculum non habuisset. Nam is audiens partem illic civum sibi faventem et receptionem Ludwici dissuadentem, imo contradicentem et recusantem, et ob hoc a parte altera viliter contemptam et abjectam, Ludwicum quoque propter precum instantiam suæ partis de inferioribus partibus ad declinandum ad eos, cum alias sibi cordi fuisset, se disponentem, iratus nimis et commotus exercitum grandem congregavit virorum fortium et robustorum circiter MCCCC. galeatos et XXX. milia peditum et obsedit civitatem tempore æstatis ad sex septimanas. Hic exercitus more torrentis inundantis et rapidi ad prædictam civitatem confluens, ipsam vallavit undique et conangustavit, et ipsam usque ad terram prosternendam anhelabant. Viri etiam hujus exercitus non solum civitatem circumdederunt, verum etiam campum adjacentem civitati adinstar locustarum occupaverunt, ut viam Ludwico præcluderent et obstruerent, ne ad civitatem illam, nec ad terram ducum transitum habere posset; et omnes qui aderant in obsidione ista parati erant quasi vir unus ad pugnandum contra Ludwicum, si eos aggredi attemptasset. Sed ipse e contrario audiens robur et multitudinem ac fortitudinem exercituum Ducis Ottonis, veritus ab eis, ultra progredi non præsumpsit, sed illico pedem fixit. Quidam ajunt Ludwicum magnum exercitum medio tempore, quo Dux Otto Colmur obsederat, congregasse, et quod plures galeatos habuerit, quam Dux Otto, sed non tot pedites, et quod præparaverit se ad dimicandum cum Ottone, si non Rex Boëmiæ intromisisset se de compositione: Nam obsidione se protrahente ad plures dies, pacis fœdera inter Ottonem et Ludwicum per Regem Boemiæ tractantur. Quæ licet multa fuerint et diversa, Dux Otto sprevit, ipsis, quæ exhibebantur, non contentus. Quapropter non minus atrociter et hostiliter civitatem oppugnavit. Cum ergo multis eam per plures dies tribulationibus afflixisset, Rex Boemiæ tam efficaciter se interposuit tandem, quod pacem civitati obtinuit, et Regem Ludwicum et Ducem Ottonem per pacta subsequentia confœderavit. Quorum unum fuit, ut redderet sumptus quos fratres sui decertando et confligendo secum multis annis, pro regno acquirendo fecissent, qui feruntur fuisse XX. Millia marcarum, in quibus per eum fuerant damnificati, et pro iis solvendis Ludwicus Ottoni et hæredibus suis quatuor civitates Regni obligavit. Scilicet Nüwenburg, Rinvelden, Schafusam et Thuregum. Secundum pactum erat, ut neuter alium in suis jurisdictionibus deinceps directe vel indirecte inpediret, sed potius totis viribus conservaret, et diligenter promoveret. In ista expeditione in auxilium Ducis Episcopus

pus Rudolfus Constanciensis, genere et natione de Munfort, Comes strenuus misit XL. ut famatur, galeatos, et ipsemet in propria persona, quamdiu obsidio civitatis protendebatur, præsens fuit. Cum itaque Rex et Dux ad plenariam et amicabilem pacis concordiam per Mediatorem Serenissimum Regem Boemiæ essent perducti, omnibus rite peractis et ordinatis in Civitate prælibata, simul per terram Ducum juxta Renum sitam, scilicet per oppidum dictum Sekkingum et Brugg et Baden, Wintertur et Vrowenfeld reversi sunt in regiones suas. De memorata jam obsidione percepi, quod, postquam mediante industria et pia sollicitudine Regis Boemiæ Rex Ludovicus et Otto Dux pacis fœdus inierunt simul, Rex Boemus pertransiens per circuitum Castrorum Ducis et perveniens ad aciem virorum de Glarus, videnseque eorum instrumenta bellica et vasa interfectionis dicta gesa, in vulgari Helnbarton, amirans ait: O quam terribilis aspectus est istius cunei cum suis instrumentis horribilibus et non modicum metuendis. Et sic factum est, ut Hystoriam hanc concludam, quod Ludwicus Bawarus contra oppinionem hominum intravit terram lacui Bodmensi circumjacentem. Nam paulo ante inpossibilis indigenis introitus ipsius ad eos videbatur, pauco enim tempore ante suum ingressum cum candelis accensis et canpanis conpulsatis, in Cancellis publice pronunciabatur in singulis locis a summo Pontifice excommunicatus et tanquam hæreticus censendus.

Thuricenses Duci Ottoni pro pignore traditi pertinaciter restiterunt et ratificare contempserunt, et propterea loco Thuregi a Ludwico Ottoni Brisach est pignorata. Sed Dux Otto æquanimitus sustinere non valens Thuricensium injuriam et rebellionem vineta eorum abscidere, et civitatem eorum obsidere decrevit: Quod quam primo eis innotuit, stupefacti et perterriti personas pauperes religiosas devotas collegerunt, imo quasi conduxerunt, ut in unum congregati in Capella Fratrum Minorum cottidie seriosis et obnixis precibus Dominum exorarent, ut de manibus eorum, qui cogitarent eis mala, eriperentur, et in pacis tranquillitate solidarentur. Quibus victus necessaria, quamdiu eis timor incubuit, copiose ministrabantur, die enim et nocte sine intermissione in templo perseverantes Deum pro salute civitatis inplorabant. Quorum Deus vota ex alto prospectans, ipsos ut pie creditur, exaudivit. Nam ut rei exitus conprobavit a peste, quam sibi supervenire formidabant, salubriter eruebantur. Duce Ottone, ut tactum est, Brisaco pro Thurego in pignus acceptante.

Post prædicta Dux Otto feoda sua recepit a Ludwico Inperatore de facto, et in Ulma conjuraverunt, et conspiraverunt contra omnes suos adversarios ad defendendum mutuo se et sua. Ex tunc plures civitates, fere omnes tam Ducum, quam etiam Ludovici abstinuerunt se a divinis, et interim Clerus graviter fuit angariatus et conpulsus ad divina resumenda, et plures annuerunt non verentes latam sententiam, nec ultionem divinam. Multi etiam erant inobedientes, et ob hoc de locis suis expulsi, et sic tandem facta fuit lamentabilis difformitas Ecclesiarum, quædam enim inmunem se existimans ab interdicti censura in laudes divinas celebrando inperterrite ac secure laxavit ora; quædam vero e contrario interdicti pœna se plexam reputans organa Domino canentia suspendit. Et illæ mutuo se sinistre judicabant, et quod mirabilius est, tacentes in divino cultu habito clausis januis mutuo sibi non communicabant, sed frequenter se excludebant, cantantes etiam se alterutrum vitaverunt; unaquæque suo sensu secundum verbum Apostoli, quasi dicam, abundabat. Hæc autem diversitas lamentabilis causabatur non solum propter diversitatem conscientiarum, sive bene sentientium, sive erronearum, sed etiam ex eo, quod Jurisperiti in iis requisiti diversimode canones juris Ecclesiastici interpretabantur.

Postquam, ut est dictum, Ludwicus exivit Italiam, Longobardi fere omnes et ceteri Italici opposuerunt se sibi et etiam Papæ, quia Dominus Azzo filius Galiaci de Mediolano, et Canis de Verona et Comes Montisferrariæ conspiraverunt ad invicem contra omnes homines, et quod quilibet sibi subjugare posset in vicino, quod hoc haberet, et alii eum ad hoc juvarent; Et ob hoc Rex Boemiæ intravit secundario ex parte Papæ ac Ludwici et sui ad subjiciendum et revocandum eos. Post hæc Episcopus Constantiensis, Aichstetensis, Babenburgensis et alii quam plures annuerunt Ludwico et receperunt sua Regalia ac feoda ab eo; propter quod excommunicati sunt, et ceciderunt in indignationem Papæ. Similiter voluit Episcopum Argentinensem coegisse ad divina, et ad recipiendum sua regalia, qui viriliter se opposuit, et plus damnificavit Ludwicum et suos, quam ipse damnificatus fuisset, ita quod non poterat eum superare, et tandem pax et conpositio facta fuerunt inter eos, tali conditione quod uterque permaneret in statu suo.

De Johanne Papa XXII. hujus nominis plura consequenter referam, quæ legentibus non inmerito stuporem et horrorem inmittere possent, quia totam Ecclesiam commoverunt: Nam talia facta fecit vel promovit, vel fieri procuravit, quæ in retroactis annis et a seculo audita non fuerunt, nec de cætero erunt, ut sperandum est. Nam quadam vesania ductus rationibus et auctoritatibus astruere nisus est, quod Christus meram cum discipulis suis paupertatem non habuerit, sed cum eis proprietates in communi tenuerit, et ipsis, cum oportunitas vel necessitas requirebat, usus fuerit. Talibus et similibus verbis per modum quæstionis elidere et enervare voluntariam et perfectam Christi paupertatem moliebatur, cui cum Fratres Minores assensum præbere nollent, sed sibi viriliter resistentes, falsum et erroneum dictum suum affirmarent, et paupertatem Christi in sermonibus, lectionibus, disputationibus perfectam tam in privato, quam in communi auctoritatibus evidentissimis et rationibus multis insolubilibus extollerent et magnificarent, dictis Fratribus molestus cœpit esse et graviter ipsis insistere, et ad persequendum eos nisum non modicum adjecit. Fautores vero suos Prædicatores benivolentia præcipua prosecutus fuit, ac multis beneficiis constanter fovit. Ut autem Fratres Minores facilius et comodius flecteret ad astandum et consentiendum sibi, capitula generalia ipsorum in locis sibi vicinis celebrari jubebat, ut eos ibi minis et terroribus in prædicta quæstione ad suæ positionis affertionem retorqueret; nam ibidem non paucas frivolas persuasiones denegando, una secum paupertatem Christi recipiebant: sed Fratrum dispersiones ibi congregatæ unanimiter adinstar columnæ marmoreæ inmobiles in professione sanctæ paupertatis perstiterunt,

runt, nec ſuis terroribus concuciebantur, ſpecialiter autem per Reginam Appuliæ conſortem Regis Roperti in ſingulis capitulis Fratres permaxime extiterant roborati ad perſeverandum in Chriſti altiſſima paupertate: nam in Epiſtolis illuc directis efficaciſſimis ab ea, utpote mulier divinitus edocta et ſupernis irradiata fulgoribus ſectatores Fratres prænominatos paupertatis Chriſti hortabatur, ut conſtantes et inconcuſſi in ipſa perſtarent: nam in ſancto Franciſco ferventiſſimo ſectatore vere perfecteque paupertatis Chriſti, ut in legenda ſua luculenter apparet, per quinque ſtigmata ſibi divinitus inpreſſa, tanquam per bullas et ſigilla eſt firmiſſime roborata. His et ſimilibus verbis Reginæ perlectis Fratres inmenſo fuerant gaudio perfuſi, et ad ſibi in hoc obtemperandum inæſtimabiliter animati. Et ut verum fatear, ſi claudicaſſent, et ruinam, quod longe fuit, facere viſi fuiſſent, per ejus monita auro et argento pretioſiora quaſi quodam fulcimento erecti perſtitiſſent; nimirum quæ ordinem intimo et præcordiali diligit affectu, ipſius præcipitium ſummopere præcavebat. Videns igitur Papa Fratres invincibiles, et in ſancto ſuo propoſito inmutabiliter perdurare, ut aſſequi poſſet ſuum intentum, capitulum generale proxime poſtea celebrandum jubet ſub obtentu ſuæ gratiæ in villa Pariſienſi fieri, ut in loco ſibi magis ſubjecto et apto conprehenderet, conprehenſos captivaret, captivatos averteret, et ad ſentiendum cum eo animos eorum converteret: Qui ſicut prius dixi, iterum confortati inmobiliter perſtiterunt: Nam per Regem Francorum ibidem dominantem in tantum protecti et cuſtoditi fuerunt, quod illæſi omnes invito Papa et contra ſpem ſuam ad provincias ſuas redierunt. Non eſt enim conſilium contra Dominum, qui ſalvos facit ſperantes in ſe. Cum autem Fratres Pariſiis conveniſſent, totam civitatem commotam et nimis turbatam repererunt: Innotuerat enim ei Papæ intentio malicioſa, et timebat, quod Fratres perculſi et perterriti per iram Papæ contra eos ferociter ſævientem a propoſito ſancto reſilirent, et paupertatem Chriſti una cum Papa a primordio Eccleſiæ præconizatam, et per omnes Eccleſias ſolemniter prædicatam abnegarent, et ſic conſequenter fidei orthodoxæ nexus rumperetur in perpetuum integer conſervandus. Cum vero Fratres diverſarum linguarum de diverſis nationibus illic in multitudine copioſa congregati verbum Dei propoſituri conſurgerent et loca eminentiora conſcenderent, tam Clerus, quam vulgus attentis auribus auſcultabat, an aſſertio paupertatis Chriſti, vel ejus abnegatio de ipſorum faucibus procederet. Intelligens autem omnis multitudo et audiens ipſos conformiter valenterque paupertatem Chriſti eructare, repleti ſunt gaudio indicibili, dicentes: Benedictus ſit Deus, qui fidem, extra quam non eſt ſalus, ut timebamus jam ſubruendam, et in ejus quodam articulo famoſiſſimo ſubvertendam, tam miſericorditer non ſolum conſervavit, verum etiam excellentiſſime magnificavit, ita quod dubitatione pertimeſcenda ſalubriter effugata ſolida et ſana perſeverat. Penſemus et diligenter conſideremus, quantum periculum Eccleſiæ incubuiſſet, ſi fides in profeſſione ſacratiſſima paupertatis Chriſti occubuiſſet. Si enim hæc Lucerna extincta et ſuppreſſa fuiſſet, quid aliud niſi tenebræ denſiſſimæ remanſiſſent? Ibi ut putabatur Petri navicula, naufragari ſuſpicabatur: Nam procellis conquaſſata tribulationis ſubmergi videbatur et periclitari, non tamen poterat, Dei præſervata virtute. Exhyleratus eſt ergo univerſus populus cognita fortitudine mirifica et inoppinata ſanæ fidei in Confeſſoribus pauperis Crucifixi Fratribus minoribus. Quantum igitur hæc ſcandaloſa poſitio Papæ fidei Katholicæ jacturam et detrimentum miniſtraverit, homo intelligens animadvertat: Nam in cunctis terris, regionibus, Provinciis, Angulis, Climatibus fidelium perſonuit, et innumerabilibus offendiculum et hæſitationem in fide probatiſſima inmiſit: Qui enim ante firmi fuerunt, hæſitantes, et claudicantes et titubantes facti ſunt.

Fratres Prædicatores foventes in poſitione memorata partem Papæ, quod audire piæ mentes refugiunt, in contemptum et contumeliam Fratrum Minorum, et per conſequens in ſcandalum totius Eccleſiæ depinxerunt, vel depingi procuraverunt Chriſtum cum loculis et capſellis ad extrahendum denarios, ipſis manus ſuas inmittentem, et, quod eſt horror devotis dicere, videre vel audire, in parietibus Monaſteriorum, et ubi erat frequens hominum tranſitus Chriſtum pendentem in cruce depingebant una manu brachio crucis affixum, et altera denarios tractantem, et burſis in cingulo ſuo pendentibus inferentem. Hoc totum factum eſt, ut ementibus per hoc pateſceret, Chriſtum proprietates habuiſſe. Maxime autem Papa infeſtus et ſupra modum durus fuit Prælatis et Præſidentibus capitulis et capitibus ordinis Fratrum Minorum, videlicet Generali et ſibi cohærentibus in Avione degentibus. Cum enim eos minis, blandimentis, terroribus ad ſibi conſentiendum flectere non poſſet, inſidias intentabat, qualiter eos caperet, et ſqualore carceris et diris ſuppliciis cruciaret, vel ut aliqui oppinantur, quod morte eos afficeret et acerbiſſime trucidaret. Et cum hoc in continenti ſe facturum decreviſſet, Generalis dictus Michahel, vir utique genere, ſcientia et morum honeſtate præclarus cum bona gratia Juriſperito expertiſſimo et aliis Fratribus Theologis acutiſſimis amicabiliter conmonitus fugam arrepit, et cum multis galeatis a Rege Franciæ ſibi deſtinatis deductus eſt per mare propera navigatione ad loca tutiſſima, et a Papæ temeraria et irracionabili valde ſemota poteſtate; qui tandem Ludwicum poſcentes ſæpe dictum, et ad ipſum confugientes, ſub ejus umbra alarum multo tempore protecti ſunt a facie inimici, et in cunctis vitæ neceſſariis laute proviſi. Quorum fugam Papa ſentiens omnis generis contra eos cenſuram Eccleſiaſticam fulminavit, et eorum extra ordinem ſuum ejectionem a Fratribus extorſit. Qui quamvis nobilia ordinis omni laude digna membra fuiſſent, Fratres tamen, ſed nimis dolentes cum inmani amaritudine mentis ad favorem Papæ capeſſendum, et iram indignationis ſuæ exceſſivam temperandam, quia adverſus eos accendit omnem iram ſuam, ipſos tanquam membra arida ſeu putrida ab ordine exciderunt. De quo ego ſum nimium conturbatus, quia gloriam et magnum decorem per eos ordo noſter habuit, quia ſicut ſtella præfulgida in eo micuerunt et in mundo ſicut ſtella in medio nebulæ, et tanquam novum ſydus, imo ſicut ſol luciddiſſime coruſcabant. In iſto diſturbio Provincialis Fratrum ſuperioris Alamaniæ dictus Heinricus frater de Talhein Magiſter Theologiæ excellens cum quodam Lectore ſibi familiari ad Inperatorem convolavit, qui reverenter ab eo receptus, ejus eſt Cancellarius inſtitutus, ſed tandem ab illo officio deſtitutus, ſplendide ac copioſe per eum procuratus tranquillam vitam ab omni tumultu negotiorum ſecularium ſegregatam duxit in Auguſta Civitate Sweviæ inſigni. Socius vero ſuus ab Inpe-

Inperatore et Papa ab eo creato Pontificatum adeptus est Vercellensem. In quo residens plurimos Prespiteros et alios clericos ordinavit. Qui tandem penitencia ductus, Episcopatum resignavit, et jugum Domini abjectum ordinem exeundo repetens, pollicensque se subiturum pœnam correctionis suis excessibus condignam, ordinem illico inpetravit. Magister similiter Heinricus post eum faciens ad ordinem est reversus, sed Bonagracia extra eum debitum humanæ naturæ persolvit.

Hiis igitur se ita habentibus, Papa et Inperator mutuo se hæreticos nuncupabant, et uterque errores alterius contra eum excipiens produxit. Tunc etiam Inperator per fratrem Bonamgraciam tunc temporis adhuc carne degentem Juridicum permaximum secum, sicut dixi, in Bawaria cum Michahele Generali commorantem a Papa ad futurum Papam vel Concilium appellavit. Papa vero ipsum excommunicavit cum personis sibi singularibus cunctis consilium, auxilium, favoremve præstantibus. Præterea terras personarum singularium, cujuscunque conditionis, status, præeminentiæ existerent, feuda sua ab eo recipientium vel sibi jurantium, vel alteri nomine suo, præbentium sibi consilium, auxilium vel favorem, interdixit. Universitates quoque sibi similia facientes interdixit: Quod interdictum communiter circiter IX. annos duravit. Cum igitur tanto tempore protraheretur organorum damnosa suspensio, mala plurima, quæ tangit in VI. Decretalium Decretalis: Alma mater initiata evenerunt. Scilicet indevotiones hominum, pullulatio hæresum, extinctio fidei notabilis et lacrimosa.

Hiis temporibus, dum quidam valens Lector de ordine Fratrum Minorum, dictus Wilnhein Parisius aperte coram Clero et populo paupertatem Christi prædicaret et defenderet, a Fratribus Prædicatoribus apud Papam Johannem, paupertatem Christi, ut supra peroravi, subvertere nitentem, accusatus est. Qui statim jubebat eum in carcerem recludi sub arta custodia, ut ab incepto desisteret, et secum in abnegatione paupertatis Christi concordaret: sed ille minis, terroribus, cruciatibusque minime fractus, nec blandimentis et promissionibus seductus, septendecim ebdomadibus, quibus in custodia illa detentus erat, constans et inmobilis permanebat; maluit enim in professione paupertatis Christi castigari variis suppliciis, quam in ejus abnegatione foveri et deliniri diversis beneficiis. Multis in sua captivitate disputationibus, altercationibusque partem Papæ et positionem respicientibus inpetitus et inpugnatus est, in quibus strenue quasi fortis athleta in duello, et quasi leo, qui ad nullius occursum pavet, se defendit, auctoritates et raciones suorum adversariorum sibi dissonas et contrarias suis auctoritatibus in scriptura evidentissimis, et rationibus acutissimis et firmissimis confutavit et luce clarius refellebat Cum itaque Clero frequenter sibi adversanti satisfaceret, et invincibilis in assertione paupertatis Christi persisteret, a sua detentione frivola eripitur et libertati restituitur. Cujus propter suam perseverantiam laudabilem quædam potens et opulenta mulier gratiam non parvam concipiens, sibi LXX. florenos, ut fertur, erogavit.

Præterea idem Papa, quemadmodum tunc fama communiter volavit, quendam Episcopum sibi suspectum de intoxicatione propter unum somnium displicibile habitum de eo, præcepit capi et diversis cruciatibus dilaniari. Qui innocens ab omnibus et inmunis ab hoc scelere extitisse refertur. O qualem successorem Beatus Petrus in sede summi Pontificatus in eo habuit, qui humanitatis et pietatis pastorisque officium oblitus, vitam tyrannicam induebat propter conjecturam temerariam et superstitiosam somnii tantum Reverendum Præsulem dirissimis suppliciis perimendo! Quomodo Petrus credidisset Kathedræ suæ et Ecclesiæ statum fore tam enormiter in novissimis temporibus a justitiæ regula pervertendum in Kathedra seniorum. Hic laudandus non erat, quia in Kathedra pestilentiæ sedisse videtur!

Præterea eodem Papa Ecclesiæ Præsidente, Episcopus Treverensis Frater quondam Heinrici Inperatoris, patrui vero tunc Regis Boemiæ tres Episcopatus scilicet Treverensem, Moguntinensem et Spirensem sibi vendicaverat, imo quosdam usurpaverat de facto, nullo juris titulo eos possidendo, et quod gravius est, more Pharaonis dimittere eos noluit, quantumcunque Dominus Papa sibi, ut ipsos desereret, demandaret, avaritiæ labe fœdatus nimis et ad instar adamantis obstinatus et funditus induratus: propter quod processus varios summi Pontificis contra eum fulminatos penitus contempsit, et ne ad partes illas mitterentur, vel illic aliquatenus reciperentur, præcaveri summopere præcepit. Cum autem medio tempore Papa unum Archiepiscopum in sede Moguntina institueret, ut Ecclesiæ illi reverendæ sollicite ac salubriter, ut pius Pater de pastore provideret, et cives Moguntini ipsum dignanter suscepissent, eum quoque tanquam verum Præsulem ipsorum dignis honoribus prosecuti fuissent, indignatus est, et nimio furore succensus Episcopus Treverensis hæc audiens, civitatem Moguntinam graviter ac hostiliter persecutus est. Civitas vero stans pro Episcopo sibi a Christi Vicario collato contra Pontificem memoratum in furore opposito incessit, et sic gwerra perniciosa inter eos suscitata est, propter quam multa incendia, homicidia, spolia subsecuta sunt, et per consequens terra circumquaque depopulata est. Cum itaque alterutrum se multis diebus dampnificassent, Episcopo tamen majora dampna inferente, pax inter eos reformata est, et gwerra a satana discordiarum satore seminata feliciter sopita est. Post hæc vero non multo tempore interjecto Præsul Treverensis divinitus conpunctus et saniore consilio ductus sponte Episcopatum Moguntinum cum Spirensi resignavit, suo contentatus, duobus aliis idoneis cedens.

Item cum idem Papa Ecclesiæ Dei adhuc præesset et persecutiones et molestias Ludwici Inperatoris et suæ partis in Longobardia pertimesceret, contra suos et Ecclesiæ hostes inmediate post Dominicam orationem psalmum: Lætatus sum in hiis, et cætera cum versiculis et collectis congruis et competentibus Missæ apposuit, et in Ecclesia cottidie districte orari flexis genibus jubebat. Quod Fratres Minores per plures annos in toto ordine studiose custodierunt, multo Clero recalcitrante et id facere recusante.

Paucis annis transactis ante ista tempora factum lamentabile in Wintertur in crepusculo vel ad longius in prima vigilia noctis Festi sancti Thomæ evenit. Nam ignis casualiter invalescens partem oppidi memorati concremando consumpsit: In quo incendio dum quidam homines consternati, attoniti et incircumspecti nimis facti fuissent, ad cellaria, quibus nimium confidebant, se contulerant: sed ignis fumositates et fervorem per rimulos, januas et fenestras inmittens fere XX. homines promiscui sexus suffocavit

cavit. Post hæc in brevi rursus in noctis tempestate terribiliter conburitur oppidum præfatum: Sed nemo læditur, superno hominibus præsidio assistente.

Paulo ante ista tempora, dum quidam Frater Minor virtutibus et scientia redimitus quadam nocte in Conventu Bernensi in cella sua studio vigilem operam daret, aliis fratribus in locis suis dormientibus, audivit strepitum et sonitum quasi Fratrum simul orantium contra pomerium Fratrum tendentem, quem scire qualis vel quorum admiratione ductus affectans foret, caput erexit, et extra fenestram, quae ad ortum respiciebat, ad perspiciendam rei veritatem, exponens, vidit quasi multitudinem grandem Fratrum in qua bini et bini simul, sicut in processionibus fieri solet, incesserunt, et pervenientes ad medium viridarii, inclinatis capitibus disciplinate ab invicem se separaverunt, et uterque pariter et simul euntium ad latus sibi conjunctum secedens, sive ad dextrum, sive ad sinistrum, cum aliis similiter facientibus ordinem constituit more Fratrum in Capitulis seu processionibus sic facientium, et dum mutuo orantes per modicum temporis spatium e regione stetissent, rursus se conbinaverunt, et contra transitum prius ab eis peranbulatum iter suum direxerunt, et dum domum reintrassent, tristegam cum inpetu pariter ascenderunt, pulsantes inportune in cellis plurimorum Fratrum cubantium in eis, in domo cellarum, cum ad eam pervenissent. Deinde dormitorium intrantes in stratus aliquorum similiter Fratrum illic pausantium procaciter inpegerunt, dum autem transitum facerent de domo cellarum ad dormitorium, Frater prædictus stupefactus, tremens et gemens nimio præ pavore adventum eorum terribilem et horribilem insultum, in cella sua sedens cum lumine formidabat, quem tamen contra oppinionem suam pertranseuntes, sibi et cellæ suæ nihil molestiæ et gravaminis intulerunt. Quotquot autem cellas vel stratus peranbulantes secundum ordinem tetigerunt, illorum Fratres postea in brevi tempore secundum eundem ordinem obierunt.

Circiter ista tempora officialis Basiliensis, vir valde condicionatus occisus est a civibus dictis de Sole ob injuriam quandam, quam eis et Fratribus Minoribus sibi tenerrime dilectis contemptibiliter irrogavit.

Item circa illa tempora quidam Clericus famosus a Papa Basileam dirigitur, ut quosdam processus frivolos ibidem promulgaret: qui statim de Curia Monasterii summæ Canoniæ dictæ Burg eminenti et valde excelso loco in fluvium Renum illic præterfluentem præcipitatur. Qui quamvis de alto projectus fuisset, quod verisimiliter mori potuisset, non tamen mortuus fuerat, nec eciam tantum conquassatus, nec collisus erat, quin Reno se mox inmitteret, ut natando mortem evaderet: quod et fecisset, si persecutores sui videntes eum nare, in naviculis celeriter ipsum insecuti non fuissent, quem cum apprehendissent, necabant.

De Johanne Papa exsecrabile factum fidelibus in perpetuum displicibile præcedentibus subnecto. Quotiens ego hoc recogito et in mente revolvo, flere mihi potius, quam aliquid dicere, fore censeo: nam timor et tremor et rigor me quodammodo concuciunt et tenebræ contegunt. Nam in quibusdam Christianitatis, ut fertur, extremitatibus, Teutonicis cruciferis diffuse dominantibus, Paganorum truculentam rabiem eos contingentium cohercentibus et refrænantibus, ne per suas invasiones et incursiones pestiferas fidelium terris, quantum gliscunt, nocere possint, Dominus Papa in mandatis districtissime dedit, quatenus ipsos per terram suam liberum transitum habere sinerent, ut in vindictam et injuriam Inperatoris ad terram filii sui demoliendam vocatam Brandeburg accessum habere possent. Qui jussioni Papali contraire pertimescentes, inviti cum ejulatu, ut ita dicam, amarissimo Paganis transitum pro suo libitu indulserunt. (Quidam ajunt Papam hæc demandasse Regi Graagogiæ, et quia sibi in hoc paruit, Regem eum fecit, qui ante Dux unus Poloniæ fuit.) Qui venientes ad terram prænominatam inmanissima scelera auditu horribilia commiserunt. Armati enim in multitudine incredibili ex insperato ad terram memoratam supervenerunt bestiali mente, indomito ac agresti more ipsam vastantes, nec in hoc eis suffecit, quin etiam mulieres certatim temerarent coitu nefario, ipsis quoque mamillas absciderunt, Ecclesias diruerunt, Altaria destruxerunt, et, quod est execrabile dictu, Corpus Christi in scriniis super aris reconditum sustulerunt, et sibi lanceas suas infixerunt, blasphemando dicentes: Ecce Deus Christianorum in nullo se defendere valens. Quod Deus dissimulavit, si autem eos plaga crudeli percussisset, ipsos et suos posteros forsitan convertisset, et judicio meo disciplinæ et fidei Katholicæ non modicum profuisset. Quare autem non fecerit, sibi soli constat, qui in viis suis inscrutabilis est: ponam iterum hic silentium ori meo et ostium circumstantiæ labiis meis, ne præsumam rimari archana Domini judicia temere et incaute, qui dicit per Isajam Prophetam: Secretum meum mihi. Ad idem possum aptare verbum Philosophi in Metaphysica dicentis: Intellectus noster habet se ad manifestissimum in natura, sicut oculus noctuæ ad lucem. Ergo quanto magis oculos intellectus finiti ad infinitam et inaccessibilem lucem perscrutandam erigimus, tanto magis per inmensam ejus reverberationem excæcantur. Nam ut dicit etiam Philosophus in libro Physicorum: Finiti ad infinitum nulla est proportio. Per istud factum abominabile Imperator Ludwicus per Papam promotum, et per inpugnationem paupertatis Christi Papæ maxime insultavit, satagens per hæc ipsum hæreticum convincendum fore, et ipsum propter hoc, justitia exigente, deponendum, et per consequens suas indebitas sententias deberi irritas censendas.

Sciendum quoque est, quod per eundem Papam multus sanguis effusus est, et multa homicidia perpetrata sunt in Longobardia, quæ ante multos annos a tempore, de quo non extat memoria, contra se divisa est. Quædam enim usque in hodiernam diem civitates adhærent Inperatori; quædam vero Papæ; quas Papa Johannes concitavit una cum stipendiariis ab eo conductis contra partem Inperatoris. Et sic multa prælia, ipso præsidente Ecclesiæ, inter partem Lonbardiæ zelantem pro eo, et partem foventem Inperatorem commissa sunt. Frequenter autem Papæ in magno pars numero usque ad internecionem percussa est. Raro enim, sive pugnaverit cum alia bello canpestri vel navali prosperata est, sed fere semper succubuit, et contrita est per occisionem vel submersionem. Propter quod medullitus a Deo non raro perturbatus fuit, quod in amenciam seu furiam rapi multociens videretur. Si autem quandoque suos triumphare in bello contingebat, tantum exhyleratus fuit, quod metas humanæ exultationis transcendens extra

extra se per mentis excessum et alienacionem tractus et raptus est, in tantum, quod se minime continere posset, tanto etiam desiderio optabat sinistros successus Inperatori evenire, quod si quis mendaciter vel veraciter talia sibi narrabat, mox sibi eum propicium et benignum invenit, et sibi gratiam suam inpendit, ut fertur ab hiis, qui præsentes fuerunt.

Ut autem crudelitas Johannis Papæ, quantum ad inmediate prædicta evidentius pateat, notandum est, quod audivi a quodam milite robusto fide digno, qui sub eo militaverat. Videlicet, quod in guerris et præliis suscitatis et perniciosissime motis a Papa Johanne contra partem Longobardiæ sibi adversam et rebellantem, et Inperatori faventem, tantus sanguis successive tempore illo toto, quo præfuit Ecclesiæ effusus est, judicio ac æstimatione præfati militis ex utraque parte, Papæ et Inperatoris, maxime autem et frequentissime Papæ, quod Lacus Potanicus seu Podmensis, qui in latitudine alicubi ad duo miliaria se extendit, et in longitudinem ad sex vel ad septem, totus sanguineus procul dubio appareret, si illum sanguinem recepisset. Præterea adjecit, quod idem lacus de portu ad portum vix continere posset cadavera occisorum. Nihilominus addidit, quod aliquando in uno conflictu ceciderunt centum millia hominum. Cujus hominis pectus nisi saxeum sit, non obstupescit! Cujus aures non refugiunt audire horrorem tam crudelis cædis promotæ a Christi vicario, sedente in sede sancti Petri, qui potius pacem procurare Ecclesiæ sollicite debuisset, cum ejus vicem in terris gesserit, qui propter pacem faciendam venit in mundum!

Hic etiam Papa quadam vice per modum disputationis astruere nisus est, quod ab initio mundi nulla anima cœlos ascenderit, excepta sola anima Christi usque in hodiernum diem; sed tantum, ut percepi relatione multorum hominum post diem judicii animas justorum evolaturas in cœlica regna affirmabat, et sic Ecclesia penitus exorbitaret. Nam Natalicia Sanctorum vel festivitates colimus, quando animæ ipsorum, quemadmodum Scriptura refert, in æternæ claritatis abyssum absorptæ sunt. Sed quia error pessimus est hoc dicere, procul abjiciatur: nam anima Mariæ Matris Christi, Petri et Pauli Apostolorum ejus adhuc miseræ essent et non beatæ, Viatores quasi et non conprehensores, cum divina essentia taliter ut ego sentio nullatenus fruerentur. Hæc opinio seu positio venenosa a Papa quasi a Regulo sota et effusa per multos Clericos et Laycos, nobiles et ignobiles in curia pro suis negociis agitandis commorantes in reditu suo ad Provincias suas vel patrias, quasi per diversos rivulos ad diversa Ecclesiæ climata derivata est; hæc assertio falsa, et a veritatis tramite penitus aliena, infirmitas contagiosa existit, quæ multa corda fidelium simpliciter credentium in locis, quibus divulgata est, graviter infecit.

Hujus tempore Papæ Dominus de Klingenberg residens in Castro dicto Twiel a civibus de Rotwil, quibus longo tempore ob respectum favoris Ducis Lupoldi molestus extiterat, in canpo, ubi congressi fuerant, occisus est. Hic erat vir animosus, bellicosus et totus virtuosus, et ideo mors ejus inmatura in tota illa contrata seu confinio lamentabilis et querulosa satis fuit. Ejus ergo memoria in benedictione sit felici in seculum seculi.

Hujus etiam tempore circa annos Domini MCCCXXXIII. Luceriæ particulare diluvium per resolutionem nubis aquosæ repente et ex insperato factum est circiter Festum sancti Johannis Babtistæ hora vespertina, quod contra minorem partem oppidi Lucernensis se in tanta inundancia et inpetu totam vallem occupando de griens fluebat, quod hominibus habitantibus in oppido memorato non inmerito incutere poterat horrorem nimium et pavorem: nam excidium et destructionem suo cursu vehementissimo sibi minabatur et insolitum exterminium. Nam terram abduxit, et arenam solam reliquit post se, quam super ortos et olera sparsit, et sic texit, quod nihil aliud apparebat. Fossata et vicos oppidi aqua et arena replevit, tuguria quoque et horrea secum tulit, et homines dormientes repertos in ipsorum feno ipsis ignorantibus prope villam Lucernensem devexit, et lapidem grandem trans altam Zepem jecit, incudem unius fabri de loco suo radicitus evulsam ad fossatum villæ Lucernensis deportavit, lectisternia et varia utensilia hominum secum inportunissime detraxit, et in fluvium dictum Rys fluentem per oppidum Lucernense projecit.

Papa Johannes, ut fama publica de ipso volavit, homo brevis staturæ fuit, macilentus et deformis valde, sed garrulus totus et velocissimæ linguæ, maximæ parsimoniæ, in Katurko natus de humili progenie, qui tandem Regis Roperti pædagogus effectus, mediante intercessione sanctæ consortis Regis Appuliæ prænominati, in Episcopum Avionensem, tandem in Cardinalem, extremo in summum Pontificem sublimatus est. Dissimilis notabiliter suo prædecessori fuerat Clementi V. qui de Vasconia oriundus de nobili prosapia, totus personatus, fortis et decorus erat.

Hic Papa Johannes inter bona opera, quæ fecit, septem horas passionis Christi ritmico dictamine descripsit, differentias passionum, quas Dominus noster Jesus singulis horis pertulit, declarando et in fine per modum orationis conclusit, orantibusque et perlegentibus ipsas sic ab eo conpositas cottidie multas indulgentias elargitur. Item sanctum Ludwicum hæredem Regni Siciliæ et Appuliæ, sed pro Dei amore relinquentem et ad Fratrum Minorum ordinem convolantem canonizavit et Sanctorum Kathalogo ascripsit. Quod et postea fecit Fratri Thomæ Doctori eximio de ordine Fratrum Prædicatorum. Fertur etiam, quod in fine vitæ suæ errores suos correxerit: qui multi præter a me supra tactos extiterunt. Hic postquam sedit circiter annos XIX. diem clausit extremum.

Hujus etiam Papæ tempore civibus in Philingen mala sæva et atrocia evenerunt, videlicet, quod a Dominis suis Comitibus pociores ex eis in oppidum vocatum Haslach, ubi domicilium tunc habebant, accersiti fuerunt. Qui dum detractis armis laute cum ipsis cibo potuque refecti fuissent, mox detenti sunt et turri mancipati, quousque pecuniam inmensam et inportabilem, quam indebite ac irracionabiliter ab eis exegerant, exsolverent: quam, quia nimia erat, invenire manus eorum non potuissent. Duces Austriæ ipsorum calamitati et miseriæ condolentes et suæ utilitati providentes, unam partem, puto mediam, expediverunt, et sic eos redemerunt, et libertati restituerunt, sibi ac suis hæredibus eos in perpetuum vendicantes. Insuper propter prælium inter eos et Comitem de Vürstenberg suscitatum terra tota circumposita, per incendia et rapinas depopulata est. Nam mutuo plurima mala multis diebus sibi intulerunt.

Cum

Cum autem diu se alterutrum damnificassent et ferociter afflixissent, tandem pacis tranquillitas inter eos amicabili conpositione reformata est. Per hæc mala Philingenses per plura annorum curricula in rebus inæstimabiliter attenuati fuerunt, sed demum ad pinguiorem fortunam, Domino adjuvante deducti sunt, paulatim res amissas recuperando.

Post hæc quidam solo nomine Christicola, re autem hæreticus pessimus, imo Judæ mercatoris malignissimi verissimus imitator, corpus Dominicum ab eo de Ecclesia sancti Pauli civitatis Constanciensis sublatum Judæis illic vendidit, ut ludibrio, quo vellent, haberent: quod dum sub multis hostiis junctum pastæ in frixorio confixum esset, et adhuc continue in eo adureretur contemptibiliter, et ancilla Judæorum Christiana ei appropinquaret, mox in eam saliens suo brachio adhæsit, quod videns quidam ex Judæis astantibus illico abstraxit, et in locum pristinum rejecit. Ancilla vero rem tacita animadvertens et in vicum et plateas domum exiens, inportunis vocibus lamentabiliter valenterque acclamavit dicens: Corpus Christi horribiliter a Judæis torquetur. Eadem hora Plebanus Ecclesiæ sancti Pauli, cui hostiæ consecratæ ablatæ et furatæ fuerant, horribilius succlamabat, dicens: Heu mihi, quia plures oblatæ corporis Christi consecratæ de Altari sublatæ sunt. Quod audientes cives Constancienses turmatim concurrerunt, et ulcisci Dei sui injuriam et contumeliam illatam a Judæis conantes, plures Judæos in insania et furore magno deprehendentes in scelere necaverunt, ipsos tanquam boves securibus mactantes. Quorum XII. extra civitatem ducti, et in acervum collecti, igne consumpti sunt, sed sex alii in Renum præcipitati sunt submersi, et alias novem trucidati sunt. Reliqui vero Judæi per potentiores cives civitatis protecti et salvati fuerunt, qui octava die, quod est miserabile dictu, per exhortacionem Ducum Austriæ civibus de eis factam, in civitate eadem tornamento acto post excessum prædictum Katholicos viros de locis eminentibus tornamentum prospicientes ab ipsis desideratis repulerunt, et sibi ipsis usurpaverunt. Duces enim prænominati patroni Judæorum frequenter, ut fertur, propter pecuniam extiterunt, et ideo secundum hominum opinionem diminuti sunt, quod Dominicæ incarnationis anno MCCCXXII. inceperunt Judæos in oppido dicto Engen occisores, imo carnifices et spiculatores unius pueri Burgensis, sicut protestatum fuerat, defensando, et ideo eis deinceps male successit. Ante tempus enim mortui sunt et alias minime prosperati.

Item paulo ante jam recitata, sicut relatione fide digna apud me et alios personuit, quædam mulier in oppido Sueviæ dicto Ehingen apud Danubium fluvium sito, proh! vocabulo seu nomine Katholica, re autem infideli deterior, quadam vice corpus Christi de Altari surripuit, et in quodam loco contemptibili occulte et tectum posuit, ut sic per hoc secundum opinionem suam superstitiosam ac hæreticam incantationis cujusdam maleficium perpetraret. Cum autem aliquot diebus corpus Dominicum in illo despecto loco pedibus transeuntium ac conculcantium expositum delituisset, et medio tempore una dierum Plebanus Ecclesiæ, cujus sacramentum Eukaristiæ per mulierem memoratam ablatum fuerat, hostias consecratas Dominici corporis non inveniret, sed cum bursa, in qua reservatum erat, subtractum et furatum cerneret, supra modum consternatus, ejus furtum et absentiam cum lacrimis et querulosis clamoribus civibus propalavit: qui furibundi nimis effecti, zelo divino accensi in Judæos illius loci, quos suspectos in scelere commisso habebant, cum impetu tumultuantes ferocissime irruerunt, ipsos occidendo, qui XVIII. fuisse feruntur. Tandem vero conperto, quod Domina prædicta auctrix flagitii extitisset, prodita per alias mulieres Christicolas, quæ viderant ante necem Judæorum eam bursam, in qua reconditum erat Christi corpus, Judæis afferre ac vendere eis voluisse, certissime quasi per hoc ipsam criminis ream notantes, ipsam ceperunt et ad pœnam et ad supplicium mortis traxerunt. Quæ publice coram populo se criminis ream confessa fuit, et ideo igni tradita, consumpta est: Et sic Judæi immunes & alieni a præfato reatu, quamvis existerent, deleti sunt.

De Imperatore Ludwico factum indecens consequenter adjiciam, quod suæ dignitati excellenti minime congruebat. Tempore namque, quo adhuc Johannes Papa supererat, breviter suam mortem præcunte, Comes Rudolfus de Hohenberg ex letali ac hostili inimicitia, qua agitabatur contra Episcopum Constanciensem, (eo quod Episcopatum eundem tam per Papam, quam per electionem legitimam Canonicorum ejusdem Ecclesiæ adeptus fuit, suo filio abjecto Domino Alberto, Jurisperito egregio, Canonico Ecclesiæ præfatæ non propter demerita propria, sed propter tyrannidem Patris, quæ vehementer timebatur, et verisimiliter suspicabatur Ecclesiæ sæpe dictæ imminere, si filius in electione prævaluisset) affectans Episcopatum, in contumeliam et contemptum tam Dyocesani, quam Canonicorum vastare, quoddam oppidum Episcopatus situm in portu lacus Botanici, vocatum Merspurg, obsedit, et illuc in auxilium sui Inperatorem Ludwicum venire poposcit; qui tanquam stipendiarius una cum civitatibus Regni circunpositis, tamen minus voluntariis advenit: Qui cum exercitu suo et Civitatum, et Comes cum virtute sui exercitus vallantes et oppugnantes oppidum per multos dies, nihil profecerunt, quamvis multis septimanis operam vigilem darent, ut ipsum caperent. Ratio autem suberat ista, quia civitati civitates pepercerunt nolentes eam offendere, quia vicina eis erat, et insuper innocens; et maxime, quia in castello fuerant bellatores indefessi et exercitati in præliis, qui machinis et ballistis strenuissime oppidum tuebantur, et interdum egrediebantur, et quos inveniebant portis et muris nimis approximatos occidebant, et fugam ineuntes insequendo ipsos in ore gladii perdiderant. In lacu quoque rapacissimi et crudelissimi Piratæ facti sunt, naves hostium victum de blado vel bacho afferentes ferocissime abducentes. Ipsi vero de Constancia naves refertas alimonia cottidie per lacum venientes recipiebant, quas per conductum suum viriliter custodientes ad Castellum deduxerunt. Cum ergo obsidentes in cassum laborarent, Castellum oppugnando, relicto eo tandem ad propria redierunt. Nam Dux Albertus revertendo in Austriam de terra Sueviæ obsidionem pertransiens Inperatorem abstraxit, et per consequens cæteros ad recedendum incitavit. Itaque oppidum illæsum permansit, quanquam Comes prædictus in principio obsidionis, ore procaci et præsumptuoso locutus fuisset, dicens: Ego non desistam, quousque Mariam, id est, Episcopatum denudabo: Maria enim ibidem patrona est. Qui postea modico temporis intervallo inter-

interjecto in Austria mortuus est. Maria Domina nostra, ut verbis suis utar, vestita et salva permanente. Eorum autem, qui de oppido contra hostes fortiter egerunt, nominatissimus fuit Comes unus de Toggenburg tunc temporis Canonicus Ecclesiae Constantiensis existens. Post eum vero quidam a cunabulis in artibus bellicis enutritus, dictus Jasso, viriliter et fortiter egit: nam navibus citissimis, nautis et remigantibus bene procuratis, sagitariis quoque et aliis viris armatis repletis naves hostium insequebatur, et ipsas deprehensas deprædabatur: reperiens autem in eis aliquos adversariorum, iis oculus suus non pepercit: more enim Leonis in eos sæviebat, et ut comparative loquar de ipso, in lacu prænominato similis factus est piscatori quærenti pisces et retia tendenti: nam quos in lacu vel portu reperisset, mortis sagenæ inclusisset.

In iis etiam temporibus quoddam Castrum in Alsatia dictum Swannow apud Renum situm, firmissimum erat, quod ab antiquo extiterat, domus spolii firmum erat, quantum ad hoc, quia muris et fossatis bene obvallatum seu munitum fuit, quibus continue Rhenus influebat, et ipsa usque ad summum replebat: Insuper caries et paludes profunde ipsum undique cingebant et accessum hostium prohibebant. Eratque domus spolii, et quod gravius est, latrocinii, quod jugiter in eo committebatur: Nam mercatoribus et aliis Renum descendentibus insidiabantur, et cum ipsis appropinquabant, de absconditis erumpebant et ripam Rheni adeuntes balistis suis extensis et telis desuper positis, eos applicare conpulerunt, quos turri oppacissime injecerunt, a quibus, cum fame et carceris squalore et aliis variis tormentis, minis, terroribus, concussionibus res abstulissent, vitam quoque ademerunt. Quod toti terræ patuit, et ideo cunctis transeuntibus tremorem intulit. Quod licet luce clarius civitatibus et Dominis et Potestatibus circumpositis constaret, tamen dissimulabant, non audentes tam arduum, periculosum et difficile factum aggredi. Tandem autem, cum contingeret multas civitates Regni Germaniæ esse confœderatas prædictum Castrum accumulacius malitiam suam tunc exercens et replicans inperterrite vias suas malas, unanimiter in manu forti et brachio excelso, dimissis cunctis negotiis in æstate obsederunt multis diebus, quia inhabitatores Castri fortiter egerunt, resistendo machinis et balistis, lapidibus quoque, et aliis modis, quibus poterant: Civitates vero infatigabiliter viribus et artibus Castrum oppugnabant præter auxilium sibi cœlitus præstitum: Nam quanto tempore ibi manserunt, continue aura serenissima fuit: Et non solum communis serenitas fuit, imo uredo ex solis ardoribus et adustionibus diuturnis causata, aquam in fossatis, humositates in carne penitus exhauserat et exsiccavit, quod poterant arietibus murum infringere et quovis alio modo Castrum occupare et urgere, unde in Castro dicebant: Deus pugnat pro eis. Nam ut communiter homines agebant, si aura pluviosa extitisset, nunquam forte Castrum cepissent. Audivi a multis qui videbant, quod singulæ civitates habebant ibi castra sua ab aliis separata et sua vexilla ab aliis distincta; quod pulcrum et delectabilem videntibus præbebat aspectum. Præterea intellexi, quod cum machinis suis maximi ponderis lapides ad Castrum continue projecerunt, quibus murorum compagines laxabantur et eorum integritas rumpebatur: Insuper, quod est mirabile dictu et a retro actis annis raro vel nunquam auditum sollerter et callide factum cum machinis sordidum et fœtidum excogitarunt. Scilicet, quod stercora humana de locis vicinis in magna quantitate in carrucis et curribus afferri jubebant, et illa per machinas in castrum certatim jecerunt, per quod tam intolerabilis fœtor in castro ebullire cœpit, quod ferre ipsum non valentes et suffocari pertimescentes desperabant. Nihil enim eis tantam molestiam intulit. Quamobrem nimium consternati per hoc, et vehementer afflicti, extraneis cedere et castrum resignare post longam rebellionem conpulsi sunt. Captum itaque est Castrum, et inventi in eo latrones et raptores, et eorum conplices et fautores castrum defensantes, exceptis paucis ortis ex nobili prosapia, quibus propter hoc delatum est, fere sexaginta capitibus ablatis extincti sunt. Magister vero machinæ ipsorum tanquam lapis machinæ inpositus est, et in altum projectus et in terram præcipitatus crepuit, et effusa sunt viscera ejus. Et ita in eo verificatum est verbum sapientis, dicentis: In quo quis deliquit, in hoc et punietur. De ipso fertur, quod prius mortis debitum persolverat, quam in terram collapsus fuerit. Castrum vero demolitum est et in pulverem redactum, et ne reædificetur amplius, per prohibitionem districtam præventum est, et sic sanguis innoxius in eis ultus est, et via transeuntibus, ante discriminosa, secura reddita est.

Item circiter ista tempora ortum est bellum inter Comitem de Kiburg et cives Bernenses. Qui dum congredi in quodam canpo vellent, Cives Bernenses una cum civibus de Solodoro, qui eis vinculo juramenti et fœderis specialis tunc temporis connexi erant, steterunt conglobati in modum globi vel coronæ prætendentes lanceas suas. Quod dum videret adversa pars, perplexa nimis facta est, quomodo eos invaderet, vel quid faciendum esset; tandem quidam nobilis dictus STUELINGER de Regensperg oriundus, vir utique robustus et animosus, et virtute, ut fertur, pietatis et hospitalitatis multum præditus, de se nimis præsumens, volensque Domino Comiti per hoc conplacere, et per consequens Ducibus Austriæ, quibus ratione bonorum suorum subjectus erat, quibus quoque militavit, de medio ipsorum prosilivit in equo suo forti et veloci, et contra eos in inpetu spiritus progrediens cuspite prætenso cupiens et sperans eos conpressos et copulatos in unum tali modo ab invicem separare, ut suis per hoc iter ad eos prosternendos panderet, ipsos invasit, quem flebilissime ejulantem et ululantem dirissimis ictibus multarum lancearum usque ad mortem transfoderunt: Quod sui cernentes quasi elephanti viso cruore ipsius provocati, omnis timoris obliti, cum furore gravi in eos irruerunt, et ipsos disjunxerunt. Quo facto prævaluerunt in tantum, quod ex Bernensibus CC. et ex Solodorensibus totidem ceciderunt. Quos, postquam plancti erant dolore acerbissimo, ulcisci volentes, bellum instaurabant. Quod videns Comes prædictus Reginæ Ungariæ sorori quondam Ducum Austriæ tunc tempore in campo Regis apud oppidum Brugg commoranti querulosis vocibus exposuit et auxilium oportunum in tempore tribulationis contra eos flagitans, exauditus pro sua reverentia est. Nam ei in adjutorium, ut fertur LX. galeatos viros destinavit, quibus eos conpescuit, et graviter per multos dies castigavit homicidia, incendia, direptiones rerum eis irrogando. Cum igitur ipsos sedasset, Reginæ viros cum gratiarum actione re-

remiſit : Nam ipſa eis ſumptus præſtitit, quamdiu ei neceſſarii fuerunt.

Præterea iſto fere tempore prælium ſuſcitatum eſt inter Comites de Muntfort et Dominum de Vazz reſidentem in terra dicta Curwalhen : Cui cum montani dicti de Swiz ſibi vicini ob petitionem ſuam in auxilium ſui mille et quingentos viros transmiſiſſent, et eos exercitus Comitum vidiſſet, cujus Dux et Capitaneus Dominus de Runzuns fuerat, more beluæ feriſſimæ, directo tramite, laxatis frenis, in eos cum inſania et vehementia grandi irruerunt, et plures ex eis, forte ducentos usque ad internecionem percuſſerunt. Reliqui vero rejectis armis, ut expediciores eſſent ad fugiendum inermes, ad cavernas montium fugierunt. Multi quoque ex eis per montes nivibus repletos remeare ad propria volentes, in nivibus perierunt.

Dominus de Vazz jam memoratus tantam ſævitiam et tyrannidem, quamvis Jurisperitus ſeu Canoniſta foret, in hoſtes ſuos exercuit, quod ipſos captos in multo numero quandoque laute refecit cibo potuque, carceri poſtea in continenti nunquam ultra panem comeſturos, mancipandos. Fama communis de ipſo volans proteſtatur ipſum tantæ duritiæ extitiſſe ac obſtinatæ militiæ, quod, quandocunque ſuos captivos ſeu turri incluſos audivit lamentabiliter præ nimia fame ac carceris ſqualore et horrore ejulare et clamare, exultavit non modicum, dicens : Iſtæ ſunt aviculæ meæ dulciter in meis auribus perſonantes. Iſte cum diu Epiſcopatum Curienſem vexaſſet et bona ipſius plurima ſibi uſurpaſſet, et tandem in lectum infirmitatis ad mortem decidiſſet, et ammonitus fuiſſet, quod animæ ſuæ ſalutem, confitendo peccata ſua, procuraſſet more fidelium de hoc mundo transmigrantium, reſpondit in malitia ſua nimis induratus : Ego confeſſionem, licet ipſam faciendam fore optime noſcam, non faciam, quia ſalubris mihi nequaquam eſſe poterit, ſed fruſtratoria, cum eam absque contritione penitus agerem. Et ſic heu absque pœnitencia et omni ſatisfactione et emenda, quod eſt miſerabile et horribile dictu ab hoc ſeculo deceſſit. Et ſic verificatum fuit in eo verbum Auguſtini, dicentis : Hac animadverſione percutitur peccator, ut moriens obliviſcatur ſui, qui dum viveret, oblitus eſt Dei. Reliquit autem ſuo hæredi ſeu ſucceſſori Comiti Friderico de Toggenburg, cujus ſupra mentionem habui, cui tunc noviter ſuam filiam deſponſaverat, in teſtamento, ut ita dicam, quod litem ſuam inchoaret ſive initiaret, niſi ipſe per mortis inpedimentum interveniens deſtitiſſet, et hoc cum jurejurando ab eo, ut fertur, exegit, qui tamen ut vir bonus et juſtus ſibi in hoc juxta conſilium Iſidori, dicentis : . In malis promiſſis reſcinde fidem ; in turpi voto muta decretum ; minime obtemperans executioni non dedit, ſed, quia pacis cultor et præcipuus amator eſt, pacis tranquillitatem pro viribus amplectitur et ſectatur.

Circiter etiam iſta tempora, prout celebris fama atteſtabatur, a quibusdam Magiſtris Aſtrologis in partibus longinquis conſtitutis prædictum et præſagitum erat, et ad terram Alamaniæ ſcriptum, quod die et horis ab eis determinate prænunciatis ventum tam validum ſuper faciem terræ venturum contingeret, quod flatu ſuo vehementiſſimo et inæſtimabiliter inpetuoſo hominum capita tolleret, et radicitus de locis ſuis in ictu oculi evulſa abiceret. Qui dum cum magno tremore et ſtupore exſpectaretur, minime evenit, et ſic hominum metus in ridiculum eſt converſus, juxta illud in Poetria : Parturiunt montes, et cætera : Et tandem exivit mus filius ejus.

Circiter annos Domini MCCCXXVIII. Johanne Papa Eccleſiæ præſidente, anno quo Inperator Ludwicus ſecundo in Ytalia demorabatur, peſtilentia ingens in Germania orta tam exceſſive ſæviebat in populo tempore quadrageſimali, quod quandoque una die in civitate Baſilienſi, ubi tunc præſens eram, L. funera reperta fuerant tumulanda. In Wintertur autem, unde nativitatis originem traxi, et in multis aliis locis Clerus non ſuffecit populo in exhibitione ſeu miniſtratione Sacramentorum Eccleſiaſticorum. Nam multi tam repentina morte deceſſerunt, quod a Presbiteris ad hoc magno conatu paratis, confeſſionis, abſolutionis, Eukariſtiæ, extremæ unctionis remedium aſſequi non valebant, imo quod gravius erat, ſacerdotes volentes ſubditis ſatisfacere in adminiſtratione ſacramentorum, morte ſubitanea et inproviſa de medio ſublati ſunt. Hæc mortalitas tam perniciofe et valenter in civitate Moguntina inhorruerat et excrevit, quod CC. vel forte CCC. homines una die abſumerentur, quemadmodum fide digna intellexi relatione. Qua propter nec inmerito cives illic ſuperſtites una cum Clero ac plebe univerſa ad ſanctum Albanum extra muros proceſſionem fieri ſtatuerunt civitatis, quæ utique cum magna devotione facta eſt, in qua pro ſanitate corporum carminibus funebribus variisque lamentationibus precibusque ſuppliciſſimis ac humilimis ſuſpiriis et ſingultibus profundiſſimis tantum altiſſimum exorabant, quod exaudiri inmediate meruerunt : Nam craſtina die venit eis ſalus, peſte inmaniſſima penitus effugata.

Item iſto fere tempore quidam Burgenſis civitatis Coloniæ Agrippinæ audiens et advertens uxorem ſuam conventicula hæreticorum ibidem exiſtentium frequentare ſibi ignota, quadam die ipſam ſimulantem ſe ituram ad Eccleſiam, a longe clandeſtino greſſu ſequitur, et ad locum ſubterraneum, ubi hæretici fuerant congregati, pervenit. Ubi dum poſt multas ſuperſtitiones, vanitates et erroneas hæreticasque pravitates perciperet, ut quilibet ſibi viciniorem caperet mulierem et ſibi commiſceretur, uxorem ſuam arrepit et ipſam cognovit, ea ignorante, quod maritus ejus eſſet : habitum enim ſuum inmutaverat : inſuper tenebræ ibi erant. In coitu autem maritus uxori anulum de digito abſtraxit et ſecum domum deportavit. Cum autem conſors ſua memorata domum rediiſſet, prædictum facinus in faciem ſibi objecit : Quæ dum firmiter et conſtanter negaret, anulum in medium pro interſigno projiciens ipſam graviter percuſſit : Nec in hoc contentus, verum etiam Conſules civitatis adiit, prædictos hæreticos accuſando. Qui abhorrentes ſcelera eorum, quibusdam aufugientibus, ipſos deprehenderunt et igni conbuſſerunt, qui circiter quinquaginta extiterunt.

Paulo ante iſta tempora quidam Dominus de Regenſperg in ſcriptura divina ſimul et humana præcellenter imbutus in turri Caſtri ſui dicti Balb frequenter ſtudio vacavit ; quam tunc temporis quoddam Dæmonium incolebat, quod toti familiæ Caſtri tantum timorem incuſſit, quod nullo modo turrim ingredi præſumebat ; ſoli autem Domino non verenti Dæmonem, ſed in turri inperterrite ſtudio vigilem operam danti Dæmon diu noctuque in habitu ſeculari apparuit, et juxta eum ſedens de ſtudii modo et qualitate inquiſivit, multa quoque confabulatione

latione cum Domino usus fuit. Qui tamen nullam læsionem sibi vel molestiam intulit, sed pacifice multo tempore secum conversatus fuit, et ipsum in multis informasset, si tantummodo postulasset.

Anno Domini MCCCXXXI. scelus inmane in Uberlingen a Judæis perpetratum est. Quidam enim puer a Parentibus suis illic amissus cum maximo dolore per aliquot dies cuidam fonti injectus, tandem repertus est. Qui allatus ad civitatem, a Parentibus agnitus est; notantes autem eum certis conjecturis et evidentibus argumentis, scilicet in incisionibus viscerum et venarum a Judæis necatum, nimis commoti super puero suo valenter clamare per civitatis vicos cœperunt, irritare cupientes Burgenses in ultionem filii, qui similiter rei veritatem in cicatricum renovacione, cum ante domos Judæorum portaretur, perpendentes, inconsulto Inperatore Ludwico, et advocati judicio tendente ad indulgentiam Judæorum propter pecuniam spreto, quia ad parcendum eis non ad puniendum eos erat pronus, tumultu populi illico jam facto fremuerunt, adversus Judæos, meditantes, qualiter eos oportune perderent, civitate illæsa permanente, videntes enim tot et tantis signis et indiciis ipsos fore reos, se refrænare non valebant ab eorum digna nece; ut autem omnes pœna mortis una comprehenderet et nullus effugeret, eis tacite persuadebant per modum salubris consilii, ut ad domum quandam excelsam lapideam convenirent, quod dum fecissent, in partibus superioribus domus firmiter detenti et conclusi sunt, et infra in pavimento domus rogus copiosus accensus est, qui gradatim ardoris incrementa suscipiens et miro modo invalescens eos ad altiora domus confugere coegit, et aliquot viros tectum conscendere: tandem ignis succrescens, et totam domum in flammam convertens omnes quidem quandam Melodyam personantes consumpsit et penitus incineravit. Quidam vero super tecto stantes, sentientes sibi mortem appropinquare, cultros suos exertos, gladios, trabes, lapides, spicula, et quicquid manus eorum invenire poterant, ad turbam populi quodammodo infinitam circa domum exitium eorum conspicientem projecerunt, et quod est mirabile dictu, neminem lædere potuerunt. Præterea aliqui sentientes molestiam ignis per fenestras et de tecto in turbam fidelium se præcipites dederunt, qui securibus mutilati et truncati repente sunt, et gladiis lanceisque transfossi: quidam usque ad excussionem cerebri percussi sunt; quidam etiam latitans in privata, a quodam viro fideli casualiter repertus, tanquam bos ad macellum ductus, securi sectus est ad mortem. Judæi qui ibi per ignem incinerati sunt vel perempti alias, et in ignem retrusi, ut fertur, plures quam CCC. fuerunt. Signa plura præter prædicta innocentiæ pueri et malitiæ Judæorum apparuerunt ibidem: Nam cum domus esset in medio ignis, multis domibus circunpositis contiguis illæsis et illibatis permanentibus a flamma, sola ipsa forma piramidali consumpta est. Item fertur, quod dum flagitium istud servo Judæorum Katholico nomine, non re, palam a pluribus inponeretur, vigil nam et custos cimiterii ipsorum erat, respondit: Si reus sum sanguinis hujus pueri, sicut mihi objicitis, satanas hac nocte suffocet me. Quod et factum ad litteram fuit, quia eadem nocte a Dæmone strangulatus extitit. A Judæis enim appreciatus fuit, ut puerum interfectum ab eis occultaret, propter quod ipsum in fontem prænominatum ante minus frequentatum deportando posuit, os fontis desuper luto et arena obducens. Item puer multis post mortem miraculis coruscavit: nam multi ægroti devoventes eum, et se aqua fontis abluentes, salutis beneficium perceperunt. Attamen, quia cives in Uberlingen in hoc facto non requisierant Inperatorem Ludwicum, ab eo puniti sunt: Nam eos taliavit, et murum civitatis in longitudine multorum cubitorum dirumpi præcepit. Historia supra dicta de Merspurg et de Swannow istam non præcesserunt; sed inbecillitate tamen meæ memoriæ causante, et alias id materiæ commoditate exigente hanc hystoriam ordine præpostero enarravi.

Circiter annos Domini MCCCXXXIIII. multi homines, ut fama celebris testabatur, in civitate Nuerenberg propter quandam suspicionem vel opinionem hæreticam orthodoxæ fidei valde contrariam et inimicam ab eis frivola diuque in malum corporum et animarum suarum servatam, ignis incendio deleti sunt.

In iis etiam temporibus quidam Katholici, viri potentes, dum sepulcrum Christi in Jerosolymis visitassent, vel visitare proposuissent, et a Soldano limitati, vel aliqualiter turbati fuissent, sibi minabantur, quod quam cito opportunitas se offerret, terram suam ad devastandum eam in virtute et populi multitudine magna intrare vellent: Nam via et accessus ad eam eis nota esset, quæ ei per nuncios significabantur. Quod audiens Soldanus terram suam munivit, et iter aggrediendi ipsam obstruxit, respondit que: Non alias nunc terram meam capient et occupabunt, nisi per Regnum Regis Armeniæ etiam Christicolæ, quapropter ipsum depopulabor et desertum faciam. Missis igitur exercitibus suis, voto suo satisfaciens, Armeniam in magna parte destruxit; Non enim loca firma castrorum et civitatum, quæ illic abundanti numero sunt, lædere seu diripere valebat, sed tantum infirma loca, oppida, et castella, et in planicie sita. Exercitus enim sui, quia Barbari barbarico modo processerunt, Ecclesias diruentes, altaria subvertentes, corpus Christi, et alia sacra et sacramenta prophanantes, mulieres amabiles et concupiscibiles stuprantes et temerantes, Clericos et alios sibi non obtemperantes in aris trucidantes, agros, vineta et hortos, prata cum pascuis et quæque terræ nascentia grassantes, ut sic Armeniam desolatam redderent. Sed quidam ajunt, huic desolationi Regem Franciæ occasionem dedisse. Nam Soldano etiam tunc temporis per interpositas personas approbatæ Religionis transfretare volentes ad partes infidelium, ad evangelizandum eis Christum, hæc expresse se in proximo facturum demandavit. Qui territus loca infirmiora terræ suæ firmavit, et iter veniendi ad eam obturavit; Armeniam quoque per incendia et spolia graviter dissipavit, et insuper eam sibi, secundum quorundam relationem, tributariam fecit. In hiis omnibus sicut fortes athlethæ Armeni stabiles et inmobiles in fide Katholica perstiterunt. Unde proprie dicere possent, imo verissime verbum Prophetæ dicentis: Hæc omnia venerunt super nos, nec obliti sumus te. Et iterum: Quoniam propter te mortificamur tota die, æstimati sumus sicut oves occisionis.

Circiter annos Domini MCCCXXXIII. Rodanus fluvius excrescendo et excedendo alveos suos, effluxit in tantum, quod multa loca Galliæ sive villas, sive oppida dissipavit, et in parte, vel in toto funditus evertit, ita quod hominibus gravem et intolera-

lerabilem jacturam inferebat: Rapido enim et præcipiti cursu ex insperato, more torrentis, superveniens cuncta occurrentia vastavit.

Item circa hoc tempus vites in aliquibus partibus Alamaniæ sicut in Kussaberg et Tuengen et aliis locis finitimis tam uberem fructum protulerunt, quod vasorum copia haberi non poterat, quæ vina exuberantia caperent et continere possent, nec Emptores inveniebantur. Et sic vinearum cultores depauperati sunt. Tunc temporis somata vini vix pretii XVIII. denariorum Constanciensis monetæ fuit.

Circiter annos Domini MCCCXXVII. Episcopus Rudolfus Constantiensis de Muntfort oriundus totum Clerum suum in Constantia ad Synodum Episcopalem celebrandum convocatum visitari et pro suo excessu corrigi præcepit, et, ut se alterutrum studiose et districte accusarent Clerici in suis delictis emendandis, statutum rigidum dedit; Qui obtemperantes jussioni suæ coram Examinatoribus et visitatoribus ad hoc electis et institutis satis acriter, ut aliqui mihi ex eis pandebant, hoc fecerunt, qui ipsis quemadmodum edocti et informati extiterant tantum pœnas seu pœnitentias pecuniarias inflixerunt, et sic maximam pecuniam Dyocesano collegerunt. Aliquis enim in X. libris, alter in XX. tercius in XXX. secundum magnitudinem et enormitatem excessuum condemnatus est. Redierunt ergo turbati tam propter exactionem et excoriationem eis irrogatam, quam propter visitationis severitatem. Dyocesanus vero locupletatus est nimis.

Anno Domini MCCCXXXVII. ut ejus relatione didici, qui personaliter interfuit; Cum Turcorum tria millia Regnum Regis seu Inperatoris Græcorum invadere disposuissent, et jam ingressui ejus appropinquassent, Rex anmonitus Græcorum, festinanter prout quibat populum congregavit, et contra eos per navigium procedens, gradum figere coegit, eis stuporem et terrorem inferendo. Marschalchus insuper suus cum mille peditibus in montem modicum se contra hostes etiam locavit. Quadraginta autem stipendiarii Regis Græciæ de Alemania oriundi, quorum quinque tantum Suevi erant, tardius expediti cæteris suorum Dominorum, et vestigia sequi nescientes; nam oculos suos effugerant; et per medium eorum incedentes, castris inimicorum se obtulerunt; Quos recognoscentes esse Turcos hostes Regis zelo fidei accensi et de divina virtute præsumentes, in hostes soli confidenter et viriliter inpetum fecerunt, et Dei adjutorio mediante contra eos tantum debacchati sunt, quod de ipsis mille et quingentos viros occiderunt; reliquos vero ceperunt, inter quos unum Dominum captivaverunt, qui tria oppida Inperatori Græcorum ante abstraxerat violenter, et suæ dicioni subegit; quem cum aliis deprædati sunt, et civitates vel oppida Regi adempta, recuperaverunt. Multi eciam de Turcis post ipsorum captivitatem ab Alemannis trucidati sunt, non solum, ut pecuniam ab eis per tormentum mortis extorquerent, verum eciam, ut eorum spurciciam ydolatriæ de medio tollerent, et de terra eliminarent. Imo multo acrius in eos sæviissent, si ab Inperatore et a Marschallo suo in auxilium eorum qui convolaverant, audita et visa tandem ipsorum magnanimitate cohibiti non fuissent. Tamen ante adventum Inperatoris et Marschalci de locis suis cædes ab Alemannis cum triumpho mirifico fere patrata est, sed per memoratos feliciter consumata. Qui mihi istud bellum recitavit, ita se habere in rei veritate coram me et multis aliis hominibus contestatus est valenter, Suevorum supra tactorum unus erat.

Circiter etiam ista tempora, dum tam multus populus de diversis Regionibus et Nationibus Christianitatis, ad visitandum sancti Jacobi limina properavit, ut fere terram ad spacium XX. milliarium occuparet, contigit, Regem Castellæ cum pluribus Regibus aliis occidentalibus Christicolis contra Reges aliquot Paganos ad dimicandum ac decertandum cum eis ex adverso locatos fuisse tanto tempore, quod fames horrenda nimis et aspera inter ipsos prævaluerat in tantum, quod quandocunque mutuo se ceperant se etiam alterutrum devorabant tali modo, quod corpus cum intestinis in fumum ignis suspendebant, abcisis pedibus et capitibus, et post morulam degluciebant. Congregatis igitur peregrinis sancti Jacobi, sicut dixi, in maxima multitudine, Rex Hyspaniæ in angustiis acerbissimis undique constitutus ab hostibus ydololatris, supplicissime demandavit, ut sanctum Jacobum, pro cujus nomine et reverentia se laboribus longi itineris arrepti exiliique desolationi exposuissent, devotis precibus exorarent, ut sua interventione ac efficaci intercessione apud Dominum, sibi et suis exercitibus inpetrarent victoriam de adversariis, tradendo eos in manus suas, et ab ipsis misericorditer liberando, ne nomen Domini irrisioni et blasphemiæ inimicorum crucis Christi deputaretur, dicendo: Ubi est Deus eorum, in quo habebant fiduciam: Nam si secus fieret, fides periclitaretur orthodoxa, pro cujus gloria, fortitudinis, veritatisque eminentia ac munimine se cum suis rerum et corporum exponeret et inplicaret periculis, quasi cottidie rebellando contra infideles. Quod dum Fratres peregrini sancti Jacobi de diversis Provinciis Christianitatis collecti devote fecissent, quibusdam ex eis sanctus Jacobus in quadam effigie apparuit, et consolando ipsos, triunphum fidelibus Regibus prædixit, et ipsos exauditos a Deo, mediante sua interventione, certissime indicavit. Quod dum Regi Hispaniæ nunciassent, secure et intrepide infideles aggressus est, quorum magnam multitudinem in ore gladii peremerunt ipse cum suis, cæteri vero fugam inierunt. Hunc triunphum laudabilem et gloriosum a Deo habitum Reges Katholici toti terræ circunpositæ per nuncios celeres seriose demandarunt, ut incolæ ejus pro victoria tam solemni Deo et sancto Jacobo laudum præconia in hymnis et canticis exsolverent. Quæ peregrini redeuntes ad patriæ solum viderunt et audierunt per multas dietas cum maximo eorum tripudio. Hanc belli præfati historiam unus conpatriota meus civis fide dignus, qui peregrinorum unus tunc erat sancti Jacobi, mihi sub verissimo verborum testimonio explanavit.

In iis etiam temporibus dissensio est orta inter Dominos serviciales et milites simplices, ex una parte, et Dominos liberæ conditionis et magnæ excellentiæ ex altera parte in terra Turgow nominata, scilicet inter Dominos dictos de Rosenberg et de Baldeg cum suis fautoribus ex una parte, et de End et Comitem de Bregancia ex alia parte cum suis fautoribus. Cum hujus guerræ discordia aliquanto tempore perdurasset, contigit, Dominum Comitem de Bregancia in contemptum adversariorum in verbum contumeliosum prorumpere, dicendo: Videamus, si possimus istos Molossos morsibus dilacerare, et cum eorum ignominia vincere.

Quod

Quod majoris rancoris, dissensionis et inimicitiæ seminarium fuit. Nam Dominus de Baldeg, hoc audiens, ait: Ex quo nos sumus Molossi ab adversa parte nominati, more Molossorum agamus canes leporinos in fine diris morsibus superantium. Et congregatis multis armatis clientulis sibi subjectis cum clientulis suorum coadjutorum profectus est in furore contra Castrum unius adversarii Principalis videlicet Domini de End, et quæque reperta ante Castrum, devastavit. Nam vites, ut fertur, abcidit, domos conbussit, frumenta et alios fructus terræ conculcavit, pecora abegit et abduxit, alia quoque plura grassabatur: et sic cum plura damna sibi intulisset, cum gloria reversus est, canibus leporinis seu venaticis dormientibus, mutis, et latrare non valentibus, imo minime præsumentibus. Dum ergo guerra canum domos custodientium et canum venaticorum ad plures dies perseveraffet: Et sermo et proverbium in tota contrata vel territorio exiisset, de ipsa tandem pax et concordia inter ipsos reformata est, leporinis canibus notabiliter perturbatis.

Item circa ista tempora quidam Sacerdos de ordine Hospitaliorum inofficians Parrochiam seu Ecclesiam in villa Schliengen vocitata apud Nüwenburg in Brisgow latrocinia horribilissima et execrabilissima perpetravit: nam fratrem suum carnalem in cellario domus, cum minime circunspiceret et malitiam ejus nullis signis vel conjecturis notaret, cum securi ad mortem percussit. Postea duas alias personas, ut tunc famabatur, per eum seductæ, ut frater prius fuerat, cellarium successive subintrantes simili modo, Diabolico instigatus instinctu peremit, quas in frusta concidit, et dolio imponebat, et per servum suum tanquam vinum veheret flagitii penitus ignarum in Nüwenburg duci jubebat: qui ingrediens portas civitatis, quid in vase reconditum afferret, nutu Dei notatus et deprehensus fuit. Qui dum a civibus trunco seu cippo injectus fuit tanquam malefactor et criminis reus ad declarandam suam innocentiam, et ad expurgandum se de objectis, rei seriem, quemadmodum sibi ille Clericus et Dominus suus commiserit, per ordinem enarravit. Qui intelligentes eum esse inmunem a scelere, eum liberum et illæsum abire permiserunt: Sacerdotem vero auctorem criminis jam civitatem ingredientem et servum, sicut decreverat et sibi prædixerat, subsequentem ceperunt, et hospitalariis ibidem Residenciam habentibus præsentabant, ut eum secundum ordinis sui formam et exigentiam corrigerent: qui ipsum recipere recusarunt, imo eum suum Confratrem fore valenter negaverunt. Cives ergo hiis visis eum crurifragio et rotæ supplicio de medio sustulerunt. Hic malefactor dum rotæ superpositus fuisset, inter cætera fassus fuit, ut fama de eo percrebuit, quod multis annis sacerdotio functus esset, et frequenter in ordine et inofficiando Ecclesiam suam celebrasset, et tamen nunquam corpus Christi confecisset.

Anno Domini MCCCXXXVI. vineta civium Thuricensium contra naturæ suæ antiquam consuetudinem tam bonum vinum protulerunt, quod vino Alsatico multorum judicio æquiparabatur, imo ut verius loquar longe præferebatur. Ante vero adeo acre et durum erat, quod ferrea rostra vasorum, in quibus continebatur et de quibus fundebatur, abrasit; Tantum autem fuit tunc mitigatum et dulcoratum, quod postea pristinam usque in hodiernum diem acredinem non resumpsit.

Anno vero uno mediate vel immediate præeunte annum jam tactum in festo Beati Georgii tam in partibus Alemaniæ, quam Italiæ vites per pruinam ita destructæ sunt, quod illo anno nullum fere fructum produxerunt.

Johanni Papæ defuncto XXII. successit Benedictus XII. ordinis Cistercienfium, qui statum sui ordinis in multum corrigens et emendans inmutavit, quod consequenter simili modo fecit de statu Fratrum Minorum, et ut hoc circumspectius faceret, plures de potioribus ejusdem ordinis ante conspectum suum accersivit, et cum eis discussione status ordinis habita vigilanti, ipsum emendando ad melius perducere satagens, quantum ad statuta, plurima innovavit; Deinde idem districtius eodem modo fecisse de ordine Fratrum Prædicatorum dinoscitur, statum etiam nigrorum Monachorum lima correctionis emendans, aliqualiter reformavit. Hic electus circiter annos Domini MCCCXXXV. sedit circiter annos VII. fuit autem vir corpulentus, proceræ staturæ, potator vini, ut fertur, permaximus.

Hujus tempore inter Dominum de Klingenberg et Dominum de Bodmen gwerra grandis et satis hostilis initiata est, sed cum gravi damno Domini de Bodmen consummata est. Nam notabiliter per incendia et rapinas, per illum de Klingenberg usque ad Castrum suum damnificatus est. Inter cetera autem damna unum mirabile in oculis meis Domino de Bodmen illatum est. Nam villa longa dicta Bodmen sita inter lacum Bodmensem ex una parte, et excelsum montem ex alia parte per incendium clara die, rusticis interim in armis vigilantibus et villam custodientibus, in favillam et cinerem redacta est: Nam familia Domini de Klingenberg per proclivum præcipitium montis solis capreis quasi pervium, contra hominum opinionem, modo ferarum descenderunt, et villæ ignem injecerunt, et ante congressum rusticorum in custodiis dispersorum velociter exierunt. Quosdam vero eorum exitum suum cohibere, et ipsos prosternere conantium occiderunt.

Item tempore Ludwici Inperatoris et Benedicti Papæ XII. Duces Austriæ novam monetam in sua terra juxta Rhenum, veteri, quia vilis facta, abolita, fabricari præceperunt, eaque uti ibidem præcise voluerunt; quod cives Lucernenses facere temere contempserunt, et ut illi tanto præcepto fortius contradicere et contraire possent, montanis dictis de Swiz vicinis suis se vinculo juramenti astrinxerunt et glutine amoris specialis associaverunt, et utrique tempore aliis ignoto sibique apto et ydoneo tam diurno quam nocturno egrediebantur de locis suis ad Ducum loca finitima, et ea succendebant igni, et in cinerem redegerunt et spolia multa secum ad loca sua deduxerunt: Et sic per eos terra Ducum per incendia et spolia vastata est, et data est in direptionem. Quod videntes Ducum advocati remedium hujuscemodi, quo eorum ausus temerarios conpescerent, et ut loca, quæ adhuc ignis incendii et rapina non tetigit, custodirent et defensarent, invenerunt, videlicet, quod cunctis hominibus in illa contrata seu confinio Ducum ditioni subditis mercandi facultatem et cujuscunque contractus opportunitatem vel necessitatem cum eis habendi interdixerunt, sicque factum est, quod ad oppidum seu villam Lucernensem et ad valles sive montes dictos Swiz nec vinum, nec bladum de cetero ferebatur, in Castrum quoque dictum Rotenburg situm in propinquo apud villam Lucernensem

nensem aciem virorum robustorum et exercitatorum in præliis locaverunt, qui ipsorum rabiem et nocendi desiderium restrinxerunt, imo, quod majus est, eos interdum frenis laxatis usque ad portam persecuti sunt Luceriæ. Similiter in oppidum quoddam vocitatum Zug, quod etiam Ducum est, positi sunt viri bellatores in armis experti, et præliis a cunabulis inbuti ad tuendam terram ibidem Ducum contra Montanos seu Vallenses dictos Swicenses vicinos præscripto oppido. Qui quandoque per turmas egrediebantur horis competentibus gressu clandestino, et villas conbusserunt, pecora et alias res hominum rapuerunt, properoque cursu ad montana sua repedabant, interdum in diverticulis sibi notis montium contiguorum terminis terræ Ducum latitabant, et quando aliquos vel paucos viderunt de adversa parte transire, eruperunt et ipsos occiderunt et universa arma eorum abstulerunt. Qui vero in oppido ex parte Ducum contrario in furore opposito similia facere attemptarunt: Nam etiam tempore apto et oportuno de oppido ad spoliandum et ad prosternendum hostes exierunt, sed tam in lacu, quam in campis adversarios et bona ipsorum quærendo parum vel nil proficientes, vacui omni fructu et laude redierunt. Ut autem breviter concludam sermonem cœptum istius gwerræ, dico quod tam severum et atrox bellum fuit, quod quotiescunque convenerunt, se mutuo perdiderunt, neutra enim pars alteri treugas vel inducias dedit, vel eam captivavit, vel ad tempus conservavit, quando prævaluit, sed repente mutilatis seu amputatis extremitatibus corporis et perfossis interioribus semimortuos vel penitus vita orbatos in campis miserabiliter reliquit. Una autem nocte dum Lucernenses fluvium nomine Rüss descendissent, et quandam villam concremarent, et hoc Dominus de Ramswag cognovisset, qui tunc præerat LX. ut fertur galeatis in Rotenburg, sicut supra memini me dixisse, commorantibus contra Lucernenses cum eis in inpetu et ira magna tamen occulte profectus est: quos dum vidissent incendio et flammæ operam dare diligentem, in eos irruerunt, et circa LXXX. viros extinxerunt; Alii vero vix effugierunt. Quæ cædes ipsos tantum perterruit præter alia mala plurima et multiformia, quæ propter gwerram hanc pertulerunt, quod gratiam Ducum et pacis fœdera cum magna instantia inplorare cœperunt, satisfactionem et emendam dignam pro sua contumacia subire spondentes. Qui exaudiri meruerunt tali conditione, ut pro commissis excessibus et futuris cavendis quædam pacta pœnalia ipsis injuncta per multos Dominos terræ utriusque partis arbitros ad reformandam Karitatis et pacis unitatem inter eos congregatos inviolabiliter custodirent in perpetuum duratura. Hæc maturo consilio, sagaci circumspectione, multaque industria et securitate tractata et acta sunt, et utraque pars libera voluntate se obstrinxit irrefragabiliter servaturam, quicquid arbitri, in quos causam suam compromiserunt, eis faciendum esse decernerent. Montani hæc statim, ut dicitur, infregerunt: Cives vero conpetenter usque in hanc diem servaverunt. Sed damna ab utraque parte facta mutua conpensatione tollebantur. Sic itaque Duces placati sunt facti a malignitate quam agitaverunt facere villæ seu oppido Lucernensi; et pax quæ amissa fuit, reddita est; et nova moneta ante spreta gratanter recepta est.

Tempore etiam post prædicta Benedicti Papæ XII. cum adhuc pauco tempore Ecclesiæ præsedisset, Rex Ungariæ intimus amicus Fratrum Minorum, quod multis beneficiis demonstravit, quæ longa narratione inconplete dici possent, ob quandam injuriam hominibus Regni sui illatam, ut intellexi plurimorum relatione, a Duce Ottone Austriæ, se sibi opposuit, et mittens filium suum adolescentem cum ingenti exercitu terram Ducum Austriæ, eam graviter devastando, occupavit. Dux moleste hoc ferens exercitu congregato, ipsum fugare et repellere decrevit. Qui cum in crastino bellaturus esset cum eo, a quodam sibi fideli milite monitus fuit, ut prælium cum eo non committeret, sed quanto citius posset cum suo populo ad civitatem rediret dictam Wien, sedem Ducatus, et Metropolin Austriæ. Dicebat enim, quod in bonum suum cederet, quia deprehenderit Magnates suos aliquot, quibus maxime confideret, secum fraudulenter agere velle, et fidelitatem suis adversariis præstare, scilicet Ungariæ Regi et Regi Boemiæ, qui propter aliquam causam una cum Rege Ungariæ rebellare Ducibus disposuit et decrevit; quamvis Dux Otto filiam Regis Boemiæ noviter in uxorem traduxerit: Et in argumentum hujus esse sermonis, quod signa Regis Boemiæ in saccis suis recondita essent. Quo conperto Dux consternatus nimis ad civitatem cum suo exercitu properavit; intellexit enim per hoc dolum illorum, quod eum non juvare vel defendere, sed in manus hostium more Judæ tradere vellent. Misit ergo Dux in terram Sweviæ et Alsatiæ et Sungowiæ nuncios suos mandans servitoribus suis singulis ibidem degentibus, ut quanto copiosiori bellatorum numero collecto possent ad eum concito gressu venirent: quod et factum est. Nam advocati sui et Episcopus Constantiensis de Frowenveld oriundus, et alii serviciales sui et sibi militantes executioni fideliter mancipaverunt. Misit quoque Dux Legationem suam ad Inperatorem Ludwicum, a quo jam feoda sua recepit, qui mutuo conjuraverant, ut in manu valida in auxilium sui venire dignaretur. Cui annuens tam de Swevia, quam de partibus inferioribus Alemaniæ sex milibus pugnatorum, imo ut verius et magis proprie secundum modum dicendi modernorum loquar, sex milibus coronatarum galearum congregatis ad Duces Austriæ profectus est, non tantum, ut eis auxiliaretur, verum etiam ut Ducis inferioris Bawariæ terram grassaretur, qui rebellare et obstare sibi in suis negotiis conabatur. Nam cum Rege Boemiæ et Rege Ungariæ contra Inperatorem conspiravit, et insuper viam transitus, quæ erat per terram Ducatus sui, tam Inperatoris, quam Ducis Ottonis exercitui præcludere ac obstruere cogitavit; sed aliud, quam quod machinabatur, evenit. Nam Inperator cum suis et Ducis Ottonis exercitibus veniens in potentia magna, terram ejus sicut decreverat, per incendium et rapinas desolabatur. Rex vero Ungariæ eos non exspectavit, sed ante adventum eorum abiit, et reversus est in regionem suam. Quare autem hoc fecerit, a diversis diversimode enarratur. Quidam enim dicebant, ipsum propter infirmitatem Patris rediisse: quia quem debilem reliquit, post recessum suum plus solito cœpit gravius ægrotare. Alii vero ajunt, quod quidam alius Rex paganus sibi confinis in servitium Ducum Austriæ Regnum interim Ungariæ occupaverit: ut hac de causa ad defendendum Regnum relictis omnibus reverteretur. Tercii vero affirmabant, quod adventum

Ale-

Alemannorum, præcipue Swevorum abhorruit, et ipsos tanquam ventum turbinis et tempestatem furiosam fugerit. Quid verius sit inter ista nescio, Deus scit: Sed sic dictum fuisse non mentior. Istis ita se habentibus Inperator et Duces Austriæ cum exercitibus suis exercitui Regis Boemiæ bonam militiam tunc habentis approximatis, et secum prælium in continenti se commissuros disponentibus, multi milites ab Inperatore creabantur, qui ad dimicandum cum Rege Boëmiæ parati quasi ut essent ad epulas invitati, de conflictu committendo exultabant. Quod percipiens et pertimescens Rex Boëmiæ cessit, et ad locum tutum se contulit et firmum, qui carecto quodam et aquis circumdatus erat, ad quem suis adversariis accessus difficilis erat et quodammodo inpossibilis. Illic pluribus diebus castra metati sunt, et ab hostium accessu tutaverunt eum. Sic ergo Alemanni a desiderio suo defraudati sunt, non valentes aggredi eos talibus, ut dixi, obstaculis præpediti. Cum igitur sic ex adverso locati essent, et Alemannis facultas bellandi ablata fuisset, Dominus Albertus Dux Austriæ claudus et contractus Frater Ottonis sæpe dicti in curru suo ad utramque partem pergens, discordiæ se interposuit, pacis fœdera conponendo: qui tandem pium conatum suum ad finem laudabilem perduxit: Nam terram Ducatus Karinthiæ, Duce ipsius nuper defuncto, quam uterque jure hæreditario inpetebat, videlicet Rex Boëmiæ, et Dux Austriæ Otto, Tractatores et Mediatores concordiæ magna et sagaci industria fideliter adhibita diviserunt, ita quod uterque de sua erat sorte contentus. Sic igitur dissensione orta inter eos propter terram Karinthiæ sopita, et Duce inferioris Bawariæ superato ab Inperatore, omnis multitudo tam Boemorum, quam Alemannorum in pace domum sunt reversi.

In reditu vero Swevorum, quod cum amaritudine cordis mei refero, unus Dominorum de Blumenberg tironem virum strenuum et bellicosum unum de Tierberg multis et virtutibus redimitum, ex inimicitia letali dudum ad eum ante habita, cum non longe adhuc distarent a patria sua, occidit. Quod dum cives Vilingenses, quia eorum concivis erat, vindicare vellent, oppidum suum vocatum Hüingen oppugnando, deinde demoliendo, a Ducibus Austriæ Dominis suis refrenati et cohibiti sunt, tandem modico tempore elapso, Dux Austriæ Albertus in terram Sweviæ egressus dictum oppidum una dierum, transeundo de Schafusa in Philingen pergebat, qui eundem de Blumenberg se seriosis et obnixis precibus pro venia et gratia sua obtinenda exorantem, tamen cum quibusdam pactis adhibitis, causa emendæ, exaudivit.

In via etiam redeundo de prædicta expeditione contentio gravis orta est inter Dominum Comitem de Hohenberg et Dominum de Hewen, quod mutuo sibi suas inimicitias propalaverunt, et illas effectui, cum opportunitas se offerret, in rebus et corporibus mancipandas. Nam alterutrum se damnificabant per incendia et spolia multa, uterque enim alterius terram intravit, ut ostenderet ei dominationis suæ potentiam potenter ibi conparendo, jumenta et pecora in magno numero auferendo. Tamen Dominus de Hewen, quanquam minor inpotentiorque fuerit, quia bene parentatus, majora damna Comiti intulit, ut pote locupletiori et hominibus minus propter suam tirannidem accepto. In hac gwerra Dominus de Hewen stipendiarium habuit vocatum Sedulo, qui sibi adminiculum non modicum præstitit: Nam fortis erat et magnanimus in talibus sævis et tyrannicis factis ab infantia inbutus et præcellenter expertus, totam illam contratam cognovit, qui post illorum reconciliationem duorum Dominorum tandem subsecutam a Domino suo de Hewen gloriose remuneratus est.

De hoc Sedulo multa facta digna narratione referuntur. Inter cetera autem fertur, quod dum quodam tempore cives de Rotwil propter dampna plurima, quæ intulit eis, contra ipsum in tantum conspirassent, quod magnam pecuniam publice proclamatam exhibere promisissent illi, qui eum captum et vinctum adduceret: Quod ipse propter vadium quoddam et pactum initum cum quodam Domino illius terræ per civitatem Rotwil in habitu cujusdam Abbatis vel similitudine publice et reverenter salutatus a multis in vicis stantibus, quia ignotus propter immutationem amictus equitavit, illæsus domum rediens. Quod dum Burgenses postea perceperunt, non parum ob hoc doluerunt. Quadam quoque vice, cum fere in manus eorum se persequentium, quia pecudes ante portam abegerat, incidisset, deludendo eos, occurrens eis super sacco repleto farina vel frumento super equo rusticali posito transverso modo sedens, quem cuidam agricolæ sibi obvianti in via anxius de vita sua abstulerat, et per medium eorum equitans, veste insuper coloni sibi obviantis indutus, scilicet pileo longe prætenso rusticali, ut minus agnosceretur, et amicabiliter salutatus, illæsus effugit. Quod dum civibus innotuisset, contristati fuerunt valde. Quadam etiam vice cives quandam villam, in qua eis proditus erat, circumdederunt undique, ut eum deprehenderent, ablata sibi per hoc, ut putarunt, omni spe ac oportunitate evasionis. Qui sentiens se ex omni parte vallatum hostibus, de mortis supplicio sollicitus, hanc astutiam callidam invenit, videlicet, quod fasciculum de grandi acervo fœni colligans, capiti suo inposuit, habitu et more rusticorum per villam ad campos progrediens; qui dum non agnosceretur, quia in fœno ex utroque prominente et usque ad genua dependente latere occultatus, salvus et sanus ad domum suam reversus est, relinquens post se cives de sua evasione et ipsorum delusione et per consequens, erubescentia, quæ eos invaserat ob hoc, nimium desolatos.

Post hæc pauco tempore decurso, circiter annos Dominicæ incarnationis MCCCXXXVII. grandis et plena periculis seditio in civitate Thuricensi de fonte iniquitatis, tempore Benedicti Papæ memorati supra et Ludwici Inperatoris, ebullivit. Nam Consules civitatis, prout eis inponebatur, communes fructus et quæstus civitatis, qui pingues et multi sunt, dolose sibi longo tempore usurpassent, et frivola statuta ratione carentia ipsis quidem proficua et lucrativa, communitati vero damnosa et discriminosa edidissent, et hoc nemo reclamare vel retractare auderet: Quadam die universitas tota fere civitatis ipsos simul congregatos reperiens, invadit cum insania et vehementia magna, sed ipsi forte hoc præmoniti et præmuniti, vel per se recognoscentes fugam stupefacti mox arripientes ad domos diversas circumadjacentes manus populi tumultuantis evaserunt. Quod si non fecissent, in manus communitatis perniciose corruissent: Nec mirum, cum multi et innumerabiles quasi paucos incurrissent. Postera die universitas civium tota conveniens in area Fratrum Minorum sentenciavit, ipsos

pro commissis sceleribus rite et legitime pœnis condignis plectendos: Nec inmerito, cum eorum pertinacia et inveterata multorum dierum malitia hoc exigeret. Ab ore igitur communitatis emanavit verbum contra eos tale, ut juramento exhibito ac præstito coram omni multitudine aperta voce asseverarent, et promitterent, exsecuturos se studiose, quicquid eis oneris vel laboris pro emenda suorum excessuum injungeretur, abscondentes id ab eis quousque juramentum præstarent extortum. Quod audientes, elanguit cor cujusque nimio præ pavore. Angustiæ enim erant eis undique, et perplexi valde, quid eligerent, ignorabant; tandem metu coacti, quia præceptum potestatis urgebant, juramenti vinculo se astrinxerunt ad subeundum pœnam, quæ eis placita videretur. Inponebant itaque eis, ut de civitate in continenti recederent, eamque abjurarent, et in locis alienis sibi determinatis peregrinantes morarentur usque ad terminos sibi præfixos pœnitentiarum. Igitur facti pœnitentiabant singulos secundum exigentiam eorum demeritorum graviorum vel leviorum, et secundum qualitatem vel quantitatem reatuum suorum, præcipientes uni, ut in terra vel loco sibi nominato ad biennii spatium, alteri ad triennii, tertio ad quinquennii, nullatenus interim reversurus apud indigenas vel terrigenas illius loci vel terræ tanquam accola habitaret. Qui auditis iis sanctionibus, sauciatis et perturbatis cordibus abierunt, et valedicentes suis cum lacrimis amarissimis de civitate exierunt Thuricensi, et ad diversa loca se conferentes, dispersi sunt in nationibus et ab invicem separati. Non tamen ad loca sibi injuncta se contulerant, impleturi quod promiserant, quia contra juramentum propria temeritate venerunt ipsum contemnendo et irritum penitus faciendo. Quod audientes Burgenses Thuricenses intranei seu remanentes, indignati, ipsos irrevocabiliter exules et a civitate exclusos fieri in perpetuum decreverunt. Videntes autem extranei sive expulsi, se sine spe redeundi ab ipsis exterminatos et eliminatos, contra eos rebellare nisi sunt; Et ut hoc efficacius et potentius facere possent, in oppidum Rapperswile nomine ipsis a Domino Johanne Comite de Habspurg quondam pro pignore obligatum se assumptis tandem secum familiis suis receperunt. Et ut intraneis adversarium fortem suscitarent, et sibi propugnatorem, patrocinium et auxilium ferre valentem, memoratum de Habspurg allexerunt oppidum Raperswile ei autoritate, qua poterant, reddendo. Cum itaque ista dissensio et seditio civium se ad tempus aliquantum protraheret, accedit quosdam notari cives intraneos extraneis, ut suspicabatur, favorabiles de delatura civitatis, qui mox capitum truncatione multati sunt: quos innocentes et a delaturæ vitio inmunes et alienos fuisse, multi contestati sunt. Illo quoque tempore deprehensus fuit quidam ab extraneis ad hoc missus, domui uni civitatis Thuregi ignem inmittentem, quem illico morte condigna culpæ affecerunt. Isto etiam tempore intranei stipendiarios conduxerunt, cum quibus bis vel ter coram oppido Raperswile in potentia comparuerunt, de lacu per machinas in navibus lapides ad oppidum projicientes, sed modicum per hoc sibi nocere valentes, ex parte vero altera oppidi a lacu distante ante portam imperterrite aspectibus extraneorum se præsentabant: ubi plures intraneorum nimio odio et rancore concitati contra extraneos habitis, muros et portas invaserunt, imo quasi quadam vesania agitati, et quasi quadam mentis nube excœcati, more freneticorum, in muros inpegerunt. Quamobrem quandoque telis aliqui expulsorum civium et suorum stipendiariorum et coadjutorum pro eis in oppido commorantium, graviter sauciati fuere. Una etiam dierum Magister civium Bruno nomine vir floribus virtutum plurimum redimitus coram oppido eodem a quodam intentante et parante sibi mortem graviter læsus est, de cujus manibus dum insequeretur eum a tergo, volentem ad navem redire, et uno ictu ipsum vulnerasset, per servos suos, quorum erant duodecim, tantum ipsum solum respicientes, celeriter ereptus est. Qui Magister civium etiam una vice ibidem, ut fertur, de duodecim viris adversariorum eum occidere conantium, gloriose eis resistendo, et temeritatis suæ rabiosam malitiam reprimendo, se eruit, et viriliter defensavit. Cum igitur coram oppido intranei extraneis gloriæ et magnificentiæ suæ magnitudinem demonstrassent hortis olerum conculcatis, et vastatis, erutis quibusque fructibus quoque illic repertis et evulsis Thuregum redierunt ovantes. Indignati sunt autem de Comitis supra dicti de Habspurg infidelitate medullitus, quia rupto pacis fœdere secum prius inito et jurejurando ipsis prius præstito, extraneis adhæsit in eorum præjudicium nimis grave, et ideo cogitantes quoddam Castrum ejus appellatum Grinow non longe distans a Raperswile, situm prope lacum, oppugnare, quendam artificem scientem facere instrumenta bellica; advocarunt. Qui dum exstruxissent per eum arietes, machinas et apparatus varios necessarios et aptos ad Castri memorati demolitionem distincti et ordinati per turmas suas in navibus multis tripudiantes cum sonitu fistularum, tympanis et cytharis lacum pariter ascenderunt, qui cum usque ad castrum navigassent, applicuerunt, et ibidem in magno solatio discubuerunt, et multi inermes sine trepidatione epulabantur, de sua multitudine confisi. Interim vero Comes de Habspurg cum indigenis sibi subjectis vocatis in der March et aliis auxiliatoribus suis in silva juxta Castrum ex adverso latitabat, insidias Thuricensibus tendens. Qui videns cum suis Thuricenses inconsideratos epulis intendentes, et minus de eorum propinquis insidiis cogitantes, de suis latebris erupit, et de monte et de nemore descendens cum impetu in eos vehementer irruit, et multos occidit: Et, quod dolens refero, Thuricensium Capitaneum et Ducem, Comitem unum de Toggenburg abducentes, in frusta plura conciderunt. Quod videntes Thuricenses nimio terrore concussi, terga verterunt et ad naves in ripa lacus fixas properabant: quos stipendiarii eorum confortantes ad regrediendum et fortiter ipsos adversarios ad percutiendum revocabant. Qui ipsis acquiescentes, more beluarum occisis fœtibus in eos tanto furore debachati sunt, quod multi stupefacti tantum sunt, quod cunctis postpositis fugierunt; quidam vero in vepribus et frutectis se, quandiu cædes duravit, absconderunt: Insuper plures graviter et lethaliter vulnerati sunt, multi quoque occisi; inter quos, quod est miserabile dictu, Comes Johannes de Habspurg, vir utique fortis viribus, decorus aspectu, sanguine præclarus cecidit; qui tamen multos, ut dicitur, ante casum suum gladio proprio peremit. Quidam etiam juvenis miles servitor suus laudabilis nimis, dictus Ulinger, plenus virtutibus, quem novi, sicut Dominus suus Comes occubuit. Cujus mors lamentabilis erat, quia dilectus hominibus valde fuit. De

qua

qua narrabatur, quod videns Dominum suum Comitem sæpe dictum in periculis corporis et maximis angustiis constitutum, audiensque ipsum in sui auxilium se flebili voce implorantem, lateri ejus se conjunxit, et pro Domino vitam suam voluntarie exposuit, quia tenerrimus ac fidelissimus suus servicialis exstitit. Qui dum viriliter et manu valida mora aliquanta defensasset se ab hostium truculenta invasionis acie malevole mortem eis intentante, tandem uterque plaga insanabili et mortifera prostratus est. Sentiens autem se tumultu hostili circumdatum et jam opprimendum, suppliciter adversarios, ut sibi parcerent, exoravit. Qui cum renuerent, et ipsum tanquam bovem mactatum in macello crudeliter in diversis corporis partibus transverberarent, voce altisona, qua vociferatus erat, et horribili, spiritum exalavit. Hic ante suam mortem unum de potioribus Thuricensibus, ut fertur, interemit, et ideo forte sui occisores sibi minus parcebant, et acrius in eum sæviebant. Ex hiis evidenter patet, quod Thuricenses in fine ubi laus canitur triumphabant et campum occupando obtinuerunt, intermissumque est bellum. Hoc facto Thuricenses cœptum opus consumare satagentes, Castrum, ut quidam ajunt, per triduum oppugnabant, et ab ipso non discessissent absque ejus desolatione, si ab Advocatis Ducum Austriæ, quorum Comes de Habspurg necatus ab eis consanguineus erat, revocati non fuissent diris minis et districto præcepto. Qui obtemperantes monitis et jussioni eorum navigio per lacum cum suis occisis fere viginti ad propria remeabant. Qui in revertendo lacum a portu ad portum palis et sudibus in fundum lacus infixis obstructum et obsitum repererunt, ut tanto minus reditus eis ad patrium solum pateret, et facilius tanquam piscis in rethi, et avis in laqueo, mus in muscipula, in captivitatem vel in mortem constringerentur. Quos sudes mediante informatione artificis machinarum extraxerunt et confregerunt, et inchoatum iter remigando et navigando perfecerunt. Qui uxores et filias, ceterosque amicos et amicas obvias cum planctu et ululatu miserabilissimo habuerunt, qui post defunctorum suorum sepulturam lacrimabilem, resumpto spiritu fortitudinis vexilla quinque, quæ ab hostibus fugatis vel superatis in conflictu vel alias sustulerunt, in Monasterio Felicis et Regulæ erexerunt, quæ multis diebus erectæ steterunt in titulum et memoriam victoriæ prælibatæ.

Paucis annis transactis ante inmediate dicta, quod supra suo loco ex oblivione transilivi, Rex, de quo supra memoriam feci, Boemiæ, pluries ad terram gentilium cum Domino Alberto Comite de monte Sancto, genere Mundfort, et multa alia militia perrexit, et ipsos gloriose debellavit, fortuna sibi plurimum arridente; De Comite vero Alberto specialiter famatur, quod valde strenue et fortiter egerit inter eosdem paganos, multos eorum prosternendo, et se viriliter de manibus ipsorum eripiendo. In argumentum autem sui magnifici triumphi post longam decertationem et periculosam, filiam cujusdam nobilis et potentis Pagani adhuc in puerilibus annis existentem abducens ad terminos Christianitatis deduxit, et eam cuidam Collegio sito apud oppidum Bludenz sibi pertinens sororum ordinis Fratrum Prædicatorum fideliter commendavit. Quæ in regulari disciplina et Katholicis observanciis ut plurimum edocta, Domino Jesu Christo, oblita et abjecta superstitione idolatriæ ac spurcitia quasi ovis argumentosa deservit. Quendam quoque masculum rapiens, domesticum famulum sibi fecit eum.

Circiter ista tempora in villa quadam dicta Sarnakh sita apud Luceriam, quidam villicus seculo quasi renuncians sacrista ex devotione pro emenda suorum delictorum factus est. Qui dum quadam nocte matutinum ante lucem pulsaret, quædam visio defunctorum hominum horribiliter sibi apparens et in eum irruens ipsum non solum a pulsatione abstraxit, verum etiam cum sui clamore valido strangulavit. Homines vero illic notantes cessationem pulsationis insuetam et vociferationem crudelem ad Ecclesiam certatim cucurrerunt et eum quasi mortuum repererunt: qui dum per morulam superviveret, linguæ officio penitus orbatus, diem clausit extremum.

Nunc mirabile factum in tantum, quod a seculo non est auditum, actum anno Domini MCCCXXXVI. tempore Benedicti Papæ XII. et Ludwici Inperatoris, quanto melius potero, enarrabo: Quidam enim vir nobilis tunc temporis in partibus Franconiæ a Judæis fraudulenter, malitiose, ac turpiter interfectus est. Quod audiens frater ejus de ordine Hospitalariorum vir robustus et animosus nimium dolens de occisione fratris, surrexit, et multorum virorum animos sibi concilians in ultionem fratris Judæos gravissime persecutus est in illa terra, et ut efficacius efficere posset, quod sollicite diligenterque volvebat in pectore, sub prætextu passionis Christi illatæ ab eis vindicandæ ab eo, zelo fidei accensus tanquam esset, magnam multitudinem virorum in exterminium et necem Judæorum provocavit. Ulcisci enim scelus Judæorum Christum crucifigentium in posteris tunc præsentibus et super extantibus se veraciter reputabant. Hic cum tali modo Judæos multos occidisset, tandem ejus mortem magno pretio dato malis Christianis procurabant, et sic de manibus ejus erepti sunt.

Hujus exemplo quidam rusticus caupo existens, ut fama communiter protestabatur, in Alsatia, statim post eum, nescio pro certo quo motivo, instigatus, insurgens contra Judæos, populari turma copiose constipatus, magna plaga eos percussit, velle enim se vindicare in eis martyrium Christi, manifeste asseverans, de plebeja turma virorum nanciscens, et ad instar adamantis attrahens grandem multitudinem, oppida plura in Alsatia vexillo crucis, et imagine prætensa adiit petens oportune et importune intromitti, allegans se divina inspiratione, et cœlesti oraculo in mandatis accepisse, in tota terra debere Judæos inimicos Christi per eum, et mediantibus suis auxiliatoribus deleri, et de medio tolli, addens quæcunque civitas, castrum vel oppidum sibi in hoc resisteret, ortodoxæ fidei et Dei ordinationi contrairet. Hiis auditis verbis exhilerati, libenti animo portas aperientes, liberum introitum ei et eum comitantibus indulserunt, nec contenti sunt in hoc, imo pari et concordi voluntate una cum ipsis in Judæos sævientes ipsos cum uxoribus et liberis extinxerunt. In hac cæde multi Judæorum videntes se mortem evadere non posse, pueros suos utriusque sexus strangulabant, vel de alto in ima præcipitabant, ne timore mortis perterriti, ad baptismum convolarent. De una enim pulcherrima Judæa audivi, quod cuidam viro populari se et sua subdidit, promittens baptismi lavacrum suscipere, et ad lumen fidei Katholicæ declinare, ut per eum a mortis casibus eripi et liberari mereretur, quæ ille, quia

ruralis, incompositus et insulsus erat, minime advertens, ipsam in inguine transfodit, et vitam præcidit. Hic persecutor Judæorum, de quo jam est sermo, vocatus erat a vulgaribus Rex Armleder, forte ut verbum rei gestæ alludat: hac de causa quod in brachio corio pro ferro utebatur, ipsum enim inermem gens inermis sequebatur. Nam sicut ista vocatio quemque alliciendo deprehendit, sic ad istam expeditionem seu congregationem in spiritu vehementi rapiebat: crebrescente enim fama Regis hujus et intentione sua bona, quam prætendit, ut prædictum est, quantum ad opinionem et credulitatem simplicium hominum, rudium et insipientium, de cunctis finibus et angulis Alsatiæ, more torrentis, raptim et certatim ad eum in ingenti numero confluebant, et obliti rerum suarum, cunctisque suis negotiis peragendis relictis, excepto solo pane, quem secum in sacculo deportabant, ad eum ardenti desiderio festinabant, quando voluerat, domum remeabant, quando vero voluit, catervatim redierunt ad eum, cum acceleratione incredibili, et propriis sibi stipendiis militabant, unusquisque instrumento sui officii vel artis suæ scilicet securi, rastro, gladio, malleo, vel tribula, cultro, ascia, bipenni, venabulo, arcu, balista, cuspide, vel quocunque alio modo non providens in crastinum: sed providentiæ divinæ se committens, affectu mirifico divinitus, ut præsumitur, indito, ad regem quasi in momento accurrebat, una enim voluntas omnibus inerat ulcisci mortem innocentem, et sanguinem Redemptoris. Glutino enim fidei unum cor et una anima sunt effecti. Quid plura? sive in Rufach vel in Eisisheim, sive in aliis oppidis et locis Alsatiæ fuerit, M. et D. et ultra, ut fertur, Judæos perdidit, et spurcitiam eorum et maleficia de medio ibidem fidelium habitantium exstirpavit, cadavera eorum extra oppida vehebantur, et in aquis demergebantur, vel in aggerem seu cumulum in campis comportata, igne consumpta sunt. In hac persecutione Judæorum dicitur iste Rex habuisse in comitatu suo quandoque M. quandoque D. interdum fere duo M. virorum peditum, quorum severitas in omnem terram circumpositam personare vulgabatur, ut verbum prophetæ videretur quodammodo in eis completum, dicentis: in omnem terram exivit sonus eorum, etc. imo eorum rumor et pavor in terris circumjacentibus in tantum insonuit, quod post stragem præfatam Judæorum cæteri Judæi superstites de cunctis illis terminis adeo conterriti et stupefacti fuerunt, quod in Civitatem Alsatiæ Colmur Imperialem confugerent, et Burgensium patrocinium invocarent. Quod percipiens Rex civitatem eandem in ira vehementi adiit, et Judæos receptos ab eis in protectionem sibi exponi poposcit: quod dum facere recusarent, cives ipsos multimode affligere cupiens, primo civitatem cum sua militia et exercitu copioso per multos dies potenter obsedit, messem et vindemiam eorum graviter impediens, propter quod scisma grande et seditio valde discriminosa in civitate orta sunt, nam vulgares expellere Judæos nitebantur, sed potentiores ausus eorum temerarios cohercentes Judæos totis viribus tuebantur, quam ob rem illic turbationes et terrores subsecuta sunt. Nam ut tunc a quibusdam dicebatur, de potioribus civibus pro muro ad defensandum Judæos stantibus aliqui vulnerati sunt. Cum ergo Rex iste civitatem taliter pluribus diebus afflixisset, tandem cum Judæos habere nequiret, ad quandam villam non longe distantem a civitate divertit, ubi eum, quamdiu ibi manebat, populares de civitate egredientes requirebant et frequenter visitabant. Cum vero proxima quadragesima sequente hoc factum Imperator Ludwicus, in sæpe dictam civitatem causa demorandi ibi ad aliquot dies, et Rex jam præfatus in partes Galliæ secessisset, cum consorte sua Inperatrice transtulisset, et Judæis et suis patronis astaret, indignata Imperatrix jubet duos gallos gallinacios assari, et assatos Imperatori per dapiferum in mensam afferri et præsentari, quos allatos abhorruit, et tolli irato animo mox a se præcepit, inquirenti quoque cur cibus jejunii tempore ab Ecclesia vetitus sibi propositus fuisset; Imperatrix nomine Margaretha filia comitis Hollandiæ respondit: cum judaizare videamini, Judæis astando et consentiendo, consequenter consonum rationi videtur, ut eis vosmetipsum conformetis, carnes quas jam non vitant, sed eis libere vescuntur, una cum ipsis licite manducando. Quo audito Inperator obstupescens ad cor rediit, et præcavens in futurum ait: pœnitet me fecisse præterita; ergo corrigam e deinceps me in talibus emendabo. Igitur cum Imperator a civitate illa, cunctis quæ volebat ibi dispositis et peractis, discessisset, prænominatus Rex reversus est, et secundario civitatem obsidione conclusit, et multipliciter molestavit, agros et prata, frumenta et vineta degrassando, universos quoque fructus depascendo, nec non cives intra muros coartando, et res et bona eorum extra muros spoliando. Cum ibi et alibi dominatio sua et potestatis suæ robur gradatim invalesceret, et evidenter appareret, et longe lateque odoris sui invincibilem spargeret magnificentiam, non solum Judæis in Alsatia constitutis, verum etiam in Swevia timorem et tremorem inæstimabilem incussit, ut aliqui, relictis civitatibus ubi residentiam et domicilium multis prius habebant annis, loca tutiora et firmiora solliciti de animabus suis quærerent; et ut talia loca adipisci possent, dominis terrarum ea habitantibus pecuniam magnam erogabant, vel eam ab eis sibi debitam et in proximo solvendam remiserunt, et totaliter condonarunt. Hic Rex dum ante civitatem memoratam in cassum laborasset, a cœpto opere resiliit, et ultra non comparuit, et ita cum Judæos diu tribulasset, nomen Majestatis ejus tandem evanuit, et ad nihilum redactum est ut aqua decurrens.

In istis temporibus hæreses multæ in partibus Austriæ scaturiebant, et innumerabiles animas contaminabant, quæ operæ agebantur in yppogeis sive aliis quibusque locis subterraneis; nec solum in partibus Austriæ, sed etiam in terris finitimis hæ pravitates hæreticæ pullulabant. Harum autem hæresium auctores, fautores et sectatores ignis conbustione et aliis mortis cruciatibus variis in magna multitudine deleti sunt.

Illo quoque tempore in eisdem locis singularis Judæorum tribulatio orta est propter quendam Sacerdotem nimia inopia oppressum, qui hostiam sanguine aspersit, et a se projectam juxta Judæos, ipsos suspectos reddidit, et graviter infamavit: quæ cum reverentia maxima ad Ecclesiam prædicti malefici presbiteri delata et deducta fuisset, et ibi collocata a populo totius terræ circumpositæ frequentabatur, sacrificiisque et oblationibus devotissime venerabatur, quas presbiter recipiens multis diebus notabiliter locupletatus est. Qui postquam populum Christianum diu delusisset, sub specie simplicis panis præ-

prætendentis verum corpus Christi et consecratum, tandem nutu Dei proditus fuit ab eo, mediante cujus adminiculo id flagitium finxit et perpetravit in suæ animæ et innumerabilium animarum periculum et perditionem. Nam more Jeroboam gentem peccare fecit, dum superstitionis et idololatriæ causam scienter, motus avaritia quæ est idolorum servitus, dedisset: nam homines panem pro eucharistia quamvis ignoranter adorabant ipso procurante. Hic cum proditus fuisset, suo Dyocesano erat præsentatus, qui eum captum et vinctum detinuit per plures dies, sed quod artæ custodiæ carceris traditus fuerit, vel alias secundum exigentiam malitiæ suæ punitus sit, non audivi: quod ex intimis meis doleo præcordiis, cum suum immensum nefas immensam exigeret pœnam Moyse attestante, qui dicit, quod secundum modum et mensuram culparum erit plagarum modus et mensura. Quod autem Episcopus suus remissus et negligens fuit in severitate correctionis exercenda merito in eo, ut quidam ajunt, ratio hæc est, quia per pecuniam et munera largiflua plebani, quæ turpissime modo præscripto assecutus erat, corruptus fuit: nam, ut dicit Moyses, munera excœcant oculos sapientum, et pervertunt corda justorum; beatus ergo esset homo, si secundum verbum Isajæ prophetæ manus suas excuteret ab omni munere.

Præterea fertur, quod in hiis temporibus etiam in partibus Austriæ quidam Judæus per quendam malum Christianum hostiam sibi consecratam afferri procuravit, quam allatam calceo suo sollerter imposuit. Cum autem quadam die in nuptiis cujusdam Judæi in chorea cum aliis Judæis coram magna multitudine fidelium per vicum unum civitatis procederet, divino nutu fixo gradu immobilis stare conpulsus est: quod videntes Judæi ceteri ipsum ad progrediendum stimulabant, timore enim perculsi fuerant ipsum forte talia commisisse suspicantes vel forsitan certitudinaliter cognoscentes; sed superna ultione percussus ulterius progredi non valebat. Fideles vero notantes hæc, admiratione ducti et vehementi suspicione incitati calceos ejus exui jubebant, et reperientes oblatam in calceo ejus studiose ut sibi illuderet repositam, obstupescentes quendam Sacerdotem illi loco vicinissimum advocarunt, ut eam tolleret et in loco sacro reverenter collocaret, qui dum ante hostiam sacrosanctam, sicut ipsum decuit, procideret, mox in sinum ejus prosilivit, quam ob rem, ut audivi, multi Judæorum necati sunt.

Ex quo hæreticorum in partibus Austriæ supra mentionem habui, idcirco nunc, quemadmodum mihi significatum est et instillatum, modum ipsorum et aliorum modernorum hæreticorum breviter explanabo. Est autem iste: dum congregati sunt in unum in suis latibulis in locis subterraneis, hæresyarcha in loco eminenti sibi deputato sedet, et introeuntes tali inquisitione parabolica examinat, dicens: punguntne spinæ? Si tunc sunt de numero conplicum suorum, aliquis vel aliqua recognoscens hoc dicit: non. Si autem ad eos non pertinet, dicit: pungunt utique Domine. Si sunt de suis, malitiam suam liberius exercent, si non, propter præsentiam suam se temperant, vel prorsus abstinent. Cum hic hæresyarcha sermonem sectæ et erroris sui verbis faleratis et fuco colore decoratum ad finem perorat, IIII. juvenes accensis luminibus subintrant, quos post modicum intervallum quidam micanti dyademate rex et sceptro miro modo rutilanti, insigniter preciosissimis indumentis amictus, sequitur stipatus splendida et venusta militum acie; qui regem cœli se asserens dogmata hæresyarchæ approbat, et sua auctoritate ea tradit observanda in perpetuum et tenenda. Cui loqui desinenti Attalus succedit, qui in ora singulorum sedet, et eis tantam dulcedinem infundit, quod in excessum mentis rapiuntur, et præ nimia dulcedine qua perfusi sunt, se continere non valent; quo facto luminaria extinguuntur, et quisquis proximiorem virum vel fœminam apprehendit, qui sibi occurrit et ipso abutitur, nam frequenter vir in virum, fœmina in fœminam turpitudinem exercet. Quia secundum verba Apostoli ad Romanos, tales traditi sunt in sensum reprobum, et passiones ignominiæ propter iniquitates suas, ut sit peccatum pœna peccati. Tales statim fidem Petri subverterent, si doctores eam quotidie verbo veritatis non solidarent. Unde navicula Petri fluctibus maris hujus seculi supernatans, procellarum impulsibus variis conquassatur, sed non submergitur, quia doctorum manu forti tenetur. Quam ob rem non immerito columnis comparantur, quia per eorum patrocinium Ecclesia Christi in fidei robore sustentatur, proprie etiam per Redemptorem nostrum in evangelio luci conparantur, quia per eos tenebræ hæreticæ pravitatis deterguntur et fugantur salubriter. Hæretici sunt speciales filii Sathanæ, quia ejus verba et opera præ cæteris hominibus faciunt ac imitantur: Transfigurat enim se, ut dicit Apostolus, in angelum lucis, et sic multos seducit, et in erroris præcipitium prosternit.

Item breviter ante ista, quæ dixi, ut percepi viva voce fide dignæ relationis cujusdam Baronis: Quidam Sacerdos parrochianus, utinam fuisset laycus! inofficians quandam parrochialem Ecclesiam territorii dyocesis Constanciensis in pago Turgoviensi lubricam valde duxit vitam, in tantum quod licet tabernarius lusor, conflator, perjurus, userarius, ebrius et fornicarius frequenter existeret, non minus tamen intrepide cottidie missam celebravit: quod dum sibi objiceretur, et duris et invectivis verbis redargueretur et diceretur sibi, qua fronte totiens præsumeret celebrare, cum sciret se absque contritione tam multis enormibus vitiis continue inplicatum, respondit, quod nunquam conficeret, sed tantum albam tegulam formatam in modum hostiæ populo hora elevationis demonstraret, quam et loco secretissimo conservaret et extraheret, quum necessitas vel opportunitas celebrandi missam tempore debito immineret. Ex hiis patet, quod ille maleficus sacerdos instinctu dyabolico concitatus immanissimum scelus commisit: nam more etiam Jeroboam populum peccare fecit eum ad ydolatriam pertrahendo, nam lignum pro corpore Christi vero adorabant in manibus suis. Hic peccatum peccato addidit, nam in mortalibus peccatis cottidie constrictus communicare pertimuit, ne majus periculum et discrimen incurreret indigne corpus Christi percipiendo, præcavere intendens verbum Apostoli terribile dicentis ad Corinthios: qui indigne manducat et bibit, judicium sibi manducat et bibit, non dijudicans corpus Domini. Et iterum: quicunque manducaverit panem hunc, calicem Domini biberit indigne, reus erit corporis et sanguinis Domini. O quanta dementia, error et iniquitas in illo perversissimo, cæcissimo presbitero, filio Diaboli, cujus opera fecit, ebullivit, nam volens effugere grande peccatum, incidit in enormissimum: nam ydolatriæ causam scienter dedit, sicut prius dixi, quæ est flagitium perniciosissimum et execrabilissimum,

mum, ut patet in multis facræ paginæ locis. Patet etiam per hoc, quia ex institutione Christi et Ecclesiæ omnis celebrans tenetur conficere, et integre, et hoc clarere potest ex ipsius ratione sacramenti, quia sacramentum in se est quoddam integratum ex duobus. De ista integratione servanda districtum est Ecclesiæ præceptum, unde de consecratione: Comperimus, dicitur, aut Sacramenta integra percipiant aut ab integris arceantur; loquitur de Sacerdotibus conficientibus et non communicantibus, et subditur ratio, quia divisio ejusdem Sacramenti sine grandi sacrilegio non potest pervenire, et ultra, si tenetur integre conficere, et consecrare, tenetur et integre sumere ac percipere integre consecratum. Unde de consecratione habetur relatio: certum est quod illi qui sacrificantes non edunt rei sunt Domini Sacramenti. Et sequitur, qui talis uno anno a communione repulsum se noverit. Ergo secundum allegata prædictus Sacerdos pessime ut ydolatra egit in scelere memorato, in malum animæ suæ et aliarum multarum, non advertens auctoritatem dicentem, quod falsa remedia pejora sunt veris malis. Fuit autem post erroris et facinorum suorum divulgationem turpiter, quia turpiter egit, non solum de parrochia, verum etiam de tota illa vicinia fugatus et eliminatus, prædicto Barone id agente, quia potens illic erat, nam ipsum propter malitiam suam jam dictam ab eo cognitam et compertam tanquam venenum detestabatur deinceps.

Item circiter ista tempora, ut veridica relatione intellexi, cum in quadam domo rusticana apud oppidum Sweviæ Ravenspurg quidam serpens vel vipera nidificasset, et pullos suos, fœtum suum ibidem parturiisset, et educaret, et neminem in domo molestaret, et hoc villicus tacitus consideraret, et cupiens fidelitatem vermis experiri, cum abesset quadam hora, fœtum de loco suo abstraxit et abduxit, et in alio loco reponens caute abscondit: cum autem rediret, et fœtum suum subtractum cerneret, furore et insania repletus valde, cunctas officinas et angulos domus quærendo diligenter pullos suos percurrebat; cum vero non reperiret, nimia ira succensus ignem domus aggreditur, et ollam in eo bullientem cum hordeo inveniens, inficit cum cauda sua venenum suum sibi infundendo, et quam cito hoc fecit, cum festinatione abscessit. Cum autem omnia villicus hæc conspiceret, pullos vermis surreptos in absentia sua in locum pristinum restituit et aufugit: cum vero vermis rediens post hæc fœtum suum amissum inveniret illæsum, pacata fuit, et pœnitentia ducta de malicia sua in pulmento ollæ peracta, repente rediit, et arte sua et viribus ollam evertit, et pulmentum effudit; quod totum paterfamilias tacitus animadvertens et cordi apponens toti familiæ præcepit, ne vermem illum in aliquo offenderent, vel turbarent, narrans quæ vidit.

Item circiter ista tempora, sicut fama me celebris edocuit, et prout oculis meis luculenter literis patentibus perspexi, quidam frater minor nomine Stephanus de Ungaria oriundus, in civitate imperiali in Tartaria aquilonari nomine Saray a Sarracenis passus est. Nam cum pluribus annis ibi stetisset, et multum fructum fecisset, et tandem fidem Christi negasset, habitu ordinis Sancti Francisci rejecto, et propter hoc gloriose a Sarracenis pertractatus fuisset, tandem cœlesti gratia sibi infusa et copiose divinitus illapsa adeo medullitus compunctus est, ut fratres sui ordinis occulte accersiri faceret, et eis pure peccata sua confiteretur cum maxima cordis contritione ac amarissimo lacrimarum profluvio, et reinduens habitum quem ante temere rejecerat, statim ad Muschetam ubi omnes Sarraceni convenerant, introivit, et eis prædicare incipiens dixit, omnia quæcunque dixi et feci, contra legem Dei mei feci, sed nunc revoco errata legem Christi defendendo, et legem vestram destruendo. Hiis auditis Sarraceni intelligentes ipsum legem eorum dissipare conantem, acerbissime eum fustigarunt, et eum vinctum carceri manciparunt usque ad IIII. dies, suadentes ei et promittentes pecuniam se daturos magnam, si Christum negaret: ipse autem semper constans et inmobilis perseverans in fide Christi sic respondit eis: pro fide Christi tormenta varia libenti animo subire paratus sum, spretis omnibus mundi hujus blandimentis et illecebris. Videntes autem Sarraceni se sic delusos esse et nichil proficere, die quarto ipsum in fornacem ardentem jecerunt, qui ibidem illæsus domino ipsum protegente permansit. Cum autem in diluculo crastinæ diei Pontifex Sarracenorum ministros misisset detestabiles, ut ossa ejus in fornace colligerent, ipsum illic vivum et orantem inveniunt, extrahentes autem eum de fornace pontificis ipsum aspectibus præsentabant, qui cum interrogasset eum quibus maleficiis hoc fecisset se salvum conservans, respondit: non maleficiis, sed Dei beneficiis incombustus permansi; cumque eis iterum prædicaret de fide Christi constanter et inperterritus, Pontifex in una domo, per gulam eum suspendi jussit, et ibidem per noctem pendere sinere. Cum autem crastina die in diluculo mulieres Sarracenæ, inter quas etiam fuerunt Christianæ, respexissent per fenestram, viderunt ipsum vivum et sub pedibus ejus duas manus ipsum sublevantem, et ab omni molestia penitus conservantem, nec non tres columbas candidissimas circa eum volantes, et ipsum benignissime solatio non modico foventes et dulcissime recreantes, insuper domum senserunt repletam odore suavissimo. Cum autem admirarentur de hiis omnibus, venerunt ad Pontificem et hæc omnia narraverunt: ipse autem properans ad locum et ipsum vivum et sanum invenit laudantem Deum, columbas autem tunc nemo videre poterat. Cum ergo eum solvi fecisset, misit ad omnes capitaneos Sarracenorum, dicens: hunc Sacerdotem interficere non poteram. Ipsi autem inito consilio, quod ipsum extra civitatem comburerent, operam quam poterant addiderunt. Cum autem eum ad caudam equi vinctis manibus ligassent, veniens unus carnifex, ipsius ventrem a pectore incipiens usque ad inferiora umbilici incidit, alius cultellum magnum inter scapulas ejus percussit, quod circa pectus ejus exivit. Tertius vero carnifex collum ejus præcidit usque ad medium; quidam vero cum lapidibus, alii cum cultellis in eum projicientes, duxerunt eum extra civitatem: ille autem omnia patienter tolerans, glorificabat Deum clamans et dicens: Domine Jesu, benedictum sit nomen tuum, qui tormenta ista subire me fecisti. Dum autem pellerent equum citissime ut eum destrueret, ipse colligens viscera sua in manus, ita velociter currere cœpit ut equum quasi præire posse videretur. Super hoc multi facto non immerito maxime mirabantur. Cum autem ad locum, ubi erat ignis, pervenisset, oravit ad Deum, et solutis manibus edito signo crucis intravit ignem, et ibi incolumis permansit, et dum

dum illæsus et inpunis transiret, et eis Christum prædicaret, iterum ipsum aliqui cum lapidibus percusserunt, quidam vero cum cultellis sauciaverunt, sed unus eum cum ligno grossitudinem magni pedis habente, et longitudinem bene duorum passuum, letaliter percussit, ipse autem orans coram omnibus spiritum Deo reddidit. Passus est autem anno Domini M. CCC. XXXIIII. sub Osbosecho Imperatore Tartarorum, XI. Kalendis Aprilis. Christiani autem, inter quos multi erant Latini, glorificabant Deum pro hoc facto. Pagani vero post hæc corpus ejus projicientes in ignem comburendum, nihil remansisse de eo viderunt nisi ossa. Cum autem Christiani reliquias ejus colligere vellent, videntes hoc Sarraceni ossa ejus acceperunt, et contundentes sicut pulverem sparserunt. Quæ autem ossa recipi poterant, Christiani habent Græci, Latini et Armeni. Cum vero mortuus fuerat, statim Græci et Armeni ipsum canonizaverunt: nam in loco ubi combustus fuerat, tribus diebus et tribus noctibus, omnibus videntibus tam Sarracenis quam Græcis, apparuit claritas de cœlo, quæ totum locum cooperuerat. In eodem loco filius unius Armeni liberatus est a quadam gravi infirmitate. Item cum ad mortem duceretur, unus Sarracenus cum auriculam ejus abscidisset et in ignem projecisset, mox auricula, quasi esset viva, de igne saltum fecit, quam rapiens unus Græcus, eam super quendam hominem infirmum usque ad mortem cum posuisset, illico sanitati pristinæ redditus est. In multis quoque aliis coruscat miraculis, quæ nondum fuerunt omnibus manifesta. Quædam religiosæ fœminæ et sanctæ in illis partibus, viderunt visiones de ipso, quibus multa archana verba hæc scribenti ad partes nostras incognita locutus est.

Præterea circiter hæc tempora, quod a mercatoribus fide dignis, quibus notum erat, quod quasi flens dico, percepi, quidam frater ordinis prædicatorum se transferens, ut evangelizaret illic Christum ad terram Sarracenorum, a fide Christi discessit et apostatavit, et sectam ipsorum patenter assumpsit, de quo nimis gavisi sunt dicentes: hic cum fuerit Doctor, lux et columpna fidei Christicolarum, ad sectam nostram conversus, sua fide abdicata, robur et firmitatem nostræ professioni præbet, hinc revereri eum nos decet, ratio nam exposcit. Tradiderunt ergo sibi uxorem, et honoribus et condignis præconiis eum extulerunt.

Anno Domini MCCCXXXVII. in partibus Alemanniæ innumerabiles locustæ apparuerunt, virorum galeatorum, vel mitrabus armatorum speciem prætendentes, et ut Castrorum acies turmatim volantes, strepitum et garritum in aere magnum et raucum facientes, quæ dietas suas agentes, in aere elevatæ et suspensæ super altitudinem arborum lucem diei obfuscabant, præ nimia earum multitudine et densitate solares radios obducendo; stationes suas humano more quasi habebant, de superioribus ad inferiora terræ descendendo, et ibi simul quasi ad discumbendum consedendo, viridia tunc quæque herbarum, arborum et graminum depascebantur, et ea adinstar flammæ pertranseuntis tosta et arida in suo recessu reliquerunt. Plures quoque civitates, quarum una fuit Wintertur, processiones devotas contra eas faciebant, in ipsis Dominum deprecantes, ut ab ipsis liberari mererentur. Secundum conjecturas aliquorum hominum iu se gerebant pronosticum et præsagium futurorum. In aliquibus terris, ut fertur a quibusdam, hæc plaga tam perniciose sævit, quod depascendo agros et vineta ibidem panis et vini Karistiam intulerint, et in tanta spissitudine terræ faciem operuerint illic, quod pedes hominum perambulantium eas, ultra talos longe ascenderint, ita quod quasi in limo profundi infixi essent, hæserunt. De habitationibus etiam hominum, in modum stercoris fœtidi ejiciebantur, et in fluvios præcipitabantur, ne ex cadaveribus earum putrefactis contingeret aerem corrumpi, et pestilentiam hominum generari, sicut accidisse legitur temporibus Ludwici Imperatoris filii Karoli Regis Franciæ et Imperatoris Romanorum, nam tunc, ut quædam cronica testatur, in Galliis locustarum innumerositas et infinitas orta fuit, quæ usque ad mare Britannicum perveniens, flatu ventorum in profundum maris dimersa est, sed æstu oceani ad litus rejecta ex putredine sua aerem infecit, unde mortalitas maxima et fames prævalida est secuta, ita quod fere tertia pars hominum interierit.

Eodem anno Domini fere, in quadam civitate marchionatus Brandenburgensis nomine, rector quidam puerorum illic degens, ut fideli relatione didici, quendam Fratrem Minorum sibi familiarem illic etiam existentem accessit dicens ei: venite mecum, et ego ostendam vobis Sanctam aperte Trinitatem: qui licet vehementi admiratione ductus ex verbis visionem dictam cernere desiderasset, non tamen absque consensu et concilio fratrum suorum, attemptare præsumsit, qui tali sibi conditione indulserunt, ut corpus Christi secum secrete deferret; qui dum ad locum simul pergentes devenissent, rector fratri demonstravit virum valde decorum aspectu, regalibus vestimentis indutum, et hunc patrem fore affirmavit, juxta illum juvenem elegantissimæ formæ mira indumentorum decentia micantem ostendit, et illum Filium esse indicavit. Tercium vero adolescentem pulcherrimum, amictu splendido et dyademate fulgidissimo renitentem, et prædictis duobus assantem Spiritum Sanctum esse edocuit. Cum hæc rector dixisset, frater corpus Christi de brachiali, in quo absconditum tulit, extrahens, et in altum porrigens, subintulit: Et quis est iste? Ad cujus aspectum dæmones, qui in specie Trinitatis homines diu deluserant, et dementaverant, cum fœtore pessimo quem post se relinquerant, disparuerunt. Frater vero cum gratiarum actione rediens, Dei virtutem et ejus mirabilia enarravit. Hæretici autem a dæmonibus ludificati et decepti, igni traditi sunt et exusti: qui dum ammonerentur ut abjecta spurcitia superstitionis et dyabolicæ illusionis ad cor redirent, et fidem orthodoxam firmiter sicut deberent profiterentur, nimis illaqueati et illecti in hæretica pravitate perduraverunt, volentes potius ignis incendio vita privari, in erroribus suis, quam in veræ fidei professione liberari. Dicebant enim, se in flamma eis parata aureos currus conspicere, et mox per eos ad cœlestia gaudia deberi feliciter transmigrare.

Anno Domini MCCCXXXVII. in Augusto civitates juxta lacum Botanicum conjuratæ, duo castra villicorum de Altsteten obsederunt, et ceperunt, et arma et alia in eis inventa quamvis pauca rapuerunt: villici enim videntes se non posse castra tueri, arma sua detrahentes fugierunt. Hæc eorum demerita gravia exegerunt; in captione tamen castrorum primi Lindaugenses et Thuricenses, ut fertur, cives extiterunt. Eisdem quoque diebus civitates prædictæ Comitem de sancto monte propter quendam excessum

cessum suum humiliassent, si eas precibus et quibusdam pactionibus emendæ non placasset, et sibi benevolas reddidisset.

Item anno Domini MCCCXXXVIIII. in civitate Schafusensi crudele latrocinium commissum est. Quidam civis illic Zelotypus existens, dum audisset uxorem suam cum servo suo nato de Thurego adulterari, ipsum in sede operi suo insudantem a tergo ictu cultri pungens et transverberans interfecit, quem cum in frusta plura concidisset, in fossa, quam ad hoc sub tristega paraverat, occultavit; cujus dum singula frusta singulis noctibus exportare, et ad Rhenum projicere attemptaret, januam domus suæ divino nutu fixus exire non valebat. Cum occisi itaque frusta pluribus diebus sic delituissent, et fœtere notabiliter cœpissent: uxor occisoris aufugiens Thuregum properat, et illic parentibus occisi, quemadmodum factum erat, revelavit. Qui dum cum potentioribus aliquot civibus Schafusam venissent, ut eum per judicium morti, quam promeruit, addicerent, nihil profecerunt. Nam ut de viris taceam, mulieres cum validis clamoribus eum defensabant. Quod Thuricenses civitatibus imperialibus sibi conjuratis querebantur, postulantes unanimiter ut sibi apud Schafusenses de latrocinio Burgensi suo illato procurarent justitiæ fieri complementum. Quod eis irrationabiliter fuerat, quanquam seriose exegerint, penitus denegatum: quod videntes Schafusenses, occisorem civitatem abjurare compulerunt, si capitis truncationem effugere vellet, quod factum est.

Insuper eodem anno dum quidam civis Basiliensis filio suo de uxore Schafusæ providisset, et ipse eam legitime traduxisset, die ad hoc statuta, cum ipsa nuptias celebrans, et lateri ejus adhærens coream lætanter duceret: a fratre sponsæ suæ nimium dolente, quod pater ipsam tam abundanter dotasset, et sibi substantiam per hoc hæreditariam notabiliter subtraxisset et minorasset, ad mortem ictu cultri vel gladii percussus est, quem corruentem dum sponsa in sinum suum recepisset, et aliqua verba ab eo cum dolore acerbissimo exigeret, et ipse respondisset quod loqui non posset eo quod occisus esset, illico spiritum exalavit, occisor vero aufugit, et stuporem et horrorem populo post se reliquit, et totam civitatem in commotionem convertit.

Præterea annis paucis elapsis ante ea, quæ immediate dixi, partium civitatis sæpe dictæ, a tempore quo non extat memoria, venenum diu ante sopitum et quasi extinctum revixit et in medium erupit, se manifestans per largam et enormem effusionem sui. Tres enim viri de altera parte ab adversa occisi sunt: duo fratres in agro extra civitatem de vinea redeuntes, tertius vero Constantiæ eadem die interfectus est: qui in navi per fluvium Rhenum Schafusam deductus est. Aliorum vero cadavera a plebe Schafusensi de agro paulo ante tertii adventum ad civitatem delata cum ejulatu amarissimo fuerunt. Quantus tunc planctus et horror illic invaluerit, breviter perstringere et perfecte explicare non valeo: tamen unum eructo verbum, et ultra non addam, quod quædam horripilatio acerrima penetraverit cor meum, immo timor et tremor graviter et pariter me invaserant. Videbatur enim mihi secundum Sophoniæ prophetæ verbum, esse dies quodammodo caliginis, iræ et miseriæ, magna et amara valde. Nam cum in ea viderem et audirem sonum terribilem campanarum, tumorem et tumultum populi, scisma seu partialitatem civium, portarum clausuram et custodiam, in memoriam mihi venit extremi judicii severitas, et ideo me fuisse absentem a civitate magno cordis desiderio et multis suspiriis peroptavi.

Anno Domini MCCCXXXVIII. quidam magister, ut fama communis volavit, de ordine fratrum prædicatorum Parisiis, ut dicebatur, commorans, Astrologus, affectans in Ecclesia magnæ reputationis censeri, scripsit in partes Alemanniæ litteras continentes, quod horribilissimæ mutationes aeris et corporum supercœlestium venturæ essent, quadam die, quasi et hora, tempore autumnali, in terminis positis, scilicet, quod luna in sanguinem et sol in colorem nigerrimum converti deberent, et quod quidam draco inmensæ magnitudinis, juxta cœlum et terram volaturus esset, qui in tantum aerem infecturus quoque foret, quod a quocunque homine aspirando attraheretur, morte subitanea mox dejiceretur. Multa nec non alia stupenda auditu nimis terribilia, quæ causa brevitatis omitto, in epistola futura præsagivit, et sub affeveratione certissime repromisit, et si aliter fieri contingeret, tota astronomiæ scientia vacillaret. Hæc a parrochianis in cancellis pronunciabantur, et ad opera pœnitentiæ juxta dicta magistri istius in epistola homines hortabantur, ne si repentinus interitus eos invaderet, et in mortalibus peccatis caperentur, in abyssum æternæ damnationis detruderentur. Hæc mira populo ingentem pavorem incusserant, et iram ultionis extremæ sibi in proximo imminere innuebant. Cum itaque rei exitus præstolaretur cum grandi trepidatione ac formidine, die assignata nulla eorum quæ dicebantur evenerunt, sed fictio et falsitas totaliter erant. Hæc epistola referans prælibata aperte fuit in consistorio coram consulibus civium Constantiensium recitata.

Hiis temporibus defuncto Johanne Papa XXII. qui sentencias excommunicationis et interdicti contra Ludwicum Inperatorem fulminaverat, et creato Benedicto Papa XII. Imperator Ludwicus confidens de eo, quia ipsum non offenderat, et cupiens Romanæ Ecclesiæ sedi sub eo et per eum reconciliari, et ab eo confirmari et coronari, legatos suos reverendos omnis generis quasi viros frequenter ad eum et plures misit, ut causam suam et Ecclesiæ apud eum agitarent et diligenter promoverent, qui semper frustra laboraverunt, et vacui omni gratia redierunt: non enim placabilem eum invenire potuerunt; quem Rex Franciæ in cujus manibus consistebat, induravit, ut fama communis attestabatur; si enim eum non avertisset et prohibuisset, benignum et propitium secundum relata hominum ipsum reperissent, sicut patebit per hæc quæ consequenter subnectam. Cum enim prima vice tam arduo negotio et tractatui condignos nuntios ad Papam destinasset, scilicet viros ingenuos et expectabiles, genere dignitatisque apice præcelsos ac eminenter sublimatos, sapientiæ quoque radio illustratos, utpote Rhetores, Jurisperitos, Theologos acutissimos, et illi perspicaciter et disertissime coram summo Pontifice coramque suis Cardinalibus testimoniis Sacræ paginæ et utriusque juris civilis ac canonici verissimis et certissimis demonstrassent, Imperatorem Ludwicum deberi recipi ad gremium matris Ecclesiæ, et insignia confirmationis et coronationis inpendi sibi deberi, nec non relaxari interdictum indebite contra eum latum in regno suo a suo prædecessore, præsertim cum paratus esset subire pœnitentiam condignam suis excessibus, quos scientes vel

vel ignoranter contra sedem Romanæ Ecclesiæ commisit, et quidquid oneris sibi inponendum censeretur, dum tamen rationabile esset libenti animo sufferre, juraque et privilegia more suorum antecessorum Papalia confirmare, defensare, et pro viribus suis, quamdiu viveret, conservare Papa et Cardinales in gaudio exultantes in hiis dictis, assurgentesque inclinatis capitibus Deo gratiarum actiones, ut dicitur, reddiderunt, jucundum et facilem assensum ad singula petita perficienda prætendentes. Hoc videntes Imperatoris nuntii gavisi sunt gaudio magno valde, exspectantes beatam spem et adventum concordiæ et unitatis Ecclesiæ diu cum tædio concupitæ: sed heu! eorum exspectatio inanis fuit, quia Rex Franciæ et Rex Boemiæ, qui Imperatoris felicibus semper tunc successibus invidebant, percipientes Papam una cum Cardinalibus velle propiciari Imperatori, et ad gratiam eum recipere velle, ipsum averterunt propositum suum nobilissimum irritantes, sicque legati Inperatoris sine fructu reversi sunt, frustra habitis multis laboribus et expensis. Inperator vero iterum alios substituit et submisit, qui in nullo sicut priores profecerunt, immo opprobriis et contumeliis adhæc affecti absque omni effectu redierunt. Multis itaque nunciis et intercessoribus Inperatoris a consistorio et curia Domini Papæ cum injuria repulsis, et verecundia tandem anno Domini MCCCXXXVIII. tempore autumpnali Apostolicus legatos suos misit, usque in Lotharingiam volens et demandans, ut et Inperatoris illuc ad eos properarent, ut illic utrique convenientes de pacis fœdere habendæ inter eos tractarent. Misit ergo Inperator solempnes nuntios suos illuc, de Swevia, Dominum Comitem de Nellenburg, et Dominum Dapiferum de Walpurg: de Bawaria, Dominum de Nifen, suum approcrisarium, et præ cæteris dilectum. Cum autem legati summi Pontificis tam difficilia et ardua, et valde pertimescenda ab Inperatore exigerent, videlicet ut se humiliter Domini Papæ conspectui præsentarent, et imperium in manu ejus libere resignaret. Sed quia secundum Jurisperitos Inperatoris juri consonum non erat nec rationi, quod tam personam quam res taliter in manus hostium suorum capitalium hoc faciendo traderet et exponeret, præcipue Regis Franciæ illic dominantis, legati Inperatoris memorati, omnibus postpositis, indignanti animo his visis recesserunt. Ob quam causam Inperator appellationem supra dictam per fratrem dictum Bona gratia, utriusque juris legis et canonis magistrum et Doctorem expertissimum, quemadmodum supra memini me dixisse, contra Papam luculentissime renovavit, accersitisque Principibus Electoribus Regis Alamaniæ et per consequens Inperatoris Romanorum, tam ecclesiasticis quam secularibus, nec non aliis majoribus natu in Alemania magnatibus, satrapis, baronibus, quocunque nomine censerentur, vel quibuscunque dignitatibus pollerent, in civitatem Frankenfurt Frankoniæ eis cum pondere et flebili quasi voce contemptum sibi illatum a Papa querebatur per ordinem jam præscriptum: insuper regalibus vestibus, gemmis, auro et argento ad modum fulguris coruscantibus indutus, sceptro quoque et aliis insigniis regalibus decoratus, expurgavit se legitime coram omni multitudine militiæ suæ ibidem congregatæ. Rege etiam Angliæ cum sua militia præsente, a vitiis illis, quæ secundum decretalem incipientem: Venerabilem, in titulo de electionibus, ipsum impedire vel dejicere possent, ostendens se et suos progenitores a tempore, quo non extat memoria, fidei Catholicæ professores a cunabulis devotos, et verissimos esse sectatores. His et similibus sermonibus ab eo gloriose ac limpide peroratis, per se et per suos juridicos sciscitabatur ab eis, quid ultra facere deberet quam quod fecit, et quid sentirent de interdicto contra eum in regno suo indebite, judicio sui et multorum, prolato, et jam per plures annos in dispendium animarum et periculum maximum servato, in suum etiam dedecus et gravamen. Qui discutientes causas et motiva singula tam Papæ quam Inperatoris, diligenterque examinantes, et acumine intellectus luce clarius omnia speculantes et perscrutantes per se, principaliter vero per Inperatoris Legistas et Canonistas valentissimos, principalissime autem per fratrem Bonam gratiam, almarium seu scrinium quasi totius juris, consequenterque per cunctos Prælatos, cæterumque Clerum ibidem congregatum repererunt, Inperatorem cuncta, quæ debuit, sufficienter peregisse, et sibi aditum et accessum omnis gratiæ et justitiæ interclusum, et obstructum, et indiscrete temereque penitus denegatum. Sententia ergo matura et unanimi Principes etiam jurejurando præstito determinaverunt, omnes processus a Domino Papa contra Dominum Inperatorem latos, indebitos, et prorsus nullius fore roboris vel momenti, sed eos irritos et inanes, et ab æquitatis lance penitus alienos. Astruxeruntque eodem jurejurando sententia diffinitiva, per totam terram Inperii Ludwicique Inperatoris ditioni subactam, divinum cultum diu indebite, in pœnam et contemptum Imperatoris interdictum et suspensum, legitime liciteque omni scrupulo conscientiæ deposito, debere resumi. Decreverunt nihilominus, totum Clerum ubilibet in regno seu inperio Inperatoris constitutum, qui adhuc non resumpsisset divina, compellendum ad resumendum cultum divinum, diu intermissum et intercisum, et si renueret, et contumaciter parere despiceret, tanquam hostis Reipublicæ esset acriter puniendus. Exiit ergo edictum a Cæsare Augusto Ludwico, ut universa pars orbis sibi subjecta vel subjicienda, sub obtentu gratiæ suæ divinum cultum resumeret incunctanter; quod sui officiales, præsides, advocati, sibi seriosius commendatum, ad terras suas in litteris Imperatoris secum deportantes, fideli executioni mandarunt, præcipientes singulis civitatibus et aliis locis advocatiæ suæ vel jurisdictioni subjectis per minas et terrores, jussionem regis urgentem per omnia observari. Quod cum clerus aliquarum civitatum una cum civibus effectui mancipare aliquot dierum spatio minime curasset vel sprevisset, tandem cives habito consilio super hoc, ad cor redeuntes vel recognoscentes durum fore contra stimulum calcitrare, valenter jubebant per civitates proclamari: quicunque clericus tam religiosus quam secularis divinum cultum apertis januis pulsatis canpanis habere vel resumere contemneret, extra civitatem in perpetuum vel ad tempus fieret, vel si quis animo fugiendi divina civitatem exiret, usque post decennium se sciret irremeabiliter exterminatum ab illa civitate, oppido, villa, cœnobio vel loco quocunque, relinquentes tamen et indulgentes clericis octo dierum, vel citra manendi, vel recedendi, deliberandi spatium. Multi igitur diversorum ordinum clerici et pauci seculares, aliis cantantibus, de locis suis discedebant, hinc inde vagantes, et in locis aliorum dominorum ad divina resumenda non coactis se recipiebant, et ibi nomen

psallentium in tantum maculaverunt, ut more stercoris vel luti fœtidi abjicerentur, et ipsorum communio, familiaritas, conversatio, missa, oratio, prædicatio, absolutio, et quæque clavium auctoritas execrabilis haberetur. E contrario remanentes, et Domino præcinentes, tacentes et recedentes, tanquam vecordes, erroneos, pertinaces, fatuos et rebelles occulte et manifeste persequebantur, et eos coram hominibus vitandos et detestandos tanquam perversores et dilaniatores latere, nihilominus tanquam venenatos et contagiosos, et adinstar canis rabidi fugiendos affirmarunt. Utraque pars alteram desipientem, vel una alteram scismaticam, rumpentem et scindentem tunicam Christi integram et inconsutilem judicabant. Multi vero de numero exeuntium ducti post medium annum pœnitentia, locum suum ardenti desiderio repetebant, sed indultum eis non erat, quia fere tota universitas juramenta in eorum exitu in contrarium emiserunt, videlicet ut nullus eorum facultatem vel possibilitatem regrediendi haberet ante finem termini eis super hoc præfixi: unde factum est, ut inviti cum amaritudine maxima mentis extra remanerent, qui voluntarie ac inprovide exierunt. Ut autem materiam hujus sermonis concludam, animadvertendum est, quod muta diu labia in vocem cantus et lætitiæ cultus divini sunt resoluta, et organa per multa annorum curricula suspensa relaxata sunt, in melodiæ ac psalmodiæ harmoniam, prædicta dissensione et difformitate perdurante usque in hodiernum diem.

Circiter ista tempora, ut fertur, dum ob petitionem Soldani XXX. fratres de ordine prædicatorum, famosi lectores a Papa directi, coram Soldano comparuissent, taliter ab eo temptati sunt. Dicebat enim si vultis fidem Katholicam hominibus Imperii mei, pro quo accersiti a me, et a summo Pontifice Christianitatis postulati estis, disseminare, habitibus vestium vestrarum et tonsuris capitum vestrorum abjectis et postpositis, vestimenta conformia vestimentis gentis meæ vobis assumite, quod si feceritis, habebitis me cooperatorem, vobis in ministerio verbi divini oportunum et efficacem, nec non patronum peroptatum ac studiosum; si autem non feceritis, omnes vos filii mortis eritis. Qui consiliati in unum, decreverunt melius et consultius fore amictus eorum permutationem pati, quam ipsorum omnium perditionem et lucrum animarum, cujus causa venerant, negligentiam. Facta igitur vestium commutatione, cum se rursus Soldani aspectibus præsentassent, ab ipso in hunc modum affatum formidinem inferentem, nimisque terribilem receperunt: Cum vos sitis doctores Christianitatis, et duces et lux aliorum, et tamen tam cito et faciliter moti propter terrorem, quem vobis incussi, ab habitu vestræ professionis et regularis observantiæ, quam mobiles cæteros esse per hoc patet. Ego habeo sub me paganos tam fortes et constantes in paganismi observationibus, quod libentius se dilaniari et scindi in mille particulas sinerent, quam quod a suorum sacrorum rituum custodia declinarent. Idcirco quam cito poteritis, si mortis supplicia acerrima evadere cupitis, a facie mea discedite. Qui mox ad Regem Cipri confugientes, per eum ulterius ad partes Christianitatis secure deducti sunt, et inde ad loca, unde venerunt, reversi cum confusione sunt. Hi si litteras Regis Franciæ, ut dicitur, non habuissent, a Soldano trucidati miserabiliter fuissent.

Hic Soldanus, ut communiter asseritur, Christianos diligens, ipsos benigne et reverenter, cum ad partes ditionis suæ venerant, tractavit. Nam cum Barones, Episcopos, vel insignes, notabiles et strenuos advenisse Katholicos milites percepit, in terram suam ipsos in visceribus caritatis suscepit, multa beneficia, diversaque indicia amicitiæ et amoris eis inpendendo. Cum autem hoc aliqui de suis moleste tulissent, quadam vice contra eum conspirantes, hostiliter contra domicilium suum cum turma populari portante vexilla depicta cum imagine crucifixi, eo quod cultor ejus existeret, processerunt, quorum tumultum et inportunitatem per fenestram prospiciens compescuit, dicens se fore adeo bonum paganum sicut eos. Et in hujus argumentum proxima die futura, Ecclesiam unam Christianorum adhuc stantem illic a tempore, quo fides Katholica principabatur, una cum ipsis funditus destruere vellet, in cujus destructione et alias tanquam vir industrius et circumspectus, notans et animadvertens, et deprehendens auctores et machinatores sceleris memorati, ipsos occidi præcepit. Fertur etiam de eo, quod hiis in temporibus filium suum absque judiciali sententia, eo quod Christianum locupletem, ut pecuniam suam sibi usurparet, occidisset, jusserit perimi. Narratur quoque de eo, quia severus Dominus et judex erat, quod frequenter ad explorandum excessus Baronum, Advocatorum, Præsidum, Prætorum, Judicum, Ducum, Comitum et cæterorum quorumcunque suorum terras, seu dominia ipsorum sub specie peregrina intraverit, et cum eos reos relatione hominum terrigenarum, secundum famæ opinionem de ipsis prius auditam reperisset, reversus in domum suam eos vocavit ad se, et objiciens eis crimina ipsorum in facies suas, super palum ferreum sedi infixum eos sedere coegit, qui interiora corporis eorum penetrans una cum potione quadam venenata eis desuper per ora infusa in momento sedendo extinxit acerbissime.

Item in hiis temporibus Soldanus præfatus, ut fertur, tantum ascendit et profecit in inperii sui et dominatus amplitudine robore et augmento, quod LX. et ultra Regibus coronatis potenter præfuit, de quo minime cor suum elevatum esset vel tumesceret, sed potius Deo humiliter tribueret, a quo habere per interventionem Machmeti summi prophetæ procul dubio crederet; qui clare quoque recognoscens tunc temporis partialitates, guerras, scismata, dissensiones, prælia, discordias Christianitatis, videlicet inter Papam et Inperatorem, inter Regem Appuliæ et Siciliæ, inter Regem Francorum et Anglorum, inter Regem Daciæ et Sweciæ, inter civitates et Dominos Longobardiæ, et alias quam plures, gaudens et exultans, Christianorum incursum ad terram sanctam, ad eripiendum Christi sepulcrum de manibus suis, minus pertimuit, et eos aggredi, et molestare securius et audacius, si offensa eorum requireret, præsumpsit.

Item fertur, quod in hiis temporibus Inperator seu Rex magnus Tartarorum tam excellentis potentiæ fuit, quod quingentos principatus concedere habuit, quorum minimus regno Boemiæ veraciter comparari valebat, qui ad mercatores solitus erat, tunc temporis venientes de regionibus Christicolis, ad regiones inperii sui causa mercationis, dicere: Inperator Romanorum et Rex Francorum deberent de jure a me in regnis suis infeodari, et quia facere hoc contemnunt, malo titulo ea possident, cum injuria mea magna.

Anno

Anno Domini MCCCXXXVIII. tempore Maji infra Pascha et Pentecostem, civitas Mediolana in terra Longobardiæ, ab exercitu Domini Canis grandi de Bern, foventis partem Inperatoris Ludwici, obsidione conclusa est: sed qui in civitate erant, nimio furore concitati contra extraneos eruperunt, et aggredientes eos cum ipsis fortissime confluxerunt, et cum diu anceps bellum extitisset, tandem extranei, qui erant ex parte Domini Canis de Verona, prævaluerunt, et alios in magno numero peremerunt. Quod dum factum esset, quidam Dominus de parte civitatis cum CCC. vel D. recentibus viris superveniens super extraneos quasi jam triumphantes, nimis ex conflictatione fatigatos irruit, et multos prostravit, multos quoque cepit, et cum gaudio propter victoriam in fine habitam civitatem intravit. In illo certamine referuntur cecidisse de utroque exercitu circiter V. M. virorum.

Eodem bello peracto, in autumno proxime succedente, Dominus Comes de Kiburg cum pluribus aliis Comitibus movit prælium adversus Bernenses supra pluries nominatos, qui dum obsiderent oppidum quoddam pertinens civibus in Bern, Bernenses coadunati una cum montanis Swicensibus supra etiam sæpe memoratis, sibi tunc conjuratis, et in adjutorium eorum accersitis ad defensandum oppidum et ad hostes reprimendos, in manu forti venerunt. Quos cum vidissent Domini Comites, nimis de se confidentes, quamvis magnum exercitum eis in auxilium destinatum ex parte Ducum Austriæ, et jam in itinere propero veniendi ad eos constitutum certissime scirent, licet pauciores essent Bernenses cum Swicensibus in copiosa multitudine evocatis, aggredi præsumpserunt. Commissum est ergo prælium, in quo cum Swicenses ad horam seorsum cessissent, pavore concussi, et vidissent adversarios pusillanimes factos et remissius agere, resumpta audacia quam prius amiserant, reversi sunt, et tam fortiter egerunt, et tam acriter dimicabant, quod primo et præ omnibus cives Friburgenses, hostes ab antiquo Bernensium existentes, multis eorum interfectis fugam inierunt: propter quod Swicenses cum Bernensibus magis cordati et animati effecti, plaga crudeli adversarios, nemini parcentes, usque ad internecionem cædebant, tanto etiam furore contra eos debacchati sunt, quod heu Dominus Comes de Nidow, qui in multis præliis campestribus et atrocibus tam inter Katholicos, quam inter Paganos illæsus permansit, cum toto cœtu suo ibidem occubuit. Comes quoque de Arberg, Comes de Vroburg, filius exterioris Comitis de Sabavia, adolescens elegantissimæ, ut fertur, personæ, Comes de Gruers illic ceciderunt; nec non viri alii plures, strenui et nobiles de diversis partibus ibi perierunt: de Swevia vero unus Dominus, vir robustus et fortis viribus, cum multis militibus creatis, ante congressum fugere erubescens, ultro se discrimini offerens, vocatus de Blumenberg, peremptus est. Sed pauci ex Bernensibus et Swicensibus in comparatione ad istos corruerunt, ex utraque tamen parte citra mille viros, ut medium teneam, dimissis extremis, in bello illo occubuerunt. Nam quidam longe plures, quidam longe pauciores affirmant. Post bellum autem multi Bernensium inventi in campis vel negotiis suis, ab altera parte necati sunt; una quidem nocte fere XL. viri, ut dicitur, civitatem exeuntes occulte pro suis negotiis agitandis, ab hostibus eis insidiantibus cæsi sunt. Cum quibus dum Gwardianus Fratrum Minorum Mettercius egressus fuisset, a quodam Swevo adversæ partis graviter et lethaliter per maxillam vulneratus est, immo, sicut percepi ab ore suo, si ramus cujusdam arboris ictum primo vulnerantis non recepisset, caput ipsius anputasset. Quod dum Swevus ille cognovisset, procidit cum lacrimis ante eum amarissimis, veniam de commisso petens, quia ignoranter fecisset, propter tenebras noctis eum ab aliis discernere non valens. Cui Gardianus ignovit, cicatricem, quanquam sanatus sit, valde apparentem in facie in perpetuum portans. Insuper Bernenses post conflictum istum ab hostibus trucidati sunt, et in tantum coartati et insidiis occupati, quod nulla via ipsis fuit patens vel libera ad intrandum vel exeundum, et ideo pauperes facti sunt nimis, ita quod baculus panis confractus est eis, et tanta Karistia præsertim vini ibi excrevit, quod mensura X. vel XII. solidis denariorum illius monetæ vendebatur. Multa itaque gravamina in rebus et personis illis in temporibus perpessi sunt, et in magna parte diminuti et minorati sunt, et superstites inmensis miseriis intricati. Quod Bernenses in hac pugna victoria potiti fuerant, duplex judicio meo ratio fuit, quia justitiam seu justam causam habebant, quemadmodum tota vicinia libere et expresse profitebatur: Secunda, quia devote corpus dominicum ea die, qua exituri erant contra hostes pugnaturi, unanimes omnes receperunt, quo protecti tanquam clipeo, quo refecti et confortati viatico, sani et illæsi perstiterunt.

Item eodem anno Incarnationis Domini, in vigilia omnium Sanctorum, propter nimiam et insperatam pluviarum in multis locis inundantiam, Alemaniæ rivi et fluvii in tantum excrescebant, quod molendina multa, domos, cœnobia, et in parte civitates subverterent, et cum multis hominibus inæstimabilem pecuniam absorberent et abducerent, supra modum quippe suos alveos exeuntes, excesserunt; præsertim autem in Basilea quidam rivus, dictus Birsich, inundationis excessu desævit, quod multam et gravem jacturam civitati, maxime autem fratribus minoribus intulit.

Præterea eodem anno, circa festum omnium Sanctorum, Rex Angliæ magna expeditione virorum bellatorum collecta, de regno suo et de terra Alemaniæ profectus est in terram Regis Franciæ, ad dimicandum cum eo, et ad eripiendum regnum de manibus ejus, et vero hæredi ejusdem regni, filio sororis suæ ad reddendum. Nam cum Rex Franciæ tantum tutor ejusdem filii in annis puerilibus constituti existeret, portando et conservando sibi regnum, usque dum annos legitimos attingeret, quod per se regni gubernacula regere posset: nunc habenti ætatem debitam et poscenti sibi regnum dari et resignari, temere violenterque detinet, et reddere contradicit. Hujus rei causa, ut dicitur, Rex Angliæ regnum Regis Franciæ potenter invasit, et per VII. hebdomadas eam incendiis depopulatus est, multas civitates obsedit et cepit. Tandem Rex Franciæ tempore præfato grandi exercitu congregato ad defendendum se ab eo, contra ipsum procedit in apparatu incredibili, et in campis more locustarum terram occupantium, non longe a castris Regis Angliæ distantibus se locavit, ibi, ut fertur, Rex Franciæ constitutus, exercitibus suis dedisse in mandatis districte dicitur, ut nulli parceretur adversariorum, quem superari contingeret. Quod audiens Rex Angliæ, simi-

similia suis imperavit. Ibi Rex Angliæ quemadmodum relatione eorum intellexi, qui præsentes fuerant, habuit C. Millia peditum, et VIII. immo secundum aliquos XII. M. equitum seu galeatorum, quod longe plus est, virorum bellicorum et fortium, indefessorumque pugnatorum. Rex vero Franciæ in triplo plures habuisse refertur, ita quod tres contra unum opponere valebat. Cum hii duo Reges pluribus diebus e regione, modico terræ vel spacio aquæ interjecto, contra se locati fuissent, et Rex Angliæ toto cordis affectu prælii certamen desideraffet, et a Rege adversario seriose postulasset, et assequi non posset, cum exercitu suo fame nimium cruciato, animo amaro recessit. Rex namque Franciæ, ut famatur, conflictum se initurum cum Rege Angliæ verbis simulabat, sed corde contradicebat, quia a suo Astrologo responsum accepit, se mortem non evasurum si bellum in persona propria committere attemptaret: quam ob rem stupefactus cum hoste congredi in pugnam non præsumsit, sed eam tantum per terminorum suorum præsentiam prætendit, et cum hoc retrocedendo simulatorie suspendit, quousque adversarii macerati famis angustiis, deficientibus alimoniis, bello dimisso ad propria remearent. Si enim Regi Angliæ victus necessarius non defecisset, ab opere cœpto incompleto relicto nullatenus destitisset: tamen, ut verum fatear, bellum non deseruit inceptum, sed usque ad futuram æstatem suspendit, ut tunc resumptis viribus ad opus initiatum consummandum in manu valida revertatur.

De hoc Rege Angliæ insigne factum et dignum perpetua memoria hominum enarratur. Dum enim quadam die Ecclesiam quandam pertransiens more solito ab equo suo non descenderet, et devote Deum illic adoraret, et requireretur a quodam sibi militante et præ cæteris familiari, cur ibi bonam consuetudinem suam dimisisset, respondit: quod hospes, i. e. corpus dominicum in illo templo abesset, ideo consuetam reverentiam omisisset. Cujus responsione admiratus, tacitus ad investigandum ejus veritatem ad domum Plebani properat, et eukaristiam ab eo cuidam ægrotanti periculose de familia Regis Angliæ dari poposcit: qui cum juramenti assertione exacta a milite responderet, id Sacramentum ad præsens in Ecclesia non haberi, et hoc multis a retroactis diebus non accidisset, sed si tanta necessitas infirmo incumberet, de Ecclesia parrochiali proxima, si placeret, afferret; miles in propria persona adire eandem Ecclesiam pro sacro corporis dominici sacramento se simulavit, ut per hoc causam suæ inquisitionis velaret. Hic tunc de facto ita esse conperit, sicut Rex prius verbo edocuit, credens suo deinceps vaticinio, et ejus miram sanctitatem aliis revelavit.

Breviter ante ista tempora Episcopus Constanciensis, ortus de oppido dicto Vrowenfeld, dum solemnia primæ Missæ suæ die præfixa ad hoc celebrare decerneret, cunctis cœnobiis sibi subditis tam monachorum quam monialium demandavit, ut per se vel per interpositas personas venirent Constantiam, et eum pecudibus secum ferendis, et aliis muneribus et xeniis seu clenodiis, sicut eum deceret et ipsis expediret, honorarent. Quæ jussum suum exequentes, et executioni mandare conantes secundum abundantiam vel tenuitatem substantiæ rerum vel possessionem suarum, oves et boves attulerunt; quæ in via constitutæ cum pecoribus, a Dominis terrigenis, i. e. Domino Dapifero de Diezenhoven, Domino Dapifero de Walpurg, Domino Comite de Wirtenberg, et aliis pluribus cohibitæ sunt, et ad reducendum pecora conpulsæ. Et sic dyocesani avaritiæ immoderatæ, de quo gaudebant universi, obviatum est, et solemnitas consequenter sperata concupiscenti animo irritata est in parte ac diminuta.

Hic Episcopus, dum die quadam de Keiserstul, oppido episcopatui pertinente, transiturus esset Wintertur, in villa una dicta Glattfelden, in via sita ejus, a Dominis de Tengen sibi illic insidiantibus ob injuriam, quam eis prius intulerat, captus est, et de familia sua seu de comitatu suo eum defendere conantibus, quia inermes erant, multi vulnerati sunt. Ipse vero in castrum nomine Hewen deductus est, ubi a tempore Pascali usque ad tempus autumnale Anno Domini MCCCXXXVII. in captivitate detentus est per eos, et tunc per quædam pacta, et per interventionem amicorum suorum libertati redditus est.

Tempore prædicto, quo Episcopus in castro prænominato detentus esset, sibi præsentari jubebat puerum monstruosum natum noviter prope castrum in villa vocitata Weleschingen. Qui puer, licet infra in corpore valde pusillus esset, caput tamen in modum quartalis latum et magnum habuit, quod quotidie per inconsueta incrementa crevit, et tandem mirabili sua crescentia oculos pueri obduxit, et ipsum cœcum effecit. Quod parentes ejus ante fores templorum multarum civitatum, quia pauperes erant, ponentes, multam eleemosynam ab hominibus ejus monstruositatem admirantibus assecuti sunt, quia cunctis ubique ipsum videntibus stuporem et admirationem grandem incussit; Præsul etiam eo viso in castro memorato nimia admiratione perculsus est.

Anno Domini MCCCXXXVIII. tempore æstivali, civitas Sweviæ insignis Rotwil Inperialis, sita apud fluvium Neker, ignis incendio, ut creditur, divinitus immisso propter iniquitates populi inhabitantis eam ulciscendas, desolata est funditus. Nam quidam mechanicus, dum incaute sagimen super igne resolveret, flamma de patella erupit, et proximiora loca quæque succendit: inde vero more animalis furiosi hinc inde discurrens, vento valido et vehementi ipsam agitante, ad omnes partes civitatis se quasi in ictu oculi irremediabiliter clara die dispersit, et longe lateque diffudit, et omnia sibi occurrentia pene consumpsit: LX. quoque homines, ut fertur, incineravit. Dum hæc plaga hominibus illius civitatis prædicta fuisset a quodam bono viro, spiritum prophetiæ habente, non adverterunt, nec Deum placaverunt, in malo indurati: Ideo repentinus interitus venit super eos. Plures autem civitates hæc videntes conterritæ sunt, et ferias, jejunia, orationes, processiones, eleemosynas ad placandum Deum fieri sanciverunt, ne eis insimilia evenirent, sed Dei salvi munere permanerent.

Anno Dominicæ Incarnat. MCCCXXXVIII. quidam Domini nobiles, Domini potentes, liberæque conditionis Swevi, Domini dapiferi de Walpurg, tempore hyemali, de medio noviter sublato generoso ac robusto patre suo, dum mater ipsorum, ut suspicabantur, adhuc superstes, res mobiles hæreditarias, in auro et argento, in gemmis et in clenodiis consistentes, alienare conaretur, ipsam, hoc præcavere satagentes, et prævenire cupientes, ceperunt in uno castrorum suorum nomine Trutburg, custodiæ tamen humanæ mancipantes, quæ post paucos dies

dies illic vitam finivit. Insuper duos fratres de ordine prædicatorum captivaverunt: unum in turri castri eorum dicti Walpurg per multas hebdomadas retrudentes, secundum vero in diluculo diei Paraschasæ capientes, in stupa hospitii sui in ysnina per VIII. dies cum diligenti custodia detinebant. Hii vero propterea in captivitatem ducti sunt, quia de grandi reservatione pecuniæ matris prædictorum dominorum noviter post patrem defunctæ, suspecti habebantur: nam dum adhuc viveret, pecuniam apud eos deposuisse famabatur.

Anno Domini MCCCXXXIX. quidam Comes Sweviæ de Kilchberg vocitatus, in die paraschasæ, ex quadam vehementia sibi a dyabolica persuasione immissa, quod est horribile dictu, suum patrem interfecit, quod scandalum et terrorem toti terræ intulit, qui acerbissima pœnitentia, ut fertur, ductus ab Apostolico absolutionis beneficium a parricidii scelere meruit misericorditer adipisci.

Item eodem anno, Rex Tartarorum per quandam mulierem conversam ad fidem Katholicam a fratribus minoribus illic ad evangelizandum Christum commorantibus, conversus famatur: qui per legatos et epistolam Papæ Benedicto suppliciter demandavit, quod sibi Doctores, Prædicatores et Informatores orthodoxæ fidei destinare dignaretur, qui gentem suam ad fidem converterent, conversos baptizarent, baptizatos in fide novella solidarent. Qui mente hilari sibi annuens, L. fratres minores, eo quod conversionis suæ occasio essent, viros idoneos, tam ratione bonæ vitæ, quam scientiæ transmisisse astruitur. Quantum illi profecerint, vel quantum populum ibi Domino Jesu Christo acquisierint, adhuc anno Domini MCCCXLIII. in quadragesima in Sweviæ partibus absconditum et ignotum fuit.

Anno dominicæ incarnat. MCCCXXXIX. cives Bernenses suburbium Friburgense per ignem, quem injecerant, destruxerunt, quorum incursionem rabidam, repentinam et importunam effugere conantes, in fluvio illic præterfluente multi submersi sunt, nam per eum se evasuros mortis minas firmiter sperabant, si ab eis pertransitus salubriter fuisset. Tali etiam modo frater minor, illic conventualis existens, in eo interiit. Pecora Friburgensium in suburbio reperta a Bernensibus cum occisione Friburgensium aliquorum abducta sunt. Fertur autem quod civium Friburgensium CCCC. vel D. per totam gwerram ab eis contra Bernenses habitam occubuerint: quidam ajunt, fere mediam partem eorum a Bernensibus peremptam. Fertur vero, istud actum fuisse tempore paschali.

Item anno eodem, major pars oppidi Lucernensis casualiter per ignem vastata est.

Præterea anno eodem, in mense Junio, repentinum diluvium et particulare ex resolutione nubis aquosæ apud Uberlingen, ex insperato inportunissime supervenit, ita quod pecudes gregis inventas et deprehensas in campis secum veheret et deferret, et in eis homines graviter damnificaret nec solum in hoc, verum etiam in pratis, agris, vinetis, frumentis et ædificiis jacturam et molestiam grandem incolis illius confinii irrogaret.

Eodem anno in capite quadragesimæ, circa occasum solis dum in oppido Lindaugensi quidam vir in vico textorum, lardum vel sagimen in caldari seu patella liquefaceret, flamma de sagimine jam resoluto tacto per ignem erupit, et per ventum repente in altum sublevata, tectum de tegulis ligneis confectum, jam propter nimiam vetustatem arefactum succendit: inde vero in momento derivata, et per venti impetum seu flatum ad domos vicinas jactata, ipsas in rogum furiosissimum convertit; quæ dum incrementa inconsueta, et inopinata recepisset, et contra hominum confidentiam nimis excessive invaluisset, meliorem partem immo medullam exussit.

Eodem etiam anno quarta fere pars civitatis Moguntinæ, ut fertur, per incendium lamentabiliter in favillam et cinerem redacta est.

Insuper eodem anno, dum Bernenses per advocatos Ducum Austriæ, et per inediam damnificati in rebus et corporibus notabiliter, quod longa indigeret narratione, nimis fuissent, et consequenter territi et humiliati, pacis fœdera petierunt, quæ per Reverendos Dominos, et viros alios industrios ad hoc electos mature sagaciterque tractata sunt, et legitime consummata. Hæc peracta sunt in Campo Regis, Domina Regina Ungariæ ibidem habitante, efficaciter se interponente, et nisum viscerosum et præcordialem ad hoc perficiendum præbente: nam sibi non parum cordi erat hoc fieri, pensans hominum stragem jam factam, et in futuro perniciosiorem pertimescendam, et terræ circumadjacentis desolationem. Per quæ autem pacta reconciliatio et conpositio ista patrata sit, proprie explanare nescio, multum etiam tempus et plura verba postularet conplanationis series, si ad unguem declarari deberet. Facta sunt autem hæc anno prænominato, in mense Augusto.

Item eodem anno, tempore æstivali, cives Augustenses una cum aliis civitatibus Sweviæ sibi conjuratis, obsederunt tria castra spolii seu dominorum raptorum pluribus septimanis, et ipsa tandem capientes confregerunt, et solo coæquaverunt. In illa obsidione erant, exceptis civibus aliarum civitatum, de solis civibus Augustæ civitatis VII. vel VIII. ut fertur, millia virorum armatorum et ad prælia expeditorum: nam ipsis specialiter tunc temporis injuria ab illis spoliatoribus illata fuit, mercimonia enim eorum in via per insidias deprehendentes abduxerunt, vel ad castra sua transtulerunt, unum nobilem et insignem juvenem inventum in uno castro cum duobus servis, capitum amputatione mulctabant, quod etiam aliis fecissent, si eos in castris captis reperissent, nam fugam inierunt cum eos venire audierunt. Nec contentati Augustenses in desolatione illorum trium castrorum fuissent, aliis illæsis permanentibus, nec civitatem suam reintrassent absque omnium castrorum deprædatorum destructione, si ab Imperatore Ludwico revocati districte non fuissent, qui ad conservandum favorem dominorum terræ hæc fieri præcepit.

Item eodem anno fames intolerabilis et nimis horribilis in Italia prævaluerat, ita ut multi homines de civitatibus expellerentur, et advenis et transeuntibus aditus et accessus præcluderetur, et innumerabiles præ nimia fame morerentur.

Insuper eodem anno, in civitate Florentiæ tanta pestilentia seu mortalitas orta est, ut narratur, quod de melioribus civibus XX. M. sunt defuncti, de aliis vero communibus LX. M. immo de plebeja turma quasi innumerabiles perierunt. Fertur quoque quod in hac mortalitate locupletes Burgenses aerem corruptum in civitate exortum, ad sua domicilia amœnissima extra civitatem sita fugiebant, quod quamvis studiose ac certatim facerent, nihil tamen per hoc perfecerunt, nam ibi sicut alias mors eos rapuit et prostravit; nam ibi sicut alibi aër infectus mali-

malitiam suam effudit. Similia quasi audivi de civitate Paduana et Januensi.

Præterea eodem anno Rex Angliæ, recuperatis et resumptis viribus, sicut supra prædixi, regnum Franciæ multis exercitibus occupavit. Quod videns Rex Franciæ misit exercitus suos, ut mare transfretantes regnum Angliæ devastarent. Quibus Rex Angliæ cum exercitibus suis, in vigilia Sancti Johannis baptistæ, in mari audacter occurrens, mox eos debellavit, LX. et CCC. naves in profundum maris dimergendo. Cum ergo Rex Angliæ Regis Franciæ navali bello, sicut dixi, vicisset populum, postea eadem æstate ante festum assumptionis beatæ Mariæ virginis, campestri bello superavit Regem cum suo exercitu, ipsum ad quoddam præsidium vel arcem fugando, et de populo exercituum LX. milia prosternendo.

Hoc etiam tempore in quadragesima, in Kleggow pestilentia hominum grandis et satis prævalida orta est, ita quod circa Tuengen et Keiserstul et Klingnow certatim morerentur, et multi periculose infirmarentur.

Præterea circiter ista tempora Imperator Ludwicus cives Ratisponenses propter rebellionem Episcoporum, in XL. vel ad minus in XXX. milibus marcarum argenti talliavit, treugas seu inducias ad triennium eis conferens.

Anno Domini MCCCXXXVIIII. in autumno Imperator Ludwicus aliquot cives de Werd meliores sibi accusatos, et in Ingelstat sibi præsentatos jubebat exoculari, quendam vero in sacco dimergi, quod propter partialitatem et dissensionem eorundem civium occasionem traxit: partes enim maximæ et gravissimæ civitates et alia loca confundunt. De hoc potest exemplum sumi primo et principaliter de civitate Romana, quæ est caput Ecclesiæ. Nam quando illic, ut in cronicis legitur, cives contra se divisi fuerant, magis ipsis et loco nocuit, quam perniciosissima et sævissima bella, quæ ab hostibus extraneis pertulerunt. Exemplum accipi potest de Thurego, sicut supra dixi, nam propter scisma ibidem exortum, adhuc hodierna die infelicior est, et deterior, et verisimile est, usque in generationem erit. Idem patet de Schafusa, ubi ab antiquo pars satis hostilis viguit, propter quam multa homicidia et crebra mala evenerunt. Idem patuit ante pauca tempora in Ulma, ubi cives potentiores et opulentiores propter discordiam et partialitatem, ibidem a satore zizaniarum dyabolo seminatam, se mutuo de civitate expulerunt, per hoc loco et hominibus occasionem perturbationis plurimam et variam inferentes. Nam prælia, seditiones et incendia, inde in malum ipsorum non modicum subsecuta sunt.

Item istis in temporibus, inter civitates et dominos terræ Sweviæ dissensio prævalida orta est. Nam cives civitatum contra dominos conjuraverunt, et injurias sibi a dominis illatas vindicaverunt, quod, quandoque Imperatore Ludwico invito, quandoque vero assentiente factum est: judicium enim et justitiam, pacemque habere non poterant ab Inperatore, remissius et negligentius in hoc et in aliis agente. Idcirco confœderationem istam contra dominos sibi infestos excogitarunt, et maturo ac circumspecto statuerunt consilio. Quod dum domini diu cum gravi eorum displicentia pertulissent, Imperatorem adierunt sibi seriosius hæc conquerentes: qui inportunas eorum querimonias animadvertens, ad capescendum et conservandum ipsorum favorem et amicitias, civitates in talibus ausibus conpescere nisus est, faciens decretum et pactum quoddam, quod pertranseo, minime civitatibus placens, quo pacis et dilectionis vinculum inter civitates et dominos persisteret.

Anno Domini MCCCXXIX. in Septembri, Regis Angliæ virtus et robur apparuit evidenter. Nam civitatem unam grandem, munitionibus, turribus et fossatis firmissimam, dictam Torn, Regi Franciæ subactam cum tanto exercitu obsedit, quod in eo fuisse feruntur tentoriorum, et casarum, et tuguriorum XL. millia.

Anno eodem vinum, quod prius duobus annis tam in vitibus quam in cellariis valde defecerat, copiose per totam terram crevit. Quod si factum non fuisset, omnis homo aquam de necessitate bibisset: nam vinum tam exhaustum fuit, quod pene nichil in cellariis remansit.

Anno Domini MCCCXXXVIII. IX. XL. in Alemania terra tam uberem fructum frumenti produxit, quod magnus panis in modum capitis magnæ bovis, pro uno denario Constantiensi vendebatur, ita quod duobus vel tribus sufficiebat, qui panis triticeus erat, albus, purgatus bene.

Anno Domini MCCCXL. prout fama publica contestabatur, Rex Angliæ cum tam fortem civitatem Torn per exercitus suos innumerabiles fame et aliis incommodis afflixisset in tantum, quod jam quasi ipsam in manus suas resignare decrevissent, et terram circumquaque occupasset, damnificasset, et crebris diutinisque malis desolatam reddidisset, multos quoque bellando occidisset tam in terra quam in aqua: tandem Rex Franciæ humiliatus, quia conterritus, ad pacandum eum terram Vasconiæ, pro qua maxime, ut quidam ajunt, decertatio suscitata inter eos fuit, sibi restituit libere, quam prius multo tempore sibi ipsi temere et contra justitiam usurpaverat. Reconciliari insuper sibi petiit, et de injuria illata ei emendam facere certissime repromisit: reconciliationis et emendæ sed series et modus conpromissa sunt, in arbitros præclaros et industrios, ex utraque parte ad hoc electos, quorum pacta et statuta, determinationes et sanctiones uterque Rex ad nutum servare et custodire firmiter pollicitus est: nam infringenti pœna merito pertimescenda minata est. Et sic Rex Angliæ superno sibi assistente præsidio, bellum suum ad laudabilem exitum perduxit: gloriose enim triumphavit, et nomen gloriæ inmensæ per mundi climata acquisivit. Unde hirco in libro Danielis prophetæ comparari potest, qui arietem fortem superavit, et ejus duo cornua confregit et contrivit. Quis a multis annis retroactis audivit talia? videlicet, quod minor Rex, pauperior et impotentior longe regnum opulentioris, præstantiorisque Regis tam potenter intraret, et tam egregie tam Regem quam regnum perdomaret; nam Deus quia erat cum eo, nemo prævalere quibat contra eum: Deus erat pro eo, quis ergo contra eum? Nullus. Deus enim, sicut Sacra Scriptura refert, potest servare in paucis sicut in multis. Unde quamvis ingentem populum habuerit, tamen paucum habuit respectu Regis Franciæ, hinc sibi possum adaptare verbum Christi in Evangelio Lucæ dicentis: aut quis Rex iturus bellum committere adversus alium Regem, nonne sedens prius conputat, si cum X. millibus possit occurrere ei, qui cum XX. millibus ad se venit? alias mittens legationem rogat ea, quæ pacis sunt. Sic possum sibi

sibi applicare quodammodo verbum Isajæ dicentis: dixi Christo meo Ciro, cujus apprehendi dexteram, ut subjiciam ante faciem ejus gentes, et Regum dorsa convertam &c.

Hic Rex Angliæ ante egressum suum de terra Angliæ ad terram Franciæ, Ludwico Imperatori magnam pecuniam se daturum repromisit, ut cum Alemanis, maxime autem Swevis in auxilium sui venire dignaretur. Qui se facturum sub juramenti asseveratione spospondit, et cum pecuniæ aliquam partem recepisset, ut quidam ajunt, a proposito resilivit, et suum promissum cum hominum displicentia et scandalo non modico infregit; et dum Imperatrix ei persuadere niteretur cum lacrimis, quod verba promissionis suæ ratificare ac verificare curaret impleturus strenue, quemadmodum se ad hoc astrinxerat, respondit: tu alium virum desideras, et ideo me hortaris ut discrimini et periculis præliorum me immisceam et committam. Et sic absque ejus juvamine Rex Angliæ palmam victoriæ hoc excepto adeptus est, quod Ludwicus primo anno exitus Regis Angliæ, in subsidium sui filium suum Marchionatus Brandenburgensis Dominum misit, cum paucis galeatis forte C. qui dum cum aliis exercitibus et bellatorum turmis Regis Angliæ hostes agredi decrevissent, Dominus Otto de Walpurg, Swevus, vir utique juvenis, fortis viribus, proceræ staturæ, signifer seu primicerius unius exercitus Regis Angliæ ordinatus est, quem filius Ludwici de terra Sweviæ in comitatum suum accersivit, quod Swevi in reditu suo fastigium honoris maximi reputarunt, et prærogativam specialem.

Fama communis affirmat, qnod Dux Brabantiæ cum maxima multitudine Regem Angliæ adjuverit: similiter Comes Hollandiæ, et plures alii Domini de inferiori Alemania; Sed Flandrenses, ut astruitur, in duodecies centum millibus armatorum sibi auxiliati sunt. Per quorum adjutorium, et suorum de regno Angliæ secum eductis Rex Angliæ Regem Franciæ humiliavit. Unde de eo quodamodo, judicio meo, dici potest, quod legitur de Rege Alexandro Magno in libro primo Machabæorum, videlicet quod egressus est de terra Cethim, et adversus Darium Regem Persarum et Medorum constituit prælia multa, et omnium obtinuit munitiones, et accepit spolia multitudinis gentium, et siluit terra in conspectu ejus; unde sibi secundum hoc non incongrue potest comparari.

Fertur etiam, quod civitates obsessæ ab eo adeo affectuose desiderabant adventum Inperatoris Ludwici, quia Inperiales erant; quod si tantum vidissent vexillum Imperii, immediate absque resistentia portas, nimio gaudio perfusi, aperuissent: nam mallent Imperio, cujus sunt, subesse, quam jugo alieno Regis Franciæ, qui eas Inperio, ut dicitur, illicite et indebite abstraxit; et ideo, si Imperator promissum suum exhibitum Regi Angliæ servasset, secum cum Swevis, Franconibus, Bavaris, Alsaticis, Rhenensibus sibi subjectis in Regno Alemaniæ, contra Regem Franciæ præliaturus, procedendo, et regnum ejus intrando, procul dubio, ut verisimile est, regnum Franciæ cum Rege suo penitus debellasset, et civitates inperiales inperio recuperasset, et consequenter Papam Benedictum duodecimum tunc Ecclesiæ præsidentem, benevolum et propitium ad perficiendum omne voluntatis suæ desiderium invenisset. Nam Rex Franciæ ut supra memini me dixisse, Papam sibi subactum, quam diu in Avione demoratur, cohibet et refrenat, ne Inperatori aliqualiter condescendat, ne bona Imperii surrepta et sibi usurpata eum amittere contingat. Cum autem Ludwicus, ut supra dixi, remissus et negligens pavidusque existat ad præliandum contra suum adversarium una cum Rege Angliæ, iter tactus belli horrore non arripuit, et bonum taliter suum et imperii consequenter neglexit: maluit enim in Alemania sibi valde subdita confessor esse, quam in Francia ut timuit, martyr fieri. Fortunatus enim valde erat, et multa bona sine prælii certamine adeptus erat: ducatum namque unum Bavariæ hæreditavit, multæ quoque divitiæ et terræ sibi obvenerunt, et ad eum devolutæ, suæ ditioni adjectæ sunt; cuncti quoque adversarii sui, quos in terra Alemaniæ habuit et alibi, defuncti sunt.

Item anno Domini MCCCXXXVIIII. Episcopus Augustensis graviter infamatus fuit de raptu seu oppressione virginis filiæ hospitis sui, in quodam loco Episcopatus ejus. Nam puella cum ejulatu et validis clamoribus publice hoc coram hominibus contestabatur, propter quod, ut fertur, a civibus Augustensibus civitate depulsus et fugatus fuit. Qui declinans ad Inperatorem Ludwicum a quo illic Episcopus constitutus erat, et sibi conquerens, et proponens, et se quantum poterat expurgans, per eum in locum suum restitutus fuit. Quidam ajunt, sibi falso impositum fuisse, quia non violenter, sed cum consensu virginis actum venereum cum ea perfecisse. Sed quia semper secundum jura præsumendum est de unoquoque potius bonum quam malum, nisi probetur contrarium; et in dubiis et in incertis interpretatio in meliorem partem facienda est, tenendum fuit melius deteriori dimisso.

Insuper eodem anno, idem Episcopus mediante informatione et auctoritate Inperatoris, totum Clerum suæ dyocesis gravissime talliavit: multitudinem enim suorum debitorum ac penuriam grandem allegans, et prætendens, inportunus exactor effectus est. Non solum autem clerum sæcularem, verum etiam monasteria non exempta et sibi immediate subdita, cujuscunque ordinis extiterant, absque moderamine excoriavit. Dicebatur a quibusdam, quod tertiam partem bonorum à singulis clericis ac monasteriis exegerit, ita quod multi pauperes et inopes Sacerdotes, modicas præbendas ac beneficia habentes, stipendiis inportabilibus sibi sine libra justitiæ et discretionis impositis onerati, sauciatis cordibus usque ad sydera ululatu miserabilissimo vociferati sunt. Magna enim erat velut mare contritio eorum, et ideo organa lætitiæ suspendentes, voce flebili et rauco sonitu carmina et cantica funebria personabant.

Item eodem anno Inperator Ludwicus tantum congregavit populum contra Episcopum Saltzburgensem sibi rebellare cogitantem, quod circà civitatem, ut fertur, Bavariæ Monacensem campum ad IIII. milliaria occupavit: quod audiens Episcopus nimis perterritus, pacem petiit, et illico inpetravit, promittens Inperatori in omnibus obtemperare et ab eo nunquam de cetero velle discrepare.

Anno Domini MCCCXL. in vernali tempore, Serenissimo Regi Angliæ a suis Baronibus fraus turpis illata est. Nam cum tunc temporis, ut fertur, in partibus Flandriæ ageret, Rex Franciæ pacis, ut supra dixi, fœdera inita cum Rege Angliæ infringere molitus, potiores regni Angliæ, qui domi remanserant, muneribus largis, promissionibus allectivis induxit

duxit et corrupit, ut regnum Angliæ absente Rege sibi traderent. Quod dum conati fuissent executioni commendare concupitæ, et hoc Regi celeriter per suos intimos amicos innotuisset, per alios strenuos milites et populum vulgarem traditores comprehendens, in furore magno diris suppliciis perdidit eos.

His in temporibus, in partibus Galliæ vel Italiæ, quod conscribere in animo meo dignum judicavi, ut percepi fide digna relatione, factum crudelissimum est commissum. Nam ibidem partialitate in una civitate, et seditione acerbissima id causante, quidam potens civis cum fautoribus suis expulsus fuit a civitate: qui propter hoc hostis sævissimus civitatis effectus, sibi molestus esse nimis cœpit. Medio vero tempore contigit, fratrem suum, virum elegantis formæ, robustum corpore, officio Abbatem Monasterii unius siti in eodem loco ordinis, ut intellexi, Præmonstratensium, in monte proclivo suspectum haberi de crimine delationis civitatis ejusdem, cum tamen inmunis esset ab illo penitus et alienus, propter quod captus fuit, et in carruca positus, per vicos et per plateas civitatis vectus et deductus est, in qua Karruca carbones igniti in uno vase fictili, et valde ardentes locati sunt; in quibus cives civitatis et adversæ partis sequentes karrum, forcipes ignientes suas et calefacientes, et corpori Abbatis applicantes, membra torrebant, adurebant, adusta et tosta abstraxerunt et abraserunt, ita quod membratim discerptus fuit. Unus namque coram populo nasum suum, alter oculos, tercius maxillam detruncabat, et prorsus dilaniavit, et sic de aliis, quousque corpus suum spectabile et decorum in formam trunci deformis redigeretur. Cum hæc patiens cum valido clamore et allegatione suæ innocentiæ pateretur, ipsum deinde equo indomito alligantes tanquam malefactorem deterrimum per vicos civitatis ignominiose, omni ablata et oblita misericordia, traxerunt. Quem mox, isto ludibrio et supplicio peracto, dolio circumquaque clavis acutissimis sibi infixis injecerunt, et de alto montis loci Monasterii hoc volvendo præcipitantes, per singulos vicos in imo constitutos innumerabilibus ictibus eum trucidabant: tandem eum extrahentes, capitis obtruncatione martyrii in eo asperitatem ac sævitiam conpleverunt. Servum sed ipsius atrocius et multo inhumanius, quod pertranseo, tractantes miserabiliter inexcogitatis suppliciis mori coegerunt, quod est horribile dictu.

Anno Domini MCCCXL. circiter festum sancti Andreæ, Dominus de Geroltzeg prælium committens cum alio Domino in Alsatia, propter electionem discordem duarum monialium terræ Alsatiæ, in cœnobio quodam celebratam, motus minime prosperatus est, immo, ut fertur, cum gravi jactura rerum et corporum succubuit, suorum adversario prævalente.

Præterea eodem anno, circiter festum sancti Martini, Paganorum innumerabilis multitudo partes Christianitatis in plaga Occidentali, ad demoliendas eas repentino et insperato cursu invaserant. Quod videntes tres Reges Katholici, scilicet Rex Kastellæ. Rex Arragoniæ, Rex Majoricæ, sumptis secum suis exercitibus, audacter et strenue infidelium truculentam et inæstimabilem aciem aggredientes certaminis discrimen commiserunt, et cooperante eis divino adjutorio, ut fama celebris attestatur, equitum centum millia cum XXX. millibus, peditum vero L. M. occiderunt, V. Reges peremerunt, X. reginas captivas duxerunt, spolia quasi infinita ceperunt, quibus nimium locupletati sunt. De fidelibus vero IIII. millia corruerunt: sed de gentilibus præter occisos in ore gladii jam numeratos, valde multi conculcati sunt et submersi.

Anno Dominicæ Incarnationis MCCCXLI. in quadragesima, tanta multitudo Tartarorum et aliorum Paganorum famis inedia conpulsa, terram Regis Gragowiæ et Ungariæ ingressa est, quod quantum ad longitudinem, in XX. milliaribus, et quantum ad latitudinem in V. vel IX. ut fertur, terræ spatium occupavit. De iis paginis talis opinio volavit, quod alimonia et victus necessaria in regionibus suis ipsis defecerant, et fames crudelissima illic prævaluerat propter locustarum voracitatem, quarum supra mentionem habui. Nam quæque viridia et terræ nascentia consumpserunt: quidam enim famant, eas ortum habuisse ibidem. De iis etiam gentibus recitabatur, quod cum suis uxoribus et liberis, ac pecoribus de finibus suis ad Christianorum terminos exierunt, et deficientibus victualibus se mutuo devorabant. Per eos ergo terra fidelium in multis locis grassata est, et graviter desolata. Dum ergo Rex Kraggoviæ et Rex Ungariæ inpetum ac feritatem cohibere ac restringere ipsorum minime sperarent, et eorum multitudinem inmensam et ferocem quasi desperati pertimuissent, non putantes a facie ipsorum posse subsistere, legationem miserunt per epistolam supplicissimam Inperatori Ludwico, et pluribus aliis Principibus Katholicis, hæc continentem videlicet, quod intuitu æternæ retributionis et fraternæ Karitatis, ac fidei orthodoxæ quam simul profiterentur, mittere dignarentur eis adjutorium in tempore tribulationis eorum: alias infideles fidelibus prævalere contingeret, ut verisimiliter timerent, et per consequens nomen Christi ab eis blasphemari, in scandalum fidei Christianæ probatissimæ, Procul enim dubio dicturi essent: Ubi est Deus eorum, in quo habant fiduciam? surgat et opituletur eis, et in necessitate hac eos protegat. Cum autem Inperator epistolam hanc perspexisset, subridens ait: cum sint Reges potentes et fortes, seipsos defendant ab infidelium incursu. Et sic nullum eis præstitit auxilium, sed penitus denegavit. Præsertim Regi Ungariæ adjutorium ferre contradixit, dicens: libentius velle se linguam ejus devorasse, quam ei adminiculum quantumcunque parvum præstare: nam usque ad illam diem in omnibus promotionibus suis et negotiis eum sibi adversarium sensisset. De istis Paganis certum quasi nichil vel parum scio enarrare, eo quod fama varia et dissimilis de iis ad mei notitiam pervenit, qualiter inter fideles triunphaverint, vel qualiter vel quantum occubuerint vel succubuerint. Cum igitur assertim de hac materia scribere non valeam, tamen varietates famæ, prout melius potero, declarabo. Audivi autem primo, quod Christiani cum Paganis usque ad VI. diem conflixerint, noctibus exceptis singulis interjectis, quia secundum ipsorum placitum et condictum mutuum tunc quietis et pacis commodo fruebantur: et in VI. die, hora nona fideles triunphaverint, Paganis prostratis ab eis et occisis CXXX. milibus. Secundo percepi, quod a cruciferis et a suis coadjutoribus cæsæ sint Paganorum legiones multæ: nam in eos more indomito et bestiali sævierunt, et divino suffragante eis adjutorio plaga magna usque ad internecionem percusserunt. De ipsis tamen, ut intellexi, cruciferis in illo certamine

mine D. ceciderunt. Terminos Regis Ungariæ ex utraque parte Danubii longe lateque occupaverunt: nam sicut locustæ super faciem terræ illius se diffundentes, perniciose ipsam vastabant. Quorum multitudini grandi Rex Ungariæ resistere non valens, populo suo universo nondum tacto et damnificato præcepit, ut pecora sua fugæ darent, et domos suas concremarent, ut dum hostibus superventuris in modum turbinis valde famelicis alimenti nichil remaneret et commodi, necessitate conpulsi tali tam urgenti terram illico desererent, et ad terras suas vel regiones nativas remearent. Dum itaque terram Ungariæ sine misericordia dissiparent, multi fidelium de diversis locis finitimis zelo fidei animati et accensi, cruce se signantes convenerunt, et cum furore ingenti in paganos irruentes magnam partem ex eis in ore gladii occiderunt, reliquos vero fugarunt, ipsos acriter persequendo: quorum persecutionem et inpetum ferre non valentes, ad propria sunt reversi, secum tamen heu multis deductis Christicolis utriusque sexus, captis ab eis. Duo Suevi oriundi de Pago dicto Hegow, demorantes pro negotiis suis agitandis in Austria apud Duces, in illo disturbio, et audientes gentium tyrannidem et Christianorum necessitatem et angustiam, postpositis cunctis negotiis suis, cum aliis fidelibus viris ad dimicandum contra infideles properabant, et aggredientes unum cuneum eorum constantem quasi ex XV. millibus, et prælium committentes ipsum penitus peremerunt: quam multitudinem modicam reputabant considerantes gentium multitudinem adhuc superstitem. Audivi etiam quarto, quod quoddam genus Gentium terram filii Inperatoris, dominantis in Marchionatu Brandenburgensi valde hostiliter invaserit. Quod audiens Imperator, exercitum juxta insignem civitatem, Sweviæ metropolim Augustam congregare disposuit, ut cum illo in filii auxilium veniret. Cum autem in hoc tardaret, et periculum propter inportunitatem infidelium, et moram Patris jam dicto filio Domino Brandenburgensi graviter incumberet, absque Patris juvamine prælii certamen cum hostibus Ecclesiæ iniit, et triumphum gloriose adeptus est. Causam adventus horum paganorum aliqui aliter assignant, dicentes quod Imperator Tartarorum duos paganos breviter ante ista tempora, Reges satis idoneos Ruthenis præfecerat, quibus successive ab eis per venenum extinctis, procuravit eis Christianum Latinum, si illi parcere vellent, ut videret. Qui dum regni gubernacula per plura annorum curricula strenue gessisset, tandem cum numerum et ritum Latinorum illic multiplicasset, et hoc Ruthenis displicuisset, ipsum intoxicabant per venenum tam forte, quod dissiliit in plures partes. Quod audiens Rex Kragowiæ, cujus consors soror uxoris Regis Ruthenorum jam intoxicati fuerat, illuc cum exercitu properavit, et inmensam pecuniam ab eo relictam rapiens reversus est: propter quod Imperator Tartarorum hæc intelligens, nimio furore agitatus, paganos memoratos ad devastandam regionem Regis Kragowiæ, et alias finitimas regiones principum fidelium emisit. Qui inter cætera facta sua civitatem unam regalem, pertinentem Regi Kragowiæ obsederunt: quod videns Rex sæpe dictus exercitum congregavit, et in eos irruens in obsidione constitutos, occidit ex ipsis VI. millia, et civitatem viriliter defendit, Reges paganos plures et alios majores natu, qui se pecunia redimere poterant, illæsos abire permisit. In illo conflictu Duces Poloniæ fortiter egerunt. De prædictis paganis maxima multitudo repentino incursu et insperato Bruſciam ingreditur, et eam degrassantur: Sed Christiani, quam cito poterant, se congregantes, bellum eis inferunt, et in eo prævalentes ipsos fugarunt, non tamen absque cæde et sanguinis effusione multorum Christicolarum. Hii pagani pueros Christianorum rapientes de manibus matrum suarum devoraverunt, carnes infantium et lactentium dulces præ cæteris asserentes; matres vero ipsorum nimium dolentes de nece eorum, ipsos sibi abstractos more beluarum indomitarum ablatis fœtibus insequebantur, et invenientes eos in manibus paganorum, ipsos certatim inportunis vocibus et actibus repetebant: quos dum rehabere non valebant, in paganos irruerunt, et prælii certamen commiserunt. Istæ mulieres paganæ, quod est mirabile dictu, ut fertur, habebant quosdam uncos ferreos, cuidam instrumento vel ligamini ferreo seu katenulæ alligatos, quos uberibus fœminarum Christicolarum infixerunt, et eas post se taliter traxerunt. Cum itaque ex dictis pateat, quod pauci Christiani multos paganos superaverunt et fugarunt, verificatum est verbum Moysi dicentis in libro Levitici: persequemini inimicos vestros, et corruent coram vobis; persequentur ex vobis quinque centum alienos, et centum ex vobis decem millia, cadent coram vobis inimici vestri gladio.

Item anno Domini M. CCC. XLI. tempore æstivali, Rex Angliæ prælium intermissum inter ipsum et Regem Franciæ renovavit magnanimiter, et resumplit. Nam æquanimiter ferre non valens, quod Rex Franciæ pacta et fœdera pacis inter ipsos, ut supra memoravi, salubriter habita et acta ausu temerario irritavit, directus est in fortitudine contra ipsum, et de populo suo multitudinem grandem nimis interemit.

Item eodem anno, tempore autumnali, Rex Angliæ Regem Scotiæ contra eum rebellantem, ac Regi Franciæ adminiculum præbentem, cum Regina consorte sua cepit, et custodiæ diligenter mancipavit, eosque in rebus et personis plurimum humiliavit; non enim more solito sibi subesse voluit, sed pertinaciter resistere.

Præterea eodem anno Imperator Ludwicus et Rex Franciæ repente tempore quadragesimali confœderati sunt. Insuper Rex præfatus Legatos suos una cum Legatis Imperatoris solemnibus, scilicet Duce Saxoniæ, Comite Hollandiæ, Comite uno Sweviæ de Hohenberg, Jurisperito egregio misit ad summum Pontificem, mandans et committens eis, ut ex parte ipsius sib suggererent, ut Imperatorem prænominatum, virum utique orthodoxum, pium et justum, et sibi penitus reconciliatum ad gremium matris Ecclesiæ karitative reciperet, nec amplius sibi clauderet, sed potius late ac libere aperiret, qui vacui heu omni gratia redierunt. Facta sunt autem hæc in autumno.

Præterea eodem anno circa festum Sancti Michaelis, Longobardia graviter et perniciose contra se divisa est. Nam Dominus dictus Canis de Bern cum civitatibus sibi adhærentibus ex una parte, et Dominus Mediolanensis una cum civitatibus sibi cooperantibus ex alia parte, contra se præliari cogitantes, ex Alemania et aliis regionibus ac nationibus multitudinem grandem stipendiariorum et bellatorum coacervarunt: immo, ut fertur, in tanta copia collegerunt et attraxerunt viros ad dimicandum paratos et expeditos, ut ex parte Domini Canis referantur in unum convenisse terdecies millena virorum equitum et armato-

matorum, exc. peditibus in magno et inæstimabili numero congregatis; et ex parte Domini Mediolani duodecies millena cum peditibus in incredibili numero, ut arena maris quodammodo, convocatis. Cum autem die statuto et opportuno cum canticis, imo ut verius loquar, cum carminibus funebribus ad prælii certamen prædictæ partes congressæ fuissent: ab ortu fere solis usque ad horam vespertinam tam acriter confixerunt, quod ex exercitibus anbobus duo millia corruerunt. Quamvis autem de exercitu Domini Mediolanensis urbis plures ciderint, in fine tamen, ubi laus canitur, campum obtinuit, et cum suis triumphavit. Ibi multæ personæ insignes, magnanimes, potentes, nobiles et robustæ lamentabiliter ceciderunt: erat enim prælium acerbum.

Item eodem anno, tempore æstivali, dum fratres minores in Ratispona more consueto, e regione in choro stantes cultum divinum facerent, et tempestas sevissima ingrueret, fulmen de cœlo veniens vehementissime, fratrem unum antiquum et reverendum prostravit, et ad mortem percussit, multos quoque alios fratres crudeliter terruit ac infirmavit.

Circiter hæc tempora Nüwenberg, in ripa Rheni sita, pignorata, ut supra memoravi, Ducibus Austriæ ab Imperatore Ludwico, eo quod eis obtemperare sperneret, obsidione ab eis vallata est VI. septimanis, et tunc per eorum supplices preces libertas est eis porrecta.

Anno Domini M. CCC. XLII. filius Regis Boemiæ junior ignominiose, Dominis terræ id procurantibus, propter inpotentiam vel saltem ob famam et opinionem inpotentiæ coeundi, a consorte sua, filia Ducis Karinthiæ, pulcra nimis, repulsus est: quam filius senior Ludwici Inperatoris, habens prius in uxorem filiam Regis Daciæ, sed tunc noviter defunctam, ductus persuasione Patris sui, traduxit solemniter, carpens cum ea dominatum gloriosum, priori marito fugato, uxore cum rebus spoliato, matrimonii divortio inter eum et eam minime celebrato. Nam XVI. annis in comitatu Tirol sibi cohabitans, in tantum ea, secundum famæ testimonium, abusus fuisse dicitur, quod Kapitella uberum suorum dentibus suis truncaverit. Fertur, quod multi Domini terrarum de Alimania et Longobardia ipsum filium Imperatoris, celebrantem nuptias cum memorata Domina tempore Februarii, copiosis exeniis et pretiosis muneribus honoraverint. In quibus nuptiis Episcopus de Vrisingen præsens ob reverentiam filii Inperatoris et patris existens, mortem subitaneam ac insperatam et inprovisam incurrit, de alto in imum cadendo. Plures dyocesani vicini terræ Dominæ istius, divortium inter eam et priorem maritum celebrare dissimulabant, quamvis preces ad id faciendum Inperatoris obnixas recepissent: humiliter enim se excusabant, et a facie ejus callide declinabant, execrabile et prophanum id facere censentes; nam tota terra illud matrimonium multifariam multisque modis diris vocibus inculpavit.

In illo tempore Rex Boemus, pater filii memorati, visu orbatus est. Hic ante aliquot annos laudabilem famam in Ecclesia acquisivit; nam strenue fortiterque egerat tam inter Katholicos quam inter paganos: Sed tandem deturpavit contra Ludwicum Inperatorem et alios Principes Ecclesiæ, tam in Longobardia quam in Germania fraudulenter agendo. Hic etiam quamvis cœcus factus fuerit, tamen per suos serviciales ac consanguineos, et cæteros amicos, per filium suum quoque majorem, Dominum terræ dictæ Merhern, in ultionem injuriæ illatæ ab Inperatore filio suo juniori, Domino Comitatus dicti Tyrol, supra memoratæ, Marchionatum Brandenburgensem incendiis, spoliis, oppidorum obsessione et eorum captione graviter depopulatur. Contra quos filius senior Inperatoris, raptor sponsæ filii Regis Boemiæ, una cum Patris auxilio exercitus dirigens, pro defensione terræ suæ bellum eis intulit, et sic plena periculis prælia inter eos commissa sunt et attempta.

Item circiter ista tempora Pagani in parte ceperunt civitatem Katholicam nomine Trapazon, quos Inperator Græcorum, bonus Christicola, concito gressu superveniens, viriliter fugavit, et habitatoribus civitatis pacem reddidit, qui ipsam in statum pristinum totis viribus reformarunt. Sed quidam famant contrarium, quod non sit rehabita a Cristicolis, sed adhuc a paganis detenta.

Anno dominicæ incarnationis M. CCC. XLII. apud oppidum Horenberg vocitatum XIII. Judæi deprehensi in sacrilegiis et aliis furtis gravibus conbusti sunt, conplices quoque sui aliqui ab eis proditi, vel alias notati, Schafusæ, et in Friburgo inferiori, et in Phillingen morte condigna multati sunt.

Anno Dominicæ Incarnat. M. CCC. XLII. Danubius fluvius, nivibus resolutis, circa festum purificationis Beatæ Mariæ, in tantum excrevit, quod in longitudine duorum milliarium et in latitudine unius milliaris, per sui Alvei effluentiam nimiam in quibusdam partibus res cunctas et fructus universos destruxit, ut fertur, et quod de hominibus VI. millia absorbuit. Tanta etiam inundantia eodem tempore maris circa Venetias facta fuit, quod totam civitatem absorbere quodammodo visum fuit: nam eam longe lateque occupans, et in singulis domibus alte ascendens, in radicibus et speciebus aromaticis, et aliis rebus damna inæstimabilia civibus intulit.

Eodem anno in cœnobio Sweviæ, nomine Kilchberg, plures quam XXX. moniales mortem subitaneam quasi incurrerunt propter esum pulmenti, in quo ignoranter vermis venenosus decoctus erat, nam ollam negligenter depositam præterita die casualiter intravit, et crastina die in ea latitans, coco minime advertente, pulmentum decoctum in ea totum infecit, et edentibus id mortem inprovisam ministravit.

Eodem anno in villa quadam apud Thuregum, fertur quendam equum tantum de lolio comedisse, quod tam longum et forte somnium incidit, quod a Domino suo putatus mortuus extra villam vectus fuit, et excoriatus: qui tandem post somnii consummationem evigilans domum rediit, et domino et aliis hominibus eum cernentibus stuporem incussit.

Eodem anno in principio Maji mensis, duo viri in Swevia apud oppidum Lütkilch, dantes agriculturæ operam, cum jumentis a fulmine extincti sunt.

Anno eodem Rex Daciæ, habens in auxilio unum Dominum de Locha Swevum, cum CCC. galeatis, et confligens cum Rege Sweciæ, prostravit de potioribus regni illius CCC. cum L. exceptis vulgaribus valde multis: propter quam cædem Dominus de Locha cum suis commilitonibus ultra manere non audens, cum multa pecunia adepta per Regem Daciæ reversus est locupletatus.

Anno

Anno Domini M. CCC. XLII. tempore æstivali, ortum est prælium satis atrox inter Thuricenses et Schafusenses, quod mutuo se damnificabant rebus et corporibus per multas septimanas: tandem sopitum ac sedatum mediantibus quibusdam pactis per interpositionem civitatum Imperialium fuit.

Anno eodem in oppido Wintertur dissensio civium prævalida orta est tanta, quod communitas de potioribus plures cum furore et inpetu expulit, ita quod per menses aliquot eliminati de oppido in diversis locis se receperunt, exspectantes cum tædio regressum; malitia autem ipsorum perpetrata ab eis multimoda hoc exegit, ut fertur.

Item eodem anno seditio periculosa inter cives Constantienses ebullivit: nam universitas sentiens Consulum et Rectorum civitatis excessus graves et inportabiles, insurrexerunt ferociter contra eos, deponentes eos a suis officiis, et ab omni dignitatis apice, de civitate aliter et consultius ordinantes.

Anno Domini M. CCC. XLII. circiter festum beati Marci obiit Papa Benedictus XII. qui dum infirmari cœpisset, venit quidam, ut fertur, conversus ordinis sui ad eum dicens: Pater sancte, nisi vitam tuam emendes, in brevi morieris. Qui respondens ait: Unde nosti? Propheta es tu? Fecit ergo eum in custodia detineri, usque dum rei veritas videretur: qua visa juxta viri Dei vaticinium de captivitate ereptus est. Nam Papa brevi infirmitate correptus, viam universæ carnis intravit.

Anno eodem, defuncto Benedicto Papa XII. statim creatus fuit Clemens VI. ante Archiepiscopus Rothomogensis, ordinis Sancti Benedicti, qui illico post suam creationem in parte thesaurum Ecclesiæ dispersit Cardinalibus, et diversi generis pauperibus, nam liberalem eum virum et peritissimum in multis facultatibus fama testatur. Ad quem post suam creationem inmediate de diversis nationibus Christianitatis pro inpetrandis beneficiis confluxerant XX. M. scolarium, quorum II. M. obierunt morte debita, sed CC. in Rodano fluvio submersi sunt, ut opinio famosa astruit.

Præterea eodem anno in æstate, in partibus Alemaniæ tanta fuit facta inundantia imbrium, et excrescentia aquarum, quod multi pontes firmissimi, quorum unus in Frankenfurt fuit, discerpti et dissipati sunt; multæ quoque civitates et eorum cœnobia, sicut patuit in Eslingen, propter aquarum inpetum et effluentiam inportunam in magna parte dirupta sunt cum maxima hominum displicentia, desolatione et tremore. Particulare enim diluvium videbatur hominibus in illa regione habitantibus imminere: nam Longobardiam hæc alluvio, sicut asseritur, non tangebat.

Anno Domini M. CCC. XLIII. ante purificationem beatæ virginis, Legati Inperatoris famosi, probati et incliti iterum redierunt vacui omni gratia, apud Papam Clementem VI. nichil proficientes, et nil reportantes boni de conpositione, concupiscenti animo ab Ecclesia sperata: nam, ut fertur, Papam non modicum inclinatum, et Regem Franciæ ad reformandam Ecclesiæ unitatem, Rex Boemiæ, propter contemptum Filio suo juniori irrogatum ab Inperatore, ut supra memoravi, revocavit et avertit.

Item eodem anno cives Ravenspurgenses infra triduum castrum unum dictum Walse ceperunt, et cives suos captos ibi et detentos a Domino de Elribach, et ob petitionem eorum humilem restitutioni pristinæ reddi suæ denegatos, de captivitate magnanimiter eruerunt, quinque castri custodibus captis illic repertis et secum abductis, quorum capita anputassent, si Dux Sweviæ, mediocris filius Inperatoris, tunc domicilium illic habens, pro ipsis tam seriose non intercessisset.

Item Anno Domini M. CCC. XLII. dum creatus fuit Papa Clemens VI. in brevi postea creavit unum Cardinalem de ordine fratrum minorum. Insuper Generali eorum solemnem contulit patriarchatum.

Iis in temporibus obiit Michael in Monaco, ante præfatus Generalis fratrum minorum, cujus supra mentionem feceram copiose.

His etiam temporibus Ludwicus Inperator, ut fama communis me edocuit, gloriabatur in tribus Principatibus gradatim et successive se genuisse tria genera liberorum Principum, et quod hoc rarum fuerit apud suos Prædecessores, videlicet primum et humillimum in Principatu Ducatus Bawariæ, secundum in Principatu regni Alemaniæ, tertium et supremum in Principatu Imperii Romanorum. Præsertim autem gloriabatur, se genuisse unum filium, dum interim ibidem demoraretur in Romana civitate. De quo eisdem temporibus Inperatore querimonia gravis et intolerabilis per totam terram suam volavit, quod inconstans esset in omnibus viis suis, maxime in suis promissis et litteris. Magnam peritiam habuit navim gubernandi et vehicula, quorum mirum usum habuit in venationibus, quibus frequenter deditus fuit.

In illo quoque tempore Commendator Prælatus Hospitalariorum in Uberlingen, vir nimis arrogans et præsumptuosus, occisus a quodam rustico fuit, qui multis post mortem suam hominibus in crudeli effigie, in diversis locis apparens, ipsis vel cæcitatem, vel insaniam, vel mortem subitaneam intulit, vel ad minus stuporem, et stuporis aliqua vestigia.

Item in iis temporibus Dominus Ulricus et Dominus Rodolfus Comites de Mundfort ex una parte, et filii Domini de Ems ex alia contra se mutuo gwerram satis hostilem commoverunt, quæ cum majori et graviori jactura Dominorum de Emps consummata est: quamvis enim utrinque adversæ parti damna intulerint, tamen illi de Emps in rebus et corporibus graviora pertulerunt.

Item anno Domini M. CCC. XLI. ut fertur, rabies persecutionis sæva in regno Persarum contra fideles suscitata, plures fratres minores et alios Christicolas absumpsit. Nam Rex conpulsus a Magnatibus suis, præcepit cuncta genera hominum aliarum sectarum in regno suo, quam Persarum, habitantia, ad sectam suam sub comminatione pœnæ diræ mortis converti. Quo præcepto publicato, alterius professionis pagani, et Judæi, et Christiani illic degentes fugam citissimam arripuerunt, ut salvarent animas suas, ad alias se transferentes regiones. Sed quidam fideles fortes in fide Katholica remanserunt, qui variis suppliciis interempti sunt: quidam namque Episcopus capite truncatus fuit, multi lapidati sunt, quidam secti sunt, XVI. quoque fratres minores in cœnobio suo agressi decollati sunt, quos tamen Rex prius amicabiliter et karitative anmonuit, tenerrime eos diligens, ut saltem pro tunc fidem suam se abnegare velle simularent, et postea quidquid vellent facerent, qui nolentes sibi assentire Christi martyres

effecti sunt, qui dicuntur miraculis pluribus coruscare.

Hiis temporibus, ut relatione fide digna percepi, Inperator Tartarorum, Canis magnus vocitatus, et Soldanus conjuraverunt contra totum orbem.

His quoque temporibus Soldanus, cujus mentionem supra habui, Katholicos amans, diu regnans defunctus est, et filius suus cum multis tamen præliis et gwerris, quia Magnates et Satrapæ regni Patrem suum oderant, solium Patris ascendit.

Istis quoque temporibus atrocia bella inter Regem Æthiopiæ et Regem Egypti movebantur, ita quod alterutrum se in rebus et corporibus damnificabant. Fertur autem inter cetera, quod Rex Egypti Regi Æthiopiæ rapuerit et abstraxerit CCC. adolescentulas, et eas captivas duxerit in civitatem Alexandrinam, quæ licet nigerrimæ extiterint, tamen quia in cunctis lineamentis corporis elegantissime dispositæ fuerunt, et alias optime complexionatæ, a Dominis terrarum mirum in modum amatæ sunt; nam amore earum nimis illaqueati, ad eas certatim et katervatim de locis cunctis finitimis confluxerunt.

De Rege Æthiopiæ memorato narratur, quod adoraverat solem et lunam inter aliam militiam cœli, affirmans eos Deos veros totius orbis. Fertur quoque, quod libenter ad hoc nisum præbuisset, quod totum mundum ad secum sentiendum induceret, et ad tenendam suam credulitatem in hoc artaret.

Item anno Domini M. CCC. XLIII. in dominica qua cantatur Lætare, fulmen tam scindens quam urens de cœlo cum tonitruis et coruscationibus repente veniens, in Pago nominato Hegow, in diversis tamen locis, duos homines suffocavit, tres per stuporem, quem eis inmisit, officio linguæ privavit, muros dissipavit, et alia diversa damna intulit indigenis: nam terrores et tremores, offendicula et læsiones insperatas et insolitas illo in tempore eis irrogavit, prædictis tamen hominibus loquelam non tantum ademit, immo etiam usum rationis, non tamen diu, sed tantum ad tempus modicum, scilicet paucarum horarum, a sero usque ad diluculum. Fertur quoque præter prædicta, quod in Cimberholz eadem die duo viri a fulmine extincti fuerint. Est autem Cimberholz villula sita in vicino apud oppidum Engen. Taliter fuit læsus et plagatus Pagus prænominatus.

Anno vero priori, id est Anno Domini MCCCXLII. citra festum sancti Martini apud civitatem Paduanam et aliis partibus Longobardiæ, propter pluviarum excessum, tanta aquarum inundantia excrevit, quod per multos dies viatoribus viæ obsitæ et obstructæ factæ fuerunt, et ob hoc mercatores peregrini plures illic contra voluntatem suam cum grandibus sumptibus suis detenti fuerunt, non valentes cum mercibus suis ad terras nativas repedare. Tonitrua etiam et coruscationes terribiles raro vel nunquam illo tempore visa, homines nimis terrebant. Hæc alluvies Longobardiæ sequebatur alluvium æstivale Alemaniæ præfatum.

In hoc fere tempore successive defuncti sunt Principes subsecuti, scilicet Soldanus Babiloniæ, Rex pius Græcorum, Rex strenuus Ungariæ, et Rex litteratissimus Appuliæ Robertus, ut fertur: quorum omnium commemorationem fidelem habui in superioribus dictis meis.

Anno Domini M. CCC. XLIII. tempore vernali Longobardia a multis annis retroactis contra se divisa, concordiæ per IIII. annorum curricula, mediante procuratione civitatum contra se dudum ante rebellantium illic reddita est. Quæ concordia tam firmiter et efficaciter conposita et confecta est, quod stipendiarii universi de Germaniæ partibus et aliis nationibus, qui ibidem militaverant, ad patrias suas reversi sunt. Quorum fere XL. apud oppidum Rineg, a Comite Rodolfo de Muntfort, irruente illic super eos, cum suis conplicibus, spoliati sunt. Ante concordiam memoratam plura millia, ut fertur, virorum pugnatorum fortium, qui pro majori parte de Alemania inferiori oriundi referuntur extitisse, se congregaverunt in ausu temerario magno contra omnem hominem, per quorum feritatem irrefrænatam terra Longobardiæ data fuit in direptionem. Nam homines et oppida deprædabantur, et terram multimode grassabantur, et quod majus est, si remedium salubris concordiæ subsecutum non fuisset, terram prænominatam quasi in solitudinem redegissent.

Item eodem anno Rex Franciæ et Rex Angliæ per Papam Clementem VI. reconciliati sunt, et ad pacis tranquillitatem deducti sunt ad triennium.

De triumpho fidelium a Paganis habito citra festum Beati Martini in partibus Hyspaniæ supra memorato, quod minus dixi, nunc aliquantulum complere gestiens, ajo. Quod Rex Kastellæ die, qua bellum committere una cum Rege Arragoniæ, Rege Majoricæ, et Rege, ut famatur, Portugalliæ, contra infideles multiplicatos nimis adinstar locustarum, et arenæ maris, et stellarum cœli, in terra Christicolarum, decrevit, in civitate sua quadam, quam exiturus erat ad prælium, Missam de passione Domini devote decantari præcepit, et universum populum eidem interesse. Qua celebrata dum exiret civitatem, et cum prælibatis Regibus ad prælii certamen procederet, vidit, quia vir bonus et sanctus, tres milites insignes in aere ipsum præire, cruce quemlibet aurea renidentem, sed unum specialiter rota fulgida, alterum testulis et conchulis splendidis insignitum, in auxilium suum advenientes: per quorum apparitionem tanquam per oraculum divinum, inimicos Christi et suos in manus suas et cæterorum Regum fore tradendos, intelligens, perfusus gaudio medullitus indicibili, alacri vultu aliis visionem sibi divinitus ostensam propalavit, et consequenter de victoria eos certificavit. Qui confidenter et intrepide ob hoc in hostium cuneos innumerabiles impegerunt, et ipsos, quemadmodum supra dictum est, prostraverunt. Tamen quidam adjiciunt supra scriptis, quod ex iis duo Katolici Reges in bello ceciderint, captis et occisis XXIIII. Regibus infidelibus a Christicolis. Fertur quoque quod Pagani in tanta numerositate venerunt, quod X. viros ex eis uni Christiano opponere quibant. Hanc victoriam Papa Benedictus XII. intelligens, toto clero omnique populo in Avione constituto indixit, processionem devote in hymnis et canticis peragendam, in qua Deo laudum præconia debita et gratiarum actiones uberes persolverentur.

Anno Domini M. CCC. XLIII. clerus Constantiæ nolens celebrare, secundario expellitur, ut difformitas tolleretur, et uniformitas custodiretur. Hoc etiam tempore multa monasteria prædicatorum in partibus Alemaniæ ipsis penitus vacabant propter rabiem persecutionis sævientem in clero. Nam ipsi et alii nolentes interdictum servare vel de monasteriis suis eliminabantur, vel voluntarie exibant, hinc inde va-

gantes: non enim opinabantur quod tanto tempore extra conventus suos fierent, vel quod illa tribulatio tanto tempore perduraret. Nam ante annum immediate Dominicæ Incarnationis nominatum IIII. annis inchoavit præceptum Inperatoris de divinis resumendis: cum ergo incolatus eorum contra spem suam nimis protelatus fuisset, pœnitentia ducti, Constantiam et ad aliarum civitatum conventus suos libenter remeassent, si indultum eis fuisset. Conventus Eslingensis Prædicatorum vacavit, ipsis expulsis, quodam Episcopo ab Inperatore pro eis in eo locato. Vacavit quoque conventus Rotwilensis, conventualibus in Philingen et alibi hinc inde dispersis. Conventus etiam ipsorum Thuricensis ab ipsis voluntarie penitus derelictus est, quod nemo ipsum inhabitavit, nisi vinitor quidam cum uxore sua custodiens ipsum. Ipsi autem secundarie a tempore ultimi Friderici Imperatoris se receperunt, in monte sancto extra muros oppidi Wintertur, adhuc illis diebus servantis interdictum. In quo dum tandem clerus coactus resumpsisset divina, et ipsi cum magno hominum scandalo resumpserunt; nam paulo ante cum Clerus ibidem inciperetur conpelli et artari ad divina rehabenda dixerunt, quod potius vellent excoriari, et in partes scindi, quam celebrare. Propter quod cum essent a civibus illis a loco suo exterminati, plures ex eis in oppidum Keiserstul se contulerunt: ubi dum hospitiorum commoda et victus necessaria bene habere non possent, Wintertur redierunt, divinum cultum una cum clero illo inperterrite resumentes; qui dum postea in Keiserstul et aliis locis, ubi licite habebantur, divina celebrare et prædicare vellent, in ambobus prohibiti sunt. Fratres vero minores sive consultius sive stultius fecerint, non reliquerunt taliter conventus suos desertos absque habitatore; nam aliqui in eis remanserunt divinum cultum resumentes, aliis recedentibus ad alios conventus, ubi sana conscientia celebrare vel tacere poterant. Tamen quidam ad alios conventus se contulerant, ubi tandem æque bene vel male cantare cœperunt. Propter dispersionem tamen fratrum memoratam in conventibus pluribus multitudo fratrum diminuta est, et numerositas minorata. Propter vagationem autem prædicatorum, mala ipsis et hominibus plurima evenerunt, et scandala, quæ pertranseo; sed fratres minores contemptus non paucos propter cantum in terminis pertulerunt.

His temporibus mediocris filius Regis et Imperatoris Ludwici, Dux Sweviæ constitutus, cum paucis tamen redditibus residentiam seu domicilium habuit in Ravenspurg, habens consortem filiam Regis Ciciliæ.

In istis etiam diebus, dum cives Ravenspurgenses divinum cultum cujusdam plebani eis noviter collati ab Abbate de Vineis ob petitionem Ducis Sweviæ ibidem residentis, contemnerent, a Dominica, qua cantatur: Judica me Deus: absque Sacramentorum et Sacramentalium perceptione, ad plures hebdomadas more pecudum decesserunt.

Item in eisdem diebus, quidam vocatus de Honburg, falsarius argenti notabilis deprehensus Schafusæ, decoctus et frixus est, qui multos sui criminis participes in morte sua, tam seculares quam religiosos prodidit.

An. Dominicæ Incarnationis M. CCC. XLIII. in quadragesima, scelus parricidii horribilissimum in territorio Eistatensi commissum est. Nam quidam paterfamilias, rebus abundans, plures habens filios, dum a Dominis suis excoriatus et talliatus fuisset in tantum, quod nihil sibi quasi de rerum suarum substantia remansisset, et ad paupertatem nimiam extremamque devenisset, filium suum majorem accessit supplicans sibi, quod victus necessaria ei tribueret, quia valde egeret, vel saltem sibi bovem unam conferret, per quam inopiam suam aliqualiter relevaret. Qui dum repulsam et utriusque negationem apud filium reperisset, filio dixit: Ex quo famis necessitate coactus, conpellor hominibus res suas furari, tibi potius furari debeo, qui per me post Deum res et corpus habes. Recessit ergo his dictis pater, et licet conminationem mortis a filio recepisset, si quidquam rerum suarum sibi subtraheret vel surriperet, tamen tremens vaccam unam in quodam loco sibi cognito filio abduxit. Quod audiens filius, secutus est vestigia cum tanta celeritate patris, quod ipsum præcucurrit, et deprehendens eum in furto ad judicium proximum eum traxit, et judici præsentavit. Quod audiens junior filius dixit fratri: Absit a te, quod patrem nostrum tradas in mortem: nam si faceres, Deum inhonorares, et totam nostram progeniem deturpares. Qui videns per hæc verba fratrem minime placatum, sed magis in suo malo proposito obstinatum, dorsum ei vertit, et ad colligendos amicos suos, qui fratris animum revocarent ab incepto facinore, secessit. Medio tempore filius memoratus judici instabat, ut sibi de furto faceret justitiæ complementum. Cui dum judex una cum assessoribus et advocatis cunctis fideliter persuaderet, ne contra patrem criminaliter in judicio ageret, quia nefas grande in Ecclesia Dei esset, nichil profecit. Sedit ergo judex pro tribunali licet invitus, et mediante sententia judicum patrem morti suspensionis addixit. Qui dum ad supplicium trahi deberet, per apparitorem seu carnificem studentem ad patris evasionem in populo silentium indicitur; quod cum factum fuisset, alta voce dixit: Quid vobis videtur? mihi videtur consonum rationi, ut de hic stantium numero malefactor pessimus hunc reum et condemnatum suspendat. Cui cum omnes acclamassent, quod ordo juris et rationis dictamen hoc exigeret; respondit: ille est, qui patris suspensionem, Diaboli filius, procuravit: qui per hoc minime territus vel aversus, patrem propriis manibus suspendit. Quod interim junior filius, cum amicis ab eo vocatis rediens, dum plane ita factum cerneret, in fratrem auctorem sceleris illico coram cunctis irruit, et ipsum gladio suo transverberavit, et vitam ademit, cadaver suum ibi relinquens inhumatum, ut canibus et aliis bestiis esca fieret: sed ipsæ eum propter malitiam suam abhorrentes tanquam venenum carnes suas non tangebant.

Anno Domini M. CCC. XLIII. fames horribilis provinciam Alemaniæ in tantum occupavit, quod heu multi honesti homines propter panis carentiam, et defectum inconsuetum omnis alimoniæ nimis famelici facti sunt, ita quod ob famem miserabilem sudorem gravem per totum corpus cum quodam tremore ac rigore emittentes ante, ad repellendam famis molestiam sopori se dederunt, imo quidam in facie crinosi quodammodo apparebant: multi quoque villani, quod oculis meis conspexi, solis herbis ex segetibus eradicatis, coctis, et modico butyro conditis, absque pane et aliis rebus esibilibus vitam suam miserrime cum nudis suis corporibus, et liberorum vitam

tam suam actitabant, et quod gravius est, pluribus nec iste cibus sufficiebat secundum necessitatis exigentiam, propter butiri vel olei inopiam. Hæc fames crudelis et inmanis propter prioris anni imbrium immensitatem, quam supra tetigi, causabatur.

Item eodem anno tempore Maji, Comes Hollandiæ sororius Inperatoris venit cum exercitu suo in Bawariam, in civitatem Monacam ad Inperatorem, ad excusandum et ad expurgandum se apud eum de fraude, quam sibi fecisse fama contestabatur: Sermo enim satis communis per universam terram Germaniæ exiit, quod esset ab Electoribus principibus in Regem Alemaniæ contra eum suscitatus. Ut ergo hoc a se removeret, et se innocentem et immunem ostenderet ab hoc, nisi voluntas Ludwici Inperatoris ad hoc faciendum sibi assisteret bona, hanc ob rem ipsum festinus accessit.

Insuper eodem anno, in quodam loco Alemaniæ, dum quidam nimia famis molestia attenuatus et pene consumptus fuisset, suum vicinum adiit instantissime petens ab eo, ut sibi duos solidos accommodare dignaretur: qui statim eum repulit, et denarios postulatos ei concedere negavit. Sed ille nimia inedia conpulsus, pallium vicini furtim abstulit, et ipsum publice in foro venditioni exposuit: quod ille videns et deprehendens, eum redarguit furti, immo in faciem ipsi furtum vocibus ferocissimis objiciens, mantellum sibi ablatum repetivit probrose; cui ille respondens ait: tu mihi in extremis necessitatibus famis constituto duos solidos denariorum accommodare sprevisti, idcirco non malitia vel temeritate motus, sed necessitate famis urgentissima tibi pallium surripui, ut eo vendito panem emerem, quo mei et familiæ meæ mortem imminentem excluderem, et vitam conservarem, ne tam miserabiliter fame periremus. Quo ille audito conpunctus et stupefactus, sibi quinque mox solidos contulit, ut suæ necessitati provideret: quibus habitis victus necessaria per eos conparavit, quo facto ipse una cum familia sua cibum tam avide et tam copiose sumpsit more famelici, non valens appetitum edendi restinguere, quod natura consumere ac digerere minime poterat ipsum; unde illico in mortem, quam evadere ac effugere per esum satagebant desideranter, minus providi et circumspecti inciderunt: nam natura per famem nimium fatigata et exinanita diutinam, magis de cibo seu alimonia appetebat quam digerere valeret, quod ipsi minus præcavere vel præscidere scientes, mortis inopinatæ et insperatæ jus seu debitum persolverunt.

Præterea eodem anno fertur, circiter ascensionem Domini grandinem perniciosissimam ad spatium multorum milliarium circa Augustam civitatem insignem metropolim Sweviæ, seu provinciæ Retiæ, fructus terræ uberrime productos percussisse, ita quod incolæ regionis illius tempore pestiferæ ac mortiferæ famis cladem damnosissimam pertulerunt; nam fruges sive annonam exuberantem illius anni non solum amiserunt, verum etiam rursus arva proscindentes, pro speltis et siligine a grandine devastatis hordeum seminabant.

His temporibus, quemadmodum fide digna me informavit relatio, Cruciferi dominantes longe lateque in provincia Pruscena, Regni Regis Litaoniæ magnam partem potenter per bella, quæ sibi intulerant, auferentes, in suum dominium redegerunt, quam ut rehaberet, ipsis fidem katholicam recipere firmiter pollicebatur. Quod dum facere recusarent, Rex Litaoniæ ajebat: in hoc luculenter comprehendo, quod non meam fidem, ut simulant, sed pecuniam appetunt, et ideo in paganismo perseverabo. De his cruciferis verbum lamentabile, et si ita est, fidei orthodoxæ penitus inimicum, quod absit, enarratur, quod omnes paganos, quos per bella sibi tributarios efficiunt, malunt in suo paganismo remanere sub eorum tributo, quam a tributo eorum exemptos, ut devote flagitabant, vel adhuc hodierna die flagitant fieri Katholicæ fidei professores: quem articulum per multos annos Archiepiscopus Rigonensis de ordine Fratrum minorum existens, litigans cum eis pro quadam terra, apud Summos Pontifices contra ipsos excepit. Famatur etiam, ipsos non solum terras Principum infidelium invadere, sed etiam fidelium, sicut Regis Kragowiæ, cui violenter abstulisse, fertur, duas terras. Qui licet sit Rex fortis et potens, tamen se nequit defendere ab eis, nec terras ademptas de manibus eorum eripere usque in hodiernum diem. Similiter nec Rex paganus Lytaoniæ, novem habens filios, ut sermo militantis Regi Kragowiæ me edocuit.

Item eodem anno tempore paschali, propter immensitatem et continuitatem inbrium, flores arborum tunc jocundanter florentium, impedientium graviter, multæ in diversis civitatibus, villis et oppidis processiones, obsecrationes, orationes, eleemosynæ fiebant Deo in laudem et gloriam et honorem, ut pluviarum inundantiam coercendo serenitatem auræ tribueret, quatenus fructus terræ, quos humano generi misericorditer et abundanter produxerat, conservaret. Eadem agebantur. simili modo propter eandem causam, in mense Junio, quando florere cœperunt vites et frumenta, quæ replicata et renovata cultu seriosiori ac seduliori fuerunt, in Kalendis Augusti, ob causam sæpe dictam, Nam tunc per octo dierum spatium tantus fuit nimborum excessus, quod, exceptis aliis nocumentis et periculis de ista materia enarrandis, lacus Botanicus tantum excrevit, quod extra oppidum Lindaugense vineas, agros et prata, et fossata, intra vero domos, et plateas, et vicos occupavit. Ambitus quoque fratrum minorum illic residentium, et viridarium, et officinas subintrans fœdavit. Quid plura? Habitatoribus Lindaviæ intulit timorem pariter et tremorem. Nichilominus lacus, quod ex oblivione fere transilivi, fratrum præfatorum ecclesiam subintrans, et a pavimento erumpens, hominibus horridum et squalidum locum et habitaculum orationis dedit, unde nauseam inde orandi ibidem concipientes, ad exteriora, scilicet ad porticum, et ad superiora, videlicet super podium Ecclesiæ, quod in vulgari superior Ecclesia dici consuevit, se contulerunt, ubi per missarum solemnia, quamdiu protendebantur, orationibus, obsecrationibus devotioni et laudum præconiis vacantes persistebant: nam aqua in basilica latenter ebulliens fœtorem merito pertimescendum generavit, quem ne spirando haurirent, et præcordia inficerent, ab eo se, quemadmodum dictum est, elongaverunt.

Circiter ista tempora in villa scilicet Correnbürren apud Bregantiam, cuidam ibidem agricolæ, quadam nocte redeunti de vino ad domum suam occurrit longus vir et terribilis, cui volenti sibi nocere resistebat, gladium suum stringens mox sæpe contra eum sæviendo, pluries verberando, et vulnerando. Quem eventum cras in cimiterio rusticis, et gladium patefaciens,

ciens, et exertum putatum dentatum ostendens, nullius materiæ nec ferreæ nec ligneæ apparentem invenit, sed aspersus aqua benedicta, colore pristino visus est.

Hiis temporibus tam gravis gwerra inter Ducem Lothoringiæ ac Comitem de Bar exorta refertur, quod ex utriusque parte plurima spolia, et incendia ac homicidia subsecuta sunt, et ideo multi homines miserabiliter perierunt. In hac gwerra annona uberrime producta, hostiliter et absque misericordia, præcipue tamen in terra Comitis vastata est. Fertur, quod in hac dissensione Dux Comitis CCC. villas, sed Comes Ducis CC. concremaverit, quod est lamentabile dictu, præsertim cum affines esse ferantur, tandem ad concordiam et ad pristinam amicitiam, Domino procurante reducti sunt.

Istis quoque temporibus, scilicet anno Domini M. CCC. XLIII. in festo paschatis apud Wormatiam, in cujusdam nemoris spelunca quidam solitarius miræ sanctitatis, ut exitus vitæ suæ præclarus evidentissime demonstravit, a Judæis occiditur, immo, ut fama testatur, dilaniatur, discerpitur, eviscetatur, et membratim dissolvitur. Quem homines illius regionis taliter necatum invenientes, cum magna conpassione ac planctu terræ commendarunt. Cujus passionem audiens Dux de Heidelberg vocitatus, filius fratris Ludwici Inperatoris, lupum in suo corpore multis crudeliter annis ante sustinens, instanter eum precari cœpit, in eo tanquam in viso sancto confidens, ut infirmitatem suam diutinam ei auferret, et sanitatem tribueret: qui illico exauditus incolumitatem integerrimam resumpsit, quam in se sentiens plenissime sancti viri meritis operatam, quodammodo ineffabili zelo divino succensus, ditionis suæ cunctos Judæos igni combussit. Hic solitarius post mortem varia et insignia sanitatum genera se devotantibus conferens, multitudinem maximam hominum de regionibus finitimis et circumpositis ad se traxit. Videns autem Dux memoratus, prænominatum solitarium nomine Ludwicum tam stupendis coruscare miraculis, ab Imperatore, quem super hoc adiit, libenter licentiam extorsisset, ut famatur, torquendi totius regni Germaniæ Judæos.

Item anno Domini M. CCC. XLIII. tanta Karistia in inferiori Bawaria prævaluerat, quod incolæ terræ illius cortices arborum abraserunt, quas contritas et pulverisatas cum fœno etiam contrito et multo miscebant, et massam adinstar panis confecerunt et edebant, vel ista in mola comminuta plantagini decoctæ in aqua, et sale conspersæ admiscebant, et hæc manducantes famis sævissimæ dominantis injuriam repellebant.

Præterea eodem anno circa festum Sancti Jacobi propter inundationes aquarum exortas et causatas, propter imbrium supra proxime memoratorum excessum, a Schafusa usque ad civitatem Argentinensem omnes pontes Rheni fluvii propter ipsius insuetam magnitudinem et inpetum furiosum dirupti et abstracti sunt, cum hominum non parva desolatione. In Thurego fluvius Lindimatus supra modum etiam tunc temporis excrescens, magna pericula et nocumenta, et angustias hominibus intulit. Plura et diversa damna, et discrimina, quæ in diversis locis contigerant propter alluviem jam tactam, essent enarranda, quæ quia nimia indigerent prosecutione, hinc ab eis abstineam.

Item eodem anno in Kalendis Septembris, circiter festum Sancti Bartholomei, propter pluviarum continuitatem et immoderantiam, Lacus Botannicus et fluvii circumquaque tantum excreverunt, limites et terminos suos debitos et consuetos excedendo, quod nocumenta, pericula et discrimina, immediate jam et paulo ante in superioribus enarrata, cum hominum desolatione renovata sunt permaxima, quæ Longobardiæ et Tusciæ partes non tangebant.

Præterea eodem anno, fratres minores in festo Pentecostes generale Capitulum in Marsilia celebrantes, ex relatis et scriptis veridicis perceperunt, quod XII. fratres ordinis eorum, videlicet Sancti Francisci, habitantes apud sepulcrum Christi, quotidie in monasterio exstructo super eo, ex indultu Soldani, celebrent Missas suas, insuper quod potestatem ac licentiam acceperunt ab eo, hominibus illic et ubique in terra constitutis libere ac publice prædicandi.

Hiis in temporibus, tempore autumnali cives de Waltshut una cum silvanis et civibus de balneis, suburbia castelli Klingnow vocitati, ob injuriam quandam eis a Dyocesano possessore castelli illatam, in cinerem et favillam penitus redegerunt. Postea vero in hyeme subsequente dyocesanus idem castellum ob rebellionem suam per serviciales suos, et viros ceterorum oppidorum episcopatui pertinentium, in diluculo latenter cepit: nam importune portam, cum elucescente die aperiretur, introibant, et in domos certatim irruentes ipsas deprædabantur. Insuper Præsul cives graviter talliavit, singulis stipendia seu exactiones onerosas et quasi importabiles imponendo. Quæ tamen post reconciliationem statim postea obtentam ab eo, in festo nativitatis Domini resumpserunt: nam cuncta, quæ ab eis exegit, tunc more benedictionis et donationis libere relaxavit. Sed qui spolia in introitu hostium pertulerunt, minime, ut fertur, rehabere potuerunt. Facta sunt autem hæc anno Domini M. CCC. XLII. temporibus memoratis.

Anno Domini M. CCC. XLIII. tempore æstivali, circa festum Sancti Jacobi, cives civitatis Florentiæ unanimiter contra Ducem suum, Dominum famosum et reputatum, de Francia evocatum, postulatum sive electum, propter exactiones ejus gravissimas et tyrannidem intolerabilem conspirantes, et in domum suam una dierum impetum, cum minus cogitaret, trucem immo ferocissimum facientes, uxores ejus, et liberos, et totam familiam cum omni anima vivente, cum etiam mingente ad parietem perdiderunt, ipsum vero, ut diutinis et variis cruciatibus affligerent, reservarunt. Non suffecerat enim ei tallias, stiuras, servitutes indebitas burgensibus imponere, verum etiam eis justitiæ denegavit penitus complementum, et ideo talem ultionem nimio furoris calice inebriati, in eo exercuerunt.

Præterea eodem anno, proxima die ante vigiliam nativitatis beatæ virginis, paulo ante crepusculum tanta fulgura et tonitrua usque ad medium noctis durantia, cum pluviis excessivis et vehementibus, cum lapidibus quoque grandinis, graves hominibus suo descensu læsiones inferentibus, facta sunt, quanta a multis retroactis temporibus nulla hominum quodammodo meminit antiquitas. Propter enim tanto tempore pluvias ex insperato supervenientes, et breviter perdurantes, fluvii repentinam et insolitam excrescentiam et augmentum stupendum circa Lacum Botannicum, præsertim circa Lindaudiam susceperunt. Propter

Propter autem tonitrua terribiliter crepitantia, supra debitumque modum fragorosa homines plurimi in itineribus et peregrinationibus constituti, in fossis et speluncis, et aliis locis se a tonitru formidine subterraneis absconderunt. Multi quoque piscatores in Lacu Botannico in periculis propter hanc positi tempestatem, corporum obliti periculorum incursionibus contra lapidum ictus mortiferos defensacula varia praeferebant: jacturam insuper in diversis locis hominibus in terrae fructibus, pecoribus et donibus intulit haec saevitia tempestatis.

Item eodem anno post festum Pentecostes, venit vicarius Tartariae de ordine fratrum minorum in Avionem ad Papam Clementem VI. petens ab eo canonizationem VI. fratrum minorum tunc noviter passorum in Tartaria, multis claris et evidentibus miraculis corruscantium. His auditis Papa gaudio perfusus largiflluo, ordinem extulit et magnificavit, dicens: hic est ordo praecipuus, per quem Ecclesia in fidei orthodoxae luce illustratur in diversis mundi partibus, et robore solidatur, lucrumque animarum innumerabilium inaestimabile procreatur.

Praeterea eodem anno in vigilia beati Jacobi Apostoli, per populares oppidi Lucernensis conjuratos, potentiores cives VII. adversarii Ducum Austriae exterminati ac eliminati de oppido sunt, propter eorum demerita plurima, singulisque secundum exigentiam excessuum suorum terminus est exclusionis taxatus, et modus diffinitus; quidam tamen eorum post aliquot dierum evolutionem per preces et cum conditione nimis periculosa et incauta, quam pertranseo, ad oppidum revocatus.

Eodem fere tempore cives potiores civitatis Constantiae fere XV. propter seditionem et dissensionem supra commemoratam ortam illic, exclusi de civitate redierunt ovantes, Domino mirabiliter, et quasi in momento contra spem et cogitatum hominum, inter cives intraneos et extraneos spiritum pacis et concordiae immittente, quia, ut dicit sanctus Anbrosius, tarda molimina nescit sancti Spiritus gratia: paucis enim diebus incertis sedibus extra vagantes, celeriter cum reverentia, gloria et laeticia, Domino procurante, ut dixi, resumpti et revocati sunt.

Insuper pauco tempore ante praemissa, Dominus de Nassow, dum transfretasset ad visitandam terram sanctam, cum sociis sui itineris et peregrinationis a quodam Domino Sarraceno, potente ibidem, honorifice susceptus tractatusque est. Hic inter alia beneficia ipsis ab eo praestita, eos a censu seu tributo Soldano pro visitatione sepulcri Christi debito exemit, qui census satis damnosus et notabilis fuisset, si secundum quantitatem pecuniae eorum ab eis exactus fuisset. Qui dum cum comitatu praedicti Domini loca quasi cuncta perlustrassent terrae sanctae, et tandem Damascum quondam metropolim Syriae devenissent, a quodam apostata fidei Katholicae ibi commorante accusati sunt civibus illis, quod Imperatoris Romanorum exploratores essent, nam in brevi venturus foret cum exercitibus Christianis ad terram illam capiendam, et suae ditioni subjiciendam. Qui illico illi credentes eos ceperunt, ut ad supplicia eos varia pertraherent: Sed a Domino praefato cohibiti sunt difficulter et aversi, contestans fore eos immunes ab objecto eis piaculo, nam tantum divino zelo ducti causa visitationis sepulcri Christi et sanctorum suorum illic requiescentium advenissent, et hoc plane et plene Soldano, cujus aspectui se praesentassent, pateret, cujus litteras super hoc certas et feras afferre promisit, addens et sollicite praecavens suis exhortationibus, ne eis interim quidquid molestiae inferrent, sed potius eos benigno favore et digna reverentia percolerent: quod et factum est. Qui rediens litteras testimoniales insignitas signo regio seu Soldani, perhibentes veridicum testimonium innocentiae Christicolarum, apportabat; ob hoc statim libertati eorum redditi sunt, et ille falsidicus ipsorum traditor et accusator, medio tempore etiam in custodia detentus, mortis supplicio acerrimo de medio sublatus est. Sed Christiani gaudentes cum Domino saepe dicto, ductore eorum ad Soldanum reversi, per plures dies ab eo honoris et reverentiae gloriosis indiciis foti sunt. Quos recedentes cuidam Domino residenti in Akkorone, quondam fidelium civitate inclita et famosa, firma et opima, sed heu tempore, ut supra commemoravi, Nicolai Papae IIII. per Sarracenorum infinitam multitudinem cum labore, corporumque periculis et diutino tempore destructa, fideliter commendavit, ut eos in Ciprum regionem deduceret Katholicam. Qui renuens ab eis conpulsus est exequi sibi injunctum, taliter scilicet, quod per eos et per praedictum Dominum, Ductorem ipsorum gratiosum, omnes mercatores Christiani hinc inde causa mercium suarum circumquaque vagantes et dispersi repente convocati sunt in Akkoronem, quos CCCC. fuisse dicitur, quorum auxilio urbem illam viriliter oppugnando infra biduum ceperunt, et Dominum jussui Soldani contraeuntem ad perficiendum, quod imperaverat, coegerunt. Sed Dominus, ductor fidelium ab eo discedentibus, et sibi diligenter valedicentibus et regratiantibus, cum maxima mentis amaritudine avulsus est.

His etiam temporibus in extremitatibus Hyspaniae apud mare regnum unum de secta Machmeti remansit, non Deo Jesu Christo, qui cum Patre et Spiritu Sancto solus verus est Deus, sed idolis et superstitionibus deditum, cui Rex Kastellae Christianus firmissimus propter rebellionem suam, et ad tollendam spurcitiam idololatriae ejus, longe de fidelibus et finibus ejus infestus fuit. Nam annuatim per plura annorum curricula universos fructus civitatis metropolis regni Granat vocitati, abstulit, immo etiam, ut fertur, totam regionem pluries cum fidelibus aliarum nationum sibi cooperantibus dissipavit. De praelibata civitate Granat nomine, quemadmodum dixi, fertur, quod sit civitatum cunctarum quasi excellentissima in magnitudine, specie, divitiis, gloria et structura, cujus habitatores videntes se non posse subsistere a facie hominum hostium suorum Christicolarum desperati anno Domini 1342. miserunt legationem Soldanis, ut dicitur, duobus, immo universitati Sarracenorum in ultra-marinis partibus constitutae, ut multitudine exercituum Paganorum congregata copiosa, in Majo futuri anni immediate sequentis, in eorum auxilium et juvamen contra Christianos, inimicos eorum saevissimos venire, omnibus postpositis dignarentur ut mediante eorum auxilio de manibus inimicorum suorum eripi, sicut sperarent, possent. Qui in multitudine inaestimabili, et in manu forti et valida, eorum precibus sibi suppliciter porrectis annuentes, circa medium Maji mensis anni proxime et immediate futuri se venturos firmissime pollicebant. Anno ergo Domini M. CCC. XLIII. tempore vernali militia Christiana

stiana cum Rege invictissimo Kastellæ, Capitaneo prælii, hæc audiens, ad confligendum contra Paganos se præparavit. Rex Angliæ supra sæpe nominatus in mari cum CCCC. secundum aliquos vero cum DCCC. navibus se illuc, ut leo inperterritus, contulit. Filius quoque Regis Franciæ, ut fertur, cum copioso exercitu illuc similiter properavit. Papa nec non Clemens VI. multitudinem magnam stipendiariorum galeatorum illuc de Gallia et Italia destinavit. Rex quoque Arragoniæ, et Rex Majoricæ, et Rex Portugalliæ cum virtute et populi multitudine pari modo ad perdomandum regnum memoratum, et ad resistendum paganis venientibus in numerositate infinita fere et incredibili ad defensandam civitatem Granat, ferventi desiderio, ut fama testabatur, confluxerunt. Nichilominus de Katholonia, et de Sardinia, et de aliis Insulis finitimis, et terris maritimis, et de Alemania inferiori multa gens zelo fidei succensa orthodoxæ, in auxilium Regis Kastellæ, præcipue et principaliter bellum moventis convolabant. Contra quos venturos de Paganis XVII. immo LXX. Reges fama celebris personabat. Hinc ingens multitudo tam Christianorum quam Paganorum tempore veris mensis Maji conveniens, per totam æstatem in belli certamine, ut creditur, et asseritur, desudabat. Tandem tamen gens Christiana prævalens civitatem cepit, confligendo autem cum paganis multitudinem eorum innumerabilem, non sine sui sanguinis effusione ac plurimorum interfectione, peremit. De Christianis itaque triumphantibus licet plurimi in prælio commisso cum paganis ceciderint, tamen inconparabiliter paganis pauciores.

Dum ad istam expeditionem peragendam cum ceteris Christicolis Comes de Holandia, frater Imperatoris, iter arrepisset, in itineris aggressu a quodam Principe a cœpto itinere revocatus fuit. Falso enim, ut fertur, applausu regnum Alemaniæ sibi pollicebat: dicebat enim, quod eligendus in brevi et erigendus esset in Regem Alemaniæ, si dimisso itineris aggressu ad propria remearet. Mille enim equis de terra sua egressus fuit ad decertandum contra hostes Christi et Ecclesiæ intuitu divinæ retributionis. Taliter ergo consolatus reversus est, quamvis regnum minime, defraudatus a suo desiderio, et a sibi promisso, fuerit assecutus. Secundum vero alios percipiens, se accusatum apud Inperatorem, quod anhelaverit cum effectu contra ejus voluntatem ad attingendam regiam, ipso subplantato, dignitatem, ut supra memini me dixisse, expeditione assumpta pro Christo relicta, rediit, et Monacum civitatem Bavariæ, ubi maxime domicilium Imperatoris et mansionis residentia extiterat, accelerans, apud Imperatorem, quem illic repererat, se de hoc, nisi de assensu et voluntate ejus esset bona, se legitime expurgavit. Sed tamen Imperator excusationi suæ plene non credens, ipsum tam amicabiliter, sicut debuit, non tractavit: ab invicem ergo cum dissensione et disceptatione separati sunt. Comes autem post hæc audiens, Christianos in obsidione civitatis Granat et conflictatione contra gentiles prosperari: pœnitentia permaxima, immo, ut fertur, amarissima ductus, in emendam suæ retrocessionis ab incœpto pro Dei gloria itinere, circiter principium autumni cum CCCC. equis cum festinatione stupenda et miranda, versus Venetias iter suum direxit, ut inde per navigium ad partes Jerosolimæ, causa remissionis illic assequendæ peccatorum suorum, et ob respectum æternæ mercedis se, Domino cooperante, transferret, vel, ut alii ajunt, ut inde ad partes Græciæ divino amore inflammatus, cum Rege vel Imperatore Græciæ contra Turcos, ferissimos Ecclesiæ adversarios strenue ac magnanimiter cum Dei adjutorio pugnaturus. Nam, ut astruitur, Turci memorati, qui se alteros Suevos vocitant gloriantes, frequenter Regi Græcorum bella inferunt: ut ergo ausibus eorum frivolis obsisteret et occurreret, cum militia sua Græca et aliarum nationum Christianitatis, non tamen heu absque rerum et corporum suorum quandoque discrimine, quia varius est eventus belli, eorum contumaciam ipsos in furore et audacia incredibili aggrediendo elidit et prosternit. Ut ergo Comes prænominatus mercedis et præmii Græcorum, pugnando contra gentes memoratas consors et particeps fieret, eorum discrimini voluntarie se cum suis secundum relata quorundam, sicut prædixi, expositurus et oblaturus, terram seu regionem ipsorum intravit, res, corpora, terramque suam Deo committens, pro cujus honore militaturus in regionem abiit longinquam.

Item anno Domini M.CCC.XLIII. civitas Imperialis Ratispona, metropolis Bavariæ se Ludwico Imperatori opposuit, suas graves angarias, servitutes indebitas, inportunasque suas exactiones ultra æquanimiter ferre non valens, sed eas evincere et a se excutere per hoc satagens. Et ideo ut efficacius et cautius contra Ludwicum cives Ratisponenses rebellare valerent, turmatim una cum suis adjutoribus et stipendiariis de civitate egredientes, quidquid, ut fertur, de blado, leguminibus, arborum fructibus et aliis rebus esibilibus, vel victui necessariis manus eorum reperire poterant, infra duorum vel trium milliarium spatium, circumquaque amicis et inimicis, nemini parcentes abstulerunt, et ad civitatem deduxerunt.

Item eodem anno, quod suo prætermisi loco, non volens sed nolens quia nondum tunc mihi innotuerat, tempore æstivali, in una excrescentia aquarum excessiva propter imbrium immensitatem fluvius Rusa, oppidum Lucernense præterfluens tantum excrevit, quod in choro monasterii fratrum minorum illic residentium altari majori appropinquavit, quod a retroactis annis forte nunquam visum vel auditum fuit; tanta etiam altitudine contra altare fluendo processit aqua, quod onustæ navi ad portandum eam suffecisset. Parvus quoque fluvius innavigabilis apud oppidum Wintertur fluens, Tœsa nuncupatus tantum inundavit, quod unum cœnobium monialium cohærens sibi cum impetu pertransiens jacturam maximam intulit, immo quasi per suum augmentum more torrentis rapidissimum cœnobio et habitatoribus ejus minabatur excidium a tempore, quo non extat memoria, inperitum.

Item eodem anno exiit sermo satis vulgaris, quod a Papa Clemente VI. pluribus dyocesanis injunctum districte fuerit, quod ipsi cum toto clero suo contra Ludwicum Imperatorem deberent prædicare publice crucem Christi, quod etiam injunxisse fratribus prædicatoribus ferebatur, quemadmodum ipsi ore proprio coram hominibus contestati sunt. Sed anno dominicæ incarnationis prædicto, in festo Sancti Lucæ Evangelistæ, adhuc minime audivi, executioni commendatum fuisse.

Item anno Domini M.CCC.XLIII. dissensio miserabilis civium Campidonensium pluribus annis, sed heu ante suscitata a satore zisaniarum, adhuc perduravit.

 Nam

Nam tunc seminarium discordiæ, scismatis et seditionis, quod indigeret longa narratione, de fonte iniquitatis prodiit et effluxit, quod usque ad annum Domini prælibatum cum turbatione lamentabili burgensium jam dictorum se protraxit: propter quod quidam, quos principaliter causa tangebat vel factum, de civitate cum suis uxoribus exterminati sunt et exclusi, qui ad Episcopum Curiensem se transferentes, et sui serviciales effecti, in ultionem injuriæ injustæ eis illatæ, quia justitiam intendere et quærere secundum æstimationem satis vulgarem videbantur, furore agitati in oppositum similari, quendam concivem eorum opulentum eis casu occurrentem ceperunt, in loco tuto et firmo eum arctæ custodiæ mancipantes. Item frequenter ob causam tactam jam in nemoribus vel abditis prope Campidonam latitantes, die noctuque concivibus suis insidias tendebant. Istud scisma aliquot annis atrociter sæviens, plures cives meliores de Campidona extrudebat: nam timentes verisimiliter illic periclitari, ad alia loca se contulerunt. Quid plura? Venenum illic a serpente Sathana diffusum locum illum multum ante commendabilem labefecit, et horridum ad inhabitandum eum reddidit.

Consequenter plura præcedentibus stupenda annectam de inundationibus aquarum propter immensitatem imbrium causatis, quemadmodum supra commemoravi, quæ mihi tunc latuerunt, sed statim post patuerunt. Sunt autem ista, quod in una excrescentia importuna, et a retroactis temporibus insueta et inaudita Rheni fluvii supra memorata, homines pericula rerum corporumque, metus et terrores horribiles incurrerunt, et damna. Nam Rhenus ultra modum incrementa suscipiens, de Louffenburg oppido fere XII. domos, cum pontis abstractione abduxit. Insuper ultra muros oppidi Sekkingen influens rapidissime, habitatores universos fere ejus exclusit et effugavit, cum pluribus etiam domibus, quæ miserabiliter dissipando, et a locis suis avellendo abduxit. Nichilominus pontem oppidi Rinvelden constructum ex pilis lapideis totaliter dirupit, nam impetuose plures domos et propugnacula, et alia diversi generis ædificia deducens, et cum eis in statuaria lapidea et firmissima impingens, ipsa funditus de suis locis evulsit, habitatores quoque castri juxta pontem in medio sui quasi siti seu fundati deprehensos, famis miserrimis angustiis et submersionis metui, et aliis calamitatibus variis et sævissimis implicavit. Quæ per trium hebdomadarum spatium continue perdurantes, ex utraque parte Ripæ Rheni incolas terræ quasi ad spectaculum attraxerunt. Illo etiam anno fama satis communis testabatur, mare plus solito, immo plus quam unquam ante visum fuerit, decrevisse. Audientes autem astronomi Parisiis constituti, æquoris insuetam diminutionem, et in quibusdam regionibus insolitum aquarum excessum, et causam horum rimari et indagare satagentes repererunt, ut fertur, forte in Astronomiæ tabulis quandam stellam excellenter rutilantem, aquas nimis haurientem ac elevantem, et post refundentem regnare, quam ante D. annos regnasse, et usque ad illum annum, ultra non, et ab illo anno usque post iterum totidem annos, ultra non regnaturum asserebant.

Præterea anno pluries memorato, treugis compositis et peractis inter Regem Franciæ et Regem Angliæ, quemadmodum supra perstrinxi breviter, dum Rex Angliæ de Britannia sibi favente transfretando cum exercitu suo in pluribus navibus constituto rediret in Angliam, propter sævitiam tempestatis in pelago exortam vidit coram oculis suis fere XVI. naves, de quo amarissime doluit, amaris fluctibus absorberi, et in profundum dimergi: quæ tamen tempestas navem Regis minime contingebat, nam de ipso fertur hoc insigne privilegium, ut ita dicam, a Deo sibi præstitum, quod quantumcunque tempestatum vel procellarum immensa vorago, aut furibunda rabies mare exagitaverit, ipsius tamen cuicunque navi se commiserit, nullatenus unquam appropinquaverit, sed plenam tranquillitatem circa eam reliquerit, quod est admiratione plenum. In illa transfretatione Rex Angliæ graviorem jacturam, et perniciosiora dispendia incurrit, quam in tota guerra inter ipsum et Regem Franciæ acta incurrerit.

Eodem quoque anno in Alemaniæ partibus pluribus, tempore autumnali et hyemali, ut visu proprio didici et auditu, homines nimis gravi inedia et famis aculeis urgebantur. Nam annus ille sterilis nimis, nec arborum fructus, nec rapas, nec olera, nec legumina in illa regione protulit. Indigenæ illius terræ, præcipue Albgowiæ, quod aures piæ audire refugiunt et abhorrent, panem ex avena rudi modo confectum, tantummodo mandicabant; rudi modo dico, quia avena in mola non erat purgata, nec bene comminuta, sed paleæ cum tritico mixtim in mola et superficialiter confringebantur, sive conterebantur, et inde panis potius pecoribus aptus, quam animæ rationali parabatur. Plures etiam vulgares agricolæ et mechanici tam in oppidis quam in rure, quod est miserabile dictu, modice in clibano decoctum eundem panem cum aqua in patella in materiam quasi primordialem massæ liquidæ redegerunt; et sorbiciunculam super igne ex eo fecerunt, nam omnia esibilia et victui necessaria ipsis defecerant; panem etiam memoratum in furno diminute ac imperfecte torrendo excoxerant, ut intus humosus, liquidus, colore terreus visus et gustatus minus mandi posset. Idem quoque annus produxit vinum paucum in regione præfata, et acerrimum: erat enim quasi agresta. De ipso bene Moyses dicere poterat in Deuteronomio: expectavi ut faceret uvam, fecit autem labruscam, uva eorum uva fellis et botrus amarissimus, fel draconum vinum eorum. Unde et vere proprieque potatores ejus dicere poterant verbum Prophetæ in Psalmis dicentis: potasti nos, Domine, vino compunctionis; erat enim potus quasi absynthii et amaritudinis. Tanta quoque Karistia eodem anno prævaluerat, quod aliquis homo præ nimia fame in effossionibus et apertionibus monumentorum, in tumulationibus defunctorum, oris hyatu studioso, patulisque naribus, et rictibus fœtorem, et vapores corruptos inde exalantes avide hauserat, ut taliter interioribus infectis vitam citius occaret, ne famis molestiis diutius torqueretur.

Item eodem anno circa finem autumni, Dominus Ulricus Comes de Veltkilch, genere et natione Muntfortensis, ætate quasi octogenarius, ab hæredibus suis propinqua satis eum linea consanguinitatis attingentibus, etiam Comitibus, eo quod hæreditarium jus hæreditandarum facultatum ad extraneos volvere ac transferre, ut fertur, nisus fuit, captus est, et in castro proprio ab eis tutæ custodiæ mancipatus est, sed statim postea liberatus.

Cum Philosophus dicat, quod fama, quam omnes famant, in toto non perditur; ideo rem eodem anno

no gestam, forte in cordibus aliquorum hominum minus persuasibilem et credibilem, propter famam ejus crebram, multivolam et vulgarem, apud me cum contestatione et verborum firma assertione cum mea magna admiratione frequenter narratam, opusculo præsenti inserere dignum censui. Est autem ista, quod fertur passeres contra se divisos in quibusdam partibus Italiæ conflictum in alterutrum commisisse, in quo maxima multitudo eorum cum ceciderit, pauciores in Alemania quam aliis temporibus apparuerunt. Astruebatur quoque, quod in quibusdam partibus montuosis, ubi sunt metæ Germaniæ, picæ, cornices, orices, monedulæ, et graculi, et ceteræ aviculæ communes granis, graminibus, vermiculisve pro cibo utentes, et quæ aliis ferocioribus sunt in prædam, cum accipitris, nisis, caponibus, furfariis, milvis et aquilis, cum ceterisque volatilibus earum persecutricibus, prædam insequentibus, ipsarum carnibus nec non vescentibus, in multitudine ingentissima congregatæ atrociter dimicaverint, sed communes viribus suis hostibus prævalentes innumerabilem turmam strenue ex ipsis prostraverunt. Quæ dum ex intimis præcordiis mœrens, una principalis avicula vel forte capitanea de parte succumbentium cordi apposuisset, celeriter avolans grandem exercitum suæ partis avium breviter congregatarum attulit, quæ belli discrimina cum victricibus replicantes gloriose triumphabant, ipsas absque misericordia perimentes. Ex cadaveribus autem utriusque partis cadentium acervus adinstar collis vel montis factus est. Quæ alicujus cladis futuræ præsagium prætendere timebantur apud homines pronosticationis argumenta habentes. Nam a canum multorum pugna ante discordem electionem Friderici Ducis Austriæ, et Ludwici Ducis Bavariæ in Regem Alemaniæ, acta in partibus inferioribus Reni, conjecturam, et de multis aliis factis præteritis similibus induxerunt. Sequebatur enim eam longa et atrox decertatio pro regno adipiscendo inter eosdem, cum acerba hominum turbatione, et terræ gravi devastatione, quemadmodum in superioribus partibus hujus voluminis explanavi. Hujus pugnæ volucrum conflictatio, judicio meo in toto mihi impossibilis non videtur, consideranti animalium et avium naturæ varios instinctus, secundum quod legimus in diversis libris tractantibus de complexionum animalium variis affectionibus. Vulpem enim, ut dicit Isidorus, præ ceteris animalibus cornix odit, et contra nisum et accipitrem confligit, ut dicit Isidorus in libro Ethimologiarum. De cornice quoque dicitur in Exameron, quod deducunt ciconias, et dirigunt velut turmis quibusdam eas stipantibus, et eis turmatim se adjungunt, contra alias aves ciconiis infestas dimicantes propriis periculis bella aliena suscipiunt, cujus indicium est, quia in illo temporis intervallo quo ciconiæ solent recedere, non reperiuntur in locis consuetis residere; immo cum vulnere revertentes, manifestis quidem sanguinis et vocis indiciis ostendunt, gravem se certaminum conflictum subiisse. Item Aristoteles in libro VI. de animalibus dicit, quod corvus niger pugnat cum asino et tauro, volitat enim super ipsos, et nocet eis percutiendo eos cum rostro, et pungendo oculos eorum. Item ibidem dicit, quod corvus niger est amicus vulpis, et immo pugnat cum aliis bestiolis ei molestis juvando eum. Ex iis patet, prædicta esse verisimilia.

Item eodem anno Veneti circiter finem autumni VI. navibus magnis, onustis et refertis nobilissimis et pretiosissimis mercibus, de regionibus longinquis adductis in mari, a Gentilibus eis in reditu ipsorum insidias tendentibus, cum minime timerent vel præcogitarent, spoliati sunt.

Eodem anno, ut fertur, circiter eadem tempora, et circa loca etiam maritima accidit, ut quidam paganus locuples et potens quendam reputatum Christicolam Venetum, pugno vel flagello in quadam vehementia cæderet: quod ipse postea, cum opportunitas sibi advenit, extemplo cum aliis viris fidelibus ipsum extinguendo, et ferro suo transfodiendo, cursu insperato eum cum suis familiaribus et domesticis invadendo, ultus est. Quibus cum Januenses requisiti ab eis, strage hac peracta quid expediret, consuluissent, quod una cum ipsis ante congressum gentilium unanimiter coadunati, gentilium corporibus peremptis, res earum cunctas ab eis celeriter abducerent, et domum deducerent: quod si non facerent, sibi similia fieri a paganis minime ambigerent. Quibus renuentibus, Januenses paganos invaserunt, et ipsos superantes tantum de rebus eorum abstulerunt, naves quod suas mercimoniis repleverunt, ad patriam cum tripudio citissima navigatione remeantes. Medio tempore Gentes contra Dei populum in multitudine et robore collecti, Venetos acriter aggressi sunt, postulantes sibi dari homicidam illum, qui cædem fecit inter eos. Qui hoc facere recusantes ab eis invasi sunt tam valide, quod heu LX. ex eis viri corruerunt: de quo nimis ceteri dolentes cum tanta animositate ac furia, cum adjutorio, ut fertur, Græcorum in eos conversi debacchati sunt, quod ii M. fere ex eis in ore gladii perdiderunt.

Relatio quoque multimoda ad me post memorata pervenit certamina, quod a Venetis, a summo Pontifice sæpe dicto, a Januensibus, a Rege Cipri, et a multis aliis, sicut Pisanis, et aliis multis fidei orthodoxæ cultoribus, habitantibus in regionibus maritimis, in fine anni Dominicæ Incarnationis præfato provisæ et constitutæ, ordinatæ ac conductæ naves, ut dicitur L. repletæ bellatoribus Christianis sunt, quæ ad exterminandum et ad extirpandum piratas, et ad quoscunque hostes Ecclesiæ vel rei publicæ, per plures annos in terra vel in ponto ad perdomandos, vigiles, indefessæ et paratæ esse deberent.

Item eodem anno circiter festum sancti Galli, quod supra dubitative, nunc autem certificatus dico, Comes Hangoviæ seu Hollandiæ cum D. viris sive CCC. galeis Jerosolymam profectus est. Qui dum de Germania Alpes pertransisset, et a Domino Mediolanensi solemniter susceptus tractatusque fuisset, et inde reverenter Paduam deductus, a Domino Paduano gloriose similiter receptus cum fuisset tractatusque ab eo cum magno comitatu et ponposo Venetias directus est, relicta secum tota sua familia, exceptis LX. viris, pro quibus secum a Clemente Papa licentiam obtinuit, visitandi Christi sepulcrum. Dum autem Venetias devenisset, et ibi applicare cœpisset burgensibus illic sibi in occursum venientibus cum suis assurrexit. Ubi dum navis incauti regiminis impulsu ad palum quendam vel aliud quidquam importune inpegisset, Comes cum duobus suis strenuis militibus et perdilectis in maris fluctus excussus est: sed militibus submersis, ipse per quendam artis natatoriæ virum peritiam habentem, fluentis maris confestim se propter eum immittentem, vix per cincinnos capitis ereptus est. Qui dum ab aquis, quæ

 eum

eum subintraverant, evacuatus et relevatus fuisset, a civibus honorifice nimis fotus et recreatus est. Inde vero, ut cœptum iter compleret, progrediens mare sulcando in multis periculis pelagi terribilibus pervenit Ciprum. Quod dum Rex Cipri præsensisset, sibi processionaliter cum fratribus minoribus, et toto suo Clero in littore æquoris occurrit: quem dum cum multis honorum insigniis eum decentibus prosecutus fuisset, eum abire permisit, ut suum votum peregrinationis exsolveret, visitando terram sanctam. Ad quam dum devenisset, a quodam fratre ordinis sancti Francisci, mihi noti, comite suæ peregrinationis, in Monasterio sacri tumuli Christi, cum tota sua familia præfata devote communionem accepit. Ubi dum plura et diversa vestigia Christi, et limina sanctorum suorum, secundum desiderium suum fervents animo diu desideratum, visitasset et perlustrasset, cum classe fortissima ante sui adventum secundum suæ voluntatis decretum præparata, prospere ac salubriter in partes Europæ regressus est. Ubi reassumpta sua turma pedissequa relicta Paduæ, in terram Prusciæ se transtulit absque mora, ut inde contra Paganos dimicaturus aliqua magnalia, Domino suffragante, perageret. Eodem fratre narrante didici, fratres minores XIII. commorari in monte Syon, eodem in tempore, quorum continue IIII. secundum vicissitudinem ordinatam, ex indultu Soldani ibi habitabant, ipsum custodientes: qui divinum officium, intromissis tantum Christicolis sive peregrinis seu illic degentibus agebant. Narravit mihi quoque, quod in monasterio eodem lampas absque fomento quocunque luminis, continue tunc temporis arserit et luxerit, et absque omni arte humana, sed tantum miraculose divina virtute, quod tamen quidam ita esse negant.

Circiter ista tempora, ut fertur, dum cives Ratisponenses, volentes, ut supra commemoravi, contra Imperatorem Ludwicum rebellare, quoddam castrum sibi pertinens eisque vicinum obsedissent, ab eo fugati sunt. Nam cum virtute majori exercituum contra eos veniens, et conflictum cum eis inire cupiens et disponens, tantum terrorem eis incussit, quod dimissis cunctis ad urbem festinanter redierunt. Parante autem Imperatore eis malum, ab intercessoribus eorum ab ira sua et a malignitate eis intentata, et placatus factus est, ad tempus treugis inter eos compositis. Quidam ajunt, Ratisponenses Imperatori unum castellum vile abstulisse, eadem guerra perseverante ipsum viriliter oppugnando.

Paulo ante ista tempora vel prædicta, in oppido Uberlingensi viri fere VII. juvenes, prodigi nimis existentes et vani, conjuraverunt nunquam ab invicem se discessuros, vel a fœdere societatis contractæ velle desistere, quousque substantia eorum penitus dilapidaretur. Feruntur autem singuli eorum circiter C. libras denariorum Constantiensis monetæ de patrimonio possedisse, quas in unum contribuentes eis mirabiliter abusi sunt: nam quidquid unus ex ipsis, vel simul omnes desiderabant de licitis vel illicitis, congruis vel incongruis, confestim executioni mandarunt. Carnis desideriis et illecebris, et petulantiis non solum militabant, verum etiam insolentiis, dissolutionibus, temeritatibus, vanitatibus et vecordiis a retroactis, ut puto, seculis inauditis, operam jugem animis indefessis dederunt. Cum autem Consulibus oppidi eorum excessus objicerentur, et quare sinerent vel quare eos non compescerent, responderunt: peculium suum expendunt, quis eos in hoc prohibere debet? vel etiam congrue potest? nemini nocent, et si nocent, pretio mox grato damna recompensant illata. Hi Consules dum in illis diebus decretum fecissent, quod hominum nullus sonitum fistulæ, buccinæ, citaræ vel cujuslibet generis musicorum inter Missarum solemnia concreparet vel concrepari procuraret, ipsi soli pluribus hoc vicibus ausu temerario prævaricari præsumpserunt, sed pœnam pecuniariam IX. solidorum super hoc sancitam, exactam ab eis celeriter persolvebant. Vitra in foro venditioni exposita emerunt, et projicientes ipsa in parietes vel plateas colliserunt: similiter ollas coram figulis in foro repertas, pretio pro eis dato debito, cum paxillo confregerunt; choreas in tectis duxerunt. Unus ex eis, dum quadam die quieti et sopori se dedisset, et sitis nimis urgentis incommodum eum invasisset, alteri ut potum boni Bachi juxta eum in propinquo locati sibi præberet, res pretii IX. Solidorum pro mercede sibi tribuit. Unum jactum ludi tesserum pro C. libris, si qui secum inire vellent, in civitate tam Constantiensi quam Uberlingensi proclamari fecerunt. Hæc et iis similia a festo Paschatis usque ad festum Sancti Johannis Baptistæ actitabant. Hi quemlibet ex eis post rerum suarum dissipationem cum fistula et tympano Lindaudiam gloriose deduxerunt, ut inde militaturus in Longobardiam pergeret.

Anno Domini M.CCCX.LIII. in mense Decembri quidam spiritus in oppidi dicti Wangen suburbio, per plures dies quandam domum inhabitans, incolas ejus mirabiliter cum magna hominum admiratione ac stupore terruit et afflixit.

Anno Domini M. CCC. XLIIII. grandis guerra, pro oppido Ehingen ac dominio circumposito possidendo, inter Ducem Austriæ et Comitem de Wirtenberg orta est. Qui dum alterutrum se incendiis plurimis et gravibus, spoliisque ac depopulationibus agrorum per hyemem molestassent: tandem circa mediam quadragesimam treugæ inter eos necessariæ, pro seminum jactu et sparsione in agros, factæ fuerunt usque ad festum Walpurgæ Virginis, quod est prima die Maji, quæ medio tempore cum gaudio hominum terrigenarum maximo in compositionem et concordiam peroptatam conversæ sunt. Tota fere Suevia depopulata fuisset, si complanatio et fœdus pacis inter eos subsecuta non fuissent.

Anno Domini M.CCC.XLIIII. circa purificationem virginis Mariæ, fama celeberrima universaliter in Alemania personuit, inter Papam et Inperatorem ante mediam quadragesimam, vel ad longius ante festum Paschatis compositionem plenam et firmam certissime, omni dubio postposito, celebrandam. Nam tam efficaciter, et tam virtuose in arbitros fidelissimos et omni acceptione dignissimos compromissa esset, quod inpediri nullatenus posset. Quæ dum in januis fore putaretur, et ab universo populo cum spe inæstimabili, et desiderio indicibili diutissime concupito præstolaretur, evanuit et ad nihilum redacta est, sicut aqua decurrens. Nam circa festum Sancti Marci rumores nulla prospera, sed lamenta portantes Sweviam communiter percurrebant, ipsam compositionem jocundanter speratam penitus esse divulsam, scissam et diffutam. Ista compositio, quemadmodum supra pluries disserui, sæpius attemptata est, sed heu frustra a Ludwico Inperatore cum Apostolicis sibi contemporaneis in malum grande totius Ecclesiæ.

cleſiæ. Diſcordia enim inter illa capita duo per multa annorum curricula durata, ſeminarium malorum innumerabilium miniſtravit: nam capita memorata, cum tam periculoſe ægrotent, non eſt mirum ſi membra graviter infirmantur, juxta illud: cum caput ægrotat, cætera membra dolent. More antiquo deberent ſibi mutuo cooperari in neceſſitatibus; ſed heu adverſantur, et ideo regnum Eccleſiæ ſub eis diſſipatur et diſcerpitur, juxta verbum Chriſti: omne regnum in ſe diviſum deſolabitur. Propter quod Græci dudum ab obedientia ſedis Apoſtolicæ diſceſſerunt, in ſuo Patriarcha Conſtantinopolitano contenti. Propter diſſenſionem capitum prædictorum in partibus Aſiæ multi epiſcopatus, patriarchatus, ad paganiſmi vomitum reciderunt, præter Eccleſias ſimplices quaſi innumerabiles. Si enim capita Eccleſiæ concordia extitiſſent, et ſibi mutuo cooperativa fuiſſent, tanquam homines zelum Dei tenentes, et magis propter hoc ſalutem animarum quærentes, ad debellandum hoſtes fidei majus ſtudium et operam dediſſent; et Eccleſiam ſollicitius orthodoxam in ſuo robore conſervaſſent, ſe unanimiter tanquam murum contra adverſarios opponentes. Et quia hæc contra ſe diviſi neglexerunt, ideo eam Chriſti Sponſam Gentilibus, quantum ad extra, tanquam lupis et aliis beſtiis rapacibus ad devorandum reliquerunt, ab intra vero diſſenſionibus, indevotionibus, flagitiis, prævaricationibus ſordidatam, dilaceratam, ipſam ſubactam permiſerunt: ergo non improprie ſignificari poterat in libro Judicum per Levitæ uxorem conciſam in fruſta, propter ſcelera in ea execrabilia perpetrata. Nam crudeliter per ſciſmatum, diſcordiarum, præliorum, gwerrarum, et vitiorum variorum abominabilium vepres dilaniata et dirupta eſt. Unde in Eccleſia et in membris ejus adimpletum eſt; hoc eſt fidelibus, verbum Moyſi in Deuteronomio dicentis: conſumentur fame, et devorabunt eos aves morſu amariſſimo. Item in Geneſi: fera peſſima devoravit filium meum Joſeph, i. e. ſcelerum immenſa ferocitas Chriſtum in membris ſuis, quia Chriſtum perſequitur qui fideles perſequitur: juxta illud actuum Apoſtolorum: quid me perſequeris? ſupple: in membris meis. Item adaptare poſſum verbum prophetæ dicentis: et ſingularis ferus depaſtus eſt eam, i. e. Eccleſiam. De vepribus Chriſti verbum in Evangelio applicare poſſum dicendo: et ſpinæ ſimul exortæ ſuffocaverunt illud, i. e. bonum ſponſæ et matris Eccleſiæ; ſponſæ dico Chriſti et matris fidelium. Propter etiam capitum principalium memoratorum repugnantiam, et aliorum conſequenter negligentiam, hæreticæ pravitates et errores mortiferi Eccleſiam in varia fruſta ſciſmatum et diſcrepantiarum Deo inimicarum flebiliter a ſua unitate et integritate ſimplici diviſerunt. Quam ob rem tunica Chriſti inconſutilis, repræſentans integritatem Eccleſiæ, lamentabiliter diſſuta eſt, et in partes ſecata. Hæc inſuper capita ſecundum verbi Chriſti evangelici ſenſum allegoricum gladii duo vocati, minus per multa annorum tempora Eccleſiæ ſuffecerunt: neuter enim in ſua jurisdictione, auctoritate ſibi tradita vel conceſſa laudabiliter proh uſus eſt, fidem katholicam minime roboraverunt vel protexerunt, debilem curam et niſum cultui divino adhibuerunt, viliter et remiſſe ipſum erigendo, augmentando vel emendando, bonos et juſtos parumper foverunt, malos non repreſſerunt in ſua malitia obſtinatos, nec compeſcuerunt, juſtitiam male reſpexerunt, radice peſtifera idolorum ſervitu moti, et corrupti avaritia, cuncta facienda quaſi omiſerunt, non fienda permiſerunt, Deum raro intendebant in ſuis actibus, vel Reipublicæ et Eccleſiæ communem utilitatem, ſed tantum quæ ſua ſunt vel fuerunt, juxta verbum Apoſtoli, quæſierunt. Propter hæc et alia multa, in quibus prædicta capita exorbitaverunt, merito et congrue vox divina, in dotatione larga et pingui largitione terrarum Silveſtro Papæ et ſuis ſucceſſoribus ab Imperatore Conſtantino noviter baptiſato, ac ad fidem Chriſti converſo facta dicere poterat, ut legitur: hodie per mundum venenum diffuſum eſt; quod hodierna die luce clarius cernimus tam oculis mentis quam carnis, immo experimur malis quotidianis graviter et importabiliter, jacturam et diſpendia bonorum, corporum, animarum et rerum propter hoc ſuſtinendo. Proprie venenum Eccleſiæ infuſum, a voce memorata dicitur, quia illa liberalis datio et munifica erogatio Conſtantini Regis Romanorum ſummo Pontifici exhibita, fomes et occaſio, quanquam bono zelo fecerit, ſchiſmatis prælibati, contentionum, præliorum, homicidiorum, ſcandalorum innumerabilium a capitibus ſæpe dictis promotorum, pro regnis et terrenis bonis, ſeu poſſeſſionibus temporalibus capiendis extitit. Unde Apoſtolus bene poterat dicere ad Timotheum: in noviſſimis diebus, in quibus ſumus, inſtabunt tempora periculoſa; quod jam plus ſentimus, quam in codicibus legimus. Statum Eccleſiæ perverſum et miſerabilem propter capitum memoratorum diſſenſionem, ſuccincte et proſaice, immediate a me peroratam et proſecutam, aliquot verſibus infra poſitis, a me editis etiam proſequar; ut in hoc opuſculo ita proſa utar, quod tamen verſificatura ſeu metrum in toto me non effugiat:

Eccleſiæ capita nimis extant obtenebrata,
Delirant penitus Sathana deluſa patenter,
Diſceptant pariter, quod vigeat latius:
Primum Romanus Cæſar, ſed Papa ſecundum.
Hæc ſic ægrotant, quod cætera membra gravantur,
Ipſis infirmis contigit illa pati.
Dimiſſis rebus cæleſtibus atque beatis
Contendunt Regnis pro terrenis capiendis,
Schiſmata quod dederat pernicioſa ſatis.
Alter in alterius meſſem falcem male mittit;
Neuter jure ſuo contentari bene ſentit:
Hinc pereunt animæ, vivere quæ poterant.
Vox Conſtantini Regis temporibus almi
De cælis lapſa, dicens fore fuſa venena
In terris patuit, nunc et in acta ruit:
Papa cupit nimium ſibi terras eſſe ſubactas:
Sed Rex Romanus negat hoc, ſimul atque reclamat.
Sic neuter remanet proprietate ſua.
Rex Conſtantinus cum ſucceſſoribus ejus,
Si Papæ regna tam pinguia non tribuiſſet,
Tunc humilis ſtaret, ſimplicitate pia.
Hinc non immerito vox cæleſtis reſonabat:
Nunc eſt in mundum virus miſerabile fuſum,
Unde perit concors Eccleſiæ bonitas.
Sed quia dotavit Cæſar nimis atque ditavit
Fertilibus terris Papas, ideo tumuerunt,
Et cupidi certant carpere plura bona.
Rex gliſcit terras ſibi cunctas ſubpeditari,
Multo plus Papa cupit ipſis prædominari.
Hæc peſtis ſæva cauſata avaritia.
Eccleſiam nummus vilem fecit meretricem,
Nam pro mercede ſcortum dat ſe cupienti.

Nummus cuncta facit, nil bene justitia,
Cunctis prostituens pro munere seque venalem,
Singula facta negat, vel agit pro stipite solo;
Divino zelo nulla fere peragit.
Sed quis prævaleat, fit decertatio longa,
Et plus quis capiat ab eis, sententia fertur
Morbida, multimoda, quæ ratione caret.
Transgreditur quisque limites proprios sine causa,
Alterius damna reputans fore prosperitatem
Ejus, et adversa lucra sibi fieri.
Quanto plus sitiunt terras, tanto minus assiunt.
Taliter Imperium Romanum diripietur,
Gentiles capient ut propriis socient.
Mos interdicti pœnæ nocuit maledictæ
Plus ceteris longe censuris Katholicorum,
Quam tulit in plebem Papa nimis temere;
Extinguit cultum Domini, fidei quoque lumen;
Devotos animos indurans reddit ineptos,
Suscitat ac hæreses improbitate sua.
Scismatis istius præclara figura videtur
In libro veteri, per scissuram mulieris
Multam Levitæ, quæ vitiosa tulit.
Ni fœdus fiat capitum, bona consona statim
Æterni sponsa sponsi citius laceretur,
Grex ovium dabitur asperitate lupis.
Ecclesiam Christi sponsam cognoscito Lector,
Per dirosque lupos Sarracenos noto cunctos
Ac alias Gentes, idola quæ sapiunt,
Acriter hi sponsam subito discerpere temptant.
Si non Christicolæ concordati resipiscunt,
Ut dictos reprimant a feritate sua:
Tunc Petri navis arta maris concussa procellis
Flebiliter caderet, sine spe reditus, in abyssum,
Quod Deus abstergat cum pietatis ope.
Sic Christi tunica numquam consuta pateret
Rupturis multis; hinc et dissuta periret
Per seculi cursus irrevocabiliter.
Præfatum multos duravit scisma per annos,
Quapropter vestis est Joseph tincta cruore,
Cum tanta rabie, dicere quod nequeo,
Ad Sexti Papæ Clementis tempora traxit
Et Regis pariter Ludwici se male fluxu
Radix perversa litibus apta malis.
In fortem fortis impegit, sed ceciderunt
Ambo tam graviter, quod tarde surgere quibant,
Incurrit lapsum, qui nimis alta petit.
Rex misit Papæ dignos non raro Legatos,
Qui vacui semper omni gratia redierunt,
Ardua perdentes munera cum precibus.
Ecclesiæ gremio matris quod susciperetur,
Poscebat humilis satis hic a Præsule celso,
Funditus exclusus sed minus obtinuit.
Si Cæsar penitus Papæ se subdere sprevit,
In juris pacto nimium culpabilis esset,
Et merito lueret improba damna sua.
Hii gladii bini non sufficiunt bene mundo,
Neuter vult reliquo modicum præstare juvamen,
Hinc bona depereunt, noxia quæque manent.
Annis millenis trecentis et quadraginta,
Insuper et quarto Domini, discordia dicta
Ad finem venerat, spes ut aperta fuit:
Fœderis et pacis sperandæ pacta ferebat
Fama satis celebris tunc; sed Marci prope festum
Conticuit penitus, prospera nulla gerens.
Mortuus est anno Milleno, C. triplicato,
Cæsar septeno Ludwicus et in quadrageno,
Octobri mense, nullo læsus tamen ense.
Sed dum venatur eques, casumque minatur,
Equo detrahitur, moritur mox, post sepelitur.
Annis ter denis regnum tenuit bene lenis,
Et tribus, ut fatur, cum tempus ei numeratur,
Octava tacta jam mors est luce peracta,
Sancti Francisci Confessoris Benedicti.

Anno Domini M.CCC.XLIIII. Dominus de Roetenstein propter homicidium, quod intulerat uni civi Campidonensi, tempore pascali, in castro suo sito in propinquo civitati Campidonensi, ad quod confugerat, nimis sibi confidens, cæde perpetrata, a civibus Campidonensibus obsessus cum castro, captus est, et cum suis coadjutoribus simplicibus et innocentibus IIII. viris decollatus est. Pro ipsis suppliciter cives exoravit, innocentiam eorum allegans, ut ipso trucidato capitis abscissione, eos liberos et impunes abire permitterent: pro se ipso etiam preces lacrimabiles effudit, ut eum a mortis præsentialiter sibi imminentis subportarent pœna, turris perpetuæ arcis custodiæ eum includentes; pro quo si exaudiri mereretur, pœnam pecuniariam emendamque suis excessibus condignam et multifariam civibus repromisit. Sed pro se heu et pro suis, pro sua reverentia minime exauditus fuit: mors sua lamentabilis apud homines satis fuit, quia, ut fertur, vir juvenis, strenuus, magnanimus, fortis et speciosus erat. Cives tantum provocati et indurati contra eum erant pro occisione valentis concivis eorum, quod in nulla re super terra, quam exhibere vel offerre poterat, placari vel contentari volebant, nisi in oblatione corporis sui in mortem.

Præmissis aliqua ordine retrogrado, tunc suis temporibus scribendis debitis mihi incognita, nunc autem mihi nota et occurrentia subjungam. Paucis quasi annis evolutis ante præcedentia, forte circiter Anno Domini M.CCC.XXX. quatuor fratres minores martyrisati fuerunt in provincia Chana inferioris Indiæ, in quadam civitate potestati Imperatoris Delduli subjecta, a Sarracenis ibidem dominantibus, præcipue ab Episcopo eorum. Nam ille a potestate extorta licentia et obtenta, per satellites suos martyres Christi ipsos effecit. Ratio autem, quare mortem idem Episcopus infidelis ipsis procuravit, est ista: noluit desistere, quin cum aliis Sarracenis litteratis cum fratribus certamen disputationis inire vellet de fide; in cujus certaminis ingressu infideles fratribus insultabant, et objecerunt Christum non fuisse Deum, sed purum hominem. Quem errorem et cæteros dum fratres luce clarius confutassent, et Christum Deum verum et hominem rationibus et exemplis probassent, confusi et victi clamore magno quæsiverunt a fratribus, quid sentirent de Machmeto? responderunt, quod esset filius perditionis positus in inferno, quia post Christum longe veniens legem contrariam legi Christi dederit, et ideo non solum ipse, immo omnes suæ lubricæ ac execrabilis vitæ vestigia imitantes, et suam pestiferam legem servantes, filii æternæ damnationis fierent. Quam confusionem Episcopus coram populo æquanimiter ferre non valens passam, passionis varia supplicia fratribus intulit, et eis vitam ademit. Qui in passione et post passionem evidentibus et stupendis miraculis claruerunt: quæ infidelibus ea cernentibus suæ sectæ ambiguitatis et diffidentiæ scrupulum non modicum ingerebant. Tantam etiam barbari, visis illis signis et prodigiis, quæ Dominus per famulos suos fratres memoratos

moratos operabatur, certitudinem et confidentiam fidei Christianæ conceperunt, quod certatim et turmatim ad locum, in quo fratres sanguinem suum pro Domino effuderunt, sentientes se variis languoribus gravatos, confluxerunt, et terram cruore martyrum pretioso aspersam lingentes, vel aqua perfusam bibentes sanabantur. Tunc temporis Canis magnus Imperator Tartarorum in maxima reverentia fratres minores habuit: qui etiam illis temporibus præter CCCC. medicos idololatras, et unum Sarracenum, VIII. medicos Christianos habuit in curia sua, in cunctis vitæ necessariis abundanter ac solemniter provisos. Hæc testatur frater Sanctus Odoricius, de Padua oriundus, qui peragratis cunctis regionibus orientalibus, et incolumis ad terram nativam reversus hæc et alia mira et stupenda illic visa et audita ab eo, rogatus et compulsus a suis Confratribus minoribus, in scripturam redegit, opusculum valde solatiosum et delectabile, de hujusmodi raris et a seculo quasi inauditis relinquens.

Circiter ista tempora in eisdem partibus, ut fideli relatione percepi, in parasceve quodam loco quidam frater minor a Gardiano suo licentiam petiit et obtinuit, ut sanguinem minuere posset, sub textu illorum verborum intendens martyrii palmam per sanguinis sui effusionem sibi illa die ab infidelibus procurare modo subscripto. Sciens enim iste frater intime martyrii desiderio flagrans, Sarracenos tore congregatos in multitudine ex omni terra finitima copiosa, ad colendum illa die more solito solemnitatem Veneris, in Ecclesiam barbarorum, in qua conveneerant, audacter irrupit, et ascendens locum eminentem, Christum valenter prædicavit, et fidem Christi mirum in modum exaltans et approbans magnificavit, Machmeti vitam turpem, suamque legem sacrilegam, nec non sectam ejus Deo inimicam, cum observatoribus ejus detestando et reprobando. Propter hæc et alia ab eo luculenter et splendide perorata, Sarraceni ultra modum commoti ipsum acerrimis tormentis affecissent, si ab eorum Sacerdote vel Pontifice, qui præsto fuerat, cohibiti et refrenati non fuissent. Ille enim fratris locum ascendens, et silentium populo indicens, fratrem jussit, sine violentia et ejus injuria teneri, et alta voce dicta fratris retractans, ipsum insanire astruxit, dicens: ipse cum aliis Christicolis et Confratribus suis per VII. hebdomadas jejuniis, orationibus, vigiliis et aliis castigationibus tantum carnem suam afflixit, animumque coartavit, demens effectus quod est, et minime rationis suæ compos, et judicio suo hoc Gardianum suum cæterosque fratres penitus latere. Qui dum ad præceptum Sacerdotis, ad probandum rei veritatem in facto, ad locum fratrum reductus fuisset, ita esse repertum fuit. Et sic frater a desiderio suo defraudatus fuit, minime assequi valens aureolam martyrii, quam æstuanti animo concupivit.

Circiter etiam ista tempora apud Lacum Botanicum, in villa una dicta Hœgst cuidam marito marita sua obiit, quæ post mortem quotidie in prandio in effigie, qua sepulturæ tradita fuit, se tamen absque verbo mariti aspectibus præsentavit, posuitque se super lectisternia omni nocte ipsius, cum se ad lectum posuisset. Cum autem hanc visionem abominabilem cum terrore et pavore plurimo diebus aliquot sustinuisset, plebano suo detexit, ejus consilium et auxilium super hoc instanter flagitans. Qui sibi facilem præbens assensum, cum reliquiis secum pernoctavit sanctorum, per quas minime valens cum multis adjurationibus memoratam apparitionem abigere vel fugare, domum rediit, tantum virum illum relinquens desperatum, quod a villa in continenti recessit, Lindaudiam se transferens, sperans ibi se posse effugere prædictam terribilem visionem. Sed cum nec ibi posset ab ejus horribili adventu subportari, Schafusam declinavit, sperans se in remoto loco a pestiferæ apparitionis intuitu elongatum. Cum et ibi ejus crudelem accessum modo consimili pateretur, domum rediit se Deo committens. Cum autem una dierum quidam conversus mendicans domum suam intraret, ut ab eo eleemosynam acciperet, ad prandium invitatus est. Cum autem paterfamilias introrsus sederet in mensa, et illum peregrinum pauperem invitatum ex opposito sui extrorsus pro commensali suo locasset: species mulieris defunctæ advenit more solito, contra virum suum muta respiciens, in latere conversi invitati, cui se junxerat, constituta. Post cujus abscessum prandio peracto, conversus hospitem interrogavit, si ne aliquid in morte sibi promisisset, quod adhuc non solvisset? respondit, quod quendam hortum filiæ suæ parvulæ, habitæ per alium virum suum antecessorem, secundum exigentiam precum suarum sibi ab ea in agone porrectarum, minime contulisset; dixissetque se facturum in proximo ei, viva et libera voce ipsi promittendo, sed adhuc voto mulieris non satisfecisse promissum complendo, cum in potestate sua pristina remaneret. Cui conversus ait: da promissum tuum executioni, hortum filiæ tribuendo, et amplius a muliere tua mortua non molestaberis. Qui monitis ejus acquiescens, liberatus ab ejus infestatione fuit. Hæc fidelissima assertione cum attestatione plurima intelligens, dignum duxi Scripturæ commendare. Aliqui famant, quod plebanus prædictus mercedem propter hoc a prænominato sæpe viro accipiens, stolam suam mulieri mortuæ sibi apparenti injecit et circumligavit, intendens per hoc eam ad loquendum compellere: quam nichil metuens in Sacerdotem irruit cum impetu, ipsum suffocando et vita privando, qui crastina sepultus fuit die, muliere, sicut antea, illic usque ad terminum prius dictum modo consueto apparente.

Paucis annis evolutis ante prædicta, quidam frater ordinis Sancti Francisci, oriundus de partibus inferioris Alemaniæ peregre profectus ad partes infidelium, ad evangelizandum eis Christum, cujus epistolam ab eo directam suo generali de vicaria aquilonari legi, latam et diffusam, laudabiliter ibi gessit, fructum animarum pinguem faciendo. Nam, ut ex epistola sua elicui et excerpsi, multam gentem in imperio Canis Magni Tartarorum Imperatoris, fonte baptismatis et verbo salutifero prædicationis ad fidem Christi convertit: immo maximum fructum animarum fecisset, si Nestoriani hæretici sive falsi Christiani illic multiplicati, ipsi non obstitissent. Nam illi felicibus eorum actibus invidentes, ipsi pro viribus adversabantur. Interdum aliquos per calumnias, detractiones falsas, adulationes, de majoribus natu illius terræ contra eum concitabant, flagellationes, incarcerationes, et varias castigationes apud potentes per plures dies et annos procurabant ei nefarie fieri: quæ omnia patienter pro Christo sustinuit. Quandoque Canis Magnus, quia eum intime dilexerat, percipiens eum innocenter pœnis adstrictum, turris vel arctæ custodiæ mancipatum, clementer eripuit ipsum a captivitate,

ptivitate, et a cunctis tribulationibus suis, libertati eum restituendo, pœnas graves eis minando, qui eum de cætero verbis vel factis læderent. Aliquot annis in plagis orientalibus et aquilonaribus degens, postquam ipsas intraverat, forte VIII. vel IX. tam perfecte idioma terræ illius vel gentis didicerat, quod potenter et audacter in eo seminare poterat verbum Dei. Tantum etiam prædicationibus suis in populo fructificavit et profecit, homines ad Christi fidem trahendo, quod frequenter infra spatium unius mensis vel hebdomadæ multa millia hominum ad ejus baptismum convolarunt. In locis ubi prædicaverat, ut fatetur in epistola, ante nunquam Evangelium Christi fuerat prædicatum: quanquam enim de beato Thoma legatur, quod per eum India, quæ sibi in sorte prædicationis advenerat, in magna parte, et per duos pueros Romanos tempore Silvestri Papæ, et Constantini Imperatoris Romani, ut legitur in Ecclesiastica hystoria, in Christum crediderit; tamen juxta verbum suum ad loca, ubi ipse evangelizavit Christum, nullus Katholicus ante ipsum fundamenta, vel saltem lapidem primarium fidei orthodoxæ, qui poneret, venit. Nulla insitio, immo nec plantula fidei Apostolicæ ante eum illic pullulavit: sed ipse primus large ibi semen Christianæ serens doctrinæ in terram bonam, vomere prædicationis et conpunctionis sciffam, uberem messem credentium sive ad Christum conversorum messuit; diligens enim et indefessus quia fuerat operarius in vinea Christi et in agro Dominico, manipulos non paucorum conversorum, sed plurimorum millium reportavit. Presbiterum etiam Johannem, Regem opulentum et potentem, de quo plura hyperbolice in uno libello apud nos leguntur, ad Christum et per eum totam suam gentem convertit. Sed heu post mortem suam disciplinæ Christianæ perniciosam ad vomitum paganismi compulsa rediit, per successorem suum idolatram pessimum et tyrannum; quos revocare sicut oves errantes et perditas ad caulas vel ovile fidei, frater memoratus non prævaluit, quia nimis ab illo regno elongatus, degens in ditione Canis Magni, Domini dominantium, ultra XX. vel XXX. dietas fuit. Hic sæpe dictus frater XL. pueros terrigenos emit, litterasque Latinas et Grammaticam eos docuit: tandem vero post lactis et pulmenti pueris congruam refectionem ipsis ministratam, solidum cibum ipsis præbuit, eos in Musica et in Sacra pagina inbuendo, horas quoque canonicas et cantum adeo perfecte didicerunt, quod eas alternatim in choro psallere egregie noverunt; quidam etiam eorum ingeniosi, et vociferati præ aliis existentes chorum gloriose rexerunt. In cantu ipsorum Canis Magnus summe delectabatur: unde prædictus frater ipsorum magister et instructor frequenter vocatus ab ipso fuit, ut assumptis secum IIII. vel VI. solatium sibi per cantum ipsorum faceret, qui sibi libenti animo obtemperans, et in hoc satisfacere et complacere affectans, alternatim ex pueris præfatis IIII. VI. vel VIII. secum assumptis coram Cane Magno et suis Satrapis in aula regia conparens pluries, per suavem melodyam ipsorum sibi gaudium et lætitiam non modicam inpendebat, eum cum suis taliter intime demulcendo, et mirabiliter recreando. Hanc ob causam frater ille, et propter vitæ suæ simplicem puritatem, et sanctam laudabilemque conversationem, tantam gratiam invenit in oculis Principis sæpe dicti, quod eum propitium patronum, protectorem, et quasi præcipuum et singularem amicum in cunctis suis necessitatibus gratiosissime sentiebat.

Anno Domini M. CCC. XLIIII. in quadragesima vel citra, universitas oppidi Sueviæ dicti Bibrach plures cives potiores ab antiquo communitati, sed tunc noviter nocivos et adversarios factos et inventos, ut fertur, in furore quo contra eos vehementer exarserunt, de oppido expulerunt: quorum domus Advocatus Imperatoris Ludwici, residens in Ravenspurg, auferens, Imperio vendicavit, frumenta quoque eorum et alias res mobiles eorum confiscavit, eas in castrum oppidi memorati abducendo.

Anno Domini M. CCC. XLIII. et XLIIII. Episcopus Constantiensis, ortus de oppido Vrowenveld, contra jura parcitatis et tenacitatis, sibi a primordiis nativitatis inditæ, super egenos, qui nimis propter Karistiam, ut supra disserui, tunc in Alemaniæ partibus crudeliter sævientem multiplicati fuerant, pia gestans viscera, misericordiæ operibus mirabiliter inpendebat. Nam, ut fertur, avaritiam suam pristinam et quasi innatam a se excludens, magnam multitudinem quotidie pauperum suis alimoniis pavit, multis quoque hominibus inediæ pondere oppressis, immo, quod majus est, oppidis mutuum liberaliter dabat, nichil inde nisi Dei gloriam et mercedem sperans. Unde hæc fuit reputatio dexteræ excelsi: nam, ut verisimile est, verbum Prophetæ intendebat, almario cordis efficaciter inserendo, in Psalmis dicentis; Jocundus homo, qui miseretur et commodat, disponet sermones suos in judicio, quia in æternum non commovebitur, in memoria æterna erit justus, ab auditione mala non timebit. Attendebat nichilominus verbum Redemptoris in Evangelio Lucæ, dicentis: mutuum dantes, nichil inde sperantes, ut filii patris vestri sitis, qui in cœlis est. Hæc et hiis similia ipsum a duritia cordis sui adamantina molliebant, quod rerum temporalium amorem et cupiditatem solitam strenue a se excussit, eleemosynam large miseris impendendo. Fertur autem notabiliter inter cætera liberalitatis suæ divinitus arreptæ insignia, quod duobus annis jam memoratis ad minus in hebdomada ter duo vel tria millia, quandoque tria millia cum quingentis pauperum pane pulmentoque large refecerit, et sic multos a mortis miserabilis faucibus præservavit. Verbum enim Psalmistæ eum cum supradictis ad hoc movere poterat, qui dicit; Beatus qui intelligit super egenum et pauperem, in die mala liberabit eum Dominus etc. Et illud Apostoli: qui large seminat, large etiam metet vitam æternam. Sit ergo nomen ejus benedictum in secula.

Anno Domini M. CCC. XLIIII. breviter ante festum sancti Johannis Baptistæ, firma et fideli relatione mihi heu innotuit, quod XL. Veneti æstimantes discordiam exortam inter eos et barbaros eodem anno tempore autumnali, quemadmodum supra memini me dixisse, ad tempus per treugas decisam vel penitus sopitam, merces suas ad eosdem more solito per navigium detulerunt. Qui mox contra confidentiam suam, in ultionem injuriæ in prædicto certamine Paganis ab eis illatæ, deprehensi et detenti sunt: ex quibus aliquos nolentes Christi fidem abnegare, et sectæ suæ professores fieri, acerrimis pœnis extinxerunt. Inter cæteras pœnas et Martyrii genera, ut audivi, inauditam apud me alicui ex eis intulerunt, videlicet quod funem uni auriculæ Christicolæ, perfossæ prius ab eis, immiserunt, transversaliter

ter eum per oppositam auriculam extrahentes, in qua eum diu regirantes et ventilantes cum dolore dirissimo perdiderunt. Hii attenderunt et cordi apposuerant verbum Christi in Evangelio dicentis: Qui negaverit me coram hominibus, etc. Item illud: Nolite timere eos, qui corpus occidunt etc. Et ideo martyres Dei facti sunt, se dealbantes in sanguine suo, vicissitudinem Christo rependentes, qui sanguinem suum pro eis fuderat in cruce: et ideo coelicas immediate mansiones non immerito, ut pie creditur, perceperunt. Pagani vero reliquos Venetos, sectam eorum recipere volentes, illaesos a mortis aculeis reliquerunt. Quae dum Veneti perceperunt, jaculo doloris immenso perfossi sunt, et congregati in magno numero, CCC. vel CCCC. ex ipsis de Consulibus et aliis melioribus decreverunt, quam cito facultas se afferret, militia copiosa et armata manu galeas plures replendas, et contra paganos memoratos destinandas, ad ultionem ab eis de occisione concivium suorum insperata, Domino suffragante, strenue capiendam.

Anno Domini M. CCC. XLIII. et XLIIII. ut plurima veridica relatione intellexi, propter Karistiam immensam, quae tunc in Alemania graviter accreverat, aliqui homines in Albogowia truncos silvarum putridos et bene comminutos farinae rudi aveticae commiscebant, ex eis cibum agrestem conficientes, ad famis molestiam intolerabilis repellendam, cibum sive escam, non panem dico, quia pastam ex ipsis compingere volentes, minime potuerunt: nam quia materiae aptae et proportionatae fuerunt pro commixtione facienda, conglutinari in pastam vel concurrere non valebant. Quidam etiam eisdem temporibus siscum de arboribus collegerunt, et ex eo farinam quodammodo facientes, et consequenter panem, ventres ex eo miseros et nimis famelicos refecerunt.

Anno Domini M. CCC. XLIIII. tempore vernali seu aestivali, dum cives plures in oppido Swevie Memmingen debitores cuidam Judaeo eis cohabitante fuissent, et sibi solvere illis diebus, quamvis instanter petiisset, neglexissent, dyocesanum Episcopum Augustensem adiit; suppliciter postulans, ut propter eum locum memoratum ecclesiastico dignaretur supponere interdicto, ut cives per hoc conpulsi de debitis sibi satisfacerent praetermissis. Episcopus vero, quia etiam suus debitor extitit gravis, ut sibi inducias vel dilationem ampliorem solvendi praestaret, facilem praebuit assensum, sicut exegerat, Judaeo, locum subjiciens interdicto. Quod dum cives per aliquot dies amaro animo, quia extra cimiterium defunctorum corpora ponebantur, pertulissent, unanimiter Judaeum potiores cum debitoribus ex eis accesserunt, rogantes ut interdicti propter eum in eos fulminati ablationem vel relaxationem, ne ultra illic carerent ecclesiastica sepultura, illico procuraret. Ad quod faciendum dum eum flectere minime potuissent, minister civitatis valde industrium et sagax responsum invenit, quo Judaeum tantum terruit, quod eis in continenti aquievit. Fuit autem ministri verbum: si non faceret, cunctos Judaeos morituros illic cum Christicolis in cimiterio tumularent; quod Judaeus tantum pertimuit et abhorruit, quod mox eis annuit et assensit. O quam vilis Ecclesia facta est, quod ad infidelis et ad haeretici verbum cultus Dei prohibitus est et indultus! Heu insanabilis est plaga ejus, miserabiliter cecidit, non adjiciens resurgere, a planta pedis usque ad verticem non est in ea sanitas, egressa est ab ea omnis decor ejus.

Item anno Domini M. CCC. XLIIII. in oppido Lindaugensi proch tantum timor et amor, et omnis Dei justitia apud plures homines utriusque sexus evanuerunt, quod imperterrite et manifeste contra Dei mandata, Ecclesiaeque sponsae ejus statuta canonica turpius quam Judaei usuram exercuerunt. Nam V. solidos pro II. denariis cum dimidio, X. solidos pro V. denariis per hebdomadae spatium mutuabant. Tantum etiam in hoc crimine inprobae usurae, quae hominum substantiam exhaurit, indurati fuerunt, quod hominum caeterorum murmura, detractiones, praesertim justorum in coelum propter hoc vociferantium voces minime adverterunt, immo quod gravius est, fratribus minoribus ibi residentibus, scelus suum inposuerunt, dicentes: fratres in confessionibus nostris nichil nobis ponderant usurarios contractus, sed potius nobis eos faciles et lenis ponderis demonstrant. Quod falsum penitus fuit, quia publice contra usurariam praedicaverant pravitatem. Patet etiam falsitas ex hoc, quod praedicta loquentes mulieres usurariae fuerunt, de confessione fratrum nullatenus existentes. Quae etiam colorem excusationis in sua malitia invenientes dixerunt, quod valde meritorium eis esset, quia desolatos homines per hoc redderent medullitus consolatos. Hiis ita obstinatis usque ad festivitatem sancti Johannis Baptistae accidit, quod quidam Judaeus locuples alienigena cum aliis Judaeis Lindaudiam devenit, petens a civibus in concivem recipi, seriose pollicendo ipsis, quam diu eis commaneret per residentiam, quod singulis civibus, quandocunque indigerent vel requirerent, per septimanae spatium libram denariorum pro duobus tantum nummis vellet mutuare; adjiciens in futurum suae jacturae praecavendo, ne de caetero usurarii Christiani illic permitterentur, alias promissum suum et communionem exequi non valeret. Quod cives libenter acceptantes gavisi sunt, dolentes de usura tam gravi, quae inter Christianos illic excreverat. Statuerunt ergo in festo Apostolorum Petri et Pauli, sub rigida et districta poena transgressoribus irrefragabiliter infligenda, quam pertranseo, quod deinceps usurarius contractus vel inprobum foenus nullatenus a Christicolis illic degentibus exerceri praesumeretur. Et sic usurarii causaliter propter burgensium edictum et decretum, et occasionaliter propter Judaei adventum insperatum, inviti ab usuraria pravitate destiterunt, qui eam ob amorem Christi deserere temere contempserunt. O Deus, quantum avaritia, idolorum servitus, Ecclesiam foedavit et deformavit! Quomodo sanctus Petrus caeterique Apostoli, et eorum successores, martyres et Doctores Ecclesiae fundamenta militantis ponentes, et immobiliter in fide Christi et actione persistentes, credidissent vel credere potuissent, in nostris temporibus statum Ecclesiae, quondam inclitum et gloriosum, fore ex pestifera radice avaritiae taliter deturpandum! Ipsa est heu dilacerata, sauciataque in omnibus membris ejus, et non est qui alliget fracturam ejus, non est qui consoletur eam, vel medeatur vulneribus ejus, attrita est in sceleribus suis, tam graviter lapsa est in praecipitium vel foveam viciorum, quod per se resurgere nequit, nec est qui suscitet eam: omnes enim quasi erraverunt sicut oves errantes, unusquisque abiit in viam suam non rectam, quam non coluerunt patres ejus, cupiditate rerum temporalium dementatus. Unde adimpletum est verbum Jeremiae

Prophetæ dicentis: a majore usque ad minimum omnes student avaritiæ; in tantum etiam, quod verbum Micheæ videtur esse impletum dicentis: principes in muneribus judicabant, et sacerdotes in mercede docebant, et Prophetæ in pecunia divinabant. Hæc radix venenosa, avaritia cum ramusculis suis, scilicet symonia execrabili, præda, et furto, præcipue voraci usura mundum infecit et pervertit, in tantum quod Johannes in canonica sua proprie dicere poterat: totus mundus in maligno positus est.

Præterea eodem anno paulo ante resurrectionem Christi sive Pascha, quædam massa ignea formam parvi dolii in se gerens, post crepusculum unius diei in medium unius vici melioris oppidi dicti Veltkilch desuper dilapsa est; cujus lapsus et aspectus terribilis dum plebi accurrenti stuporem incussisset insolitum, se coram cunctis id cernentibus sursum elevans in aere resoluta est. Hujus rei repentinus et insperatus eventus ac horribilis, secundum æstimationem prudentium civium oppidi memorati, pronosticum et præsagium futuræ cladis, vel periculi ingruentis fore, probabiliter timebatur. Hujus pronosticationis veritas patuit evidenter in æstate sequenti proxima ejusdem anni: nam tunc initia et quædam præambula formidolosæ gwerræ exorta sunt oppido præfato, et terræ prope ipsi adjacenti. Nam tunc Dominus Ulricus Comes de captivitate sua superius tacta quibusdam pactis jurejurando firmatis noviter ereptus, sed male servatis, Imperatorem contra hæredes suos, Comitem Hugonem et Rudolfum, qui ipsum libertati suæ pristinæ restituerant a captivitate, cui eum propter sua demerita injecerant, ut ipsis visum fuerat, gravissime provocabat. Et hoc fecerat de oppido Lindaudiæ, ad quod se tunc contulerat illic ad tempus aliquod commorandum.

Item eodem anno Episcopus Constantiensis, ortus de oppido Vrowenvelt, circiter festum beatæ Mariæ Magdalenæ ab hoc seculo transmigravit. Qui sentiens in ægritudine, in qua decesserat, sibi mortem in propinquo imminere, ordinavit quod soli mendici, quos per biennium paverat, præter suam familiam eum defunctum positum super libitinam de castro suo Castell vocitato ad civitatem Constantiensem, ubi sepulturæ tradendus erat, sequerentur. Qui dum in magna multitudine eum, sicut desideraverat, in civitatem comitati fuissent, apud Sanctum Paulum, h. e. in monasterio sic nuncupato, quemadmodum ante mortem Præsul fieri instituit, in remedium animæ suæ largam eleemosynam perceperunt. Quam more valedictionis seu recessus ultimo recipientes, variis querulosis et funestis vocibus, mortem ipsius eis amarissimam ac damnosissimam deplorabant, dicentes: Heu pie et Reverende Pater, quam male te baculum nostræ sustentationis amisimus! cui tuos filios desolatos, immo acerbissime sauciatos derelinquis! quia facti sumus orphani miserrimi, orbati et destituti patre amantissimo; spes nostra singularis te mortuo periit, venerunt dies luctus nostri, consumptis et præteritis diebus consolationis nostræ. Versa est citara nostra in luctum, et organum nostrum in vocem flentium. Sublatus est nobis Pater gratissimus: quis modo miserebitur pupillis ejus? non est modo qui doleat vicem nostram, miseriamque et ærumnam: non est qui consoletur nos ex omnibus caris nostris. Facti sumus sicut oves, non habentes pastorem. Quis det capitibus nostris aquam, et oculis nostris fontem lacrimarum, ut possimus plangere mortem incliti patris nostri, pia gestantis ad nos viscera? Quis nobis det ut moriamur pro te? melius enim nobis deinceps mori est, quam vivere super terra, cum melius sit non esse quam male esse. Hiis et similibus verbis ex intimis visceribus Dominum et Patrem suum querebantur pauperes Episcopum, et planxerunt. Ipse vero interim tumulabatur in fossa unius prædecessoris sui, Domini Henrici de Klingenberg, longe, ut fertur a quibusdam, ante XXX. annos ibidem sepulti. Qui quamvis tanto tempore in illo monumento jacuerit, tamen, quod est mirabile dictu, integer et incorruptus inventus fuit, apparuitque indutus vestimentis Pontificalibus, cum caligis rubeis minime putrefactis, cum annulo quoque in digito, quem polictor quanquam vilem sibi abstraxerat. Quam cito autem cadaver memoratum tactum frivole, et motum fuerat, in favillam et cinerem redactum est et resolutum.

Item eodem anno scilicet M. CCC. XLIIII. in pago Turgow superiori, in festo exaltationis sanctæ crucis, abominabile scelus et quasi immanissimum perpetratum est. Nam Dominus de Roschach castrum suum unum, dictum Rosenburg, cujusdam agricolæ custodiæ fideliter commendaverat. A quo Domino, dum quidam nobiles in vicino residentes a multis annis retroactis pecuniam sibi debitam habere nequivissent, cognomento illi Giel appellati, insidias memorato castro ponebant, et in prædicto festo nacta opportunitate ipsum latenter ingredientes, villicum seu villanum ad præstandum eis juramentum fidelitatis per minas præcipitationis compulerunt, quatenus una cum ipsis et pro ipsis castrum conservaret, defenderet, et diligenter custodiret. Qui tam atrociter exactus recalcitrare pertimescens, vota eorum vocibus, non operibus exsolvit: quod rei exitus taliter conprobavit. Nam dum colonus sæpe dictus suæ malitiæ conscius perficiendæ locum vidisset præfatos nobiles, quasi certos de pecuniæ solutione per pignus captum, divulsos a se invicem in castro, et unum ex eis super vas quoddam plenum spiculis ad cernendum ea incurvatum, a tergo eum aggrediens ipsum uno ictu transfodit, vita privando; alterum vero minime hoc scientem, per valvam vel fenestram ad exteriora prospicientem, similiter a tergo tam valide securi, qua se armaverat latenter, percussit, quod unico ictu momentaneo sibi mortem intulit, ante dolose machinatam. Hiis itaque peremptis ab eo, descendit castrum, ut servum eorum infra in eo constitutum etiam perimeret. Ad quem cum pervenisset, securim contra eum levavit, ut eum perderet: quod servus, forte armiger, videns brachium prætendit, et ictum in aliam partem a se retorquens rusticum invasit, et colluctando secum ipsum in terram subter se projecit. Videns autem filia rustici patrem suum servo subjacentem, ipsum tamen fortiter stringentem, cultrum unum sibi porrexit, quem mox desubter in inguine ejus infixit, et occidit; et surgens omnes tres de castro præcipitavit. Hic maledictus homo, immo diabolicus vel feralis, per ista latrocinia instinctu et adminiculo Sathanæ operata totam viciniam vel territorium totum maculavit, corrupit et fœdavit.

Item in æstate ejusdem anni dominicæ incarnationis, scilicet M. CCC. XLIIII. sermo exiit inter homines satis communis et frequens, immo per totam fere Alemaniam percrebuit, compositionem plenariam

nariam inter Papam et Imperatorem in proximo certissime sperandam. Nam a latere Papae duo Legati Reverendi emittendi essent ad locum aliquem Germaniae, decreta voluntatis Apostolici afferentes, ab Imperatore amplectenda, si munus consecrationis Imperialis assequi gestiret: et in argumentum hujus esset, ut plures astruxerunt, quod Marchgravius Moraviae, senior filius Regis Boemiae, vir laudabilis testimonii, ad hoc promovendum de terra sua egressus Basileam devenisset, moram ibi contracturus usque ad exitum Legatorum Summi Pontificis. Eos enim illic exspectare deberet, quousque venirent, ut cum illis Caesarem accessurus, in tractatu complanationis habendae inter praedicta capita mediator fieret opportunus. Cum autem terminus eventus praedictorum appropiaret, Imperator circiter principium autumni in singulis parochiis Episcopatus Sweviae Augustensis, nec non in singulis dyocesibus et parochiis terrae Bavariae jejunium trium feriarum sextarum in pane et aqua devote ab universis fieri demandavit. Constituit quoque sive edixit in eisdem partibus processiones supplices et obnixas, et in eisdem Dominum obsecrationibus votivis et humilibus exorari, quatenus spiritum concordiae, pacis et unitatis inter ipsum et Papam, et consequenter in tota Ecclesia infundere et immittere dignaretur. Et ut ipse aliis exemplum se praeberet, in propria persona jejunasse modo praetaxato, ac in processione devotissime incessisse ferebatur. Hiis ita peractis, singulis civitatibus episcopalibus mandavit Alemaniae, quod de potioribus aliquot cives sibi transmitterentur, quia cum ipsis decernere vellet, quid accipere vel respuere competeret sibi in illis, quae sibi ex parte Papae in placito compositionis injungi contingeret, quia nulla illic nisi mediante consilio vel auxilio eorum attemptare disponeret. Igitur circa festum nativitatis Mariae convenerunt Imperator et cives una cum Principibus Electoribus in Frankenfurt, secundum quosdam vero in Bachram, ad placitandum de concordia reformanda inter capita memorata. Intellexerunt autem ab ore Legatorum Papae, si praesentes fuerunt, ut quidam affirmant, vel ex litteris Legationis Papae, si Legati absentes fuerant, tam gravia onera, et pacta tam importabilia, quae Papa ab Caesare Ludwico exegerat, quod nullatenus acceptanda forent, sed penitus aspernanda. Dixerunt ergo Imperatori: Nos non consulimus nec assentimus vobis, quod istas conditiones suscipiatis, quia in decrementum et praejudicium vestrae dignitatis et nostrae in perpetuum vergerent; sed suademus vobis potius, quod jura regni, honoris et excellentiae vestrae et nostrae totis viribus teneatis. Quae confirmans Inperator adjecit: Ecce, sicut constat vobis, ego humiliavi animam meam per procuratores, intercessores, meos Legatos, in emendam excessuum meorum, et ut gratiam Papalis benedictionis invenire seu attingere possem, pulsando aures istius Papae et suorum Praedecessorum, contemporaneorum meorum, non semel, sed pluries cum magnis sumptibus meis. Sed heu nichil profeci, sed magis irrisioni, opprobrio et contemptui datus sum, quia non solum me confusibiliter abjecerunt velut haereticum et latronem, verum etiam nuncios meos, tam Clericos quam Laicos, solemnes et omni acceptione dignos, tanquam scurras cum injuria remiserunt. Etiam si nunc Summi Pontificis indiscretis desideriis satisfacerem, non solum in Regni dispendium, verum etiam in meum et posteritatis meae damnum irrecuperabile duratione perpetua redundaret. Haec approbando Principes cum civibus referuntur tale responsum Imperatori subintulisse: Postulatio Papae nichil quasi innuere videtur aliud, nisi quod vos regni gubernacula, et nos Electoriae dignitatis apicem, a tempore Karoli ad nos devoluta, resignemus, et ad extraneos transferri permittamus, contra monita sapientis salubria, dicentis: ne des alienis honorem tuum. Sed haec nec vobis nec nobis expedire dinoscuntur: sed potius satagere debemus ad conservanda jura et privilegia nostra in suo robore pristino et virtute. Hiis respondens Inperator, adjiciendo ait: Ego, in quantum in me est, paratus essem Papae obtemperare ad nutum in omnibus poenis, censuris vel pactis mihi imponendis, pro satisfactione meorum excessuum, si quos contra sedem commisi Apostolicam, dum tamen essent consona rationi. Sed quia cernitis eum poscere ea, quae libram seu dictamen rectae rationis excedunt: idcirco vobis consentio penitus in hac parte. Alii vero famant, quod Principes magnam displicentiam propter nimiam sui humiliationem erga Papam conceperunt, quia culmini Regalis Inperialisque Celsitudinis derogaret: et ideo expresse sibi in faciem restiterunt non assentiendo sed contradicendo aperte suae excessivae ac indebitae erga Papam humiliationi. Fertur quoque, quod iidem Principes aegre ferentes, et amaro animo sustinentes remissionem et negligentiam Imperatoris, tanquam causam destructionis Imperii, ab eo seriose postulabant, ut filium Regis Boemiae praenominatum sibi subrogaret in Regem Alemaniae. Quem recusans, Filium, Marchgravium Brandenburgensem pro Rege praesentavit: quem ipsi similiter abjicientes, ab eo indignanter discesserunt. Regnum tantum periit et debilitatum est sub te Bavaro, dixerunt ad invicem, quare summopere praecavendum est, ne deinceps ad Bavaros transferatur. Tamen, antequam ab invicem divellerentur, quemadmodum fama communis me instruxit, decreverunt concorditer cum Imperatore, quod ultra a Papa gratiam quaerere non attemptaret, quam totiens irrationabiliter sibi senserat denegatam.

Hiis etiam temporibus, ut certa relatione percepi, Rex Castellae per dura praelia, quae, Domino suffragante, Paganis feliciter intulit, praeter civitatem Granatam, ut supra commemoravi, grandem valde et populosam, quam cepit Anno Domini M.CCC.XLIII. interfectis cunctis habitatoribus ejus idolatris, Christicolis locatis pro eis, abstulit et abstraxit ipsis terram trecentorum milliarium, et suo dominio subegit, eam pacifice possidendo. Triumphavit autem de eis absque magna strage fidelium.

An. Dominicae Incarnation. M. CCC. XLIIII. mense Septembri, propter ecclipsim Solis terribilem plus solito, futuram seu imminentem VII. die sive nonis Octobris, secundum tenorem epistolae assertivae Doctorum Astronomorum, directum et divulgatum, per plures regiones lamentabiles processiones, devotissima jejunia, eleemosinarum largitiones, orationes et obsecrationes obnixissimae, praecipue apud Rhenum a populo fiebant, ut Deus ipsis placatus factus propter memorata, indignationem suam ab eis averteret, immutando cursum et influentiam astrorum damnosissimam et metuendissimam eis superveniendam secundum certissimam aestimationem magistrorum Astronomiae, tam Christicolarum quam Paganorum concordantium in illa, juxta eorum pronosticationem

tionem inmutabili positione. De ista Ecclipsi mira et stupenda nimis ventura in populis opinione celeberrima percrebuerunt: quæ credita merito corda hominum terrere potuerunt, et ad deprecandum Deum pro eis amovendis plebem provocare. Inter cætera enim personuit in Alemania, ecclipsim per triduum perduraturam cum densitate tanta tenebrarum, quod homines se mutuo videre non valerent; insuper cum tanta pestilentia seu mortalitate, quod tertia immo amplius pars hominum interiret. Et ideo a Parochianis subditi in pluribus locis, ad pœnitentiam peccatorum suorum condignam, et ad recipiendam eukaristiam angariebantur, quod et factum fuit. Hæc autem ecclipsis cum suis concomitantiis vel sequelis formidandis die prænominata juxta præsagium Astronomorum minime evenit: Serenissima enim dies absque omni opacitate et nubilo a mane usque ad sero fuit. Unde huic loco satis proprie adaptare possum verbum istud novellæ Poetriæ: Scaturiunt montes, seu tumet terra, exiit mus tandem filius ejus. Item verbum Ysopi: Sæpe gerit nimios causa pusilla metus; quia magna hominum trepidatio, et pavor ingens in ridiculum conversus est.

Eodem anno post festum omnium Sanctorum fama personuit apud lacum Botanicum, quinque Principes Electores conspiratos contra Imperatorem, venturos in multitudine gravi Frankenfurt, ad perdendum eum, vel ad deponendum eum, et alium loco sui subrogandum. Quod intelligens Imperator Ludwicus se cum Archiepiscopo Moguntino, et cum Filio suo Marchgravio Brandenburgensi, inter cæteros Principes Electores pro eo zelantibus, et cum Civitatensibus et Dominis multis Germaniæ collegit in tanta multitudine, quod longe plures galeatos coronatos habuisse astrueretur, quam tria millia. Fama etiam michi advolans testabatur, XX. millia pugnatorum ipsum in promtu tenuisse, præter multas civitates vicinas, quæ cum copiosis exercitibus sibi succurrere paratæ fuerunt, si necessitas ei, ut timebatur, incubuisset. Quæ non imminebat, quia nemo suorum adversariorum illic comparebat, et ideo domi remanserunt. Fertur quoque IIII. Filios Imperatoris ibidem coram eo in armis militaribus, et dyadematibus rutilantibus, adinstar astrorum gloriosissime micuisse. Honorifice ergo recessit, qui anxius advenit.

Ordine retrogrado sive præpostero, non longe sed prope superius prætermissum quiddam valde notabile, et in scripturam redegibile referam legentibus in futuro, horrorem et stuporem immittens, loco suo debito ex oblivione transilitum. Est ergo istud: Anno Domini M. CCC. XXXIX. tres Baghardi hæretici deprehensi, et Dyocesano Constantiensi supra pluries memorato præsentati, locoque eminenti cimiterii Ecclesiæ Kathedralis Constantiensis, coram toto Clero et omni populo, hæresium articulos multos abominabilissimarum legitime convicti confessi sunt publice. Qui cunctis Auditoribus nauseam et admirationem a retroactis annis inauditam incusserunt. Nam dum fuissent rite examinati, ac discussi superatique, errores suos execrabilissimos, in vetustate dierum suorum pessimorum perpetratos, imperterrite coram cuncta plebe Civitatis Constantiensis illic congregata prodiderunt. More autem alicujus hominis aliquot guttas aquæ de gurgite haurientis paucos ex multis articulos persequar, nam plures quam XXX. uerunt: ex quibus tantum istos relictis cæteris primam. Unus fuit, quod quidam ex eis una vice a mulieribus tribus interrogatus de Trinitatis essentia, antequam responsum daret, ad exhortationem sui vestibus detractis se penitus denudantes ad dorsa sua se in latibulo suo projecerunt. Quo facto cum funiculo vel cordula pedem unius mulieris alterius mulieris pedi viciniori alligavit; Quibus taliter colligatis turpiter abusus fuit, nam eas regiravit, et hinc inde traxit, patula earum pudenda interim visu lubrico contuendo, tandem subnectens: hæc est Sancta Trinitas. Nec in hoc sibi suffecit, quin etiam petulantia carnis commercia cum singulis secundum suum bestialem immo diabolicum libitum post hæc exerceret. Tantum enim eas venenoso potu suæ pestiferæ doctrinæ ac hypocrisis dementaverat, quod suis desideriis nefandissimis totis viribus satisfacere studuerunt. Affirmavit quoque quod in pediculo tantum Deitatis vel divinæ bonitatis vigeret, quantum in homine vel alia qualibet creatura. Asseruit insuper tertio, quod panis non consecratus, vel hostiæ panis consecratæ in duobus cophinis positus, sui sive porco æqualiter cibus aptus esset. Quarto astruxit, si viri et mulieris concubitus, et consecratio hostiæ a sacerdote in distantibus a se aris, vel duobus cornibus unius altaris fierent, quod utrumque æqualis ponderis foret, actus nec unus esset alteri præponendus. Hi errores et cæteri istorum hæresiarcharum fuerunt certissimis testimoniis probati. Hos autem quatuor ex cæteris multis præsenti tantum inserui opusculo, ne peccatum eorum in eo deleatur, sed memoriæ maledictæ in perpetuum commendetur. Cum in iis erroribus coram clero et plebe irrevocabiliter perdurarent, tandem videntes fore se tradendos Curiæ seu Judicio seculari, perterriti simulando pœnitentiam errores suos revocabant, pœnam condignam Ecclesiæ super excessibus suis subire parati. Fuerunt igitur ab Ordinario in turrim conjecti, et in ea usque ad mortem pane arcto et angustiæ aquaque tribulationis pasti.

Anno Domini M. CCC. XLIIII. in vigilia Ascensionis, ut ejus relatione mihi innotuit, qui præsens erat, atrox bellum navale commissum est inter Fratres hospitalarios Rodensis Insulæ, cum adjutorio aliorum Christianorum, et inter Turcos in mari. In quo quamvis Christicolæ tantum habuerint XVI. galeas absque aliis navibus penitus, et Turci XXV. galeas cum CXX. navibus: tamen Deo sibi cooperante de Turcis triumphabant, cæsis de Christianis tantum trecentis viris, ex Turcis vero XVIII. millibus. Sed heu una galea fidelium, potito jam ab eis triumpho, per galeas Turcorum in absconso latentes, insperate et inopinate super eam irruentes, fatigatam a certaminis labore, abducta est et capta, cujus inhabitatores Christiani in captivitate dura ab Ascensione Domini usque post Festum Michaelis detenti sunt. Interim autem Christiani fratrem seu nepotem Regis Turcorum captum in eodem bello, in custodia arta detinebant: qui tandem libertati suæ a Christianis ob petitionem Turcorum, et ob promissionem firmam manumissionis ab eis fidelium jurejurando suo roboratam, quod et factum fuit, restitutus est; qui si captus non fuisset, Turci omnes Katholicos in galea memorata repertos perdidissent.

Paulo ante ista, ut mediante prænominati narratoris relatione didici, Turci clandestina et nocturna et inprovisa invasione campestria Græciæ, villas et hujusmodi depopulantur, abductis secum Græcorum

rum XL. millibus, adventum eorum minime grandem præscientium.

In fine fere ejusdem anni civitatenses plurium civitatum sitarum juxta lacum Bodmensem ad præceptum Advocati eorum terram Comitum Muntfortensium perdomare, et Imperio applicare affectantium, in numero pauco et vili se apud Breganciam congregantes inconsulte, et ibi per biduum vel triduum commorantes, cum eorum derisione et contemptu absque fructu redierunt. Hæ civitates confœderatæ Imperiales, inprovide et inepte ad bellandum egredientes, cum convenissent in loco prænominato, et suam paucitatem plene perspexissent, veriti a facie hostium, ab incœpto destiterunt turpiter cum Ecclesiarum multarum violatione, et earum deprædatione, cum pauperum spoliatione, desolatione, trucidatione, more Paganorum, ad propria in non modicam eorum ignominiam, opprobrium et verecundiam revertentes. Ad pacem terræ integrandam venerunt, sed eam inter se detestabiliter ruperunt, nam in transitu suo se mutuo spoliabant. Ad augendum Imperium confluxerunt, sed ipsum magis laniaverunt: nam in se et alios juramenti fœdere sibi copulatos insurrexerunt adinstar freneticorum, quia filii Belial penitus extiterunt. Ista expeditio ante festum sancti Thomæ, quando erat algor intolerabilis, facta est, sed ante festum Nativitatis Christi contemptibiliter consummata, stulte attemptata, inaniter dissoluta.

Anno Domini M. CCC. XLIIII. in diebus Nativitatis Domini quoddam dæmonium castrum oppidi Kampidonensis inhabitare cœpit, et diebus ac noctibus in diversimoda effigie animalium habitatoribus castri apparens horridum eis habitaculum dedit in tantum, quod Kastellanus cum suis servicialibus viris strenuis sibi cessit. Nam clara aliquando die eis tantum terrorem et tremorem intulit, quod Kameram, in qua pariter dormierunt, exire, quamdiu eos molestaverat, minime præsumpserunt; arma ipsorum in conspectu eorum abstulit vel sustulit, et cum strepitu terribili ad ima vel in partem oppositam projecit: quod inhabitantibus castrum stuporem et horrorem grandem incutiens eos de castro ad oppidum fugavit.

Anno Domini M. CCC. XLIIII. et XLV. duo filii Ducis Austriæ Ottonis dudum ante defuncti, in primævo adolescentiæ flore, quia infra XX. annos constituti, unus circa finem anni XLIIII. alter in principio XLV. dominicæ incarnationis, ab hoc seculo in pace, secundum vero quorundam opinionem intoxicati transmigrabant.

Item anno Domini M. CCC. XLV. in partibus Italiæ ante quadragesimam propter prædicationem crucis Christi contra Paganos, a Papa Clemente Sexto tunc temporis Ecclesiæ præsidente mandatam, sub titulo remissionis omnium peccatorum et pœnarum eorundem, multa millia Christicolarum contra Turcos Christianis et Paganis adversarios transfretabant, ut fama veridica ad me pervenit. A qua quoque percepi, quod tunc noviter Veneti, Januenses et alii Katholici Turcis per sua bella atrocissima, quæ eis intulerant, civitatem gloriosissimam abstraxerunt, per quam Christianitas, si eam conservare prævaluisset, in perpetuum locupletari valeret.

Item eodem anno tempore quadragesimæ in Ulma quædam mulier honesta, eo quod quendam civem locupletem ibidem commorantem impetivisset, et in spiritualibus judiciis vexasset, et vexando obtinuisset, quod matrimonium initiatum cum ea consummaret, ab eo jussa est occidi, quia pœnitentia ductus amara de matrimonio contracto cum ipsa aliam traducere satagebat. Sed extincta, post mortem evidentibus miraculis coruscans, innocens comprobata est: quæ longe lateque diffusa ipsam non solum insontem, verum etiam sanctam Deoque acceptam demonstrarunt. Nam cœcis visum, claudis gressum, multaque beneficia, Domino largiente, indigentibus conferebat. Quæ dum parentes viri, tanquam indicia justitiæ mulieris, civis vero malitiæ, obstruere, cohibere et obducere conarentur, magis erumpebant.

Item anno Domini M. CCC. XLV. mense Februario XL. viri apud Smirnam, Kapitanei exercituum Christianorum, a Turcis interempti sunt, exercitibus illæsis permanentibus, quod tali modo accidisse asseritur. Kapitanei maturo consilio decreverunt, machinas Turcorum fore destruendas, ut minus per hoc civitatem Smirnam molestare, ipsam oppugnando, valerent. Quod dum factum fuisset cum prospero aliquali fidelium conflictu Turcis illato, ad civitatem redierunt. In quo reditu, dum Kapitanei divulsi ab exercitibus, ad quandam Ecclesiam juxta viam sitam, ad referendum Deo gratiarum actiones pro victoria de Turcis habita divertissent, et hoc Turci de loco eminenti perspexissent eis insidiantes, mox ab eis in multitudine congregatis circundati et comprehensi sunt, et in continenti omnes pariter extincti. Illic corruit, ut fertur, Capitaneus Papæ Clementis VI. qui quinque galeis illuc directis a Papa præfuit. Cecidit quoque ibidem Kapitaneus Hospitalariorum insulæ Rodes, et Cipri, et Venetorum, ac Januensium, cum Neapolitanorum et Pisanorum, cum aliis etiam mihi non nominatis, quorum mors pretiosa est in conspectu Domini, ut pie credendum est. Post mortem vero horum, ut fertur, Mense Martio Christianitas, Domino cooperante, damnum de suis cæsis, ut ita dicam, reconpensans, apud quendam fluvium de Turcis, ut turbo venientibus ad nocendum Christicolis, tria millia peremit; et in campo quodam etiam fere totidem perdiderunt, pro quo Christus sit benedictus in secula seculorum.

Item eodem anno oppidum Lindaugense, honoribus, divitiis, et personis per cives aliunde venientes brevi tempore succrescens in altum, ad ima dejectum est abjectionis, opprobrii, vilitatis et paupertatis, ita quod sicut ante floruit, ita tunc tabuit: et sicut ante fragravit jocunda redolentia oppinionis excellentis, sic postea fœtuit fœtore famæ ignominiosæ. Nam partialitas iniqua, latenter diu exorta, ibidem infra octavam Pascæ in medium patenter erupit, burgensibus pluribus potioribus alteræ partis fugientibus ad civitates et ad castella circumposita, nec non multis tandem successive propter culpas levis ponderis a loco eliminatis. In disturbio illo ab Advocato Imperatoris humilis progeniei, residentis in Ravenspurg, magnanimiter tamen agentis, magister civium et tribuni plebis burgariorum, ante non habiti, jussu Cæsaris Ludwici creati sunt. Ab eo quoque omnes cives reperti in oppido illo ad fidelitatis juramentum conpulsi sunt sub districtione severa.

Eodem quoque anno incarnationis Domini, circiter festum Paschatis, legatio Imperatoris Ludwici pro compositione inter ipsum et Papam sæpius attempta-

 ta,

ta, ut supra expressum est, per nuntios omni Reverentia dignos replicata est; qui contra confidentiam hominum, ante Festum Sancti Johannis Baptistæ, reversi sunt omni desiderio terrarum frustrato. Nam nulla, sicut antea sæpe factum est, prospera reportabant. Propter quod homines præsertim Alamaniæ, de compositione capitum et unitatis Ecclesiæ recuperandæ ad minus pro suis temporibus penitus desperabant. Tunc temporis religiosi et seculares Clerici, qui divinum cultum in locis Imperialibus, vel aliis interdicto suppositis resumpserant, absolutionem ab hoc a Romana Curia impetrarunt, aliis Clericis in eisdem locis libere et absque pavore in celebratione persistentibus: hujusmodi autem absolutio pro uno floreno facillime obtinebatur. O quam lamentabilis et execrabilis scissura, et difformitas Ecclesiæ illis in temporibus facta est! Hoc verbum Evangelii: gratis accepistis, gratis date; irritum visum est.

Anno Domini M. CCC. XLIII. Dominus Ropertus, Rex inclitus Siciliæ et Apuliæ, litteris eruditissimus, ab hoc seculo transmigravit: qui fuerat præcipuus benefactor Ordinis fratrum minorum, quod in fine vitæ suæ apertissime demonstravit, habitum ordinis pluribus diebus ante vitæ suæ exitum devote assumendo, in quo et apud fratres, sicut fieri voluit, sepultus est.

Anno Domini M. CCC. XLV. Rex Franciæ, ut fertur, insignem et opulentum, et magnanimum Comitem de Bar accusatum sibi de dolo inito ab eo cum Rege Angliæ contra ipsum, sublatum de lecto suo violenter, vel, secundum aliorum dicta, fraudulenter ad se vocatum interfecit, cujus mortem uxor sua, secundum quorundam assertionem, fraude consimili vindicavit.

Hiis temporibus sedes Episcopalis Constantiensis vacabat ultra spatium integrum anni solaris, cum scandalo totius terræ. Nam Decanus ejusdem Ecclesiæ et Dominus Albertus de Hohenberg contra se in Avione apud Papam Clementem VI. cum multo tædio et dispendio morabantur. Tandem Decanus Episcopatum obtinuit post graves sumptus, et pecuniæ immensas donationes. Hic a majori parte Capituli electus fuit, et sicut in vocibus eligentium prævaluit Comiti, sic et post in captione Episcopatus; reversus in secundo anno post obitum sui antecessoris, qui fuit circa festum Beatæ Margarethæ, infra festum Paschæ et Pentecostes.

Hiis in temporibus quidam tantæ agilitatis extiterat, quod coram plebe pluries super valangam sibi ad hoc præparatam in civitate Argentinensi faciliter prosiliens, et in momento se transvertens, in pedica se pedis unius suspendit, capite contra terram verso, et in omnem partem se de valanga ventilando et regirando stuporem omnibus aspicientibus dedit. Nichilominus virtute quadam mirifica sibi præ cæteris hominibus indita, membris sui corporis more puellari compositis, coram populo hoc spectante, de mensa longe ad alteram e regione locatam se transjecit, ita ut ibi se erecto statu non supino statueret, quemadmodum de alia mensa erecte et directe ad illam transilivit, quod magis reputabat apud semetipsum, quam id quod prius narratum est. Fertur de alio quodam, quod Romæ excelsam turrim ascenderit, et totum corpus de ea prominenter et evidenter exponendo, solo pollice unius manus suæ super crepidinem muri, turris vel cancelli sui extremitate innixus, cunctis cernentibus spectaculum plenum admiratione præbebat: nam per girum se extra turrim ventilando, et hinc inde convertendo, in solo pollice introrsus sustentatus, omnium hominum ad hoc conspiciendum confluentium oculos, a retroactis annis inoppinabili ac inaudito tractu, ad se traxit et allexit. Item quidam in Rotwil, de alto ponte ratione cujusdam vadimonii initi cum aliis viris, ad spatium trium pedum contra profunditatem seu præcipitium vallis vel fossati super tegulam tenuem infra pontis crepidinem sibi pro signo vel meta locatam decidens, mox potentia quadam incredibili naturaliter sibi impressa in pristinum locum pontis, unde in præceps voluntarie ruebat, resilivit. Quidam etiam mancus promtissime digitis pedum pro digitis manuum in ludo taxillorum cum cæterorum lusorum admiratione non modica utebatur. Quidam insuper homines cum cæteris corisatoribus in suis capitibus loco pedum ad terram transversis expeditissime corisabant. Quidam etiam in pluribus locis equos velocissimos suo cursu velociori prævenerunt, insuper in eos retro promtissime saliebant, dum actu equi in suo cursu erant citissimo constituti; et, quod magis est, quidam in tali cursu et saltu capita sua in sellas equorum currentium fixerunt directe et erecte, pedibus suis transversis in altum contra cœlum.

Anno Domini M. CCC. XLVI. nuncii Ducis Austriæ intromittentis se pro tunc de compositione inter Inperatorem et Papam egressi in adventu immediate anni praeeuntis a facie ejus reversi sunt circiter purificationem Beatæ Virginis, nulla gratia obtenta.

Anno Domini M. CCC. XLV. tempore vernali vel æstivali Rex Kragogiæ filiam suam Romulo Imperatoris filio sibi nato, dum Romæ ageret, tradidit in uxorem. Qui circiter festum Sancti Jacobi perrexit cum pauco exercitu vel comitatu ad consummandum matrimonium ante initiatum.

Item eodem anno vel tempore, Marchio Moraviæ, filius Regis Boemiæ, in multitudine gravi Marchionatum Brandenburgensem intravit ad devastandum eam, in ultionem injuriæ illatæ fratri suo juniori a filio seniore Imperatoris Marchione Brandenburgensi. Hic enim uxorem fratris sui tulerat dudum ante temere, et sibi eam in conjugem copulavit, contra juris Canonici tenorem: consanguinitas enim inter eos habita, ut fertur, et divortii nullatenus obtenta celebratio matrimonium Christianæ Religionis fieri prohibebant. Dum autem, ut dictum est, filius Regis Boemiæ demolitioni terræ Brandenburgensi insisteret, Rex pater suus quamvis omnino orbatus fuerit lumine oculorum, tamen pro filiis discrimini se dedit, oppida terræ oppugnando, quod a seculo, ut credo, non est auditum. Fecit autem hoc nimio furore exagitatus contra Imperatorem filiumque ejus, ob causam immediate memoratam.

Circiter idem tempus Cæsar Ludwicus colligendo exercitus bellatorum in auxilium filii sui contra Regem Boemum, licet frustra, quia effectui opus inchoatum non tradidit, circa civitatem Nuerenberg et urbem Ratisponam, ibidem circumquaque terram devastabat: liberam enim licentiam contulit cunctis congregatis deprædandi quos vellent vel possent homines illic degentes. Eodem quoque tempore famabatur, quod Rex Boemiæ una cum Filio suo Regi Kragogiæ bella intulerit. Qui duo Reges, dum cum suis exercitibus contra se in canpestribus locati fuissent, et Rex Kragogiæ videret, se verisimiliter superan-

superandum a multitudine nimis copiosa hostium respectu sui, ad unam urbium suarum valde perterritus confugit, contra spem suam tandem humiliatus. Nam interim, dum speraret se auxilium habiturum oportunum, et hoc fiducialiter præstolaretur a Cæsare propter sponsalia noviter inita inter Filiam suam et Filium Cæsaris memoratum, et non inveniret, ipsa irricavit secundum assertionem plurimorum, vel ad minus cassare disponebat, aut attemptavit.

Item anno Domini M. CCC. XLV. in Septembri, circa festum Sanctæ Crucis, in fluvio Rheno apud oppidum Rinvelden, centum et XXX. homines promiscui sexus navigantes de balneis naturalibus, et de loco Heremitarum submersi sunt. Circa idem quoque tempus XL. homines Lacum transire juxta oppidum Rapperswile in ferocissima tempestate more freneticorum satagentes, naufragium incurrerunt: nam absorpti a voragine procellarum, in profundum abyssi, rupta navicula, deciderunt.

Paulo ante ista præscripta, Generalis fratrum minorum legatione Summi Pontificis functus ad Regem cujusdam Insulæ Paganum, ipsum cum gente sua ad Christum convertit. Qui dum post hæc peracta ad Capitulum generale celebrandum in Assisio anno Domini M. CCC. XLII. pergeret, Rex adhuc Katechuminus, una cum populo neophito clamabat cum ejulatu lamentabili, post eum dicens: Heu Pater Sancte, cui novellam plantulam tuam fovendam relinquis? invadent gregem tuum lupi rapaces, nisi post capitulum mittas aliquos fratres tui ordinis ad terram nostram, Doctores verbi ac exempli, qui plebem adhuc debilem et recentem et novam in fide solident et confirment. Qui precibus eorum supplicibus, indicibili gaudio per hæc perfusus, annuens, a capitulo plures fratres idoneos eis transmisit, qui verbum Dei illic prædicarent valenter, et conversos ad fidem baptizarent.

Circiter ista tempora, dum quidam nobiles dicti de Lochen, Swevi, Regi Daciæ auxilium contra suum hostem, ut puto, Regem Norwegiæ vel Swecıæ pro stipendio pingui cum multis galeatis præstarent, accidit Paganos alteri ex prædictis Regibus subactos Ecclesiam quandam violenter hora Missæ subintrare. Dum autem unus ex illis presbitero, celebranti in altari, interim hostiam consecratam temere abstulisset, et eum alter Paganus propter hoc nimium dolentem cerneret, socio suo raptori hostiæ suggessit dicens: redde illi tortulam ablatam, quia video quod medullitus pro ejus amissione est consternatus. Ecce qualiter Sacramentum Sacramentorum per ignorantiam et infidelitatem quandoque vero per malitiam contemnitur et irridetur, in fidei non modicum detrimentum!

Anno Domini M. CCC. XLV. circa festum omnium Sanctorum, dum frater Imperatricis, Comes Hollandiæ, quandam civitatem, Trajectum vocitatam, sibi adversantem expugnare desudaret, a suis familiarissimis dolose, ut a quibusdam fertur, interemptus est. Alii vero asserunt sic, dum strues natatiles lignorum, longas et latas, composuissent firmissimis ligaturis, super fluvium quendam puta Rhenum vel aquas maris, præterfluentem, vel inhærentes civitati, et desuper cum multis millibus pugnatorum operam darent diligentem ad captionem et desolationem civitatis; conpagibus lignorum dissolutis, et tenaculis ruptis, in profundum maris vel fluminis pariter, paucis exceptis, corruerunt, submersionis mortem incurrentes. Tertia currebat opinio, inter memoratos famosior et veritati similior, videlicet quod Frisonibus bellum intulerit cum multa electaque militia, sibi eos subjicere gestiens. Qui egressi contra eum sua castra posuerunt, colligentes illic artificialiter multitudinem aquarum, quas dum tandem contra acies Comitis ex adverso constitutas emitterent, et illæ eruptæ ex insperato more torrentis inundantis rapidissime effluerent, ipsas una cum Comite in magna parte absorbebant, ceteris in ore gladii prostratis usque ad internecionem: pauci enim manus vel aquæ voraginem effugerunt. Fertur autem communiter, XL. millia virorum de exercitibus Comitis modo prædicto cecidisse, qui omnes una cum Comite miserabiliter perierunt. Imperatrix vero audiens mortem fratris descendit in Hollandiam, et ipsam jure hæreditario ad eam devolutam sibi vendicavit, ipsam, ut dicitur, pacifice possidendo.

Anno Domini M. CCC. XLVI. Rex Siciliæ a suis servicialibus strangulatus fuit, pro quo Papa Clemens VI. medullitus jaculo doloris fuit perfossus in tantum, ut fama testabatur, quod ipsum amarissime deplanxit. Frater vero suus Rex Ungariæ ex mœrore immenso, quem gestabat in pectore suo pro sua interemptione, per multos dies cum tota familia et comitatu suo, in argumentum suæ desolationis, in veste funebri nigri vel fusci coloris incessit. Auctores vero latrocinii fere XL. viri de Optimatibus, post Regis mortem notati, in ultionem tam exsecrabilis sceleris commissi horribili nece plexi sunt. Plerique ajunt, dum Rex præfatus cum consorte sua in Kamera regia sopori se dedisset, memoratos malefícos per ostium Kameræ audacter et importune irrupisse, et ipsum sublatum per eos a latere Reginæ, et in altum per funem elevatum, quem ad hoc secum attulerant, in trabe suffocasse, regina vix per fugam celerem manus eorum effugiente. Facta sunt autem hæc tempore hyemali circiter festum nativitatis Christi.

Anno Domini M. CCC. XLVI. Imperator Ludwicus apud Monachum, civitatem suam propriam in Bavaria, accusationes graves et querimonias miserabiles parentum pueri noviter tunc occisi a Judæis ibidem habitantibus, corruptus pecunia audire recusavit; populum quoque civitatis memoratæ, katervatim locum occisionis pueri extra muros frequentantem, ubi Dominus miracula sanitatum plurima, ut fertur, operari dignabatur, cohibere et restringere minis et terroribus a cœpto concursu satagebat. Cum autem videret se contemni prohibitiones et præcepta sua minime curando, demandavit sive ad minus permisit homines utriusque sexus spoliari, denudari, turpiterque tractari: et quod super omnia gravius est, tuguria et casas pro solatio adventantium illic constructas, et crucem excelsam erectam in titulum destrui et amoveri jubebat. Quod factum, fidei Katholicæ et justitiæ minime consonum ipsum fecit ignominiosum. Hæc fecit filio suo Marchione Brandenburgensi de hoc dolente, et in contrarium renitente. Iste nefarius actus Cæsaris, Christianæ Religioni penitus inimicus, suam gloriam non modicum obfuscavit: nam sicut antea in populo proprio illic gratiosus et gloriosus extitit, sic postea turpis est ei redditus et exosus. Multi etiam præsagiebant et conjiciebant, illud opus abominabile fore quoddam præambulum et pronosticum suæ infelicitatis in proximo imminentis.

Item

Item eodem anno tempore æstivali Rex Angliæ, ut fertur, de Rege Franciæ in uno prælio ad invicem commisso in quodam loco triumphavit. Quo potito feliciter, Swevos aliquos a suo exercitu captos, timentes de vita sua inpunes libertati remisit tali adjecta conditione, quod si, Domino cooperante, in brevi contingeret eum Parisiis potenter dominari, hoc audito ab eis illico se sibi ibidem præsentarent; sine autem quod essent ab hoc vinculo penitus supportati. Qui ad hoc faciendum, ut fertur, se coram eo obligaverunt, sacro præstito juramento.

Anno Domini M. CCC. XLVI. in festo Valentini martyris plures cives extranei oppidi Lindaugensis in disturbio ejusdem oppidi supra non longe memorato fugitivi seu profugi effecti a facie inimici, scilicet Advocati, ex insperato latenter cum multis armis supervenientis, et zelantis pro adversa parte, congregati in unum cum alienigenis sibi allectis et secum assumptis, ita quod erant circiter XXX. in numero, in adjutorium suum, per portam unam male custoditam tunc, quadam vesania seducti, armis armati micantibus, et variis vasis interfectionis muniti, scilicet gladiis, cuspitibus, gesis et balistis, repente gressu clandestino paulo ante solis occasum oppidum introeuntes, importune ac inpetuose domos Capitaneorum contrariæ partis adierunt, ipsos in eis studiosissime quæritantes. Quibus non inventis, quemadmodum sperabant, per vicos et plateas hostiliter procedentes, stuporem et tremorem habitatoribus in eis per eorum inprovisum introitum, et insperatum adventum, suspicantibus magnam multitudinem secuturam eos juvantium, incusserunt. Nemini tamen nisi sibi nocentibus molestiam intulerunt. Si autem facere voluissent, exceptis civibus vulgaribus, plures de melioribus sibi casualiter in stratis occurrentes absque quovis obstaculo perdidissent. Clamabant autem unanimiter, nichil male intendere, sed tantum res suas repetere velle, et de suis bonis indebite sibi ablatis fieri justitiæ complementum postulare, per hæc præsumentes, et verisimiliter sperantes, præstantiores Burgenses cum majore parte populi oppidi sibi in continenti adhæsuros, et mediante eorum patrocinio et auxilio adversariis ibidem prævalituros; sed frustra in arundine vento agitata confidentes. Ab eis enim in quibus anchoram spei suæ fundaverunt, omnino derelicti fuerunt. Nam in crastina die, treugis in sero præteritæ diei compositis adhuc durantibus usque ad pulsationem horæ primæ, in quibus licitum fuit eis abscedere, ut fertur, salvis rebus et corporibus, sed acceptare nolentibus, quia adhuc aliqualiter prosperari sperabant, contra fiduciam suam comprehensi et conclusi a communitate loci, detractis armis insignibus ac vestibus cultioribus, tam in turribus quam in domibus sunt arctæ custodiæ mancipati. Principales enim et capita illius partis in vinculis et compedibus, ac manicis ferreis; quidam vero de vulgaribus cum prædictis instrumentis pœnalibus in pane angustiæ et aqua tribulationis, propter eorum forte graviora demerita constricti et trucidati sunt. Post Pascha vero cum civitatenses et Domini terræ circumjacentis pluries una cum Advocato Cæsaris Lindaudiam ad tractandum et ad placitandum in cassum pro eorum redemptione venissent: tandem post Pentecosten locupletiores pro pecunia grandi, quam Imperator exegit, extorta ab eis, a fidejussoribus eorum prompta, in festo Sancti Jacobi certissime Advocato præsentanda, de captivitate sua, cum duris tamen pactis adjectis in futurum servandis, quæ pertranseo, erepti sunt. Quidam vero ex cæteris occisi sunt sive treugæ fuerit tempore, sive persecutionis; quidam per fugam salvi et illæsi evaserunt; quidam autem, quod est miserabile dictu, famis inedia consumpti sunt. Liberati vero Constantiam se transferentes pecuniam a fidejussoribus termino statuto expeditam ipsis solvere recusarunt, dicentes eis fidem in pactis custodiendam fore violatam, quia plures ex concaptivis necati essent, qui libertati suæ restituendi fuissent, et ideo non immerito etiam ipsi frangere consequenter eam deberent, exactam substantiam non solvendo. Pro qua rebellione tandem anathematizati sunt, et a civitate Constantiensi fere ejecti. NB. Porro vita misera fame peremptorum, cum variis tormentis absque famis cruciatu execrabilibus, et mirum in modum acerbis maceratorum et castigatorum usq; ad mensem Augustum se protraxit. Circa finem autem eorum famis rabies tam crudeliter in eis sæviebat per omnimodam alimentorum subtractionem, quod heu scippos et statuas juxta se positas in parte, ut dicitur, corroserunt. NB. Anno sequenti redierunt per pacta quædam interposita.

Anno Domini M. CCC. XLVI. Marchio Moraviæ, filius senior Regis Boemiæ, supra pluries memoratus, a Papa Clemente VI. Rex contra Ludwicum Cæsarem suscitatus est. Qui dum eodem anno fere a tempore quadragesimali cum militia copiosa, et cum potentia mirifica, nec non gratiis uberrimis sibi a Summo Pontifice collatis, ad regnum Alamaniæ possidendum, ubique venturus solemni satis fama divulgaretur, et a multis cum desiderio atque tædio non modico adventus ejus præstolaretur, et Cæsar Ludwicus idcirco congregare exercitus ad occurrendum sibi, et a finibus Alamaniæ repellendum disponeret: accidit, quod ipse quandam civitatem obsedit cum quodam Episcopo adversario illius civitatis, clero in civitate contra cives pro Episcopo fortiter zelante. Quam obsidionem cives æquanimiter ferre non valentes, quadam die in impetu Spiritus fortitudinis extra muros civitatis eruperunt, et conflictum cum hostibus ineuntes, et eis prævalentes, militiam bonam in aliquanta multitudine novi Regis prostraverunt. De quo perterritus, a cœpto itinere et opere resiliens, ad Regem Franciæ protinus refugiebat. Dum autem cives prælibati triumphatores ad civitatem rediissent, clerum sibi dissentientem, et Præsuli temere contra eos faventem in ore gladii, prout fama communis astruxerat, perdiderunt.

Anno Domini M. CCC. XLVI. apud Nuerenberg latrones in cujusdam nemoris abditis commorantes, tot damna in rebus et corporibus hominibus transeuntibus intulerunt, quod stratam regiam incultam penitus reddiderunt. Quod cives ultra ferre non valentes, quia in dispendium eorum et terræ non modicum vergebat, propter cessationem vecturæ mercimoniorum preciosorum consueto more per stratam publicam illius nemoris deducendorum, per civitatem proclamari et denunciari valenter jubebant: quicunque unum latronum memoratorum captum civibus adduceret centum libras Hallensium ab eis immediate percipere deberet. Quod audiens quidam in vicino pauper rebus miles residens, desideransque aliqualiter de sua inopia relevari, latronibus sollerter insidiando, notavit eos una dierum XVIII. in numero quoddam castrum vile ascendere, et causa refectionis

ctionis ibi accipiendæ intrare. Quo viso, illico congregatis pluribus armatis rusticis, et secum eis ductis castrum invadens, strenue et audacter in virtute fervida in ipsum irrumpens, latrones simul repertos omnes cepit, et civibus in Nuerenberg præsentavit. Qui gavisi valde morte eos acerba et congrua talibus malefactoribus de medio sustulerunt: militi vero captori eorum pro quolibet centum libras Hallensium, secundum eorum pollicitationem, liberaliter tribuebant, quibus receptis lætabundus domum revertens suam penuriam exclusit.

Paucis annis evolutis ante immediate recitata, dum quidam hæretici utriusque sexus extra civitatem Nuerenberg ad cremandum ducerentur, et ammonerentur a fidelibus appropiantes portæ, in qua imago crucifixi depicta vel sculpta erat, ut elevantes oculos eam aspicerent, quatenus ejus intuitu ad cor redeuntes, et compuncti ab erroribus suis resipiscerent, veritatis agnitionem resumendo. Qui salutis spernentes monita, a Spiritu maligno illaqueati ac ludificati in verba blasphemiæ proruperunt, dicentes (sicut mihi innotuit): in regno cœlorum Deo non cohabitant homines, sed tantum canes et catti; et exspuentes in detestationem imaginis, lætabundi ad tormenta properabant, rogum incendii subeuntes.

Pluribus annis ante narrata accidit, quod quidam nobilis residens non longe a loco Brigantino in suppremitate Lacus Botanici, nocte quadam equitando transiret parvum fluvium nomine Lüblach, cui ibidem obviavit Dæmon super alto equo constitutus, qui dixit nobili: Vis habere istum equum præstantiorem multo equo tuo? Cui cum respondèret nobilis, quod libenter habere vellet eum, dum tamen vellet sibi eum donare. Tradidit ergo sibi eum dicens: accipe hunc equum eminentiorem ac velociorem cæteris equis, et habebis tibi eum ultroneum et paratum semper per multos annos ad omnia obsequia tua, si tantum unicum factum cavebis, hoc est, ne sibi pabulum anteponas. Qui gratias agens votivas suo datori gaudens abscessit. Dum autem usus fuisset illo equo desiderabili forte per biennium, accidit quod dum cum aliis majoribus natu illius confinii ad placitum in una villula nuncupata Nidrewangen habendum perrecturus esset, ad unum molendinum secus alveum fluvii Arg juxta villulam situm divertit, ubi equum uxori molitoris absentis fideliter commendavit, quousque placitum finiretur, injungendo sibi quanto seriosius potuit, ne equo pabulum ministraret: quod utique facere spopondit, et diligenter præcavere. Itaque nobilis ad placiti locum abiit. Post modicum vero temporis intervallum molitor, qui antea absens fuerat, domum repedavit, et videns equum illius nobilis sibi dilecti alimentis omnino carere, iratus nimis effectus conjugem verbis probrosis affecit, quod equo in necessariis non providit, suspicans eam ex incuria propria neglexisse. Cui ait mulier: mihi districte dedit in mandatis, ne sibi fœnum vel avenam apponerem, cui obtemperare cupiens prætermisi. Cui maritus subjunxit: ista tibi præcepit ex discretione multa qua pollet, volens nobis condescendere, ne nos equi sumptibus agravaret. Et accurrens in vehementia equo pabulum præposuit: quo facto equus protinus disparens per tectum cum fragore et strepitu evolavit, et ultra visus non fuit. Molitor vero cum conjuge stupefactus et turbatus nobili revertenti de placito rei seriem enarrabat: qui videns se Dyabolum tanto tempore equitasse, mirans et pavens super hiis, domum pedester rediit, qui equo insidens, ut putavit, advenit.

Anno Domini M. CCC. XLVI. homuncio quidam vel gnanus de abditis suis egressus, clara in campis pastoribus superioris Albgogiæ die apparuit, quem dum capere niterentur, relicto baculo quem in manu tenebat, vix manus eorum effugit, recondendo se in suis latebris, unde exierat, ipsis cernentibus, paxillum tamen suum vel hastulam pro grato munere vel exennio, quem rejecerat, reservabant, et poma.

Item eodem anno Domina Sancia Regina Siciliæ et Apuliæ, conjux quondam Regis Roperti supra pluries memorati, consolatrix piissima pauperum, præcipua tamen benefactrix fratrum minorum migravit ad Christum, sepulta in habitu, ut fertur, ordinis Sanctæ Claræ in monasterio monialium ejusdem ordinis solemni apud Neapolim, quod ipsa construxerat de novo, in personis et rebus copiose provisum.

Anno Domini M. CCC. XLVI. circiter festum Sancti Bartholomæi Rex Angliæ iterum resumens et replicans contra Regem Franciæ conflictum, paucus existens in multitudine exercitus respectu Regis Franciæ in multitudine gravi contra eum congregati, ipsum fugavit una cum novo Rege a Papa creato, et cum multis millibus armatorum, etiam Swevorum. Porro de Magnatibus et nobilibus, et famosis civibus exercituum Regis Franciæ prostravit, ut fertur, circiter duo millia præter multa millia popularium, quorum certum numerum non audivi. Quamvis enim de utriusque Regis exercitibus multi, sive in ore gladii percussi vel conculcati fuerint, in bello ceciderint, tamen quasi incomparabiliter plures ex parte Regis Franciæ corruerunt: nam Rex Angliæ victoria gloriose potitus est. Fertur, quod Rex Angliæ illa vice conflicturus exspectavit Flandrenses sibi in auxilium venturos, sed tardantibus eis, et dies statuta belli incumberet, et ultra protrahere bellum nollet, in Domino confisus qui potest salvare in paucis sicut in multis, viriliter et magnanimiter aggreditur hostes adversus se constitutos, et strenue fortiterque propriis cum cuneis eos usque ad internecionem cædens triunphavit de exercitibus Regis Franciæ. Cecidit Rex Boemiæ, cæcus dudum penitus effectus, Pater Regis noviter creati a Papa, quem ad instantiam suam magnam, robustus et magnanimis civis Basiliensis de genere suo cognomento appellatus Monachus, duxit ad belli certamina, qui ambo a prælii tumultu extincti sunt. Corruit quoque de parte eadem, ut fertur, Rex Majoricarum, quod dolens refero, et Dux Lothoringiæ cum multis aliis Satrapis, Ducibus et Baronibus, quos Rex Angliæ deplanxisse dicitur, quando vidit eos post belli exitum tam lamentabiliter prostratos.

Anno Domini M. CCC. XLVI. propter frigoris et humoris per mensem Aprilem et Majum, et fere per medietatem Junii nimium excessum pluviarum, cum sterilitate arborum vites saltem circa lacum Botamicum tarde florere cœperunt in tantum, quod Lindaugiæ in Festo Sancti Jacobi nondum florere desinebant. Quamvis autem deinceps botri auram satis calidam habuissent, tamen per Solis ardorem

dorem decoqui non valebant in tantum, quod tempore vindemiæ apud Lindaudiam esibiles propter excessivam acredinem et duritiem suam minime essent; et tamen, quod est judicio meo mirabile, vinum expressum de uvis acerbis et botris amarissimis, ut ita dicam, illis, quos bruina veniens nimis perniciose circiter Septembris principium non læserat, vel infecerat, competenter bonum et delectabile ad bibendum erat.

Item eodem anno Veneti quandam civitatem maritimam, nomine Sadert, grandem et opulentam, eis in aliquo contrariam hostiliter obsederunt: quam Rex Ungariæ regno suo pertinentem, veniens de Ungaria itinere decem dietarum laborioso et difficili cum exercitu copioso, defendere nequibat, quanquam a festo Georgi usque ad festum Sancti Jacobi non lente, sed fortiter pro civitate contra Venetos repugnarent. Videns autem se frustra laborare, rediit in terram suam, multis valde viris tam de populo suo, quam de Venetorum in ore gladii propter atrocem oppugnationem et repugnationem utriusque partis ad alterutrum interfectis, quam alias subitanea defunctis propter pestilentiam exortam inter eos non modicam. Fuit autem illa civitas sic pro tunc, ut fertur, relicta, quod nec ab adversariis fuit superata, nec a Rege liberata, sed sui et Dei tuitioni reservata, propter assiduum tremorem et pavorem a Venetis civitati incussum. Miseria multifaria ibidem invaluit et excrevit in civibus, tamen viriliter et strenue rebellantibus. Hæc evenerunt in mulieribus quoque, idcirco speciositas immutata est. Nichilominus in Episcopo et suo Clero hæc lamentabiliter patuerunt. Fertur, quod in hac obsidione Veneti aggeres et arces, propugnacula ac alias structuras fecerint eminentes ita, quod mœnibus urbis in altitudine erant æquales, de quibus eam continue oppugnabant. Fertur quoque, quod quotiens Venetorum stipendiarii in oppugnando vel confligendo cum civibus eis acriter resistentibus centum vel ducenti perierant, totiens totidem in locum eorum illo surrexerunt, a Venetis pro ipsis substituti: sumptus enim gravissimos impendere parvi pendebant, ut violentiam Burgariorum, et insultus eorum frivolos reprimere, et urbem conterere, ac ejus præsumptuositatem contumacem elidere prævalerent: quam tandem Veneti ceperunt.

Hiis temporibus floruit in ordine Sancti Francisci solemnis Doctor, plenus dierum, Parisius, Frater Nicolaus de Lira, qui multas postillas, glossas, tractatus, et alia opera preciosa super diversos libros Sacræ Paginæ compilavit. Et Magister Occa, qui plura volumina librorum egregia tam Theologica quam Philosophica composuit, sed præcipue artem Logicam lucidissime explanavit.

Anno Domini M. CCC. XLVI. tempore æstivali Fratres Prædicatores a civitate Colonia Agripina contemptibiliter expulsi et eliminati sunt. Fratres vero minores paulo ante propter quartam dandam Parochiano, sed per multorum curricula annorum frivole et inconsulte neglectam, tribulationes, inconvenientias, persecutiones, turbationes, vexationes, nocumentaque plurima pertulerunt. Fratres insuper Prædicatores præter prædictam, propter quædam sui demerita, ut fertur, satis gravia, quæ pertranseo, etiam ab Aquisgrani ignominiose exterminati sunt.

Anno Domini M. CCC. XLVI. Rege Angliæ demorante in Francia ad debellandum Regem ejus, Rex Scotiæ ad instinctum Regis Franciæ et instantiam Regnum Angliæ ad devastandum eum intravit, qui per exercitum Regis vel Reginæ Angliæ hoc præscientis captus est et miserabiliter detentus, exercitu suo in non paucis millibus contrito, et mox post, ut fertur, defunctus.

In istis temporibus multi latrones, raptores et fures increverunt in partibus Sveviæ homines certatim deprædantes, et miserabiliter suo latrocinio perimentes.

In hiis etiam temporibus unus Dominus de Podmeg, et unus Dominus de Hohenvels cum multis aliis Christicolis transfretantes ad visitandum terram sanctam, et alias transmarinas, a quodam Rege Pagano reverenter tractati sunt, et muneribus insignibus honorati sunt. Hii in quadragesima de domibus et de patria sua abeuntes ante natales Christi domum reversi sunt ovantes, multis terris peragratis, Christique sepulcro diligenter perspecto, prius tamen pluribus florenis persolutis Sarracenis, qui eos ab ipsis extorserunt, antequam eis indulgerent introitum ad ipsum. Hii in reversione sua longe lateque diffamarunt hominibus, fratres Ordinis Sancti Francisci illic degentes sanctissimæ et perfectissimæ vitæ fore, et a Soldano sepulcri Christi custodiæ secundum vicissitudines suas ordinatissimas deputatos, altissimæ paupertatis perfectissimos sectatores.

Anno Domini M. CCC. XLVII. circiter quadragesimam Marchio Brandenburgensis, filius senior Ludwici Inperatoris rediit de Lytuonia, debellatis ibidem Paganis, ducens secum Regem Paganorum captivum cum Satrapis suis pluribus, quos, ut fertur, Principibus Katholicis diversis distribuit possidendos, qui sui triumphi magnifici sunt evidens testimonium.

Anno Domini M. CCC. XLVII. in quadragesima, et inter Pascha et Pentecosten, circa Avionem propter guerrarum rabiosam inundationem circumquaque exortam, fames exitialis et prævalida facta est, propter quam innumerabiles populi morte repentina extincti dicebantur. In tantum etiam mortalitas famem horrendam subsecuta sæviebat, quod in plateis, vicis, et in sterquiliniis prostrati miserabiliter jacuerunt.

Anno Domini M. CCC. XLVII. oppidum Lindaugense iterum lamentabiliter per incendium paulo post meridiem voracissimum, repente superveniens, mediante flatu venti subsolani inpetuosissimo destructum est, cum pluribus hominibus extinctis.

Eodem anno quidam nigromanticus veniens latenter in villam dictam Correnburren per præstigia sua multos homines dementaverat: nam domum, in qua absconditus erat, coram inhabitatoribus vel eam frequentantibus auream apparere fecit; plures defunctos simul suscitare videbatur, et suis parentibus vivis locutos fuisse; facta et verba absentia hominum de seipso et de aliis clare novit. His et aliis multis modis quandam villicam deformem præ cæteris inpraegnavit dicens ei, eam parituram puerum sanctiorem Johanne Baptista.

Hiis

Hiis temporibus apud oppidum Wangen erat quidam cœcus, domunculam habens juxta nemus, cujus novit singulas arbores, fagum vel pinum, quando sibi placuit, invenire, harum arborum cacumina, quando voluit, scandebat, et ramos ejus a summo usque deorsum gradatim abscidit, in ventilabro more videntis ventilare ac purgare frumenta optime novit, videlicet paleas a tritico bene excutiendo, ligna quoque secare cum securi non minus bene novit, et plura alia.

Hiis quoque temporibus, dum in villa Correnbürren quædam villica pastam farinæ ab ea confectam fornaci ardenti immittere vellet, ut inde panes formati in eo decoquerentur, ipsam cum magno stupore versam in sanguineum colorem reperit, quia feriam Sancti Laurentii non servavit.

In eadem villa paulo ante ista tempora, dum vulpes torcular intrasset, et vinitor superveniens stans sub janua torcularis eam conspectam capere studiose niteretur, vulpes hoc tacitus animadvertens astutiam hanc evadendi adinvenit, scilicet quod tunicam seu pelliceum vinitoris in torculari repertum in prunas ardentes ibi positas, quia tempore vindemiæ erat, projecit, ut vinitor hoc videndo de janua torcularis abscederet ad eripiendum vestimentum de pruris, et sic per januam torcularis sibi fugiendi locum daret, quod et factum fuit. Causa autem introitus vulpis ad torcular prope montem situm erat scilicet quod vinitor post verutum bene assum et a se depositum torcular exiverat: cujus odore veruti vulpes tracta torcular intravit, et verutum ascendit ipsum devorando. Interim vero vinitor rediens, et vulpeculam verutum devorantem reperiens, januam torcularis addendo et ei assistendo, ne vulpi exitus pateret quousque caperetur, custodivit. Quod videns animal in angustiis positum, tunicam ipsius, ut quidam ajunt, polimitam seu stragulatam in pavimento torcularis relictam ore suo ac dentibus suis sustulit, et ad ignem portavit. Hoc facto vinitor januam torcularis reliquit, et citius ad prunas accurrit, quatenus vestem de incendii periculo liberaret ipsam tollendo celeriter, et arsuram ipsius præcavendo: et sic vulpes per ostium exsiliens animam suam salvavit.

Anno Domini M. CCC. XLVII. infra festum Paschatis et Pentecosten novo Rege regionem inter montes apud civitatem Bozen et alias munitiones finitimas constitutam, cum adjutorio Episcoporum circumpositorum sibi subjiciente, quæ ante Filio Cæsaris subacta fuit, propter mulierem quam rapuit quondam fratri novi Regis, et sibi eam copulaverat, dum Imperator Ludwicus profectionem militum contra eum ad defendendum se et terram ab eo parasset, et sibi prævalere nequivisset, confusus in Bavariam cursu leporino rediit, relinquens filium suum cum Comite Sancti Montis in castro Tirol, ad tuendum id, et conservandum a facie et vi prævalida inimici.

Hiis temporibus, ut fertur, quædam mulier apud Thuregum breviter ante mortem suam aversa a cultu divino fuit, quod sibi ulterius sicut antea interesse abhorrebat. Quæ statim post a carne soluta, et apparens cuidam personæ sibi devotæ narravit se nimis in hoc exorbitasse, quod pauco tempore cultum divinum vitaverat; et in argumentum hujus rei esset, si sepulcrum ejus aperiretur, in ventre jacens inveniretur, licet in dorso locata fuerit, quod ita fuit.

Hoc in tempore plures defuncti, post mortem familiaribus sibi personis apparentes, contestati sunt, homines in alio seculo lumine orbatos, qui in hoc seculo constituti in locis divino cultui deditis, divinum cultum contempserunt.

Anno Domini M. CCC. XLVII. in tempore æstivali circiter festum Sancti Johannis Baptistæ Marchio Brandenburgensis sæpe dictus inito prælio cum novo Rege collecta in montanis multitudine populi grandi ipsum fugavit, pluribus de exercitu suo ad mortem prostratis, quibusdam captivatis. Ex captorum numero fuit Episcopus Curiensis sibi adversans, et pro novo Rege zelans, qui tandem fuit, ut fertur, Imperatori in Monaco cum sui ludibrio ac contemptu præsentatus. Famatur insuper quod Marchio memoratus post prælium consertum et peractum prætaxatam terram et munitiones abstractas et ablatas a novo Rege circa Nons et Tridentum recuperavit sibi plene subjiciendo.

In eodem anno eisdem diebus, dum Comes de Bar zelans et agens pro Rege Angliæ et Dux Britanniæ agens pro Rege Franciæ in absentia Dominorum amborum Regum ad belli certamina congressi fuissent, Comite prævalente Dux ab ipso captus est, quingentis, ut fertur, de suis viris interemptis, paucis vero de exercitu Comitis triumphantes respectu aliorum adversæ partis.

Anno Domini M. CCC. XLVII. tempore æstivali Rex Angliæ civitatem unam Regni Franciæ nomine Kalbis sibi graviter adversantem et obsistentem et fere per anni spatium ab eo obsessam cepit, et eam subvertit, et habitatores ejus sexus virilis adultos in ore gladii perdidit, masculos vero, ut a quibusdam fertur, infra XII. annos constitutos, a morte exemptos et præservatos secum in Angliam transtulit. Hæc eo faciente, Rex Franciæ nec civitatem defendere, nec Regi Angliæ resistere præsumebat.

Item eodem anno tempore autumnali circiter festum Michaelis Stephanus Dux Sweviæ, filius Imperatoris Ludwici, profectionem, ut fertur, XXX. millium pugnatorum movens, ad humiliandos Comites Sweviæ, novo Regi favere, Imperatori vero rebellare studentes, terram Sweviæ superioris graviter devastavit, et Comites sibi occurrere trepidantes, ad rogandum ea, quæ pacis sunt, eos sua insuperabili virtute conpulit.

Item eodem anno immediate post prædicta in octava Sancti Francisci Imperator Ludwicus, dum venationi ferarum more solito in Bawaria lætanter operam daret, morte subitanea et insperata, residens in equo, vitam finivit. Quod etiam versibus istis a me editus notavi taliter:

Mortuus est anno milleno C. triplicato
Cæsar septeno Ludvvicus et in quadrageno,

Octobri mense, nullo læsus tamen ense.
Sed dum venatur eques, casumque minatur,
Equo detrahitur, moritur mox, post sepelitur.
Octava tacta jam mors est luce peracta
Sancti Francisci, Confessoris benedicti.
Annis terdenis regnum tenuit bene lenis,
Et tribus, ut fatur, dum tempus ei numeratur.

Item eodem anno, ante mortem Inperatoris nix valida circiter festum Michaelis Archangeli et Sancti Francisci cecidit super universam faciem terræ Swevise, quæ lamentabiliter annonam in campis adhuc stantem vel destruxit vel corrupit: nam VIII. vel X. diebus ipsa nix frumenta et legumina obducens, ipsa perniciose infecit et destruxit. Eodem anno fructus arborum valde exuberabant, sed ad debitam maturitatem propter anni humositatem minime ut plurimum pervenerunt. Propter hanc causam apud Lacum Botamicum vindemia laboravit: nam acre vinum et paucum vineta ibidem protulerunt; nec mirum cum apud Lindaudiam eodem anno in festo Sancti Bartholomei vinum nondum in vitibus defloruerit. Item ille annus intemperatus monstruosas aristas, et spicas, et botros in aliquibus partibus Alamaniæ produxit. Hæc omnia fletum, terrorem et ululatum terræ illius incolis incusserunt.

Anno Domini M. CCC. XLVIII. in mense Januario Rex Ungariæ ad capescendam ultionem dignam in actoribus et fautoribus necis fratris sui Regis Siciliæ, cum magnis copiis procinctum in Campaniam et Apuliam faciens, gloriosissime receptus est: ubi, ut fertur, filium Fratris Regis Roperti antea defuncti propria manu decollavit; quendam etiam Comitem decollari mandavit ibidem. Uxor vero fratris Regis Ungariæ percipiens adventum ejus, suspecta habita de strangulatione mariti, cum suis complicibus et fautoribus ad partes longinquas et penitus ignotas aufugit. Mors Regis hujus supra recitata est.

Item eodem anno in festo Sanctæ Scolasticæ Legati seu Ambasiatores Græcorum et Imperatoris eorum, diu divisorum ab unitate et integritate Ecclesiæ Katholicæ, venerunt Mediolanum, dicentes se velle adire summum Pontificem Clementem VI. ad exorandum eum, ut Græcos ad reditum unitatis Ecclesiæ recipere dignaretur: Nam tantum circumquaque Græci ab infidelibus coarctati et infestati essent, quod si Ecclesiæ Romanæ, dimissæ ab eis in malum suum, auxilium in tempore tribulationis eorum assequi nequirent, truculentæ rabiei Paganorum periculosissime subjacerent, et ideo necesse haberent, ad unionem et communionem derelictam fidelium revolare.

Item eodem anno in fine Januarii, in conversione Sancti Pauli factus est terræ motus magnus, qui in Longobardia multas turres dejecit, mœnia scidit, vinaque in doliis turbulenta fecit. Villach quoque civitatem Karinthiæ subvertit, qua subversa et corruente omnes homines habitatores ejus, paucis exceptis, mœniis obruti extincti sunt. Plura castra et villæ, et quocunque nomine censeantur, munitiones, ut fertur, circiter XXX. ceciderunt: montes aliqui juxta Villach, secundum aliquos, de locis suis propter terræmotum istum moti sunt.

Anno Domini M. CCC. XLVIII. tempore hyemali vel circa principium veris in partibus ultramarinis exorta est mortalitas seu pestilentia tam grandis, quod infinitam et inæstimabilem multitudinem infidelium absorbuit et absumpsit. Quæ derivata ad terras Christicolarum, maxime in locis maritimis, præcipue tamen in Sicilia innumerabilem populum prostravit. Fertur, quod in quadragesima circa Marsiliam urbem, et Avionem tam crudeliter endinia sevierit, quod infra spatium unius mensis XVI. millia hominum obierint; immo, ut dicitur, tantum in Avione excessit, quod vivi homines non sufficiebant defunctorum corpora tumulare, et ideo tandem in fluvium Rodanum certatim projiciebantur. Fertur insuper quod Papa pestem hanc de Avione ad aliam civitatem fugerit. Nichilominus, fama testante, in Sicilia homines de Messana metropoli, et de aliis quam plurimis civitatibus, in quibus mors prævaluit, relictis eis vacuis fugierunt, ad montana se transferentes, ut ibi salubri aere hausto, contagiosum in civitatibus captum emitterent et eflarent. In Messana urbe Siciliæ memorata de LX. fratribus minoribus conventualibus brevi spacio temporis XXX. mox mortis furia de medio sublati sunt. Quo viso superstites, conventu illo relicto, ad loca se alia contulerunt. Prædicta scilicet terræmotus et pestilentia, præcurrentia mala sunt extremæ voraginis et tempestatis, secundum verbum Salvatoris in Evangelio dicentis: Erunt terræmotus per loca, et pestilentia, et fames etc.

Item eodem anno novus Rex supra pluries commemoratus, a Papa Clemente VI. contra Ludwicum, dum adhuc viveret, suscitatus, de Boemia, morte Ludwici audita, erupit, et cum Papæ aliquali amminiculo per Alemaniæ partes se girans civitates plures ad suæ subjectionis confessionem suscepit. Nam ad eum concurrentes, et sub regimine suo pacis tranquillitate et protectionis munimine potiri cupientes, sibi fidelitatis et obedientiæ juramentum ab eo exactum præstiterunt. Civitates autem hoc facientes beneficia seu signa benevolentiæ ac benignitatis hæc sunt secuta, Summi Pontificis promotiva Regis et hominum ad eum directorum et attractiva, quæ fuerunt relaxatio interdicti, dispensationes, absolutiones ab excommunicationibus, suspensionibus, irregularitatibus contractis, et ab aliis censuris ecclesiasticis. Hæc beneficia administrabant hominibus Prælati plures in diversis partibus terræ Teutoniæ, quibus Papa ea commisit. Hæ autem gratiæ tantum impertiebantur hominibus Regi juratis a Prælatis, qui injunxerunt hominibus tam urbanis quam villanis processiones cum cereis seu luminaribus; injunxerunt quoque jejunia et eleemosinas, et hæc laycis imponebant: Clericis vero cum orationibus et jejuniis imposuerunt cessationem ad aliquot dies ab executione divini officii. Communiter autem IX. dies, vel ad majus secundum aliquorum relationem IX. hebdomadas Sacerdotibus religiosis et Clericis non celebrandas, sed tacendas injunxerunt, quatenus pro IX. annis male celebratis novem diebus bene tacerent. Quod consonat verbo Ezechielis Prophetæ dicentis: diem pro anno dedi tibi. Et verbo Sapientis in libro Sapientiæ dicentis: in quo quis deliquit, in hoc et punietur.

tur. Rex vero hiis peractis ad sua reversus est ante quadragesimam anni Domini millesimi trecentesimi quadragesimi octavi. Processit autem in factis praemissis absque quovis obstaculo, nullo quasi adversario sibi obsistente. Cum autem civitates non juratae, et alia loca non jurata Regi, memoratas gratias assequi non possent; et aliquae civitates et loca Regi jurata eas ad aliquantum tempus obtinere non quaesierint, et aliqua perceperint absque tamen reconciliatione cimiteriorum Ecclesiarumque, et absolutione in excommunicatione Papae defunctorum, in cimiteriis et basilicis sepultorum: difformitas Ecclesiarum, et scissura gravior quam ante fuerit, increvit in tantum, quod juxta verbum Christi in Evangelio novissimus error hominum pejor factus est priore. Praedictorum autem Praelatorum aliquis pro hominum absolutione et cimiteriorum reconciliatione indiscretam et immoderatam pecuniam exegit, et absolvendis extorsit, quod est miserabile et horribile dictu: nam scandalum, fidei scrupulum, perplexitates, detractiones, murmurationes, diffidentiam, desperationem, clamorem, commotionem, Symoniacaeque pravitatis timorem et suspicionem apud plurimos homines generavit. Dicebant enim: Clerici Ecclesiam Dei, Sponsam Christi contemnunt, lacerant et deturpant, dissipant et confundunt, integritatem ejus scindunt, unitatem ejus rumpunt, concordiam ejus dissecant, caritatem vulnerant, benignitatem et mansuetudinem ejus indurant, fervorem laxant et enervant, liberalitatemque ejus obstruunt, et nexibus avaritiae ligant, a datione libera eam retrahendo, gratuita dona ejus vendendo, et emendo, verbum Christi in Evangelio dicentis: gratis accepistis, gratis date; parvipendentes penitus abjecerunt, maledictionem Gyesi et Symonis minime timent, excoecati in malitia sua. O quam vilis facta est Ecclesia in menbris suis principalioribus, replicantibus vias suas pessimas! Egressa est ab ea omnis decor ejus, quia hii, qui eam illuminare deberent verbo doctrinae veritatis et exemplo justitiae, obfuscant tenebris errorum et caligine vitiorum. Item dicunt, ut verbis eorum utar: Si pro denariis legitime celebratur, multo plus absque denariis celebrare bonum et pretiosum est. Haec dicunt Symoniam praemissis in exactionibus committi aestimantes. O quale nefas et quam grandis dementia, pro absolutione unius civitatis et relaxatione interdicti, vel reconciliatione cimiterii exigere XL. vel L. vel LX. florenos! Palliant autem, ut dicunt, Symoniam sub praetextu solutionis sigilli. Taceo de aliis. Omnia memorata execrantur homines simplices et seculares. Nemo sanae contradicit mentis, sumptus pro Episcopo debitos et juri consonos exhibendos; secus est, quando fit praedicto modo: nam illo pastores vocati pascunt semetipsos, oves non pascentes, sed tondentes, immo quod gravius est, non tondentes sed excoriantes, non pastores sed lupos se esse demonstrant taliter faciendo. Filia Israel cecidit in profundum vitiorum: non est qui suscitet eam vel sublevet. Nam quorum hoc facere interesset, scilicet Rectores vel Pastores profundius caeteris corruerunt: argentum reprobum sunt vocati, aurum versum est in scoriam. Successor saepe dictus Ludwici Imperatoris, cum civitatenses et Domini terrarum sibi juraturi erant, in litteris Papalibus secum ductis ab omnibus cum jurejurando praeter multa alia, quae pertranseo, exegit, ut de caetero nullum pro Imperatore reciperent vel tenerent, nisi quem Papa examinatum in Imperatorem vel pro Imperatore consecraverit et confirmaverit. Cui exactioni incaute, judicio meo, propter multa, quae in medium producere praetermitto, satisfecerunt: ratificando etiam una cum Papa in eisdem litteris processus et sententias latas contra Reverendae memoriae Inperatorem Ludwicum, Marchgravium Brandenburgensem Seniorem Filium Ludwici, cum Imperatrice noverca sua, ac cum fratribus suis cunctis, et tota familia vel domo illa, judicavit, quamdiu se Sedi Apostolicae non subderent, scismaticos fore censendos.

In praedicta pestilentia omnes Carmelitae, et omnes fratres heremitarum conventuales in Messana civitate Siciliae memorata morte absumpti sunt.

Item anno Domini MCCC. XLVIII. Cruciferi, Teutonici Domini in vulgari vocitati, in Pruscena provincia dominantes, tempore hyemali more consueto, paucorum auxiliatorum fidelium pugnatorum suffragio pro tunc suffulti, Lytaoniam ad paganos conterendos intraverunt: in quos praeparatos et congregatos ad bellandum cum eis irruentes, ut fertur, XII. circiter millia ex ipsis cum duobus vel tribus Regibus eorum usque ad internecionem percusserunt plus solito, quamvis ferme soli essent Dei juvamine prosperati.

Item eodem anno in mense Junii universitas civium in Nuerenberg, Marchgravium de Brandenburg, propulsis, et per fugam elapsis pluribus de potioribus civitatis, qui novo Regi fidelitatis praestiterant juramentum, solemniter receperunt, secum pacis et fidelitatis foedera componentes.

De Paganis et Cruciferis jam commemoratis narratur fama recenti et vulgata, quod Cruciferi praesentientes propinquum Paganorum adventum, praemuniti collectis incolis seu habitatoribus Christicolis totius terrae circumadjacentis, destituti pro tunc auxilio Dominorum fidelium, in loco nemoroso a latere ipsos de hoc inconsideratos agrediuntur, et praevalentes eis XX. millia in ore gladii peremerunt, XX. quoque millia eorum in aquis et paludibus submersi sunt, pauci vero, ut fertur, de exercitu fidelium fere XX. viri in illo praelio corruerunt. De armis autem Paganorum detractis, et aliis eorum spoliis Christicolae multum locupletati sunt Domino adjuvante. Iste triumphus fidelium de infidelibus obtentus, isto modo universalius narratur, quam sicut ante conscripsi.

In hiis temporibus apud homines diversi generis, immo cuncti generis multos valde assertissime vulgabatur, Imperatorem Fridericum Secundum hujus nominis (a quo secundam partem praesentis operis inchoavi) ad reformandum statum omnino depravatum Ecclesiae venturum in robore maximo potentatus. Adjiciunt quoque homines praedicta sentientes, quod necesse sit eum venire, si in mille partes secatus esset, immo si in pulverem per conbustionem redactus foret, eo quod divinitus sit decretum ita debere fieri, quod immutari impossibile est. Secundum igitur istam assertionem cum resuscitatus ad Imperii sui culmen reversus fuerit, puellae vel foeminae pauperi in matrimonio junget virum divitem, et e converso, moniales et sorores in seculo degentes ma-

 ritabit,

ritabit, monachos uxorabit, pupillis, orphanis, viduis, omnibus et singulis spoliatis res ablatas restituet, cunctisque faciet justitiæ complementum: Clericos persequetur adeo atrociter, quod coronas et tonsuras suas stercore bovino, si aliud tegumentum non habuerint, obducent, ne appareant tonsorati: religiosos, qui denunciando processus Papales contra eum, præcipue fratres minores, ipsum de Imperio repulerant, de terra fugabit. Post resumptum Imperium justius et gloriosius gubernatum quam ante, cum exercitu copioso transfretabit, et in monte Oliveti, vel apud arborem aridam Imperium resignabit. Non cesso mirari de ista falsa credulitate, quod defunctus homo ante LXXX. annos, qui XXX. annis imperaverat, speratur vel creditur reviviscere. Homines istius falsæ credulitatis decepti sunt quemadmodum Judæi, qui credunt David Regem resuscitandum a Domino, et regnaturum modo pristino super Israhel. Hæc credunt ex eo, quod dictum est per Prophetas a Domino: Et ego suscitabo vobis servum meum fidelem David; dicit enim Ezechiel: Rex unus erit omnibus imperans. Et post pauca verba sequitur: Et servus meus David erit Rex super eos. Item Jeremias ait: Et serviant Domino Deo suo, et David Regi suo, quem suscitabo eis. Sed istæ et aliæ tales auctoritates vel similes intelligendæ sunt de Christo; vel si de alio quod sit de genere David juxta id Jeremiæ: Ecce dies venient, dicit Dominus, et suscitabo David germen justum, et regnabit Rex etc. non David in persona propria, sed germen suum, i. e. qui est de genere suo, Christus. Mortui quidem resurgent, revivificabuntur et suscitabuntur; non nego, juxta illud Isajæ: resurgent mortui tui, vivent interfecti tui, expergescimini et laudate qui habitatis in pulvere. Et juxta id Danielis: multi de hiis, qui dormiunt in terræ pulvere, vigilabunt, alii in vitam, alii in opprobrium etc. Et juxta id Ezechielis: ego aperiam tumulos vestros, et reducam vos de sepulcris vestris, et reducam vos in terram Israhel, et requiescent super humum suam. Quæ intelliguntur auctoritates et aliæ similes de resurrectione futura generali, vel de speciali plurima præterita. Quod autem aliqui mortui et incinerati resurgant rursus regnaturi et habitaturi modo pristino super terram, fidei Katholicæ contrarium est, et Scripturæ in multis locis dissonum, ex quibus aliqua tangam. Job dicit: memento mei, Domine, quia ventus est vita mea, et non revertetur oculus meus, nec aspiciet me visus hominis; qui descendit ad inferos, non ascendet nec revertetur ultra in domum suam, nec cognoscet eum amplius locus suus. Item Solomon ait: Viventes sciunt se morituros, mortui vero nihil noverunt amplius, nec habent ultra mercedem, quia oblivioni tradita est memoria eorum. Item David: Introibit usque in progenies patrum suorum, et usque in æternum non videbunt lumen. Item alibi: Spiritus pertransibit in illo, et non subsistet, et non cognoscet amplius locum suum. Ex hiis concludo, quod est dementia magna et fatuitas, credere, Fridericum quondam Imperatorem hæreticum resurrecturum, et terræ denuo dominaturum.

Paucis annis transcursis ante immediate narrata, quædam puella nata apud Mellingen, a pluribus Confratribus meis visa, quod est mirabile dictu, per quatuor annos a cibo abstinuisse fertur, ita quod infra illud tempus escam corporalem nunquam gustaverit. Sed qua virtute sustentata vitam actitaverit, ignotum omnibus fuit. Conjiciebatur ab aliquibus, quod una dierum oppidum prænominatum Mellingen situm in Ergöw exiens, vel villam situatam juxta Mellingen, cum cæteris pueris in silvam quandam pro colligendis et comportandis lignis, herbam vel radicem aliquam comederit, quæ ipsam ad manducandum inhabilem reddiderit, et sibi virtutem quandam supernaturalem ministraverit, ab omni cibo corporali se deinceps, cum macie tamen corpusculi sui, quod multis incredibile videtur, penitus continendi. Postquam enim a nemore domum rediit, ultra cibum non sumpsit. Fuit autem ætatis fere octo annorum, non mixit, non ploravit, alvum non purgavit, non exspuit, quia horum causativa non recepit. Quintum annum ætatis suæ abstinentiæ non attingebat, quia post medium ejus vita defecit, vel decessit; eodem modulo et vigore, quo ipsam causa suæ abstinentiæ apprehendit, permansit.

F I N I S.

FELICIS MALLEOLI

ID EST

HAEMMERLIN

NONNVLLA

AD HISTORIAM HELVETIORVM PERTINENTIA.

FELICIS MALLEOLI
VULGO
HEMMERLEIN
DIALOGUS
DE SUITENSIUM ORTU, NOMINE, CONFOEDERATIONE, ET QUIBUSDAM (UTINAM BENE!) GESTIS.

AIT RUSTICUS.

Adhuc uno - - - solerter meus pulsatur animus, cum hiis diebus sit rumorum clamor famosissimus quasi per Europæ climata communiter divulgatus de mirabilis imo supermirande potentie pompa quorumdam plebeorum in Alamannia superiori, qui Switzer vulgariter sive Switenses tam arroganter volunt patenter vocari et per alios ut tales nominantur, et cum superius in nostræ collationis certamine ipsorum gesta superficialiter et incidenter et accidenter sepius recitantur, et nunc proxime in omni rusticorum rusticanorum et ruralium tam largo prout patet examine ipsis penitus exclusis nulla conversationis et consuetudinis et conditionis ipsorum peracta reperiuntur, de quo non tam ego, sed omnes, quibus referam, totius ruralitatis vicinitas, et aliorum rusticorum universitas mirabuntur.

NOBILIS.

Harum gentium homines prout convenienter ammiratione moveris, non dubito per mundum assuete laudis preconio largiter commendatos, et tamquam pre ceteris filiis hominum corpore robustos, statura proceros, effigie feroces, bellatores strenuos, in preliis animosos, in armis bellicosos, in campis intrepidos, in domibus providos, in consiliis maturos, in tractatibus circumspectos, cum vicinis pacificos, aut rebelles importunos, et ad omnem humani laboris inclinationem sollicitos. Et licet homines rurales communiter fore videantur, Rusticorum tamen vocabulo, in quantum rusticus dicitur a rure, vocari non merentur, sed in quantum rusticus dicitur a ruditate, - - - - rudissimi rustici omni ruditatis ferocitate farciti pertinentissime nuncupantur. - - - - Unde ne contuberniones universitatis Switensium predictorum rustici seu rurales fore credantur, de rusticorum precedenti tractatulo penitus eliminantur. - - - - Unde circa fines et ultimo dictorum Switensium gesta refricamus, ut memoriter que et qualia presentibus diebus perpetraverint longeve preterita futuraque gesta presumamus.

RUSTICUS.

Dic primum rogito, quare in rusticorum et rusticanorum non comprehenduntur contubernio?

NOBILIS.

Hos inter illos non arbitramur comprehendi ratione, quia horum vite exercitia ab omnium rusticorum mundi ministerio, et ipsorum exercitationis commoda differentialiter segregatim et efformiter sunt discreta, ut ecce. Nam quodam modo virilis animi natura titubante, quemadmodum in hermafrodito mysterium perturbant, et feminei sexus officium viliter effeminatim impudenter usurpant. Nam contra provinciarum quarumlibet morem et communem consuetudinis ritum, ad femineum opus muliebre se molliter accurvant, et per se vaccarum, agnicularum et caprarum mammas mulgent, lac palmis extorquent, et mulgere, caseos quoque coagulare, butyrum prorumpere, et hujusmodi opera muliebria virilibus manibus in virilis sexus execrabilem detestationem contrectare, mulieribus suis hoc commercio penitus vacantibus non formidant - -

RUSTICUS.

Quantum convenit contentos de premissis, nunc delectarer percipere, an gentes hujusmodi originaliter ibidem sint educate, et unde tam singulares ipsorum ritus provenere?

NOBILIS.

Sunt tue questiones pro certo rationabiles, et quibusdam admirari consuetis delectabiles. Colligitur in hystoria Caroli Magni, quod de anno Domini octingentesimo sexto, vel circa, et Imperii sui tricesimo septimo, dum ipse Carolus Saxoniam ingressus, Saxones maxime transalpinos montanos et alpinates rurales ceteris ferociores ad decem millia virorum cum uxoribus et parvulis deportaverit, et in exilium radicitus enervando transtulerit, et per diversas Gallie et Germanie partes relegaverit, et alias fideles nationes eorundem loco relocaverit, et presertim Sclavos, qui et Wandali dicuntur, quos hodie ejusdem regionis terra terrigenas et incolas comprehendit, et dicte relegationis causa fuit, quod gentes hujusmodi ad fidem sepe gladio et predicationis verbo conversi, toties apostatarunt, et sibi gentes vicinas perfidia sua crudeliter infecerunt, et presertim dum Imperator predictus ad alias regiones sibi subjectas aut subjiciendas declinarat. Unde maximam dictorum relegatorum partem ad infimas Hungarie partes contra Thurcos videlicet in terram septem Castrorum, ubi modo degunt, destinavit. Item aliquos ad Comitatum Vallesie, Sedunensis dyoces. Aliquos ad vallem Uranie, Constantien: Dyoceseos. Aliquos ultra montem Jovis, qui alias dicitur Sancti Bernhardi, ad quandam vallem, que dicitur Grüssenei in Lombardia, prope civitatem Augusten: que alias dicitur Imperialis Augusto ab Augusto Cesare condita, sub dominio ducis Mediolanensis, hodie inter Lombardos degentes ad duo milia virorum cum uxoribus et parvulis lingua sua Saxonica sive Theutonica patenter, prout audivi, loquentes. Sic aliquos eorundem relegatorum posuit ad vallem artam, in cujus introitu hodie est villagium, quod dicitur Arta Constant. dyoc. altissimis montibus et lacubus munitam et circumseptam, in finem ut ibidem residerent pro custodibus, ut dum ipse Carolus per viam rectam, quam dirigit vallis eadem, per vallem Uraniae predictam per Montem Gothardi ad Lombardiam et Italiam transalpinare disponeret, sibi liber ibidem pateret ingressus et regressus, et hujusmodi custodiam fideliter promiserunt relegati Saxones pretacti conservandam se facturos. Unde protulerunt suo Saxonico vulgari, *wir wellen hie switten*, i. e. nos volumus hic sudare, videlicet sudorem sanguinis ad conservandam Imperiali Serenitati hanc viam perpetuo meabilem ad Lombardorum ibidem vicinorum regionem. Unde primum Switter lingua sua per ceteros Romanos sunt nuncupati, et Switzer sive Switenses per mundum vocati, et in rei geste memoriam Imperator predictus, quia promissa solenniter sepe probati servaverunt, eisdem gentibus, quia sudorem sanguinis sudare, prout premittitur tam acriter profitebantur, pro signo jugiter et armis seu panerio, clipeum sive scutum et vexillum penitus sanguinei seu rubei coloris, nulla quoque quavis alia coloris tinctura permixtum, in bellis, preliis et pugnis ac in bellorum, preliorum et pugnarum expeditionibus et campis armorum more patenter deferendum, prout hodie deferunt, sollenitate, qua decuit, assignavit. Hinc veritas est, quod more Saxonum ab eodem tempore ipsi truncato, concusso, compacto et brevissimo prout Saxones fuerint usi linguagio, et notabiliter est perpendendum, quod prout isti etiam his diebus, sic et illi parentes suos non tibisare sed vobisare reverenter consueto solebant alloquio, a Saxonico more itidem moderno ab antiquis contracto. Nunc autem aliqualiter indies illi Switenses propter frequentem cum vicinis gentibus quoque communem conversationis continuationem a primordiali more loquendi, - - - apostatarunt.

RUSTICUS.

Diligenter audivi taliter et ordine tali res fore gestas. Nunc restat, quare dicti Switenses dicuntur confoederati principaliter et Eydgenossen vulgariter sunt nuncupati, et inter omnes nationes sibi vicinas et remotas ut tales arroganter divulgati?

NOBILIS.

Ecce quondam dum quidam Comes de Habspurg, de quo - - domus dominationis videlicet Illustrissimorum ducum Austrie sumpserat propagationis originem, eorundem Switensium Dominus naturalis in valle Arta supra dicta, et in quodam Castro Lowertz nomine suo posuerat Castellanum, et totius vallis Gubernatorem, quem duo Switenses germani super eo, quod cum sorore sua rem habuerit suspectam, interfecerunt, quos dum Comes predictus pro suis excessibus punire proposuerat, alii duo Switenses agnati illis duobus contra dominum suum conspiraverunt. Hinc illis alii decem, quibus vero viginti, et consequenter omnes illius vallis habitatores contra suum Dominum penitus inobedientiam profitentes se confederaverunt, et castrum predictum, cujus stigmata apparent in medio unius lacus, et videntur hodie, destruxerunt, et sic primum confederationis consortium inceperunt. Hoc sentientes quidam Montani illic vicini, qui vulgariter Underwaldenses dicuntur, (hii se in sigillo ipsorum homines de Stannes alta et bassa describunt,) et dum eorum Dominus nominatus nobilis de Landenberg nocte nativitatis Domini matutinum visitaret, gentes suae Castrum Sarne intraverunt et ipsum excludentes, et demum Castrum devastarunt, et se cum Switensibus predictis contra Dominum suum confederaverunt. Hinc Lucernenses oppidani sub dominio Abbatis Morbacensis Ordinis Sancti Benedicti Basiliens. Dyoc. degentes dictis Switensibus vicini, et dum essent suo Domino contumaces, idem Abbas eosdem oppidanos Comiti de Habspurg tanquam potentiori subjecit, qui sibi castrum et oppidum Gaewiler in Alsatia in recompensam assignavit, et quendam Baronem de Grunenberg in Castro Rotenburg degentem eisdem Lucernensibus Dominantem collocavit, qui quidem Baro quodam die suum cocum ad comparandum carnem ad oppidum Lucernensium destinavit, cui carnifex, in quo inquit loco placet hujus bovis ut carnes abscindam tibi competentes ostendas, et dum cocus ad ostendendum petiam sibi placentem manum apposuit, continuo macellator cultello suo palmam eidem coco penitus amputavit, quam crudelitatem Baro predictus in nomine sui Domini vindicando potenter attemptavit. Hinc oppidani predicti mox domum Baronis in medio oppidi locatam, et consequenter castrum Rotenburg predictum destruxerunt, et se predictis Switensibus - - - - confederaverunt, et hiis confederatis consequenter Bernens. Hinc oppidum Zug. Hinc vallis Uraniae, que sub Dominio fuerat Abbatisse

tisse Thuricensis. Hinc Claronensis vallis gentes, que sub dominio Abbatisse Seconiensis persliterant, - - se illis constrinxerunt. Hinc Thuricenses salvo jure Imperiali cui tanquam Imperiales fuerunt adstricti, tali confederationis vinculo se convinxerunt. Et sic usque modo hujusmodi confederationes firmiter continuarunt, et licet feroces fuerint contra Dominos pacem tamen et tranquillitatem cum omnibus accolis et incolis firmiter tenuerunt, et usque modo salvis infra dicendis prestiterunt, et in hujus confederationis persistentia exclusis Thuricensibus dicti Switenses cum complicibus suis unum Principem, videlicet Leopoldum ducem Austrie - - - - cum multis Generosis Comitibus, Baronibus, Nobilibus et aliis vasallis suis, prope Castrum Sempach, occiderunt in bello publico, et prius et posterius multum in circuitu sanguinem Nobilium effuderunt.

RUSTICUS.

Et si tales Switensium gentes cum complicibus contra Nobilitatis munificentiam - - - - tot et tantos rebellionis actus exercuerunt, bonum est, quod tamen clerum et religiosos sibi commorantes vel vicinos non molestaverint.

NOBILIS.

De quo palam miranda recenter volo tibi tangere gesta, hiis salvis, que presentibus diebus per ipsos et complices suos, prout infra dicam, videntur perpetrata. Non te lateat, quod hec gens propter simulatam magne legalitatis apparentiam dudum per Sigismundum Imperatorem advocatie dominationem gloriosissimi Monasterii beate Virginis Heremitarum sibi vicini, quondam Imperatorie Majestati solummodo reservatam, conatibus renitentibus ibidem Abbate et conventu ab olim Illustribus et Liberis, Nobilibus quoque personis semper munito, cum pluribus privilegiis aliis et prerogativis, obtinendo conabatur, et quamquam gens plebea sit et ignobilis, nihilominus tamen religiosis hujusmodi de Comitum Baronum immo quondam de Principum prosapia procreatis, tamquam Reges dominari, et tam inclytum Cenobium et Cenobitas subdi sibi laborabat, licet non profecerit, imperio, et hiis laborat diebus. Non obstante, quod olim videlicet de Anno Domini M CCC XIV. in Vigilia Epiphanie Domini circa noctis medium dicte gentes Suitensium, hostiliter in armis congregate, jam dictum Monasterium violenter intrando insultanter irruerunt, et portas, posticas, valvas, et hostia singularum habitationum et mansionum et cellarum immo sacrorum locorum videlicet Monasterii et Capellarum, non obstantibus clausuris, repagulis et vectibus quibuscunque confregerunt, et hostiolum ferreum altaris summi, in quo reliquiarum sanctarum, et clenodiorum auro, argento, lapidibusque pretiosis redimitorum latebat thesaurus ad altaris ejusdem decorem dispositus, laniarunt, et aperuerunt, - - - - Porro vero Monachos Monasterii in campanali latentes ceperunt, et quo usque deliberarent, quid facerent ex eis in locum munitum reposuerunt. - - - - Hiis omnibus - - - - perpetratis, ortus est sol, claruitque dies, sumptisque singulis mobilibus, cum pecoribus et jumentis Monachos plebanum et familiam eorundem captivos deduxerunt. Demum Laicis dimissis novem Monachos de nobili liberaque prosapia procreatos in villam suam videlicet Switz ibidem vicinam ligatos menaverunt, et decimus Monachus, agilitatis mirande, ab oculis omnium per montes et colles, glacies et nives evaserat, qui cuncta per ordinem Abbati protunc extra monasterium casualiter manenti retulerat. Ipsi Switenses reliquos Monachos per undecim septimanas carceribus retinuerunt inclusos, et demum multis tractatibus per Generosos Comites, videlicet de Habspurg et de Toggenburg eosdem legimus liberatos. Hec et alia per eosdem - - - - consumata nuper reperi antiquissimis historiis metrice et prosayce notabiliter annotata: Unde similiter quodam vetustissimo vetustate quasi consumpto, antiquata littera mihi difficulter perlustranda, reppero volumine sive libello hec metra, que sequuntur, pentametro et exametro ritu subtiliter mixtim conscripta, ritus et mores Switensium multipliciter declarantia. Ut ecce:

Fertilis est vallis, celo suavis, generosa,
Plantis jucunda, flumine lacte fluens,
Huic Switz est nomen, haec undique tangitur altis
Montibus et lacubus, nec sibi strata patet,
Nobilis est tellus, ignobilis incola, fida
Est humus, infidus incola, fraude satur.
Hec gens rege caret, et lege - - - -

RUSTICUS.

Hec sunt vetera, sed nihilominus erit presumptio circa presentia sive futura, - - - - sed quia nunc nostris occurrunt temporibus nova de Switensibus et gentibus sibi conjunctis preliorum, bellorum, sive guerrarum certamina moventibus, de quibus tota superior Alamania quasi concussa concernitur graviter occupata, de quorum et sibi resistentium conditione ac causarum causis vellem scire latissima predicata.

NOBILIS.

Optarem te per alium informari, cum sim de Nobilium partis adhesione, et possim suspectus in rei geste processu leviter favoris, gratie, coloris fucati, quoque fallacie notari; Nihilominus tamen prout novit ille in cujus oculis non est quidcunque absconditum Eccles. XXXIX. quantum potero, ipsius utar veritate, et igitur si quis sit, qui corripere voluerit, veritate manente, manum ponat ad aratrum, et non retrospexerit. Causa autem est talis, exclusis extravagantibus negociis pluribus, que gravissimum genuerant odium inter partes oppidum Imperiale Thuricense gravissime lesum per gentes Switensium et complices suos. Quare decrevit facere sibi dorsispinam fortiorem, et igitur novam confederationis ligam perpetuo duraturam perfecit cum Illustrissima domo ducum Austrie, cum expressa verborum conditione, ut confederationis lige, quam prius habebant cum Switensibus et complicibus suis non deberet prejudicare. Nam et expresse cavebatur in literis et cyrographis Switensium et suorum confederatorum similiter et Thuricensium ut possent se libere cum aliis quibuscunque et quandocunque confederare, salva prioris confederationis obligatione, prout nuper fecerant Bernenses cum civitate Basiliensi, et quondam cum duce Sabaudie. Timuerunt autem Switenses cum complicibus, predictam ligam

cum domo Austrie factam in futurum posse sibi dampnum propter antiquas offensas principibus Austrie, nobilibusque suis, illatas, inculcare, volentes propterea per vim cum de jure non poterant, hujusmodi ligam novam dissolvere: Unde taliter oriebatur dissensio mortalis discordie. Et licet Thuricenses hujus ocasione ad standum Juris dictamini, coram villanis Bernensib. et oppidanis Solodorensib. Switensium eorundem confederatis, et quam plurimum aliis principibus et Universitatibus civitatum Imperialium, promitterent, nihilominus Switenses sua potentia, multitudine gentium ruralium fulcita eosdem Thuricenses, ut starent Juri coram sue communitatis seu Universitatis tribunali, contra naturalis et utriusque juris dispositionem compellere violenter attemptarunt. Item hac durante certaminis contentione, illustris Princeps Alberthus dux Austrie pro parte generose domus sue petivit terram, que dicitur Ergovia cum multis castris, castellis et oppidis per predictos Confederatos et per annos multos occupatam, quam similiter restituere, aut juri stare coram competenti judice contumaciter recusarunt, - - - - Deus inquiunt, non tamen perficere potest, ut aliter quam per gladium, in quo adepti sumus terram istis cum suis pertinentiis restituamus, - - - - bellum in quo spem pinxerunt, contra quoscunque premissorum ocasione constanter elegerunt, quod jam per annos multos passim et interdum intervenientibus treugis, et ab obitu generosi Comitis Friderici de Toggenburg continuaverunt, et in tali contumacia plura milia hominum interpellatim et conjunctim successivis temporibus et actibus presentibus perdiderunt, et similiter plerique nobiles cum Thuricensibus in sua justicia multipliciter exhibita succubuerunt. - - - - Et in dictorum preliorum continuatione adversariorum in terris intrepide - - - - plura monasteria utriusque sexus, atque religionis loca, insuper ecclesias collegiatas et parochiales ac capellas ignis diri voragine consumserunt - - - - insuper in quodam Monasterio, Ruti nuncupato ordinis premonstratensium terre suo vicino, alias miserabiliter per ipsos dilaniato, omni pro tunc ipsorum Switensium metu divini cultus decore penitus carenti, campanas rapuerunt, et generosi Comitis de Toggenburg predicti suorumque progenitorum et eorundem Uxorum tumbam solenniter, ut decuit tantam progeniem, testudinibus pavimentis et aliis ornamentis laudabiliter decoratam invaserunt et aperuerunt, et nobilia defunctorum corpora violenter extraxerunt, et quantum in ipsis fuerat, eisdem cadaveribus vituperosi scandali furiosos insultus suis manibus et pedibus intulerunt, - - - - Et consequenter illius et aliorum locorum sacrorum predia, domus, curtes, possessores et habitatores monasteriis affixas, porro quoque vineas, vites, arbores fructiferas et fertilissimas radicitus flammarum incendiis et alias hostili vastatione crudeliter evulserunt, et taliter exterminaverunt, quod hujusmodi Ecclesiarum et Monasteriorum persone regulariter enutrite ad summam egestatem, immo publicam mendicitatem pervenientes exulari in opprobrium et contemptum religiose professionis compulsi vagarunt. Et ecce quod Deus ultionum Dominus in vindictam malorum disposuerit; Nam fuit Monasterium monialium de filiabus Switensium et situatum ad numerum LXX. vel quasi communiter refertum, ordinis sancti Benedicti in interioribus Switensium Alpibus constitutum, dictum in monte Angelorum, pre ceteris illius terre angelica religionis observantia ultra memoriam hominum continua strictissime clausura conservatum, unde nuper sedata persecutione predicta videlicet Anno M CCCC XLIX. die vero Martis XVII. Junii ignis crudelissima voragine per unius noctis spacium dictum Monasterium cum omnibus pertinentiis suis, exceptis personis, que omnes evaserunt, radicitus est consumptum, et in tantum, quod dicte moniales in loco vicino ibidem in Monasterio Monachorum arctissimo hactenus cum nimia pressura, lamentabili quoque penuria permanserunt, et alique talibus inconsuetis anxietatibus collapse, turpitudinis actus exules disperse committendo vagarunt, nec est spes restaurandi, aut perveniendi ad statum priorem, aut paulo minorem, sed prestolantur indies totalis desolationis maledictionem, prout his diebus desperate turpiter vagari concernuntur, - - - - Et nunc ad processum principalem redeamus. - - dum quoddam Castrum vocabulo Griffense septuaginta viris et ultra, et aliis bellicis rebus plene fulcitum cum suis complicibus dicti Switenses vi potenter obsiderent, et dum fortuna minante, quod sine magnorum periculorum vehementius corporum et rerum pernitione violenter irruere non possent, et possessores Castri a Thuricensibus, quorum obsequio fungebantur, evasionis solatio non gauderent, ipsi Switenses jam dictos possidentes vite securitatis fruitionem firmissimis verbis stabilierunt, et ut illesi Castro cederent, sposponderunt. Unde possidentes hujusmodi sponsilibus et promissis Switensium credentes, Castrum relinquentes confidenter abierunt, quos illico Switenses iidem contra securitatis promissa, imo penitus aliis suis complicibus displicentiam gerentibus, et quod hujusmodi actus nephandissimi perpetratione omnipotentis iram et maledictionem super se provocarent, patenter comminantibus, nihilominus eosdem cedentes capitarunt, et crudeliter capitibus suis truncarunt, et taliter in ipsis latrocinium atrocissimum impudenter commiserunt, et Castrum consequenter destruxerunt, sed monstruosa, que sunt secuta, auribus percipiamus; decollatis hujusmodi personis singulariter singulis cum singulis suis capitibus in quodam prato viridi, virentibus quoque graminibus plene referto, ad ordinem positis, et ecce loca singulorum capitum graminibus tanquam rasis ad qualitatem et quantitatem cujuslibet capitis rotunde fuerunt decalvata et per plures annos ibidem patenter videbantur, prout hodie omnium et singulorum capitum stigmata cernuntur graminibus, prout premittitur denudata, et miro Dei nutu multorum languentium illic pervenientium curabantur dolores, unde pro nunc oratorii pergulam predicti Thuricenses constituerunt et incole proximiores, et fiunt signa et prodigia et miracula per singulos dies et taliter, quod pro humanorum salute corporum conveniunt catervatim, non tantum terrigene, sed etiam extorres, et presertim Switenses et Switensium complices sanitatis obstacula recuperantes.

RUSTICUS.

Iste crudelis Switensium populus alios felices fecit, et se ipsum non potuit salvum facere, - - Sed his dimissis vadamus ad alia, et rogo, si que bella gesserunt Switenses cum complicibus, qualiter illa perfecerunt cum magna de sua strenuitate recenter recitabatur fama, de his rusticitas mea desiderio foret clarius certificanda.

NOBI-

NOBILIS.

Scias, quod de anno Domini M CCCCXLIII. ipsa die Marie Magdalene jam dicti Switenses seclusis Solodorensibus et Bernensibus alias tamen cum complicibus suis ante muros oppidi Imperialis Thuricensis et prope torrentem et capellam St. Jacobi leprosorum et in leprosario in armis hostiliter congregati, et suos hostes videlicet Thuricenses ibidem presentes viriliter aggredi trepidantes, et prodiit quasi ex adipe iniquitas eorum, - - - - ut ecce. Nam dum decreverunt ut bellarent contra nobiles et cives Thuricenses ibidem prestolantes eosdem, et dum essent in procinctu bellandi, ex tunc quadringenti viri vel quasi ad hoc per Switenses ordinati precurrentes et signo, quo nobiles et Thuricenses utebantur, videlicet rubea cruce signati, et tanquam amici conjunxerunt se eisdem pacifice penitus per nobiles et cives predictos ignoti, et consequenter dum sui complices videlicet Switenses appropinquabant, clamaverunt fugam, et coarctarunt alios ad eandem, et dum patuit opportunitas multos nobiles et cives Thuricenses improvisos intra capellam et extra manentes apud torrentem de prope manantem crudeliter occiderunt, et effuderunt sanguinem ipsorum tanquam aquam in circuitu, et leprosos in leprosario constitutos interemerunt, et res eorum surripuerunt et superstites extra sua habitacula repulerunt, hinc suburbia cum capellis et molendinis usu dicti falsi signi igne cremarunt, et res mobiles abstulerunt. Item simili quoque modo oppidani Bernenses sepe dicti cum suatibus contra cives Friburgenses sibi vicinos inimicos diffidatos de Anno Dni. M CCCC XLVIII. et de mense septembris se rubeis crucibus bellando nequiter designarunt, et per hujusmodi falsitatem multos de dictis civibus palam improvisos prosternarunt. Et nunc ad propositum redeamus. Item dicti Switenses cum complicibus tum quemdam Rudolffum militem strenuissimum pre cunctis in populo elegantioris forme prepollentioris stature et robustioris corporis effigie, et eminentem ad instar Saul regis ab humero et sursum, ut I. Reg. IX. Cap. patenter presignatum, nec non dignitatis civium Thuricensium regentem magistratum per supradicta bellatorum falsissima signa deceptum, multo tamen Switensium interitu, difficillimo conatu prostraverunt, et ipsi semivivo demum manenti pectus aperuerunt, et cordis sui massam integraliter de suis visceribus enervarunt, et sagimine suo tanquam pinguedine porcorum ocreas et calcimenta in nobilis humane conditionis contemptum perunxerunt, et taliter demum diverso cruciatu sibi miserabiliter inflicto dire mortis examen intulerunt; Nunc audi mirabilis Dei judicia. Tunc Deo ultionum Domino misericorditer disponente finaliter majorem dicti Switenses cum complicibus jacturam reportarunt, quia plures de ipsis, qui fuerant in exercitus cauda nescientes hujusmodi traditionem sevissime suates taliter falso signo signatos, tanquam inimicos invaserunt, et occiderunt juxta illud sepe supra allegatum: Non est lex equior ulla, quam necis artifices arte perire sua, - - - - Sed attende qualiter Dominus exercituum et rex magnus super omnes Deos reddit habundanter facientibus iniquitatem juxta opera sua - - - - et nunc perpende magnalia Dei. Nam anno revoluto videlicet M CCCC XLIV. venerunt gentes ab extremis terre et innumerabilis Nobilium cetus nutu judicis cuncta cernentis congregatus, videlicet Francigine, Hispani, Arrogonenses, Portugalenses, Castellenses, Compostollenses, Scoti, Britones, Normanni, Lombardi, Castellani, Burgundiones, Sabaudini, Bickardi, Armeniaci, Lothringenses, Flandrenses, Brabandini, Hollandrini et summarie de omnibus finibus Gallie, et presertim de omni natione que sub celo est et die Mercurii XXVI. Mensis Augusti dictis Switensibus cum omnibus suis confœderatis pro tunc dictum oppidum Thuricense, et similiter aliud castrum dictum Varensperg alimentis tamen non refertum prope Basileam collocatum - - - potenter obsidentibus, gentes predicte de populo predicto Switensium et confœderatorum, qui Alamanicus fuit, et linguam quam non novit audierat, precise et ad instar conflicti pecoris extra muros suorum confederatorum videlicet Basiliensium civium et apud capellam Sancti Jacobi Apostoli Leprosorum, et apud torrentem ibidem defluentem quattuor millia predictorum ex omnibus finibus suis electorum et ultra, qui extra terminos suos hujusmodi advenas insequi pretendebant, una continuatione de mane usque ad vesperam occiderunt, et plures eorundem, in multitudine grandi, qui confugerant in capellam et habitacula leprosorum elemento ignis crudeliter consumarunt, - - - - Et quid ultra factum sit attendamus. Nam post mensem dum locus certaminis pro infirmarum reductione mundaretur, appertum fuit cellare quoddam in quo centum minus uno Switenses integris corporibus incorruptis stantes compressi tantum elementi supradicti fumo et serventi tumore amarissima morte suffocati sunt. - - -
Et ultra si proprie perpendis, in quo deliquerunt, videlicet Switenses cum complicibus in loco re et modo sunt puniti, - - - - - sepe enim malum pene exprimit modus culpe. Unde abscinditur homini caput corporis, quia ipse abscidit caput mentis i. e. rationem, - - - - Et insuper aliud gloriose notabis vindicte genus rationabiliter presentibus conscribendum, nam Carolus Magnus Imperator exortus de Francorum regno piissimus prout in hac valle lacrimarum dilexit suos, nec unquam sibi fideles reliquit consilio in tribulatione constitutos, et quondam hoc antiquissimum Thuricense castrum tam solenniter in Sanctorum Martyrum Felicis et Regule ac Exuperantii laudem et honorem Ecclesia et clericorum venerabili collegio fertilissimisque terre territoriis et possessionibus dotat- et decoravit, taliter tam enormiter videns per gentes Switensium predictas quondam per ipsum relegatas et complices suos tam crudeliter angustiatum, undique igitur apud regem regum, in cujus pallacio perhenniter militat, ad instar patroni fidelis et advocati sagacissimi ipsius regis etiam gratia et legum Imperialium habundanter referti peritia, predicti sui nobilis castri tam inique suppressi largam a Domino dominantium impetravit liberationem, unde de regno suo Francie et de domo Magnificentie sue filium suum nomine Carolum et verum Carolinum cognominatum Delphinum cum regnicolis suis ad civium sive Burgensium suorum imo clericorum de dictis suis Ecclesiis quas fundaverat suscitavit, et destinavit gloriosum liberatorem, ut taliter extra muros Basilienses prosterneret hanc - - - - generationem, et per hoc de oppido suo Imperiali Thuricensi, prout factum est, penitus tolleret obsidionis et oppressionis tribulationem, et taliter ut ipsi Switenses per se dicere possent, elevate vexillum, quia malum visum

est nobis ab aquilone, et contricio magna; - - et ecce illi ab aquilone et mari et isti de terra australi aut ex parte Dominii Austrie, et ipsi cives Thuricenses proclamarent, laudate celi, et exulta terra, jubilate montes laudem, - - - - - - Plura siquidem alia particularium bellorum certamina inter partes multipliciter sunt peracta, que brevitatis gratia pro nunc decrevimus dimittenda. Et ad nostrum propositum revertendo diligenter perpende. Nam dum nuper videlicet de An. Domini MCCCCVIII. in medio mensis Januarii et ipsa die Sancti Hilarii quedam gentes montane communiter nuncupate Appenzellenses pro nunc prout pro tunc dictis Switensibus confederati, moribus ritibus et gestibus conformes, conjunctis sibi perseveranter Switensibus jam dictis vagarentur seviendo per Swevie partes superioris, et multa nobilium castra castella et castileta desolaverant, et hujusmodi persecutionis examen crudeliter fere per septem annos duraverat, et ecce dum demum Castrum Pregancie in capite laci Constantiensis et in montis vertice firmissime constitutum devastare presumpserant, Domino disponente quasi omnes per Wilhelmum Comitem dicti castri et nobiles sibi coherentes gladio sunt extincti, et ecce quidam Berengerius nobilis de Landenberg brevissime defunctus magna voce clamabat, dicens, nunc interficiemus mulieres cum parvulis suis, ne forte vivendo crescant, et - - - - fiant viri parentibus pejores et prosequantur nos et posteros nostros quemadmodum fecerunt Patres eorum: et heu non fuit exauditus, sed experienter hujusmodi filii prout seniores sui hodie persequuntur nobiles.

RUSTICUS.

Nunc redeamus, ut principalis extricetur, videlicet Switensium contentionis materia, et quia non dubitamus, quin post tenebras lucem speratam videamus, que nunc modo convenienti crepusculo comparuit, dic per quos modos et formas, hec mortalis et execrabilis dissensionis calamitas demum pacata fuerit?

NOBILIS.

Nuper Switenses cum complicibus universaliter omnes et singuli ad arma saltem habiles juramento docta quadam verborum forma per suum capitaneum delata fuerunt firmiter inter se constricti, et quantum in ipsis fuit adunati, quod bella, lites guerras et prelia pro tunc contra principem Austrie nec non cives Thuricenses attemptata et per aliquot annorum tempestates continuata pace nulla finirent, nisi prius predictos Thuricenses ad vinculi dimissionem confœderationis cum jam dicto Principe, et sua domo Austrie nuper confirmate et ad restitutionem chirographi confederationis desuper confecte, et ad standum juri coram eis per vim compellerent, - - sed viam pacis non cognoverunt - - - - - Nam justicia Domini vera justificata in semetipsa illustrissimam suscitavit principis videlicet unius Electorum Imperii clementiam Domini Ludovici Palatini Comitis Reni, qui de Anno Domini MCCCCXLVI. contendentibus predictis hinc inde multo magno tum suffultus consilio statuit diem videlicet Dominicum, qui fuit 15. Mensis Maji, cum continuatione sequentium ad civitatem Constantiensem. Et omnium et singulorum, quorum interesset, nunciis plenum mandatum habentibus taliter convenientibus, et miranda continuationis considerationis solertia ad viginti dies et ultra ibidem protelantibus dicti confederati in sua contumacia firmiter perstiterunt, et ad competentes judices venire contumaciter renuerunt, sed demum videntes imo trepidantes timore, et utique fuerat timor in ipsis confederatis de nobilium et sibi adherentium mirifica potentie magnificentieque magnanimitate, et insuper metu quorundam prodigiorum et signorum et judiciorum de Switensibus et suis complicibus sinistra, prout noverant, indicantium a pretensa temeritatis presumptione, prout premittitur juramento firmata recesserunt, et a voce tonitrui formidarunt, et sic ad nutum dicti Principis palatini super singulis controversie punctis, quoad principem et cives Thuricenses super quibuscunque questionum contentionibus, nihilominus tamen dampnis homicidiorum et incendiorum qualitercunque commissorum exclusis, in competentes arbitros de stando juri quasi vi compulsi se constrinxerunt, et illico videlicet die Mercurii octava Junii pace patenter proclamata quelibet partium prestulando juris diffinitionem consequenter quieverunt et taliter confederati a sua, prout putabant, firmissima diutius presumptione contumaciter protelata prorsus humiliati declinarunt, et qui prius, prout premittitur, et quare, bellorum prelia preeligerunt, nunc rigoris lateram et juris examen subierunt, et indomita superbie, nec non tortuosa nimis ingentis arrogantie colla justicie jugo submiserunt.

RUSTICUS.

Fac de premissis summarii brevis recapitulationem, ut consequenter de certis nos moventibus habeamus aliam conversationis collationem.

NOBILIS.

Placet, et igitur de bello extra muros Basilienses cum Switensibus perpetrato et extra muros Thuricenses inchoato recipias brevissimo Themate metrico per me simpliciter et recenter de talibus compendiose composito ut ecce.

Bis septingentis, quadraginta quoque tribus,
Anni in festo Magdalene memor esto,
Quo Thuricenses falsò certamine cesi
Ad Sanctum Jacobum sed illic fors quoque nutriunt
Per cruces rubeas Switensi crimine sumptas:
Qui Jacobus retulit vindictam criminis hujus
Extra Basileam revoluto temporis anno,
Vicesimo sexto Augusti mercurioque
Cum sua Capella perierunt milia plura
Gentibus ex istis nobilium manibus unctis.
Hoc legas vere factum quinto Jeremie,
Dum Dominus gentem robustam fert venientem.
Ex vaticinio narratur ordine pleno,
Quod cito subeant et rem cum nomine perdant
Congrue Switenses arta valle residentes.

RUSTICUS.

Tedio pressus de premissis accidiose contentus fore compellor licet verborum aucupes et sillabarum dinumeratores nodosas calumniarum replicationes pro-

proponere potentes te capere possent, in verbis gloriantes, sed nunc restat aliud ammirationis scrupulo dignum a te curialiter querendum. Nam ex premissis patet, quod Switenses, seu Switensium gentes ortum traxerint seu originem de villa vel valle privata, nullis menibus, muris, aut munitionibus castrensibus, urbanis seu civilibus decorata, sed ruraliter silvis, nemoribus, pratis, alpibus, rivulis et montibus circumvallata, et tamen consequenter tanquam a digniori, ut solet fieri, denominati ipsorum complices et adherentes, sive sint civitates, oppida, communitates, et universitates, qui confederati et vulgariter dicuntur *Eydgenossen*, et nunc scimus, qui sunt et quales, quos taliter nominare solemus, sed quare similiter predicti et generaliter omnes Switzer sive Switenses indifferenter ab unica villa vel valle per te supra specificata indubitanter sine discretionis et discussionis moderamine nominamus, cum tamen famosiora loca inter ipsos, ut puto, reperiamus?

NOBILIS.

Amore Dei! credebam tibi supra sufficienter brevis sermonis colloquio demonstraîse, quod primum Switenses, qui Switzer dicuntur, de valle arta, aut de villa Switz - - - - hoc confederationis contubernium principaliter incepissent - - - Unde pre ceteris in hac confederationis combinatione primum Switenses collocantur, et consequenter omnes sibi coherentes per mundum nunc dicuntur Switenses, et de hoc non dubitamus, quoniam Basilienses sunt ville Bernensium confederati, qui ultra Switensibus sunt colligati, quare per mundum ipsi Basilienses odiose propter adherentium adhesionem sunt Switenses consequenter vocitati, licet iniquitas fuerit mentita sibi. Et non mireris, quod tantus populus, et tot universitates ab una villa denominantur, nam et totum regnum Bohemie, et ejus regnicole, et Marchionatus Moravie et ejus terrigine ab una sola persona videlicet Magistro Johanne Husso, Hussite fuerunt per universum mundum communiter et divisim appellati, et nomen retinebunt usque ad consumationem seculi, - - - - sic et tempore Celestini pape fuit scisma, et illi, qui adherebant Clementi et Benedicto successori suo dicebantur Clementiste, aut Avinionenses, quia residebat in Avinione, et qui adherebant Benedicto XII. et Clementi VI. et successoribus suis, qui residebant Rome, dicebantur Romani. Ita adherentes Switensibus immediate vel mediate dicuntur Switenses licet Thuricenses aut Bernenses et alie universitates ipsis fuerint potentiores. Hinc Valles Suprawaldensis et Infrawaldensis a Dominio Nobilium recedentes. Hinc Lucernenses et Zugenses proprietatis titulo sub ducibus Austrie aut Comitum de Habsburg, quod idem valet, dominio quondam degentes. Hinc Vallis Uranie gentes quondam ad Abbaciam Thuricensem proprietatis titulo spectantes; - - - - Hinc videlicet Thuricenses salvo jure imperiali se colligaverunt. Hinc villa Bernensis que nunc sua potentia peroccupat Argowie terram multis oppidis, castris, castellis, vicis et villis munitam, propie domui Ducum Austrie pertinentem, occasione quorum guerram passi sumus imminentem. His Bernensibus taliter fuit Comes Sabaudie cum toto Dominio suo connexus, et hinc Comes de novo Castro contiguus, et his Bernensibus antiquissimi Imperialis oppidi Solodorensis populus ibidem vicinus similiter iis fuit colligatus, et his nobilis ab antiquo civitatis Basiliensis cives et exercitus, confederationis jugo ad certos annos - - - fuerat conjunctus. His populus de Clarona valle proprietatis titulo ad Abbatissam Seconiensem: ab antiquo pertinens fuit combinatus. His omnibus quedam gens Appenzellenses seu Appenzeller jure proprietatis et servitutis quondam Abbati Sancti Galli subjecta, nunc violenter profuga, cum sibi coherentibus oppidanis de Will et Liechtensteig, et aliis vallibus et vallensibus contumaciter litis et belli consortibus. His oppidis Rinfelden prope Basileam in perpetue sue pernitionis maculam castrum sive domum amenissimam profundissimis gurgitibus Reni convallatam predicti Principis Austrie propriam devastando in nobilium predictorum contemptum prefatorum Switensium ligam tenuit, quod tamen nuper justo Dei judicio videlicet mercurii 23. Octobris de Anno Domini MCCCCXLVIII. per nobiles invasum, spoliatum et depredatum, et captis civibus potioribus et relegatis quibusdam ad naturale Dominium, cui stat impatienter retrorsum. Et ut prosequamur propositum, attendas, hi confederati toti mundo se pretendebant potentiores, et cunctis resistendo preeminentiores, inter hos primum Switenses unius principis de Austria, hinc isti et Claronenses, Bernenses, Lucernenses, Zugenses et Appenzellenses multorum Comitum, Baronum, procerum, nobiliumque fuerunt interfectores, et orbis stupor vicinarumque terrarum pavores, et incolarum principes, et omnium sibi circumjacentium subversores, ac aliorum rusticorum sibi subjectorum terrores, et plebeorum horrores, prout quondam Romani, - - - - multum per mundum dominantes, nunc facti sunt humiliores, et possibile creditur, quod hujusmodi confederati convertantur Deo et natura disponentibus ad humanitatis gradus.

RUSTICUS.

Licet - - - - ab omnibus progenitoribus meis rusticalis fuerim conditionis, nihilominus animi perturbatur discussionis arbitrium de tanta plebeorum arrogantia protervissime dominationis, sed quia supra tetigisti, quod ipsi vel ipsorum aliqui trepidant de sui continuatione juris, quod certis proveniat ex signis et prodigiis miraculose clam vel palam in harum guerrarum perseverantia multipliciter exortis, - - rogo que et qualia fuerint illa.

NOBILIS.

Contentor de tue ruralitatis commotione, - - - - quam ob rem scias, quod de Anno Domini MCCCCXLII. de mense Septembris, dum Fridericus Romanorum rex modernus Dux Austrie perambularet hereditariam sue dominationis olim terram videlicet Ergoviam pro nunc per confederatos occupatam transiturus, ultra quoque visitaturus Sabaudie et Burgundie Ducum magnificentiam, et dum appropinquaret ville Bernensi, et ibidem in campo planissimo potentatus ejusdem loci in superbia et abusione providenter ordinaverat omnes gentes sue dominationi subjectas a minimo usque ad maximum, imo ab etate puerili usque ad decrepitos et infinitos ad bellorum acies ineptissimos ibidem ad utrumque ipsius vie latus, ut segregati starent in armis in spiritu presumptuose comminationis, et ostentatione con-

tumacis elationis, sub fuco quidem subjecte venerationum exhibitionis, effectualiter tamen ut rex emulos illustrissime Domus sue contremendo conspiceret, et potentie pompam interne considerationis sue turbam tante multitudinis ab utero sibi ferociter inimicantis concerneret. Ad instar David Regis, ut legitur II. Reg. Cap. ultimo, qui superbe numerando populum gloriabatur nimis et offendit Dominum et in tantum, quod uno die provocatus a mane usque ad tempus sacrificii vespertini necavit de populo suo pestilentia tricenta millia virorum. Et is, qui contra David elationis vindictam intulit, infra anni spatium, videlicet 26. Augusti, prout premittitur, secundum ultionis rigorem reddendo retributionem superbis extra muros Basilienses de jam dicto populo et sibi confederatis ad millia plura prostravit. Hujus cedis, similiter mirandum perpende nimis horrendum patenter presagium. Nam ad dierum triginta spacium per singulas noctes apud predicti Sancti Jacobi capellam extra Basileam armatorum violenter hastantium, bellatorum hostiliter dimicantium, virorum fortium ferociter pugnantium, cesorum letaliter ullulantium, et lesorum dolenter frementium sonitus et populorum tumultus et magnarum gentium strepitus per habitantes ibidem Leprosos multum perterritos terribiliter fuit auditus, et die tricesima prout prenotatur, bellum supradictum in et prope Capellam eandem perpetratur. Item post Bernensium predictam populorum ostentationem ipsa die Epiphanie Domini, dum ipse populus seditiosus, qui Switenses dicuntur, quoddam Monasterium Sanctimonialium ordinis cisterciensis dictum in Wurmsbach, Constantiensis Dioeceseos ipsis vicinum violenter occuparent, et contumaciter invaderent, et personas monasterii abinde repellerent, quedam imago beatissime Virginis Marie gestantis Jesum filium suum in ulnis more consueto vetustissima in Ecclesia dicti Monasterii cunctis videntibus ab antiquo collocata, et tempore dicte occupationis in facie et manibus et puerulus nudus per totum corpus sudabant guttas aquosas, aquoso more realiter cum effectu guttatim manantes ad instar corporum humanorum viventium passim ambo stillantes, et in hujusmodi sudore per triduum integrum diu noctuque perseverantes. - - - -

Item Anno M CCCC XLV. et de mense Marcii dum potentatus dicte gentis in quodam oppido notabili apud locum termarum ibidem vicino cum suis complicibus confederatis ex una, ac copiosa nobilium et civium Thuricensium multitudine partibus ex altera causa tractate pacis fuissent congregati, ecce quidam miluus, qui inter alias aves secundum Isidor. timidissimus, et avibus propterea minoribus se propter pusillanimitatem et segniciem sepe supprimitur, descendens ab arce, et scribe sive notario publico dicte gentis in medio suatum et in presentia sui Capitanei officio fungenti in foro patulo utriusque sexus hominum pleno piretum sive capellum coloris albi de capite violenter surripuit, et vehementer transvolavit, et unguibus suis transportavit et penitus abstulit. Et notanter dixi coloris albi. Nam si rubeum aut ceruseum fuisset, cruentarum forte carnium apparentiam representasset, et avicule visu decepto non tam mirabile in oculis nostris apparuisset. Est autem notandum, quod scriba aut cancellarius vel prothonatarius alicujus Principis vel Universitatis pro republica legaliter expedienda magne lateque presumitur auctoritatis, et ipsa respublica tanquam circulus sine puncto in suis extremitatibus secundum Euclidem, et quorumlibet hominum status videlicet nobilium, civium et plebeorum, sine scriba seu cancellario persistere non potest, sed per istum punctum videlicet scribam tanquam hostium per cardines suos necessario registratur, atque convolvitur et revolvitur; Unde Aristoteles in libro de regimine principum ad Alexandrum Magnum Cap. 57. in fine de cancellario sic inquit inter multa: pone ergo eum videlicet scribam in gradu remunerationis tue, quia ejus proprietas tua est, et ejus corruptio tua: et ita volo, quod avis predicta tetigerit cordis intima Switensium in hac persona, et inde periculosum gesserunt prodigium, et audi, nam non longe post hunc casum due majores campane in Switensium valle una in superiori et alia in inferiori partibus una quasi et eadem die et hora non violenter sed more consueto pulsatę patenter sunt disrupte. Hinc secunda Augusti eodem anno quidam notabilis de consulatu Switensium per partem adversam videlicet Thuricenses mancipatus, et dum sperabant secreta suorum inimicorum ab illo extorquere, propriis suis caligulis jugulando in carceribus se peremit, prout et plures de dictis Switensibus apud inimicos detenti eisdem temporibus propriis se manibus occiderunt. Item eodem tempore duo viri de dicto populo, qui quandam in obsidione civitatis Thuricensis partis adverse mulierem maritatam vi oppresserant ad exercitum redeuntes, unde unus dum se in mensa capitanei de perpetrato scelere narrando jactaret, mox morte subitanea constrictus, occubuit, et alter illico telo partis adverse confossus expiravit. Item consequenter de Anno M CCCC XLVI. et die 27. mensis Januarii in terra confederatorum predictorum et presertim in et circa Zovingen, Lentzburg, Surse et Arow oppida dominationi quondam ducum Austrie propria, et nunc per eosdem violenter ablata post noctis medium tenebris nocturnalibus repulsis est visa ad instar diei meridiani quedam fulgurosa claritas ad moram unius hore vel quasi perdurans intonantibus fremendis tonitruorum coruscationibus et ventorum validis concussionibus, ac si montes et colles collisione validissima corruerent, et facti sunt mugitus horribiles per aerem frangore timoroso resonantes. Quibus ut premittitur, repentine transactis facte sunt tenebre, quemadmodum priores rite juxta temporum qualitates ad ortum diei naturalis perdurantes. Item consequenter die prima mensis Februarii de prope in oppido jam dicto Surse, dum homines more solito mane primo diluculo suam visitarent Ecclesiam in cimiterio suo et alias in duabus notabilibus domibus grandem sanguinis seu cruoris effusi coagulationem modo monstruoso sine quoque hominum suffragio prout fideli comparuit scrutinio palam et publice permanentem et jacentem invenerunt. Item consequenter tercia die Februarii visum est quibusdam monialibus in Monasterio ibidem vicino videlicet Eberseg ordinis Cisterciensis mane nondum orto sole, quod ambitus monasterii plenus jaceret mortuorum cadaveribus, quo tremende cognito mox disparuit eventus. Item de anno jam dicto et de mense Julii quidam insensati de Switensibus ad numerum 20. catervatim conjuncti de oppido Zug exeuntes ipsos Thuricenses dampnificare volentes progressuri, ecce avis quedam silvestris, que merobs dicitur, ab alto veniens et duobus viris pre ceteris multum preeminentibus appropinquabat et capitibus eorum morsu amarissimo coherens continuo insedere laborabat, qui violenter ipsam abjicientes, et de-

demum occidentes et iter versus montes intentum prosequendo procedebant, et ibidem quosdam Thuricenses in insidiis latentes inveniebant, qui mox aggressu primo duos eosdem per avem prout premittitur molestatos interficiebant, et alios eorum contuberniones fugabant. Item mense sequenti ipso die sanctorum Johannis et Pauli martyrum fulmen illico de celis quendam virum mire fortitudinis dictorum Thuricensium inimicum severissimum, qui pre cunctis non lancea vel gesa, sed solum clava quadam penitus ferrea magno pondere diris aculeis ad modum Herculis utebatur in bellis, sed tempore nunc pacis, violenter extinguebat. Nam et fulminis ictus pro maledictione ponitur. Ut Job. Cap. ult. ubi dicit, mitte contra eum fulmina, et ad locum alium non feretur; videlicet unus sicut ille. Item Anno jam dicto de medio mensis Augusti in valle Switensium et montibus, alpibus, et collibus suis, ubi pascuis utebantur oves et boves, et alia sua pecora campi, tam intollerabiles et grandes nives ultra triduum durantes violenter irruerunt, quod se ad genu cujuslibet viri protenderunt, et igitur innumerabilia animalia sua predicta in pascuis existentia frigore et fame et suffocatione perierunt. Multum quidem his similia vel majora forent propalanda, sed ne ultra tuam gravemus rusticitatem cetera decrevimus restringenda, nam sepe periti pauca ponunt, ut eorum exemplo omnia similia caveantur.

RUSTICUS.

De multorum tuorum collegi premissorum et plurium aliorum mihi fideliter referentium relatione pro tanto, quod in modum latissime recapitulationis priorum quoddam tibi formabo thema cum ammirationis questione: quia imperialis oppidi Thuricensis communitas ex una et Switensium et aliorum suorum confederatorum Universitas partibus ex alia videlicet de Anno Domini M CCC LII. fecerunt unam confederationis ligam perpetuo duraturam et taliter est provisum, quantum fuit in utrisque partibus, quod inveniri non debet modus, quo predicte connexionis valeat dilui aut disrumpi nodus, et hic patentibus cyrographis cum superhabundantibus cautelis, et cum singularibus capitulis singularum universitatum sigillis est laudabiliter firmatus, et quolibet decennio in qualibet universitatis parte per extensum prelectus, et juramentis singulorum de universitate saltem discretorum de rato firmiter innovatus, et in eisdem cyrographis patenter magna consideratione videtur fore cautum, ut quelibet universitatum pars seorsim similiter se confederare possit, salvo prioris confederationis ligamine, cum quibuscunque Principibus, civitatibus, oppidis, castris, et singularibus universitatibus, quam ob rem communitas populi Thuricensis nuper se cum illustrissima domo ducum Austrie salva priori confederatione perpetuo colligavit, et servatis servandis confirmavit, prout ex conventione potuit, et insuper juri rationique congruit ad dilatandum pacis et concordie clementiam. - -
Nunc ceteri confederati contra Thuricenses displicentiam gesserunt, et averterunt se, et non servaverunt pactum, quemadmodum patres eorum - - et ut Thuricenses illam novam confederationis sponsionem dimitterent, vel ejus occasione coram ipsis in effectu juri starent, (ut proprie diceretur: Inimici nostri sunt judices. Deut. XXXII.) eos per vim compellere hostiliter attemptarunt. Non obstante dictorum Thuricensium exceptione dicentium, quia jam scripturarum chirographis, quid juris sit, plenius exploratum, et inde super eo de stando juri coram tribus personis de consulatu Bernensium, qui eorundem Switensium fuerunt confederati, similiter hoc idem obtulerunt, coram aliarum civitatum Imperialium universitatibus, de hiis Switenses principaliter et alii sui confederati consequenter minime contenti gravissimorum preliorum bella et hostiles invasiones Thuricensibus intulerunt, et effectualiter contra conditiones et puncta dudum fideliter jurata et in chirographis predictis patenter contenta eosdem Thuricenses crudeliter gravarunt, et ipsorum oppidum per duos menses et 13. dies obsederunt, et mille jactus cum majoribus fecerunt bombardis, et unum sacerdotem et quandam vetulam nec alium hominem intra muros et menia Domino disponente tetigerunt, illi tamen ad penitentiam et sacramentorum perceptionem pervenerunt, consequenter Switenses predicti suburbia villas possessiones, curtes, domus, hortos et arbores, vineas et tuguria igne et alias hostili devastatione consumarunt. - - - - Et in obsidione predicta taliter indurati et obstinati permanserunt, usque ad tempus a Domino prefinitum quo per bellum extra civitatem Basileensem inhumaniter domati recesserunt, prout hec et alia superius nostre collationis series clarius tetigerunt. Nunc quero ex themate predicto, utrum premissorum occasione liceat Universitati Imperialis oppidi Thuricensis a confederationis liga predicta ante centum annorum spacium taliter instituta recedere penitus et auctoritate propria?

NOBILIS.

Hec questionis propositio mihi satis rigorosa, et mee facultatis excedit eloquia, attamen Domino duce sacrorum canonum et legum ponderabo consilia, solum Deum pre oculis habendo et dicam cum Hieronymo XXIV. q. 1. Non afferamus stateras dolosas, ut appendamus, quod volumus, pro arbitrio nostro dicentes, hoc grave hoc leve est, sed afferamus divinam stateram de scriptis sanctis tanquam de Thesauris Dominicis, et in illa, quid sit gravius, appendamus. Hec ille contra iniquissimos judices et pessimum genus hominum, qui Juriste dicuntur, qui causa lucri aut metus, odii vel favoris, non tantum contra juris imo sue mentis tramitem arbitrantur, - - Unde Christi nomine invocato bone fidei constantia firmatus firmiter felici moderamine, salvo et reservato nihilo minus magistrorum meorum judicio taliter dico: Non est dubium, quin obligationum vincula etiam juramento firmata per predecessores universitatum contracta perpetuo sint in successores ejusdem universitatis obligatoria, - - - Quia idem populus est hodie, qui fuit centum annis et ultra in universitate preobligata, - - Nec expediret per successores hujusmodi juramenta renovare, ut de jure jurum veritatis, quia alias sufficienter sunt obligati per jura predicta; Est autem universitas secundum Archid. Corpus aliquorum hominum, unde dicitur universitas ab uno, eo quia in unitatem colligantur. Sicut: universitas Scolarium Bononiensium et civium alicujus loci, etc. Et est generalius nomen, quod sit hec dictio collegium, et plura comprehendens, nam collegium est collectio hominum simul viventium, - - - Sed quia in dictis cyrographis secundum aliquos colligitur, quod modus non sit inveniendus, per quem dicte confederationis

conventus veniat dissolvendus, ac si diceretur: etsi casus eveniret, qui utriusque juris traditioni patenter obviaret, aut qui clausulas articulos vel puncta littere sue videlicet cyrographi principalis violaret; nihilominus hujus confederationis ligamen in sui roboris firmitate perpetuo permanere debet. Ecce nonne in celum os ponunt, qui singulos rerum eventus quantumcunque futuros restringere volunt, nec Imperator regulam ponere poterit, quam exceptionem pati non voluerit, - - - Nonne scribitur, quod pacto privatorum juri communi non derogatur - - et juri communi caveatur, quod in omni juramento jus superioris est exceptum, - - et juramenti cujuscunque interpretatio, et presertim in magnis tractatibus, ut hic, spectat ad solum papam - - Nec juramentum extenditur ad ea, de quibus non est cogitatum. Item qui jurat stare mandatis cujuscunque prout presumunt Switenses dictos Thuricenses jurasse parere mandatis confederatorum juxta tenorem literarum, tamen intelligitur non nisi de justo et legitimo mandato - - et illud non est mandatum justum, imo multum est iniquum ut quis stet juri coram adversario suo. Quia dicit lex, quod nemo sibi vel suis jus dicere potest. - - - Item cavetur in jure, quod quoad juramenta, que prestant homines hominibus, et in hiis, que respiciunt commodum utriusque partis, sicut fit in contractibus et societatibus, homines se mutuo possunt absolvere, - - et ita confederati hujusmodi se mutuo possent absolvere de hujusmodi confederatione contra mentem clausule predicte, et si partes jurarent, se mutuo nunquam velle disolvere, nihilominus Papa posset, ex causa superveniente; videlicet si hujusmodi liga in deteriorem partem vergeret, aut peccatum generaret. - - Nunc autem ad questionem principalem utrum Thuricenses premissorum excessuum occasione possint recedere auctoritate propria de dicta confederatione, et videtur, quod sic, nam certum est, quod in cyrographo principaliter cautum, et juramento sigillis universitatum singularium firmato patenter videtur, quod Thuricenses poterant se confederare cum domo ducum Austrie, unde quia de hoc confederati certi fuerunt et hodie sunt, et ipsi similia, prout premissum est, fecerunt, cercionari non debebant, - - - Nam proprie certum est illud, quod est clarum et manifestum, - - - Unde si certum fuit, quod fideliter fuit juratum de servando presentem clausulam, ergo contra fidem, qua non tantum huic oppido Imperiali imo Universali Ecclesie et Christo suo tanquam ceteri fideles obligati sunt, et contra juramentum prestitum hoc gloriosum oppidum cum sibi coherentibus iniquissime fuit taliter prout premittitur, perturbatum.

Item ponamus, quod in chirographis predictis sit lucidissime cautum, ut pro qualibet controversia sit coram confederatris aut arbitris per ipsos vel ab ambabus partibus electis juri parendum; ita tamen quod super-arbiter in quo stet totum judicium sit eligendus ab ambabus partibus. Ita videlicet, quod actrix eligat duos et rea similiter duos, et illi eligant quintum de Universitate ambarum partium juxta predictarum literarum condictum, sed nollent eligi aliquem de parte adversa, sic similiter actores. Et ita condictum videtur insufficiens, quia stat negocium per infinitum et indiscussum nisi rei eligant de parte adversa. Et hec electio patenter esset iniqua, quia sic effectualiter actores essent partes et judices, quod nullo jure licebit, prout predictum est, et si procederet quod absit, ceteri confederati possent de hoc Imperiali oppido Thuricensi inter loca totius Provincie nobilissimo et antiquissimo, ut patet, facere villam privatam aut burgum sine munitione aut murorum tuitione, ut ecce. Dicerent Switenses juxta rudem morem suum judicialiter coram aliis confederatis, aut confederatorum deputatis: Hoc oppidum videlicet Thuricense fortissimum nobis est in oculis nostris trabs intollerabilis et perpetuum obstaculum, cum sit in terrarum nostrarum angulos universos largissimum transitus exitus et introitus hostium, per quod nobiles oppido naturaliter amici, inimici nostri, nobis jugiter sunt offendiculum, et quanto fortius, tanto firmius eorundem nobilium potentius conservatorium. Unde petimus, muros ipsius oppidi penitus destrui, fossata quoque penitus obrui, similiter menia turres et munitiones ad fundamentum consternendo dilaniari et ad instar Ananiensis, Troyane, Babylonis, Carthaginensis, et Herbipolensis civitatum devastari. Ad hoc Thuricenses respondendo proponerent, dicentes: Quia sonat principalis chirographus confederationis nostre, quod nos antiquis juribus et consuetudinibus privilegiis et prerogativis et immunitatibus inviolabiliter gaudere debemus, unde nostris non privari debemus antiquissimis signis et insigniis civilibus, prout intendit cyrographus per vos juratus et sigillis vestris plene firmatus. Ad hoc replicando dicerent Switenses non virtutem ac mentem sed nudum verborum sectantes corticem, sensumque confundentes, - - Super hoc confederatis judicialiter congregatis petimus juridicas expeditiones. Ad hoc duplicando iterum Thuricenses responderent: Hec res jam est judicata, que in veritate rata semper est habenda, - - et patentibus literis vestris plenissime fulcita. Sed Switenses sagaciter triplicando proponerent super hoc: Interveniat confederatorum nostrorum juridica et finalis diffinitiva in loco ad hoc deputato sententia. Unde ceteri confederati cum Switensibus taliter incitati possent extunc, si saltem vellent, prout precincti sunt roboris potentia, sine fustibus et gladiis ac bellorum et bellatorum preliis per suam declarationem de hoc oppido nobilissimo facere burgum aut villam miserabilem, omni honoris ornatu et municipiali policia sine civili decore carentem. Et sic consequenter super qualibet particula, aut quolibet capitulo ipsius cyrographi principalis posset in infinitum fieri nova conventio sive contentio, nec cyrographus finem poneret, nec rem in aliquo certo termino constitueret, et quod provisum fuit ad concordiam, tenderet ad noxam. - - - Et quod pro pietate introductum est, videlicet pro pace et perpetua concordia, redundaret in alterius injuriam. - - Nam proprie iste cyrographus igitur videtur tam solemniter introductus, ut in hiis, que in ipso comprehenduntur, nullus de cetero sit contentionis scrupulus, sed taliter contra cyrographum procedendo esset indubitanter infinitus maledictionis eventus. Hec est infinietas a jure reprobata, - - - Unde dixit Esopus de lupo, qui causam quesivit de rivulo perturbato, ut innocenti noceret agniculo, inquiens: sic nocet innocuo nocuus causamque nocendi invenit, sic regnant qualibet urbe lupi. Item causam querit, qui vult recedere ab amico, dixit Salomon. Ad propositum igitur redeundi, nota, quod in dictis cyrographis continetur, quodsi aliqua partium fuerit rebellis vel contumax in hiis, que spectant ad confederationis vinculum, quod alia pars

pars ipsam inducat, sine tamen gravi et crudeli lesione, ad obedientie bonum. Et quam crudeliter Switenses cum suatibus contra capitula et articulos in confederationis litera comprehensos, fide et juramentis multipliciter firmatos excesserunt, patet ex premissis, quare mihi videtur quod dicti Thuricenses auctoritate juris communis et jam promulgate patenter juridice declarationis sint, si saltem volunt, a dicto confederationis vinculo penitus absoluti. Ut clarissime patet in c. pervenit II. de jure juran. - - - - Nunc et de confederatorum ratione dicte confederationis notanter juramento notabis consueto. Nam singula singuli jurant per singulas universitates quolibet decennio ad puram conservationem omnium et singulorum capitulorum et articulorum et punctorum in supradicto cirographo comprehensorum, et quis dubitat, quin singulares de qualibet communitate hujusmodi confederationis juramentum singulariter ligat, et si quis contra fecerit, manifesto se perjurii vicio maculat, unde canonibus omissis, qui largissime loquuntur de juramentorum vinculis, dicit lex Imperialis, qui sibi per juramentum necessitatem imposuit, illud servabit. - - - Item licet pacisci et jurare, via tamen non debet perjuriis aperiri. - - Et vinculum indissolubile constitui licet, quod perpetuo observetur, - - ut enim boves visibiliter funibus, sic homines verbis ligantur intellectualiter. Unde: uti verba ligant homines, thaurorum cornua funes, ecce quomodo gloriosissime legum auctoritas fidei juramentorumque volunt servari solemnitates, constat autem, quod si singuli de universitate olim juraverunt pro se et successoribus eorum, successores obligantur, sed si contravenerint non sunt perjuri, ut le. et no. de jure jur. veritatis, - - Et ne fidei vel juramenti factor de malicia sua commodum reportet, - - sic penam talionis legaliter inferamus, quam Moyses invenit, Deut. C. XIX. in fine - - et ut puniatur quis in eo, in quo deliquit. - - - Nam in veritate pena videtur et Switensium universitas in hoc puniri cum suis complicibus patenter concernitur, si Thuricensium communitas tam violenter et crudelissime lesa ab ipsorum consortio dissolvitur: ratio, quia oppidum Thuricense eorundem Switensium et suatum fuit fortalicium patenter fortissimum, - - - - imo menia, murus, et turris fortitudinis contra quorumcunque potentiam et rabidos insultus omnium nobilium, qui semper eorundem fuerunt interne naturalisque hostilitatis armamentum: Posito autem, quod in premissa fidei fractionis questione plures et diverse Doctorum et Magistrorum forent opiniones, quod possibile est, quia quot capita tot sensus, quia diversitatem ex tunc licebit cuilibet dicere, servare, tenere similiter et sententiare, secundum illum, qui saniores virorum juriumque rimaverit aut ruminaverit rationes.

RUSTICUS.

Et sic similiter, si saltem usus fuero utriusque juris rationibus, dicere possum quod volo, sed his non obstantibus estne modus securior illo, ex quo tantarum gentium universitates nollent credere hominis simplicis simplicissimo quibuscunque juribus fulcite narrationis eloquio?

NOBILIS.

Quis dubitat si supereroganter et ad obstruendum ora loquentium iniqua, et que nemini nocet apponatur superhabundans cautela, ut c. de test. l. testam. universitas Thuricensis summi Pontificis aut concilii generalis cum gestorum fideli veridica quoque narratione clementer et humiliter invocaret auctoritatem, omnium et singulorum universitatis sue juramentorum, pro dicta confederatione qualitercunque conservanda prestitorum puram et sinceram per orbem penitus indubitatam obtineret relaxationem.

RUSTICUS.

Constat mihi sufficienter ex premissis, et insuper quorundam veridica relationis declaratione, quod utique Switenses cum complicibus prenotatis Thuricensibus enormissima satis violenter intulerunt dampna in corporibus, rebus, bonis et possessionibus, et si jus ad bellandum non habebant, - - et consumpti vitam suam taliter terminarunt, in inferno, ubi nulla est redemtio, nisi penitentia preventi reatum cognoverunt, et ablata restituerint, igne gehennali perpetua corrosione corrodentur, et corrosionis consumatione minime consumentur. Credo tamen, quod hii, qui talium factorum et gestorum et actorum juris ignari sunt, et per ignorantiam et obedientiam talia perpetrarunt, quia apud illum, qui novit abyssum, et cor hominis investigat, et novit omnem scientiam, et a quo non absconditur ullus sermo *Eccles. XLII.* omnem juris evadant strictissimam scripti penam, et insuper infernorum tristissimam maledictionem, nam et Christus dixit, prout prenotasti *Luc. XXIII.* Pater dimitte illis, quia nesciunt, quid faciunt: et lex vult, - - quod ipsi tanquam rustici, licet fortassis grossiores sint, jura scire non tenentur, - - et jurium ignorantia ipsos excusat, - - - et nullum crimen maculat nescientem, - - et maxime ex eo, quia ex obedientia fecerunt, et mandato speciali suorum prefectorum. Nam dicit lex: non potuit dolo carere non parens imperio Magistratus.

NOBILIS.

Scias pro certo, quod hos nec ignorantie nec obedientie presumptionis ornatus excusat a tam enormissimi peccati contagione. Nam quantumcunque quis simplex videtur, potest tamen habere copiam peritorum in qualibet mentis perplexitate, et ideo non excusatur, - - vel sua prudentia facile potuit illud scire, - - Nam illi excusati non sunt, qui sunt in finibus terre, et in insulis, que procul sunt, ad quos Apostolorum predicationes non pervenerunt, - - et in malis obediendum non est prelato Domino vel prefecto, - - nam etiam pro nullo bono malum est faciendum, ut videlicet pro bono obedientie ad malum sit obediendum, - - nec prodest alicui ignorare cum potuit scire per se vel per alium.

RUSTICUS.

Sed quia constat inimicos Thuricensium ibidem clero similiter et populo injurias et dampna miserabiliter intulisse, et maxime clerum ibidem crudeliter dampnificasse, ut comparet per singulos dies et horas in monasteriorum et ecclesiarum collegiatarum et parochialium et coenobiorum et capellarum et oratoriorum igne consumptorum refectione, nec non in

sua-

suarum vinearum restauratione, in domorum re-edificatione, in possessionum recuperatione, in gravissimorum debitorum accumulatione, et in importuniorum creditorum infestatione, ut vociferando pre labore tanquam filii Israel in Egipto ut *Exo. III.* et dicant cum lamentatione suspirando, hoc malum habemus de Switensibus, prout matutinum de Judeorum gentibus. Nam si Switenses tanta nobis dampna non intulissent, et Judei Christum non hora noctis sed luce meridiana captivassent, isti de magnarum declarationum angustia, et illi videlicet Judei a noctis inquietudine nos perpetuo liberassent. Unde videtur clericis et civibus Thuricensibus impossibile, tantos Dei et hominum inimicos posse diligere, aut favore fraterno sibi tales cordialiter colligere, scriptum est enim, diliges amicum tuum et odio habebis inimicum tuum. *Levit. XIX. et XXVI. Matth. V.* - - et singuli clamitare compelluntur: Ach miser crucior tantum bonum esse ereptum de faucibus meis.

NOBILIS.

Considerabis primum, quod Judeos non debemus persequi, nec Saracenos et paganos, - - - et Judei et Saraceni proximi nostri sunt, - - - unde de his et omnibus hominibus scriptum est: Diligite inimicos vestros et benefacite his, qui oderunt vos, et orate pro his, qui vos persequuntur, et calumniantur Matth. V. Luc. VI. - - Item si esurierit inimicus tuus, ciba illum, si sitit, potum da illi ad Rom. XII. - - Ex his et aliis summatim colligunt doctores, quod in inimico debemus odire inimicitiam et rancorem quem habet ad nos, quia illa sunt sibi peccata et mala et sunt contra Deum, sed naturam ejus debemus diligere i. e. animam et corpus, et sic faciendo implemus in uno homine hoc antiquis dictum, prout premisimus, diliges amicum et odio habebis inimicum tuum, prout Christus per se allegavit, Matth. V. Implemus quidem non secundum intellectum carnalem et erroneum Judeorum, de quo dictum fuit. Sed implemus ad verum et catholicum intellectum. Nam in uno et eodem homine malo proximum et inimicum, quia secundum quod homo, proximus noster est, sed secundum quod malus non solum noster, sed et sibi inimicus est, diligamus ergo in eo cor et animum et corpus. Hoc est diligere proximum, quem Deus fecit, et odio habere maliciam ejus, quam ipso consentiente diabolus intromisit, - - Et si tales tanget tormentum malicie, qui suos persecutores non dilexerunt, quo putas tormento tangentur hujusmodi persecutores, qui dampna nequiter intulerunt, et non refecerunt, et nihilominus inimici persliterunt, nec reconciliari Deo et hominibus curaverunt.

RUSTICUS.

Sed qualiter natura titubante hos diligam? durus est sermo, qui potest eum audire, ut *Joh. VI.* - - et quomodo talem prosequar amore fraterno, quem cum prospexero, ut Joseph visis fratribus suis in Egypto, olim suis persecutoribus, commota sunt omnia viscera sua in regali pallacio, *Gen. XLIII.* et cordintime ruminavero, quod hic me patre crudeliter orbavit, matrem depauperavit, fratres occidit, consanguineos prostravit, concives necavit, habitacula cremavit, possessiones evacuavit, culturas remoravit, hinc victum abstulit, fructus devastavit, terram sterilizavit, et perpetuis anxietatibus me convolvit, quem dum intueor cum tremore concutiuntur viscera, cum frangore quassantur membra, gelizat cor cum frendore, singultat guttur cum stridore, os oscitat cum pallore, lingua balbuciat cum livore, et corpus creticat cum sudore. Scis autem quod natura negat, nemo feliciter audet: - - quis igitur natura taliter reluctante inimicum diligere rationabiliter persu adebit?

NOBILIS.

Is qui naturam omnis creature de nihilo creavit, taliter prout prediximus fieri patenter mandavit, et ad impossibilia, prout et lex canonica, - - neminem restringit, et ea, que docuit, non solus, sed homines naturaliter degentes taliter in patientia, imo multum terribiliora perficientes, perpetravit. Unde dixit Paulus: Fidelis autem Deus est, qui non patietur vos temptari super id, quod ferre potestis, sed faciet cum temptatione etiam proventum, ut possitis sustinere.

RUSTICUS.

Dicit Cassiodorus, quod virtutum gesta narrare, est laudare, et quis dubitat, quin viciorum rabie peracta propalare sit laudis contrarium refricare? Lassatus premissorum relationis continuatione delectarer utique nova saturari recitatione, dic queso dum nobilis locus sua vetustate laudandus videlicet Imperiale castrum Thuricense taliter ut refers nuper Switensium et suatum fuerat protervia quassatum, circumvallatum et castris et castrametationibus tantarum gentium undique angustiatum, quid ad hoc ceteri superioris Alamanie Civitatum Imperialium potentatus sibi tanquam filiis Imperii, confratribus, obsidione preliis et guerris continuo convolutis, peregerunt? Nonne quemadmodum quondam consolationis socii nunc tribulatis magna legalitate prout tenebantur compassi fuerunt?

NOBILIS.

Ach vero nequaquam!

RUSTICUS.

Ach dolentis animi presagium; Ad quid autem proponis hujus lamentationis oraculum?

NOBILIS.

Sane perpendas, ut sincerius intelligas, omnes superioris Alamanie Civitatenses Imperio de jure subjecti preter cives Constantienses tribulantibus et non tribulatis continuo subsidia prestarunt, consiliis confortarunt, auxiliis instaurarunt, imo aurum et argentum et omnium metallorum genera et offensionis instrumenta opportuna queque misere, materieque cujusque fulcimenta largiter communicarunt, prout de his et aliis dicti Thuricenses dolenter passionati frequenter certificati fuerunt, sed audi, et vide gesta, prout Deus ultionum Dominus in suo Majestatis Throno predestinaverat, merito perpetuo memoriter scripturis com-

commendanda. Ecce civitatenses predicti in generose nobilitatis contemptum premissa quadam sagaci fallacia multo concurrenti consilio machinati disposuerunt, et per hoc radices germinis generose nobilitatis imo principes generositatis cum semine suo ad confederatorum Switensium predictorum munimina supprimere funditus, et fundamenta dissipare decreverunt. Nunc perpende palam, quid de Anno Domini M CCCC XLIX. et sequentibus et presertim in jubileo, nobilitatis apices predicti contra civitatenses attemptarunt, et in attemptatis laudabiliter bellando certando preliando similiter et pugnando commendabiliter profecerunt, et experienter hujusmodi civitatenses in foveas, quas fecerant insidiando, precipitanter incidere disposuerunt, imo vidimus, quod in hoc prelio civitatenses felicitatis et secunditatis gloria penitus caruerunt, et una cum ipsis gregatim multipliciter perempti Switenses, et ultra periciores in armis, robustiores in ulnis, exquisitiores in personis in civitatensium defensione directe nobilium manibus potenter sunt simul et segregatim perempti. De his autem gestis de cetero hoc libro scribendi decrevimus quiescendum, et aliis ad hoc habilibus vices duximus committendum.

RUSTICUS.

Sum memor etenim, quod supra Cap. XXI. mentionis elogium patenter fecisti, de quorundam civitatensium contubernio, imo similiter et specialiter videtur facta notabilis de eodem satirici dictaminis collatio, rogo fac ut fiat summarie recapitulationis et interpositionis conclusio.

NOBILIS.

Sincero moveris motivo et igitur unum singulare tibi fideliter et superficialiter referendum propalare non omitto. Nam dudum ante revolutiones annorum quinque, dum librum presentem ad nobilitatis gloriam tanto, prout Dominus dederat, studio duxi componendum, in dicto per te recitato capitulo scripsi in rubro de quorundam hominum et locorum nobilitatis suppressione, et ipsorum revolvenda restauratione, et ibidem palam deduxi rusticos ad rusticorum stationes, et loca similiter et rura convenienter retorquendos, Nobiles vero similiter et Nobilium mansiones ad nobilitatis immunitatem feliciter reversuros, et tunc ego signanter perpendebam, quod civitates Alamanie superioris Imperiales summa gaudebant pacis tranquillitate, omnium quoque temporalium abundanter latitudine, et humanalis potentatus jucunda celsitudine nec non terreni cujuscunque principatus amplitudine, nihilominus tamen tanquam vates divinando certis exemplis rem futuris contingentem temporibus solerter demonstrando et inter multa notabiliter denominata pro tunc ingentis fame, attamen radicaliter nec non naturaliter rusticalia, nobilitati generose et nobilium quondam terris locis terminis et passibus violenter dominantia, ad naturam suam demum faciliter revertentia, inter illa tamen principaliter specificando nominatim villas descripsi, videlicet Ulmensium, Nürenbergensium, et Bernensium, que pre ceteris in plaga nostra nobilitatis generose infinita locorum stigmata, imo diversa nobilium stemmata sibi satis arroganter subjugarunt, et per suos convicaneos et cives burgenses et contuberniones possideri castra castellaque fecerunt, ecce aspiciens a longe, quid fiat et si tue sagacitatis industria predicti per extensum capituli concitamenta radicitus perpendebat, series antiquarum scripturarum rationibus, figuris, exemplis, legibus, ritibus et observantia communi fulcitas, perspicaciter ruminabat ex tunc rerum naturam cum pre ceteris quid fiat de futuris necessitatis quodammodo moderamine consequenter cogente dictitabat.

RUSTICUS.

Constat, quod dicit Philosophus, quod corruptio unius est generatio alterius, et contra, sic fortassis de nobilitatis pretense multipliciter per me patenter quoque viliter detestate nova quadam recreatione generatur rusticitatis nostre suppressio cum anxietate. Nam - - - contraria contrariis purgantur, prout terre siccitas dulcissima purgatur imbrium diffusione, sic oris loquacitas purgatur subjectionis humilitate, et ambitionis magnanimitas suppressionis correptione, et mali regiminis iniquitas degradationis emendatione, et inepte dominationis crudelitas potentioris recurvatione. Sic Asur rex Asiriorum contra filios Israel fuit virga furoris Domini cum crudelitate; *Isa. X.* et igitur si civitatensium, burgensium, plebeorum et ruralium in locis sacro Imperio subjectis Alemanie superioris potentatus videbatur nimis exaltatus super omnes celos i. e. speras hemisperii regionis generose nobilitatis terrene, et nimis exaltatus principatus eorum, pie credendum videtur, quod orbis stelliferi polus et influentie superiores diutius non patiantur, et ut res revertatur ad naturam suam, prout proxime transactis temporibus fuit pre foribus totius mundi ruina et siderum experienter molliuntur motus. Nam in veritate prout est publicum et notorium super-eminentis ipsorum sublimitas elationis videtur curvata, ac ad humilitatis scabellum videtur collocata, et hoc notabilius per quattuor terre principum cum cohærentibus videlicet Alberti Marchionis Brandenburgensis, Jacobi Marchionis Badensis, et Ludovici Comitis Wirtenbergensis et incidenter Alberti ducis Austrie vivacem latissimam quoque dominationem, et licet segregatim Nürenbergenses et Ulmenses tanquam principaliores et exinde corelarie seducti plerumque sequaces in contemptus augmentum nobilitati crudelius infligendum cum dictis civitatens. loca presertim sacratissima, que per generose nobilitatis stemmata concernuntur fore fundata, et igitur ad instar Switensium supra in presenti capitulo descriptorum infinitas Dei domos consecratas et ad divinum jugitur cultum per hujusmodi nobilitatis apices fundatas, videlicet gloriosa monasteria, coenobia, prepositruras, prelaturas, nec non ecclesias collegiatas et parochiales ac capellas et oratoria cum clericorum habitaculis ignis voragine severissima consumarunt, sed frequenter per nos supra ea, qua decuit devotionis reverentia Deus ultionum Dominus talionis penas tales civitatenses reportarunt, et quemadmodum Switenses cum complicibus retributionis talentum in sinum suum reposuerunt, ut patet. Nam hujusmodi locorum incendiarios principales et consequenter alios ad plures millenarios framee feroces nobilium devorarunt, et quia demum conclusive civitatenses hujusmodi ad Dominum clamaverunt, et vix liberavit eos, et finaliter pacem et concordiam lamentabiliter per ipsos desideratas ad nutum et voluntatis optatum eorundem Principum dicti civitatenses cum ingenti dam-

 pnorum

pnorum calamitate cum derisionis subsannatione gementes reportarunt, que quidem concordia cum leticie prosodia per omnium campanarum totius civitatis Constantiensis, die mensis Julii Anno Jubileo jubilanter videlicet M CCCC L. fuit altisonanter intonata. Sed his penitus dimissis ut etiam ceteris historiarum ac rerum gestarum scriptoribus maneat locus largissime collationis, et ne nimietas vertatur in tabescentis vicium corrosionis cessemus fatigati de tam protelate patenter continuatione collationis.

NOBILIS.

Placet, quia constat, quod judicia Domini vera justificata in semet ipsa desiderabilia super aurum et lapidem pretiosum multum, in qua cuncta pervenient purificanda, fac igitur diligentiam tibi conscriptam, ut ad rugientis stomachi sitientis quoque palati perveniamus refocillationem, et nunc ad derelicte, prout supra promissum est in themate, concionis nostre redeamus sodalitatem, et scias, quod nec hujus finis habebis intellectus informationem nisi thematis jam dicti puram in mente rumines recapitulationem, et ita transeamus ad finalis capituli sinceram prolationis intimationem.

Excerpta historica ex Malleoli libro de NOBILITATE.

FRIDERICUS I. Imperator quondam indignanter reliquit principes vitæ suæ prater causas in civitate Maguntina clam insidiantes, unde coram omnibus suis curialibus simulans se diutius permansurum cum tribus nobilibus tantum sibi fideliter adhærentibus et expertis habitu peregrino ambulabat velocissime versus Sueviam, et dum prope Friburgum in Brisgaudia, cum abhorruerit oppidum intrare, in villa pernoctaret, ubi Berchtoldus de Zaringen sub castro suo Zaringen habuit bene refertam possessionem, et dum ibi non esset alius hospes, demum dicti nobiles peregrini confidenter intrarunt. Quos Berchtoldus benignissime recepit et tractavit gaudenter eosdem et quasi per vim retinuit eos multum fatigatos et equis lassatos per dies plurimos peroptime refocillatos, continuo nesciens advenarum conditiones, nisi quod vidit personas fore multum venerabiles. Unde dum plene hospites fuerunt liberaliter et sine pretio aut remunerationis spe gratanter magna beneficentia de viarum fastidio recreati, et modo prout sperabant securi, Berchtoldus benigne requisitus deduxit eos per vias rectas et sinistras, per nemorum et sylvarum densitates sibi notissimas versus oppidum Vilingen extra nemus constitutum, de quo ad Rotwilam hospites præmiserunt unum de suis, qui reperit ibidem ex quadam prædisposita dispositione majorem partem principum et curialium Imperatoris ignorantium sui Domini mansionem; qui certificati de adventu tam proximo principis gavisi sunt gaudio magno et obviaverunt Domino habitu prout præmittitur supervenienti peregrino, et dum magna, prout decuit, solennitate in latere ipsius Berchtoldi continuo nescientis, sed eum minimum de comitatu credentis, acceptaretur, et continuo principibus et curialibus imperatoris in terram prostratis magnifice salutaretur, ipse Berchtoldus de equo suo prolapsus in terram admiratione plenus petivit gratiam et sibi postulavit humiliter indulgeri, si tam inclyto Viro non ministraverit operam decentem Cæsareæ majestati. Unde dictus Imperator videns ipsius Berchtoldi mirificam legalitatis magnanimitatem, quam et animi sui cognoverat nobilitatis magnificentia decoratam, et insuper abundantia auri et argenti fulcitam, ipsum sibi retinuit Curialem in consilio providissimum, et his et aliis concurrentibus demum et gradatim creavit in ducem et principem omni laude dignissimum.

Burgundia minor alias Argovia ex ingenti burgorum castrorum et castellorum multitudine, quæ habitationes nobilium fuerunt, dicta est Burgundia et in vulgari Burgunden. In ea, ut castrorum et burgorum demonstrant vestigia sive ruptorum ibidem aut integrorum, nobilium demonstratur fuisse multitudo copiosissima, per duo potentissima pro nunc oppida, Friburgense et Bernense, a tempore ultimi Friderici Imperatoris et a tempore Berchtoldi Ducis Zaringiæ eliminata, et fortassis justo Dei judicio, quia prout dicunt chronicæ Nobiles illius terræ superbia nimium excesserunt, et abusione, et inter cetera duos filios jam dicti Ducis Berchtoldi ipsius terræ provisoris calescentes invidia veneno peremerunt. Qui Dux Berchtoldus prophetico quodam præsagio oppida illa Friburgense et Bernense necis filiorum vindices prout sunt et hactenus fuerunt clara voce protulit, et taliter fundavit ut illius nobilium regionis et nobilitatis seminis forent sarcula nec non rastra radicitus eliminatoria.

Guardianus Fratrum minorum de oppido Lucernensi frequentare Castrum in Habsburg distans abinde per tres leucas, et per multos annos audire confessiones ejusdem Comitis, uxoris et familiæ, consueverat; quare his et aliis indiciis novit Comitis intima cordis. Inde consequenter idem Guardianus præfectus est domui minorum sive monasterio in Civitate Basiliensi. Et in diebus illis vacabat episcopatus ibidem, cum vero canonici Ecclesiæ majoris in electione pastoris in unum convenire non possent diffidentes, demum in eo concurrerunt, ut mox mitterent tres ex ipsis cum notario et testibus, ut unum de Fratribus minoribus proxime sibi provenientem adducerent, et indubie sibi talem in pontificem crearent. Unde eisdem juxta condictum portas domus minorum prædictæ pulsantibus importune mox occurrebat casualiter ipsis Guardianus prædictus, quem apprehendentes stupefactum capitulo dictæ Ecclesiæ Basiliensis juxta determinationem ipsorum solenniter in Episcopum præficiendum præsentarunt, gaudentes omnes et singuli quod ad fortunam tam venerabilem Virum invenerant. Et breviter servatis servandis Guardianum sibi præsulem concorditer sublimarunt, qui tam laudabiliter indies perfecit et Ecclesiam suam gubernavit, ut demum vacante Ecclesia Metropolitana videl. Maguntina in Archi-Episcopum postularetur, et inde servatis servandis factus est unus de Electoribus Imperii Principibus, qui vacante Romanorum Imperio per mortem Richardi filii regis Angliæ conclavi principum Electorum collegialiter congregatorum unitus in tantam laudem et honorem dicti Comitis de Habsburg dilatatus fuit, prout ex-

experienter cognoverat, ita quod totum collegium eorundem principum concorditer eundem in Romanorum Regem elegit, et electionem homini prædicto Rudolfo Comiti pro tunc Civitatem Basiliensem obsidenti præsentari fecit. Quibus, præsentatione et Electione publicatis, concordiam sibi placentem cum Basiliensibus ad nutum obtinuit.

De Anno M CC LXXX. ad populum prædicante plebano Ecclesiæ Thuricensis apud tumbas martyrum ibidem patronorum lapis violenter nullo movente confractus talem legitur fecisse ad instar tonitru frangore terribili coruscantis sonitum, quod omnis populus frendore concussus contremuerit, ac si testudinis arcus Ecclesiæ corruerint; et eodem Anno tertio Octobris major pars ejusdem oppidi vehementis ignis voragine contrita; et insuper dissensionibus civium, seditione populi, irruentibus censuris Ecclesiasticis et bannis imperialibus miserabiliter cruciata ruinæ patuit.

Quidam Comes Burgelinus de Werdenberg capitaneus oppidanorum de Winterthur de Anno Domini M CC XCII. dum Cives Thuricenses obsiderent oppidum jam dictum, sciens Episcopum Constantiensem cum multis armorum gentibus subventurum Thuricensibus prædictis eum ipse prævenit, et cum populo suo clam exiens oppidum signa Constantiensis Episcopi vexillis et paneris suis impinxit et exercitum Thuricensem tanquam amicus ad amicos accessit; qui gaudentes panem et vinum levatis manibus dimissis armis occurrentes obtulerunt. Quos improvisos et inermes ad mille viros et ultra Comes sua falsitate prostravit et reliquos demum falsitatis expertos fugavit. Fere deterius peregit gens rustica quædam Appenceller aut Appencellenses nuncupata sub Abbatis Sancti Galli Constantiensis Dyoc. ditione quondam constituta. Et dum ad Abbatis invocationem nobiles et Civitatenses bellis et præliis, ut rustici hujusmodi ad obedientiæ disciplinam redigerentur, nobiliter insisterent, eidem rustici signa nobilium differentialia clam false contra suos hostes bellando sumserunt et fallissime plures de nobilibus occiderunt.

De Anno Domini M CCC III. Cometa visa est tanquam ignis columpna de cœlo cadens et in momento reascendens, et eclipses solis et lunae; et eodem tempore paulo post Alberthus Rex Rom. de Domo Ducum Austriæ per fratris sui filium videlicet Johannem Ducem Austriæ, immo per nobiles armigeros et familiam ipsius Ducis cum adhuc puer fuerit XII. annorum in terra sua paterna videlicet Ergowia, ubi pro nunc est monasterium Sancti Clari dictum in Campo Regis, et in loco ubi pro nunc summum ponitur Altare, miserabiliter imo latrocinaliter sub absconso mantelli sui fuit interemptus. Et illico hujusmodi latrocinio perpetrato, et consilio Diaboli consummato reliqui in se desperantes et fugam recipientes Johannem Ducem puerulum solum relinquentes abierunt. Qui videns se ab hominibus derelictum assumens astantem sibi paris formæ juvenculum velociter abiit et per dies vitæ remansit exul et incognitus in terris alienorum. Sed ex post ad septuaginta vel circa spacium annorum venit quidam ut aspectus docebat de longinquo grandævus et venerabilis homo, et ibidem ad duas leucas remansit in quodam heremitario. Qui sæpe propter vitæ honestatis conversationem per moniales dicti monasterii vocatus et requisitus retulit in effectu prædictam Historiam et Regis Romanorum interfectionem, nomina quoque similiter et cognomina singulorum consentientium et causam, quæ talis erat: Quia jam dicta terra videl. Ergowia proprietatis titulo paterno successori eidem juvenculo Duci pervenit possidenda, et nunc per regis potentiam videl. patrui sui retenta. Unde familia dicti juvenculi dominari desiderans in eadem terra ad occidendum Regem miserabiliter et fraudulenter juvenculo ad consentiendum inducto fuit machinata. Et dum hæc et insuper ipsius Ducis Johannis successus et tempus certius quoque vitæ conversationem heremita predictus tam notanter recitaret et reliquorum terræ prædictæ veteranorum gesta tam luculenter enudaret, et effigies corporis et staturæ legalitas tantam in ipso senectutis formam ostenderet, et nomen Johannes sibi foret; scrutatum scrutinio sæpe subtilissimo: an ipse idem dux Johannes exul existeret? Sed dum frequenter curialiter dissimularet, demum senex et plenus dierum senio deficiens et in heremitario solus humano subsidio carens egrotare cœpit, et moniales prædictæ habitaculum sibi intra Septa monasterii constituerunt, et ipsum per tempora vitæ solerter et humaniter pertractari fecerunt. Et dum moriturus diu decumberet, et transiturum se videret, per suum confessorem diligenter requisitus respondit illico, et antequam agonizaret, quod ipse talis esset Dux Johannes. Et postquam obmutuit, et tamen alloquentes eum intellexit, se fore talem signo et nutu patenter demonstravit. Et prædicti sceleris authores mox post perpetrati criminis actum cum fautoribus partim judicialiter occisi, ceteri quoque permanserunt exules et profugi, et suorum castrorum et domorum desolatarum stigmata ostendunt rem gestam.

De Anno MCCCLXXXVI. quidam frater minor vir magnæ peritiæ et sermologus largissimæ famæ ipsa die circumcisionis Domini in prædicto imperiali oppido Thuricensi publico sermone protulit, se per astrorum motus cognovisse, virum nudum cum armigero horrende pugnasse et demum armatum succubuisse; et per hoc illico demonstrari nona die mensis Junii proxime futuri principem terræ potentem per pauperculam gentem vincendum, prout eveniebat, nam ille populus scelestus (Switensium) cum suis complicibus illustrissimum principem Leopoldum ducem Austriæ prope castrum suum Sempach crudeliter in bello in solo proprio et ratione proprii, et per suos homines proprios cum mira multitudine Comitum, Baronum, et nobilium die prægnosticato peremerunt. Nunc audi mirandum, nam anno revoluto eodem in loco, quo princeps occisus est, quidam flos monstruosæ pulchritudinis, et largissimæ magnitudinis et peregrinæ dispositionis, natus est, similitudo cujus per filios hominum non est visa, prout forma deinde compacta et his diebus proprie demonstrare videtur figurata et materialiter confecta in rei perpetuam memoriam apud quandam capellam ibidem conservata.

Eximia populosaque civitas Basiliensis, ab antiquo Basileus, id est regius, locus insignis, amœnissimus structuris eminentibus concilii generalis nuper, et ex nunc regum et principum habitationibus capax et copiosissimus nobilissimis et potentissimis civibus, imo reverenter exquisitissime Clero mu'tumque copiose multiplici provisus, pro nunc potentia principis illustrissimi Ducis Austriæ, ex eo quod dum in honore essent, non intellexerunt et illis gentibus ferocissimis, qui Switenses, non proprie sed propter adhærentiam quam habent Bernenses cum eisdem, cum istis Bernensibus se confœderaverunt, et eis adhæserunt cum contemptu Regis Romanorum, cum sit Civitas Imperialis, affligitur, concutitur, constringitur, et fame cruciatur, civibus suis dira morte denudatur, impellitur et angustiæ sunt undique, quibus vehementer opprimitur.

Argumenta capitum libri de Nobilitate.

Cap. I.

Pro primo ponitur unum Thema, videlicet quorundam nobilis et Rustici contentio de qua totius opusculi sumitur dispositio.

Cap. II.

De dispositione et progenie, nec non prerogativa rusticanorum et ruralium qui fuerunt patres omnium nobilium.

Cap. III.

De rusticorum et plebeorum arrogantia; Et unde per eosdem et quare nobilibus non defertur nec exhibetur honor debitus nec reverentia.

Cap. IV.

De Romanorum ab antiquo conditione, de quibus nobiles aliorum regnorum gloriantur descendisse.

Cap. V.

De nobilibus qui eorundem Romanorum utuntur vel abutuntur conditionibus.

Cap. VI.

De nobilitate Virtutum incidenter, de qua nobilitas civilis seu politica primum cepit foment-n & initium.

Cap. VII.

De civilis seu politicæ nobilitatis origine, et de varia hujus nobilitatis descriptione.

Cap. VIII.

De Hebreorum, Graecorum, Latinorum & presertim Romanorum vero nobilitatis excordio.

Cap. IX.

De eo quod nobiles videntur a plebe divisi ante Christum et post Christum, et differentialiter a rusticis semper distincti.

Cap. X.

De Germania & Galliæ regnorum nobilium excellentia et eorundem nobilium origine primæva.

Cap. XI.

De eo quod orientales et præsertim Græci et consequenter Trojani et Carthaginenses & inde Romani, et quare aliis nationibus fuerunt nobiliores.

Cap. XII.

De antiqua gradibus nobilitatis ante translationem Imperii per leges imperiales differentialiter distinctis.

Cap. XIII.

Hic incidenter de Imperatore seu Romanorum Rege tam veteris & novæ nobilitatis mediatore et moderatore.

Cap. XIV.

De moderna gradibus nobilitatis per septem ordines segregatim divisis.

Cap. XV.

De militibus in armata militia militantibus.

Cap. XVI.

De principibus et nobilibus super quibus Romani Imperii fundatur potentatus.

Cap. XVII.

De plebeis qui nobilitari videntur, et nobilibus qui sublimiori nobilitatis gradibus elevantur.

Cap. XVIII.

De nobilibus factis et creatis ex antiquis divitiis.

Cap. XIX.

De his qui nobilitate re et nomine privantur, & ejus privilegiis & praerogativis penitus denudantur.

Cap. XX.

De eo quod tantum nobiles & hi quos nobilitas dotavit & fundavit bonorum temporalium copia, sunt capaces & in eis durabiles.

Cap. XXI.

De quorundam hominum & locorum nobilitatis pressione & ipsorum revolvenda restauratione.

Cap. XXII.

De nobilium praerogativa quoad Deum & quoad homines, canones & leges experienter demonstrativa.

Cap. XXIII.

De his quos in clerico & populo principes in terra secundum scripturas nominare solemus.

Cap. XXIV.

De eo quis sit melior inter principem natum electum sive creatum.

Cap. XXV.

De nobilitate politica sive civili in militanti & triumphanti ecclesia hactenus & hodie commendata.

Cap. XXVI.

De eo quod principes & nobiles præ ceteris per astra & sydera ac prodigia in cœlo & in terra fuerint præsigniti.

Cap. XXVII.

De nobilitate in muliebri sexu commendata.

Cap. XXVIII.

De nobilium principatibus & dominiis localiter distinctis & ipsarum distinctionum rationibus & iniciis.

Cap. XXIX.

De signorum insigniorum & armorum & armorum ad Imperatorem, reges & principes & alios nobiles pertinentium usu & consuetudine.

Cap. XXX.

De omnium regum & principum ac nobilium in terra militantium finali tam temporali quam spirituali retributione quam ex justis regiminibus & bellorum & bellantium exercitiis possimus provenire.

Cap. XXXI.

De nobilium modernorum abusionibus.

Cap. XXXII.

De rusticorum præsentium enormitatibus.

Cap. XXXIII.

De gentibus illis qui Swizer sive Switenses dicuntur, & rusticorum vocabulo non comprehenduntur.

Cap. XXXIV.

De militis & rustici, de quibus fit mentio in themate contentionis, plena concordia & reconciliationis forma.

FINIS.

HISTORIA
BELLI SUITENSIS
SIVE
HELVETICI
DUOBUS LIBRIS
COMPREHENSA.
AUCTORE
BILIBALDO PIRCKEIMERO.

BELLUM HELVETICUM
A
BILIBALDO PIRCKEIMERO
DESCRIPTUM.

LIBER PRIMUS.

QUI REGUM, GENTIUM AUT populorum res gestas conscribere aggrediuntur, identidem sub initium in historiæ laude versari consueverunt, eam temporum testem, veritatis lumen, memoriæ conservationem, magistram vitæ, vetustatis nunciam esse contendentes, cujus ope egregia hominum facta à temporis vindicentur injuria planeque immortalitati commendentur. Mihi vero haud quaquam ita præfari licet, sed cogor potius de Germanicæ gentis infortunio aut etiam calamitate conqueri, quod tam paucos, seu (ut rectius dicam) nullos sortita sit scriptores, qui ingentia illius et celeberrima facta, memoriæ, ut decuisset, mandassent, cum omnes res gestæ tantæ habeantur, quantum eas verbis (ut ille ait) præclara potuere extollere ingenia. Quapropter vetustissimorum illorum Germanorum, Francorum, Suevorum, Gottorum, Alanorum, Vandalorum, Herulorum, Longobardorum, ac reliquarum gentium infinitarum facta clarissima et admiranda, aut minus digne et fideliter, sed et maligne ab exteris tradita sunt scriptoribus, aut magna ex parte sempiterna oblivione sepulta jacent, tametsi ruptis undique limitibus Romanos rerum Dominos devicerint, caput mundi Romam ipsam, ac totam fere Europam ditioni suæ subjecerint, ut interim sileatur, quid in Asia, quid in Aphrica à Germanicæ stirpis hominibus gestum sit. Ceterum ut prisca illa et obsoleta fere ommittantur, ætatique donentur rudiori, justa tamen reprehensione non caret, quod nemo Germanus præter unum aut alterum hucusque repertus sit, qui vel sui temporis gesta conscribere sit aggressus, cum interim tamen non parum multi fuerint, qui omnium gentium, et à mundi quidem exordio, facta connectere, et ab aliis accepta pro suis edere sunt ausi; non quod illis materia defuerit, cum vix unquam Germania sine bellis aut quieta extiterit, sed quia non erat, unde decerpere, et alienis perfrui laboribus possent. Hinc evenit, ut Scriptores exteri, quoties Gentilibus suis, cum Germanis, res aut dissidium intercessit, ubique illos superiores confinxerint, aut nostræ gentis odio partos triumphos, factaque splendidissima ita extenuarint, ut multoties ex fortissimis segnes, ex insequentibus fugientes, ex victoribus vero plane devictos, fingere sint ausi. Nam ita comparatum esse videmus, ut quisque magis ad suæ gentis laudem quam alienæ proclivis existat, licet nihil magis historiam deceat, aut illam exornet, quam veritas, qua neglecta, confestim in fabulas et anilia exit deliria. Quapropter operæ pretium me facturum putavi, si bellum quod Helveticum vocant, literis mandarem, ne illud quoque quemadmodum et reliqua ex hominum laberetur memoria, cum maximum extiterit, et funestissimum ex omnibus, quæ in nostram aut patrum inciderint memoriam, non solum bellico apparatu ac copiarum numero, sed et præliorum atrocitate, cladiumque multitudine; Siquidem non toto exacto anno sæpius collatis pugnatum est signis: ut interim tumultuaria ac levia omittantur prælia, quibus non pauciores, quam justa cecidere acie. Etenim ambæ partes egregie viribus pollebant, et opibus magnisque utrinque nitebantur auxiliis. Accedebat his animorum obstinatio ac militaris ferocia, quæ non tam bellicæ laudis gloria, quam mutuo decertabat odio. Helvetiis summopere annitentibus, ne proprium ac majorum decus tam multis partum bellis amitterent. Cæsarianis vero, ne illis animo et manu deteriores esse viderentur. Conscribam autem non solum ea, quæ aliorum relatu aut fama tantum percepi, sed etiam quæ coram vidi et aspexi, cum in hoc bello non parvis copiis tam equestribus quam pedestribus præfuerim ac imperaverim, proinde non tam verborum elegantiæ quam veritati studere conabor, quo non plus necessitudini partium quam hostium virtuti tribuisse videar, quantumque potero verissime cuncta omni affectu animi depulso enarrare conabor.

Verum enim vero priusquam hujus belli series explicetur, Helvetiorum originem et res gestas altius repetendas esse censui, vetustioribus ac quæ fabulis similiora sunt neglectis, quo percipi possit, quibus initiis ad tantam evaserint potentiam, ut cunctis vicinis suis formidabiles fuerint, ac Cæsari ipsi repugnare sint ausi, his deinde belli hujus causas, semina, ac originem adnectam, sicque demum ad reliquam historiæ procedam explicationem.

Suitenses igitur (quo nomine omnes fere censentur confœderati) se à Suetia Balthici maris peninsula oriundos autumant. Illinc enim majores suos populariter olim egressos, ac in eam quam nunc habitant regionem commigrasse perhibent. Ceterum quantum opinio hæc veritati astipuletur, ipsi videant.

Constat enim, eos classe ad terram hanc aduehi nequaquam potuisse, cum longe sit à mari remota, pedibus vero quis tantum periculi ac itineris subiret, ac per tot horridas et bellicosas nationes incederet, ut demum in terra tam sterili, ac cœlo aspero consideret, nemo enim ideo natale solum relinquere assuevit, ut deteriorem occupet terram, sed ut ab informi et cultu tristi ad pinguiorem fœlicioremque commigret. Atqui Sueticus ager, quamvis admodum septem appropinquet trionibus, ubertate tamen glebæ, longe sterilia Suitensium rura exuperat, præcipue ea quæ Alpibus adjacent, ac perpetuo ferme rigent frigore: Reliqui vero confœderati partim se ab Hunnis et Attilæ exercitu, partim à Gottis, qui Galliam olim occuparunt, descendisse contendunt. Verum undecumque originem traxerint, satis constat, magnam regionis illius partem Zeringiæ quondam Ducibus paruisse: ac post illorum interitum diu inter comites et ejus loci nobiles hinc inde distractam; tandem in Habspurgensium Comitum (qui postea Austriæ Ducatum consequuti sunt) potestatem concessisse. Ceterum cum subditi gravissimis tributorum premerentur oneribus, intolerandisque præfectorum gravarentur injuriis, Suitenses primum, deinde Urienses et Underwaldenses, excusso jugo in libertatem se vindicare cœperunt, præfectos ac nobiles, qui in manus eorum inciderunt, trucidarunt: reliquos omnes destructis munitionibus et arcibus expulerunt. Hunc motum ipsi longa explicant serie. Nobis autem satis erit ostendere, quibusnam initiis ad hanc, qua nunc pollent, creverint potentiam. Ejectis præfectis ac nobilibus omnes quorum uxoribus aut liberis vis illata fuerat, quive insigni aliqua affecti erant contumelia, Suitensibus se junxere, arbitrantes tempus advenisse, quo et ipsi acceptas ulcisci possent injurias, brevique ita eorum crevit numerus, ac in immensum auctus est, ut principibus quoque formidabilis esse inciperet.

Leupoldus igitur Habspurgensis Comes, et qui tum Austriæ Dux erat, motum tam formidandum, priusquam latius serperet, compescendum censens, ingenti collecto exercitu Suitensium fines invasit. Strasbergensis quoque comes ex alia parte non minoribus copiis Underwaldenses aggressus est, ut distractis hostium viribus, facilius victoriæ compotes evadere possent. Sed ambo eodem die victi, ac multis ex suis amissis in fugam conjecti sunt. Ferunt, cum Dux de invadendo hoste consuluisset, fatuum quendam tum præsentem, qui ob animi simplicitatem principi in delitiis erat, effuso cachinno risisse, cumque risus causa ab eo perquireretur, respondisse: Et cur non riderem, cum vos omnes de intrando tantum deliberare audio: neminem vero cogitare, ubinam ingruente necessitate sit exeundum. Quæ vox, ut fieri solet, cum risu tum excepta est: clade vero accepta in omen conversa. Suitenses enim hostibus ingressis nihil prius habuere, quam montium occupare angustias, quas illi ob contemptum incustoditas reliquerant. Itaque in reditu potissimum clades est accepta. Incidit pugna illa in Annum Salutis MCCCXV.

Post eam victoriam Suitenses, Urienses, et Underwaldenses fœdus nouum pepigere, iisque paulo post juncti sunt Lucernenses, Turegenses, et Zugenses; demum vero et Bernenses, qui et eam ob caussam Principes et Nobiles habuere infensissimos, quorum receptatores essent Friburgenses. Sane etsi illi maximis experti erant incommodis, nihil violentum durare posse: ne tamen à pristinis suis degenerarent moribus, Bernensibus indixere bellum. Illi vero, cum nec pretio nec precibus pacem impetrare possent, nullumque nec juris nec æquitatis locum esse cernerent; Suitensium, Uriensium et Underwaldensium implorarunt auxilium, qui nihil cunctantes impigre illis suppetias ferunt. Obsederant interim principes ac nobiles ingenti exercitu oppidum Laupheim ditionis Bernensium, quod et acriter urgebant: sed non minori virtute à Bernensi præsidio defensum est. Bernenses igitur junctis Suitensium copiis et nobilium quorundam, paucorum tamen equitibus, recta ad hostes tendunt, quamvis longe viribus inferiores essent. Nam in castris hostilibus præter equitatum ingentem ultra triginta millia peditum militabant, quorum Duces erant, Comites de Kyburg, de Fallendis, de Neuburg, Barones de Furstemberg, Nidau, et plures alii, cum ingenti Nobilium multitudine: Venerat etiam in partes coactus potius, quam sua sponte Ludovicus, Sabaudiæ comes. Bernensium copiis nobilis quidam de ERLACH præerat, homo in re militari admodum expertus, qui suos egregie instructos identidem hortabatur, ut servatis ordinibus strenue pergerent, nec multitudinem formidarent hostium, id si facerent, victoriam in manibus esse. Se enim probe adversariorum nosse arrogantiam, qui contempta paucitate, sine ordinibus in illos ruituri forent. Starent igitur, ac præsenti pugnarent animo, non tam seipsos quam uxores, filios ac libertatem defensuri: Deum præterea tam justæ causæ haud quaquam defuturum. His et aliis verbis ita suorum excitavit animos, ut avidissime ad hostes tenderent. Suitenses cum hostem in conspectu haberent, à Bernensibus petiere, (quod et illis facile concessum est,) ut cum equitibus congredi liceret. Nam cum illos sibi inimicissimos esse scirent, pari eos persequebantur odio. Voti igitur compotes facti, confestim equites, qui et ipsi jam laxatis habenis in eos ruebant, adoriuntur, adeo ob paucitatem contempti, ut nobilibus risum moverent, ac si solum equorum ungulis atteri possent. Bernenses interim non minori vi cum peditatu confligunt; fit acre prælium, totisque certatur viribus, tandem Bernenses et Ducis sui hortatu, et propria instructi virtute, acrius, impressione facta, prorumpunt, interfectisque primis, ac signis dejectis, reliquos in fugam vertunt, victosque insequuntur. At Suitensibus longe majus negotium cum equitatu tam instructo est injectum, nam præter stragem ingentem, tam hominum quam equorum, diu anceps prælium fuit, donec Bernenses peditum jam victores, opem illis ferrent. Nec sustinuere impetum equites, sed cum magna eorum pars cecidisset, omnes tandem in fugam abiere. Desiderati sunt ex hostibus Johannes Sabaudiæ Comes, non sine Bernensium quoque dolore, cum illum virum probum fuisse, et nullo eorum odio in partes venisse cognoscerent. Cecidit et una filius ejus Ludovicus, Comes de Nidau, Comes de Fallendis, magnus belli hujus concitator, cum innumeris aliis nobilibus, et militibus gregariis, ita ut inter spoliandum plusquam quatuor millia cæsorum reperta sint corpora: signa militaria viginti septem capta, castraque direpta. Non tamen Bernensibus ac sociis incruenta cessit victoria. Ex Suitensibus enim strenuissimus quisque aut cecidit aut vulneratus discessit. Ea victoria ingens Suitensibus accessit existimatio, non solum quod tam parva manu adeo ingentes hostium fudissent copias, quam quod in campis patenti-

tentibus, equites excipere ausi fuissent, acceptosque tam strenue profligassent; Fuit annus hic à Nativitate Christi MCCCXXXIX. At Nobiles, quique eo prælio evaserant, licet post tantam acceptam cladem Bernenses aperto bello amplius aggredi non auderent, clanculum tamen, ut facere solent, latrociniis infestare non desinebant, nec Bernensium satiati injuria, Turegenses quoque eisdem vexabant artibus, ita ut et illi Suitensium operam implorare cogerentur. Ambæ igitur civitates in societatem receptæ sunt, ac paulo post Zugenses ac Glareani illorum sequuti sunt vestigia, brevique nobilium injuriis adeo aucta est fœderatorum potentia, ut ferme videretur invicta.

Principes igitur ac Nobilitas, quum jam Suitensibus resisti posse diffiderent, Anglos qui tum per Franciam grassabantur, magnis pollicitationibus, in auxilium vocant, qui non tam precibus adducti, quam spe prædæ, magnis adventantes copiis, Bernensem agrum foeda populatione tempestatis instar vastarunt. Castella vero et vicos minores diripiebant, subjectoque concremabant igne. Ne tamen usque quaque impune persultarent, multi à Bernensibus per excursiones ac levia cæsi sunt prælia. Nam ob ingentem multitudinem, cum hoste aperto Marte haud congredi audebant. Tandem Angli, commeatus inopia retro abire sunt coacti, non minus sociis quam hostibus graves et intolerandi. Post quorum discessum Habspurgenses ac Nobiles confœderatos infestare nunquam desiere, adeo ut per multos annos nunquam ab armis cessatum sit, ac magnæ et infinitæ clades hinc inde illatæ et acceptæ fuerint, quas longum foret commemorare.

Anno demum incarnationis Dominicæ MCCCLXXXVI. Leupoldus secundus Dux Austriæ magnis contractis copiis, ac nobilibus innumeris in auxilium vocatis oppidum Sempach obsidione cingere molitus est. Foederati vero quamprimum hostium sensere conatum, urbem præsidio munire decreverunt. Mille igitur et quadringentos milites electos ad urbis misere tutelam: Contigitque eadem die Ducem Sempach obsidere et Suitensium adventare præsidium. At Dux cum hostium cognovisset accessum, eorum paucitatem adeo contempsit, ut omni peditatu in castris relicto, cum equitatu tantum congredi statuerit, existimans, equorum tantum numero adversarios obrui posse. Et erat equitatus non tam armis ac animis præstans, quam multitudine conspicuus, adeo ut in duplum hostium excederet peditatum. Interim fœderatorum præsidium minime hostili multitudine perterritum urbi appropinquare coepit, et si quis prohiberet, armis viam parare, vel si minus posset, honesta morte occumbere paratum erat. Non tamen vage et incomposite, sed structa incedebat acie, siquidem longo jam belli usu, unusquisque legitime militare, imperium pati, et inprimis ordines observare didicerat. Equites igitur, ut primum foederatorum conspexere agmen, laxatis provolant habenis, atque infestis cuspidibus in medium ruunt. Suitenses vero objectis hastis longioribus, ferociter hostes excipiunt. Fit atrox prælium, cum illi perrumpere anniterentur, alii vero in vestigiis mori potius, quam cedere mallent. Interim Dux pugnantes hortari, nunc precando, nunc castigando accendere, nonnunquam omissam pugnam aliquot in locis restituere, et egregii Ducis ac strenui militis fungebatur officio: nec quoad superstes fuit, equites cessere: tandem vero impigre pugnans interficitur, cecidereque cum eo quadringenti circiter, Comites, Barones et Nobiles, cum turba alia innumera. Post tantam nobilium cædem, equites, qui supererant, se fugæ mandarunt, quos et pedites qui in castris remanserant, sequuti sunt, tormenta vero bellica et signa militaria quam plurima capta. Direptis inde castris, præda opulenta parta est. Occubuere ex victoribus ducenti circiter, multi sunt vulnerati. Verum quia equitatu carebant, hostes longius persequi nequibant. Dux cum plerisque aliis Principibus in monasterio Kunigsfeldt sepultus est. Suitenses tanto defuncti prælio, ad propria sunt reversi; ac nova inter eos inita sunt fœdera; in quibus multa prioribus addita, pleraque innovata, ac diserte cautum est, ut quam primum hostis sociorum fines incursaret, omnes populariter suppetias ferrent, siquidem Leupoldus defuncti Ducis filius, reparatis viribus bellum apparabat, ac ob cæsum patrem vindictam exigere nitebatur. Tandem intercedentibus amicis inter Ducem et confœderatos induciæ sunt factæ, nec tamen quies fuit. Nam Helvetii à nobilibus undique impugnabantur, et cum negociandi causa, ad vicinas proficiscebantur urbes, capiebantur, et bonis exuebantur, quibus injuriis ipsi quoque moti, paulatim Nobilium oppida et arces obsidebant, diripiebant, latronesque pellebant. Vastabantur cuncta ferro ac igni, multaque levia assidue committebantur prælia.

Interea Comes de Toggenberg, et Comes de Werdenberg ingenti collecto exercitu, Glareanorum aggressi sunt fines: Quibus mox Glareani obviam facti, parva manu impigre conflixerunt, ac hostem, cui equitatus inter montes nulli erat usui, fusum et fugatum finibus pellunt, in qua pugna iterum magnus nobilium periit numerus, ac ingens præda ac gloria parta est.

Bernenses interim et Friburgenses mutua clade omnia pervastabant, magis tamen populabundi, quam justi more belli. Friburgenses equitibus præcellebant, uam fœderatorum odio Nobiles illis auxilio erant. Bernenses vero plus pedite poterant. Tandem induciæ pactæ sunt in annos septem, quibus nondum lapsis, in viginti prorogati sunt. Sed vix in ea parte ab armis discessum erat, cum repente aliud exortum est bellum.

Erat Sancti Galli Abbas opulentissimus, ac multorum oppidorum et castrorum dives: verum et ipse subditos per præfectos quotidianis degravabat exactionibus, innumerisque afficiebat injuriis. At illi cum fœderatis defectionem non omnino sinistre cessisse viderent, nec onera tam molesta amplius ferre possent, seu vellent: fœderatorum exemplo Appencellenses se in libertatem vindicant. Abbas vero à Constantiensibus, quorum civis erat, auxilium implorat. Nec ii cunctati, fœderatas advocant civitates, collectoque exercitu, quinque millium armatorum, Abbati opem ferre pergunt. Communi igitur consilio Appencellensium invaduntur fines: Quibus plerique Suitensium, et quia vicini erant, et causam libertatis probabant, jam se conjunxerant. Igitur Appencellenses, quamprimum hostem in conspectu habuere, ferociter illum adorti sunt, ac primo impetu fundunt ac fugant, multisque cæsis, militaria signa quamplurima cum ingenti cœpere præda. Tantam igitur adepti victoriam, minime destitere, sed egregie illa sunt usi. Constantiensem enim ingressi agrum, omnia ferro ac igni fœde depopulati sunt.

sunt. Interim S. Galli civitas Appencellensibus adhæsit et à Suitensibus Appencellenses in tutelam recepti sunt. Unde viribus aucti, multas hostibus intulere clades. Qui tandem Federici Austriæ Ducis implorato auxilio, et collectis copiis, iterum belli fortunam experiri statuunt. Sancti Galli igitur civitatem obsidere pergunt, relictoque ibi Duce, cum equitatu universo, pedestres copias per saltus ac loca salebrosa ad hostem agunt. Appencellenses vero nihil cunctati, confestim in pugnam ruunt, ubi atrox oritur dimicatio, tandemque victoria, quamvis non incruenta, ab Appencellensibus stetit. Desiderati sunt ex adversa parte, plusquam mille homines, inter quos multi fuere Nobiles et magnæ existimationis viri. Dux vero cum à fugientibus de adversa pugna certior factus esset, collectis vasis, in tutum se recepit. Ac eo pacto Sancti Galli civitas ab obsidione liberata est. Victores vero, omissis in præsenti vicinis, Ducis ingressi sunt fines, ac prædabundi discurrentes, Rheni vallem, Silvam Bregentinam, ac Veldtkirchensium fines laté evastarunt. Inde montem Arlensem transgressi, Castrum Landeck ad Oeni fluenta situm capiunt, et ad Oppidum Ymbst usque, ferro et igni grassantur. Tandem vero multis interfectis hominibus, ac ingenti parta præda, ad propria sunt regressi. Ea expeditione castra quinquaginta et ultra capta sunt: Ex quibus triginta circiter diruta et exusta sunt. Ineunte hyeme Appencellenses Bregentum obsident oppidum. Verum cum victoria elati, excubias negligerent, à Montfortensibus ac Werdenbergensibus Comitibus magna ex parte oppressi sunt: reliqui pedibus sibi consuluere. Interim Rupertus, et ipse Dux Austriæ, ac Romanorum rex, timens, ne latius hæc contagia serperent, Constantiam pervenit, ambabusque auditis partibus, rem ita composuit, ut damnum damno compensaretur, ac Appencellenses dehinc liberi consueta tantummodo persolverent tributa.

Helvetii interim ab externo hoste quieti, in semetipsos arma converterunt: siquidem Zugensium subditi, cum Suitensium subsidio contra Urbem insurrexere, ac illi bellum intulerunt; quo facto, confestim Lucernenses, Urienses, Underwaldenses, ac Glareani, in Zugensium advolarunt auxilium: Quibus paulo post Turegenses totis se junxere viribus, ac parum absuit, quin inter se manus consererent. Intercedentibus tamen Bernensibus, ac aliis quibusdam amicis, seditio hæc citra sanguinis effusionem sedata est.

Vix in hac pace arma quieverant, cum longe major tumultus est ortus. Etenim Federici Austriæ quondam Ducis uxor, tum vidua, à Comitibus et Nobilibus persuasa, Basiliensibus bellum intulit, ac Ducis Burgundiæ propriisque viribus usa, in Basiliensi agro populationem adeo effuse fecit, ut nihil bello intactum relinqueret. Basilienses tam repentino oppressi malo, ac longe hostibus impares, aperto Marte resistere minime poterant: verum se muris continebant. Fœderatorum tamen suorum, Bernensium, Solodorensium, et Argentinensium implorant auxilium: qui nihil tardati, confestim advolant, ac post hostis digressum, Ducissæ invadentes fines, late vastant, ac castra quædam capiunt, captaque subjecto concremant igne. Tandem post multas hinc inde illatas clades, sequuta pax est, non tamen diuturna, quoniam Basiliensibus pacta haudquaquam observabantur. Quapropter populariter egressi, et ad oppidum Seckingen usque omnia evastarunt: Cumque Ducissa iterum copias cogeret, amicorum interventu, vix tandem inter partes stabilita pax est. Incidere hæc in annum Domini M CCCC XII. ac paulo antequam Constantiense inchoaretur Concilium, ex quo dum Papa Joannes, auxilio Federici Austriæ Ducis elapsus esset, omnia Ducis bona publicata sunt: Sigismundusque Imperator finitimas undique civitates in Ducis concitat excidium. Fœderati itaque cunctis egressi viribus, multa castra et oppida, quæ Ducis fuerant, capiunt, ac totam provinciam, quæ ob honoratam et copiosam Nobilitatem Ergau (hoc est, honoratus pagus) appellatur, in suam redigunt potestatem, quam et in præsentem possident diem.

Hic itaque bellorum funestissimorum exitus fuit, qui Austriæ Duces, et Nobilitatem, nec non Helvetios per tot exercuerunt annos, quibus tantum sanguinis effusum, tot urbes eversæ, tot castra, et latronum eversa sunt receptacula, magnis, ut cernere licet, sepulta ruinis: Nobilitas vero expulsa, et funditus extincta est. Siquidem præter Austriæ Duces et Comites Habspurgenses, ejecti et spoliati sunt, Comites de Kyburg, de Toggenburg, Vechtlandt, Neuenburg, Froburg, Arberg, Raperswil, Balyn, Rotenburg, Saraganza, Strasberg, Gryes, Falendis, Nydau, Montenach. Barones quoque de Grosberg, Wolhausen, de Turre, Rinckenberg, Falckenstein, Reckburg, Spietz, Granson, Illigen, Raron, Semren, Munsium, Wassersteltz, Logern, Degersfeldt, Busenag, Burglen, Schwanden, Fridberg, Wedischweil, Eschenbach, Schwartzenburg, Freyenstein, Hasenburg, Strotlingen, Signau, Egram, Gœssiben, Chlingen, Honberg, Waren, Regensperg, Saldenburen, Chrenckingen, Bickelse, Chempten, Sarnen, Arburg, Sedorf, Weissenburg, Torberg, Grunenberg, Hasenberg. Multa quoque adempta sunt Sabaudiæ comitibus, de Werdenberg, de Furstenberg, de Hochberg, de Dietstein, pariter et Baronibus de Ochsenstein, Blanckenberg, Falckenstein; Nobilium vero familiæ hæ fuere pulsæ, &c.

Sedunenses interea à Nativitate Domini, Anno MCCCCXVI. cum et ipsi contra Episcopum Sedunensem Dominum suum insurrexissent, fœdus iniere, cum Lucernensibus, Uriensibus et Underwaldensibus; sed cum castra quædam, quæ in Bernensium fide erant, obsedissent, ac diripuissent, in se Bernensium concitarunt arma, qui urbem Sedunensem aggredi cœpere, ac illam cum plerisque aliis vicis incendere: Verum intercedentibus amicis, res ita transacta est, ut Sedunenses pro damno Bernensibus illato, centum millia aureorum nummorum persolverent. Id cum Sedunenses se facturos negarent, iterum arma contra eos moverunt: viqueSedunensium fines ingressi, late omnia vastarunt, ac vicos quamplurimos concremarunt; Sedunenses vero plerosque palantes circumveniunt: Sed cum Bernenses illis opem tulissent, hostes multis ex suis amissis, in fugam conjecti sunt. Verum cum Bernenses cunctis vastatis abire cœpissent, ad montiumque angustias pervenissent, Sedunenses novissimos aggressi, turbabant: Sed cum signa in eos conversa essent, non tulere impetum, sed nonnullis ex suis amissis, ad montium confugerunt cacumina, et Bernenses in pacatum abiere: Iterumque communibus intercedentibus amicis, res sedata est, coactique sunt Sedunenses, post ingens acceptum damnum, multo auro pacem redimere.

In-

Interim fœderati a Nobilium et vicinorum liberati molestia, Bellietzonam recipere statuerunt. Emerant illam Urienses, Suitenses et Unterwaldenses, à Saxei montis Comitibus: verum Mediolani Dux periculosum ratus, gentem tam efferam habere vicinam, per proditionem Bellintzonam illis abstulerat. At Suitenses, ob bella, quibus undique premebantur, eam injuriam dissimulare sunt coacti: hostium vero victores, eductis copiis, Alpibusque superatis Bellintzonensium invadunt fines: quibus praefecti Philippi Mediolanensis Ducis obviam facti, confestim manus conseruere. Cumque Itali, tam Equestres quam pedestres, temere in hostes invehunt, Suitenses vero Italos ut imbelles, nimium contemnunt, utrinque cladem ingentem intulere pariter et accepere. Blondus Forliviensis, eumque et reliqui sequuti Itali (ut est gens in laudes suas effusissima) victoriam Mediolanensibus ascribunt: Suitenses vero illam sibi vendicant, ac in hujus rei fidem signa militaria quamplurima hosti adempta ostendunt. Itali duo millia ex Suitensibus desiderata affirmant; numerum vero suorum callide tegunt: Fatentur tamen, multos, et fortissimum quemque cecidisse aut vulneratum fuisse, quadringentesque equos suffossos esse. Suitenses quingentos ex suis; mille ex hostibus periisse affirmant. Utcunque res gesta sit, cruentissima haec pugna fuit, quamvis Suitenses pugnandi ardore vix dimidia parte copiarum conflixerint. Dum enim timent, ne victoriam è manibus emittant, totius exercitus partem praestolari indignum ducunt, ac cum quatuor millibus solum, tam magnas peditum ac equitum turmas invadunt, ideo non parvam accepere cladem.

Post eam pugnam Suitenses domum regressi, paulum quievere: siquidem cum eos nobiles armis invictos esse cernerent, discordiarum semina inter eos jacere tentarunt, nec vanum consilium fuit. Comes enim de Toggenburg, Turegenses et Suitenses adeo inter se commisit, ut funestissimum conflatum sit bellum. Fœderati vero cum rem inter partes sedare nequirent, omnes Suitensibus adhaesere. Id Turegenses videntes, Nobiles in auxilium vocant, qui perlibenter illis opem tulere, sperantes tanto dissidio fœdera dissolvi, ac Suitensium potentiam deprimi posse. Ingens itaque bellum inter partes exarsit, quod per integrum duravit septennium: suntque interim magnae clades utrinque illatae et acceptae, quin et Turegium ipsum à fœderatis obsessum est, agerque vitibus ac frugiferis consitus arboribus fœde est vastatus. Eodem quoque tempore Fœderati arcem Varspurgensem obsident. Verum cum Gallorum regis filius Delphinus, Basiliensem conventum disiicere quaereret, ac ingentibus copiis Basiliensium fines ingressus esset: Fœderati soluta obsidione Varspurgensi, in Basiliensium advolant auxilium. Basilienses vero, cum Gallicas copias, quibus se Germana quoque junxerat Nobilitas, omnino majores esse resciviſſent, quam quibus tam parva manus resistere posset, fœderatis obviam mittunt, illosque certiores reddunt, triginta millia sub Gallicis adventare signis: Orant pariter atque obtestantur, ne cum ultra quatuor millia essent hominum, tam manifesto se objicerent periculo. At illi ferociter ac Basiliensium suorumque contemptis consiliis structis ordinibus hosti obviam eunt, qui et ipse infestis adventabat signis. Atrox itaque oritur dimicatio, quae à prima luce ad solis duravit occasum, suntque confœderati occisione una occisi, potitusque est Delphinus victoria, cruenta tamen et admodum luctuosa. Nam praeter ingentem suorum, et ultra quam credere par est, caesorum numerum, multi magnique nominis desiderati sunt viri, resque admiranda visa fuit, tantillas copias, et pedestres quidem, tam ingenti exercitui et majori ex parte equestri, tam diu et fortiter resistere potuisse, maxime cum non in saltibus, sed aperto pugnatum esset campo. Fœderati interim, qui circa Turegum erant, audita suorum clade, cunctis quae supererant, ferro et igne vastatis, obsidionem solverunt: quibus abeuntibus, Turegenses populariter egressi, non parvo incommodo hostilem affecere agrum, bisque interim collatis pugnatum est signis, ac incerta discessum victoria. Basilienses interea post Delphini abitum, non ignari, à quibus inductus fuisset, ut illatam vindicarent injuriam, collecto exercitu Brisgojensem ingressi sunt agrum, quem late et ad Friburgum usque vastarunt, et circiter triginta villas concremarunt. Igitur tam ingenti agri clade Albertus Austriae Dux irritatus, bellum apparare cœpit, ac magnis copiis Basileam obsedit: à qua depulsus, cum Basilienses, qui insequebantur, in insidias traxisset, non parum multos ex eis interfecit. Cum itaque utraque pars alteram multis affecisset incommodis, septimo tandem anno, tam funestum solutum est bellum, Palatino Rheni, Strasburgensibus, Norimbergensibus, Augustensibus, ac Constantiensibus intercedentibus. Proinde nec hoc praetereundum videtur, quod Suitenses aliquando victoria potiti, Turegensium cadavera dentibus lacerasse, ac cruorem potasse, feruntur. Duravit itaque pax per annos aliquot, non solum inter fœderatos; sed nec Austriae Duces aut Nobiles aliquid novi moliri audebant.

Accidit interea, ut Constantienses vicinos suos ad jaculandi certamen invitarent, inter quos et multi advenere Suitenses. Verum cum Constantienses, (ut inter epulas fieri solet) convitia quaedam in Suitenses sparsissent, irritati illi, haud dissimulanter eam tulere injuriam, à verbisque ad verbera perventum. Suitenses vero male accepti, quamprimum domum sunt regressi, suis de acceptis conquesti sunt injuriis. Confestim igitur ad arma conclamatum est, primique Lucernenses et Underwaldenses contra Constantienses exercitum eduxere, quos confestim et reliqui ex fœderis forma sequuti sunt. Verum priusque Constantiensem ingressi sunt agrum, res sedata est, Constantiensesque quinque millibus aureis pacem redimere sunt coacti.

Nec longe inde, cum Sigismundus Austriae Dux Brixinensem cœpisset Episcopum, qui et Romanae Ecclesiae Cardinalis erat, Suitenses Pontificis moti praecibus, pleraque Duci abstulere: inter quae fuere Dissenhofen, et Frauenfeldt. Cum vero Dux majus, quam cui resistere posset, periculum sibi imminere cerneret, pacis accepit conditiones: Suitenses vero retinere permisit quicquid in eorum devenerat potestatem.

Nobiles interea, etsi non ignorarent, quidnam ipsi et eorum majores, ob illatam pertulissent violentiam, quamvis Suitensium arma irritare non auderent; ne tamen ab antiquis majoribus desciscerent, vicinas civitates assidue infestabant, multisque afficiebant incommodis. Quapropter nonnullae compulsae se fœderatis junxere: inter quas fuit Mulhusium et Schafhusen: ita ut quotidie fœderatorum excrescerent vires, ac termini dilatarentur, jamque intolerandi viderentur. Id Sigismundus Austriae Dux con-

considerans, ac de retentione provinciarum reliquarum et civitatum suarum desperans, quicquid in Alsatia, Sungaw, Brisgaw, et circa silvam nigram possidebat, Carolo Burgundo, Duci tum potentissimo ac bellicosissimo Principi, pro hypotheca tradidit. At ille cum urbes, castra et oppida cuncta in suam redegisset potestatem, undeque præsidiis muniit, Præfectumque generalem, nomine Hagenpach constituit, qui cum haudquaquam præfectum, sed Tyrannum egisset, nec ulla abstinuisset injuria, provinciales tandem in suam concitavit perniciem, siquidem Brisacenses illum in vincula conjecere, ibique multis accusantibus et crimina horrenda objicientibus publice finivit vitam ense, eoque pacto cuncta oppignorata ad pristinum rediere dominum. Verum cum Sigismundus Dux Burgundi timeret potentiam, ac vereretur, ne misso exercitu, per vim ablata, iterum in suam redigeret potestatem, compulsus est ad Suitenses hostes confugere hæreditarios, cum quibus fœdus pepigit, ut eundem hostem et amicum censerent, et si vis major aliqua ingrueret illum totis propulsarent viribus. Incidere hæc in annum Dominicæ incarnationis MCCCCLXXIII. Burgundus vero non tam ea irritatus injuria, quam quod debellata Germania Italiam ingredi parabat, ac cunctis devictis gentibus se orbis Dominum fore sperabat, urbem Nuss super Rheni conditam ripas, ac Romano subjectam Imperio, hostiliter ac maximis circumsedit viribus. Circumtulerat jam antea per Galliam victricia signa, nec quempiam tam potentem esse putabant, qui viribus suis resistere posset. Nam præterquam quod divitiis et opibus inter cunctos excelleret Principes, maximum et instructissimum ducebat exercitum. Accedebat his animus ingens, et bellicæ laudis gloria, cujus erat appetentissimus. At Cæsar tanto motus periculo, Imperii opes convocat ac eas contra Burgundum ducit, qui jam per integrum fere annum urbem Nuss obsidebat. Verum cum tanti exercitus convenissent, ac utrinque timor intercessisset, quo minus res aleæ committeretur, primum induciæ factæ sunt: quas non ita multum postea his conditionibus pax sequuta est, ut Cæsaris filio Maximiliano, Burgundi filia, quæ unica erat, nuberet, ad quam quoque demortuo patre totius ditionis imperium deveniret: Burgundus in Italiam Romano Imperio reluctantem, et haudquaquam obedientem tenderet; quam si subjugaret, à Cæsare Italiæ Rex appellaretur: Additum quoque, ut per Fœderatorum terram duceret, non tam suas, quam Cæsaris ulturus injurias. Prudenter quidem. Nam sive Burgundus vinceret, sive vinceretur, nihil Cæsari deperire poterat. Aut enim vindictam à Fœderatis erat exacturus, aut superato et cadente Duce, tota vis Imperii ejus ad Maximilianum et uxorem erat perventura. Ceterum priusquam inter Cæsarem et Burgundum convenisset, Sigismundus Austriæ Dux una cum Fœderatis, Cæsaris jussu, Burgundi fines invaserat; civitatemque Elicurt obsidebat, quam et vehementer urgebat, ad quam liberandam Burgundus non parvum misit exercitum, qui cum fœderatis congressus, ad internecionem fere cæsus est: qua nova injuria Burgundus irritatus, ingentem ac talem contra Fœderatos contraxit exercitum, qualem unquam Germania vidit. Nam præter peditatum copiosum, equitatum ducebat splendidissimum, equis et armis egregie instructum et ornatum. Hunc machinæ sequebantur innumeræ, variorumque hominum genus non tam pugnandi, quam lucrandi gratia, siquidem universi ad certam se pergere putabant victoriam, unde exercitus tam magnus, non solum cunctis abundabat necessariis, sed et auro, argento, veste pretiosa, ac omnibus instructa erat delitiis. Recta igitur ad urbem Granson itum est: quam eo tumultu fœderati Sabaudiæ Ducissæ ademerant, ac præsidium sexingentorum imposuerant militum. Obsessa igitur est urbs, tormentisque undique concussa, ac sæpius oppugnata. Fœderati igitur quam primum obsidionem percepere, totis viribus ad oppidum Neuenburgense convenerunt. Aderat et Sigismundi Austriæ Ducis, nec non Strasburgensium equitatus. Verum non prius colligi et ad hostes pergere potuerunt, quam urbs sit dedita, siquidem præsidium, cum quotidie vehementer urgeretur, nec ultra vim hostium ingentem sustinere posset, ac de successu desperasset, deditionem (ut nunc loquuntur) fecerat, quam ita intelligebat, ut salvis corporibus dimitteretur. Verum longe aliter Burgundus gratiam interpretabatur. Nam liberum sibi esse dicebat, eam vel exhibere, vel in omnes deditos animadvertere: quod et tandem executioni mandavit, ac omnes in arboribus jussit suspendi, existimans eo pacto fœderatis timorem incuti posse, quod longe aliter evenit. Nam hac suorum calamitate, ita irritati sunt, ut nulli postea hostium parcerent, quum ante devictos concessa vita non inhumaniter haberent. Interim Fœderati totis viribus ad hostes tendebant. Burgundusque jam recepta urbe ultro pergebat: acciditque ut nec fœderati de adventu illius certiores essent, nec Dux magnopere Fœderatorum curam gereret, quos potius contemnere, quam timere videri volebat: unde neutra pars de alterius adventu rescivit, priusquam hostem in conspectu jam haberet. Erant primi agminis vexilla tria, Suitensium nempe, Bernensium et Solodurnensium. Ii siquidem ceteros antecedebant: Confestimque viso hoste retro ad suos miserunt, qui nondum è castris (nam mane erat) moverant, et ut in auxilium eorum accelerarent, hortabantur; Ipsi vero nihilominus hostem excipere parati erant. In genua itaque procumbunt, ac Deum in auxilium advocant. Quo viso Burgundus exclamat, nullum illis superesse gratiam, sed omnes suspendio esse perdendos. Nam veniam eos petere existimabat. Sed quidam, qui tum fœderatorum consuetudinis non ignarus: Non, ô Princeps magnanime, hi gratiam petituri, sed fortiter pugnaturi adveniunt. Quotiescunque enim cum hoste congredi parant, divinum hoc pacto implorant auxilium. Burgundus vero admiratione plenus: Num, inquit, tam parvæ copiæ nobiscum sunt pugnaturæ? nam ii qui pone sequebantur, nondum in conspectum venerant. Vix hoc dicto, fœderatos in pedibus consistere, ac structis ordinibus adventare cernit, suis congrediendi dat signum, simul et tormentorum Magistros ignem pulveri adhibere jubet: qui non segniter officio functi, quam plurimos ex fœderatis perimunt. At ceteri nil suorum clade perterriti, hostem fortiter invadunt, qui et ipsi ingenti vi conflixere. Fit igitur prælium memorandum, quum fœderati tam parva manu hostium copias sustinent innumeras, priusque oppetere, quam pedem referre contendunt. Interea dum tam acriter dimicatur, universus foederatorum adventat exercitus, avidus certaminis, ac perquam composite in ordinem redactus, confestimque vi magna signa infert. Verum impetum tantum hostes nequaquam sustinuere, sed sub initio pedem retulere: tandem vero foede-

foederatis acriter instantibus apertæ se fugæ mandarunt. Dux vero suos pugnantes hortando manifesta etiam subibat pericula, fugientesque nunc castigando, nunc precando ad pugnam revocare nitebatur, quam etiam aliquot in locis restituit. Quin et fugientes quosdam, ense, quem nudum gerebat, percussit. Sed frustra. *Major enim timor minorem vincebat*. Quapropter et ipse tandem suos novissimus fere sequi coactus est, clamans et indignans, quod tam fœde se fugæ mandarent. Fœderati vero strenue quoad licuit victoriam prosequuti sunt. Verum, cum haud magnum haberent equitatum, nec hostem pedibus assequi possent, à persecutione tandem destiterunt, ad castraque hostium conversi (quæ omni opulentia, divitiis ac delitiis plusquam dici potest referta) illa diripiunt, ac ultra bellica tormenta innumera, tantum auri, argenti, gemmarum ac pretiosæ vestis suppellectilisque sunt adepti, ut ex pauperibus redditi sint ditissimi. Quidquid enim Burgundus pretiosi possidebat, non solum splendoris, sed et ostentationis gratia, secum circumferebat: quem morem et purpurati sui observarunt. Sane, cum ego aliquot postea annis Lucernam, puer adhuc, cum patre venissem (is enim à Bavariæ Duce Alberto, cui à consiliis erat, Orator tum ad Confœderatos mittebatur) inter cetera quæ honoris gratia illi ostendebantur, insignem illum vidi Adamantem, quem Burgundus tanti faciebat, ut omnibus rebus suis pretiosis anteferret, admirandum profecto ac rarissimum naturæ spectaculum. Nam præter splendoris puritatem omni carentem vitio, magnitudine sua mediocrem quoque excedebat juglandem, cui etiam non erat dissimilis, angulis decem et octo conspicuus. Fœderati igitur tanta victoria læti, ad urbem Granson properabant, ubi brevi omnis lætitia in acerbum versa est luctum. Suos enim, quos adhuc vivere credebant, arboribus cernebant suspensos, et ille patrem, alius filium, fratrem, agnatum vel amicum non sine lacrymis agnoscebat. Depositos igitur sepulturæ mandant, calamitatemque tam acerbam cum nuper parta conferentes victoria, ac considerantes, *Raro in rebus humanis, tam absolutam accidere lætitiam, ut omni careat tristitia*, satis superque suis hostium sanguine parentatum esse censuerunt. Incidit pugna tam memorabilis in annum Domini M. CCCC LXXVI. At Burgundus tam insigni clade præter opinionem suam accepta quiescere haud poterat: sed animo æstuans, ac subinde cogitans, quo pacto hostes ulcisci posset, iterum ingentes copias, tam ex suis quam Gallis et Italis, contrahere cœpit: Machinarum præterea vim ingentem, et innumera, quæ ad victoriam consequendam spectare censerentur, comparavit: quod quidem illi facillimum erat factu, cum divitiis et opibus omnes sui temporis superaret Reges et Principes. Fertur cum à purpurato quodam suo reprehenderetur, quod contra rusticos, tam insignem belli apparatum instrueret, ex quibus tamen devictis nullam gloriam relaturus esset, respondisse: *At tu quamvis superatus sim, dormire potes; Ego vero haudquaquam*. Omnibus igitur contractis copiis, ad obsidionem oppidi Murton properavit, anno fere post acceptam cladem exacto, confestimque illud tormentis infestare, et assidua oppugnatione die nocteque urgere non destitit. Verum egregie à Confœderatorum defensum est præsidio, qui audito Ducis accessu, confestim populariter egressi sunt, Bernæque omnes convenerunt. Distat urbs ea ab oppido Murton, milliaria duo, quæ tamen à pedite vix horis sex peragi possunt. Aderat et Rheinhardus Lotharingiæ Dux cum equitatu, parvo tamen, à Burgundo expulsus, et omni ditione spoliatus, nec non Sigismundi Austriæ Ducis advenerant equites. Cunctis igitur copiis ad hostem pergere statuunt, præmissis speculatoribus, qui eos de omnibus certiores reddere possent. Egressi igitur Berna, summo mane, quum vehementer plueret, recta Murton versus tendunt. Interim speculatores progressi non parvum concitarunt tumultum. In hostes enim, diligenter stationes observantes, inciderunt, qui non amplius Fœderatos contemnebant, præcipue cum eos propediem adventuros audirent: Confestim igitur Burgundus magnas peditum et equitum copias, nec non tormentorum vim ingentem, in eam partem mittit, in qua exploratores visi fuerant: Ipse vero ex ædicula, quam in loco excelso constitui jusserat, cuncta arbitrabatur. Speculatores igitur ad suos regressi, quæ viderant, exponunt. À Ducibus igitur quid agendum sit, deliberatur, ac variæ dicuntur sententiæ. Qui enim rei militaris peritiores habebantur, haudquaquam à via dimicandum esse censebant, obtendentes, quod miles pluvia maderet ac fessus esset, magnaque illius pars, cum adhuc jejuna esset, inedia flaccesceret, sed et terra, dicebant, ob pluviæ vim tam lubrica est reddita, ut miles non firmiter, sed ægre in luto consistere valeat. Super omnia vero, si Deus etiam victoriam concesserit, non tantum diei supererit, ut hostem fugientem persequi possimus. Tutius igitur esse, ut eo loco castris locatis militem reficerent, ac crastina die ad pugnam procederent. Non enim periculo carere, si cum tam magnis copiis temere congrederentur. Nam sexaginta millia hominum in Burgundi castris militare ferebantur, cum Fœderatorum exercitus nec tertiam attingeret partem; equitatu quoque omnino impar esset. Alia vero pars certaminis avida, hunc se morem à majoribus accepisse, referebat, ut quamprimum in conspectum hostis venisset, et pugnandi copiam fecisset, cum eo congrederentur. Nil enim adversariis terribilius esse posse, quam adventum subitum, aggressionemque repentinam. *Nec illud quærendum est, quantus hostium sit numerus, sed ubi consistat*. Militem præterea non adeo lassum esse, ut ex inani hoste, et qui suos tam impia perdidisset nece, vindictam sumere nequirent, sed potius optare, ut confestim ad hostem duceretur, quo diu exoptata ultione satiari posset: quæ animi cupido corpora quoque viribus exhausta, facile recreare soleret. *Dei insuper auxilium tam justæ causæ non defuturum, qui superbos evertere, humiles vero exaltare amaret*. Irent igitur, et confestim manus consererent, dum miles animo flagraret, ac tantopere vindictam ex hoste capere desideraret. Hæc dum inter se Duces conferrent, vexillifer quidam magna voce exclamavit, quicunque Fœderatorum rem salvam esse cupit, me sequatur, confestimque elato vexillo pergere cœpit: quem statim omnes relictis Ducibus sunt sequuti: quod illi videntes vix impetrarunt, ut instruendorum ordinum ratio haberetur. Ex silva igitur, per quam eundum erat, egressi, tria constituunt agmina, primum quod amissum vocari solet: secundum quod tormenta invaderet: tertium et magnum, quod post amissum cum hoste confligeret. Sagittarios ex more à læva, equites à dextra constituunt. Vix in ordines redierant, quum depulsis nubibus, sol adeo splendere cœpit, ac si nunquam eo die pluisset, jamque hostis in conspectu erat, egre-

egregie instructus, ac confligere paratus. Fœderati igitur in genua procumbunt, ac post divinum imploratum auxilium, magno animo ac compositis ordinibus ad hostes tendunt. At illi data opera eodem in loco remanebant, donec fœderati sub pyxidum venirent jactum, quibus exoneratis ingentem illis intulere stragem, præcipue equitibus, contra quos magnam tormentorum partem direxerant. Mox igitur agmen secundum, veloci, ut jussum erat, cursu ad pyxides fertur, interfectisque Magistris, tormenta in suam redigunt potestatem. Interim hostium equites laxatis frenis ferociter magnum agmen fœderatorum invadunt: Amissum vero cum pedite congreditur. Fit atrox pugna, cædesque editur ingens. Verum cum equites densum fœderatorum agmen, et objectis munitum hastis perrumpere nequirent, licet totis adniterentur viribus, interimque ingens tam hominum quam equorum strages ederetur; primo fluctuare, ac pedem paulatim referre ceperunt: mox abjecto pudore, in apertam declinarunt fugam. Nam et pedites suos fœderatis terga dedisse cernebant. Hæc Dux ex alto conspiciens, totum exercitum in fugientium properare jussit auxilium, (nondum enim sciebat, fœderatos universis adesse copiis,) sed tarde nimium. Nam præterquam quod sui nullibi pedem sistebant, venientium etiam agmina perrumpebant, ac illa quoque secum trahebant in fugam, quorum tergo adeo vehementer tam equites, quam pedites fœderatorum instabant, ut illos ne momento quidem sinerent quiescere. Undique igitur in fugam conjecti sunt: et pars quidem castra repetit, nonnulli vero abjectis armis, quocunque timor impellebat, disperguntur. Maxima multitudo in lacum, qui ingens oppidum alluit, cæca ruit; quidam arbores ascendunt, ut eo pacto hostem fallere possent. Dux vero hæc cernens, et spem nullam amplius superesse considerans, et ipse demum se fugæ mandavit, subinde equos mutans, quoad tandem in tutum abiit. Fœderati pertinaciter fusos insequuti sunt, et quos equites sternebant, pedites obtruncabant, ita ut non jam pugna, sed cruenta fieret trucidatio. Nemini enim, ob ante acceptam parcebatur calamitatem, sed omnes nobiles pariter et ignobiles, pecorum instar, sine discrimine, mactabantur. Quidam ascensis navibus, eos qui se aquis crediderant, obtruncare, frustra manus in cœlum tollentes, et lacrymis misericordiam implorantes: Nonnulli arboribus insidentes, avium instar, pyxidibus dejecere: Alii domus integras, in quas se hostes receperant, incendere, ita ut undique clamor, ululatus, preces, ac morientium audirentur gemitus, ac longe plures fuga absumeret, quam prœlium. Tandem vero labore fessi, ab hostium satiati cæde, à persequutione desistunt, et ad castrorum properant direptionem, quum subito rumor oritur, Remondi Comitem, magnis ac integris adventare copiis. Is enim ex alia oppidi parte castra locaverat, ubi vehementer illud tormentis quatiebat, uni huic rei adeo intentus, ut ne sensus quidem pugnæ tam magnæ ad illum pervenerit. Nam post apertam etiam Domini sui fugam, multis ictibus muros quassabat. Impossibile enim nec credendum videbatur, Fœderatos cum tam immenso hostium numero, et tam repentine congressuros. *Et profecto, si quis conjecturare velit, et hæc et aliæ Burgundi clades, ob arrogantiam et hostium contemptum potissimum sunt acceptæ.* Tandem vero Comes de omnibus certior factus, collectis copiis, non ad hostes, sed in pacatum abire festinabat, omnibus tormentis et bellicis instrumentis relictis. Fœderati igitur rursus in ordines redacti, hostis expectabant adventum: sed cum illum audirent abire, nec ob lassitudinem insequi possent, jamque nox ingrueret, ad diripienda, ut ceperant, conversi sunt castra, quæ omni referta erant opulentia: Ibique tribus mansere diebus, spolia dividentes, et labore exhausta recreantes corpora. Signa et bellica tormenta, civitatibus in prædam cessere: reliqua à vulgo promiscuo direpta sunt. Cecidere in ea pugna (ut fœderati referunt) hominum millia triginta. Ego quidem, cum aliquando ad pugnæ locum accessissem, tam ingentes ossium vidi acervos, ut major quoque mihi cæsorum numerus videretur. Ex fœderatis vero ultra ducentos desiderati non sunt: plures vulnerati. Depugnatum est in die qua decem millium martyrum celebratur memoria, Anno Salutis M. CCCC. LXVII. Fœderati antequam ad propria redirent, Sabaudiæ Ducis ingressi sunt provinciam. Ubi multis captis et exustis castellis, oppidum etiam Losannum cepere: sicque direptis et omnibus vastatis locis, per quæ transierant, læti cum spoliis domum sunt reversi, non solum ab hostis tam potentis metu liberi, sed pecunia etiam et multis rebus preciosis admodum ditati. Post hanc cladem multa, quæ Lotharingiæ Duci adempta erant, à Burgundo defecere, et ad prioris Domini imperium sunt regressa: Inter quos et Nansejum fuit, provinciæ illius caput: Verum cum Lotharingus non ignarus esset ingenii Burgundi, timere cœpit, ne in illum omnem belli verteret impetum. A fœderatis igitur petiit, ut si quandoque ab hoste urgeretur, ei auxilium suis tamen ferrent stipendiis: quod haud gravate concessum est. Ob egregie enim operam in bello navatam, non parum amabatur, et fœderati tutius esse putabant, vicino, et illius quidem expensis, succurrere, quam in propriis finibus hostem excipere et debellare. Burgundus interea suis è fuga collectis, haudquaquam Veris expectato tempore, sed media hyeme Nansejum obsedit, illudque acerrime expugnare est adortus: Nec Lotharingus cunctatus est, quin subito fœderatorum imploraret auxilium, quod et suo stipendio haud difficulter impetravit. A Ludovico enim Francorum rege, quum rei pecuniariæ premeretur inopia, vim auri ingentem mutui nomine acceperat. Nam cum is Burgundi potentiam, quam pridem expertus fuerat, timeret, clanculum Lotharingo favebat et succurrebat, quod et Argentinenses et reliqui faciebant socii. Persoluto igitur Fœderatis stipendio, confestim illos Lotharingiam versus ducere cepit, per loca jam antea à Burgundo devastata, ac post quadriduum sub horrendo frigore ac ingenti militum fame et defatigatione, non longe ab oppido Sancti-Nicolai castra posuit: quo etiam ingens equitatus advenit, non solum à sociis, sed etiam à Francorum rege missus. Nil igitur morati, sequenti die structis ordinibus ad oppidum Sancti-Nicolai tendunt. Id enim magnis Burgundi tenebatur copiis. Verum cum muris careret, alioqui miris excultum ædificiis, confestim, et prius fere quam hostis adventum Lotharingi præsentiret, captum est: ubi iterum in Burgundos est sævitum, ita ut non solum pecorum ritu mactarentur, sed in præterfluentem præcipitarentur. Pernoctatum est in eo oppido non sine magna fame militum: ex quibus nonnulli vim mellis ingentem ibi inventam devorantes, ita inflati sunt, ut non solum vehementer ægro-

ægrotare cœperint, sed multi etiam vitam amiserint. Burgundus interea cum Lotharingi et Fœderatorum accessum percipisset, omnibus viribus Nanseium oppugnare cœpit, sperans id priusquam hostis auxilium ferret, expugnari posse. Tota igitur nocte nunquam ab oppugnatione et tormentorum ictibus, qui manifeste à Fœderatis percipiebantur, cessatum est. Mane igitur et eo die, qui tribus regibus sacer est, Fœderati structis ordinibus ad hostes properarunt, qui castra sua egregie fossis et tormentis munierant, ita ut non sine aperto periculo lacessiri possent: quod Confœderati intelligentes, per regionis gnaros se ad diversum castrorum situm duci jusserunt. Per saltus igitur vepres et torrentes circumducti magno labore, loci superarunt iniquitatem, rursusque in ordines redacti, fessi et udi (nam vehementer ningebat) ad hostes properabant. Burgundus interea cum hostes à tergo instare sentiret, machinas eo jubet dirigi: Sed jam et priusquam id fieri posset, certamen contractum erat, et iterum dispulsis nubibus Sol splendescere cœpit. Magnis itaque viribus utrinque pugnatum est: sed tandem et post ingentem cædem victoria à Fœderatis stetit: Dux ipse aut quod fugere nollet, aut quod non posset, confossus periit. Ceteri, quocunque eos timor aut spes salutis impellebat, diversi abiere. Estque iterum præda ingens parta, atque ita demum Burgundica bella Duce destituta cessarunt. Fuit Carolus Dux staturæ mediocris, animi excelsi, magnanimus, ac ultra modum liberalis: Justitiæ, veritatis ac pietatis cultor, bonorumque et virtute præditorum non tam amator quam admirator, quibus omnibus pro viribus subvenire quærebat. Divitiis vero ita præcellebat, ut in omnibus bellis nunquam inopia laboraret: Cujus rei causa fuit modestum in suos imperium, et ordo mirandus. Ob tales igitur virtutes à suis non solum ut bonus princeps, sed tanquam pius parens celebatur: nec sub initium creditum est illum oppetiisse, ac multo tempore reditus ejus tanquam viventis expectatus est à plerisque, quamvis constaret, illum à Lotharingiæ Duce honorifice Nanseii esse tumulatum. Sola illum laudis gloria, et justo major cupido transversum egit, unde adversa sua fortuna tandem in Confœderatos et rusticos (quos ipse mendicos appellare solebat) impegit, cum antea Francorum Regi leges dixisset, Imperio arma intulisset, Geldriæ Ducatum acquisivisset, Frisios domasset, Lotharingum expulisset, ac omnes vicinos jussa sua exequi compulisset. Post Burgundi Imperium Ludovicus Francorum rex Burgundiæ Ducatum à Domino de Alebert illius præfecto accepit, cui postea Navarræ regnum cessit. Defecit et Hannonia, magnaque Picardiæ pars, et ni Maximilianus Friderici Cæsaris natus, cui unica Burgundi filia nupta erat, tantis periculis obviam ire maturasset, Flandria et Brabantia, cum Hollandia et Zelandia, et omnibus provinciis, in Galli ditionem devoluti, feudi nomine (ut ipse prætendebat) pervenisset.

Hinc discordiarum, motuum, ac bellorum initia emersere, qui in præsentem usque diem tam Burgundi quam Galli successores, quasi hæreditario jure, diversimode exagitarunt. Helvetii interim à bellico quievere tumultu. Nulla enim potentia tanta erat, quæ illos post oppressum Burgundum lacessere auderet. Submittebant tamen identidem, nunc Maximiliano, nunc Gallo petenti auxilia; non ideo tantum, quod juventutem in militari disciplina suam exerceri cuperent, sed quia utrumque timerent, seu potius odio haberent, ac utriusque partis successus illis foret suspectus. Et profecto omnes Germani, arma et eam militandi disciplinam, qua nunc utuntur, ab Helvetiis accepere, abjectis scutis, quibus antea omnium nationum more utebantur. Experientia enim discebant, illa haudquaquam Phalangi et hastarum violentiæ resistere posse. Ac ideo ad meam usque ætatem, sarissas, bipennes, et gladios ferentes, Helvetii dicti sunt, etiamsi in media Germania essent nati; quoad tandem ob Helvetiorum odium, provincialium militum nomen, hoc est, *Landtsknecht*, emergere et celebre esse cœpit.

BELLUM HELVETICUM
A
BILIBALDO PIRCKHEIMERO
DESCRIPTUM.

LIBER SECUNDUS.

SUPERIORI libro Suitensium originem et incrementum perquam breviter exposui. Nunc vero causam et semina hujus belli explicare conabor. Sed priusquam id fiat, non abs re forsitan erit, statum eum in quo tum Germania fuerit, altius recensere, quo facilius percipi possit, unde tantus motus ortum sumserit.

Postquam Maximilianus Friderici filius Burgundi filiam in uxorem duxit, totamque illius ditionem in suam redegit potestatem, maximis agitatus est procellis. Cum enim Gallus potentiam externi timeret principis, nunquam destitit, illum et clam et aperto Marte lacessere, populos subjectos solicitare, ac omnia moliri, quo tantum hostem ex nuper acquisitis sedibus pellere posset. Nec id difficile factu est visum, cum ob populi odium, et levitatem innatam, qui alienigenum dominum haud æquis aspiciebat oculis, tum ob injurias et exactiones quorundam, qui Maximiliano chari erant, et non tam illi imponebant, quam undique eum subditis reddebant infensum. Quotidie itaque provinciæ et civitates deficiebant, subditique à Gallo stimulati et inducti principi suo rebellabant, quoad Gallus tandem post multas acceptas et illatas clades, à manifesto destitit bello, populique subjecti iterum ad officium rediere pristinum: Quos motus, si quis describere vellet, vel luculentissimam condere posset historiam. Per multos enim annos utramque exagitarunt partem, ita ut nec præsenti ævo finem sint adepti. Interea et dum Maximilianus externis detinetur bellis, Matthias Ungariæ rex ob causas relatu nimium longas Fridericum Cæsarem vehementer urgere cœpit, illique præter alia innumera universam fere Austriam, cum metropoli ipsa Vienna ademit. Erant tum Bavariæ Duces admodum potentes, ac Austriæ domus æmuli, qui oblata occasione freti, et Cæsarem ipsum contemnebant, et multa quotidie per vim non desinebant perpetrare. Albertus igitur Dux Ratisbonam civibus dedentibus occupavit. Georgius vero, qui ditissimus et potentissimus habebatur, vicinas Suevorum civitates et populos assiduis injuriis infestabat: eoque insolentiæ devenerat, ut nec Legatos eorum audire vellet. Civitates igitur omni ope destitutæ, ex Federici consilio fœdera inter se ineunt, quibus mox Prælati, ut vocantur, cum nobilitate se junxerunt, ac bellum Georgio ni cœptis desisteret inferre cogitarunt, qui cum inopinato vim tantam contra se insurrexisse cerneret, non solum innatum deposuit fastum, sed ex superbissimo redditus est humillimus. Omnia igitur, quæ per vim ademerat, vi quoque reddere est coactus, ac ingentem insuper pecuniarum summam persolvere adactus: sed et Albertus Dux Ratisbonam restituere beneficii loco duxit. Nam Friderici gener erat. Mox igitur Fœderatio Suevica eam induit arrogantiam, quam Bavari nuper exuerant, nihilque impervium virtuti ac potentiæ suæ esse duxit. Interim Matthias rex moritur: nec longe post Fridericus superstes fuit. Ita Maximilianus non solum paternum recuperavit imperium, sed Ungariam ingressus Albam etiam Regalem vi cepit: dehinc in Germaniam reversus inferiorem, Philippo filio, qui postea Hispaniarum imperium sortitus est, regni tradidit habenas. Is enim adoleverat. Inde ad patruum Sigismundum Austriæ Ducem conversus, universam ditionem, illo resignante, suscepit. Fuit Sigismundus inter omnes ætatis nostræ Duces optimus, humanissimus et liberalissimus princeps, et potentia excellens, adeo ut inter cetera bella Venetis quoque arma inferre sit ausus, quos multis etiam cladibus affecit, et ni suorum proditione fuisset impeditus, egregiam procul dubio retulisset victoriam. *Verum quemadmodum in rebus evenire solet humanis, nec probitas ejus tam insignis, nec liberalitas, ac munificentia immensa, non senectus demum extrema, illum à violentia et proditorum injuria vendicare potuit.* Coactus enim est invitus etiam Imperii sui habenas deponere, ac Maximiliano tradere regi: quam tantam impietatem brevi dignæ sequutæ sunt pœnæ.

Tantis itaque successibus, non tam Maximilianus rex, quam potentes ejus elati, animo volvere cœperunt, sub qua honesta occasione Helvetiis bellum inferre, ac olim acceptas injurias vendicare possent: et hæc potissima causa discordiarum fuit. Cœperunt igitur vicinos Churienses, Engadinenses, et Grisenses multis vexare injuriis, nec non arces quasdam Churiensis Episcopi occupare et alia machinari, quæ animum eorum irritare possent. At illi, quamvis illatas injurias modeste ferrent, consilio tamen prius, quam armis experiri statuerunt. Missis igitur Legatis, Regis animum demulserunt, ac Constantiensis Episcopi intercessione impetrarunt, ut omnes discordiæ, ac illarum fomites, juris deciderentur ordine. Interea Gallus contempta Philippi ætate, Geldriæ Ducem contra illum concitavit. Unde Maximilia-

milianus rex in ejus auxilium, antequam clades aliqua acciperetur, properare fuit compulsus. Sed priusquam abiret, suis mandavit, ut jure potius quam armis contendere vellent. At illi mandatorum immemores, aut quia Regis sui animum clam percepissent, aut quod sua sponte violenter grassari cuperent, non solum juris respuerunt æquitatem, sed etiam novas injurias veteribus addere, et adversarios stimulare cœperunt. Illi vero cernentes, nec juri nec æquitati superesse locum, clanculum cum Eluetiis, qui et ipsi quotidianis afficiebantur injuriis, fœdera ineunt, (nam antea inter eos non penitus conveniebat) sicque ad repellendas injurias se accingebant. Pariter et Cæsareani arma expedire, milites instruere, ac sedulo omnia ad futurum bellum præparare cœperunt. Sed et Sueviæ confœderatos ex fœderis forma admonebant, ut instructi et parati ad imminens essent certamen, submissis interim qui igni, cæde, et rapinis adversarios lacessere non desinerent: quibus repulsis, et animis utrinque irritatis, bellum paulatim gliscere et initium sumere cœpit.

Ejus rei culpam Helvetii potissimum in Paulum de Liechtenstein et Gossenbrat, Augustensem olim mercatorem, rejiciunt. Hi enim ex humili loco in altum elati divitiis et potentia inter cunctos præcellebant regios, et, ut fertur, obscuritatem suam insigni aliquo facinore illustrare cupiebant. Interea Churiensis moritur Episcopus, confestimque Cæsareani Episcopatus quibusdam arcibus occupatis, subditos quoque jussa facere compellunt: quibus renitentibus, ac vim vi repellere conantibus, iterum res ad arbitrium Constantiensis deducta est Episcopi: ac eo mox defuncto ad Augustensem devoluta Episcopum. Sed interim ab injuriis cessatum non est. Churienses igitur ac socii, cum viderent, se nihil æqui impetrare posse, ne tamen subito rem tantam aleæ committerent, iterum per legatos cum Cæsareanis egerunt: quibus non sine ignominia rejectis, cœpere illi se ad bellum accingere. Regii interim Monasterii vallem occupare contendunt. Quod intelligentes confœderati, collectis copiis obviam pergunt: sed priusquam ad manus ventum est, iterum induciæ factæ sunt, exercitusque dimissi. At Cæsareani in discessu domus quasdam rusticas incendunt, pecoraque abigunt, quibus irritati Confœderati par pari referunt. Rursus igitur copiæ revocantur, et ad pugnam instituuntur. Verum Cæsareani, et viribus et militum robore longe præstabant, quibus tamen Confœderati, licet rustica et collectitia manu constarent, nequaquam cessere. Præcedebat Confœderatorum exercitum vir quidam staturæ ingentis, longiori lorica indutus, ac galea tectus lata. Hic hostium ductores ad singulare provocabat certamen. Confestim igitur quidam emicuit, ac cum illo congressus, lancea hominem transverberavit: Cumque illum spoliare contenderet, ob coronæ rasuram sacerdotem fuisse deprehendit. Interim totis concurritur viribus: sed non diu certamen perduravit. Confœderati enim, longe inferiores, vincuntur, et multis ex suis amissis in fugam vertuntur. Cæsareani autem victoria illa egregie usi sunt. Engadinensem enim vallem ingressi, eam totam usque ad vicum Sametz ferro et igne vastarunt. Inde et Monasterii vallem combusserunt, ac diripuerunt, capta et abducta Abbatissa. Nec his contenti, ab alia parte oppidum Meyenfeldt occupant, nec non Fürstenbergum in suam redegerunt potestatem. Confœderati vero cernentes, se hosti tam potenti haudquaquam pares esse, confestim Helvetios in auxilium advocant: qui nihil cunctantes è vestigio copias eduxerunt, et in Fœderatorum advolant subsidium, satius esse ducentes, sociis ferre suppetias, quam sine illis bellum, quod sibi quoque imminere cernebant, sustinere.

Verum antequam ultra pergerent, ex veteri instituto leges sanciunt, quas ultra capitis pœnam, juramento quoque firmarunt, quarum hæc fere forma fuit: Duces ex fide cuncta peragunto: Milites diligenter imperio parento: injussi ordines haud derelinquunto: à tumultu et seditionibus cavento: pugnaturi silentium, quantum fieri potest, servanto: fugam nequaquam ineunto: socios fugientes cædunto: devictis hostibus ad spolia injussi et priusquam victoria plane sit parta, haud convertuntor: ignem ædificiis injussi ne iniiciunto: arma in hostico nec die nec noctu exuunto: à molendinorum exustione, Ecclesiarum spoliatione, mulierum, virginum, et sacerdotum violatione penitus abstinento: captivum inter prœliandum non ducunto, sed interficiunto. Quod si quis contraierit, mors pœna esto. Proinde inter cetera etiam imperatum fuit, ut unusquisque ex veteri instituto, farinam ex avena confectam, quantum ei in quatuordecim dierum cibum sufficeret, nec non calceorum par novum secum deferret, quo omni alio commeatu deficiente, saltem per mensis dimidium hoc alimento in hostico perdurare valerent.

Verum priusquam ultra pergamus, precium fortassis operæ haud deerit, si palam fecerimus, quibus provinciis tum Fœderati et Helvetii impetraverint. Ita enim facilius intelligi poterit, quantis viribus tanti belli molem sustinuerint. Churienses igitur, Grisenses, et Engadinenses, eos Rhœtiæ occupabant montes, qui ab Adula monte et Rheni fontibus ad Italiam usque pertenduntur. Helvetii vero longe etiam majorem occupabant terram, siquidem à solis ortu, Adula monte ac Rheno fluvio à reliqua segregabantur Germania: ab occasu ad Lingones usque, quos nunc Burgundos vocamus, pertingebant: ac meridiem versus non solum Jurassum montem adhærentes tenebant Alpes, sed transgressi etiam multa ex Tricasinis et Allobrogibus (quos nunc Sabaudienses vocant) occupaverant. Basiliensium vero fines occiduam terminabant oram, ita, ut quicquid ab ortu Rheni Basileam usque continebatur, plane Helvetiis pareret, præter solam urbem Constantiam, et quatuor oppida minora, quæ Rhenensia vocantur, Waltzhut nempe, Lauffenburg, Seckingen et Rheinfelden. Nam ea juris erant Austriaci. His igitur viribus Helvetii confisi, ad bellum se accingebant. Nec secus agebant Cæsareani, siquidem sociis advocatis Suevis ipsi quoque undique vires suas contrahebant. Helvetii igitur collectis copiis contra Cæsareanos pergunt, qui castra posuerant in loco montano et angusto juxta Meyenfeldt nomine Lützelstein: unde excurrentes, ac Rhenum transgredientes, cuncta ferro et igni vastabant. Ceterum advenientibus Helvetiis, cum se tantis copiis impares viderent, retrocessere. Helvetii vero progredientes, oppidum Meyenfeldt iterum in suam redegerunt potestatem, capto Barone de Brandis, in cujus ditione ea erat regio. Inde procedentes totam provinciam Balgem ad Arlensem usque montem suo subjiciunt imperio, colonosque imperata facere cogunt, non parva ab iis extorta pecunia: quo facto, rursus contra Cæsareanos pergunt, qui copias cunctas in oppido Bregitz contraxerant, quo Helvetios ab ulteriore progressione arcere possent.

 Quam-

Quamprimum igitur auditum est Helvetios appropinquare, Cæsareani ad arma conclamant, Ducesque ut contra hostes educant, hortantur. At illi nihil temere agendum censent; sed priusquam obviam eant, speculatores emitti jubent, qui hostiles inspiciant copias, et Duces certiores reddant, quam magna Helvetii adventarent manu. Verum accidit, ut ingens forte nebula exorta ita cuncta obfuscaret, ut speculatores nil certi renunciare possent. Milites igitur moræ impatientes, magno clamore pugnæ signum poscunt, et ni mox in hostes ducantur, ultra se minantur exituros. Ea militum importunitate Duces coacti, licet inviti, milites eductos in ordinem redigunt, sicque instructi ad hostes pergunt, qui et ipsi magno silentio universis adventabant copiis. Interea equites quidam Cæsareani progressi in hostium incidunt equites, qui admodum pauci suorum antecedebant agmen: quibus mox in fugam versis, et à peditibus excepti à propinquo cernunt hostibus copias plusquam ex viginti millibus constare hominibus. Versis igitur equis ad Duces advolant, ingentem hostium numerum adventare nunciantes, quibus ipsi omnino essent impares. Nam licet equitatu insigni præstarent, peditum tamen numero longe erant inferiores. Igitur visum est Ducibus, ut priusquam confligeretur, retro ducerentur copiæ. Jubent igitur, ut milites, nihil mutatis ordinibus, præterquam, quod novissimi priores pergerent, paulatim militari more regrederentur. Sed longe aliter vox illa est excepta. Milites enim paulo ante feroces, adeo ea exterriti sunt, ut illam fugæ signum esse putarent. Adventabant interim Helvetii, et jam novissimos, nisi quantum prohibebant equites, adoriebantur. Fuit igitur fuga aperta, ignavique fortes etiam una fugere cogebant, omnesque Bregentium versus tendunt. Erat lacuna ingens, in quam lacus æstivo tempore et liquefacta alpium nive restagnabat: tum vero aqua carebat, sed cœno altissimo erat oppleta. Ad hanc fuga delati, quoniam iter illac recta Bregentium vergebat, transire conabantur. Sed tanta erat fossæ latitudo, ac cœni profunditas, ut nemo illam exuperare posset. Ingressi igitur primi à sequentibus conculcabantur, interimque fœda colluctatione ab illuvie absorbebantur, donec lacuna tandem penitus cadaveribus repleta, sequentibus quoque transitum præberet. Et licet fugientes manifestam præ se cernerent perniciem, ut tamen imminentem effugerent mortem, in manifestum ruebant interitum. Qui vero regionis gnari erant, parvo circuitu lacunæ evitarunt periculum. Instabant interim Helvetii, ac novissimos cædebant: Sed ab equitatu, quem oppido formidabant, coercebantur, quo minus solutis ordinibus, temere insequerentur. Præter eos igitur, quos lacuna absorpsit, pauci in persecutione cæcidere: reliqui salvi pervenerunt Bregentium. Mox ibi ab hostium liberati timore, contra Duces tumultuari cœperunt, ac illis calamitatem hanc ferebant acceptam, quo propriam culpam in aliorum rejicerent caput. Coacti igitur sunt Duces militum cedere impudentiæ, donec motus ille aliquantisper deferbuisset. Et profecto, si quis recte considerare velit, non solum ea clades, sed omnes aliæ ob militum præcipue temeritatem, nimiumque hostium acceptæ sunt contemptum, quum Helvetii nil nisi ex præscripto agerent, ac diligentissime disciplinam servarent militarem: Cæsareani vero ac Suevi nimium propriæ confiderent virtuti, ex quibus potissimum Ulmens: male audiebant, tanquam clamore essent ferocissimi, manibus vero ignavissimi. Hoc plane constat, unica ea calamitate Suevorum concidisse audaciam, ut deinde haud facile hostilem perferrent aspectum, tametsi ad manus nondum perventum fuerat. Nec adeo ingens erat submersorum numerus. Nam non ultra quingentos sunt desiderati, licet quidam numerum extenuent, alii vero adaugeant. Ceterum timor ille cum semel militum occupasset animos, non adeo facile potuit extirpari. Helvetii, cum hosti obviam ire non auderent, conversi retro abibant, igne interim ac ferro cuncta devastantes, aut paganos ære mulctantes. Inde rursus transgressi Rhenum, undique in locis oportunis constituunt præsidia, quo hostes facile à transitu arcere possent. Cæsareani vero ac socii Suevi, quo acceptam ignominiam vindicare possent, post Helvetii exercitus dissolutionem Rhenum transgressi, oppressisque præsidiis late igni ac ferro sunt grassati, ac præcipue Baronem de Saxo magno affecerunt detrimento. Ceterum cum per fumi signum, quo Helvetii subsidium à suis implorare solent, hostes appropinquare intellexissent, ingenti capta præda in tutum se recepere, ac ita nunc hi, mox illi superato Rheno adversarios infestabant: Evenitque aliquando, ut Helvetii structis ordinibus per Rheni transirent fluenta, qui hyemis illic tempore et ante alpinæ nivis dissolutionem, priusquam lacum Bregentium ingrediantur, aliquando vadosus esse consuevit: cumque anteriores jam terram attigissent, subito rumor exortus est, adesse hostes. Nam equites, qui stationes servare solebant, cum Helvetiorum transitum percepissent, speculantes adequitabant, ac Duces suorum agmen consistere jubent, donec explorari possit, quid hostis moliretur. Unusquisque igitur in eo quem fortitus erat loco stetit, ordinibus plane servatis, ita ut ii qui terram contigerant, illic quoque consisterent: qui vero adhuc in flumine comprehensi erant, in eo quoque perseverarent, tametsi quidam ad humeros usque et mentum unda rigarentur, cum interim Rhenus undique glacie oppletus deflueret, cujus ingentia frusta milites per ordinum intervalla, lanceis derivantes protundebant, sicque fere per duas perdurarunt horas, donec renunciatum est, nullas subesse insidias: siquidem turpe putabant, hoste non viso retro abire; temerarium vero, inexplorato progredi ultra. Adeo severe tam hic quam alibi militarem servabant disciplinam: Quæ res præcipuam illis peperit laudem et utilitatem. Etenim reperti, quorum pedes vi frigoris ambusti, quorundam manus, dum intentius nocturnas servant excubias. Quin et animas quidam efflarunt, dum ignominiosum ac turpe putant ordinibus excedere.

Sed ut ad institutum revertamur, dum hæc circa Alpes ac Rhenum aguntur, Brisgeuenses et Sungeuenses junctis vicinis copias colligunt, ut Helvetiorum fines invadentes, eos insigni aliqua afficerent clade, de qua re Helvetii certiores facti, subito eam quam possunt contrahunt manum, ac non longe à Basilea hostium expectant adventum, qui feroces, magno appropinquabant agmine. Helvetii igitur, longe inferiores se esse videntes, (nam vix duorum millium explebant numerum) recipere se conabantur, diligenter tamen ordinibus servatis. Quod videntes Cæsareani, qui ultra millia sex erant, acrius instabant. Id Helvetiorum Dux cernens, suos collem versus, qui non longe aberat, fugere jussit, ita tamen ut connexis brachiis ordines nequaquam dissolverent. Parent è vestigio Helvetii, ac subito cursu collem ver-

versus feruntur. Id videntes Cæsareani magno eos clamore, ac solutis persequuntur ordinibus: ac Dux Helveticus cum Cæsareanos temere insequi, suosque jam collis partem ascendisse videret, magna voce illos inclamat, ut conversi hostes confusos invaderent, nil mutatis ordinibus, præterquam quod novissimi primi descenderent. Helvetii vero, qui solita consuetudine alto silentio Ducis capessebant jussa, imperio obediunt, confestimque structis cœperunt descendere ordinibus, Cæsareanosque fortiter exceperunt. Id illi aspicientes, sub initium consistere, ac rursus in ordinem redire tentarunt, sed frustra. Aderant enim Helvetii, collectique dispersos invadebant, nec eos sinebant adunari, sed integris ordinibus vagos perurgebant, quoad tandem omnes in fugam versi sunt, acciditque ut rursus militum temeritate insignis acciperetur clades. Nam cædes haud adeo ingens fuit, Helvetii enim ordines solvere haud audebant, timentes ne rursus victoria è manibus eorum extorqueretur, ac ideo à persequutione longiori se cohibuere.

Interea Gallus cum Cæsarem Geldrensi implicuisset bello, fœdus cum Helvetiis percutit, illisque ut fortiter perdurarent, auxilia est pollicitus, ac pecuniam: confestimque vim non parvam pyxidum (Bombardas Itali à sono vocant) cum Magistris ac pulvere mittit sulphureo. Tum enim animo volvere cœpit, quæ postea reipsa sunt detecta.

At Philippus Rheni Palatinus, nec non Strasburgenses ac Basilienses, bellum sedare ac pacem facere tentarunt; sed ab utraque parte repulsam tulere. Helvetii enim, qui se superiores putarent, nihil æqui admittebant, Cæsareani vero majoribus consisi viribus, ignominiosam rejiciebant pacem, ac se plus quam unquam ad bellum accingebant. Ingentes igitur tam pedestres quam equestres contrahunt copias, quas omnes Constantiæ jubent convenire. Inde enim Durgeuensem regionem invadere ac devastare intendebant. E Constantia igitur numeroso egressi exercitu, sub initium vicum Ermentingen nomine occupant. In eo enim Helvetiorum excubabat præsidium, quo interfecto aut ejecto, vicum diripuerunt ac incenderunt. Inde ad ulteriora progressi, longe lateque cuncta populantur et evastant. At Helvetii qui evaserant, ad aliud confugere præsidium, quod juxta silvam Schwaderloch nomine, adhuc in sua manebat statione, illiusque implorarunt auxilium: ac præcipue Lucernenses. Ii enim præter suorum cædem duas etiam pyxides, quas colubrinas vocant, perdiderant. Hortantur igitur socios, ut secum hostem adoriantur, quo acceptam ignominiam delere, et amissas pyxides recuperare possent. At illi, cum se longe inferiores cernerent, quam ut cum tam copioso exercitu congredi possent, ab invasione abstinuerunt, sed fumi signo ulteriora advocant auxilia, ex altoque quid hostis moliretur, considerabant, qui Helvetiorum contempta paucitate, omnibus solutis ordinibus, adeo secure cuncta agebat et ferebat, ac si nemo hostis adesset. Interim vero dum tam temere grassantur, Helvetiorum proximiores fumi signo excitati, impigre ferunt suis suppetias: et brevi ita copiæ sunt adauctæ, ut circiter mille quingenti convenirent homines. Verum nec sic fortunam tentare audebant, cum cernerent hostes præter florentem equitatum, tam ingenti quoque pollere peditatu, ut etiam decem millium numerum excederet. Verum cum illos adeo dispersos, ac cuncta absque imperio ac temere agere cernerent, ita ut nec equites stationes servarent militares, ad eam devenerunt spem, ut aliquid audendum esse censerent. Divisis igitur copiis, quingentos fere præmittunt, qui locorum angustias, per quas Cæsareanis redeundum erat, occuparent: at cetera manus illos per silvarum tramites magno sequebatur silentio, loci oportunitatem quærens, quo facile hostem aggredi, et si res minus prospere succederet, in tutum se recipere posset. Cæsareani etsi videbant paulatim hostium crescere numerum, adeo tamen illorum despexerant paucitatem, ut nec suos à prædando revocarent, aut compositis incederent agminibus: Equites vero peditum sequuti temeritatem, undique ad rapinam discurrebant, cuncta agentes et ferentes, incendioque miscentes; quamvis non deessent, quibus admodum displiceret tanta militaris disciplinæ negligentia, ac frustra admonerent, præsentibus hostibus non tam contemptim esse agendum. Helvetii interim, qui taciti sequebantur, loci nacti oportunitatem, magno clamore novissimos adoriuntur, cædunt ac prosternunt. Tumultus igitur oritur ingens, ac pedites advocabant equites: Illi vero pedites, ut in ordines redirent, hortabantur, obiterque pyxidum Magistri ignem machinis admovere jubentur. Sed et illi tormenta adeo præda texerant et onerarant, ut illarum usus penitus inutilis esset. Eduxerunt Cæsareani ingentem curruum numerum, utpote, qui potius ad prædam quam prœlium se exituros putarant. Quorum aurigæ audito clamore, initium fecere fugæ, et cum Helvetii vehementius instarent hostibus, nec paterentur ordines restitui, illi aurigarum sequuti exemplum, pedibus sibi quoque consulere cœperunt. Id cernentes equites, et ipsi palam ad fugam inclinarunt, omnesque pariter Constantiam versus contendebant. Sed cum ad saltus venirent angustias, illasque occupatas invenirent, penitus animum desponderunt. Cum igitur ante et retro Helvetii urgerent, ingens clades est accepta, præcipue cum currus viarum impedirent exitus. Cæsareanique existimarent hostem totis adesse viribus. Nemo igitur retrospexit, priusquam Constantiam venisset. Tametsi nec ibi fuga stetit. Quidam enim ob timorem vehementem in lacum, qui urbem alluit, se immersere. Quod si Helvetii longius persequuti fuissent, majorem etiam cædem edidissent. Adeo cunctorum animos metus occuparat. Verum paucitate sua diffisi, ac timentes, ne et ipsi ob temeritatem, cladem aliquam acciperent, ac partam victoriam è manibus emitterent, ab insequutione destiterunt, equitatus potissimum correpti timore, quo ipsi penitus carebant. Ad spolia igitur conversi, non solum prædam recuperaverunt amissam, sed et pyxidum vim cepere ingentem, multisque aucti divitiis, ad solitas rediere stationes. Ea in fuga circiter duo millia desiderati sunt Cæsareanorum, cum Helvetii vix unum aut alterum perdidissent militem magnam gloriam ob res tam egregie actas referentes.

Cæsareani ac Suevi hac clade accepta, Cæsarem assiduis advocabant litteris, ostendentes, nil nisi ipso præsente agi posse. Acceleraret igitur, ac cunctas Imperii convocaret vires, quo Helvetiorum resisti posset violentiæ. Cæsar etsi Geldrensi implicitus esset bello, illud tamen, quibus potuit, composuit conditionibus confestimque exercitum in Germaniam præmisit superiorem, cunctisque principibus ac civitatibus imperialibus imperavit, ut auxilia, quo Helvetiorum domari posset pervicacia, submitterent.

 At

At illi licet parere cogerentur, segnius tamen et inviti, minores quoque quam imperatæ fuerant copias emittebant. Noverant enim bellum hoc nulla necessitate, sed solum ob animorum impotentiam et arrogantiam contractum esse. At Suevi admodum moleste cunctationem hanc ferebant, et cum se factis vindicare non auderent aut nequirent, tamen (ut solent) propriam culpam in reliquos Imperii rejiciebant subditos, quasi per eos stetisset, quo minus Helvetii debitas luissent pœnas. Fiebant interim excursiones variæ, cum jam Helvetii Rheni transcenderent fluenta, mox Cæsareani navibus lacum Brigantinum trajicerent, ita ut quotidie non parva damna, incendia et deprædationes acciperentur, et inferrentur, quibus utrinque infiniti absumpti sunt milites. Nemo enim capiebatur, sed indifferenter cuncti, qui in hostium veniebant potestatem, cædebantur.

Erant comites de Sultz Turegensium cives, possidebantque oppidum nomine Thungen, opportuno in loco ad irruptionem situm. Eo potiti sunt Cæsareani, sive comitibus dedentibus (ut Helvetii suspicabantur) seu, ut occuparetur, conniventibus, moxque illud ingenti cum equitum tum peditum muniunt præsidio, cui præfecere nobilem quendam nomine Theodericum de Blumeneck, qui antiquus et peculiaris Helvetiorum hostis erat, ac illos plurimis affecerat incommodis. At Helvetii rem tanti momenti nequaquam contemnendam esse censentes, confestim eductis copiis oppidum obsident, oppugnant, et tormentis quatiunt. Verum Theodoricus ille, qui paulo ante magnam præ se tulerat arrogantiam, viso hoste adeo animo concidit, ut clam cum eo prodito pacisceretur præsidio, moxque dimissus nocte, cum iis quos salvos esse cupiebat, clam evasit. At reliqui, cum amisso Duce se proditos esse intelligerent, et ipsi quoque cum hoste pepigere, ut impetrata salute, emitterentur. Introducti igitur Helvetii, universos equites armis ac vestimentis spoliant, sicque dimittunt, reservatis primoribus, quos secum (ut Cæsareani ajunt) contra pacta abduxerunt: oppidum vero incenderunt, ac diruerunt. Ita insigne mille equitum præsidium, cum vexillis duobus peditum, ignominiosam deditionem fecit, et cum se viriliter defendere potuisset, (nam Helvetii haud facile oppida oppugnare solent) maluit tamen turpiter hosti cedere, quam ullum virtutis ostendere specimen. Hoc oppido capto, oppressoque præsidio, haudquaquam quievere Helvetii, sed temporis usi occasione, populariter egressi sunt, ut Walgeuenses, qui defecerant, rursus imperata facere cogerent. Id Walgeuenses prævidentes, vallem, per quam ingressus patebat, fossa ac vallo egregie muniunt, et non tam suos, quam vicinos cunctos in subsidium advocant. Convenerat et equitatus insignis, equorum quadringentorum, in oppido proximo Veldtkirchio. Hi omnes avide Helvetiorum expectabant adventum. At illi nihil cunctantes, recta contra Walgeuenses pergunt. Verum cum ingressum munitum ac præsidio custoditum invenirent, copias diviserunt, et una parte munitiones aggressi sunt, altera per occultas semitas loci superarunt asperitatem. At qui in munitione excubabant viriliter hostium impetum, fortiterque locum defenderunt, ita ut Helvetii perrumpere nequirent, qui vero ab alia parte per angustias irrepserant, in colle et loco superato ordines instruere cœperunt. Adveniunt interim equites, convenereque copiæ pedestres circiter millia sex, egregie armis instructi, animo quoque nimis magno et elato præditi: qui ut primum hostilem inspexere aciem, illam invadere parabant, sed impetum fluvius latus ac profundus, à montibus per vallem torrentis instar ruens, (Ylam incolæ vocant) retardabat. Equitibus quoque ob vehementiam vix permeabilis. Illum igitur pedites nimio pugnæ ardore transgredi cœperunt, reclamantibus Ducibus, ac summopere orantibus, ne adeo temere in hostes ruerent, quorum vires nondum norant: sed citra flumen securi expectarent, donec omnia certius explorari ac renunciari possent. At illi suis, qui munitiones defendebant, succurrendum esse clamarunt, quos ex frequentibus pyxidum tonitruis, vehementer urgeri intelligerent: moxque non sine ingenti periculo, amnis superarunt violentiam, in ordinesque regressi, hostium ex colle, in quo constiterant, præstolabantur descensum. Præerat equitibus nobilis quidam nomine Burckhardus de Knoring, eques auratus, senex ac rei militaris peritissimus, qui cum militum impetum refrenare nequiret, manifestum tamen cerneret periculum, centum circiter equites flumen transgredi jubet; ne tamen cum hostibus confligerent, admonuit, sed solum illos cohiberent, ne latius excurrere auderent. Jam enim palam videbat, quid esset futurum. Reliquum vero equitatum per turmas super fluminis constituit ripam. Ceterum Helvetii immobiles ac quieti, in ordines tamen redacti, ab alto stolidam hostium prospectabant audaciam, et ut magis illorum augerent temeritatem, timorem simulabant: copiarumque suarum, quantum poterant, celabant multitudinem, ac ita contrahebant, ut vix decem millium esse videretur, quum numerum illum etiam duplo superarent. Cæsareani igitur, quum aliquantisper expectassent, ut hostis in planum descenderet campum, postquam illum videre immobilem, ac tuto se continentem loco, moræ pertæsi, ultra pergere, et collem ascendere cœperunt, ingentique audacia, nec vi minori hostium invadunt aciem: qui et ipsi militum numero et loci adjuti oportunitate, viriliter illos excipiunt. Fit igitur prælium ingens, obstinateque ab utraque parte pugnatur, ac ingens editur cædes, omniaque interim pyxidum sonitu, clamore et tympanorum resonant strepitu. Erat inter Helvetios vir quidam audacissimus, ac rei militaris peritissimus, nomine Henricus *Wolleben*. Hic nihil dubitavit caput suum pro patria devovere; accepta enim longiori bipenni (halapardam vocant) quam transverse hostium submisit hastis, illisque elevatis tamdiu perstitit, ac usum hosticarum impedivit hastarum, donec multis confossus vulneribus destitueretur viribus, ac moriens procumberet in terram. Ea igitur parte potissimum Cæsarianorum labefactata est acies. Interea equites quieti, pugnam aspiciebant, non ideo solum quod Ducis observarent imperium, sed quia periculi plenum videbatur, collem ascendere, et tam iniquo confligere loco. Verum unus ex eis Ilsing nomine magnæ existimationis vir et audax, cum turpe duceret, equites quietos peditum inspicere certamen, subditis calcaribus equum contra hostes concitat, et alios ut sequerentur, hortabatur: sed frustra. Nemo enim eum sequutus est, præter famulum unum: qui cum videret, quanto se herus discrimini committeret, illum inclamavit, ut à cœpto desisteret: quod audiens ille, se convertit, et cum se ab aliis destitutum videret, reditum maturabat: sed lapis pyxide excussus, equum illius prostravit, qui casu suo

ſuo ita Dominum oppreſſit, ut ſurgere haud quiret. Id cernens famulus, ex equo deſiliit, ac Dominum multa vi extractum tanto eripuit periculo. Fuit et illi ſaluti, quod hoſtibus acie excedere prohibitum fuerat, qui longe honeſtius putabant, ſi imperii memores eſſent, quam ſi multos etiam oppreſſiſſent equites. Evenit tamen, ut famulus ille, licet amiſſo equo, evaderet. Nam cum alium equitem haud procul inde inclamaret, ut illum expectaret, licet armatus, poſt tergum illius in equum unico aſcendit ſaltu, ſicque ſalvus non ſine laude ad ſuos eſt reverſus. Perdurabat interim prælium, ſummiſque certabatur viribus: nec retulere pedem Cæſariani, priusquam cuncti cecidere, qui in prima conſtiterant acie, quod cum reliqui vidiſſent, ac jam non ſolum à fronte urgerentur, ſed paulatim à lateribus quoque circumvenirentur, pedem aliquantulum referre ſunt coacti. Quod ut ſenſere Helvetii, acrius ſigna intulerunt. Quem impetum quum Cæſariani diutius perferre nequirent, in fugam ſunt converſi, tametſi illa non à primis, ſed ultimis initium ſumpſerit. Recta igitur ad amnem fugerunt, in quem cum improvide ſe immergerent, gurgitibus abripiebantur ac ſuffocabantur, ita ut non pauciores aquæ abſumpti ſint impetu, quam in ipſa cecidere acie. Id Helvetii videntes, à colle deſcenderant, laxataque fronte primores perſequi jubent fugientes: Ipſi vero ſtructis ſequebantur ordinibus. Quod equites cernentes, et ipſi ſe fugæ mandare ſunt coacti. Transgreſſi igitur flumen, reliquo ſe conjungunt agmini. At perſequutores illi non contenti, hoſtes ultra amnem fugaſſe, connexis brachiis, ne aquæ abriperentur impetu, ipſi quoque flumen transgredi cœperunt. Et jam quidam ulteriorem contigerant ripam, quum Ducum juſſu præconis revocantur voce. Timebant enim ne ab equitatu circumvenirentur. Confeſtim igitur imperio parentes, rurſus ſe vorticibus committunt ad ſuosque revertuntur ſalvi. Id videntes equites, et ipſi taciti Velthirchum verſus abiere. Et hic fuit exitus cœpti tam temerarii. Ceterum deſideratorum numerus iniri haud potuit, quum non pauciores vi fluminis perierint, quam pugnando cecidere in acie. Hoc conſtat, optimum quemque et animoſiſſimum ferro conſumptum eſſe. Et erant illi non ſolum milites, ſed et præſtantiores regionis illius, digni profecto ob virtutes, qui conſilia ſequuti fuiſſent ſaniora. At Helvetii, cum jam de Cæſaris adventu certiores redditi eſſent, haud ultra ſunt progreſſi: ſed imperata incolis provinciæ pecunia ingenti, acceptiſque obſidibus, confeſtim retro abiere.

Erat ſummum odium inter Hegeuenſes et Helvetios, quemadmodum inter omnes ferme ſolet accolas. Augebatur id injuriis quotidianis, conviciiſque aſſiduis: quod Helvetii ultra non tolerantes, collectis viribus, eam provinciam ſunt aggreſſi, ac cuncta ferro ac igni vaſtare cœperunt. Verum tantum abfuit ut Hegeuenſes, qui paulo ante verbis fuerant ferociores, obviam irent, ut etiam deſertis præ formidine caſtris munitiſſimis, omnes fortunas ſuas hoſti diripiendas relinquerent. Helvetii igitur per totam regionem diſcurrentes, omnia ferebant ac agebant, et quæcunque capiebant, mox incendio conſumebant. Venere igitur in eorum poteſtatem arces quædam inexpugnabiles, et quæ, ſi defenſæ fuiſſent, nulla vi capi potuiſſent. Verum Nobiles illi non tam audaces erant ad reſiſtendum hoſti armato, quam apti ad exercenda latrocinia, et deprædationes viatorum. Nam quæſtum illum à majoribus acceptum ſtrenue exercebant, exiſtimantes non parvum fortitudinis ac nobilitatis eſſe indicium, ſi furum inſtar raptu, et ex aliorum viverent miſeriis. Multa igitur male parta male quoque periere: ac decem millia aureorum in unico caſtro Hoburg ſunt reperta, quæ Dominus illius ex multorum hominum congregarat ſpoliis. Quicquid enim undique rapiebatur, ad Hegeuenſes tanquam aſylum latronum ac furum deferebatur. Progreſſi igitur Helvetii, oppidum Stokach, quod deditionem facere renuebat, obſederunt, illudque pyxidibus oppugnare et vehementer quatere cœperunt: ſed non minori vi à præſidio, quod immiſſum fuerat, eſt defenſum. Offendebantur et hoſtes pyxidum jactu aſſiduo ex arce Nellemburg, quæ in colle urbi imminente ſita eſt. Cum igitur ſe fruſtra niti cernerent, (nam Helvetii haud facile urbes oppugnare ſolent) ſuis parcentes collectis vaſis abire maturabant. Audiebant enim Cæſarianos magno adventare exercitu, quem undique ad urbem propinquam Uberlingen nomine accerſierant, ſperantes ſe hoſtem, ut ſemper optaverant, in apertis deprehendere poſſe campis: quod et ille, cum omni careret equitatu, admodum formidabat. Verum antequam ad propria regredi poſſet, Cæſariani mille et quingentis ſupervenere equitibus, armis et equis egregie inſtructis. Helvetii igitur imminens cernentes periculum, mille ex ſuis delegerunt, qui tam diu equites ſuſtinerent, donec reliquus exercitus cum impedimentis et inutili turba planitiem ſuperaret, et oppido Steyn appropinquaret. Erat igitur profectio illorum non admodum fugæ diſſimilis, unusquiſque enim accelerabat; ac ob equitum timorem prior eſſe cupiebat, et profecto ſi equites obmiſſis mille illis impetum in reliquos feciſſent, non parvam cladem inferre potuiſſent. Nunc vero, dum noviſſimos tantum perſequuntur, occaſionem rei bene gerendæ è manibus emiſere: quamvis nec illos aggredi auderent, ſed ſemper noviſſimos premendo inſequerentur: qui diligenter ſervatis ordinibus pergebant, non ignari in quanto periculo eſſent conſtituti. Ut tamen ſuis evadendi præſtarent poteſtatem, dignam pro patria mortem nequaquam recuſabant. Tandem ad vicum magnum perventum eſt, qui paulo ante conflagrarat, in quo equites hoſtem permanſurum ac ſe defenſurum putabant, nec longius credebant proceſſurum. Commode igitur peditum auxilio, qui nondum adventarant, ſine ſuo periculo illum opprimi poſſe ſperabant. Sed longe opinione ſua decepti ſunt: Helvetii enim recta per vicum transgreſſi, ſuorum ſequebantur veſtigia. Undique igitur ab equitibus conclamatur, rem eſſe indignam, ſi hoſtis tam imbecillis in patentibus etiam campis ex eorum laberetur manibus. Audendum igitur eſſe, ne tanta occaſio rei bene gerendæ amitteretur. Quibus vocibus equitum Duces coacti ſunt equitatum in ordinem redigere, et totis viribus concurrere. Erat illo die Franconum acies prima, Suevorum vero ſubſidiaria. Alternis enim diebus vices commutare ſolent. Verum ne Suevi ſe contemptos putarent, prima ſagittariorum illis commiſſa eſt acies. At Helvetii equites in ordinem redactos, et jam congredi paratos eſſe cernentes, et ipſi converſi demiſſis haſtis equites excipere parabant. Sagittarii igitur duce Suevo nobili quodam de Rechberg, viriliter eos aggreſſi, ſcorpionum ictibus proſternebant. Francones vero haſtati, quum hoſtilem aciem adoriri deberent, plane declinarunt, ac circumactis equis, rurſus ad priſtinum regreſſi ſunt locum: quos et Suevi haſtati ſunt

E ſequuti,

sequuti, nequaquam hostes aggredi audentes. Equites vero sagittarii, cum hastatos tam ignaviter agere cernerent, et ipsi ab ulteriori abstinuerunt congressu. Assiduo enim pyxidum jactu vulnerabantur. Accurrens igitur Dux Suevus Francones multis proscidit contumeliis, timidos illos et indignos qui equites militarent appellans. Nam communem ignominiam privatum etiam augebat periculum. In brachio enim pyxidis jactu magnum acceperat vulnus. Verum nec pudor, nec convitia Franconum restringere poterant timorem, sed immoti quasvis potius sufferebant contumelias, quam hostium lanceas obversas. Potissimum vero Dux eorum male audivit, cujus nomen etsi sciam, non tamen manifestabo. Helvetii vero cum hostes non amplius instare viderent, conversi et ipsi magnis passibus accelerarunt ad suos, qui jam exsuperata planicie praemissisque impedimentis, suos sequentes magno exceperunt gaudio, utpote quos jam morti destinarant, et nunquam putarant reversuros. Equites quoque et ipsi conversi retro abiere, alius in alios, ut fieri solet, culpam rejicientes. Nam Suevi Franconibus ignominiam tantam acceptam ferebant: Francones vero Suevos incusabant, quod nec sine illis hostes aggredi fuissent ausi, cum tot numero fuissent, ut etiam absque Franconibus victoria potiri valuissent, potissimum, cum quotidie de primo congressu contendere solerent. Sicque turpissimis invicem contendebant maledictis, cum tamen neutra pars timorem tam turpem et ignominiam acceptam juste excusare posset.

Interea Caesar advenit, rursusque Imperii Principes ac Civitates in subsidium properare sunt jussi. Qui nihil cunctati, partim ipsi advenere; partim copias suas ad bellum misere instructas. Caesar vero de omnibus certior fieri cupiens, ac singula discutiens, reperit, non tam militum temeritate et inobedientia, quam Ducum imperitia et ignavia tot calamitates acceptas esse: Ut igitur dehinc circumspectius ageretur, cuncta loca Helvetiis obnoxia, praesidiis munit, commeatum mittit, et ubique diligenter excubias ac stationes fieri jubet: Ipse interim advenientes copias per loca distribuit oportuna, quoad totis collectis viribus summa vi hostes invadere posset. Ego igitur à Republica Nurenbergensi Dux electus, ad Caesarem sum missus, cum peditibus quadringentis, ac ala una equitum sexaginta, pyxidibus sex, quas colubrinas vocant, et una majori, nec non curribus octo, qui commeatum, pulverem sulphureum, tentoria, et reliqua ferrent necessaria. Junctus est mihi inter reliquos nobiles, eques quidam Auratus, nomine Johannes de Beyrstorff, vir rei militaris peritissimus, et tribuni ac centuriones, egregie omnes in armis exercitati. E Nurenberga igitur egressus, recta ad Caesarem, qui tum juxta Bregentiae lacum agebat, perrexi, per Sueviamque non sine periculo et incolarum indignatione copias duxi. Nurenbergenses enim neutiquam Suevorum, sed Bavariae Ducum utebantur societate: quod quidem Suevi aegerrime ferebant. Dolebant insuper, quod ipsi multis ex suis amissis, ingentique pecunia absumpta, Nurenbergensium copias, adhuc integras viderent, et tum demum ad belli munia exeuntes. Non aequis igitur oculis Nordlingenses, et Ulmenses, ac reliqui, per quorum fines eundum erat, nostrum aspiciebant transitum. At Caesar cum me appropinquare audiret, obviam misit ac jussit ut ad oppidum Tetenang (ibi enim agebat) accederem. Est illud ad lacum Bregentinum, in ditione Comitum de Montfort. Parvi igitur, ac confestim illuc perrexi. At Caesar, ut copias quas adducebam intueretur, in campum equo insidens processit, ac diligenter illas inspexit, non sine animi oblectatione, ut ex vultus hilaritate potuit deprehendi. Etenim tam pedites quam equites cuncti rubris induti erant vestimentis, quo colore et currus tecti erant. Armis praeterea egregie muniti ac instructi, veterani omnes, et è multo electi numero, magna ex parte Caesari noti, sub quo multis annis strenue dimicarant, praecipue tribuni ac centuriones, quos Caesar humanissime compellavit, solummodo copiarum paucitas ab aemulis reprehendebatur, quum Ulmenses duplo etiam majora submisissent auxilia, nequaquam considerantibus, Suevorum ac Nurenbergensium causam longe esse diversam, quum illi nulla coacti necessitate bellum Helvetiis intulissent; Nurenbergenses vero nihil praeter Caesaris obedientiam in Helvetios armaret. At Caesar ipse nil talibus movebatur cavillis, sed palam respondit, *Tot malle veteranos, quam bis totidem tyrones*. Et erat Caesar inter alias animi dotes hac praecipue virtute praeditus, ut haud facile calumniatoribus aures praeberet, sed obnixe eorum foveret innocentiam, quorum nondum culpa erat comperta. Et profecto ni Caesar moribus tam fuisset laudandis, nil mirum, si Nurenbergenses tum à Caesarea etiam penitus excidissent gratia, quum undique improborum oppugnarentur machinis. Quicquid enim sinistri accidebat, aut comminisci poterat, quod innocentibus notam aliquam inurere valeret, id omne in Nurenbergensium referebatur caput: Ita ut etiam occulti foederis cum Helvetiis, submissique insimularentur subsidii: quod quidem ob nullam aliam fiebat causam, quam odium singulare, ac perversi animi pravitatem, et quod nonnulli libenter culpam propriam aliorum texissent innocentia. At Caesar me ad oppidum Lindau, moxque Veltkirchen ducere jussit, quo paulo post ipse quoque venit. Acceperat enim Grisenses, Curienses ac Engadinenses deliberasse, ingenti suorum manu in provinciam irrumpere. Id ne fieret, totis viribus occurrendum esse censuit. Undique igitur copias Veltkirchen convenire jubet, ut superatis montibus hostes ab invasione coerceret, et ut illorum vires distraheret. Sungeuenses ac Brisgeuenses hostilem terram invadere jussit. Qui nihil morati, magnis collectis copiis per Tornacensem agrum irrumpere parabant. Id quum Helvetii rescivissent, confestim occurrunt suosque in aciem constituunt, confligere parati, si quis obviam iret. Id videntes Caesariani, magis de fuga quam pugna cogitare coeperunt. Turpiter igitur dilapsi, ad propria cum ingenti rediere ignominia. Nec Helvetii longius illos persequuti sunt, equitatus potissimum timore, sed exustis villis quibusdam, et ipsi abiere retro.

Interea dum Caesar in contrahendis distinetur copiis, Engadinenses cum sociis opinione celerius egressi per Monasterii vallem, in campum, ut vocant, Malsensem, erumpere conabantur. Ea est planities inter alios montes latissima, fertilis et amoena, oppidis et multis exculta villis et aedificiis, in cujus summitate Athesis oritur fluvius, qui inde Italiam versus magno labitur impetu. Caesariani igitur, ut hostes ab ingressu arcerent, Monasterii vallem, per quam introitus patebat, fossa ac vallo egregie munierant, praesidioque imposito diligenter observabant. Verum cum hostium percepissent adventum, undique populariter ad defensionem advolant.

Ade-

Aderant interim hostes maximis copiis ac magna vi munitiones sunt aggressi, verum longe majori sunt rejecti, ita ut semel ac iterum reversi, fugæ se mandare cogitarent. Sed instabant Duces à tergo, non solum verbis ac hortationibus sed verberibus etiam, minis et conviitiis suos in aciem redire cogentes. Diu igitur certatum est, multique hostium è vallo pyxidum maxime cadebant ictibus. Videntes igitur, quod perrumpere non valerent, divisis copiis per semitas invias et occulta montium præcipitia potius ruebant, quam descendebant, Cæsarianosque à tergo aggressi, novissimos cædere inceperunt. At equites hæc cernentes, nullas suis ferebant suppetias, sed immoti ac quieti suorum inspiciebant discrimen, licet magno præstarent numero. Quum igitur Cæsariani à fronte et à tergo urgerentur, primum munitiones derelinquere sunt coacti, deinde etiam acie profligati, ad fugam inclinarunt manifestam. Quod si illis equites in tempore auxilium tulissent, aut plane vicissent, aut hostes saltem ab ingressu arcuissent. Nunc vero suorum destituti ope, ultra resistere non valebant. Injecit et illis timorem bovinum cornu inflatum ab hostibus. Nam eo decepti sono Urienses ac reliquos Helvetios advenisse putabant. Illi enim inter pugnandum eo sonitu suos ad prælium animare solent. At equites, cum suorum cernerent fugam, non solum hostes in planicie aggredi aut coercere ausi non sunt, sed subditis calcaribus effusissime ac turpissime aufugerunt. At hostes in planitiem progressi, oppidum Glurens, Mals, et villas cunctas ad Letzium usque combusserunt, omnia diripientes ac agentes, ita ut etiam Athesis accolis non parvum injicerent timorem. Verum cum de Cæsaris adventu certiores essent redditi, ulterius progressi non sunt, sed celeriter se recepere ad propria, duabus prius fossis ingentibus suorum corpora tumulantes. Cæsarianos vero circiter mille cæsos in campis sub dio insepultos reliquere, quum tamen longe plures amisissent ex suis. Cæsar quum cladem hanc accepisset, maxima indignatione permotus est, præcipue vero Ducis ac equitum ignaviam moleste tulit. Verum cum Dux paulo post affuisset, multis verbis culpam suam diluit, afferens, haud tutum fuisse, equitatum inter montium angustias hosti objicere tam potenti, ac ita amicorum auxilio, qui tum in aula Cæsaris potentes erant, iram leniisse videbatur. Verum ob hanc ignaviam nunquam postea ad propria redire est ausus, juste eorum iram timens, quorum necessarios non solum ad mortem perduxerat, sed turpiter etiam dereliquerat, quum obiter proditionis quoque insimularetur. Existimabant enim provinciales, si etiam ob loci iniquitatem peditibus succurrere haud potuisset, facile tamen illum in campis patentibus hostium persecutionem reprimere, et à tam effreni prædandi ac vastandi licentia, coercere valuisse.

Advenit interim magnis copiis Cæsar, castrisque in campis patentibus locatis, deliberabat, quo pacto acceptam ulcisceretur cladem. Ibi variæ dictæ sunt sententiæ, quum quibusdam impossibile videretur, per montes tam altos et præsidiis munitos in hosticum irrumpere: aliis autem viam etsi longiorem ostendentibus, per quam ingressus pateret. Eam sententiam Cæsar approbavit. Etenim non solum Engadinensibus ob injurias nuper acceptas indignabatur, sed etiam, quia bello huic initium et causam dedisse videbantur, et quod semper Austriæ Ducibus fuerant inobedientes, pœna dignos judicabat. Quindecim igitur millia peditum, ex omni militum elegit numero. Nam equitum usus inter montes tam altos nullius erat utilitatis. Has copias per tramites occultos ac longas ambages in Engadinensem vallem perduci jubet, additis ductoribus viarum gnaris. Ceterum quia ob tanti exercitus multitudinem commeatus in locis defecerat montanis, ac plerique multos dies sine pane exegerant, ultra montem, quem Brajum appellant, in vallem Tellinam Mediolanensi Duci subjectam mittere constituunt, ut illinc copiis prætereuntibus alimenta adferri possent. Nam illi per aliam immittebantur viam. Me igitur Cæsar vocavit, ac jussit ut ducentos pedites ad Braji montis radices mitterem, ibique donec ipse adveniret, præstolarer: haud tamen aperuit, ad quem usum illorum opera uti vellet. Parui igitur, et tribunum unum pedites ad locum designatum ducere jussi, ac mox cum equitum meorum ala sum subsequutus.

Accidit, ut forte inter eundum per villam magnam, sed exustam, transirem, in cujus exitu duas deprehendi vetulas, quæ agmen quadringenta fere puerorum parvorum, nec non puellarum, haud secus ac pecorum gregem præ se agebant. Erant omnes extrema macie ob inediam confecti, ut effigie sua prætereuntibus horrorem quendam injicerent. Interrogavi vetulas, quonam turbam tam miserandam ducerent. At illæ tanquam attonitæ, ac vix præ dolore ac fame ora aperire valentes, responderunt, confestim me visurum, quonam tam infelix ageretur juventus. Vix hoc dixerant, cum ad pratum quoddam deventum est, in quod ingressi, ac in genua prolapsi, bestiarum instar herbas depascere cœperunt, hoc uno distantes, quod illæ morsu vescuntur; hi vero manibus cibum decerpebant: et jam usu herbas discernere didicerant, ac noverant, quæ amaræ seu insipidæ, quæ suaves aut gustu essent præstantiores. Præcipue vero herbam eligebant acetosam, quam et præ ceteris dignoscebant. Ad tam dirum igitur spectaculum obstupui, ac tanquam amens diu constiti. Rursus igitur vetula inquit: En cernis, curnam calamitosa hæc turba huc sit deducta, cui longe magis profuisset, si nata foret nunquam, quam tot ærumnis subjici, ac tam miseram exigere vitam. Ferro cecidere patres, fame vero matres abactæ sunt: bona in prædam cessere, ac habitacula flammis sunt absumpta. Nos miseræ ob ultimam senectutem hic sumus relictæ, quo infelicissimam hanc juventutem brutorum instar ad pascua agamus, et quantum valemus, herbarum esu sustentemus. Speramus tamen brevi tam illos quam nos à tantis absolutum iri miseriis. Etenim quamvis duplo plures fuissent, brevi tamen ad hunc redacti sunt numerum, cum quotidie aliqui fame et inedia deficiant, longe profecto celeri morte, quam prolixiori vita feliciores. Hæc cum vidissem ac audissem, lacrymas continere nequivi, tam miserandam hominum sortem miseratus, ac bellicum furorem merito detestatus.

Inde ad locum processi condictum, quo paulo post et Cæsar cum paucis venit equitibus, imperans, ut pedites montem transcendere juberem, quo eos conducerent, quos commeatus gratia Burmium in vallem Tellinum misisset. Mediolanensis enim Dux pollicitus fuerat, se exercitui de omni commeatus genere provisurum. His imperatis Cæsar discessit. Verum pedites mei jussa facere negarunt, non enim tanto periculo capita subjicere volebant, quum tam pauci numero essent, hostesque undique imminerent, et plerique antea Cæsaris quoque milites tantum discrimen subire recusaverant. Prætendebant et signorum absentiam, sine quibus se nusquam ituros affirmabant. Tandem post multa ultro citroque dicta, eo res devenit, ut

ituros se pollicerentur, si ego præire et illos ducere vellem. Ne igitur calumniatoribus ansam aliquam præberem, Cæsarisve indignationem incurrerem, confestim ab equo cataphracto descendi, depositisque armis equestribus, sumptisque pedestribus, præire cœpi, ac milites, ut sequerentur, sum hortatus. Supererant adhuc quatuor fere diei horæ, quibus nos viarum duces montis verticem superare posse affirmabant. Sed longe spe illa decepti sumus. Quum enim in altum venissemus, ob nivis resolutionem difficillime pergebamus, ita ut milites nonnunquam fere absorberentur, ac ob nivis densitatem ac lubricitatem terræ vehementissime defatigarentur. Tandem vero circa noctis medium in summum devenimus verticem. Ibi in parvo tuguriolo (quod tamen non omnium capax erat) aliquantisper interquievimus, inedia pariter et nimia defatigatione tantum non enecti. Deinde montem descendere cœpimus, et sub diluculum ad aquas calidas, quæ ex montis scaturiunt radice, devenimus. Inde circiter meridiem Burmium lassi et famelici sumus ingressi. Verum nihil ex iis, quæ Mediolanensis Dux promiserat, inventum, sed hostium vim ingentem illuc confugisse deprehensum est, ita ut non sine dubio et timore diem illum exegerimus. Postridie vero summa festinatione inde discessimus, vix quinquaginta jumenta commeatu onusta nobiscum ducentes, et iter ad exercitum, qui in Engadinam irrupturus erat, nec longe distabat, direximus, ascensoque monte altissimo, ad arcem devenimus munitissimam, per quam, et nusquam alibi, iter patebat. Ea Mediolanensi tenebatur præsidio, quo quum pervenimus, ob nimium loci præcipitium equi non parvum spatium per scalas (mirum visu) ascendere cogebantur. Bini enim homines ab utraque parte, frena, ne retro caderent, tenebant: Bini quoque latera servabant. Sequebantur inde, qui stimulis, clamore et adhortatione jumenta progredi adigebant, ita ut in aere suspensa per scalas latiores in summum tandem multo sudore ac labore pervenirent. Hanc ob causam et arci quoque Scalæ nomen inditum est. Superata igitur arce, paulo post ad alium exercitum, qui jam castra locaverat, pervenimus, nequaquam illum, ut speraverat, commeatu reficientes. Ab accolis tamen Italis vini copia ingens in castra est perlata, quod milites longa inedia macerati (quippe qui plurimos dies sine pane exegerant) avidius ingurgitantes admodum inebriabantur, tumultuantesque mutuis se conficiebant vulneribus. Postridie omnibus copiis ad vallem perquam amœnum, quam incolæ ad vineas appellabant, deventum, ac ibi pernoctatum est. Nam quamvis deliberatum esset, ut eo die irruptio fieret, cum tamen multitudo tanta tardius ob viarum angustias progrederetur, diesque in occasum vergeret, castra in valle sunt locata.

Postero die duabus ferme ante ortum Solis horis, tria Cæsaris vexilla, ut vocant, ordinaria (quibus et meum ob veteranorum existimationem est additum) cum duobus millibus militum ad occultas montis semitas sunt transmissa, additi quoque viarum duces, pollicentes, se brevi manum hanc super hostium capita, qui montis, per quem irrumpendum erat, cacumina observabant, perducturos. Ad montis igitur progressi radices per asperos, confragosos, ac feris pene invios calles, non sine præcipitii periculo et labore ingenti, donec tandem ad loca undique nive oppleta devenimus. Ibi non minori difficultate quam in aspretis est laboratum. Nix enim ob anni resolvebatur temperiem. Nam mensis erat junius. Ac ideo milites ægre pergebant, ob nimiam lubricitatem nivis ac luti, haud facile vestigia sistebant. Reliquus interea exercitus universus, præter mille milites, qui à sinistro latere se hostibus ostendebant, recta montem, per quem irruptio patebat, ascendere cœpit, pedetentim tamen, ut hostium oculos à circumvenientium abstraherent aspectu.

Erat mons altissimus, ac in summitate perpetua nive repletus. Illic Engadinenses in ordines redacti, hostium præstolabantur adventum, minutissimarum avicularum gregem ob nimiam celsitudinem repræsentantes. Emittebant tamen plures ex suis, qui è summo descendentes saxa ingentia devolvebant ac agmen quoque quantum poterat ultra progredi inhibebant. Suffoderant quoque undique scopulos ingentes, ac magni ponderis cautes, arboreisque suspenderant truncis, quibus faciliter dispulsis, confestim saxa magno ruebant strepitu, ac ingentem montis partem secum in præcipitium trahebant. Sed hoc nostris saluti fuit, quod cuncta quæ impellebantur, aut dejiciebantur, ab nive mox absorbebantur altissima. Id ni accidisset, impossibile profecto fuisset, loci a natura tam muniti et præsidio firmati iniquitatem superare. Interim dum sic utrinque ab antesignanis pyxidum ac lapidum jactu, sagittis quoque et balistis certatur, ac magnum agmen immobile hæret, milites præmissi paulatim in montis surrepserunt verticem, ibique se colligentes, in ordines redibant: quo facto, signiferi rotatis circum capita signis, magno agmini (nam jam in illius conspectum venerant) in montis summitatem se pervenisse significant. Id milites videntes nihil morati, et ipsi vi magna perrumpere conantur. Et jam qui à sinistra incedebant ala, hostes circumvenire cœperunt: qui tum primum percipiebant, quatuor illa vexilla cum militibus suis in montis emersisse summitatem. Divisis igitur copiis, illos ab ulteriore progressione prohibere nitebantur, sed frustra, vix enim primo tentato certamine in fugam vertuntur. Interim agmen magnum progreditur, et qui in sinistra constiterant ala, ab illa quoque parte hostes adoriuntur, ita ut Engadinenses et à fronte et à lateribus vehementer urgerentur. Impares igitur se cernentes, ac tam copioso exercitui resisti posse diffidentes, undique fuga sibi consulere cœperunt. Per montium igitur abrupta, ac semitas notas, multis ex suis amissis dilabuntur. Cæsariani igitur rursus conjunctis copiis, montem descendere cœperunt.

Accidit hic, ut nivis pars quædam ingens vel nimio oppressa pondere, vel solis liquefacta calore, à reliqua nivis divulsa sit congerie, ac per montis devexum, quantum jactus est arcus, acta, plusquam quadringentos secum arripuerit milites, quos omnes altissima involvit vertigine: eratque spectaculum illud sub initium horrendum, cum tot homines eodem raperentur impetu, et tanquam fluctu quodam absorberentur: sed paulo post in risum est versum, cum milites undique tanquam terra editi emergerent. Omnes tamen hastas, aut arma, sive capitis aut pedum amiserant tegumenta, tametsi nemo, quantum sciri potuit, fuit desideratus: multi tamen vehementer sunt collisi.

Per immensum igitur iter ac multo sudore tandem circa solis occasum in Engadinensem perventum est vallem, amœnam et multis exultam oppidis ac villis. Verum hostes Oeni fluvii (nam is torrentis instar per Engadinensem vallem labitur) pontem, per quem transeundum erat, incenderat. Restincto igitur non parvo labore igne, ponteque refecto, copiæ sunt traductæ, castraque in vico quodam, Scaneu nomine, sunt

funt posita. At Engadinenses quam primum Cæsarianos pontem transgredi viderunt, propriis manibus oppidum magnum et propinquum, quod Sutzium vocabatur, incenderunt. Eam igitur noctem milites defessi et inedia macerati, in vico transegere. Nam hostes, quo Cæsarianos fame urgerent, cuncta ad victum pertinentia vel corruperant, vel penitus abstulerant. Orto die tribus agminibus ad ulteriora est progressum, præibat enim turma, quam amissam vocant, cum pyxidibus quatuor, quæ ingenti labore illac erant perductæ. Nam ut plurimum in montium saltibus una tantum vehebantur rota, quum altera funibus colligata, ac suspensa, à militibus qui in altiori incedebant loco, sustentaretur. Sequebatur agmen magnum, semper ordines suos conservans. Impedimenta vero ac turbam inutilem ultimi tuebantur. At Engadinenses, et ipsi suis præcedebant agminibus, cuncta vastantes, ac diripientes, et si quandoque loci offerebatur opportunitas, gradum sistebant, ac tanquam pugnaturi se ostendebant, sed cum nostri propius accessissent, rursus citato gressu abibant. Haud pares enim erant, qui tantis copiis resistere possent. Cuncta interim flammis relucebant, ac magno fragore undique ruebant ædificia. Conflagrarunt igitur præter Scanevium et Sutzium, Somada, Comovascum, Pons rosinus, Vadellum et Scancellum, cum reliquis cunctis Tiravum usque. Quin et illud quoque Engadinenses ipsi comburebant, licet Cæsariani illac haud pervenirent. Tandem sub solis occasum castra juxta vicum quendam sunt locata, ibique à Ducibus est deliberatum quonam postridie esset proficiscendum, siquidem major pars per vallem Tellinam, quæ non longe aberat, redeundum esse censebat. Ibi enim militem fame et labore fessum refici posse arbitrabantur, quoniam Mediolanensi Duce amico uterentur: alia vero pars nequaquam Italis fidendum esse censebat, potissimum cum hostes undique ab illis receptatos esse constaret, et Dux ipse parum observasset, quæ de commeatu mittendo promisisset: Insuper per montem altissimum in Vallem Tellinam ingrediendum, rursus per montem Brajum revertendum esse dicebant, quod quidem ultra laborem immensum periculo non careret, etiamsi Itali fidem plane inviolatam servarent. Convenit igitur, ut per ante emensam rediretur viam, cum ea unico tantum die, si accelleraretur, exigi posset: deinde vero facile in tutum iter patere ferebatur: militibus interim perdurandum, et famis molestia quocunque modo toleranda esse dicebatur. Hæc igitur sententia vicit, ac summo mane exercitus compositis rursus ordinibus celeriter per pristinum iter redire cœpit, nec illum hostis à tergo urgebat. Præcesserat enim et montis cacumina, per quem in vallem Tellinam iter patebat, occuparat, ut sic Cæsarianos arcere, aut etiam si posset penitus opprimere liceret: et profecto si illac iter fuisset directum, vix incommodum aliquod magnum evitari valuisset. Cum igitur toto die assidue esset progressum, tandem sub noctem Sarnetium est deventum, quod oppidum sub hujus belli initium, dum inferior pars Engadinensis vallis exuritur, conflagrarat. Quod si paulisper esset cessatum, in magnum discrimen universus incidisset exercitus. Nam sub ejus adventum incolæ pontem dejicere incœperant, et ni fuisset acceleratum, plane transitus inhibitus fuisset, militesque fame potius quam gladio periissent. Parumper igitur quieti datum est, et sole nondum orto, rursus iter continuatum. Per altissimum enim montem (quem incolæ Busalauram ob ventorum flatum vehementiorem appellant) erat redeundum. Mutati igitur ordines, et agmen illud amissum, quod universum ex veterano constabat milite, omnibus aliis præmissis, à tergo sequebatur, hostem ab incursu, si invadere auderet, repulsurum.

Magna igitur fame ac sudore sub solis tandem occasum montis hujus altissimum superatum est jugum, ac in pacatum deventum, non sine multorum amissione militum, qui partim inedia, partim vero laboris absumpti fuerant magnitudine, siquidem ita famis invaluerat malum, ut milites inter eundum herbas evellerent et pecorum more devorarent. Cernere quoque erat quosdam ingenti vi famis mentem perdidisse, ac tanquam rabie percitos plane insanire. Non parum tamen saluti fuit aquæ dulcis copia, quæ per totum iter è montium scaturiens latebris, non parum exhausta militum reficiebat corpora. Ceterum nec in pacato fames exsatiata est. Quamvis enim Cæsar undique sub exercitus reditum commeatum adferri jussisset, incuria tamen præfectorum omnia sunt neglecta. Dispersi igitur undique milites sine ordine et imperio dilabebantur discurrentes, ac cibum, utcunque poterant, quærentes. Sequenti die et ego quoque cum equitibus quatuor, qui me sequebantur, ad Cæsaris castra, quæ tum juxta Vicum Pfuntz nomine posita erant, perrexi, acciditque ut inter eundum rusticus quidam mihi obvius fieret, qui vini vas ingens in curru vehebat. Substiti igitur, ut viderem, quonam pacto milites palantes vinum illud partituri essent. Mox igitur magnus illorum accurrit numerus, ac quidam lanceis vas perforabant, vinumque galeis exceptum hauriebant: alii vero moræ impatientes pyxidum exonerationibus vas pertundebant, ita ut undique merum effunderetur. Hinc irarum et tumultus initium, qui adeo increvit, ut in eo circiter quinquaginta cæderentur homines, ac plus centum vulnerarentur. Etenim non secus ac si rabie agerentur, invicem sæviebant: Et quamvis discerni nequiret, quis amicus seu inimicus esset, indifferenter tamen mutuis se conficiebant vulneribus, ignari quem quisque peteret. At ego cum tam crudele vidissem spectaculum, dimisso sodalitio, quod super mortuorum adhuc potabat cadaveribus, ad Cæsaris tandem castra inedia et labore tantum non enectus perveni. Ceterum nec ibi res erant quietæ, sed milites ob victus penuriam omni despecto imperio à signis dilabebantur. Id Cæsar videns, ad Castrum Landeck perrexit, ubi plane ab exercitu est derelictus, quem et festinans coactus est sequi. Ita vis famis cunctos urgebat.

Ceterum ne profectio illa fugæ similis videretur, rogatus sum à Cæsaris consiliariis, qui tum ibi substiterant, ut non recta via ceterorum sequerer abitum, sed retro conversus, rursus per Arlensem reditem montem. Ita enim hostium incursum prohiberi posse existimabant, si illi audirent, provinciam illam haudquaquam omni destitutam esse milite. Parui igitur, licet multis circumventus periculis et difficultatibus: et ne æmulis aliquam calumniandi præstarem occasionem, summo labore ac periculo et machinas et currus ultra montem traducere curavi altissimum, ac cunctis demum copiis ad oppidum Lindau perveni, quo paucis antea diebus et Cæsar quoque applicuerat. Ceterum etsi existimarem me pretium fecisse operæ, quod Cæsaris paruissem consiliariis, ac tantum exantlassem laborem, longe tamen res aliter cessit. Siquidem Nurenbergensium æmuli, me apud Cæsarem criminati fuerant, tanquam milites mei initium fecissent abeundi, licet plane constaret, me solum cum copiis cunctis, aliis recedentibus, substitisse, ac per Arlensem montem illuc rediisse. Coactus igitur fui palam me coram Cæsare et multorum conspectu principum excusare, tametsi magis de ini-

inimicorum conquererer calumnia, quam falsas diluerem objectiones, quum et consiliarii quidam præsentes essent, qui precibus etiam reditum meum per Arlensem impetraverant montem, ac manifeste scirent, cuncta quæ mihi objicerentur, vana esse, et à calumniatoribus conficta. Acrius igitur in æmulos sum invectus, Cæsaremque rogavi, ne dehinc facile talibus hominibus aures præberet, quoniam nullam nec veri nec honesti rationem haberent, petiique ut si quis me accusare vellet, coram prodiret, quo illum palam mendacii atque calumniæ arguere possem. Verum nemo contra hiscere est ausus, sed altum fuit silentium. Cæsar itaque me bono animo esse jussit, asserens, se pro comperto habere, nullam mihi hucusque culpam objici posse; pergerem itaque quemadmodum cœperam, et ad belli exitum fortiter perseverarem.

Deinde paucos post dies ad oppidum transivi Uberlingen: quo et principes et confœderatorum accesserant Duces, ibique deliberabant, quid porro esset agendum. Qui igitur rei bellicæ erant periti, suadebant, ut Civitas aliqua Helvetiorum in plano sita cunctis obsideretur viribus. Confestim enim hostes in suorum advolaturos auxilium, sicque Cæsarianis, qui pyxidum et equitum præstarent multitudine, occasionem bene gerendæ rei oblatum iri. At qui timidiores erant, nequaquam aleæ rem tantam committendam esse censebant; Sed suadebant, uti multis pariter in locis hostium lacesseretur regio, quo passim eorum viribus distractis, assiduis ipsi delassarentur incursionibus. Sic enim fore, ut facilius ad pacis se inclinarent conditiones, et imperata facere haud recusarent. Ceterum ad hoc peragendum longe majoribus opus esse copiis asserebant. Necesse igitur esse, ut Cæsareo edicto subsidium tam ab Imperii principibus, quam civitatibus, accerseretur. Quæ sententia quoque vicit, et ego à Cæsare jussus sum, ut ultra literas ac mandatum ejus ad Senatum scriberem Nurenbergensem, ostenderemque et negotii magnitudinem ac necessitatem exigere, ne ullo modo jussa negligeret, sed quanto citius posset, mitteret supplementum.

Deinde Cæsar cunctis copiis locum transgressus, Constantiam pervenit. Id cum Helvetii intellexissent (nam ab alto et stationibus suis hostilem adventum cernere poterant) fumi signo suos in auxilium advocant, qui nihil morati, undique confluebant. Levia igitur quotidie committebantur prælia, quum jam Cæsariani Helvetiorum invasissent stationes, mox illi rejectis hostibus acrius à tergo instarent, licet ob equitatus timorem nequaquam in plana descenderent, jussit Cæsar præconis voce centum promitti aureos, si quis hostem captivum adducere posset, quo certior fieret, quid in animo volverent Helvetii. Sed frustra hoc fuit præconium. Nullus enim hostium in Cæsarianorum devenit potestatem, tametsi assidue ex stationibus procurrere ac manus conserere numquam intermitterent. Interfici ergo potuere, capi nequaquam. Non tamen cadebant inulti: Et quemadmodum ipsi honestam mortem captivitati præferebant turpi, ita nemini quoque parcebant, sed indifferenter omnes qui in manus eorum deveniebant obtruncabant. Tandem Cæsar cunctis collectis copiis, ex Constantia movit, et in plano ante urbem tam equestres quam pedestres instruxit ordines, adjunctis pyxidibus, ac si confestim confligere vellet. Et erat profecto res visu dignissima, tam florentem et copiosum inspicere peditatum, nec non equitatum ingentem, armis et equis egregie ornatum. Stetere igitur acies, confligere paratæ, si hostis in æquum descenderet. Sed is se in alto suis continuit ordinibus, Cæsarem excipere paratus, si in colles ascendere, et ipsum iniquo loco invadere auderet. Quum igitur diu ita perseveratum esset, à neutra tamen parte longius moveretur, Cæsar copias iterum Constantiam ducere jussit, ibique aliquot commoratus diebus, assidue invadendi præbebat speciem, quo hostes, quorum copiæ assidue augebantur, detineret, et ne reliquis confœderatis, quos interea adoriri statuerat, auxilio essent, averteret.

Helvetii interea Cæsari scribunt, ac rogant, ne inimicis suis nimiam adhiberet fidem. Illos enim nihil aliud agere, quam ut omnem belli culpam in Helvetios rejicerent, cum tamen ipsi cunctorum malorum causa et origo fuissent. Invitos se arma cœpisse, quæ et deponere essent parati, si ipse annueret, ut utriusque partis dissidia et contentiones juris ordine terminarentur, aut amicabili componerentur transactione. Certos se esse, si Cæsar sub initium adfuisset, rem nequaquam ad tantam pervenisse contentionem, nec tantum humani sanguinis fuisse effusum. Daret igitur operam, ut innata sua bonitate ac mansuetudine discordiæ tollerentur, ac tam ingentibus malis finis aliquis imponeretur. Quod si petitiones eorum tam justas contemnere pergeret, se tam coram Deo quam hominibus obtestari, nequaquam sua stetisse culpa, quo minus tanti belli sedaretur tumultus. Certos se tamen esse, si humana contemneretur æquitas, divinum tamen eis haudquaquam defuturum auxilium, cujus quidem rei jam pridem evidentissimum ostensum fuisset indicium. Invitos se libertatem à majoribus acceptam armis defendere coactos. Nequaquam tamen sibi ipsis, si ultra urgerentur, defuturos, sed ut viros deceret, honestam semper mortem ignominiosæ paci aut turpi prælaturos servituti. Ad hæc Cæsar nihil respondit, aut quia literæ istæ apertum hostium timorem arguere, nimiamque pacis cupiditatem ei ostendere viderentur, aut quod arrogantius, quam deceret, scriptæ censerentur, existimaretur quoque hostes assiduis vexatos ac debilitatos incursionibus, imperium tandem ultro suscepturos, ac jussa invitos quoque facturos. Stabat puella, quæ literas attulerat, in aula (neutra enim pars eo in bello caduceatoribus utebatur, sed tantum vetulæ quædam, aut puellæ immaturæ internunciorum fungebantur officio) responsionem expectans. Hanc Regii quidam satellites compellantes interrogabant, quidnam Helvetii in statione agerent. At illa, nonne palam cernitis, ait, vestram eos expectare invasionem: quumque sciscitarentur, quot numero essent: Quot satis sunt, respondit, pro incursionibus vestris repellendis. Sed cum illi acrius instarent, ut numerum eorum recenseret, ni fallor, inquit, in conflictu ante hujus urbis portas nuper commisso eos numerare potuistis, ni fuga oculos vestros excæcavit. Sed numquid (intulere) quod commedant habent? at illa rursus, quo pacto nisi manducarent et biberent, vivere possent? Talia cum non sine risu à circumstantibus excepta essent, quidam, ut puellam perterreret, minatus est, se illi caput detruncaturum, jamque manum gladio adhibebat: at illa haudquaquam perterrita, plane, inquit, te virum fortem esse ostendis, dum puellæ tam juvenculæ mortem inferre minitaris, atqui si tanto digladiandi teneris desiderio, cur non in hostiles ruis stationes? invenies profecto illic virum aliquem, qui confestim tuæ respondeat ferocitati, sed facilius est inermem ac innocentem invadere puellam, quam hosti occurrere armato, et qui non verbis, sed factis rem agere novit. Hæc quum non sine jucunditate audirem, puellæ indolem ac liberam respondendi audaciam sum admiratus.

Cæsar

Cæsar autem paulo post cum exercitus parte Lindauium navigat, jubetque duces, quos Constantiæ relinquebat, ut assiduis incursionibus Helvetiorum stationes lacesserent, ac irruptionem in Turgeuensem provinciam simularent, ipse expeditis navibus eas quas secum adduxerat copias lacum superare ac hostilem terram aggredi mandat. Hanc ob causam et me cum veteranis meis advocavit. Hæc autem ideo agebat, ut hostium vires ubique distraheret, illosque teneret suspensos, et à mutuo prohiberet auxilio, dum unusquisque provinciæ suæ timere cogeretur, ac incertus esset, quonam prima evaderet irruptio. Jusserat autem magnum obiter Curiæ Magistrum Comitem de Fürstenberg, cum equitatu ac veterano milite à Geldrensi revocato bello, copiis tamen illis in immensum auctis, juxta Basileam hostilem invadere terram: Ipse milites Lindauium navibus impositos confestim vento flante secundo vela facere imperat. Inde igitur solventes, magna parte diei per lacus ferebamur undas, et jam hac in parte, mox alia nos descensuros simulabamus, quo hostem redderemus ancipitem, et ab incursus prohibitione abstraheremus. Tandem vero juxta oppidum Roschach terram attigimus, è navibusque egredientes ordines struere cœpimus: quod hostes qui illic in præsidio erant videntes, in nos impetum facere, et vi magna rursus ad naves repellere nitebantur. Verum, quia longe numero erant inferiores (vix enim ducenti erant) non diu viribus nostris resistere poterant. Veruntamen haud fuga sibi consuluerant, sed pertinaciter dimicantes ac eisdem stantes vestigiis, nequaquam inulti cadebant. Prostratis igitur illis ad oppidum Roschach progressi sumus, illoque direpto ac incenso, rursus nos ad naves recepimus. Verum dum milites illas ascendere incipiunt, et unusquisque primus ingredi cupit, sub initium tumultuatum est: mox fuga sequuta est aperta, licet hostis nusquam appareret, aut à tergo urgeret. Stabant duces ac tribuni, magna voce milites à fuga revocantes, sed frustra. Tanto enim impetu in naves ruebant, ut aliquæ nimio pondere pressæ submergerentur. Id nautæ videntes, quo imminens evitarent periculum, à terra naves subducebant, at milites nihilo secius undæ se committentes, adnatabant, et ut à suis reciperentur, precabantur, qui vero natandi erant imperiti, aut mergebantur, aut alios corripientes una submergebant. Veterani tamen milites cum signis suis duces haud derelinquebant, sed quieti inconsideratam illam et turpem inspiciebant fugam. Tandem cum timor ac furor aliquantisper deferbuisset, et ipsi quoque Duces sequuti composite ac quiete naves ascendere parabant. Verum nautæ adeo timore perculsi erant, ut naves haudquaquam terræ admovere auderent, sed in undis fluctuantes milites aquam ingredi et adnatare hortabantur. Coacti igitur sunt et veterani cum ducibus se fluctibus committere, acciditque ut qui statura essent breviori, ac terram pedibus attingere nequirent, natare cogerentur: Ceteri vero eminentiores (inter quos et ego eram) ad humeros et mentem usque immergerentur undis. Quod si hostis vel paucissimo adfuisset numero, et à tergo institisset, ingens profecto clades esset accepta. Verum quia cuncti fere, qui in statione fuerant, ceciderant, et subsidia quæ sub initium fumi advocata fuerant signo, tardius adveniebant, absque hostium impedimento, sed non sine fugæ nota discessum, ac rursus Lindauium est perventum. Ibi enim Cæsar imminentem certaminis expectabat eventum, præcipue tamen de Curiæ Magistri invasione erat sollicitus. Postridie orto sole ad Cæsaris accessi aulam: Verum secretiorem ædium partem, ubi Cæsar ipse degebat, clausam inveni, magnates autem cuncti foribus oberrabant, mussitantes ac capita sermonis gratia propius conferentes. Id ego cernens, haud felicis nuncii indicium esse deprehendi.

Collegerat Comes de Fürstenberg Cæsaris jussu exercitum quatuordecim millium peditum, equitum vero millium duorum, ac juxta castrum Dorneck, haud longe a Basilea, hostilem terram invadere parabat. Id Helvetii, qui propinquiores erant, Bernenses nempe ac Solodorenses, intelligentes, suas et ipsi è vestigio copias cogunt, et magna festinatione obviam ire pergunt, quo Cæsarianos à finium invasione arcere possent. At Senatus Basiliensis, cum Helvetiorum novisset apparatum, missis legatis certiorem Comitem reddit, (nondum enim Basilea ab Imperio defecerat) et ut rebus suis diligenter provideat, admonet. Verum tantum abfuit, ut Comes admonitionem tam amicabilem boni consuleret, ut legatos etiam cavillis lacesseret, et illis nequaquam tempestive Helvetiorum objiceret amicitiam. Insigniter hostibus contemptis arcem Dorneck oppugnabat, et pyxidibus conquassabat, omnibus neglectis stationibus et custodiis. Id equitum præfecti videntes et ipsi ob tantam negligentiam Comitem, et nimiam reprehendebant confidentiam. Ceperant enim eo forte die hominem quendam, qui ex hostili terra Basileam tendebat. Illum igitur ad Comitem deducunt, ac hostium consilia et adventum aperire jubent. Sed cum is quoque veritatem retulisset, hostesque ea nocte in oppido Liechtstal pernoctasse assereret, à comite tanquam mendax et speculator suspendio perimi est jussus: Equites vero abire, et ad castra sua redire compulsi sunt, quæ ipsi majoris commoditatis gratia in villis circumjectis, licet remotioribus collocarant. Abeuntibus equitibus, veteranorum duces ac tribuni Comitem adiere, manifesto ostendentes, tantam militaris disciplinæ negligentiam non tam indecentem, quam periculi plenam esse, præcipue cum hostilem arcem oppugnarent, et Helvetii magnis copiis adventare dicerentur. Suadere igitur, ut cum equites ablegasset, pedites saltem in stationibus esse juberet. Singulos enim paratos esse, ut custodiarum curam susciperent, et diligenter observarent. Verum et hos quoque Comes non sine verborum contumelia abire jussit, asserens, se, non illos, imperare, et recte quid agendum, quidve esset ommittendum, nosse, quin et cuidam ex illis perfidiam objecit ac exprobravit, qui aliquando Geldriæ Duci contra Cæsarem militare fuerit ausus, addens illum nondum evasisse, quo minus dignas aliquando ob noxam illam lueret pœnas. Mœsti igitur duces abeunt, Comitis temeritatem execrantes, ac plane imminentem prævidentes cladem. Quod si Comes rectis ac prudentibus suorum paruisset monitis, et melius sibi ipsi et universo consuluisset exercitui. Sed ita in fatis erat, ut ejus negligentia et contemptu tantum acciperetur incommodum. Quapropter et mens illius adeo fuerat excæcata, ut ne ipse rectum discernere, minus vero sapienter monentibus obsecundare posset: quod quidem toties evenire solet, quoties Deus nimiam hominum superbiam et temeritatem punire statuit. Dispersi igitur milites, ac omni rejecta cura, aut cœnam parabant, aut depositis armis otiosi obambulabant. Et cum nihil minus expectaretur, tum repente hostium agmen duorum fere millium per collem imminentem in castra impetum facit, trucidatisque iis, qui primum occurrerant, reliquos perturbat, ac ingenti conatu invadit, et ut melius res succederet, fraudem Helvetii subtexerant.

 Etenim

Etenim pectora rubeis signarant crucibus, tergum vero albis distinxerant signis. Sub initium igitur tumultus is militaris et socialis est existimatus. Verum cum omnes sine discrimine cæderentur, sero tandem hostes adesse est intellectum. Confestim igitur Comes, quo motum illum sedare posset, accurrit: quem et illustres quidam sequuti sunt viri: sed antequam quid ageretur percipere quiret, ab hostili manu confossus occubuit. At veterani quidam perpauci, et inermes fere, conglobati, hostem repellere et fortiter se tueri cœperunt, sed frustra, jam enim agmen aderat magnum, cujus impetu omnis sublata est defensio. Magna igitur veteranorum pars in vestigiis hærens, potius honeste mori, quam turpiter terga vertere voluit. Cetera manus, quocunque evadendi spes pateret, aut minus urgeret periculum, dispalata in præcipitem abiit fugam. Helvetii vero pertinaciter inhærentes, assidue fugientes vulnerare, et occidere haud desinebant, donec clamor ad equitum pervenit castra. Primum Regii corporis custodes, (inter quos et Burgundi quidam erant) in fugientium advolarunt auxilium, ac imperterriti magno impetu persequentes invadunt, sternunt et perimunt. Id reliqui videntes Helvetii, et ipsi fuga ad suos se recipere cœperunt. Verum pauci equitum evaserunt impetum. Interea et reliquus advenit equitatus, et pedites quidam in ordinem se recepere, semiermes tamen, qui omnes magnum agmen hostium invadere parabant. Verum cum jam nox instabat, Helvetiique ob equitum timorem et acceptum detrimentum in colles se reciperent, Cæsariani paucitati suæ diffisi, et damnum damno resarcire timentes, indignantes, et præfractam Comitis temeritatem detestantes, retro abierunt, et nemine persequente in pacatum tandem devenerunt. Desiderata sunt in tumultuaria hac pugna Cæsarianorum fere millia quatuor, cecidereque præter Comitem de Fürstenberg, multi illustres ac insignes viri, in quorum numero fuit Comes de Pitsch, et Baro de Castelwardt, familiæ illius novissimus. Helvetii licet interfectorum suorum numerum, ut solent, extenuent; constat tamen illos non minorem, quam Cæsarianos, calamitatem perpessos esse, tametsi pugna superiores evaserint. Quod si Comes prudentis imperatoris officio functus fuisset, magna spes bene gerendæ rei superfuisset. Verum ita divinæ visum fuit voluntati. Helvetii cæsorum spoliis ac pyxidibus cunctis potiti, tertia tandem die (quemadmodum nacta victoria consuevere) ad propria sunt reversi.

Hæc clades cum Cæsari in oppido Lindauio degenti fuisset nunciata, clausa, ut dictum est, regia, Comitis accusabat imprudentiam ac temeritatem. Vesperi tamen rursus patuere fores, Cæsarque in propatulo cœnavit, nullum tristitiæ signum ostendens, quin facta cœna, et quum jam nox ingrueret, ad fenestram quandam concedens, stellasque inspiciens, multa de illarum natura et ratione disseruit, adeo ut acceptæ calamitatis plane immemor videretur. Hæc ego cernens et audiens non parvam felicitatem esse judicavi, si quis tantorum irreparabilium malorum tam cito oblivisci posset. Postridie Cæsar rursus Constantiam navigavit, et quamvis ego quoque eadem veherer navi, nullum tamen unquam perturbationis indicium in Cæsare percipere potui, sed ludo, confabulationibusque et jocis diem illum lætus consumpsit.

Interea Gallorum Rex Carolus cum temporis oportunitatem advenisse putaret, qua injurias à Mediolani Duce Ludovico acceptas vendicare posset (instigante etiam Ludovico Aureliensi Duce, qui postea illi in regno successit, nam is Mediolani Ducatum hæreditario jure ad se pertinere prætendebat) animo volvere cœpit, quo pacto Mediolanensem è principatu ejicere, et universo spoliare posset dominio. Missis igitur Legatis cum Helvetiis pepigit, illosque confestim pecuniis, commeatu, et machinis adjuvit bellicis, existimans, Cæsarem Helvetico bello implicatum, Mediolanensi suppetias ferre haud posse. Id Mediolanensis intelligens, è vestigio et ipse legatos suos misit, qui cum Helvetiis de societate agerent et concordia. Sed Helvetiorum animis Gallico fœdere et beneficiis præoccupatis, res frustra est tentata. Objiciebaturque Mediolanensi, quod Cæsarem pecuniis et commeatu juvisset, quum nihilominus Cæsar indignaretur, quod Mediolanensis nequaquam promissa observasset. Legati igitur re infecta abire sunt coacti. Verum cum Mediolanensis Gallum copias colligere, et apertum bellum machinari videret, rursus Helvetiorum animos per Legatos tentare cœpit, promittens, si eum à Galli defenderent injuriis, et stipendium largissimum, et contracti cum Cæsare belli dissolutionem honestam. Id Helvetii audientes, paulatim aures legatis præbere cœperunt. Jam enim pacis tenebantur desiderio, ac eos tam longi ac periculosi belli moræ tædere inceperat. Quod cum Gallus percepisset, rursus Legatos ad Helvetios mittit, spondens se priora fœdera rata habiturum, ac insuper si permitterent, cum Cæsare de pace acturum. Nam plane se sperare rem ad optatum deduci posse exitum, decere enim Regem Christianissimum omnem opem adhibere, ut majorem sanguinis effusionem prohibere posset. Orare igitur, ut sibi potius quam Mediolanensi pacis permitteretur conciliatio: ad quam stabiliendam nulla alia causa, quam vera impelleretur benevolentia, qua perpetuo Helvetiorum gentem fuisset prosequutus. Cum Mediolanensis semper perfidus fuisset, in nullaque unquam societate stabilis permansisset amicus. Quin ne nunc quidem Helvetiorum curam gerere, sed potius solito more simulare, et proprii commodi gratia reconciliationem hanc tentare. Hæc et multa alia cum Helvetii audivissent, nec ignari essent, quid utramque partem ad tam amicabilem oblationem impelleret, gratias tamen utrique egerunt, ostendentes, se invitos et citra ullam præstitam causam ad tanti belli molem pertractos esse: et licet multis hucusque affecti essent incommodis, pacem tamen longe se bello præferre, quam ne nunc quidem respuerent, dummodo illata eis damna, ut justum esset, resarcirentur, discordiarumque fomites honestis ac Helvetiorum gente dignis tollerentur conditionibus. Sin minus, haud longis opus esse ambagibus. Nondum eos suscepti adeo pœnitere belli, ut ignominiosam pacem justissimo præferre possent aut vellent certamini, donec arma manibus tenere, et libertatem à majoribus eorum partam sanguinis sui effusione defendere valerent.

Hæc cum Legati audivissent, bene eos sperare jusserunt, moxque eorum consensu ad Cæsarem de pace acturi perrexere. At ille auditis legatis, Gallo ob multiplices causas concordiæ tractationem denegavit: Mediolanensi vero quibusdam conditionibus morem gessit, qui confestim diem et locum Schaphusii constituit, quo ambæ partes convenire, ac ejus intercessione de solvendo bello agere sunt rogatæ.

Verum

Verum intervenientibus quibusdam causis, locus postea Basileam est transmutatus. Ceterum nihilominus Helvetii, aut quia adversariis timorem incutere quærebant, aut quia ita necessitas exigebat, Gallorum Regem ex fœderis forma admonent, ut eis pyxides et tormenta, cum Magistris, globis, pulvere sulphureo, ac reliquis quam primum mitteret necessariis. Qui nihil moratus, confestim cuncta expedire, ac magnis expensis Soloturrim deferre jussit. At Cæsar, ne et ipse interim desideret, exercitus partem in Hegauensem misit provinciam: mox et ipse est sequutus. Assiduis enim precibus Hegauensium molestabatur, ut acceptam eorum injuriam vindicaret. Divisis igitur copiis quid fieri vellet ostendit. Ipse vero ultra progressus est, quo et Basileæ appropinquaret, et quotidie de singulis, quæ ibi agerentur, fieri posset certior, nec non Reginæ, quæ ex Germania inferiore adventabat, occurreret, quam mox in oppido Villingen perquam honorifice excepit, familiariterque per dies aliquot cum illa est conversatus. Et quia Danubius fluvius non procul inde in villa haud magna Dona Esching nomine, è colle quodam medio juxta limpidissimæ aquæ scaturiginem ingenti oritur fonte, Cæsar cum Regina sub tentoriis juxta scaturiginem positis magnificum celebravit convivium, ubi et choreis et multiplicibus indultum est voluptatibus, perinde ac tam celebris amnis origo jucundo illo et celebri honoraretur conventu. Deinde superata silva nigra, una cum Regina Friburgum est progressus, meque ut illum relictis copiis meis sequerer, jussit, deliberaturus, quo in loco me cum subsidio, quod jam è Nurenberga veniebat, constitueret, donec Basileæ transactum esset.

Interea copiæ in Hegauensi provincia relictæ hostium ingressæ sunt agrum, equitesque discurrentes, undique ferro et igne sunt grassati: Pedites vero in stationibus oportunis sunt relicti, ut cum eorum opus esset auxilio, faciliter accersiri possent. Interim ad villam quandam est deventum, in qua Ecclesia magna cum turri fortissima erat ædificata: ad hanc rusticana manus confugerat, ac pyxidum jactu egregie se tuebatur. Equites vero turpe existimantes ob turris hujus expugnationem pedites advocare, descensis equis illam tum adorti. Verum multis acceptis vulneribus repulsi sunt: et licet fores trabium impulsu fregissent, turris tamen superne vi est defensa ingenti, donec vas sulphureo pulvere repletum turrique subjectum et incensum, ita propugnantes dirupta turri in altum expulissent, ut avium instar per aerem volare viderentur, ac tandem ingenti ruina in terram deciderent. Interea dum fugientium clamor ad oppidum Schafhusen pervenisset, fumusque et incensarum villarum ignis hostes adesse significaret, cum octingentis fere peditibus Schafhusenses sunt egressi, ut et suis opem ferre, hostesque ab effusiore populatione arcere possent. At equites cum illorum percepissent adventum, collocatis insidiis eos excipere, et multitudinem suam, qua longe præstabant, celare satagebant. At illi haud temere insequendum censentes, in loco tuto et undique lacunis munito se continebant. Equites igitur, cum diu laborassent, ut hostes in æquum elicerent, frustra tamen se niti cernentes, misso nuncio, pedites, qui tota fere die in acie steterant, redire jusserunt. Ipsi vero illas, quæ supererant, incendio vastarunt. At Schafhusenses cum à longe per eminentes colles peditum viderent discessum, contemptis equitibus, in planum sunt progressi: et licet numero essent inferiores, illis tamen pugnandi copiam fecere, et equites cum illis congredi non ausi, undique vociferantes discurrebant, et hic hostes aggrediendos esse clamabat, alius vero pedites revocandos vociferabatur, erantque omnia tumultus et clamoris plena, cum interim tamen nemo gradum promovere aut confligere auderet. Stetere igitur Schafhusenses non sine magna equitum ignominia ad pugnam parati: illi vero timore perculsi, peditum expectabant adventum, quo illorum auxilio hostes aggredi et profligare possent. Tandem vero cum nox adveniret, nec pedites diu desiderati adessent, cum magna indignatione discessere, omnem culpam in pedites rejicientes, et ut facilius propriam tegere possent ignaviam, confestim ad Cæsarem, et eos qui in aula pollebant, ex suis quendam mittunt, qui infensissimis verbis pedites accusaret, quod revocati parere noluissent, quo rei bene gerendæ occasionem tam turpiter è manibus dimisissent; et universos incusaret pedites: præcipue tamen in Nurenbergenses invehebatur, asserens, illos clam cum hostibus sentire, et nihil magis quam Cæsaris damnum et ignominiam exoptare. Magnus igitur rumor in aula est ortus, peditesque omni convitiorum genere sunt conscisi. Hoc cum audivissem, Cæsarem adivi et rogavi, ne temere rumoribus istis fidem adhiberet; sed quemadmodum hucusque fecisset, rem diligenter exploraret, sicque deinde inter pedites et equites recte discerneret. Haud enim decere, ut inauditi condemnarentur. Quantum vero ad Nurenbergenses pertineret, relictos apud eos ostendi contubernalem illum meum Johannem de Beiersdorff, ac tribunos, multis ei cognitos annis, homines rei bellicæ peritissimos, et qui nihil magis quàm honorem et commodum ejus defenderent, ac ideo me haud dubitare, quin optimam rerum gestarum rationem reddere possent. At Cæsar me quiescere jussit, donec plane res esset comperta, ac tum se æquum judicem fore promisit, subridens obiter, ut facile animus ejus cognosci posset. Non enim ignarus erat, quid sibi de equitatu illo, præcipue Franconico, polliceri quiret. Ipse paulo post Neoburgum est profectus, oppidum à præterfluentis Rheni impetu fere absorptum, quo haud longe à Basilea abesset, et facile quid ibi ageretur, posset percipere. Fiebant interea nihilominus excursiones quotidianæ, multaque prælia tumultuaria committebantur, in quibus jam illi, mox alii aut vincebant, aut superabantur, sæpiusque Helvetii insulam Brigentini lacus, quam Reichenau appellant, occupare sunt adnisi: Verum semper à præsidio, quod eo loci excubabat, viriliter sunt rejecti.

Ceterum de pace facienda res in longum procedebat, cum utraque pars conditiones alteri intolerabiles proponeret, ac utrinque damna accepta resarciri peterentur. Et licet Mediolanensis Legatus omnem adhiberet operam, ut tam immane sedaretur bellum, incassum tamen omnis labor consumebatur. Utraque enim pars haud quaquam se suscepti belli pœnitere asserebat, sed in pervicacia sua quasi obstinata perdurabat.

Interea Cæsar Friburgum est regressus, cui ego cum Nurenbergensium copiis (jam enim supplementum advenerat) occurri, instructamque aciem quadratam octingentorem peditum, junctis equitibus ac tormentis, oculis ejus subjeci. At ipse obequitans et cuncta contemplans, non parum ornatis oblectatus est copiis. Etenim cum omnes eodem ac

rubeo amicti erant colore, ac splendidis muniti armis, telisque instructi aptissimis, longe quoque majorem præ se ferebant numerum: Maxime vero pyxides majores, quæ decem numero erant, Cæsari placuere, et quod eum exoneratione tormentorum delectari sciebam, ad jaculandi certamen invitavi. At ille nihil moratus, confestim ex equo descendit, et majori inter reliquas pyxide ad scopum directa, jactus certitudine omnes tormentorum superavit magistros: quam ob rem non parvo gaudio perfundi est visus. Hanc oportunitatem peditum tribunus ac centuriones nacti, illum aggressi sunt, et objecta diluerunt crimina, ostendentes, hæc omnia ab inimicis, ut propriam excusare possent ignaviam esse conficta: Orare igitur, ne temere fidem calumniis adhiberet, sed diligenter rem, ut gesta erat, perscrutaretur. At tribunus ipse longe acerbioribus verbis causam suorum egit. Maxime (inquit) Cæsar, quinquaginta jam sunt anni cum primum militare cœpi, ex quibus ultra triginta (ut tu optime nosti) sub sacris tuis consumpti sunt auspiciis. Hoc toto tempore nulla unquam existimationi meæ nota fuit inusta, sed semper, et cum privatus essem miles, et cum honestissimos ducerem ordines, ita me gessi, ut et laudem et gloriam non vanam sæpissime sim consecutus. Cujus rei te optimum habeo testem, à quo toties tam in Gallicis et Ungaricis, quam bellis Germanicis à tua pietate sum laudatus, ac militaribus donis largissime honestatus. Soli nunc æmuli non tam mei, quam Reipublicæ Nurenbergensis famam meam ac commilitonum denigrare quærunt, nulla mea aut Nurenbergensium culpa, sed ut propriam ignaviam aliena innocentia contegere possint. Accusant nos, quod cum hoste congredi noluerimus, cum tamen is pugnandi potestatem haud fecerit. Tam diu etiam in acie stetimus, donec ipsi nos ad castra redire jussere. Sed revocati, ut ajunt, parere noluimus. Verum ostendant, qui nos unquam revocarint, aut reverti jusserint: et si illud fuerit comprobatum, nullam recusamus ignominiam, aut pœnæ notam: quamvis si etiam reversi fuissemus, hostes tamen adventum nostrum per colles altissimos, per quos transeundum, facile percipere potuissent, ac prius se in tutum recepissent, quam nos illac pervenire valuissemus. Verum cur non potius, postquam nostrum accusant timorem, propriam vero extollunt audaciam, ipsi sine nobis cum hoste sunt congressi, equites cum peditibus, plures cum paucioribus, nobiles cum rusticis, ut illos appellant? præcipue cum ille in planum prodiret, ac pugnandi faceret copiam. Verum illi iidem sunt, qui et antea hostes ab Storacensi obsidione digressos, in campis etiam latissimis adeptos aggredi non sunt ausi: Illi sunt, qui nullum unquam virtutis exhibuere specimen, et tamen (si Diis placet) aliorum famam denigrare contendunt, quoniam propriam ignaviam haud aliter, quam innocentium calumnia palliare queunt. Ceterum ne longius rem producam, breviter assero, cunctos qui nobis tam turpem timoris notam inurere sunt ausi, perversissime esse mentitos, sat scio, quosdam hic præsentes esse, qui technæ aut fraudis hujus fuere participes. Prodeant in apertum, et ni eos tam verbis quam manibus de mendacio convicero impudentissimo, ultimum subire non recuso discrimen. Verum non solent palam rem agere, sed quemadmodum aperto Marte cum hostibus congredi non audent, ita non nisi clam, et tanquam cuniculis quibusdam occultis, innocentium famam expugnare nunquam desinunt, solum vana nobilitate et equestri militia gloriosi, cum tamen vix gregariis, ne dum veteranis militibus, virtute æquari possint. Ceterum quam paratam nos omnes operam debitamque Majestati tuæ obedientiam, præcipue in hoc bello, præstiterimus, tu ipse nobis testis es optimus. Quemadmodum igitur ad finem usque strenue perdurare, et nec vitæ nec sanguini nostro ob tuum honorem et gloriam parcere sumus parati, ita pietatem tuam obnixe rogamus, ne æmulis nostris fidem prius adhibere velis, quam manifestam veritatem plane didiceris. Hæc ut nobis erunt gratissima, ita maxime tuam decent Majestatem. Hæc cum ille magna voce, in magnaque Principum ac optimatum equis insidentium corona perorasset, ac plerique insidiarum etiam adessent artifices, nemo tamen vocem emisit, sed altum fuit silentium. At Cæsar non solum benigne nostram excepit excusationem, sed etiam honorificis admonuit verbis, ut quemadmodum coeperamus, ita enim ad finem usque strenue perduraremus, meque ac contubernalem meum equitem auratum de *Beyersdorff*, insignibus equorum donavit tegumentis, et ut ad oppidum Lauffenberg pergeremus, jussit, ac illud, si necessitas ingrueret, fortiter tueremur est hortatus. Certior enim factus fuerat, Helvetios, si pax minus procederet, confestim illud Gallicis tormentis invasuros: ac ideo valido illud præsidio munire constituit. A Cæsare igitur digressi, ac sub tentoriis pernoctantes, ad ostensum nos expediebamus iter, non tam læti, quod ille adeo benigne nostram accepisset excusationem, quam quod à timidissimis ac perfidissimis illis divelleremur equitibus, qui nihil aliud agebant, quam ut assiduas nobis struerent insidias, talesque contra nos concitabant seditiones, ut longe minus hostilis metuenda esset invasio, quam commilitonum nostrorum perturbatio.

Per Neuburgum igitur ducentes, Basileam compositis prætergressi sumus ordinibus. Hinc ad Rheinfeldum applicuimus, ac tandem oppidum ingressi sumus Lauffenburg, ubi commeatus magnam copiam, ac justo nacti sumus precio. Milites igitur multis laboribus defessos longisque ac difficillimis debilitatos et attritos itineribus abunde refeci et instauravi, ibique ad exitum belli usque perduravi, quotidie hostilem obsidionem et Gallicorum tormentorum expectans invasionem. Quam tot instructus machinis ac militibus, præcipue pyxidiferis munitus, summopere exoptavi, ut liqueret, quid Gallorum posset jactantia, qui Helvetiis trium horarum spatio murorum promiserant dejectionem.

Interea Gallorum rex Helvetiorum militum, qui quotidie ad illum confluebant, auxilio Ludovicum Ducem ex universo Mediolanensi ejecit statu. Id cum Legatus percepisset, rursus magno conatu de pacis conditionibus agere cœpit, ac utriusque partis legatos ingentibus sibi obnoxios reddit muneribus, quo promptius illorum opera ad pacem conciliandam uti posset: Ac nihilominus tam Cæsari quam Helvetiis immensas promisit pecunias, quo damna utrinque illata Mediolanensi resarcirentur pecunia. Compositis enim rebus futurum Ludovicus sperabat, ut cum Cæsaris tum Helvetiorum armis in pristinum restitueretur statum, ac ideo nullis parcebat largitionibus, quo voti compos evadere posset. Verum quam fuerit spe illa deceptus, posteriora manifeste ostenderunt tempora.

Interim

Interim dum tam solicite de pace agitur, Præses, ut vocant, Silvæ Nigræ precibus me aggressus est, ac rogavit, ut ei auxilium contra rusticos quosdam, qui à Comitibus de Sultz defecerant, præstarem. Habere enim in animo, Cæsaris nomine vindictam ab illis exigere. Id illi haud gravate permisi. Junctis igitur copiis quatuor millium peditum, Equitum vero ducentorum in provinciam Kleckau nomine irrupimus, ac repentino adventu multos oppressimus mortales. At reliqui ad Ecclesias confugerant munitas, ibique de vindicandis precio villis ab ignis injuria agere cœperunt. Jamque fere transactum, et de pecuniæ conventum erat summa, cum Præses omnes eas pecunias in proprium usum convertere studebat. Qua injuria milites irritati, passim discurrentes omnia ferebant et agebant, villasque injecto igne concremabant: Estque temporis fere momento tota illa provincia culta admodum et amœna evastata. Id præses cernens, magna commotus est indignatione, siquidem arbitrabatur, non minus se detrimentum, quam hostes damnum sustinere: ac ideo milites acrius corripere cœpit. At illi impetu facto illum invadere parabant, et ni ego equitum intercessione tumultum hunc compressissem, proculdubio homini ob avaritiam tam intempestivam manus intulissent. Cedere tamen coactus est, et vitam celeri servare fuga, egoque rursus cum copiis Lauffenburgum sum regressus.

Inde cum paucis equitibus Basileam sum profectus, ut quidnam de pace ageretur, coram percipere, et de copiis meis aut dimittendis, aut retinendis deliberare possem. Post biduum igitur, quam illuc pervenissem, pax talibus firmata est conditionibus, ut illam utraque pars, non solum sibi utilem, sed etiam admodum honestam censeret. Nec mirum: quum Mediolanensis Legatus non tam durissima hominum corda fulvo ac mollissimo declinaverat auro, quam discordias cunctas magnis utrinque sopierat largitionibus. Eam enim unicam viam esse censebat, per quam Dux ad statum suum redire posset. Verum quia Helvetiis promissum aurum totum nequaquam parata pecunia exsolvi poterat, ipsi vero nec verbis nec literis confidere vellent, sed sponsores exigerent, cum Constantiensibus actum est, ut illi jurisdictionem, quam vocant, provincialem Turgeuensium, quam tum usurpabant, Helvetiis pro viginti aureorum millibus, pignoris loco assignarent, donec summa illa esset soluta. Constantienses igitur, ut Cæsari gratificarentur, et quia Mediolanensis legatus confestim, postquam domum reversus esset, pignus se soluturum spondebat, præbuere assensum, non solum Cæsaris benevolentiam, sed Ducis liberalitatem, ac dona ingentia inde sperantes et expectantes. Verum quia paulo post Dux Ludovicus captus, et in Galliam abductus est, pecunia illa insoluta remansit. Quapropter Constantienses jurisdictione illa omnino sunt privati, eamque Helvetii in præsentem usque usurpant diem, non sine magno Constantiensium jactura ac detrimento. Sequenti die, utriusque partis legati, ad majorem convenere Ecclesiam, ubi publice ob confectam pacem, Deo gratiæ sunt actæ. Verum dum sacris opera impenditur, subito in multis locis circumjectis fumus obscurus emergere cœpit, quem mox et flamma secuta est clara, ita ut eodem momento cuncta igne relucerent. Ad tam fœdum igitur spectaculum, tota fere civitas concurrit, ac ex edito loco, in quo templum situm erat, incendium prospectavit, siquidem equites qui apud Rheinfeldium in præsidio erant, Rhenum transgressi, omnia ferro ac igne vastabant, Helvetiis ob pacis tractationem negligentius agentibus nec ullam expectantibus invasionem. Populus igitur Basiliensis indignatione permotus, ad arma conclamat, quibus acceptis ad munitiora urbis loca, præcipue vero Rheni pontem veloci cursu devolat, omnia strepitu ac clamore implens, ignorans obiter quid ageret, quove iret, donec magistratus, tumultum hunc tam temere ortum compesceret: qui profecto tam Cæsaris legatis, quam mihi ipsi non parvum timorem incussit, cum multæ palam voces exaudirentur, cohortantes, ut cuncti Cæsareani obtruncarentur. Et hic clamor manifestum per se tulit indicium, defectionis ab Imperio, quæ mox est sequuta. Postridie ad Lauffenburgum sum regressus, mecumque perrexit legatus Mediolanensis Galeatius Vicecomes, cum quo mihi prius amicitia intercesserat. Cumque Lauffenburg venissem, copias militares eduxi, et in conspectum ejus subjeci; quibus visis lætatus est, et rogare cœpit, ut cum illis in subsidium ducis sui properarem. Cui ego respondi, haud decere me, ut inconsulta Norimbergensi Republica alienis me implicarem negotiis. Hoc tamen illi tum dedi consilium, cujus et postea sæpe memor fuit, ne nimium fideret Helvetiis, quorum fides illi nondum esset comperta.

Hoc igitur modo tam funestum bellum est finitum, cum utriusque partis calamitatibus haud parvis, nec non amissione multorum ac optimorum militum, cum interim nihil alterutris accederet, quam quod ante discordiarum possederant initium. Verum ut postea compertum est, si bellum longius fuisset protractum, Helvetii nequaquam perdurare valuissent. Antea enim alienis soliti erant militare stipendiis: In hoc vero certamine unusquisque propriis expensis in militiam exire cogebatur: quod illis videbatur durissimum, et hanc ob causam milites quotidie à signis dilabebantur, et ad Gallorum confugiebant regem. Accedebat præterea frumenti inopia magna, sed præcipue salis penuria intoleranda. Nam Helvetiorum jumenta, ob nimis pinguia ac læta pascua, multis obnoxia sunt morbis, nisi quotidie illis large salis subveniatur remedio. Ex Gallia igitur, cum ex Germania negaretur, salem advehere tentarunt. Sed illud armenta penitus respuebant, utpote ex aqua confectum marina, licet iterum unda dilutum, et igne esset concretum. Tandem vero fortuna, vel Mediolanensis ducis infortunium talem illis obtulit belli exitum, qualem illi ne sperare quidem fuissent ausi. Magnam tamen veræ virtutis et rei militaris obtinuere existimationem, cum nihil temere aut inconsulte agerent, sed in omnibus virtuti plurimum, fortunæ autem minimum tribuerent: præcipue vero imperio et jussis Ducum obtemperarent, ita ut nec consilia factis, nec facta indigerent consiliis. Id si Cæsareani fecissent, procul dubio egregiam reportassent victoriam, cum non solum peditum numero essent superiores, sed et equitatu florentissimo instructi, ac in cunctis aliis, quæ ad bellicum pertinerent apparatum, longe præstarent: animi autem virtute cederent minime. Verum dum nimiam audaciam maturis præferunt consiliis, talem sensere eventum, qualem contemptus et nimia parere solet temeritas. Ceterum videntur

Helvetii in hoc bello quasi novissimum virtutis suæ præbuisse specimen. Nam quæ deinde ad hæc usque egere tempora, nequaquam cum ipsorum conveniunt initiis. *Sed ita in rebus evenire solet humanis, ut humilia incrementa fastus tandem et superbia etiam sequantur: quibus mox avaritia, et omne genus vitiorum associatur, ita ut nihil denum turpe censeatur, aut inhonestum, quam quod lucro caret, aut propriæ libidini minus satisfacere videtur.* Helvetii etenim nequaquam tot Mediolanensis Ducis permoti beneficiis, paulo post non solum illum turpissime deseruere, sed etiam Gallis prodidere, seu potius auri fame illecti, non tantum in ignominiam propriam, sed in perpetuum universæ Germanicæ nationis contumeliam, quæ ob tam nefandum Germanorum hominum commercium pessime apud exteras nationes audire cogitur: Cujus profecto sceleris sæpius postea manifestas dedere pœnas. Nam semel atque iterum in regno Neapolitano cæsi et profligati sunt: mox et in regno Navarræ, cum Gallis militarent: deinde orto inter eos et Gallos dissidio de Mediolanensi Ducatu, magna clade Germanorum auxiliis superati, et in fugam sunt conjecti, quasi duci in eisdem campis ob commissa parentarent facinora. Deinde cum rursus cum Gallis in gratiam rediissent, ac Gallorum rege in Papiensi obsidione capto, iterum turpiter victi et cæsi sunt.

Verum ego hæc aliis scribenda relinquo, postquam ad exitum perduxi, quæ sub initium constitueram. Finito bello, ego copias meas Freiburgum perduxi, ibique soluto stipendio Norimbergam eas remisi: Quo et ego paulo post cum equitibus perveni: ubi rerum omnium ratione reddita, ob operam diligenter navatam, publice sum laudatus, ac honoris ergo insigni aurea patera à Senatu Norimbergensi donatus. Quem etiam honorem postea Cæsaris auxere literæ, quibus Norimbergenses ob tam prompte missum commendavit auxilium; siquidem in eis mei tanquam præfecti perquam honorificam fecit mentionem, ac me postea semper summa prosequutus est benignitate ac clementia, ita ut etiam nec ambientem, nec petentem, in Consiliariorum suorum legerit numerum: quod quidem non tam in meam redundavit utilitatem aut honorem, quam in publicum Norimbergensium commodum et salutem. Quotiescunque enim deinde publico nomine ad illum fui legatus, semper et benigne sum auditus, et perquam clementer dimissus, aliquoties etiam honorificis muneribus donatus. Quem etiam honorem nepos ejus piissimus ac maximus, Cæsar Carolus, qui nunc imperat, non solum continuavit, sed et ultro ac propria sponte auxit et amplificavit, multisque aliis immunitatibus et præeminentiis me decoravit.

FINIS.

HENRICI LORITI GLAREANI

DESCRIPTIO HELVETIAE,

NEC NON

PANEGYRICON XIII. HELVETIAE PARTIUM.

CUM

COMMENTARIIS

OSWALDI MYCONII LUCERNANI.

OSWALDUS MYCONIUS
LUCERNANUS
CONSULIBUS ET SENATUI
TIGURINO,
S. D.

VIDI hactenus eos, qui ingenii monimenta posteris commendare statuerunt, quæsisse operum suorum defensores, ne quis forte judex iniquior ore invido obganniens contaminaret ipsorum scripta, efficerétque ne laus foret integra, quam alioqui ex bene dictis essent consequuti. Ego vero hujusmodi blaterones nihil morans (quamvis plurimos futuros provideam) has qualescunque ingenioli primitias vobis dedico, primum respiciens, quod vobis jampridem cohabito, sustentatus salario probatissimorum virorum collegii divi Felicis, et Regulae, quos equidem ut pro singulari doctrina, honestate, atque in me benevolentia non possum laudibus tollere condignis, ita minime attento. Dein vero, ut intelligeretis, quo animo essem adfectus erga Senatum Tigurinum, quodque eum dignum judicavi, qui ob eximiam Prudentiam, Justitiam, Severitatem, Clementiam, Abstinentiam, atque Mansuetudinem apud posteros agnosceretur. Accedit, quod urbs vestra in Helvetiis prima est, quamobrem cui condignius, quod ad totam Helvetiam attinet, offerrem, quam vobis? Sed, quid id tandem est? inquitis. Commentariolum in Glareani Poetae doctissimi carmen de Helvetia. Quod quidem à multis lectum, à paucis vero intellectum cum haberetur compertum, adierunt me ex Glareani discipulis quidam rogitantes, ut præceptoris opusculum redderem lucidius. Sic enim sibi persuaserunt fore, ut et à pluribus legeretur, et lubentius, utque hoc modo Helvetiorum laudi nonnihil accessurum esset. Repugnavi principio, fateor, virium mearum diffidens, sed ubi cognovi in illis spem de me esse, ut id oneris possem sustinere (sunt enim tales, quibus judicium in hac re deest minime) provinciam suscepi, atque ad finem perduxi: quam auspicato, aliorum sit judicium. Illud vere dico, nihil rerum Helveticarum esse adnotatum, quod non sit vero verius. Si non ita eleganter, ut nostro saeculo respondeat, non admodum curamus, contenti indicasse, præsertim primi, uti res habet. Verum quod dicti adulescentes fecerunt impulsando, ut ad commentariolum me accingerem, id egerunt postea discipulorum meorum quidam, ut congestum in lucem extruderem. Inter quos primus Felix Myconius filiolus meus, ejus spei puer, ut de ipso expectem, quicquid de optima quaque indole expectari potest. Deinde Martinus Publicola, Nicolaus Trochulus, vernaculi mei; Ludovicus Sprinlius Tigurinus, et Nicolaus Hagius Salodorus, optimæ spei adulescentes. Atque intantum me precando sollicitarunt, ut tandem persuaserint, quemadmodum videtis. Vestrum igitur nunc est, munusculum hoc meum accipere ea fronte, qua ego offero, neque cogitare, quam sit impar magnitudini vestræ (quod et ipsi novimus) sed animum meum, qui in hac re tantus, ut si tam eum videre possetis, quàm ego, conspicaremini magnitudinem ejus, magnitudini vestrae parum cedere. Sed novistis pro singulari prudentia, munera non amplitudine, non precio aestimari, sed animo dantis. Sic mihi persuasum habeo, etsi nihil aliud, tamen raritatem hoc munusculi gratum vobis efficere, hactenus enim nullum vos tale accepisse, sat scio. Praeterea et illud gratiam conciliabit sine dubio maximam, quod chartaceum est, solent namque hujusmodi dona esse perpetua, et illos perpetuos reddere, qui iis ipsis sunt munerati. Qua re apud veteres nihil existimatum est majus, aut preciosius, utpote qui consyderarunt, quàm foret prorsus homini indignum, ita mori, ut nulla ipsius memoria dé rebus bene actis relinqueretur. Jam igitur facite, digni hoc sitis munere, quod quidem tum fiet, cum benigne suscipitis. Valete in usum Reipublicae Tigurinae, et totius Helvetiae, meque vobis habete commendatum. Ex Tiguro undecimo Calendas Februarii. Anno M D XIX.

D. HENRICO UTINGER TIGURINO, TIGURINAE ECCLESIAE CANONICO, COMITI PALATINO, VIRO PERQUAM COLENDO,

HENRICUS GLAREANUS HELVETIUS, POE. LAU. S.

CUM NUPER in itinere tuo, ex Argentorato ad Tigurum, vir præstantissime, Basileae optima illa tua mihique gratissima interpellandi consuetudine me viseres, conferremusque quam plurima de instituenda juventute Helvetica, ut aliquando hostium judicium (qui nil nisi ignorantiam ignorantes objiciunt) falleremus, tandem in nostrae patriae antiquitates longiore, quam nos ipsi putavimus, sermone (nescio quomodo) incidimus. Coepi ego meipsum opportune colligere, quaeque de Helvetia apud optimos quosque, aut reperissem, aut invenissem autores, congerere, posterisque tradere, et ad majora invenienda ansam praebere. Neque ab hoc instituto deterruit me, quod non dubitem et reprehensores adesse, et maledicos carminum meorum judices. Quis enim nescit quot annis, et fortiter, et patienter Helvetia ejusmodi hominum balatus tulerit? nonnunquam ora rugientia contuderit? Aut cur mihi veniam darent, qui toti patriae petulantissima lingua non pepercerunt? Quibus neque satis fuerat nostrae invidere gloriae, sed et in maledicentiam ora commovere, quod forsitan de suis aut nihil dignum lectu inveniunt, aut si inveniunt, sua tempora à majorum gloria longissime delirare conspiciunt, indeque occasionem honestam accepisse in nos clamare, tanquam Christiani non simus, ceu neque rationem, neque hujus usum habeamus, quod libertatem nostram, quod justitia et armis tueamur, quod non, ut servi, tyrannis audientes simus, quod rempublicam nostram juste augeamus. Quasi vero melius sit Porsenae servire, quàm Mutii exemplo, inconcussum animum in igne et minis gerere. Sed quis nihili viris istis, qui se ut maledicant, aut existimant, aut natos opinantur, rictus impudentissimos obstruet? dimittendi sunt potius, quod famae exordia diris imprecationibus auspicantur, gloriamque quam invidentibus fatis assequi non possunt, fortissimis invident Heroibus. Unum me consolatur, cum in Helvetia plurima et praeclara ingenia hodie sint, virique docti quam plurimi, qui et carmine et soluta oratione plusquam valeant (quales Durani duo, Uldricus Zinglius Doggius, Joachimus Vadianus; deinde et Henricus Lupulus Arctopolitanus, praeceptorque meus Michael Rubellus Erythropolitanus, cujus moribus ne Momus quidem inviderct; sed quid treis Amorbacchios, Brunonem, Basilium, et Bonifacium, urbis Rauriacae sydera memorem? aut quomodo reliquos quam plurimos, brevi hoc epistolio enumerem?) nullum tamen fuisse, qui in alias nationes vel dicto vel scripto stomachatus fuerit. Quod ego quoque quanti faciam, demonstrabit luce clarius hoc in carmine modestia mea, cum nostra laudem (quis enim de suis non magnifice loquitur?) aliena nusquam vituperaverim. Ad te redeo, accipe de urbe Tigurina, atque tota Helvetia, quæ ex pluribus et dignissimis autoribus, non sine magno labore corrasimus, quæ etsi mihi imperfecta etiam nunc videntur, suo tempore cum aliis nostris operibus et emendatiora et locupletiora dabo; nam plurimorum rogatu in studio nostro Basilico, hæc, qualiacunque dijudicentur, diutius occulere nequivi. Vale felix. Basileae An. MDXIIII.

PRAEFATIO OSWALDI MYCONII LUCERNANI IN GLAREANI CARMEN DE HELVETIA.

QUAM difficilem rem sit Poeta noster aggressus in describenda Helvetia, vel hinc manifestum, quod ducem, cujus vestigia notaverit, habuit neminem. Hactenus enim (ut verum fatear) parum apud nostros tributum est literis, quocirca qui illis dederint operam, fuerunt paucissimi. Eo modo res omneis, quas et regio ipsa laudabiles continet, et quae a viris Helveticis tum prudentia, tum fortitudine, non absque ingenti gloria sunt gestae, usque adhuc jacuerunt. Sed quod nulla ferme pars est hodie totius orbis Christiani, quae non fertilis sit ingeniorum, aedidit et nobis praeter caeteros Helvetia Henricum Glareanum virum, de quo dubites doctior ne sit, an melior. Is inquam pro ratione Geographica ejus terrae descriptionem suscepit, id quod Titulus indicat, adjunctis quatuor Pagis, de quibus Cæsar meminit, atque Panegyrico laudatissimi, pariter et justissimi Helvetiorum foederis. Cujus quidem descriptionis (ut breviter dicamus) hujusmodi retinet formulam. Invocat, materiam exponit negotii, Helvetiam a quatuor mundi partibus depingit, atque totius Europae locum aeditissimum esse demonstrat. Naturam aperit regionis, et fontes, cum adnexis pagis, adjacentibusque populis: concludens demum, sic Deum ab exordio mundi prudenter, ut omnia, disposuisse. Quid in Panegyrico contineatur, suo loco dicemus. Lector hic obiter admonendus, Helvetiæ vocabulum apud veteres nunquam inveniri, sed Helvetios. Neoterici tamen eo utuntur non absurda Analogia. Videntur enim nomina in ia fere a populorum pluralibus descendere, quemadmodum Italia ab Italis, a Germanis Germania, et mille hujusmodi, quanquam nos minime praeterit, non ubique id ita servari. Verum satis nobis est, vel Erasmum hoc nomine usum, ubi dicit: Jam Helvetia nobilior armis, quam literis.

HEN-

HENRICI GLAREANI DESCRIPTIO HELVETIAE.

Pierides nymphæ, Boeotia numina, Musae,
Fundite Pegaseum per inertia membra liquorem,
Euge chelym Vatis, dulcesque agitate camoenas,
Helvetia enim cantanda mihi, gens inclyta bello:
Gens Aquilam, gens terribileis imitata leones.
Causam ortus nostri, quis sit quoque foederis autor,

COMMENTARIUM.

Pierides Nymphæ.) Invocatio. Pieria apud *Strab. Lib. X.* locus Musarum est in Macedonia, quem olim habuere Thraces, et a *Pomponio Lib. II.* Musarum parens, domusque vocatur: hinc Pierides appellatæ. *Festus* putat a Pierio monte dictas. Non igitur a Pieri filiabus a Musis cantando victis, ut fabulatur *Ovid. Lib. V. Meta.*

Boeotia numina.) A Boeotis cultæ. Appositorie dictum.

Fundite.) Administrate. Fundite autem dicit, quia sequitur

Pegaseum liquorem) Refert *Ovidius* Pegasum equum alatum ex guttis ortum Medusei capitis a Perseo amputati, fontem ungulis aperuisse in Helicone monte, quem Hippocrenen dicunt. Hujus fontis aquam Poeta flagitat, hoc est, scientiam, nihil enim aliud aqua significare videtur. Ut etiam in divinis literis ubique supernæ legis notat cognitionem.

Inertia.) Indocta. Attenuatio est.

Euge.) Hortantis est.

Chelym.) Citharam.

Dulces agitate camoenas.) Dulce carmen movete. Camoenae Musae dicuntur a carminibus, quod antiquorum laudes canunt. Vel quod sint castæ mentis præsides, ut *Festus* scribit.

Helvetia.) Emphasim habet q. d. Regio tam nobilis, tam potens, tamque eximia.

Gens inclyta bello.) *Baptista Mant.* contemptores animae, *Erasmus Roterod.* gentem bello natam appellat. Illud adjiciendum: Helvetios hujusmodi bellatores semper extitisse, ut qui a justitia ne latum [ut ajunt] digitum abscesserint unquam. Ne semel quidem [quod sciam] in hostes profecti, nisi dum pacem aliter impetrare nequiverunt, [de mercede a Principibus conductis nihil loquimur]. Confligentes cum hostibus tam acres se præstiterunt, ut cum quibus conferantur, non facile reperias. Tam non post victoriam in victos saevierunt, ut complures etiam ad mortem saucios vulneribus ligatis domum per suos dimiserint. In primis vero militiæ caverunt sacramento, ne rebus Deo sacris manus violentæ afferrentur, senibus item, mulierculis, imbellique virginum, viduarum, ac puerorum turbæ parceretur. Surda igitur aure, tuum est, candidissime lector, prætereas eos, qui nescio quam truculentiam, quam impietatem, quam denique plus quam ferinam naturam Helvetiis adscribunt. Non enim veritatis ratio, sed invidia tales [nominibus libenter parco modestiae Poetae nostri memor] stimulat, quae, quo hominum genus plerumque impellat, te nimirum haud praeterit.

Gens aquilam.) Haec animalia procul amoto pavore omnia aggrediuntur. De aquila nanque scribit *Plin. Lib. X.* Ipsam pugnare cum cervis, et draconibus. Erasmus quoque in Scarabeo suo hujus avis naturam mirifice depingit. Leoni quanta insit generositas, nemini reor incompertum. *Plinium* de leonum natura lege *Lib. VIII.* Et *Solinum Cap.* 36.

Causam ortus nostri.) Id est quur foedus Helvetii incoeperint. Hujus rei causam fuisse palam liquet Tyrannidem nobilium, quos Comites primum Habspurgenses, dein Principes Austriae, Suitiae, Uriae, ac Sylvaniae incolis praefecerant, postquam volentes in potestatem se illis dediderunt. Nam dum sibi, non patriae gesserant imperium, tamque superbe ac truculenter fecerant, non quod jus erat, sed quod libuerat, penitusque incubuerant ad hoc, ut sibi bene, suis autem esset male, non poterat tolerari diutius insolentia ita omnibus modis imperiosa, quapropter nonnulli, qui non minima pars fuerant ejusmodi calamitatum, ceperunt consilium, quo et se et suos in libertatem assererent. Huc igitur deventum, ut Tyranni exterminarentur, percuteretur quo foedus totius communitatis consensu, quod velint libertatem adeptam, quoad valeant, Dei subsidio defendere.

Autor.) Primus inceptor, liceat sic dicere. Is autem fuit Guilielmus Tell Urius, de quo statim dicemus.

Tantique imperii, cur pomum fronte pusilli
Invisum certa figis Guilielme sagitta:
Quod studium, quæ sit populi nascentis origo,
Non nostris puto carminibus celebranda, nepotum 10
Officium id, maneat nostros ea cura minores.
Illius auspicia, et famae immortalis honores,
Quisve typus patriae, quae forma, quibusve remensa
Limitibus, gracili cordi est mihi ludere versu.
Principio antiquos solis contingit ad ortum 15
Vindelegos, et pugnacis fera castra Briganti,
Cæretiásque Alpes; spacioque remota parumper
A Leopontinis Aetuatica rura colonis

Tanti imperii.) Respectu originis.

Cur pomum f. p.) Apostrophe ad Guilielmum. Nosse hoc loco Tyrannidem ejus, qui Uriis et Suitis olim dominabatur, necesse videtur. Eo namque vecordiae processerat, ut pileum apud Urios publico itinere sublatum tam venerari mandarit, quam si ipse praesens consisteret. Guilielmus ille mandatum, ut prorsus iniquum, aliquoties neglexit, quare comprehensus Tyranno sistitur. Interrogatus temeritatis causam, imprudentiae adscribit, petitque veniam. Tyrannus responsi negligens jubet tacitus Guilielmi liberos adduci, et hunc cogit inter hos lectissimo ex vertice sagitta malum deturbare, hoc tamen praetextu, ut experientia sciret in illo sagittandi artificium, quod toties miris laudibus vehi animadverterit. Jam re feliciter peracta, telum posteriore a Guilielmo insertum pectorali, Tyranno suspicionem injicit: verum causam non prius extorsit, quam vitam pactus est. Tum inquit ille, reservatum in Tyranni exitium, si filiolum confodisses. Indignabundus Tyrannus confestim praecipit ligatum conjici in navim, abducique Suitiam ad perpetua vincula. Et jam medium lacus [Lucernano huic nomen] tenebant. Tunc vero tam ingens repente oboritur tempestas, ut salutem desperarent omnes, adclamarentque uno ore ad dominum pro Guilielmo solvendo, ut ipsos servaret. Jussu itaque illius solvitur, adprehendit clavum, navis in vado putabatur. Nec autem multo post, salutis spem concipit, saxo non admodum extante procul ad littus conspicato, quamobrem famulos Tyranni hortatur, remis insurgant, ita enim opus facto. Parent, raditur saxum, Guilielmus filiolo, arcu et telis arreptis [haec omnia navi cum eo fuerant injecta] in hoc ipsum repentino saltu infertur, et pedibus puppim quantis potest visibus in altum proculcat. Cursim festinat per Suitiam in vicum quendam cognomine Cavum a Kussnacht pago porrectum ad lacum usque Artensem, quem et Tuginum dicunt. Ibi quaerit insidias. Interim Tyrannus portum offendit. Transeundum erat illac, ubi Guilielmus latitabat. Postquam igitur contra insidiarum locum pervenit; ille telo emisso ipsum trajicit, deinde revertitur ad suos, rem totam, ut erat facta, commemorans. Post haec non longo tempore primum foedus a paucissimis initum est.

Certa.) Pomum enim tetigit. Sic certam dicimus manum, quae quicquid destinat, jaculo contingit.

Quod studium.) Scil. vindicandae libertatis. Illud quidem quam fuerit vehemens, apparebit facile superiorem consyderanti Tyrannidem, atque ea, quae brevibus jam adjungemus. Fuere enim Tyranni, qui uxores, atque filias suorum violenter abstractas non prius remiserunt domum, quam suae libidini satisfactum est, neque quisquam audebat contra impune, ne mussare quidem. Inter istos, qui Sylvanis praeerat, Landenbergius genere, oculis senem privavit, omnibusque bonis, quod filius ejus digitum fregerat servo, qui jussu domini conatus erat ex aratro jumenta abducere. At ille idem non multo postea securi in balneo percussus oppetiit, dum honestam Sylvani cujusdam uxorem adulterio contaminare pararet. Haec quidem quam maxima crudelitate perpetrata, quem non moverent ad libertatem quaerendam? Sunt enim ex quibus alia poteris cognoscere, ceu leonem [ut dici solet] ex unguibus.

Celebranda.) Cantanda.

Nepotum.) Posterorum. *VERGILIUS:*
Seris factura nepotibus umbram.

Auspicia.) Fortunam. *VERGILIUS:*
Me si fata meis paterentur ducere vitam
Auspiciis - - - - - - -

Exponit autem quid scripturus sit.

Typus.) Figura, et ad quantitatis refert descriptionem. *Τύπον* formam, figuram, adumbrationem Graeci dicunt.

Forma.) Respicit qualitatem, seu naturam terrae.

Limitibus.) Finibus, terminis.

Principio.) Narrare incipit, primum indicans quid Helvetia habeat ab oriente. Ponit omnia, quae secundum Geographos limitum obtinent rationem, ut gentes, oppida, lacus, flumina, montes, et si qua sunt hujusmodi. Ubi hoc notandum, nomina quaedam poni, quorum cognitio haberi non potest, nisi ex conjectura: in causa est vetustas.

Contingit:) Helvetia.

Vindelegos.) Populos, de quibus *Strabo Lib. IV.* sic scribit. *Rhenus quoque magnas in paludes, lacumque magnum effunditur, quem Caereti et Vindelegi propius attingunt.*

Briganti.) Oppidi vetustissimi ad caput lacus Constantiensis. *Ptolemeus* id adscribit Rhetis. *Strabo* vero *Lib. IV.* inquit, Brigantes pertinere ad Vindelicos. Hodie Bregantium dicitur. Lacus praedictus nomina quondam ab ipso oppido habuit. Nam *Solinus* Brigantinum, *Ammianus* Brigantiae lacum dixerunt.

Caeretiasque Alpes.) Caeretorum populorum juxta Rheni principium.

A Leopontinis.) Populis Rhetiae, teste *Strabone Lib. IV. Caesar Lib. IV. de bello Gallico* Leopontios ad caput Rheni statuit. *Ptolem. Lib. III.* Leopontiorum civitatem Oscelam ponit in Alpibus ad lacum Larium.

Etvatica rura colonis.) Rheno autem vicina omnium primi colunt Etuatici, quibus fluminis origo vicina

Trans Rhenum, molles ubi Rhetus pampinat uvas
Bellipotens, etiam si Suanica non regat arva. 20
Suanica, nostro aevo Herciniis habitata Suevis.
Hic primos fontes, hic dat duo cornua Rhenus
Monte Diaduella, longeque effusus in amneis
Acronium et Venetum, Romana ac barbara regna
In boream cursans amni crepitante diremit. 25
Insubres medium ad solem, atque Segusia prata
Prospicit, et quas persecuit ferus Hannibal Alpes.
Tum montes Ursella tuos, ubi spumifer exit
Coeruleo Rhodanus curru, qui turbidus arces

vicina est, in Diaduella monte: hic Alpium pars est, a quo Abduas fluvius in contrarium fluit ad interiorem Galliam, lacum implens Larium, cui proximum conditum est Comum. Dehinc in Padum confluit, haec iterum *Strabo Lib. IV.*

Rhetus.) Rhetos supra Comum ad Alpium radices *Strabo* jacere dicit, et pertinere ad Italiam usque, quae supra Veronam et Comum est, Tuscorum prolem, *Plinio* teste. Quidam eos arbitrantur a Gallis pulsos duce Rheto. *Ptolemeus* Rhetiam Adula monte, Danubio, Aeno, et Alpium montibus concludit. Vinum Rheticum inde dictum, quod inter preciosa vina numeratur. *VERGILIUS:*

- - *Et quo te carmine dicam Rhetica.*

Pampinat.) Decerpit.

Molles.) Alludit ad vini precium.

Suanica.) *Ptolemeus* Suanetas populos inter Rhetos ponit. Sed Poeta alludit ad Schanau oppidum hodie non Rhetorum, sed Suevorum.

Herciniis habi. Sue.) Hoc dicit quod nonnulli Suevi intra eandem sylvam, aliqui extra habitant. Autor *Strabo in VII.*

In Suevis.) Diaeresis est.

Hic primos fontes.) Rhenus apud Rhetos oritur, et ab Alpibus decidens prope a capite efficit Venetum et Acronium, mox diu solidus, et certo alveo lapsus haud procul a mari huc illuc dispergitur. Testis *Mela Lib. III.* Eundem describit *Caesar Lib. IV. de bello Gallico.*

Duo cornua) Duobus fontibus oritur, propterea hoc dictum. *VERGILIUS* aliter bicornem appellat.

Monte Diaduella.) *Strabo* testis, ut supra diximus.

Longeque effusus in amneis Acron. et Vene.) Acronium lacum hodie Constantiensem dicunt, Venetum autem Cellensem. Dubitatum est aliquamdiu Acromum ne an Acronium dicendum foret. Sed hanc dubitationem facile depulit hodie *Joachimus* ille *Vadianus* multae doctrinae vir, et mihi [quod in primis jucundum] amicissimus, in epistola ad *Agricolam* suum. Ibi namque Acronium dicendum esse apposite docet, ab *α* privativa particula, et Cronium, Saturnium et frigidum, a Κρόνος Saturnus, qui frigidus est, hoc significans, lacum ideo sic appellatum, quod minus frigoris vehementia prematur, et glacie. Venetus lacus a colore marino dictus, qui coeruleus est. Poeta *Joachimo* subscribens carmen hoc loco correxit, et amnes lacus vocavit, non nisi quod sint tam lucidi, tamque splendidi, ut amnes videri queant. Lacus autem amnis nomine posse dici κατὰ ταπείνωσιν quis ignorat?

Romana et barbara regna.) Romano etenim imperio Rhenus olim terminus erat, intelligitur Germania.

In Boream cur.) Septentrionem, cujus Boreas ventus est.

Insubres medium.) Quid Helvetiam cingat a meridie, demonstrat. Insubres populi sunt Galliae citerioris, quorum civitates sunt, ut *Ptole.* habet *Lib. III.* Novaria, Mediolanum, Comum, et Ticinum. Addunt quidam Laudam, et Vercellos. Insubrium meminit *Strabo Lib. V.* et *Plin. Lib. III.*

Ad medium solem.) Ad Meridiem.

Segusia.) Segusianos *Strabo Lib. IV.* in Rhodani et Dubidis fluviorum medio jacere dicit. *Caesar* non longe ab Allobrogibus collocat *Lib. I.*

Persecuit.) Perfregit. Respexit nimirum ad illud, quod est apud *Plutarchum:* Hannibalem in superandis Alpibus multa incommoda perpessum, non solum cum incolis montanis pugnando, sed etiam laborando adversus angustias, asperitatesque viarum, hoc modo, ut quibusdam locis per ingentia saxa, igni, acetoque putrefacta sibi aperuerit iter.

Ferus Hannibal.) Hannibalem prorsus depictum vide apud *Livi. Lib. primo. Decad. III. Juvenalis* quoque de eo sic meminit: *Sat.* 10.

- - *Opposuit natura Alpemque nivemque.*
Diduxit scopulos, et montem rupit aceto.
Jam tenet Italiam, tamen ultra pergere tendit.
Actum, inquit, nihil est, nisi Poeno milite portas
Frangimus, et media vexillum pono Suburra.

Ursella.) Vocandi casus, et Prosopopeja. Ursella, seu Ursula [utrumque enim latine] vicus est, et vallis ad radices Gothardi, centum fere stadiis, aut nonaginta distans a fontibus Rhodani. Quare additur,

Ubi spumifer.) Consyderandus hoc loco Poetae amor in bona studia, consyderandus labor infatigabilis, legit non pauca de Rhodano apud veteres scriptores [ut est in iis evolvendis mire diligens] nihil tamen hactenus invenit, unde certam de hoc flumine veritatem referret. Quocirca fontes ejus quaesivit, cursum secutus est ad lacum usque Lemannum. Id autem, quicquid est, brevibus adnotabimus.

RHODANUS Sedunorum fluvius ex Alpibus originem habet, eo quidem loco, quo ex Ursellana valle per Furcam montem in Sedunorum regionem iter est. Mons, sub cujus radice sunt fontes Rhodani, non saxis, non rupibus, non denique terra, sed perpetua glacie in altitudinem XVI. pene stadiorum insurgit. Utrinque feros habet montes, abjetibus, sylvestribusque arboribus virentes. Ipse suo candore iners jacet, horrendi [me Hercule] aspectus. Non gramen, non virgultum aliquod virescens, sed solam concretam, coacervatamque glaciei congeriem, ac si pluvia e coelo illic coaluerit, ostentat. Porro statim post fontes non ad Septentrionem [quemadmodum falso antiqui crediderunt] sed ad meridiem XXX. stadiis labitur, deciditque deorsum stadiis XVI. donec ad caput vallis Sedunorum, et ad oc-

Helvetias olim Romanis movit ab oris. 30
Hinc arva Allobrogum, et pendentia saxa Genevae,
Atque recursantes per inhospita tesqua Seduni
Et Veragri, gens undivomo bene nota Lemanno.
Denique ad occiduas umbras, Zephyrumque tumentem
Burgundos acres habet, et discrimen utrinque 35
Cervices o Jura tuas, qui Sequana rura
Scindis ab Helvetiis nunquam sine gramine campis.
Haeduus hinc late regnat, Romana secutus
Imperia, et consanguineos imitatus amicos.
Lingonicus post horrisonis furor aestuat armis 40
Nequicquam, et Leucos petit alta in foedera fratres.
Postremo arctoum, saevique Aquilonis ad axem,

cidens hyemale conversus, pervenit. Tum centum pene stadia eodem tractu currens, ad Zephyrum sese declinat. Deinde per Sedunorum, et Veragrorum terram labens, in Lemannum effunditur. Hactenus de Rhodano.

Helvetias olim Rom.) *Caesar* ab initio *libro primo* dicit: Rhodanum dividere provinciam Romanorum ab Helvetiis.

Allobrogum.) Hi populi sunt Narbonensis Galliae, qui Viennam habent ad Rhodanum, autore *Ptolem.* Idem *Strabo* ait *Lib. IV.* Hodie Sabaudienses appellantur.

Et pendentia saxa Geneva.) De Geneva oppido Caesaris verba subscribam, inquit enim: Extremum oppidum Allobrogum est, proximumque Helvetiorum finibus Geneva, ex eo oppido pons ad Helvetios pertinet. Pendentia saxa dicit, quod pars oppidi in montem extenditur.

Per inhospita tesqua.) Loca inhabitabilia, aspera, et difficilia. Talia nempe tesqua dicuntur *Cicerone* teste. Sunt et loca augurio designata.

Seduni.) Vallesiani dicuntur hodie, a Rhodani fontibus fere ad Genevam protenduntur, vallem habent amoenam, atque septam undique montibus. Rhodanus eam mediam dividit, patet in longitudinem D. LXXX. fere stadia.

Veragri.) Populi Sedunis finitimi supra lacum Lemannum, qui, ut conjectura est, Sedunensis sunt dioecesis. *Caesar* et de Sedunis, et Veragris *Lib. III.* meminit.

Undivomo Lemanno) Rhodanus a Lemanno et recipitur, et iterum evomitur, ideo dicit undivomo. Volunt quidam Alemannos inde traxisse nomen, verum *Quadratus* apud Agathium asserit Alemannos dictos, quod plerique Germaniarum populi in unum convenissent. De Lemanno *Strabo Lib. IV.* ad calcem. Et *Lucanus:*

Deseruere cavo tentoria fixa Lemanno.

Denique ad occid.) Quid Helvetiam circumscribat occidentem versus, exponit.

Zephyrumque tumentem) Idem cum eo, quod dicit, occiduas umbras. Zephyrus namque ventus ab occidente flat. Latine Favonius dicitur, testibus *Gell.* et *Servio*. Frequens est autem Poetis, regiones designare per ventos. Hunc tumentem dicit, nimirum, quod ejus naturae sit post hyemis saevissima frigora relaxare nivem, atque producere flores.

Burgundos acres.) Burgundos antiquitus vocabant Sequanos. Populi sunt Belgae ad Saonam fluvium, quos Jura mons ab Helvetiis separat. *Ptolem.* his quatuor tribuit oppida. Diatanium, Visontium, Equestre, et Aventicum. Quanquam postremum hoc *Cornelius Tacitus* praecipuam Helvetiorum urbem fuisse scribit.

Cervices.) Juga. A Poetis et montes dicuntur habere capita, cervices, ventrem, et pedes μεταφορικῶς.

O Jura.) Jura mons, ut modo diximus, Helvetios et Sequanos dividit, testis est *Caesar Lib. I.* et *Strabo Lib. IV.* Vulgus hodie appellat Leberberg. Quamvis illud non nesciam, aliter quoque appellari, idque pro gentium diversitate, quas attingit. A lacu Lemanno ad eum montem Caesar murum perduxit una die, fossamque. Proinde error est dicere, montem esse Alsatiae.

Nunquam sine gra. Campis.) Commendatio a fertilitate. Intelligit eos, qui sunt ad Lemannum.

Heduus hinc.) Hedui populi trans Ararim et Rhodanum Romanis se, apud *Strabonem Lib. IV.* consanguinitate conjunctos asserunt. Primique ejus regionis homines in illorum amicitiam, societatemque convenerunt. *Caesar* quoque asserit *Lib. I.* Heduos saepenumero ab senatu Rom. fratres, consanguineosque appellatos. Quare Poeta etiam subdit: Romana secutus imperia etc.

Lingonicus.) Lingones *Ptolemeus* supra Helvetios ponit. *Strabo Lib. IV.* inquit: Supra Helvetios et Sequanos et Hedui et Lingones in occasum vergentes habitant. Supra Mediomatricos Leuci, et quaedam Lingonum portio. Et Caesar ait in Lingones Helvetios cessisse post pugnam cum ipso factam. Hi sunt Tullenses in Lothoringia, id quod antiquitates, et monimenta quaedam certissime indicant, quae *Glareanus* meus vidit in itinere ad Parisios.

Nequicquam.) Frustra. Quid enim Lothoringii potuissent contra Carolum Burgundiae Ducem, sine Helvetiorum auxilio? quamvis hodie satis indicent gratitudinem erga nos suam, si extreme odisse, est esse gratum.

Leucos.) Populos prope Helvetios, de quibus modo dictum. *Ptolemeus* Civitates Leucorum dicit Tullium et Nasium.

Fratres.) Vicinos.

Postremo.) Ultimo concludit Helvetiam, quae ad Septentrionem respicit.

Arctoum.) Arcticum.

Aquilonis.) Aquilo ventus Septentrionis, dictus ab Aquilae vehementi volatu, nam et ipse vehemens, et saevus, quemadmodum Poeta eum nominat. Et *Ovidius* attribuit saevitiam, et vires, iramque, animosque minaces. *Meta. VI.* Graece Boreas dicitur ἀπὸ τῆς βοῆς. Id est a boatu, quoniam sit violenti flatus, et sonori, ut *Gellius* inquit.

Ad axem.) Ad axem arctoum, et ad axem saevi

Qua scindit placidus Basileia moenia Rhenus,
Ultima Rauriacam portendit brachia ad urbem;
Sacconium attingens, Fridolini nobile busto: 45
Arietis hinc urbem, tum quorum sermo latinus
Nomina non patitur, variorum rura locorum,
Donec ad Acronias, Venetasque recircuit undas.
Hercinios saltus, sylvam sine fine vagantem
(Ut Nili ignotam referat longi agminis undam) 50
Prendit, Erythropolitanos curvo aggere muros.
Hic olim pugnax regno Ariovistus avito
Teutonicas rexit caulas, gentemque superbam
Germanos, bello indomitos, suetósque laborum

saevi Aquilonis, idem; nam ad Septentrionem. Axis proprie illud est plaustri lignum circa quod rotae vertuntur. Ad cujus similitudinem linea medium sphaerae transiens axis appellatur. Et axes pro polis accipiuntur.

Qua scindit placidus.) Notum est Rhenum placidissimo, pariter et amoenissimo lapsu, insidiante tamen, Basileam interlabi. Unde Picus quoque: Hinc sumptis Basileam dividit urbem fontibus.

Rauriacam.) A Rauracis extructam. Rauraci apud *Ptolemeum* habuerunt Augustam urbem in littore Rheni. Cujus hodie supra Basileam sunt plurima vestigia. Ii urbe deserta, commutatisque sedibus, sed non longo intervallo, Basileam condiderunt. Quae quidem hodie, ut tempore Caesaris, cum Helvetiis est in foedere.

Sacconium.) Oppidulum Rheni. XVI. millibus passuum supra Basileam jacens. Sunt qui hujus incolas Sequanorum quondam fuisse dicant colonos, et Germanos a sacco putasse dictos. Nos quoque credimus saccum posterius esse, ut Basileorum basiliscum, et arietem Scaphusianorum [ut postea dicemus], atque subinde insignia posteriora, in quibus saccum, basiliscum, et arietem publice ferunt.

Fridolini nobile busto.) *Fridolinus* enim ibi sepultus jacet. Bustum locus, ubi mortuus est combustus et sepultus, sic dictum, quasi bene ustum, nos sepulchrum dicimus esse. Inde bustuarii, quos sandapilarios vocamus.

Arietis hinc urbem.) Scaphusiae periphrasis. Hanc vulgus nominatam putat ab ove, cum tamen antiqua Chronica dicant appellatam *Schifhusen* a frequenti navium statione. Quicquid enim mercium ex lacu Constantiensi per Rhenum defertur, eo loci exportandum est, nam ultra navigio non potest pergi ad mille quingentos pene passus. Graeca compositione hodie vocant Probatopolim, προβατον enim ovem significat, unde Probatica piscina in Evangelio. *Arietis*, pes est proceleusmaticus pro dactylo.

Tum quorum sermo latinus.) Hoc dicit: multa adhuc esse loca, quibus Helvetia ad Septentrionem claudatur, sed nomina esse barbara, et proinde carmini inconvenientia, qualia sunt *Uvaldshuot*, *Chlingnovv*, *Steckborn*, *Diessenhofen* etc. Consulto igitur relinquuntur.

Hercinios saltus.) Herciniam sylvam ait *Caesar* in *sexto Comment. libro* Tectosages occuparunt, cujus latitudo novem dierum iter expedito patet, non enim aliter finiri potest, neque mensuras itinerum noverunt. Oritur ab Helvetiorum, et Nemetum, et Rauracorum finibus, rectaque fluminis Danubii regione pertinet ad fines Dacorum et Anartium. Hinc se flectit sinistrorsus, diversis a flumine regionibus, multarumque gentium fines propter magnitudinem attingit. Neque quisquam est hujus Germaniae, qui se aut audisse, aut adisse ad initium ejus sylvae dicat, cum dierum iter LX. processerit, aut quo ex loco oriatur acceperit. Haec ille. De hac sylva *Strabo* quoque *Lib. IV.* et *VII.* scribit. Et *Pompo. Lib. III. de Germania.* Porro sylva Bacenis [obiter enim hoc adnotandum erat] longe alia est, introrsus Chaeruscos a Suevis, Suevosque a Chaeruscis submovens, cujus item meminit *Caesar in VI.* Et quae hodie nigra sylva dicitur, pars est Herciniae. Caput ejusdem est Erythropolis civitas Helvetiis amicissima.

Ut Nili ignotam.) Parenthesim carmen hoc integrum supplet. Comparat autem Poeta Herciniam sylvam Nilo fluvio maximo Aegypti, eo quod ejus origo pariter, uti Herciniae, apud veteres ignorata fuit. Unde *Hora.*

Te fontium qui celat origines Nilusque. Et *Ovid.*
Nilus in extremum fugit perterritus orbem,
Occuluitque caput, quod adhuc latet, ostia septem
Pulverulenta vacant, septem sine flumine valles.

Nero Centuriones duos misit ad investigandum caput Nili. Illi vero retulerunt, se venisse ad immensas paludes, quarum exitum nec incolae noverant. Deinde vidisse duas petras, ex quibus ingens vis fluminis exciderit, verum an caput ibi fluminis sit, prorsus ignorare: propius enim adeundi potestas non fuit. Autor *Seneca Lib. VI.* natural. quaest.

Agminis.) Cursus.

Prendit.) Scilicet Helvetia, hoc est, attingit.

Erythropolitanos.) Rotuilanos, ita enim vulgo dicimus. Ερυθρὸν namque rubrum signat. Hujus civitatis mentionem his de causis maxime facit, quod a multis jam annis continuo Helvetiis adhaesit, atque in bellis etiam difficillimis semper praesto fuit suis praesidiis, animumque fortissimum nunquam non indicavit. Deinde autem, quod Praeceptor ejus primus *Rubellus*, qui hodie bonas literas cum maxima laude Bernae profitetur, vir ut doctrina clarus, ita probitate conspicuus, inde natus sit. Denique quod illic primum literis incubuerit.

Curvo aggere.) Ob situm civitatis hoc dicit.

Ariovistus.) Hic Germanorum rex fuit, testis est *Caesar Lib. I. De bello Gallico.*

Avito.) Prisco.

Teutonicas rexit caulas.) Casas Germanorum.

Superbam.) Nobilem, sic *VERGILIUS:*
Hinc populum late regem, belloque superbum.

Bello indomi.) Libet verba *Senecae* de Germanis adscribere. Ille enim sic inquit *de Ira Lib. I.* Germanis

Semper, et in nudo nudos sudescere campo.
Hi patriæ fines, hi sunt quos continet arcus 55
Helvetia, et quas comprendit vicinia gentes.
Praeterea caput Europes hanc esse probabunt,
Aeternis Alpes nivibus, juga Olympica, quorum
Porgitur in coelum caput, et sub tartara venter; 60
Et quod ad auroram, Borean, solémque cadentem
Flumina perpetuo non deficientia cursu
Parturit, illa volant, et in omnia membra redundant.
Ad Zephyrum et Libyen Rhodanus, Rhenana furentem
Unda citat Borean, gelidas rotat Ister ad Eurum 65
Dirus aquas, Getico novus hospes et advena Ponto.
Ast alios sileo, quos Italia accipit amnes
Alpibus à nostris, quaeque alto à vertice montes
Agmina disparibus fundunt latissima sulcis.
Ceu fluat Elysiis Gangeticus humor ab oris, 70

manis quid est animosius? quid ad incursum acrius? quid armorum cupidius? quibus innascuntur, innutriunturque, quorum una illis cura est, in alia negligentibus. Quid induratius ad omnem patientiam? ut quibus magna ex parte non tegumenta corporum provisa sunt, non suffragia adversus perpetem coeli rigorem. Hos tamen Hispani, Gallique, et Asiae Syriaeque molles bello viri, antequam legio visatur, caedunt, ob nullam aliam rem opportunos, quam ob iracundiam. Hactenus ille. Praeterea de Germanorum moribus *Pompo. Lib. III. Strabo Lib. VII.* et *Cornel. Taci. de Germania.*

Hi patriae.) Conclusio situs Helvetici.

Arcus.) Ambitus, circuitus.

Praeterea.) Indicaturus Helvetiam esse locum totius Europae altissimum, duabus id rationibus facit. Prior, quod Alpes aeditissimae rupes sunt in Europa, autore Strabone. Altera, quod quatuor aut quinque flumina Europae maxima oriuntur vel in Helvetia, vel prope, et ad quatuor mundi plagas decurrunt. Nempe Rhenus ad Boream. Danubius ad ortum. Rhodanus ad Occidentem, quamvis apud Lugdunum ad Meridiem se flectat. Adhuc sunt, quae ex Alpibus defluentia Italiam irrigant, de quibus mox dicemus.

Caput.) Locum aeditissimum.

Aeternis Alpes nivibus.) Una ratio. Alpes describuntur ab *Herodiano* historico *Lib. II.* tum vero *Lib. VIII.* his verbis: Hi sunt longissimi quidam montes, vice murorum Italiae circumdati, adeo in altum aediti, ut etiam nubes superare videantur, itaque in longum porrecti, ut universam Italiam comprehendant, leva ad Tyrrhenum pelagus, dextra ad Jonium usque pertingentes, densis ubique nemoribus infessi, atque angustissimis callibus, et rupium praerupta altitudine, scopulorumque asperitate vix pervii, nonnullis tamen quasi semitis magno veterum Italorum labore manufactis. Haec non potui non adscribere, cum ob elegantiam verborum, tum quod vix alium reperies, qui Alpium formam ita oculis proponat. Nives habent perpetuas, unde nomen a nivium candore sortitae dicuntur. Ἄλφος enim maculam significat albam. Sunt tamen qui volunt inditum vocabulum a Gallorum lingua, qui montes altos vocitent Alpes.

Juga Olympi.) Id est tantae altitudinis, ut est Olympus mons Thessaliae, de quo *Luca. Nubes excedit Olympus.*

Porgitur.) Syncope.

Et sub tartara venter.) Hyperbole, hoc est superlatio, secundum Ciceronem.

Et quod.) Ratio posterior.

Volant.) Volare habentium pennas est. Transfertur ad ea, quae cum celeritate fiunt, ut hic, volant, pro celeriter decurrunt.

Ad Zephyrum.) Indicat, uti quodque horum fluminum ad suam tendat plagam. De Zephyro diximus.

Libyen.) Ad Meridiem. Libya Aphricae regio Aegypto contermina. *Plinius* testis *Lib. V.* Quam quidam dictam volunt ab Epaphi filia, Libya vocata, procreata quidem ex Cassiotha uxore. Alii a vento, qui Libs appellatur.

Rhodanus.) Diximus supra, ab ortu longissimo tractu hunc ad occidentem labi, tandem vero post Lugdunum totum verti ad Meridiem.

Ister.) Danubius fluvius Germaniae maximus, cujus originem et progressum hoc modo Picus descripsit in σαυροστίχῳ:

> *Hinc et Danubius non magnas devehit undas*
> *Montibus Arbonae vix fusus, plurima nondum*
> *Flumina surripuit, nondum binomius, ingens*
> *Alluit Elysios, tandem rapto tumefactus aquarum*
> *Euxinum ingreditur bis terno gurgite Pontum,*
> *Extremumque caput limosa perdit in ulva.*

Ad Eurum.) Orientem.

Dirus.) Rapidus.

Getico.) Euxino. Danubius enim per Getas in Pontum delabitur, sed tum Istri nomen accipit, testis est *Strabo in VII.* De ostiis Autores non admodum consentiunt. Nam *Cornel. Tac.* sex meatibus in mare Ponticum erumpere dicit, septimum os hauriri paludibus. *De Germania. Mela* totidem, quot Nilus, ostiis, sed tribus tenuibus, reliquis navigabilibus, *Lib. II. Strabo* septem, et ex autoritate *Ephori* quinque *Lib. VII. Ptolem. VI.* etc.

Ast alios sileo.) Ut Abduam, Ticinum, Athesim, et nonnullos alios.

Agmina.) Flumina.

Sulcis.) Alueis.

Ceu fluat Elysiis.) Comparatio. Ut enim e Paradiso fluunt quatuor flumina [ut proditur *II. Genes.*] Ganges qui et Physon, Tigris, Eufrates, et Nilus, qui etiam Geon nominatur: ita ex Helvetiorum Alpi-

Tigris et Eufrates, et non bene cognita fonte
Unda papyriferi semoto ex aethere Nili.
Si vero Helvetiae quae sit natura requiris,
Conditio est duplex, terrae natura biformis.
Nanque ubi ad Italiam vergit, solemque calentem, 75
Montana est, sed enim ridenti fertilis arvo,
Fontibus irrigua, et florentibus optima pratis,
Lucis et sylvis, pecori gratissima tellus,
Phaeacum terras, Corcyrea gramina vincit,
Et longe positos alio sub sole Britannos. 80
Sed contra Borean, casumque ortumque astrorum
Plana jacet campis, foecundoque utilis agro;
Frumenti vinique ferax, et divite rure,

Alpibus in quatuor mundi plagas excurrunt quatuor flumina maxima Europae.

Gangeticus humor.) Ipse Ganges Indorum fluvius. Quem incertis quidam fontibus nasci, et Nili modo exundare perhibent. Ita *Solinus Cap. LX. Strabo Lib. XV.* scribit ex *Artemidoro*, Gangem ex Haemodis montibus ad Austrum deferri, et cum ad Gangem urbem pervenerit, converti ad Auroram usque Palimbothra, atque in mare ingredi. *Mela Lib. III.* eandem originem tradit. In eo tantae longitudinis anguillas dicit esse *Solinus* ut ad tricenum pedum proceritatem accedant.

Tigris.) Tigris oritur in regione Armeniae Majoris, testante *Plin. Lib. IV.* fonte conspicuo in planicie. Nomen obtinet a velocitate currendi, nam Medi sic vocant sagittam. *Strabo de Tigride et Eufrate Lib. XI.* et *XVI.*

Eufrates.) Eufrates similiter Armeniae fluvius, Armeniae regiones a Cappadocia excludens, ut idem *Plinius* tradit. Mela originem ejus, atque cursum plane depingit *Lib. III. Ptolemeus* montem, unde is fluit, appellat Periarden. *Ammianus* quoque ejus mentionem facit *Lib. XXIII.*

Et non bene cognita fonte.) Supra diximus Nili originem antiquis fuisse incognitam. Verum id non mirum, cum et divinae scripturae veritas immanifesta ipsis extiterit, quae Nilum ex paradiso [ut dictum est] erumpere docet, cum aliis tribus fluminibus. Quorum quidem originem illi tradiderunt, prout invenerunt ea primum e terra prorupisse. Nobis itaque in his, sicut in aliis puto sacris documentis accedendum, quae mentiri haud noverunt.

Papyriferi.) Qui fert papyrum fruticem in palustribus Aegypti nascentem, aut quiescentibus Nili aquis, ex qua fiunt chartae *Plin.* teste *Lib. XIII.*

Si vero Helvetiae.) Naturam describit Helvetiae, duplicem eam esse demonstrans. Qua enim parte ad Italiam vergit, Alpes habet. In alias parteis fere plana est, producitque abunde quicquid humana vita exigit, producta tamen omnia felicius, si pro soli foecunditate coleretur.

Conditio.) Qualitas.

Vergit.) Tendit, porrigitur.

Solemque calentem.) Ad Meridiem.

Montana est, sed enim ridenti fertilis arvo.) Breviter adnotabimus, qualis sit Alpium natura apud nos [figuram nempe superius ex *Herodiano* retulimus] quo intelligatur, quid commodi liceat sperare ex reliquis partibus Helvetiae, cum tantus sit fructus ex montibus. Horum namque [ut hoc primo dicamus] hi perpetuis nivibus albicant. Illi procul aspicientibus nihil promittunt, nisi saxa durissima, postquam inscenderis, prata pinguissima offendis. Alii vero et aspectu sunt amoeni, et re ipsa. In iis inquam per aestatem menses treis ad summum pascuntur cum greges, tum vaccae, e quibus tanta emolimenta, ut brevi oratione nemo possit consequi. Nam serum inde, caseus, butyrum, aliaque lacticinia tanta fiunt copia, ut non tam Helvetia iis rebus expleatur, quam finitimae quaeque nationes. Transvehuntur namque in Sueviam, ultra Juram montem, in Italiam, multaque alia loca. Atque tam ingens redit pecunia, ut vix credi possit. Illud mihi compertum, ex viginti bobus fructum annuum esse centum Coronatos, praeter sumptum omnem, quem in familiam, servos, et ancillas distribueris. Omitto foeturam copiosissimam, lac et liquidum et concretum, quaeque ex lacte adhuc alia conficiuntur cibaria in quotidianum usum. Hinc est, quod tantus populus, in tam angusto circulo enutritur, quod adeo pauci ex Helvetiis ad mendicitatem adiguntur, quod tanta exterorum turba sedes apud nos quaerit. Libet pene exclamare hodie cum *VERGILIO:*

O fortunatos nimium, sua si bona norint,
HELVETIOS.

Sunt enim quos pecuniae nimia cupiditas tam agit transversos, ut hujusmodi bona non intelligant, ut tales opes prorsus vilipendant, quae tamen ut sunt et stabilissimae, et honestissimae, ita maxime Christianae, uti *Chrysostomus* docet. Sed haec pluribus forte.

Fontibus irrigua.) Unde patet Helvetiae foecunditas. Nam dicit *Strabo Lib. XII.* de patria sua: semper aquae copiam meliorem esse, quam siccitatem.

Corcyrea gramina.) Quae in Corcyra Insula Epiri crescunt, quam Phaeaces inhabitarunt. Respicit ad hortos Alcinoi notissimos, de quibus *Homerus Lib. VII. Odyss.*

Alio sub sole.) Id est climate.

Britannos.) Hiberniam intelligit: De qua *Pompon. Lib. III.* scribit, tam esse luxuriosam herbis non laetis modo, sed etiam dulcibus, ut se exigua parte diei pecora impleant, et nisi pabulo prohibeantur, diutius pasta dissiliant. Idem pene *Solin. XXXI.* Pomponius eam Insulam Juvernam dicit, *Strabo* Jernam *ἰέρναν*. *Lib. IV.*

Jacet.) Helvetia.

Frumenti vinique ferax.) Ager Bernensis, Friburgensis, Salodorius, Herogea item, et Durgea frumento mire exuberant. Colles autem Scaphusiani, Bielenses, et Thermopolitani vino. Apud Tigurum et Basileam utrumque non mediocriter crescit. Sunt alia insuper loca per Helvetiam, quibus neutrum deest, sed minor copia.

Collibus apricis, quos pampinus ornat et uva.
Quid liquidos referam fontes, rivosque loquaces, 85
Muscososque amnes de viva rupe cadentes,
Caeruleos latices? o murmura grata colonis,
O requies, o lenimen praedulce laborum!
Num vestras laudes, summa et praeconia adaequat
Fando aliquis? docto non est ea lingua Maroni, 90
Nec tibi Homere caput, licet omnia uterque poëta
Attigerit, gremio quae vastus continet orbis.
Quatuor Helvetiae coepi connexere pagos;
At res obscura est, facit hoc longinqua vetustas,
Annorumque acies, aevique volubile tempus. 95
Sed sequar autores, et quae ratio ipsa docebit,
Utque illi scripsere, hodie quoque ita esse probemus.
Et Graeci πηγὴν, pagum fortasse Latini
Totius fluvii sulcos dixere propinquos,
Et villas juxta positas, vicosque casasque. 100
Non etenim credo pro vico dicere pagum,
Scripta monent aliud, testisque adducitur hostis,
Julius orbis apex, et tanti gloria belli,

Divite rure.) *Divite* neutro genere dixit, quemadmodum *Tibull.*

Divitis hoc vitium est ruris.

Apricis.) Soli expositis. *Hor. Multa mole docendus aprico parcere prato.* Homo apricus, et avis aprica, sole gaudentes.

Pampinus.) Vitis. Synecdoche.

Quid liquidos referam.) Fontium aquae et levis et optimae apud nos nusquam deest copia. Fluminibus abundamus, his navigabilibus, utpote Limago, Rusa, Arare, et Sana. Aliis navibus minus accommodis, ut Dura, Emmana, Rhodano, innumerisque talibus.

Liquidos.) Claros. *VERGILIUS:*

Et liquidis immisi fontibus aprum.

Loquaces.) Resonantes. Sic *Hor.* de fonte Blandusiae: *Unde loquaces Lymphae desiliunt tuae.*

Muscosos.) Obsitos musco. *VERGILIUS:*

Muscosi fontes, et somno mollior herba.

Viva.) Naturali. *VERGILIUS:*

Vivoque sedilia saxo Nympharum domus.

Caeruleos.) Caeruleus color species viridis, *Gellio* teste *Lib. II. Cap.* 26. Est autem caeruleus perpetuum aquae epitheton.

Latices.) Latex, [ut Servius inquit] aqua proprie est, ab eo, quod intra terrae venas lateat. Insuper autem et vinum laticem dicimus, quod lateat intra uvam. *Ovidius Latices Palladios*, pro oleo dixit.

O murmura.) Admiratio.

Lenimen.) Refocillatio. Unde *Hor.* de laude vitae rusticae.

Libet jacere modo sub antiqua ilice,
Modo in tenaci gramine,
Labuntur altis interim ripis aquae,
Queruntur in sylvis aves,
Fontesque lymphis obstrepunt manantibus,
Somnos quod invitet leves.

Num vestras laudes.) Q. d. minime. Negationem enim *num* in se habet, sicuti affirmationem *nonne*.

Docto non est.) Scilicet ut vos pro meritis celebraret.

Nec tibi Homere caput.) Apostrophe.

Licet omnia.) Quid *Vergil.* quid *Homer.* scriptitarint, et quantam inde sint laudem meriti, vel sole clarius. De *Homero* nempe dicitur: Vatem esse doctrinarum omnium, atque ingeniorum autorem, et principem. De *Vergilio*: Tantum ipsum, ut laus ejus nullius commendatione crescat, nullius vituperatione minuatur.

Gremio.) Ambitu.

Quatuor Helvetiae.) Helvetiam fuisse distractam in quatuor pagos, *Caesar* his verbis scribit *Com. I. Is pagus appellabatur Tigurinus. Nam omnis civitas Helvetiae in quatuor pagos divisa est.* Dubitatum est aliquamdiu, etiam a doctis viris, quid pagum *Caesar* diceret. Si respicis rationem nominis, ablata est dubitatio. Nam à πηγὴ, et δωρικῶς à παγὰ fons est. Unde pagi sunt dicti, quod villae circa fontes consueverant condi, ut *Servius* inquit. Et pagani, quasi ex uno fonte potantes. Eadem itaque ratione Pagum *Caesar* fluminis tractum esse voluit cum accolis. Hoc enim pacto Helvetia distributa est quatuor his fluminibus, quae Poëta hic enarrat. Ea sunt prorsus in Helvetiorum ditione, et his quoque limitibus inclusi, quos *Caesar* constituit.

Connexere.) Ad carmen nectere.

Acies.) Multitudo.

Sed sequar autores.) Non caput meum.

Et quae ratio.) Conjectura, quae rationibus utcunque fulcitur, haud rejicienda, cùm multa sint apud veteres scriptores, quae secus nemo, quantumcunque doctus, possit adsequi.

Sulcos.) Tractus.

Dicere.) Quenquam subaudiendum.

Testisque adducitur.) Julium testem dictorum adhibet. Quem ob id hostem dicit, quod adversus Helvetios veteres bellum gesserit.

Orbis apex.) Affirmat *Sabellicus*, plures in uno *Caesare* virtutes extitisse, quam in caeteris omnibus, quorum vitas *Tranquillus* scripsit. In eo consilium, eloquentia, vigor, constantia, militaris disciplinae omniumque altissimarum artium studium, et quod ad gratiam conciliandam plurimum valet, mira quaedam liberalitas. Apicem igitur orbis merito dixit Poeta.

Et tanti gloria belli.) Intellectio est.

Ille

Ille inquam Helvetiae bissenas innuit urbeis,
Et quadringentos vicos, haec omnia rursus 105
Quattuor in pagos, quae flumina quatuor, angit.
Hos igitur nostro placuit conjungere plectro.
Primus adest Duras, plaeraque in parte vadosus,
Durus agris, pinosque, et summo littore fagos
Evertens, caulasque trahens, et ovilia secum, 110
(Terribilis lapsu) campos grassatur in omnes.
Hic ager Helvetius, quem ne Germanus haberet
Miles, et in Gallos rabiem exerceret avitam,
Caesar in Helvetiam proprios remeare colonos
Jussit, adhuc fluvii nomen terra illa reservat. 115
Doggius huic propior, Cellae, Gallique beati
Imperia, et prope ad Acronios celeberrima fluctus,
Littoreque in nostro Rheni Constantia fulmen.
Deinde paludosus splendenti Limagus unda,
Hospes Aduleae Glareanaeque incola terrae, 120

Ille inquam.) Scribit *in* 1. *Commentar. Caesar.* Ubi se jam Helvetii ad expeditionem paraverint, oppida sua omnia numero ad duodecim, vicos ad quadringentos, reliquaque privata aedificia incendisse.

Angit.) Distribuit.

Plectro.) Carmini. Plectrum proprie instrumentum est, quo fides pulsatur. *Martial.*

Fervida ne trito tibi pollice pustula surgat,
Exornent docilem garrula plectra lyram.

Primus adest Duras.) Aperit primum Pagum, cum agri adiacentis bonitate. Hunc Duras facit, cujus quidem fluvii apud veteres nulla prorsus est mentio. Attamen nomen ipsum arguit aliquid antiquitatis, et terrae nomen Durgew. Oritur in finibus Dioecesis Curiensis valle, quam sancti Joannis vocant, fluit per Doggios, et populum quem denominat Durgeum, in Rhenum exit circiter bis mille passus supra Eglisow oppidum ditionis Tigurinae. Ab hoc fluvio multa nomina derivantur, ut Durtal, Wintherthur, seu Winterdur, et quaedam alia.

Vadosus.) Habens multa vada. Vadum est aquae fundus, in quo quisquis constiterit, is jam effugit periculum ne mergatur. Hinc sumptum adagium: Res in vado est, pro eo quod est in tuto.

Durus.) Allusio ad nomen.

Caulasque.) Ovium casulas. *Vergilius:*

Cum fremit ad caulas ventos perpessus et hymbres.

Grassatur.) Debacchatur, exit. Grassari dicuntur latrones vias obsidentes, unde grassatores. Apud *Salustium* gradi significat. *Animus ubi ad gloriam virtutis via grassatur.*

Hic.) In Durgea. *Caesar in* 1. *Comment.* scribit: Helvetios a Caesare reverti in suos fines jussos, ea maxime ratione, quod noluerit eum locum, unde Helvetii discesserant, vacare, ne propter bonitatem agrorum Germani, qui trans Rhenum incolunt, e suis finibus in Helvetiorum fines transirent. De hoc agro dicit Poeta, esse in Durgea. Tametsi illud non semel ex eo audivimus, quanquam ita scripsit, sibi tamen videri Caesarem loquutum de agro Aventicensi, et Moretensi. Id quod etiam *Falco* Consul Friburgensis hoc tempore, vir et doctus et eloquens, me admonuit.

In Gallos.) Helvetios, qui vere Galli sunt, veteribus id autoribus indicantibus. Verum de hac re forte alias.

Rabiem avitam.) Furorem ex antiquo odio contractum.

Adhuc fluvii nomen.) Durgea nempe vocatur, a Dura, et *γία*, ea terra. Hoc enim pacto Celtae multa nomina componere solent, ut Herogea, Durgea, Algea, Brisacogea, Hegogea.

Doggius.) Doggios lingua nostra Doggenburger appellamus, a Dogg, vocabulo Anglico, quo canis significatur. Ferunt enim Doggii canem in insignibus. Non nescimus quid de hoc nomine referat historia Suevica. Dein a quibusdam Tuconiam regiunculam ipsam nominatam. Sed quam apte videant ipsi. Habent hi, a quo perpetuitati consecrabuntur *Uldricum Zinlium* hominem in utraque lingua doctissimum hac tempestate apud Tigurinos Evangelistam, et talem quidem, ut vere, quicquid *Politianus* ille politissimus in epistola quadam scribit de *Mariano Genacanensi*, huic possis adscribere: Parcior sum in hoc homine commendando, cum quod mihi amicissimus est, tum quod ingenium meum maximis ejus virtutibus plane obruitur.

Cellae.) sc. Abbatis. Sunt quibus magis arridet, ut dicatur Alpium cella, quam Abbatis cella.

Littoreque in nostro.) Id est Helvetico.

Deinde.) Exponit secundum pagum, quem Limagus conficit fluvius, cujus quoque mentionem non facile apud antiquos scriptores reperies. Hodie tamen nomen satis integrum est. Compositum namque dicitur ad imitationem Celticae linguae, quae frequenter nomina in magus connectit, ut Rhotomagus, Naeomagus, et caetera. Illud sane adnotandum apud Glareanos oriri, et vocari Linthum. Deinde lacum Vesenium effundere amnem, cui nomen Magus. Atque postquam conduxerunt hi duo fluvii Limagum vocitari, intrare autem posteaquam ab origine circiter decem millia passuum Glareanam rigaverit in lacum Tigurinum, huncque pertransire ad medium usque urbis, post haec autem cursu ad XCVI. stadiorum confecto in Ararim primum, brevissimo post spacio in Rhenum influere.

Hospes.) Appositio.

Aduleae.) Adulas mons a *Ptolem. Lib. II.* ponitur incumbens et Helvetiis, et Rhetis. Hodie *Etcel* dici putant aliqui. In quo nominis adhuc videtur aliquod vestigium esse. Nam Latina lingua haud dubie principio Adul dicere docuit, dein Germanica fecit ex Adul *Etcul*, postea abusus Etcel. Sic memini me olim audisse ex *Glareano*. Sunt quibus placet Adulam esse, qui nunc *Arlenberg* dicitur.

Auctus abit, semperque cavis aptissimus alnis,
Volvitur in gyros, et lenta volumina torquet.
Huic est ad levam, quo vix est sanctior usquam
Orbe locus, frondens Mariae genitricis Eremus.
Vix alibi invenies tam mitia numina Divae, 125
Propitiumque Deum, et praesentes virginis aras.
Belliger has validis cognoscit Suaevus in armis,
Contentusque suis, aptusque ad bella Sicamber,
Quique sub arctoo pressatur Sarmata plaustro
Attingens Borean rigidissima littora Ponti. 130
Tum ne sit pelagus, ne lentis sordeat undis,
Explicat os patulum, Tigurinamque abluit urbem,
Thermopolimque adiens, ad olentes sulphure terras,
Arentesque locos, Epicurea moenia lambit.
Hic stygio à flatu, mediáque voragine terrae, 135
Aspice sanantes undas, laticesque salubres,
Qui tibi (ni nolis) languentia membra levabunt.
Utilia haec utero, praesentia balnea semper

Semperque cavis aptissimus alnis.) Id est semper navigabilis est.

Volvitur in gyros.) Flexuosus est.

Hunc est ad levam.) Divae virginis Eremitanae locum significat. Qui quam sit sacer, arguit perfacile, quod Christo consecratus fertur episcopo. Posteaquam enim ubi divi *Meinradi* casula fuit, sacellum est extructum, *Sanctus Conradus* Praesul tunc temporis Constantiensis, vir omni genere virtutis florens, accitus confestim ad ipsum consecrandum advenit. Media autem nocte, dum preces Deo pro consuetudine funderet, audivit cum aliis devotis viris melos et dulce, et novum. Atque diligentius perscrutanti, tale animadversum ab angelis, Christo praesente, decantari, quo episcopis vel hodie mos est uti in templorum dedicatione. Prima statim luce rem auditam divulgat. Verum, qui rei fidem temere praestare nolebant, Conradum sunt adhortati, ut, quod jussus erat, conficeret. Postquam igitur incoepit, vox continuo ter audita, Desine frater, coelitus consecratum est. Ex illo itaque, quod res erat, creditum. Deinde a summis Pontificibus, aliisque confirmatum, quorum testimonia in sacratissimo illo loco hodie conservantur.

Frondens.) Habet enim hodie prata pinguissima.

Praesentes.) Quae citius succurrunt.

Suaevus.) Belligerum Suaevum dicit *Caesarem* secutus, qui eam gentem longe maximam, et bellicosissimam Germanorum omnium scribit *Lib. IV.* Et *Strabo* potentia dicit, et hominum frequentia reliquos antecellere.

Aptusque ad bella Sicamber.) *Horatius* quoque Sicambros feroces appellat, *Lib. IV.* Carminum, *Ode II.* Populi sunt Germaniae transrhenani, hodie *Weschvalos* dicunt.

Sarmata.) Polonum dicit, qui bonam Sarmatiae partem hodie possidet. Mira de his populis apud scriptores commemorantur. Lege *Strabon. Lib. VII.* et *XI. Melam Lib. III.* Sarmatas *Plin. Lib. IV.* scribit Sauromatas a Graecis vocari.

Rigidissima.) Frigidissima.

Tum ne sit pelagus.) sc. limagus cum lacu. Id est autem, ne sit lacus continuus sine exitu.

Lentis.) Stantibus.

Explicat.) Aperit.

Os.) Ostium.

Abluit.) Perluit.

Thermopolimque.) *Baden* sc. Helvetiorum. Sunt enim quas Thermas dicimus inferiores, a quibus Marchiones Badenses cognomentum sumunt.

Olentes sulphure.) Aquae enim quae hoc loco proveniunt, sulphuratae sunt.

Arentesque.) Calidos.

Epicurea moenia.) Voluptatis plena. Secundum quosdam enim Epicurus summum bonum in voluptate corporis constituit. Sunt tamen, qui ex proba ejus vita non corporis, sed animi voluptatem ipsum significasse contendant. Quod Poeta dicit, non ad oppidum referendum, sed Thermas, quae ab oppido distant ad trecentos passus. Hae namque tales sunt, ut *Pogius Florentinus* putet, si voluptas vitam beatam queat efficere, nihil iis omnino deesse ad consummatam voluptatem. Ejus epistolam lege, si lubet, ad *Nicolaum* quendam. In qua et situm balneorum, lavantium mores, voluptatem, ludos, jocos, et aquae virtutem abunde invenies.

Lambit.) Circundat. *Pers.*

Illis relinquo, quorum imagines lambunt
Hederae sequaces.

Stygio.) Tanquam ab inferis venientes.

Mediaque voragine.) E medio terrae. Intra nanque terrae meatus tales aquae sunt. Hae cur sint calidae, *Pontanus* his verbis scribit.

Bajano sed ne fumare in litore Thermas
Mirere, aut liquidis fluitare incendia venis,
Vulcani fora sulfureis incensa caminis
Ipsa monent, late multum tellure sub ima
Debacchari ignem, camposque exurere apertos.
Inde fluit calidum referens ex igne vaporem
Unda fugax, tectis fervent et balnea flammis.

Languentia.) Aegrotantia, infirma.

Utero.) sc. Foeminarum. Haec enim singularis est hujus aquae virtus, et prope divina, quod sterilitati mulierum medetur. Foecundas autem foecundiores, et prolis multiplicatione enervatas reddit fortiores.

Praesentia.) Cito juvantia. Illud nempe praesens dicitur, quod quia non abest, cito operatur vel bonum, vel malum. Inde numina dicuntur praesentia, ut superius, quod cito juvent; et venena, quod cito necent.

Ad

Ad quemcunque velis, in quovis corpore, morbum.
Mitis aqua, et nostris non importuna periclis, 140
Campanum superans stagnum, putresque liquores,
Bajanumque amnem, et Cydni felicior unda.
Sunt et qui fluvium dicant hunc esse Lemannum,
Unde suum teneat pugnax Alemania nomen.
Tertius horrendo, crepitantique agmine Rusa 145
Gotthica stagna trahens, atque Hunnas barbarus undas,
Inde Lucernanis Tuginisque amnibus ingens
Labitur in patrios, quos nunquam contigit, ortus.
Ultimus est Araris, quem num natura aliorsum
Flexerit, an fluviis nomen commune duobus, 150
Vertitur in dubium, seu sint bene cognita priscis
Ostia, non etiam fontes, undaeque sequentes.
Sed mitto hoc aliis, alias laturus in horas
Judicium authorum, satis haec dixisse fatendum.
Hic ut in Helvetia est, Rhodano contrarius exit 155
Thunum it, et Arctopolim, fatis felicibus ortam
Auspiciisque Deum, et plura in se flumina captat.
Oppida multa ambit, Salodoria regna peragrat,

Ad quemcunque.) Plurimum enim conferunt [prius Medico consulto] stomachicis. Prosunt cerebro, visui, et auditui plurimum, imo totius capitis dolores mitigant. Epati conducunt, et spleni. Ilium dolorem tollunt, et renum lassitudinem restituunt. Hujusmodi virtutes sexcentas habent, quas prudentes jam praeterimus.

Non importuna.) Salubris.

Campanum superans stagnum.) Id est. Balnea, quae sunt permulta in Campania, plaga [ut *Florus* scribit *Epito. I.*] pulcherrima totius orbis. Hic sunt tepentes fontibus Bajae, et ad sanandos morbos, et ad voluptatem commodissimae. A regionis feracitate sumptum Adagium, quo dici solet: Plus apud Campanos unguenti, quam apud caeteros olei fieri. *Plin. Lib. XVIII.* et *III.* praeclare de Campania scribit.

Putresque liquores.) Balnea Puteolana. Allusit ad nomen, a putore enim secundum aliquos aquarum Puteolos urbem dictam volunt, alii vero a puteorum frequentia. Author *Strabo Lib. V.*

Bajanumque amnem.) Balnea quae Bajae dicuntur. *Seneca* eum locum devitandum monet, quod habeat quasdam naturales dotes, quibus illum sibi celebrandum luxuria sumpserit. De Baiis *Strabo Lib. V.*

Et Cydni felicior.) Cydnus amnis Ciliciae podagricis medetur, ut *Plin. Lib. XXXI.* Idem asserit *Vitruvius Lib. VIII.* De Cydno alioqui et *Solinus Cap.* 47. et *Curtius Lib. IV.*

Sunt et qui.) Opinionem quorundam recenset, non suam sententiam.

Tertius horrendo.) A Rusa flumine tertius conficitur pagus. Id ex monte, quem Furcam appellant, oritur, fluit per loca confragosa, donec non procul a Vetere pago [ita pagus primus apud Uros nuncupatur] in lacum Lucernanum ingreditur, hunc transit ad civitatem usque, quam intersecans denuo erumpit. In multos dein circumductus gyros, Rhenum intrat non multo infra Brugem oppidulum Herogeae.

Crepitantique.) Murmuranti. Ob id nomen factitium Rusa a vulgo obtinuit.

Gotthica.) Suica. Est enim lacus parvus apud Suicos exiens in lacum Lucernanum.

Hunnas.) i. e. Uriorum. Suici enim a Gotthis, Urii ab Hunnis descendunt.

Inde Lucernanis.) Emmana fluvius in Rusam influit a Lucerna ad quadringentos passus. Lacus vero Tuginus exitum in ipsum habet circa vallem, quam Mariae dicunt.

Labitur in.) Hoc est, fluit ad Septentrionem, unde venerunt Hunni, et Gotthi, a quibus [ut modo dictum] Urii, et Suici originem ducunt.

Ultimus est Araris.] Araris noster ex montibus erumpit, unde fluit Rhodanus, per lacum *Haslensem* [quem Auellanum dicere posses] et Thuninum labitur. Venit Arctopolim, quam totam pene concludit. Salodorum adluit. Cursu longissimo deinde confecto Rheno commiscetur cum Limago, et Rusa. Is quartum pagum conficit. Ubi illud adscribendum, nihil hic accipi de Arari, quem Saonam putant dictum, nam neque origo, neque cursus conveniunt, quamvis Poeta se dubitare dicat, anne cursum Arar mutaverit, an duo flumina idem nomen obtineant. Vel si prisci cognoverint fluminis exitum, non etiam fontes. Verum utcunque res habeat, doctis committit.

Aliorsum.) Puta ad Septentrionem, cum omnes uno ore dicant, ad Meridiem tendere.

Nomen commune duobus.) Id quod Poeta sentit.

Ostia.) Fluvii exitus.

Undaeque sequentes.) Id est tractum aquae post fontes.

Ut in Helvetia.) Non quemadmodum authores descripserunt, ut *Ptolem. Lib. II. Strabo Lib. IV.*

Rhodano contrarius.) Nam ad Boream, cum ad Austrum vergat Rhodanus.

Thunum.) Ad hoc oppidum ditionis Bernanae.

Ortam.) Conditam.

Auspiciis.) Bona fortuna, feliciter.

Flumina.) Ut Sanam fluvium Friburgensium.

Salodoria.) Salodorum, non Solidurnium, recte dicimus. Hinc Salodorius deflexit Autor. Invenit nanque apud eam civitatem in lapide antiquissimo Salodorum, sic nimirum appellatum, quasi salis donum. Ἅλς nempe sal, aspiratione in *s* mutata, et δῶρον donum significat. Inde est, quod penultimam producit per. ω. enim Graecis scribitur.

Regna ſub Habramo, tam fauſto ſydere nata.
Pars haec Helvetiae fluvii cognomina ſervat, 160
Heroum tellus, et adunci vulturis arces.
Quattuor hi pagi, quos à regione Notorum
Impetus in Borean torſit, Rhenoque remiſit.
Ante tamen liquidosque lacus, ſterilesque paludes,
Et ſtagna alta creant, plus quattuor inclytus auget 165
Limagus, et nautis portus, et piſcibus antra,
Treis Araris, Ruſa et totidem, ſed truſus arenis
In circum Duras, immenſa cataclyta fundit,
Omnia piſcinis, non omnia navibus apta.
Haec pater omnipotens, dum magnum conderet orbem, 170
Diſpoſuit prudens, ne totum forte per aevum
Staret inane Chaos, penitusque illunis Abyſſus,
Bella elementorum, et fera praelia voce diremit,
Aethereasque Alpes, juga ſummo proxima coelo,
Eſſe caput jubet Europes, ſubſidere membra 175
Laeta, quod in faciem fluvios habuere receptos.

Sub Habramo.) Antiquiſſimum enim eſſe conſtat, nam exceptis Treviris nulla urbs vel Galliae, vel Germaniae antiquior. In *Habramo* Synaereſis eſt.

Nata.) Extructa, condita.

Pars haec Helvetiae cognomina ſervat.) Nam terra adjacens vocatur Argea, a nobis *Argeuu*. Nonnulla etiam oppida inde appellationem ſortiuntur, ut vulgari lingua proferimus Arow, Arburg.

Heroum tellus.) Interpretatio ejus, quod nos dicimus Herogea. Multi enim ſunt, qui exiſtimant Heroum tellurem Hergew vocitatam propter Duces, comites, barones, et nobiles absque numero, qui eam terram inhabitarunt.

Et adunci vulturis.) Vulturem ponit pro accipitre. Significat enim arcem cui vulgo nomen *Habſburg*.

Quatuor hi pagi.) Enumerat lacus et paludes proximas dictis quatuor fluminibus, non quod ab his illae omnes adimpleantur, ſed quia ſint prope, et rivis interdum conveniant. Recenſuimus nos ſuperius omnes lacus, per quos ea flumina transcurrunt.

Quos a regione.) Id eſt: quos curſus a Meridiei parte ad Septentrionem compulit. Nam Rheno admiſcentur, ut dictum eſt, qui ad Septentrionem defertur.

Ante tamen.) ſc. quam Rheno copulantur.

Sterilesque paludes.) Ita *Hor. in Poetica.*

Regis opus ſterilisque diu palus, aptaque remis.

Plus quattuor.) Nam quinque Veſenium, Cleonium, Tigurinum, Phaebinium, et Gryphenſem.

Antra.) Domicilia.

Treis Araris.) Neapolitanum, Thunenſem, et Bielenſem.

Ruſa et totidem.) Lucernanum, Lucanum, et Tuginum.

Cataclyta.) Loca concava ab aqua cadente. *Ambroſius: Nilus fluvius maximus eo loci, ubi ſe ex altiſſimis montibus in cataclyta illa praecipitat, magnitudine fragoris ſui aures accolarum obſtruit.*

Piſcinis.) Locis, ubi piſces conſervantur. *Gellius Lib. II.* Lacus vero, et ſtagna, quae piſcibus vivis coercentur clauſa, ſuo atque proprio nomine piſcinas nominaverunt.

Haec pater omnipotens.) Deum ita patriae ſitum diſpoſuiſſe ait ab initio, dum crearet mundum, ne perpetuo Chaos maneret.

Inane Chaos.) Imitatio eſt, non mens vera Poetae. *Vergil.* enim in *Syleno*, et *Ovid. Lib. I. transfor. Heſiodum* ſequentes dicunt, chaum i. e. rudis, inordinataeque materiae confuſam [ut inquit *Lactan. Lib. I.*] congeriem principium omnium fuiſſe rerum.

Penitusque.) Hoc eſt, ne abyſſus i. e. informis et ſubjacens materia, quae Graecis ὕλη et χάος dicitur, permaneret absque luce. Alioqui Abyſſum volunt eſſe immenſam quandam aquae profunditatem.

Bella elementorum.) Quatuor qualitates, quae inter ſe ſunt contrariae.

Voce.) Verbo, quia dixit et facta ſunt. *Vergilii* verba ſunt ex quinto *Aeneid.* aptiſſime detorta. Nam uti Aeneas verbo diſtraxit Dareta et Entellum, ita Deus elementorum confuſionem.

Membra.) Alias partes Europae. Manet in Metaphora, quia dixit: Eſſe caput jubet Europes.

Laeta quod.) i. e. membra haec ob hanc cauſam laeta ſunt, quod fluvios ab eo capite, quae eſt Helvetia, in ſuam accipiunt ſuperficiem.

Faciem.) Facies omnis cujusque rei forma eſt. *Vergil.*

- - - Quibus aſpera quondam
Viſa maris facies - - -

PANE-

PANEGYRICON.

HAec facies patriae est, plectro majore sonandum,
Si populum aggrediar mores studiumque recensens,
Atque tot excultas urbes, tot et oppida muris.
Quin potius cedam, casurus fasce sub isto,
Pondereque immenso, nostris haec ardua moles 5
Viribus est impar; en nostrae taedia Musae,
En lyra blanda fides, et consona plectra reponit.
Vix tamen exoro, bissenas pangeret urbeis,
Helvetiae insigneis, terraque ac aethere notas
Metropoleis, quibus una fides eademque voluntas. 10

COMMENTARIUS.

Haec facies patriae.) Sequitur Panegyricum, id est carmen laudativum tredecim partium Helvetiae, in quas totum imperium nostrum est divisum. Harum est administratio, et cura totius regionis, praesertim, cum aliquid evenit, quod ad universam Helvetiam pertinet. Alioqui enim singulae suas civitates gubernant. Poeta bissenas dicit hac de causa, quod Abbatis cellam addidit, postquam et ipsa est adjecta numero capitum Helvetiae. Apponit dein quaedam de sociis Helvetiorum, et Helvetiae laudes. Postremo perorat cum admonitione. In hac autem descriptione licet ingenium Poetae cognoscere. Qui tametsi bellicae gloriae singulas communitates [uti appellant] facit participes, tamen hoc agit, ut singulari commendatione in hoc ipso unamquamque celebret.

Mores studiumque.) Verissime dicit. Nam si vitam majorum vellet, exercitiumque describere, opus esset et longiore oratione, et stilo sublimiore. Quamvis non clam me sit, multis videri longe aliter, iis praecipue, quorum malevolentia vel libris contra Helvetiorum mores contestata est. Sed ad manum habes, quo ipsos negligas, cum quicquid calumniantur cogitas invidiam dictasse. Quae pestis teterrima consuevit [ut *Erasmus* noster inquit] pulcherrimorum facinorum esse comes, eximiamque virtutem non aliter, quam umbra corpus, adsequi. Statim enim ut Helvetiorum gloria coepit adcrescere, impulsi, nescio quibus furiis, libellos ediderunt plenos indignis conviciis, atque obscoenis nominibus, a quibus doctum abhorrere summe conveniebat, nedum Christianum, imo Christi sacris initiatum. Palam igitur est, nihil ejusmodi probris inesse veri, habet enim hanc virtutem veritas, ut os invidum quam longissime fugiat. Quod si hi viri doctrinam suam [ut sunt doctissimi] ad alias res, quam ad contumelias adhibuissent, nihil dubito, quin magnam laudem essent adepti, cum hoc modo nihil sibi pepererint, nisi aemulationis exprobrationem.

Fasce.) Onere. *Vergil.*

Ego hoc te fasce levabo.

Moles.) Materia difficilis.

Viribus.) Ingenii.

Taedia.) Ob rei magnitudinem.

Fides.) Chordas. Alioqui citharae genus est fides, inquit *Festus.*

Exoro.) Scilicet Musam.

Pangeret.) Caneret, componeret. Ita *Gellius* *Lib. XIII.* Si aut versum pangis, aut orationem solutam struis.

Urbeis.) Capita Helvetiae, seu partes. Barbare *Cantones* appellantur.

Quibus una fides.) Concordia Helvetiis sine dubio et imperium auxit, et rem universam. Haec nanque talis fuit, ut vere dicere licuerit id, quod apud *Homer.* Nestor de se, deque Ulysse.

Haud unquam neque concio nos, neque curia dictis
Audivit pugnare, animo sed semper eodem,
Et sentire eadem, atque eadem decernere vidit.

Verum pecunia discordiarum fons, et nescio quae inanis gloriae aemulatio animos eorum annis superioribus ita distraxerant, ut nonnihil timeren de concordia esse actum, nisi malum aliquod ingens interveniat. In primis tamen dissidio flagrarunt apud Mediolanum, dum ibi exercitu non mediocri consisterent adversus Franciscum regem Franciae. Quo quidem de pace cum Helvetiis agitante, quidam recipiebant, quidam recusabant. Fecit haec dissensio, ut illi cum majore exercitus parte [quae continebat ultra quindecim millia militum] discederent. Interim reliqui profectionem istam plane ignorantes absque ratione, absque exercitus hostilis exploratione, sine ordine, Ducibus ferme nullis praesentibus, fossis altissimis quam maxima difficultate superatis, sole jam demerso, hostem invadunt, caedunt, in fugam pellunt. Et si nox praelium non diremisset, jam hostis quantuscunque erat [excedebat enim numerum cum milite Germano, qui multus aderat, centum millium hominum] periisset totus. Castra hostilia per integram noctem Helvetii tuebantur, et quod fames exercitum invaserat, suadebant partim, ut Mediolanum repetatur, partim ut maneatur adusque Auroram, quo intelligant, quid hostis denuo sit tentaturus. Hoc modo iterum discordia. Interim autem, quod Helvetii tormenta capta, atque in fossas conjecta profundissimas post se reliquerant longissimo spacio, ea recipiebant hostes cum Venetis, qui eadem nocte ad hos numeroso exercitu advenerant, idque licebat impune. Adveniente autem luce corpore sic male affecto rursus hostem aggrediuntur tanto impetu, ut neque de acie instruenda, neque de bombardis adversariorum esset aliqua ratio, donec senserunt se medios inter has consistere. Tum repente tantus fragor, tanta tonitrua, tantae strages, ut terrore omnibus correptis pedem Helvetii referre cogerentur. Quis enim hominum huic tam nefando machinamento repugnaret, cui vel montes cedunt? Res miseranda, cum sua ipsius culpa tam ingens quis periculum incurrit. Caeterum qualis illa victoria fuerit, manifestum facere videntur, quod Gallus victor pacem a victis tam incredibili pecunia [nam sep-

Audiit, et mitis nec dedignata precantem,
Composito vultu tales dat pectore voces.
Vellem equidem, quae sum parvi tua Musa Poëtae,
Dignius ordirer, possemque sonare potentem
Sermonem, qui sit rebus bene congruus istis. 15
Audendum est, veniant bissenae hoc ordine partes
In numerum, qui cuique placet, vix ipsa recuso.

SAlve belligerae celeberrima gloria gentis
O Tigurum, urbs orbi, et pando notissima coelo,
Cui pro nominibus, meritisque et fortibus actis, 20
Nulla sat esse potest immensi gloria mundi.
Te mediam scindit viventi Limagus unda,
Et super incumbit squamosis piscibus ingens
Amne lacus, vitreoque relucent gurgite ripae.
Nubiferas turres, quid tam sublimia fronte 25
Tecta, quid ablotas splendenti fonte plateas
Commemorem? fora quid dicam? quid templa recenseam,
Atria Coelicolis, et dignas regibus aulas?
Urbs coelo, et superum Rectori chara supremo.

ACcede o memoranda meis Ursina propago 30
Carminibus, gens Andino bene digna cothurno,

ties centum millibus Coronatis nummis] efflagitavit. Deinde quod Luganum, et Locarne munitissimae arces Ducatus Mediolanensis, quas nostri bello Papiensi occuparunt; Vallis item Velina [quam *Sabellicus* Tellinam dicit] superata eodem bello a Rhetis, adhuc ditionis sunt Helveticae. Mihi nanque sic persuadeo, si victoria tam esset insignis, quam illi praedicant, nihil harum rerum debere admitti. Sed haec hactenus. Non enim ob aliam causam adscripsimus, nisi quo Helvetios admoneam, ut considerent, quid concordia sibi, quid item discordia [a qua sola victi sunt] adtulerit. Deinceps vero caveant, ne tantum malum unquam ad se admittant. Id quod tum fiet, cum ejus fomitem pecuniam, imo nimiam pecuniae cupiditatem quam longissime propulsabunt.

Audiit.) sc. Musa.

Vellem equidem.) Musae verba sunt, ideo inducta, ut Poeta liberius loqui possit.

Potentem sermonem.) Imitatio *Homer.* Inquit enim *Iliad.* A. Κρατερὸν δ' ἐπὶ μῦθον ἔτελλε.

Audendum est.) Proverbium, admonens fortiter periclitandam esse fortunam.

Ordine.) Ordo is est partium Helvetici foederis, ut hodie legatos mittunt, et insignia pingunt. Nam ut libertatis vindices alium sequuntur.

Salve.) Initium commendationis sumit a Tiguro urbe, quae primas partes inter Helvetios obtinet. Hodie Thurregium, seu Duregum appellitant ineptius. De conditoribus ejus, quod varia traduntur, libenter tacemus. Urbs est vetustissima, situ admodum amoeno. Jacet inter duos monticulos, illo vitifero, altero faciem praebente sylvestribus plenam arboribus. Aedificiis pollet, templis, monasteriis, moenibus, et fossatis. Superne lacus incumbit limpidissimus, longus circiter XII. millia passuum. Is urbem dissecans in medio Limagum, quem recepit pene apud Glareanos, effundit. Sternitur pontibus duobus, qui urbem dissectam denuo conjungunt. Populosa est. Senatum habet prudentissimum. Ingenia vero multo clarissima. In quibus illud non tepide commendandum puto, quod uti bonas literas amplectuntur, ita sophisticam internecino persequuntur odio, ceu a natura edocti, quantum in ea mali conditum lateat. Neque tamen hoc sanctissimo odio Tigurini solum, sed etiam alii per Helvetiam adulescentes feruntur, quibus Minerva, non Bellona adplaudit, qui et multi sunt. Inter Tigurinos autem facile primi, *Jacobus Ammianus* ingenii ita festivi, sermonis tam puri et elegantis, ut nihil supra, et *Conradus Grebelius*, cui et Musae favent non mediocriter. Illi procul dubio suam Helvetiam olim tam illustrabunt, quam ipsi hodie ab hac illustrantur. Nos ad rem redeamus. Tigurinorum meminit *Caesar in I. Strabo in VII.* et *Flor. epito. LXV.*

Belligerae celeberrima gloria.) Periphrasis Helvetiorum.

Nulla sat.) Res domi forisque Tigurinorum gestae tantae sunt, tamque eximiae, ut brevibus numerari haud queant. Quas Lector si scires, videres Poetam nostrum hoc loco nihil minus egisse quam Poetam, quorum hominum est, pro tempore res supra meritum extollere.

Viventi.) Fluenti. Nullum vitae certius signum [inquit *Erasmus*] quam motus, unde flumina quoque dicimus viventia.

Vitreoque.) Claro, liquido.

Gurgite.) Tapinosis.

Quid ablotas.) Mundicies vicorum in civitatibus et amoena est, et salubris.

Recenseam.) Synaeresis.

Urbs coelo.) Commendatio a religione. Nam Deus non diligit, nisi se diligentes.

Accede.) Berna, seu mavis Arctopolis [nam Ursus illi nomen indidit] urbium Helveticarum potentissima propter latam jurisdictionem, sex enim et viginti habet extra muros judicia. Conditam ferunt a Bertoldo Duce Zeringo. In locum est porrecta juxta tumulum, cui est imposita, ab Arari nostro ferme tota concluditur, tanquam a fossa profundissima. Aedificia habet mirabiliter extructa, nam licet tutum circuire sub porticibus cameratis totam ferme urbem

Moeoniaque lyra, et Phoebi laudanda Camoenis.
Urbs actis prudens, urbs tot regnata per annos,
Tot populis, tot castellis, tot et arcibus altis.
Uni qui nobis cunctando restituunt rem. 35
Hanc Araris praeceps, Rhodanoque fugacior amnis
In circum lambit, scopuloque immurmurat unda.
Aspice Daedalios circos, Rhodiasque columnas,
Et Labyrinthaeum rutilis vicinius astris
Templum horrendum ingens, non illud Mausolaeum, 40
Sed neque Pyramides, Memphitica marmora, vincent.

DEinde est magnanimûm piscosa Lucerna virorum,
Prima salus nostri imperii, miserata labores
Suiciae et Urorum, trepidantisque agmina Sylvae.

urbem etiam pluviosissimo tempore. Templum ornatissimum. Monasteria autem notiora, quam ut opus sit multa de his adnotare. Viros alit robustos, laboriosos, bello et paci accommodissimos.

Andino.) Vergiliano. Is enim Andinus vates dicitur a pago Andes, ubi natus perhibetur. Non longe distat a Mantua, ut *Donat.* inquit *in vita Vergilii.*

Moeoniaque lyra.) Carmine Homerico. *Martial.* sic.

Perlege Moeonio cantatas carmine ranas.

Phoebi.) Apollinis, cujus epitheton Phoebus est peculiare, nam purum significat.

Urbs actis prudens.) Laus a prudentia, sine qua virtute nemo quicquam probe agit. Quare merito dicitur reliquis virtutibus quasi lumen praeferre, atque demonstrare viam.

Urbs tot regnata per annos.) Innuit urbis aetatem. Ferunt autem fundamenta ejus jacta Anno salutis nostrae M. C. XCI. mense Majo, Henrico sexto imperatore.

Uni qui nobis.) Ennii versus ad rem Poetae deflexus. Intelligitur autem de bello Loupensi, quod quidem dum Bernenses libenter avertissent sine sanguine, adversarii [hi erant Comites, et nobilitas omnis circumquaque posita, Friburgenses item, et Ludovicus Dux Bavariae, qui titulum jactabat regis Romani,] proverbium vulgare : *Bist du von Bern, so demütigest dich gern*, in eos jecerunt magno cum ludibrio. Ipsi autem interim, quod de rebus suis pene desperaverant, precibus advocant Urios, Suicos, et Sylvanos. Adveniunt quoque Sebedalii, Leucogri, et Avellani. Atque opportunitate data ruunt in hostem, caedunt, premuntque donec victoria sunt potiti. Anno M. CCC. XXXVIII.

Rhodanoque fuga.) Oppositum Autores dicunt. Sed de nostro Arari non sentiunt.

Daedalios.) Artificiosos. Vide apud *Ovid.* de Daedalo multa, *Lib. VIII. Meta.*

Rhodiasque columnas.) Id est moles tales, qualis erat Colossus solis in Rhodo inter septem orbis miracula habitus. De quo *Plin. Lib. XXXIV.*

Labyrinthaeum.) Id est tam mire effigiatum, ut labyrinthus credi possit.

Horrendum.) Venerandum. *Vergil. in VII.*

Horrendum sylvis, et religione parentum.

Mausolaeum.) Mausoli sepulchrum, quod condidit Artemisia uxor, postquam regem oppetiisse cognovit. Opus id, ut esset inter septem miracula, ejusdem artifices fecere. Teste *Plin. Lib. XXXVI.* Versus est spondaicus.

Pyramides.) Pyramides moles sunt maximae ita constructae, ut e lato in acutum tendant. De quibus quur sint erectae, *Plin.* ita scribit *Lib. XXXVI.* Dicantur obiter Pyramides in eadem Aegypto regum pecuniae ociosa, ac stulta ostentatio, quippe faciendi eas causa a plaerisque traditur, ne pecuniam successoribus, aut aemulis insidiantibus praeberent, aut ne plebs esset ociosa. *Joachimus* meus parum ab his differre existimat turres, quas templis tantis quandoque sumptibus Christiani adnectunt.

Memphitica marmora.) Regibus apud Memphim, quae regia quondam fuit Aegyptiorum, urbs magna et populosa, erigebantur Pyramides maximae. Vide *Diodor. Sicul. Lib. II.*

Deinde est.) Lucerna [cui nomen est a luce quondam visa, antequam oppidum foret extructum, eo loci, ubi hodie collegium est canonicorum] situm obtinet planum collibus a tergo circumseptum, et sinistra. Ab his moenia sustinentur, et turres altissimae. Frontem amplectitur lacus, dextram fossae aquosae cum planicie latissima. Prospectant hae duae partes montes tam altos, ut nubes videantur tangere. Lacus Rusam fluvium initio statim oppidi fundit, a quo ipsum oppidum scinditur medium. Pontibus tribus, et longitudine, et quod undique tectae sunt, conspicuis mirifice adornatur. Ex his longissimus ad superius Collegium ducentos pene passus extenditur. Unus porro nudus oppidum quam brevissime nectit. Viros edit animi magnitudine praestantes. Ingenia vero hujusmodi, ut quorum poeniteret nunquam, si nihil a natura sua degenerarent. Satis est vel unus *Xylotectus* meus ad indicandum, verum esse, quod dicimus. Homo est ut humanissimus, ita doctissimus. Mihi autem tali necessitudine conjunctus, ut, quem ei in hac re praeferam, habeam neminem. Hinc est, quod neque ingenii vim, neque alias ejus virtutes commendare audeo, ne quis forte objiciat, Amor coecus. Illud tamen non possum tacere: Hunc esse, qui vel solus queat non tam Lucernam, quam totam Helvetiam suo ingenio facere illustrem.

Piscosa.) Propter lacum.

Prima salus.) Hoc ideo dictum, quod Lucernani primi fuere, qui icto foedere cum tribus pagis, ipsis opem tulerunt contra impetum Ducum Austriae. Quur autem id fecerint, causa fuit, quod male defendebantur a nobilitate ipsis praefecta. Habebant enim tunc temporis tres Pagos maxime infestos. Argumento est Turricula, hodie dicta *Seburg*, ubi Lucernani continuas habuisse custodias dicuntur. Deinde pali in lacu, nequis navigio posset adire, infixi, atque ab uno, in littus oppositum extensi. Vestigia adhuc videntur.

Non Leopoldi iras timuit, non Suanica bella, 45
Pannoniaeque minas, vicos imitata superbos
Auxit opes, nomenque suum, famamque perennem,
Primaque cum primis sua foedera junxit amicis,
Quodque à luce datum venerabile nomen haberet
Non oblita, dedit vires, crescensque levavit 50
Imperium, luxitque suis, et foedere vinxit.
Ergo quae tribus est vicis unda, haec eadem illi est,
Et nomen commune tenent, quod Sylva repingit.

URia post ingens, Hunnorum gente creata,
Quos rabida è Scythicis longe summoverat oris 55
Barbaries, gens tota furor, turba horrida tota.
Inciderat facinus crudele, et in aethera crudum
Fixerat os, Christumque, ejusque evertere gentem,
Sed vicit pietas, riguerunt saxea quondam
Corda viris, nunc sunt toto liquentia melle. 60
Mens sola in melius versa est, sunt robora prisca,
Atque eadem virtus, eadem est audacia membris,
Nemo illa major bello, nemo acrior armis.
Haec nostri fons imperii, quae prima Tyrannos.
Corripere est ausa, et volitanti plectere ferro. 65

SUitia bellipotens in magnis inclyta rebus,
Et bello, et pace immensos perpessa labores,
Semper in Alpinis toto aevo exercita lustris,

Non Leopoldi.) Ducis Austriae. Is Lucernanos, postquam foedus cum tribus civitatibus sylvanis percusserant, bello aggressus cum quater mille equitibus, peditibus innumeris apud Sempachium oppidulum ditionis Lucernanae oppressus obiit.

Suanica.) Suevica.

Vicos.) Uriam, Suiciam, et Sylvaniam.

Superbos.) Nobiles, praestantes.

Primaque cum primis.) Opinionem sequitur quorundam, qui putaverunt foedus quatuor civitatum Sylvae [ita nos appellamus] primum fuisse.

Levavit.) Juvit.

Ergo quae.) Lacus enim [de quo paulo ante dictum est] tam patet, ut omnes has parteis attingat, tametsi procul a sese distant. Sylvania namque abest a Lucerna milliare Germanicum. Suitia tria. Quatuor Uria.

Et nomen.) Nominantur enim lingua nostra, *Die vier Waldstaedt*, Latine non ita absurde dicere potes: Civitates, seu communitates sylvanas.

Uria post ingens.) Uria nec urbs, nec oppidum, sed communitas est pagorum. Inter quos primus Pagus vetus appellatus ita pollet aedificiis, atque plateis lapide stratis, ut ab oppido nihil differat, nisi quod caret moenibus. Nominis origo est ab Uro bove sylvestri, cujus caput Hunni, a quibus illi vere initium sumunt, gesserunt in armis. Interiacet montibus, ut non possit adiri, vel certe difficulter, nisi aut navigio, aut per montem Gotthardi periculosissimum. Viros habet prudentes, acres, et vere contemptores animae, ubi pro Justitia dimicandum est.

Quos rabida e Scythicis.) Scythia regio Asiae Septentrionem versus admodum barbara, quare Scythicis oris dicit pro Septentrionalibus. Rabida autem barbaries Hunnos Scythiae populos, inquit Poeta, commovit ad proficiscendum in Italiam, ut persequerentur Christianos. Post magnam vero stragem acceptam huc sunt adacti, ut in patriam repedandum esset, quidam vero nobiles cum multis aliis, terrore nimio perculsi, in haec montana, ubi hodie sunt Uri, consederunt. De Hunnis vide *Paulum Diaconum. Lib. XV.*

Gens tota furor.) Emphasis est, nam plus, quam si dixisset furibunda.

Facinus crudele.) Magnum scelus, quale autem id, quantumcunque fuerit exponit.

Et in aethera.) Quia contra Deum, et ejus cultores bellum susceperant.

Quondam.) Dum adhuc Idolis sacra facerent.

Mens sola.) Solam, inquit, mentem in melius transmutarunt falsam religionem abjicientes, veram autem suscipientes. Nam uti prius fortes fuerunt, ita hodie quoque pristinam servant fortitudinem.

Audacia.) Fortitudo. Alias temeritatem significat, idque proprie.

Fons imperii.) Guilielmus enim foederis autor Helvetici Urius fuit.

Volitanti plectere.) Alludit ad Guilielmum, qui [ut diximus] telo Griselerum tyrannum trajecit.

Suitia bellipotens.) Suitia sequitur, unde omnes confoederati commune apud vulgus hodie tenent nomen Suitenses, vel Suiceri. Pagorum est congeries sicut Uria, interclusa montibus, longe tamen, quam Uria, situs amoenioris, faciliorisque aditus. Traducunt autem Suici originem a Suedis, qui in extrema Septentrionem versus Europa sunt; alio nomine Gotthi appellantur. Cujus rei testimonium non modo nostrae historiae adferunt, sed et ii, qui vel hodie Suediam inhabitant. Ex quibus saepe quaesitum a mercatoribus nostris, quicquam ne haberent in annalibus, quod argueret expulsos fame ex sua patria, in nostras, uti apud nos creditur, sedes devenisse. De conformitate regionum, morum, naturae, aliarumque rerum, ut solet, nihil minus inquisitum. Asseverarunt omnia, illud adjicientes,

miris

Figit apros, certatque ursis, cursuque volanti
Praevertit damas, cogitque in retia cervos: 70
Ocia nulla sciunt juvenes, nulla ocia adulti,
Scandere ni montes, et duro vincere caestu
Ocia quis dicat, studium hoc o Gotthica nobis
Terra dabas, quando Italicis te sustulit oris,
Horrendasque tulit dux Byzantinus in Alpes. 75
Post quoque difficiles omnino exosa Tyrannos,
Arma secuta modis Uri Guilielmia miris.

SYlvanam gentem, Romano a sanguine cretam,
Quam scindit geminam nemoroso robore sylva,
Quis digne satis extollat? cui lucidus aër, 80
Lucidaque amne loca, et foecundo gramine campi,
Miles et in jaculis, et longa turbidus hasta;
Libertatis honos, et priscae gloria Romae.
Sarnenses arces, infesto sydere natae,
Ipse Tyrannus idem, tua jura Agriane perosus, 85

miris se gloriari modis, tam laudatum apud omnes gentes populum originem sibi ferre acceptam. Appellatio est a Suiterno quodam populi duce, qui pugna fratre superior plagae nomen [nam de hoc certamen erat] imposuit. Quod quidem picturae jam dum apud Suicos antiquissimae indicant, nedum libri. Mirum autem in modum pulchra corpora progignit. Poeta his attribuit ea, quae *Mantuanus* Helvetiis in exhortatione Principum Christianorum contra Turcas, ubi sic scribit:

Gens fera, contemptrix animae, consueta per Alpes
Figere apros, certare ursis, nive candida semper
Per juga veloces cursu praevertere cervos
Helvetii, tibi dura acuunt venabula, et enses.

Labores.) Hos commemorare, librum postularet.

Ocia nulla.) Magna laus. Omnem enim maliciam docuit ociositas, ut *Chrysostomus* ait.

Caestu.) Caestus clavam significat ex corio, quae plumbum insutum habet, loris bubulis manibus brachiisque adligabatur. Antiquitus erat durum certamen caestuum, raroque sine caede committebant.

Dux Byzantinus.) Narses Justiniani Imperatoris dux. De hac re *Leonardus Aretinus* sic scribit *Lib. IV. de bello Gotthico:* Inter haec ad mille equites ex Gotthorum castris aufugerant, magnisque itineribus Papiam, et alia trans Padum oppida petierant. Reliqui autem foedere cum Narsete icto sua privatim asportantes Italia excedere, ac numquam adversum Romanum Imperium bellum gerere promiserunt. Libertate tamen retenta, sine ulla Romani Imperii subjectione. Libro quoque II. ait: Gotthos in Alpibus frequentia habuisse castella, et multas arces.

Arma secuta.) Haec res habet hoc modo. Agrianus [quem vulgo *Stoufacher* nominant] domum contignatam pro more Suicorum sumptuose extruxerat. Quam, Gryselerus praetervectus equo, ubi diutius contemplatus erat, tandem rogavit, cujusnam esset? Respondit ille non ignarus Tyrannici pectoris: Tua est optime Princeps, et mihi conducticia. Abiit Tyrannus. Hic vero magna percitus sollicitudine ne in domum suam violenter is, qua erat malignitate [prius namque non semel contra alios idem patraverat] impetum faceret, tristis egit tantisper, dum persuasus ab uxore concederet Uriam, inventum iri fortasse, quos similis injuria premeret. Consilio adprobato reperit duos, conveniunt, conqueruntur Tyranni injusticiam, et denique conjurant, se aut mortem obituros, aut patriam secum adserturos in libertatem. Quid actum sit, ita palam est, ut pluribus verbis non egeat.

Sylvanam gentem.) Proxima nunc Sylvania, duplex quidem, superior, et inferior. Nomen sortita est a sylva interjacente. Multis pagis abundat, montosa prorsus, latissimis tamen, atque foecundissimis pratis. A Romanis hic populus descendit, expulsus ab Urbe per seditionem, quos quantum et cultu, et fortitudine adhuc repraesentet, noverunt, quibus mores et gesta Sylvanorum sunt comperta.

Cretam.) Ortam. *Vergil.*

Quo sanguine cretus Hortamur.

Geminam.) Duae partes enim sunt [ut diximus] et duo judicia. Ad conventum Helvetiorum duos mittunt legatos, qui tamen unum tantum suffragium possunt reddere. In dividendis quoque vel stipendiis, vel aliis rebus, Superior, quod major est, duas portiones, ubi Inferior unam, accipit. Hujus pagus praecipuus Stans vocitatur, illius Sarnen.

Miles et in.) Indicat populum esse bellicosum.

Turbidus.) Pugnax, terribilis. *Vergil.*

Et Venulo adversum se turbidus infert.

Libertatis.) Helvetiae, pro qua paranda, et conservanda nihil non subierunt laborum.

Romae.) Ad hanc enim referunt originem, uti dictum est. Nihil autem hactenus egerunt, quo ab illa degenerasse queant redargui.

Sarnenses arces.) Vicus est Sarnen [modo id quoque relatum] primus sylvae superioris, unde Sarnensis est deflexum, a quo non procul Landenbergius Tyrannus arcem habuit cum arte, tum natura sic munitam, ut de ejus expugnatione ferme desperatum esset. Tum vero succurrit exactio, quam Tyrannus, qui Landenbergio successerat, statuit ad expilandum populum, ut videlicet singuli singulis diebus festis, quos quatuor per annum celebramus, pro facultate aliquid tributi sibi nomine adferrent. Nam dum, divina Tyranno audiente, censum Sylvani putarentur adferre, arcem intromissi occupant. Quae res statim ut ad dominum pervenit, omnibus post habitis, paucisque ex ministerio comitatus Sylvania excessit. Haec obiter diximus.

Ipse Tyrannus.) Landenbergius. De hoc ab initio pene dictum est.

Oſtendunt: Huic eſt vaſtae pius incola Eremi
Nicoleos, qui uno et viginti ſobrius annis,
Nil potus, eſusque tulit, myſteria coeli
Edoctus, ſacro vivebat corpore Chriſti.

Tugium ab antiqua Helvetiorum gente creatum, 90
Gens ferri, populusque acer, gens ſueta laboris,
Semper in arenti juvenes exercet arena.
Terra minor reliquis, ſed non tamen infima virtus,
Dura manus bello, nullo perterrita caſu,
Stat, velut à rapido quercus non mobilis Euro 95
Vapulat, inſtructaque ignara phalange revelli.
Facta patrum oſtendunt, et monſtrant tempora noſtra
Tuginos acres, et libertate celebres,
Sollicitosque ſui, natosque ad bella Camillos.
Huic ſunt à tergo colles, ſed dextera pingui 100
Rure viret, frontem nitida lacus abluit unda.

Tu quoque Limagiana gravi gens inclyta bello,
Et libertatis vindex, temeraria Rheni
Bella teris gladio, dirosque exploſa Tyrannos,
Culmineque eductas in ſydera diruis arces; 105
Plurima majorum tibi ſunt exempla tuorum;

Huic eſt vaſtae.) *Nicolaum* ſignificat Eremitam. Hic quidem natione Sylvanus, patre Henrico, matre Hemmanna progenitus divino monitu eremum intravit, uxore cum decem liberis quinque maſculis, et totidem puellis relicta, ubi absque cibo, et potu humano XXI. annos transegit. Solitus fuit aliquando dicere: Longe gratius ſibi fuiſſe, quod divina gratia potuerit penitus uxori ſuae renunciare, quam quod cibo. Sepultus jacet apud Sylvanos in pago, cui nomen *Sachslen*. Vir fuit admodum procera ſtatura, et formoſa. Supra quam erat ſatis macie confectus, ut nihil aliud habere viſus ſit, quam cutem oſſibus adhaerentem. Color erat fuſcus, capilli nigri canicie paſſim interſperſi. Barba non prolixa, nec multo pilo, ſed in medio biſurcata. Oculi adprime nigri, et quibus terrore quis potuiſſet, ob venerandum fulgorem, concuti. Colli, gutturisque venae, dum loquebatur, non ſanguine, ſed aere videbantur plenae. Veſte uſus unica, et ſimplici ad talos usque demiſſa. Caput ſemper nudum, et nudi pedes. Vocem edebat virilem, ſermonem tardum. Diſputans de Deo, videbatur omnia ſacrarum literarum ſecreta eſſe rimatus, cum tamen ne literam quidem noverat. Illud addam: Cellulam ejus fuiſſe longam duobus paſſibus, et ſemis, latam unius et dimidii, altam, ut capite ejus ſummitatem tangeret. Feneſtrenulas haec duas habuit palmae latitudinem referentes. Nihil inſuper videbas, praeter humillima ſcabella, quibus haud dubie pro cervicalibus utebatur. Haec adſcripſimus ob eam cauſam, quod hactenus non vidimus adnotata ab his, qui vitam ejus viri literis mandarunt. Quamvis *Henricus Lupulus* Canonicus Bernenſis homo plane doctus nihil pene omiſerit. Ejus libellum propediem in lucem dabimus.

Tugium ab antiqua.) Tugium, vulgo *Zug*, oppidulum eſt, cujus frontem cingit lacus, tergum et ſiniſtram monticuli, dextram campi non mediocriter fertiles. Memini a majoribus me audiſſe, longe quondam fuiſſe amplius, quam ſit hodie, ſed unam ejus partem ob lacum inſidiantem ſubſediſſe. Extra muros parum admodum habet imperii. Homines producit mire formoſos, et acres. Tuginorum meminit *Strabo Lib. IV.* et *VII.* ubi ait, de Cimbris loquens: *Cumque conflatas latrocinii opes longe ſuis ampliores eſſe viderent, in Helvetios ſe contuliſſe. Et ex eis praecipue Tigurinos, et Tuginos ſollicitaſſe. Univerſos vero delevere Romani* etc.

Acer.) Fortis. *Vergil.*

Arma acri facienda viro.

Stat.) Comparatio.

Euro.) Vento quovis. Species eſt pro genere.

Vapulat.) Percutitur, impellitur.

Phalange.) Ordine. Quid phalanx proprie ſit, his verbis *Q. Curtii* clarum videtur: Ipſi phalangem vocant peditum ſtabile agmen. Vir viro, armis arma conferta ſunt.

Camillos.) Fortes ſicut erat Camillus, qui urbe a Gallis Senonibus capta ad Capitolium usque, a tergo eos ſubito aggreſſus adeo cecidit, ut omnia incendiorum veſtigia [prius enim urbem totam igne conſumpſerant] Gallici ſanguinis inundatione deleret. Vide *Livi. Lib. V. Decad. I.* et *Flor. Epit. I.* et *Plutarch.* Poeta elegantiae gratia numerum mutavit, quemadmodum etiam *Hieron. Lib. I. contra Jovinia.* Claudias, et Cornelias dicit.

Tu quoque Limagiana.) Glareana pagus totam ditionem ſuam denominat, inter montana jacet altiſſima. Ingenia feliciſſima profert. Quod quidem facile poeta noſter comprobat, et *Arbogaſtus Strub* cognomento, qui, dum in vivis eſſet, non mediocre decus fuit Academiae Viennenſis. *Conradus* item *Fontejus* Veſenius. Adoleſcentes autem quamplurimi, quos nihil ambigo ſi pergent, uti coeperunt, non parum ſuae patriae ornamenti allaturos eſſe.

Limagiana.) Glareana, a Limago, qui apud Glareanos oritur.

Libertatis vindex.) Exploſit enim Tyrannos, et arces, quas ſeptem habuit, diſiecit.

Eductas in ſydera.) Hyperbole. *Vergil.*

Fluctusque ad ſydera tollit.

Aſpice

Aspice dissecto Vesenia pergama muro,
Quid patres potuere tui, te aequare labores
Majorum pulchrum est, demptasque ulciscier umbras.
Sunt tibi in aethereo duo numina maxima coelo, 110
Inclytus effugiens noctem Fridolinus opacam,
Hillarion Gallus, Pictonae gloria gentis,
Saepe vocanda tibi, saepe in tua vota petenda.

RAuriacas arces, Augustaque limina Rheni
Helvetiae muros, et inexpugnabile vallum, 115
Quo pede dicendi, quo plectro, quave camoena
Sat digne extollam? non si mihi Tullia verba
Delius inspiret, Musisque ad transtra vocatis,
Tantillum laudis possem. Salve optima mater
Indigenis Basilea tuis, urbs inclyta fama, 120
Urbs Troja, Thebisque, et multis notior astris,
Tota quidem splendes, et te tibi pulchrior ipsa es,
A planta usque caput, tu nostri portus apexque
Imperii, tu totus honos, non indiga laudis
Fucatae, semper studiorum dulcis alumna, 125

Aspice dissecto.) Pugnam significat Nephelinam, in qua hi populi contra Glareanos suos miserunt exercitus: Scaphusiani, Chimopolitani, Chiburgii, Doggii, Cellani ad lacum Venetum, Campocanini, Dux Austriae, Domini ex Torberga, Rappensvilii, Grunigenses, Uznenses, et Vesenii. Ceciderunt ex hostibus in ea pugna tria millia, praeter eos, qui in lacu Vesenio sunt submersi. Hanc quidem, ut praecipuam, Poeta noster carmine Heroico descripsit, suo tempore editurus in lucem.

Vesenia pergama.) Moenia Vesenii oppidi nunc desolati, vulgo Wesen.

Pulchrum.) Imo pulcherrimum. Non enim est, quod magis dedeceat, quam degenerare a suis, ubi quid ab eis optime et cum virtute gestum est.

Numina.) Patroni.

Inclytus effugiens.) *Fridolinus* in Hibernia natus dicitur e stirpe generosa, ac praedivite. Patria relicta urbem petiit Pictaviensem divertens ad Divi Hilarii basilicam. Mansit illic tamdiu, donec visione monitus est ab Hilario, ut inde abscederet. Venit itaque longissimo itinere ad Insulam Rheni, in qua hodie Sacconium oppidulum est. Ibi plurimis annis in Dei servitio peractis obdormivit.

Hillarion Gallus.) Praeclarus hic fuit Theologus, et episcopus Pictaviensis. De quo lege *Hieron.* in catalogo illustrium virorum.

Rauriacas arces.) Basilea urbs episcopalis praeclara, et ampla, omnibus modis ita commendabilis, ut parem inveniri facile, haud credam. Situs est namque jucundus, longus et oculis mirifice blandiens undique prospectus, aedificia magnifica, templa atque monasteria multa, dulcissimi fontes, coelum saluberrimum, mira omnium rerum exuberantia. Rhenus urbem disterminans, ponte tamen iterum connexam. Homines civiles, Respu. optime instituta. Et, quod erat initio dicendum, Universitas erudita, a qua non mediocrem laudem obtinet apud exteros. Sed nec minorem ab arte impressoria, ut ex qua innumeri tam boni libri, tam elegantes, tam repurgati ab omnibus mendis, tamque reipu. Christianae conducibiles in lucem jam non multo ante prodierunt, et quotidie prodeunt. In qua quidem re ERASMUS ille Roterodamus vir ex omni aevo incomparabilis, et rei communi Christianae [nihil enim dubito] natus, haudquaquam sua laude fraudandus est, utpote cujus opera effectum, ut plerique hi libri cum exhibiti sint, tum emendatiores, conspicuique magis exhibiti. *Beatus* autem *Rhenanus* quantum in hoc negocio laborum impendat, vel orbi cognitum. Hunc equidem hominem commendarem pro doctrina singulari, pro linguarum cognitione, pro instigandi studio ad bonas literas, et sacram Christi philosophiam, pro candore, pro humanitate et probitate, ac denique pro exactissimo judicio in re literaria, nisi id fecisset jam olim fama, qua per totum pene Christianum circulum ejus nomen defertur. Habet haec urbs etiam indigenas, a quibus plus quam illustratur. Ut *Bernum* Theologum, *Amorbachios* trilingues, *Copum* alterum nostri temporis [ut *Erasmus* inquit] Hippocratem. Percussit autem foedus perpetuum cum Helvetiis ob defendendam et justitiam et libertatem. Superius quoque de hac diximus. Nomen habet regium. Βασιλεὺς enim rex est, βασιλεία regnum.

Augustaque limina.) Allusio ad Augustam veterem.

Muros.). In Helvetiae enim pene finibus est.

Non si mihi.) Hoc dicit. Etiamsi Apollo Ciceronis mihi infunderet eloquentiam, et Musae labori meo adsisterent, tamen ne minimum quidem laudis efferre possem, prout Basileae requirit magnitudo.

Delius.) Apollo, a Delo insula maris Aegei. De qua *Vergil. Lib. III. Aene.*

Ad transtra.) Ad labores, ad opus nostrum. Transtra sunt navium tabulae, in quibus sedent remiges. *Vergil.*

Praecipites vigilate viri, et considite transtris.

Indigenis.) Incolis. Indigena opponitur advenae, significatque inde genitum.

Urbs Troja.) Trojam *Homer.* et *Vergil.* cecinerunt. Thebas *Statius.*

Et te tibi pulchrior.) Superlatio. *Ovid. Jam se formosior ipse est.* De Adonide.

A planta usque caput.) Adagium. Eo utimur rem totam significantes.

Fucatae.) Id est, adumbratae verborum lenociniis.

Massiliam referens, doctasque Academia Athenas.

GEntis Aventinae decus, et suprema potestas,
Gloriaque illustris, Francisque procella Friburgum,
Ausim num tenui laudes tibi fundere filo?
Illotis manibus, citharaque sonante ululatum? 130
Sed jubar excellens, magnarum curia rerum,
Parce humili plectro, belli memorabile fulmen,
Irascensque Aries muris, objectaque moles
Ordinibus, volitansque hosti catapulta furenti.
Sedula Bertoldi Ducis alti cura Zeringi 135
Te, velut Arctopolim, fatis felicibus urbeis,
Aedificarat, ubi hos squallenti viderat ora
Colliculos, loca nascendis aptissima muris.

URbs Treveri soror, et Romae Salodoria priscae
Aut aequa, aut major natu, quam scindit et ambit 140
Cultus Arar, cui sunt sacris Thebaea sepulchris
Corpora, quae quondam e Nilo Memphiticus Heros
Duxit in hoc Ursus coelum, dum vita manebat,
Martyrii ut palmam, et dignos Heroë triumphos
Acciperent omnes pro chari nomine Christi. 145
Accipe quod volui breviori dicere versu.
Ursinum servas morem, fortissima bello

Massiliam.) Civitatem Narbonensis Galliae. Respicit Poeta nimirum ad hoc, quod *Strabo* dicit de Massiliensibus *Lib. IIII.* Eos videlicet rem urbanam per optimates, et Aristocratiam regentes, omnes legum aequitate superasse.

Doctasque Academia Athenas.) Unde humanitas, doctrina, religio, fruges, jura, leges ortae, atque in omnes terras distributae putantur: inquit *Cicer. pro L. Flacco*. Ibidem Massilia commendatur magnopere.

Gentis.) Friburgum nostrum idem Princeps condidit, qui et Arctopolim, situm est in ultima pene Helvetia occidentem versus, urbs munita non tam hominum operis, quam natura loci. In montis enim radicem adsurgit, cui subest amnis Sana. Superne cacumine montis protegitur, in primis vero prudentium virorum consilio. In quibus tamen FALCO eques auratus, et major hoc tempore Praefectus facile primas tenet, cujus equidem mentionem eo facio lubentius, quod et doctus est, et eloquens, quodque tam unice *Glareanum* nostrum amat, omnesque doctos, ut vel hinc liceat hominis conjicere prudentiam.

Aventinae.) Friburgum Aventicum dicitur hac de causa, quod sit Aventici oppidi, capitis olim [teste *Cornel. Taci. in XVII.*] Helvetiorum colonia. Ejus et *Ptole. Lib. II.* meminit.

Procella.) Obstaculum contra Franciam.

Illotis manibus.) Proverbialiter dictum in eos, qui vel audacius, vel parum instructi rebus his, quibus oportuit, negocium invadunt.

Curia.) Appositio. Curia locus est, ubi senatus reipub. curam, a qua et nomen usurpat, gerit. *Cicero:* Extincto enim senatu, deletisque judiciis, quid est, quod dignum nobis aut in curia, aut in foro agere possimus?

Belli memorabile fulmen.) Ita Scipiones quoque duo belli fulmina ab Ennio nuncupantur.

Irascensque Aries.) Aries machina bellica, qua veteres muros diruebant. Tribuit rei inanimatae affectum, cum dicit irascens.

Catapulta.) Catapulta jaculum celere, vel sagitta secundum *Nonium*.

Loca nascendis aptissima muris.) Locus enim is accommodatus urbibus extruendis, quem natura etiam ad tuendum formavit.

Urbs Treveri soror.) Si civitatibus laudem parit vetustas, nullam vel Galliae, vel Germaniae dicere ausim, exceptis Treviris, quae parem cum Salodoro nostro commendationem mereatur. Ferunt enim conditum esse, non multo post Abrami tempora. Visuntur hodie argumenta antiquitatem plane indicantia. Situm est ad Ararim nostrum, contentum planicie, validissimis cinctum moenibus. Viris praestat hujusmodi, ut a quibus in praelio animum concipias vel ignavissimus.

Salodoria.) Trevirim et Salodorum sorores vocat, quod iis simul fuerunt temporibus, cum nullae adhuc aliae civitates vel per Galliam, vel per Germaniam forent extructae.

Cui sunt sacris Thebaea.) Nempe Ursi, et sociorum ejus, qui ex Thebaide Aegypti cum Divo Mauricio proficiscentes, post Mauricii martyrium Salodorum venerunt. Ibi tum Praeses erat Hirtatus nomine. Huic a Maximiano Imperatore continuo mandatum, ut sanctos viros vel ad idololatriae cultum adigeret, vel tolleret e medio. Verum hi firmati in Christo cunctis prae ipso contemptis martyrio coronati sunt.

E Nilo.) Ex Aegypto, cujus fluvius est Nilus.

Memphiticus.) Aegyptiacus. De Memphi supra dictum.

Palmam.) Victoriam, cujus palma signum est. Ratio datur a *Gellio Lib. III.*

Ursinum servas morem.) Apostrophe ad civitatem.

Aequesque sororum.) Trevirim. De qua *Ausonii* verba subscribam.

Armipotens dudum celebrabere Gallia gestis,
Trevericaeque urbis solium, quae proxima Rheno
Pacis ut in mediae gremio secura quiescis,

Im-

Pectora habens, nulloque unquam perculsa timore,
Ut Romam factis imitere, aequesque sororem.

SUbticeamne tuos o Scaphusiane labores? 150
Conspicuum Helvetiae sydus, bene digna Camoenis
Gloria Teutonicae Germano in littore terrae.
Utilis et bello, vincendoque utilis hoste.
Quam propius liquidi facies nitidissima Rheni
Alluit; hic rapidus refluente in gurgite vortex 155
Cernitur, Euripum referens, Scyllaeque voracis
Latratus, hic unda alti de vertice montis
Lapsa ruit praeceps, sterilemque eructat arenam
In circum, sursumque volans portendere nubem,
Aut nebulae speciem, et coelum pulsasse videtur. 160

TArda venis, sed grata meo Cellana juventus
Concentu, fidibusque istis, plebs aspera cultu,
Contemptrixque animae, molesque objecta periclis
Suanorum, cui quanquam alti sunt ardua montes
Pergama, stat fortis pro duro dextera muro. 165
Est tibi simplicitas prudens, moderata potestas,
Et quo nil majus, justo moderamine ferrum.
Te quoque quis cultuve Dei, pietateve major?
Claude meum carmen, potiusque eris ultima stellas
Inter majores, quam prima minoribus astris. 170

HAec mea Musa humili visa est prompsisse Camoena,
Historiam libans, summas vix tangit aristas,

Imperiique viros quod alit, quod vestit et armat,
Laeta per extentum procurrunt moenia collem,
Largus tranquillo perlabitur amne Mosella,
Longinqua omnigenae vectans commercia terrae.

Subticeamne.) Scaphusiam a scapha dictam, non ab ove, [quamvis usus jam sic obtinuerit] supra retulimus. Sita est ad Rhenum in littore Germanico, Helvetiae tamen ponte conjungitur. Omnium rerum mire exubèrans, nec postrema in Helveticis urbibus sive pace, sive bello. Eo autem territorio complectitur, cujus nec Bacchum poeniteret, nec Cererem.

Hic.) Sub Scaphusia circiter mille quingentos passus.

Euripum.) Euripum significat, qui pars maris est inter Phocidem Boeotiae partem, et Euboeam insulam, cujus meminit *Strabo Lib. IX.* et *Plin. Lib. II.* Et quorundam tamen, inquit, privata natura est, velut Taurominitani Euripi saepius, et in Euboea septies die ac nocte reciprocantis, tam rapida conversione, ut quemadmodum Autor est *Pompon. Mel. Lib. II.* vento, ac etiam plenis velis navigia frustretur.

Scyllaeque voracis.) *Justinus* Historiographus de Scylla sic scribit *Lib. IV.* „ Undarum porro in se „ concurrentium tanta pugna est, ut alias veluti ter„ ga dantes vorticibus in imum desidere, alias quasi „ victrices in sublime ferri videas, nunc hic fremi„ tum ferventis aestus, nunc illic gemitum in vora„ gine desidentis exaudias. „

Hic unda.) Descriptio haec tam aperta est, atque dilucida, ut nulla penitus explanatione sit opus.

Tarda venis.) Abbatis cella pagus oppidum modis omnibus repraesentans totam ad se attinentem plagam denominat. Intercluditur montibus. Recepta in numerum partium Helveticarum An. M.D.XIV. A Poeta vero addita est, posteaquam reliquas partes jam descripserat. Quare dicit: *Tarda venis.*

Cui quanquam.) Id est: quanquam montibus altissimis est circumducta, tamen in his quasi parum confidens, dextra fortitudinem exercet.

Simplicitas prudens.) Nihil poterat aptius conjungere, quam cum prudentia simplicitatem. In hac nanque synceritas est, in illa boni et mali, et inter se utriusque discretio.

Justo moderamine ferrum.) Res omnino difficilis homini Christiano invenire causam, qua juste belligeret, quod tota evangelica doctrina, omnis institutio apostolica nihil aliud doceat, quam pacem et charitatem. Unde magnam tribuit Abbatiscellanae juventuti laudem, quod bellum non ineat, nisi justum. Id quod tum fecit, dum Tyrannidis impatientia, non multos ante annos jugum insolentissimi dominii excussit justis causis moventibus, aliquot imperialium civitatum copiis gravi pugna superatis apud viculum, quem Loch cognominant.

Potiusque eris.) Eleganter concludit Abbatiscellam admonens, velit potius esse inter Helvetiae partes [quas angulos vulgo dictitant, nec sine ratione] praestantiores ultima, quam inter inferiores prima.

Haec mea Musa.) Culpam omnem, quod non descripserit Sedunos, et Leopontios socios Helvetiorum, Durgeos, oppidum ad S. Gallum, Doggios, et Sanacasam ditionis Helveticae, in Musam Poeta rejicit, posteris id qualecunque futurum sit negocium committens.

Historiam libans.) Breviter attingens. Libare est leviter gustare. *Vergil.*

. . . *Et flumina libant.*

Sed neque, quid Veragri poſſint, acerque Sedunus,
Et Leopontini, gens aegocerotide pelta
Bellipotens, cecini, tria quae per foedera juncta eſt, 175
Rheticaque arva tenet, Sanctique potentia Galli,
Durgea quid felix poſſit, quid Doggia caſtra
Fortia, quid vallis quae nomen ab anſere ſumpſit.
Haec mea poſteritas celebret, charique nepotes,
Tum, quae plura vides, noſtro non congrua plectro 180
Subnotet, et partes ſingillatim explicet omneis.
Tota mihi cantanda fuit, mea Muſa recuſat
Hoc onus immenſum, volui tamen illa referre.

Foeta armis regio, foecundoque inclyta partu,
Et ſemper creſcens populus, patiensque laborum, 185
Formicae velut Aeginae, quas creſcere in auras
Aeacus aſpexit, relevamen plebis ademptae,
Myrmidonasque vocat, nec origine nomina fraudat.
Gens nimium potum exhorrens, gens dedita ſacris
Religione viret, tota eſt affabilis, alto 190
Amne ſitim levat, et victu contenta minuto eſt.
Fidum iter oſtendit plebs officioſa, per Alpes
Tuta via eſt, atque a laqueis defenſa latronum,
Nullae hic inſidiae raptorum, nulla tyrannos
Arx fouet, et nullam timet hic mercator eremum. 195

Veragri.) De his ſuperius dictum. Quidam eos appellant hodie Ad S. Mauricium.

Aegocerotide.) Patronymicum pro poſſeſſivo. Ea gens capricornum habet in inſignibus, qui Graece dicitur αἰγοκέρως.

Pelta.) Pelta ſcutum breviſſimum eſt in modum lunae jam mediae, inquit *Servius*. Poeta pro inſignibus ponit.

Tria quae per foedera.) Alluſio ad hoc quod vulgo dicuntur. *Die drey Bünde.*

Sanctique potentia Galli.) Oppidum vocatur ad S. Gallum pulchrum, opulentum, et populoſum, ob negociationem [byſſo namque victum quaeritat] multis cognitum gentibus. De quo, etſi propter res innumeras foret celebrandum, parcius dicam, quod *Joachimus Vadianus* ejus alumnus ipſum elegantiſſimo carmine illuſtravit, vir talis in omni doctrinarum genere, ut quem vel doctiſſimis quibusque opponeres, adeo humanus, ut neſciam, an humanius quicquam unquam ſenſerim.

Quid vallis.) Poeta vulgi opinionem ſecutus dicit vallem hanc nomen habere ab anſere, *Sargans* etenim vocant, cum vere nominetur lingua Rhetica Sanacaſa.

Foeta armis regio.) Laudes colligit Helvetiae. Ubi quidem candidum lectorem velim admonitum, ne ſi quae obvenient moribus hodiernis Helvetiorum contraria, ſtatim mendacii Poetam inſimulet, nam de veteribus, hoc eſt majoribus noſtris rem potiſſimum vult intelligi, per quos imperium noſtrum adauctum eſt. Non enim neſcit, quantum hodie alienam ab illa priore vitam agant Helvetii, neque id ſemel apud nos deploravit.

Formicae velut Aeginae.) Similitudine fabuloſa, ſed decentiſſima adcreſcentem hunc populum indicat. Fabulam lege apud *Ovid. Lib. VII. Meta.*

Aeginae.) Inſulae Atticae ubi regnavit Aeacus.

Creſcere in auras.) Mutari in homines.

Plebis ademptae.) Scilicet peſte a Junone immiſſae.

Myrmidonasque vocat.) Aeginenſes, inquit *Strabo Lib. VIII.* Myrmidonas appellatos, non quomodo in fabulis canitur, ut ingente invaleſcente peſtilentia formicae Aeaco precante in homines verſae fuerint, verum quia formicarum more terram fodientes ad petras tranſportarent, ut agri colendi materiam haberent, foſſasque incolerent, ne latericiam facere, atque aedificare cogerentur. Formicae Graece dicuntur μύρμηκες unde Myrmidonum appellatio.

Gens nimium potum.) Sciens nimirum Plinianum hoc: Cicuta venenum eſt homini, cicutae vinum. Quaſi dicat Vinum citra modum ſumptum venenum eſſe praeſentiſſimum, quum veneni ſit venenum. Sic *Politianus Plinium* legit in *Miſcella*. In primis autem illud Pauli: Μὴ μεθύσκεσθε οἴνῳ, ἐν ᾧ ἐστιν ἀσωτία.

Gens dedita ſacris.) Mirum quantum ſimplicitas in homine Chriſtiano commendetur, atqui tam ſimplices Helvetii, ut etiam ab *Eraſmo* ſint ab ea virtute commendati, conſentaneum igitur vero ipſos non admodum male Chriſtianos eſſe, et proinde religioni quam maxime addictos.

Tota eſt affabilis.) Humana erga peregrinos, ſic enim intelligitur. Qua quidem in re neſcio, an ſit alia gens praecellentior.

Et victu contenta minuto.) Pro laboribus minuto, neque delicato, ſed ſimplici, de qua re ita ſcribit *Chryſoſtomus*: Vilis enim menſa et tenuis ſanitatis mater eſt, et eam propterea medicorum pueri ita nominaverunt, non ſaturari quidem vocantes ſanitatem. Cibi nanque penuria ſanitas eſt, minus veſci, ſanitatis matrem appellantes.

Oſtendit.) Scilicet peregrinis.

Tuta via eſt.) Id quod non tam apud noſtros eſt communi verbo celebratum, quam apud exteros, quo dici ſolebat: Adeo tutam Helvetiam, ut auro ne publice quidem geſto ſtruerentur inſidiae.

O ni-

O nimium felix patria, o digniſſima laude,
Si, quod majores duro peperere labore,
Imperium ſerves, libramque ſequare bilancem
Virginis Aſtraeae, timeat ſua dona Cupido,
Imperium pia ſimplicitas rogat, et bona virtus. 200
Jura ferat ſenior, venabula laeta juventus
Dura acuat, ſubigatque ferox in cote ſariſſas.

Papa tibi, et Caeſar, duo lumina maxima mundi,
Ante oculos ſunto, ſolem illum, hunc dicito lunam;
Papa caput mundi, verus pater Urbis et orbis, 205
Sol verus, reliquas ſtellas illuminat omneis,
Praecipue lunam, quae caetera lumine vincit
Sydera, ceu ſuperat reliquos molimine reges
Magnanimus Caeſar, belli inviolabile fulmen,
Totius orbis apex, hominumque ſuprema poteſtas; 210
A Chriſto poſitus, cui longo ſerviet aevo
Sol oriens, ſolque occiduus, polus auſter, et arctos,
Hos ſequere authores, rerum dominosque patresque.

Omnia ad exemplum majorum pende tuorum,
Omnia perſpicienda tibi, tu diſcito Romae 215
Creſcentis mores, tetricos imitare Catones,
Aeneadasque duces, Decios, fidosque Camillos.
Fabritium, Curium, et contracto poplite Coclem,
Innumerosque alios, quos commemorare moleſtum.

O nimium felix.) Peroratio adhibita admonitione.

Libramque ſequare bilancem.) Alluſio ad Juſtitiae imaginem, uti hodie pingitur.

Virginis Aſtraeae.) Juſtitiam antiquitus vocabant Aſtraeam, eamque ſcribunt, ut apud *Ovid.* legitur *Lib. I. Meta.* terras reliquiſſe poſtquam a vitiis hominum ſunt occupatae, atque in coelum migraſſe. Quod quidem *Lactantius* ille *Firmi.* ait *Lib. V.* non pro poetica fictione, ſed pro vero habendum. Rationem licet ab eodem inquiras.

Cupido.) Optime dicit, timeat. Nam nihil noſtrae patriae poteſt accidere peſtilentius, quam pecuniae nimia cupiditas. Et haec eſt alterum e duobus, quae omnem rempub. ſubvertunt, alterum ambitio.

Jura ferat ſenior.) Id eſt: Senior rempublicam curet.

Venabula laeta.) Id eſt: Juventus tractet arma, quemadmodum Romulus primus rex Romanorum rempubl. ſuam inſtituit, ut videlicet juventus in equis, et in armis, ut *Florus* ait, ad ſubita bella excubaret, ſenes penes reſpub. eſſet, quos quidem ex autoritate patres, ob aetatem ſenatores vocabat. Innuit autem Poeta proverbium, quo dici ſolet: Facta juvenum, conſilia mediocrium, vota ſenum.

Subigatque.) Ita *Vergil. Lib. VII.*
Subiguntque in cote ſecures.

Sariſſas.) Haſtas oblongas, quales Macedones ferre olim ſoliti ſunt.

Hos ſequere authores.) Sequendi eatenus ſunt et Papa, et Caeſar, dum nihil nec jubent, nec imperant, quod diſpliceat Chriſto. Quod ſi ſecus fit, haudquaquam obſequendum. Imo vero ſemper habendum in pectore: Plus nos debere Deo, quam hominibus. Aliquoties namque populi ſimplicitas in hac re pernicioſiſſime ſeducitur.

Tetricos Cato.) Graves, et ſeveros. Duorum Catonum, ſenioris, cui nomen Cenſorio, et minoris, cui cognomen Uticenſi, gravitas, pariter atque integritas vulgo celebratiſſima quondam fuit, adeo, ut e coelo demiſſi dicerentur, ut bellum cum vitiis gererent, inquit *Eraſmus.* Unde Adagium ſumptum: *Tertius Cato*, in viros impendio tetricos.

Aeneadasque.) Romanos ab Aenea deſcendentes.

Decios.) Et pater et filius pro ſalute publica ſe devoverunt. Ille in bello Latino, autore *Livio Lib. VIII. Deca. I.* Hic in bello adverſus Umbros, Hetruſcos, et Samnites, quod idem teſtatur. *Lib. X. ejusd. dec.*

Fabricium.) Hic Conſul fuit Romanorum omnium ſuo tempore gloria, et rebus geſtis maximus, ſed in primis frugalitate commendatus, in tenuiſſima namque ſuppellectili Samnitum, qui tum hoſtes erant, munera contempſit. Et Timocharem vel ut alii, Nicium pro necando Pyrrho Epirotarum rege, contra quem Fabricius tum in armis erat, pecuniam petentem, Pyrrho remiſit. De hoc et *Valeri. Max.* et *Gellius* meminerunt.

Curium.) Dentatum intelligit, qui hoc paravit cognominis ab eminentiori dente. Exactiſſima frugalitatis norma dicitur, et fortitudinis perſpectiſſimum ſpecimen a *Valerio Lib. IV.* De eodem lege *Plutarchum*, et *Cornelium Nepo.*

Contracto poplite Coclem.) Is et claudus fuit, et unoculus, quae quidem vitia tulit ob fortitudinem. Mirabilis fuit ejus viri pugna pro ponte ſublicio, ubi unus tot millibus armatorum tamdiu reſtitit, dum a tergo ponte interciſo in Tyberim ſe demiſit, atque ad ſuos tranavit incolumis. Ejus virtutem multi autores commemorant, ut *Valerius*, *Cornelius Nepos*, *Livius*, *Florus*, *Seneca*, *Gellius*.

Brutus erat nobis, Uro Guilielmus in arvo. 220
Assertor patriae, vindex ultorque Tyrannûm:
Sic rogo Scipiadae sint nunc, fideique stupendae
Attilius, sit qui pacem Pyrrho esse negandam
Appius admoneat: tu regna Aeneia fixo
Contemplare animo, nec gesta illa inclyta temne, 225
Quin propius sequere, et vestigia semper adora.

Brutus erat nobis.) Guilielmus Tellus Brutus fuit Helvetiorum, nam uti Brutus Romanae libertatis fuit vindex, et custos, ita Guilielmus Helveticae. Lege de Bruto *Plutarchum*. *Valeri*. *Lib*. *V*. et *Cornelium Nepot*. et *Livi*. *Lib*. *I*. et *II*. *Decad*. *I*.

Tyrannum.) Syncope.

Scipiadae.) Viri fortes, qui patriam augeant, sicuti Scipiones Romanum auxerunt imperium.

Attilius.) Attilius Regulus intelligitur, cujus fidem *Cicero* satis superque explicat *in I*. et *III*. *Lib*. *Officiorum*.

Sit qui pacem.) *Cornelius Nepos* in haec verba scribit: Cum de pace Pyrrhi ageretur, et gratia potentum per legatum Cyneam precio quaereretur, senex et caecus lectica in senatum latus, turpissimas conditiones magnifica oratione discussit.

Quin propius.) *Statii* carmen ad finem *Thebaides* paulum immutatum. Concludens autem Poeta monet Helvetios, ut semper in oculis habeant Romanos priscos, qui fere nunquam bellum gesserunt, nisi causam haberent justissimam, et cum hoc, quicquid ad virtutes attinebat, omnibus nervis observarunt a recto rarissime discedentes.

OSWALDUS MYCONIUS LUCERNANUS
S. D. STEPHANO SUO FERRARIO.

HAbes mi Stephane, quod multis à me petiisti flagitiis. Pro viribus ego sum annisus, ut omnia essent quàm emendatissima. Siquid vero occurret vel tibi, vel aliis non admodum expolitum, prudentis est boni consulere. Respice aetatem meam, respice tempus brevissimum, quo ad bona studia perveni, et miraberis me potuisse, quod vides. Si posthac tale quidpiam in manus sumpsero, efficiam, ut non possit displicere, bonis et doctis inquam. Tu interea vale, et me cum D. Jacobo, et Joh. Glothero redama, vos enim in primis colo. Tiguri. XI. Calend. Febr. Anno M. D. XIX.

ACCES-

ACCESSIONES EDITIONIS BASILIENSIS

Apud JACOBUM PARCUM per ipsum HENRICUM GLAREANUM procuratae Anno M D LIV.

HENRICI GLAREANI Epistola Nuncupatoria.

D. HIERONYMO A ROLL,

Salodorensi, nobilissimo adolescenti, Glareanus S. D. P.

UNdequadragesimus nunc agitur annus, suavissime ac in primis dilecte Hieronyme, quando juvenis ego elato, (scilicet ut aetas illa habet) spiritu, patriae nostrae descriptionem orsus, cum tredecim civitatum Panegyrico, sequente anno perfectum opus, Basileae editum ac typis excusum, concilio Helvetiorum, quod Tiguri tum habebatur, obtuli: rem ea tempestate mirabilem, quando nemo antea, quod equidem sciam, apud nostrates quicquam tale tentaverat, imò fortassis, ne cogitârat quidem (nisi cantilenas vulgò decantatas commemorare libet.) Cessit tum feliciter quod coeperam, magnificè enim exceptus, liberaliter donatus, ac honestius dimissus ab Helvetiis, magnum momentum nostris hominibus, et facilem ansam majora commentandi dedisse videbar. Sed scilicet rerum humanarum alastores, bella inciderunt: et per seditiosos homines variae in religione opiniones ac sectae, urbium ac principum dissensiones, quae per hosce triginta annos universam Germaniam penè pessundedêre, vicinos Germanis Helvetios mirè afflixêre, ut saepius propemodum pigeret, ac potius puderet operae, quemadmodum putabam, probe navatae. Nunc demum senex reviso, quod mihi olim juveni excidisse judicari poterat. Et totum quidem revisi opus, quaedam etiam retexui, maxime Geographica, imo ad regulam D. Aegidii Tschudi affinis nostri plurimum dilecti, plerosque locos emendavi, ex eo videlicet libro quem ille de Rhaetia doctissime scripsit, quo intra mille annos vix melior in re topographica prodiit. In eo enim libro multiplex eruditio, judicium acutissimum, Celticae linguae, qua hodie Helvetii utuntur, proprietas egregie expressa, ut qui eum in Latinam linguam vertere conati sunt, ridiculos se plane ostenderint. Sed de hoc alias. In hoc nostro opere duo potissimum tractantur. In priore parte, est pura locorum descriptio ad Strabonis Geographi morem, qui geographica cum chorographicis sive topographicis plerunque miscet. Ea fere inconcussa manent: lacus, flumina, montes, valles, viae per Alpes, ac his similia. In posteriore parte, est Panegyricon, quod cum temporibus mutatur, secundum illud: Tempora mutantur, nos et mutamur in illis. Atqui Helvetii ita à nobis laudati sunt, qualeis eos esse vellemus: Majores suos imitarentur, maxime in iis quae ad religionem, mores, ac gesta inclyta pertinent, haud ignari rerum mortalium, quam sedulo diabolus tanquam leo rugiens obambulet, quaerens quem devoret: ut divus Petrus admonuit. Caeterum Commentarius in nostrum hunc libellum fuit Oswaldi Molitoris Lucerini ante annos triginta editus, cum ego Lutetiae stipendio regio fovebar, in quo multa mutanda fuere ipsi, quod versus in eo mutati sunt opere, et res pleraeque (ut jam diximus) lucidiores factae. Sed illud nunc laboris in nos incubuit, postquam ille nuper fato functus e vivis cessit: ne quis putet id odio magis quam ratione factum. Sed pluribus non est opus. Ad te redeo mi Hieronyme, qui dignus mihi visus es cui hosce labores dedicem, tum ob tuos, ut apud me aliquot annos vixisti, probatissimos mores, ac familiam, e qua natus es, honoratam: tum ob amitam tuam Barbaram à Roll (nihil minus quam barbaram) viduam à LUTERNAW nobilissimam illam heroinen. Quae quasi Helvetica Judith, quasique singulare pudicitiae exemplum Susanna inter alias nitet foeminas, velut inter igneis Luna minores: ut est apud Flaccum. De qua non dixero, quod de Lucretia Valerius, cujus virilis animus maligno errore fortunae muliebre corpus sortitus est. Quid enim hoc ad aeternam vitam cum Christo possidendam retulerit? Id dicam, cui Deus dedit tantas virtutes, tanta naturae ac gratiae munera, ut nemo hodie mortalium privatus unus fere vivat, quem vivere magis ad omnium salutem referat. In ea sane matrona natus videtur Hippocrates aut Mithridates aliquis, in noscendis herbarum virtutibus. Quot hominum corpora salubribus medicamentis pristinae restituit sanitati? Cui aegro non illa vel consulit, vel succurrit? Idque non lucri, sed pietatis gratia. Veniunt e Germania in Helvetios ad illam tanquam ad Aesculapium, aut oraculum Delphicum. O vere pauperum refugium,

divitum ſolamen! Quid ego Chriſtianum in ea animum praedicem, nulla haeretica pravitate inquinatum? Quid heroicas virtutes? Spiritus ſancti dona? Ineptus plane ſim qui exiſtimem epiſtolari anguſtia illius me, cum corporis, tum animi dotes perſcripturum. Itaque deſino de illa plura dicere. Unum hoc teſtatum volo apud poſteros, urbem Salodorum, imo univerſos Helvetios, non minus vere gloriari poſſe de hac heroide, quam vel Scythae de Tomyra, ut eſt apud Herodotum, vel Romani de ſua Lucretia: imo tanto juſtius gloriandum illa nobis, quanto pluris faciunda eſt Chriſtiana pietas tragoediis illis ethnicis. Tuum eſt mi Hieronyme, illius juſſis parere, ejus exemplo ac majorum tuorum ad magna ac honeſtiſſima quaeque excitari. Vale felix, una cum Johanne Rudolfo fratre tuo dilectiſſimo. Friburgi Brisgoae, anno à JESU CHRISTI natali milleſimo quingenteſimo quinquageſimo tertio.

IN HELVET. DESCRIPTIONE.

Verſ. 17.
Tum Cerétos populos ſpatioque remota parumper.
Verſ. 25.
In Boream curſans curſu crepitante diremit.
Verſ. 31.
Hinc arva Allobrogum, Rhodanoque ſuper Genevae pons.
Verſ. 81.
Sed contra Boream ortumque obitumque aſtrorum.
Verſ. 145. et ſeqq.
Tertius Urſa celer, nunc verſo nomine Ruſa,
Gotthica ſtagna trahens, Tauriſcas proruit undas,
Alpibus a ſummis, hoc eſt, à monte Gothardi
Uſque ad Luceriam, Tuginiſque amnibus auctus
Labitur in patrios etc.
Verſ. 149.
Ultimus eſt Arola, is Rhodano contrarius exit,
Thunum it et Arctopolim etc.
Verſ. 167.
Treis Arola, et treis Urſa, ſed obluctatus arenis.
Verſ. 176.
Laeta quod in planum fluvios habuere receptos.

IN PANEGYRICO.

Verſ. 36.
Hanc Arola undoſus, Rhodanoque fugacior amnis.
Verſ. 42.
Tertia Luceria eſt, ſumma dicenda Camoena.
Verſ. 45.
Non Leopoldi iras timuit, non Suevica bella.
Verſ. 54. et ſeqq.
Uria poſt ingens Tauriſca gente creata
Progenies Gallorum antiqua, per ultima belli
Fortunaeque pericula in has compulſa latebras
Delituit multis annis, ignobile ſeſſa
Ocium agens, donec claris Habspurgius Heros
Ductor in Helvetiis multa virtute Rudolphus
Surgeret Auſonii praecelſa in culmina Regni;
Ad veteres rediit mores, ſunt robora priſca,
Atque eadem virtus eſt etc.
Verſ. 128.
Gloriaque illuſtris, praedonum virga Friburgum.
Verſ. 139. et ſeqq.
Urbs quam Roma ſimul ſociam Treuerque ſororem
Appellent, Salodorum ingens, te ſcindit et ambit
Ipſe Arola, en tibi ſunt ſacris Thebaea Sepulcris.
Verſ. 149.
Ut Romam factis aeques, vincasque ſororem.
Verſ. 150.
Subticeamne tuos piſcoſa Scaphuſia laudes.

Henrici Glareani ad hos verſus adnotationes.

Genevae pons) Quatuor haec nomina Genua, Geneva, Genabum et Gebenna multum obſcuritatis Lectori ingerunt, ac non attentos ſaepe fefellerunt, quae ipſa longe diverſa ſunt. Genua enim (non Janua) Ligurum caput in Italia ad mare mediterraneum. Geneva vero Allobrogum, ad hoſtia Lemanni lacus, ubi Rhodanus exit. De hac nunc poeta loquitur. Genabum autem Carnutum oppidum ad Ligerim amnem, hodie, ut quidam putant, Aurelia. Denique Gebenna mons, qui Helvetios (hodie Albin) ab Arvernis ſeparat, ut *Lib. VII. Comment. Caeſar.* patet.

Tertius Urſa celer) Ab Urſa flumine, hodie Ruſa inverſa priore ſyllaba, tertius conficitur pagus.

Nunc verſo nomine Ruſa) Id eſt ſyllaba *Ur* in *Ru*.

Tauriſcas) Uriorum. Suici enim à Gothis, Urii à Tauriſcis deſcendunt. Porro quanta ſit prima de Gotthis, incertum autores faciunt: ſi reſpicimus etymon ejus à Germanico *Guot*, diphthongo produceretur, ſed eam nec Graeci nec Latini agnoſcunt. *Auſonius* corripuit. At bona pars eruditorum geminat *tt*, unde et produci poteſt. Poeta utrumque et hic et alibi ſecutus in Gotthico ac Gothardo.

Alpibus à ſummis) Summas Alpeis *Caeſar* vocat, qui nunc mons S. Gothardi dicitur, e quo VII. flumina ad quatuor mundi plagas profluunt. Nempe ad ortum citerior ac ulterior Rhenus [qui poſtea tamen ad ſeptentrionem]: ad meridiem Ticinus, Madia, ac Toſa: ad occaſum Rhodanus: inter occaſum ac ſeptentrionem Arola: denique ad ſeptentrionem Ruſa ſive Urſa.

Uſque ad Luceriam, Tuginiſque) Luceria inclyta urbs ad hoſtia lacus jam dicti, qui communis ipſi eſt cum Uriis, Suicis ac Sylvanis: de qua, ſicut et de Tugio, poſtea in Panegyrico. Augetur autem Urſa Lucerinae ditionis fluvio, Emmana, et Tugini lacus oſtiis circa vallem, quam Mariae dicunt.

Tertia Luceria eſt) Luceria, cui nomen vel a luce vel antiquiſſima Samnitium urbe, quae et ipſa a luce dici videri poteſt.

Summa dicende Camoena) Summa magna hoc loco, non ultima, ut apud *Horatium*, unde haec ſunt verba.

Tauriſca gente creata) Sequitur poeta opinionem D. Aegidii Tſchudi Claronenſis, civis ac affinis ſui, qui Urios Tauriſcae gentis reliquias exiſtimat. Sicut ii hodie, qui ad Carnos ſedent, *Steurmarck* vocantur, pro *Stiermarck*, antiquiſſima in Gallis gens, ſed multis vexata calamitatibus, et in Italia et in Illyrico, diverſas in ſedes, ut Boji, diver-

diversis temporibus dispersi sunt: Sic Urios in Alpes has venisse, et lingua Gallica, et insignia, taurinum caput, argumenta esse possunt.

Habspurgius Heros) Nobilissimae familiae ab *Habspurg* *XIV*. comites fuere, usque ad Rudolphum hunc, qui Romanorum rex postea electus fuit, ac domum Austriae tantam fecit. Ille primus illexit in amicitiam Urios, Suicos, ac Sylvanos, porro quamdiu ille vixit, bene res habuit. Verum eo mortuo, praefecti ejus existimantes vere subditos, non foederatos, tyrannide coepere plebem premere, sed inde prorsus expulsi, imperium cum vita amisere, ut initio descriptionis dictum est.

Ad veteres rediit mores) Id est, rursus bellum sumsit, ut majores ejus, sed jam Christiani facti a multis annis.

Praedonum virga) Quia ea Helvetiae pars, quae inter Friburgum ac Genevam jacet, saepe infamis suis latrociniis a Friburgensibus ac Bernatibus, quantum in ipsis fuit, purgata.

Treuerque sororem) Treueri per secundam vocalem duabus prioribus syllabis, a nominativo *Treuer*, et est diphthongus *eu*. Est enim *Treuen*, minari Gallica lingua: unde Treueri dicti, quasi minaces. De his ac similibus in *er* nominibus, multa poeta noster in Annotationibus in Lucanum ad illum versum ex primo Pharsaliae: *Tu quoque laetatus converti in praelia Treuer*. Est enim prima diphthongo longa, quam quidam male corripiunt.

Piscosa Scaphusia) Vix alia est urbs, ubi ditius est forum piscatorium.

In commentario ad Helvetiae descriptionem.

Vers. 6. nota: *Autor*) Wilhelmus vera scriptura, sed abusus evicit Guilielmus.

Vers. 7. nota: *Cur pomum fronte pusilli*) Pro pectorali scribit humerali; pro *pomum*, malum.

Ibidem: Et jam medium lacus, qui quatuor civitatibus communis est, tenebant.

Ibidem: Adprehendit clavum, vir alioquin robustus ac nunc in magna constitutus necessitate. Jam navis in vado putabatur etc.

Ibidem: Ad lacum usque Tuginum.

Vers. 9. nota: *Quod studium*) Oculos seni cuidam eruit, omnibusque bonis privavit.

Vers. 11. nota: *Maneat nostros*) Versus est *Vergilii* ex tertio *Aeneidis* paululum immutatus:

- - - *Maneat ea cura Nepotes:*

Vers. 12. nota: *Illius auspiciis*) Propositio est, quam invocationi postposuit, more Graecorum poetarum.

Vers. 14. nota: *Ludere versu*) Secutus est eos, qui ita praecipiunt: Ludimus minora, canimus majora. *Virgil.*

Ludere quae vellem calamo - - -
Arma virumque cano - - -

Vers. 18. nota: *Aetuatica rura*) Haec iterum *Strabo*, *libro quarto*, apud quem est Diphtongus Ἀιτυάτιοι. Unde poeta hic *u* pro consonante accipit, ut sit tetrasyllabica dictio. De illis *Tschud. in Rhaetia cap. XVII.* egregie disserit: non sunt autem ultra Rhenum, ut putavit poeta, sed citra utrique et Aetuatici et Leopontii in Caninis hodie Rhaetis.

Vers. 19. nota: *Rhetus*) Quidam eos arbitrantur a Gallis e Thuscia pulsos, ac duce Rheto Alpes occupasse, ac ita *Livius Lib. V.*

Vers. 22. nota: *Duo cornua*) *Vergilius* aliter bicornem adpellat, propter hostia duo.

Vers. 23. nota: *Monte Diaduella*) *Strabo* testis, ut supra diximus. Sed poeta secutus *Strabonis* codicem, qui etiam in Graecis variat nomen. Multi existimant ubique Adulas legendum, nisi quis putet eum montem plura habuisse nomina, Adulas, Aduallas, Diaduella: sicut hodie tres transitus per eum insignia nomina habent, *Urseler*, *Vogel*, Lucumonis mons. Vide *D. Aegidium Tschud.* in Rhaetiae descriptione *Cap. XXXI.*

Vers. 24. nota: *Acronium*) Acromumne tribus syllabis, an Acronium quatuor syllabis dicendum foret.

Vers. 25. nota: *Diremit*) Praeteritum pro praesenti, quamquam ad praeterita quoque tempora referri potest.

Vers. 26. nota: *Insubres medium*) Nomen est Gallicae linguae qua etiamnum Helvetii utuntur *Unsuber*, ut pleraque alia Gallorum Cisalpinorum nomina *Kinman* Coenomani, *Mantow* Mantua, *Vener* Veneti.

Ibidem de Segusio: Ptolemaeus in Italiae descriptione ita ait: *Segusianorum in Graiis Alpibus urbes Segusium ac Brigantium.* Haec ille. Sebusiani autem inter Rhodanum ac Ararim, apud *Caesar. Lib. I. de bello Gallico.* Sedusii vero Germaniae populus est, ut apud eundem *Lib. I.*

Vers. 28. nota: *Ursella*) Vallis ad radices Gothardi stadiis fere nonaginta distans.

Nota: *Ubi spumifer*) Cursum ejus sequutus Sedunum usque.

Vers. 31. nota: *Allobrogum*) Partem ejus regionis duces Sabaudiae habuerunt, nunc Franci omnia occupant. De Geneva oppido *Caesaris* verba subscribam, inquit enim: *Extremum oppidum Allobrogum est, proximumque Helvetiorum finibus Geneva, ex eo oppido pons ad Helvetios pertinet.* Haec ille.

Vers. 32. nota: *Seduni*) Vallesiani dicuntur hodie, a Rhodani fontibus ad Lemannum lacum protenduntur.

Vers. 33. nota: *Veragri*) Populi Sedunis finitimi supra lacum Lemannum; hodie inferior Valesia, eorum vicus Octodurus, hodie *Martenach*. *Caesar* de Sedunis et Veragris *Lib. III. Comment.* meminit. Male enim tractatus ab iis est. Ipse poeta de iis multa in *Commentaria Caesaris* scripsit lectu digna.

Vers. 34. nota: *Denique ad occiduas*) Quae regiones Helvetiam contingant ab occasu exponit.

Vers. 35. nota: *Burgundos acres*) Burgundi origine Germani olim occuparunt Sequanos, populum Galliae inter Rhenum ac Arvernos, late potentem.

Vers. 40. nota: *Lingonicus*) Lingones hodie *Langres*. Leuci autem in Lothoringia, id quod antiquitates etc. *Ptolemeus* quoque civitates Leucrorum dicit Tullium et Nasium.

Vers. 44. nota: *Rauriacam*) A Rauracis extructam post excisam Augustam ipsorum.

Ibidem de Basilea) Quae quidem hodie, ut tempore *Caesaris* Rauraci, cum Helvetiis est in foedere. Sed ipse poeta super *I. Comment. Caesar.* ita disserit: Rauracos supra Basileam habuisse sedes, atque Augustam urbem maximam, cujus etiam hodie vestigia sunt, pertigisseque eorum imperium

rium recta ascendendo secundum Rhenum ad confluentem usque Rheni ac Arolae, ditionis hodie Helveticae, satis consonum veritati est. Hi *Rauchacker* olim Germanica voce dicebantur, quasi diceres duri agri. Ejus tractus hodie quatuor sunt elegantia oppida: *Waldshut*, *Lauffenberg*, *Seckingen*, *und Rheinfelden*. Haec ille, et plura alia lectu digna.

Verf. 45. nota: *Sacconium*) Rectius Sequanium. Vulgo Seckingen oppidulum Rheni, XXVI. millibus-passuum supra Basileam in mediis Rauracis jacens.

Verf. 46. nota: *Arietis hinc urbem*) Quam (Schaphusiam) vulgus nominatam putat ab ove (quam opinionem hic sequitur, sed in Panegyrico alteram.)

Verf. 49. nota: *Hercynios saltus*) De sylva Hercynia multa etiam poetam nostrum in Annotationibus super sextum librum commentariorum *Caesaris* exposuisse monet.

Verf. 51. nota: *Erythropolitanos*) Michael Rubellus, qui bonas literas cum maxima laude multis annis Bernae professus est.

Ibidem: Denique quod illic per biennium literis incubuerit poeta. Ejus urbis laudes ipse poeta una cum praeceptoris Encomio celebrat *Lib. II. Cap. XXXIII. Dodecachordi*, ubi de connexione aeolii hypoaeoliique differit.

Verf. 52. *Ariovistum reddit* Erenvestum. Vox, *addit*, est Germanicae linguae, *Erenvest*. Caesar vocem, ut alia, corrupit, *Ariovistus*.

Verf. 59. nota: *Aeternis Alpes nivibus*) Qui montes altos vocitent Alpes, quod est verisimile.

Verf. 64. nota: *Rhodanus*) Quamvis citra Lugdunum ad meridiem se flectat.

Nota: *Ad Zephyrum*) Id est, occidentem, indicat enim etc.

Verf. 65. nota: *Ister*)

Alluit Elysios, Ariosque et Poeonis oram,
Et Lygios, tandem rapto tumefactus aquarum.

Verum de hoc flumine et ejus, non uno, sed duobus fontibus *Prygen* et *Pregen*, ipse poeta multa notatu digna scripsit in annotationibus *Comment. Caesar. Lib. VI.*

Verf. 77. nota: *Fontibus irrigua*) Fontibus, amnibus, et lacubus non est similis Helvetiae natio sub coelo, ut putat poeta noster.

Verf. 85. nota: *Quid liquidos referam*) Ut Dura, Emmana, Rhodano, ut in Sedunis, innumerisque talibus.

Verf. 108. nota: *Primus adest Duras*) Quidam putant, olim *ur* syllaba producta dictam, et Celtice *die ur*, ac abjecta de articulo diphthongo *je*, *dur*. Sed postea ita mansisse nomen, quasi simplex.

Verf. 112. nota: *Hic ager Helvetius*) *Caesarem* locutum de agro Aventicensi et Moretensi, de quo ipse *Caesar* fortassis audierat, nam *Caesar* Helvetiam non vidit.

Verf. 115. nota: *Adhuc fluvii nomen*) Quanquam ipsi proferunt per *gen*, addita etiam *w*, *Durgeuw*, *Algeuw*, *Brisgeuw*, *Hegeuw*.

Verf. 116. nota: *Doggius*) Uldrici Zinlii Encomium à *Myconio* ibi adscriptum *Glareanus* omisit.

Ibidem de altero Cellae etymo addit: Sed poeta noster somnium putat. De oppido S. Galli postea dicemus.

Ad Verf. 118. *De Constantia*: Vide ut Poeta hic minime invidus huic urbi suam tribuerit laudem: cum nulla unquam vicina urbs rebus Helveticis magis obstiterit, non magno sane suo commodo.

Verf. 119. nota: *Deinde paludosus*) Hodie tamen nomen [Limagi] satis clarum ac integrum est.

Ibid. Post verba: *Et vocari Linthum.* Deinde ex loco Rivario alium effundi amnem, cui nomen Magus, eos confluere in unum, ac deinde Limagum vocitari: intrare autem, posteaquam ab origine circiter decem millia passuum, Claronam, atque infra Claronam Castra, et Marcam, duas regiunculas irrigaverit, in lacum Tigurinum, huncque pertransire ita et medium urbis Tiguri, post haec autem cursu ad CC. stadiorum confecto in Arolam primum, brevissimo post spacio in Rhenum influere.

Ib. ad vocem paludosus *adnotat*: Dixisset lacunosus, si lingua Latina haberet, aut si ea vox à lacu derivari potius videretur, quam a lacuna. Limagus enim lacus excipit ut minimum quinque.

Verf. 120. nota: *Hospes Aduleae*) Porro Limagus oritur ultima parte Claronensis ditionis quae attingit Aetuatios, quibus Adulas imminet. *Ptolemeus* valde latum hunc montem facit, ut sit verisimile etiam Urorum ac Suicorum regionem contingere, ad lacum usque Tigurinum ubi adhuc nominis aliquid est, *Etzel*, post quem lacum est divae Virginis templum, de quo noster poeta, quod Christo episcopo consecratum creditur, ac magnae Europae parti notissimum. *Myconii autem verba*: Hodie Etcel dici putant aliqui, *et quae sequuntur*, *Glareanus expunxit*.

Verf. 143. *Sunt et qui*) Sunt qui à Limago Allemaniam dictam putant, sed poeta opinionem quorundam recenset, non suam sententiam.

Verf. 145. *Tertius horrendo*) Non procul a veteri pago, ita locus primus apud Urios nuncupatur.

Ibidem. In lacum quatuor Civitatibus communem [ut dictum est,] sed appellationem habentem a terris, quas alluit, ingreditur. Hunc, inquam, locum pertransit ad urbem usque Luceriam, qua secta in partes duas denuo erumpit. In multos deinde circumductus gyros Rhenum intrat non multum sub Brugis Herogeae oppidulo.

Verf. 148. nota: *Labitur in patrios*) A quibus (Gothis) ut supra dictum est, Suici suam aestimant originem, quam poeta hic sequitur ad vulgi opinionem.

Verf. 149. nota: *Ultimus est Araris*) Porro de hoc flumine et oppido Salodoro in divi Mauritii vita de sancta Thebea legione ita legitur: *Ex eadem legione fuisse dicuntur etiam illi martyres Ursus et Victor, quos Salodori passos fama confirmat. Salodorum vero castrum est super Arolam fluvium, neque longe Rheno positum.* Haec ille. Quod si, quod *Valla* docet *Lib. IV. Eleg.* Castrum est est locus muris munitus, et ut *Ser. in VI. Aen.* fatetur, etiam civitas: certe haec verba pulcherrime in urbem Salodorensem conveniant. Meminit autem et fluvii Arolae *Boccatius Flor.* ubiubi legerit. Neminem enim, ut solet, citat autorem.

Verf.

Verſ. 158. nota: *Oppida multa ambit*) Bernam, ut dictum eſt, fere ambit, ac alia quaedam oppidula.

Ibidem de Salodoro) Videtur autem ibi ſalis vectigal fuiſſe Romanis.

Ad Verſ. 160. *De Arow adjicit:* Nam quod ab *Ar ave* haec oppida putant, tale eſt, quale Baſileam à Baſiliſco.

Ad Verſ. 160. *Et adimeci Vulturii*) Quanquam duae ejus nominis ſint in Helvetiis arceis, altera ad lacum Lucerinum, hodie diruta: altera ſupra Brugas ad Arolam quae hodie Bernatium eſt, integra: ab utra autem XIV. comites (tot enim ſunt hodie in principum Auſtriae genealogia) hiſtorici certant, et adhuc ſub judice lis eſt.

In commentario ad Panegyricum.

Verſ. 2. nota: *Mores ſtudiumque*) Quamvis non clam me ſit, multis longe videri aliter etc. *Quae vero in malevolos ibi dicuntur omnia Glareanus delevit.*

Verſ. 10. nota: *Quibus una fides*) Concordia Helvetiis ſine dubio et imperium auxit, et rem univerſam. Ergo quibus una voluntas, id eſt, quae eſſe debebat. Ita enim ſunt res mortalium.

Quae ibi Myconius de Helvetiorum pugna juxta Mediolanum expoſuit, Glareanus obliteravit omnia.

Verſ. 18. nota: *Salve belligerae*) Superne lacus incumbit lympidiſſimus longus circiter XXX. millia paſſuum. Is urbem diſſecans in medio, Limagum, quem infra Claronam excipit, effundit. *Tigurinorum laudes, quas ibi attexuit Myconius Glareanus ſilentio preſſit.*

Verſ. 30. nota: *Accede*) In locum eſt porrecta bene longum.

Ad Verſ. 35. *Illis, quae Myconius de pugna Loupenſi appoſuit, deletis, Glareanus haec tantum adnotavit:* Fuere enim Bernates olim cunctatores, minimeque temerarii, unde tantum nacti ſunt imperium.

Verſ. 38. nota: *Daedalios*) Artificioſos. Loquitur autem poeta de templo et area ante templum, denique de univerſa urbe, quae ex lapide quadro fere tota facta eſt, praebente materiam copioſe, qui ad imum urbis eſt, monte ſectili: caeterum non credo talem urbis ſitum eſſe terrarum orbe, qualis eſt Berna. Arola enim (ut dictum eſt) tam profundum habet alueum, ut locum, cui impoſita eſt urbs, quique ipſum flumen, a meridie, ortu, ac ſeptentrione circundat, montem fecerit. Dorſum longum eſt ad mille plus minus paſſus, trium platearum, ſed latiſſimarum, per quas ita amnis ab occaſu, nempe iſthmo, qui continenti adjungitur, immittitur, ut per omneis non modo plateas, ſed etiam domos meet, omneis ſordeis abluens.

Verſ. 42. *Deinde eſt*) Ingenia vero non poenitenda. *Xylotecti encomium ſilentio involvit.*

Verſ. 49. nota: *Quodque a luce*) Poeta ſequitur antiquam vulgi prolationem, qui Luceriam adhuc Luceri, accentu in prima ſyllaba poſito, pronuntiant, cum nunc Lucernam vocitent vulgo. Et ſane Lucerna abjectum vocabulum eſt, quod *Vergilius* neutiquam dignatus eſt heroico verſu, quia a primitivo defecit. Sciolus aliquis et hiſtoriarum imperitus nobis ex Luceria nobili nomine Lucernam fecit ignobile, indignum viculo vocabulum, nedum nobiliſſimae urbi.

Verſ. 54. *Uria poſt ingens*) Ab Uro bove ſylveſtri, cujus caput Tauriſci etc.

Verſ. 66. nota: *Suitia bellipotens*) Poeta his attribuit ea, quae *Maro IX. Aeneid.* priſcis Latinis et *Baptiſta Mantuanus* etc.

Verſ. 73. nota: *O Gothica*) Hic producit primam de Gotthia, ut diphthongus *Guot* expoſcit. Dicti enim Gotthi *die guoten*. Qui cum Getis eosdem putant, toto errant coelo. Getae enim ad finem Danubii ſedem habent. Gotthi autem in Scandinavia regione ſeptentrionali, velut altero mundo, de qua natione Olaus Magnus Gothus, frater Joannis Magni Upſalienſis epiſcopi viri ſanctiſſimi, elegantem noſtra aetate deſcriptionem exhibuit.

Verſ. 77. *Uri Guiliehnia*) Pro Guilielmi Urii, figuratus ſermo, cum ſynaereſi Uri pro Urii.

Verſ. 78. nota: *Sylvanam gentem*) Underwalden, quaſi dicas Inter ſylvas, non autem a centum ſylvis, ut quidam ſomniarunt; ſic enim aſpirationem acciperet.

Ibidem: A Romanis, ut fama eſt, inferior pars, quae *Stans* vocatur, deſcendit, expulſa ab urbe per ſeditionem, quos quantum etc.

Verſ. 86. nota: *Huic eſt vaſtae*) Noſtrae poetae parens cum eo locatus fertur, cum avo poetae ac ejus majoribus bello interfuit. Poeta eo anno natus eſt quando Nicolaus moritur, anno Chriſti M CCCC LXXXVIII. Filium ejus conſulem vidit poeta Sylvaniae, anno a Jeſu Chriſti Natali M D X.

Infeſto ſydere natae) Quia paulo poſt tyrannidem dirutae ſunt.

Tua jura Agriane) Novam libertatem, quae alia adferebat jura, et Agrianum Suicum (de quo antea) vulgo *Stouffacher* vult intelligi.

Nicoleos) Attica declinatio, ut μενέλεως. Nam Nicolaus, ditrochaeus heroico verſui minus apta erat dictio.

Verſ. 93. nota: *Terra minor reliquis*) Eximia laus hujus urbis, cum civium pauciores habeat, cum maximis tamen civitatibus Helvetiorum nunquam detrectavit certamen, ſive adverſus exteros bellandum eſſet, ſive civili bello opus fuit, unde et praeturas exteras, ſuffragiumque aequam cum maximis habet civitatibus, tanquam prima claſſis Romana inter caeteras. Hanc noſter poeta ſemper maximi fecit.

Verſ. 99. nota: *Camillos*) Poeta elegantiae gratia numerum mutavit, quemadmodum *Vergilius II. Georg.*

Extulit haec Decios, Marios, magnosque Camillos.

Ad Verſ. 102. *Poſtquam Arbogaſtum Strub civem Claronenſem celebravit, Conrado Fontejo Weſenio praeterito ad Tſchudii et Schulii laudes progreditur:* D. Aegidius Tſchudi inſigne ornamentum hujus ſeculi, una cum fratribus et tota illa familia poetae noſtro faventiſſima. Adde his D. Henrichum Schulium Nephelinum poetae ex ſorore nepotem, in rebus mathematicis non mediocriter eruditum: ſed ad alia tranſeo.

Verſ. 103. nota: *Temeraria Rheni*) Oppoſiti ſunt Claronenſes Rheno ad Sarunetes ac vicinos populos Eſtiones.

Nota: *Libertatis Vindex*) Exploſit enim tyrannos et arceis, quas ſeptem eminentiſſimas et fortiſſimas habuit, disjecit.

Verſ. 107. nota: *Aſpice diſſecto*) Pugnam ſignificat Nephelinam, praecipuam in Helvetiorum prima libertate: in qua hi populi contra Claronenſeis ſuos miſerunt exercitus, Dux Auſtriae, Scaphuſia, *Winterthur*, *Kiburg*, Doggii, Cellani ad lacum Venetum, *Veldkirch*, domini ex *Thorberg*. *Rapperſchwil*, *Grüningen*, *Utana* et Veſenium: oppidum eis ob propinquitatem inimiciſſimum, quod quidem hoc bellum excitavit. Caeterum in ea pugna tria millia hoſtium, praeter eos qui in lacu Rivario ſubmerſi ſunt, ceciderunt, quindecim milia contra minus mille viros commiſſi. Hanc pugnam poeta, ut vix credibilem, heroico carmine juvenis olim luſerat, ſed certis de cauſis non edidit. Obiter autem hic notandum, poetam noſtrum Claronenſem vocari a patria. Glareanum autem a familia, atque a paterna domo a Glarea, *am Steinacker*.

Ibidem, nota: *Veſenia Pergama*) Moenia oppidi Veſenii, quod hodie *Weſen*, nunc tamen dirutum, eſt autem ad oſtia lacus Rivarii, quem hodie Walenſee nominant a Rhaetis, qui olim eum occuparunt, ſic dicti. Ut oppido eleganter diſſerit D. Aegidius Tſchudi in Rhaetiae deſcriptione *Cap. VII*. Situs oppidi *Weſen* commodiſſimus ac amoeniſſimus olim fuit. At noſtra tempeſtate in angulum ſatis anguſtum vicus magnificus eſt, ad oppidi formam, ſed absque muris.

Verſ. 111. nota: *Inclytus effugiens*) In qua hodie Sequanium oppidulum eſt a Sequanis, ut ſupra dictum eſt, nominatum, quamvis ipſum in mediis Rauracis jaceat. Ibi plurimis annis in Dei ſervitio peractis obdormivit. Vixiſſe Sequanii videtur anno a Jeſu Chriſti natali quingenteſimo, ut ibidem in magnifico templo ſacris virginibus conſecrato legitur.

Ib. nota: *Noctem opacam*) Hiberniam aut Scotiam innuit.

Verſ. 112. nota: *Hillarion*) Poeta primam epentheſi produxit τοῦ λ. Et in *on* magis quam in *us*, quia in Gallus ſequebatur eadem terminatio *us*.

Verſ. 114. nota: *Rauriacas Arces*) Univerſitas eruditis plena.

Ibidem: Ut D. Ludovicum Berum Theologum.

Verſ. 128. nota: *Gentis Aventinae*) FALCO eques auratus et ejus urbis Conſul.

Verſ. 132. nota: *Belli memorabile fulmen*) Ita Scipiones quoque duo belli fulmina ab *Ennio* nuncupantur; Et *Vergilius Lib. VI. Aeneid*.

- - - - - - *Duo fulmina belli*
Scipiades - - - - - - - -

Verſ. 155. nota: *Hic rapidus*) Sub Scaphuſia circiter 3000. paſſuum, major Rheni cataractes eſt, id eſt, ex alta decidens rupe aqua, magnum naturae miraculum, ut plane mirer cur *Plin*. ac *Corn*. *Tacitus* nihil de eo ſcriptis prodiderint, cum oculati, ut dicitur, teſtes Galliae ac Germaniae fuerint. Medius Rheni cataractes eſt ad *Louffenberg*. Tertius ad *Rheinfelden* 12000. paſſuum ſupra Baſileam.

Verſ. 156. nota: *Scyllaeque voraci*) Ut alias veluti terga dantes vorticibus mergi, alias deſidere etc.

Verſ. 161. nota: *Tarda venis*) Recepta in numerum partium Helveticarum Anno M D XIV. cum antea ſocia fuerit, ſed absque ſuffragio publico totius regionis Helvetiae. Porro alius eſt ordo, ut in conciliis locum habent: alius in annis libertatis incoeptae. Eos nunc referemus, Suicia, Uria, Sylvania primum foedus inierunt anno ſalutis M CCC XV. Acceſſit his Luceria quarta pars Anno M CCC XXXII. Tigurum quinta pars M CCC LI. Tugium et Clarona anno dein proximo nempe M CCC LII. Berna octava pars ſequente item A. M CCC LIII. Hae urbes octo publici conſilii durarunt ſolae usque ad annum ſalutis M D I. Quo anno quatuor urbes, ut concilii publici principes creatae ſunt, Salodorum, Friburgum, Baſilea, ac Scaphuſia. Quanquam longe ante ſociae eſſent, et confoederatae, ſicut Abbatiſcella quae ultimo Anno M D XIV. pars principalis facta eſt.

Verſ. 172. *Summas*) *Vergilius Lib. VII*.
- - *Nec teneras curſu laeſiſſet ariſtas*.

Verſ. 177. *Doggia caſtra*) Expreſſit vulgatam appellationem *Doggenburg*.

Verſ. 178. *Vallis, quae nomen ab anſere*) Vide de oppido pulcre diſſerentem D. Aegidium Tſchudi in Rhaetia, *Cap. XXII*. Sarunetas enim olim eam poſſediſſe vallem a Sara flumine ſupra oppidum *Sargans*. Et meminit Sarunetum *Plin. Lib. III. Cap. XX*.

Verſ. 203. *Papa tibi*) Papa vocabulum vix poeticum. Verum quia *pontifex* creticum facit, qui pes heroico verſu non congruit, quod proximum fuit, et Chriſtianis uſitatiſſimum arripuit. Sumta eſt comparatio ex capitulo ſolitae benignitatis, verſiculo praeterea, extra de Majoritate et obedientia. Comparatio non omnibus, praeſertim hac aetate placens, quod vita pontificum huic dignitati non omnino reſpondeat. Poeta putat ſe non eſſe pontificum judicem, ſed Chriſtum, qui hanc dignitatem dederit Petro ac ejus ſucceſſoribus. Pontifices redditurus rationem ſuae villicationis. Se hoc ſcribere de pontificibus quales eſſe debeant, non quales ſint vel fuerint quidam ex eis.

Poſtremo *Glareanus* pro *Glaronenſe* ubique Claronenſe, pro *Rhoetia* Rhaetia, pro *Leopontinus* Lepontinis et ſimilia legi jubet.

FINIS.

IOSIAE SIMLERI

VALLESIAE

DESCRIPTIO.

LIBRI DUO.

REVERENDO ET ILLUSTRI PRINCIPI AC DOMINO
D. HILDEBRANDO A RIEDMATTEN,

EPISCOPO SEDUNENSI, COMITI ET PRÆFECTO TOTIUS VALLESIÆ, DOMINO SUO CLEMENTISSIMO, JOSIAS SIMLERUS GRATIAM ET PACEM A DEO PATRE, ET D. N. JESU CHRISTO PRECATUR.

Cum proximis aliquot ætatibus clarum & celebre fuerit nomen fœderatorum populorum, qui hodie omnes à Latinè loquentibus Helvetii, veteri unius populi nomine, vocantur, ſæpe admiratus ſum Reverende & Illuſtris Princeps, neminem hactenus extitiſſe, qui ipſorum res bello & pace præclarè geſtas, adhæc regionis ſitum, & hominum mores, Latina lingua deſcriberet, quo noſtra etiam ab exteris & remotis gentibus cognoſci poſſent. Præſertim cum non defuerint homines docti & eruditi noſtra patrumque memoria, quibus hoc præſtare non fuiſſet difficile, maxime cum privatim extent non pauci vernacula lingua conſcripti commentarii rerum Helveticarum, & præterea in publicum dudum prodierint Chronica Joannis Stumpfii, quibus Helvetiorum & reliquarum confœderatarum gentium plena & accurata deſcriptio continetur. Sæpe etiam interfui exterorum hominum ſermonibus, Italorum, Gallorum atque Germanorum, quibus ſeſe Latinam Helvetiæ deſcriptionem valde expetere oſtendebant: ac illi quidem noſtræ linguæ prorſus ignari, ſcriptis vernacula lingua editis ſe nihil juvari dicebant: alii verò non ita aſſueti noſtræ dialecto, maluiſſent etiam ipſi eadem Latine cognoſcere. Horum igitur ſermonibus commotus, & amicorum adhortationibus impulſus, Helvetiorum res Latino ſermone mandare cœpi: non quod me tantarum rerum deſcriptioni parem eſſe exiſtimem, ſed ne tam pertinaci noſtrorum hominum ſilentio (ut hactenus factum eſt) majorum noſtrorum præclarè facta ignorantia & oblivione ſepulta maneant. Cæterum ut hujus noſtri conatus & inſtituti guſtum aliquem noſtris hominibus præberem, libros duos de Valleſia hoc tempore in publicum edidi, ſi forte meo labore & ſtudio, atque etiam exemplo, viros doctos & eloquentes, quales hodie Dei beneficio Helvetia habet plurimos, ad idem ſtudium excitare poſſem: id enim ſi effecero ſponte libensque illis cedam & hanc lampada tradam: quod ſi alii id onus ſubire nolint, & meum hoc inſtitutum viris bonis placere cognovero, & eorum ope & conſilio adjutus fuero, conſtitui nihilominus in curſu cœpto pergere quamdiu vires ſuppetunt. Cæterum in meis commentariis conſcribendis Stumpfium laudatiſſimum rerum Helveticarum ſcriptorem in plerisque ſecutus ſum: is namque ſingulas Helvetiæ regiones, lacus, flumina eorumque fontes, decurſus, montium juga, vallium anfractus, oppida,

 arces,

arces, pagos, familias illuſtres, hominum ingenia & mores, Reipublicæ rationem, res denique domi foriſque bello & pace præclare geſtas, ſingulari fide, & diligentia penè infinita perſequitur, ita ut illi hoc nomine multum debeat univerſa Helvetia. Iniquiſsimè autem faciunt moroſuli quidam homines, qui cum ipſi nihil in lucem proferre audeant, interim graviſſimos diligentiſsimi viri labores carpunt, neque cogitant ipſum reprehendendo ſimul quoque à ſe damnari multos clariſsimos viros, & lumina Helvetiæ noſtræ, quorum conſilio & ope uſus eſt in ſuis Chronicis concinnandis, quos omnes hic nominare non attinet. Quod ſi alicubi forte aberravit, in tam immenſo opere, hi qui id reprehendunt cogitare debebant, ubi ipſi ſua diligentia annotaſſent unum aut alterum ejus errorem, viciſsim ab ipſo denas imo centenas res memoratu dignas literis & memoriæ mandatas eſſe, quas ipſi antea ignoraverint. Sed nos his neglectis qui aliorum vituperio laudem ſibi quærunt, hoc unicè potius optamus, petimus & contendimus, ut hi qui veritati ſtudent, & patriæ conſultum cupiunt, annotent, indicent, quæcunque in hiſtoria Helvetica annotanda, addenda, aut emendanda putant, noſque de his admoneant, & viciſsim ſe admoneri patiantur, ita enim collatis operis pleniorem & certiorem conſequemur deſcriptionem rerum Helveticarum. Atque ego eo libentius partem hanc mei operis à reliquo corpore quaſi avulſam publicare volui, ſi quo modo poſſem aliquos in hoc opere adjutores mihi comparare, quando ex hoc ſpecimine & exemplo videre illis liceret, quænam ſit ratio mei operis & inſtituti. Ita namque hic ſecutus ſum Stumpfium, ut tamen non interpretis more ejus commentarios redderem, ſed primum alium ordinem, & eum qui mihi maxime huic inſtituto idoneus videbatur adhibui. Deinde hiſtoricam tractationem à περιηγήσει, ſeu regionis deſcriptione ſejunxi. Poſtremo non pauca partim à CL. V. Sebaſtiano Munſtero antea tradita, partim ſtudio & labore meo collecta, addidi, id quod facile deprehendet, quicunque mea cum illius ſcriptis contulerit. Atque etiam cum hunc libellum conſcripſiſſem, priuſquam eum in publicum ederem, viris doctis & qui de eo judicare poſſent legendum dedi, atque inter alios doctiſsimo viro & amico meo eximio, Thomæ Plattero, à quo humaniſsime admonitus nonnulla mutavi, & quædam etiam addidi. Porro quod conſilium hic ſecutus ſum, eodem in toto opere commentariorum Helveticorum utor, nempe ut regionum deſcriptionem ſingulatim perſequar, ac ab ea ſeparatim hiſtoriam omnium confœderatorum populorum uno opere complectar: ideoque etiam ſecundo hujus deſcriptionis libro, quædam brevius quàm rerum magnitudo poſtulabat à me expoſita ſunt, propterea quod eadem in Helveticâ hiſtoria ſuo loco copioſe enarrantur. Quod ſi hujus libri publicatione meum ſtudium bonis approbavero, & ab illis qui in his rebus verſati ſunt, impetrare potuero, ut laborem cognoſcendi & judicandi ſuſcipiant, nihil etiam in illa operis parte publicabo, quod non ante judicia eorum ſubierit. Atque Valleſia quidem cujus deſcriptionem hic damus, montibus concluſa non ita late patet, non tamen propterea ejus deſcriptio contemnenda eſt: multa enim in hac regione quæ anguſta videtur memoratu digna occurrunt, etenim hanc ipſam vallem tres

populi

populi antiquitus inhabitarunt, Seduni, Viberi, Veragri, ad quos Romani rerum domini non dedignati ſint in has Alpes Colonias mittere. Adhæc admiranda naturæ miracula paſſim in tota regione, maximè tamen in altiſſimis montibus quibus undique Valleſia cingitur, ſe contemplanda offerunt. Apud noſtros quidem homines pleraque propter quotidianam conſuetudinem admirationem amiſerunt, ſed exteri homines etiam ad ipſum Alpium conſpectum obſtupeſcunt, & ea quæ nos propter conſuetudinem negligimus, illi pro miraculis habent. Et eſt certè admiranda vis naturæ, quæ hos montes in tantam altitudinem extulit, eorum vertices nivibus perennantibus, & glacie perpetua texit, tanta flumina ex illis in omnes orbis partes effundit, & ſub ipſis nivibus quæ vix media æſtate ſolvuntur, tot & tam varias herbas ſalutiferas nusquam alibi notas, optimaque paſcua gignit, tot arbores proceras producit, innumeras feras in rupibus & ipſis quodamodo nivibus alit. Quoniam vero tota Helvetia alpina regio eſt & hujusmodi naturæ miraculis plena, nolui hæc in Valleſiæ deſcriptione tractare, ſed peculiare commentariolum de Alpibus, feſtinata opera confeci, in quo multa de alpinis itineribus ad explicanda veterum loca congeſſi, & quæ maxime memoratu digna videbantur in Alpibus, adnotavi. Magnitudo quidem rei juſtum opus requireret, ſed ſpero meam hanc operam & commentariolum breve & tumultuarium non ingratum fore ſtudioſis hominibus, quibus occaſionem de multis rebus cogitandi ſuppeditabit.

Cæterum quicquid hoc eſt laboris & operis noſtri, clementiæ tuæ Reverende & Illuſtris Princeps inſcribere volui: primum enim Valleſiis, quorum regionem deſcribimus & hiſtoriam conteximus, multis jam annis ſingulari cum laude prudentiæ, juſtitiæ, clementiæ, modeſtiæ & pietatis præfuiſti. Deinde hujus hiſtoriæ præcipua narrationis pars circa Epiſcoporum res geſtas verſatur, & varia exempla hic in utramque partem proponuntur, etenim ut veteres illos præteream, patrum & avorum memoria duo maximi nominis in Sedunis Epiſcopi fuerunt. Juſtus Sillinius & Matthæus Schinerus Romanæ eccleſiæ Cardinalis. Atque Sillinii conſiliis difficillimis temporibus ſtetit Reſpublica Helvetica: ipſe namque prudenti conſilio, magno labore & indefatigabili ſtudio, pacem & fœdus inter Illuſtriſſimum Archiducem Auſtriæ Sigismundum & Helvetios confecit, adſcitis in idem fœdus civitatibus atque Epiſcopis Argentinenſi & Baſilienſi, & aliis plurimis. Quo quidem fœdere certum eſt non tantum Helvetiæ, ſed totius Allemanniæ ſalutem & libertatem conſervatam fuiſſe. Nam principes & civitates hoc fœdere conjuncti, invictas antea & omnibus metuendas Caroli Burgundi vires debilitarunt, vicerunt, fregerunt & in nihilum redegerunt. At verò alter Matthæus Cardinalis, magni alioqui animi princeps, dum nimium odio ſuo, quo Gallos proſequebatur, indulget, magnarum cladium author fuit Helvetiis, effecitque ut Helvetii in contrariis caſtris ſtipendia mererent, &, quod magnorum odiorum tum cauſa fuit, in aciem adverſus ſe invicem contrariorum principum auſpicia ſecuti prodirent. Sed & Sillinius tandem à pace ad bellum animum convertit. Ergo poſtquam ſimilia conſilia ſecuti ſunt, parem & conſimilem habuere exitum: ambo enim amiſſa domi pace & tranquillitate,

tate, diu cum ſeditioſis hominibus conflictati, & tandem extra patriam pulſi, penè in exilio mortui ſunt. Cæteri qui hos in Epiſcopatu & imperio provinciæ veſtræ ſubſecuti ſunt, exemplo credo horum admoniti, pacem & tranquillitatem domi firmam ſemper conſervarunt. Quorum veſtigiis cum inſiſtas R. & Ill. Princeps, atque domeſticum exemplum laudatiſſimi Principis R. D. Adriani à Riedmatten imiteris, merito nomen patris patriæ apud tuos aſſequeris. Idque eo laudabilius eſt, quod hiſce temporibus, quibus vel omnia alibi miſcentur tumultibus, vel ſaltem ob plebem diuturna annonæ caritate exhauſtam,. eò inclinare videntur, tu DEI beneficio ea æquitate & clementia & ſingulari prudentia Valleſianos tuos regis, ut in ſumma pace & tranquillitate viventes commune malum levius ferant.

Poſtremò cum ab ineunte ætate R. & Ill. Princeps, in bonarum artium & literarum ſtudio verſatus ſis, nemini potius quàm tuæ Clementiæ meum ſcriptum offerre volui, & eum mihi patronum deligere, qui poſſit non tantum de præſenti libello, ſed de aliis quoque commentariis rerum Helveticarum judicium ferre, & liberè admonere de his, quæ vel omiſſa vel perperam ſcripta fuerint, & ea quæ rectè tradita ſunt adverſus iniquorum calumnias cum auctoritate aliqua defendere. Qua re ſi tibi R. & Ill. Princeps cognovero mea hæc ſtudia probari, excitabor ut majori alacritate in abſolvendis commentariis rerum Helveticarum pergam. Deus CL. tuam R. & Ill. Princeps incolumem diutiſſime conſervet. Tiguri 5. Idus Auguſti, Anno 1574.

DESCRIP-

DESCRIPTIONIS VALLESIÆ
LIBER PRIMUS.
DE POPULI MORIBUS, ET REGIONIS SITU, URBIBUS, ARCIBUS, PACTIS ET RELIQUIS MEMORATU DIGNIS.

QUa Rhodanus fluviorum Galliæ fertilissimus apud Lepontios Viberos oritur, vallis non ita lata undique præruptis, altissimisque montibus cincta, secundum fluvii cursum sese porrigit, & paulo supra eum locum, ubi is Lemanum lacum influit, angustis faucibus ad exitum fluvii relictis, coeuntibus in unum pene montibus clauditur. Inhabitarunt olim hunc locum Viberi ad ortum fluminis, deinde Seduni, & infra hos Veragri: verum jam ab aliquot seculis universi vallis hujus incolæ uno nomine Vallenses aut Vallesii seu Vallesiani à valle nominantur. In inscriptione vetusta quæ non longe à Geneva ad lacum Lemanum cernitur, VALINSA nominatur.

D. M.
L AUR. RESPECTO IUVENI
ERUDITO CAUSIDICO
BIS CIVI VALINSAE
ET EQUESTRI DEFUNC
TO ANNORUM XVIII
FILIO PIENTISSIMO
L. AUREL. RESPECTUS
PATER PONENDUM
CURAVIT.

Quidam tamen tertium versum, sic legunt
BIS CIVIUM LINSAE

In conciliorum subscriptionibus Epaunensis & Aurelianensis quinti, Episcoporum Octodurensium Valinsanorum mentio fit, ita enim quædam exemplaria vocant, alia vero Vallensium nomen habent: & liber Provinciarum Octodorum civitatem Vallensium nominat.

Terminos habet Vallesia, ab Ortu Lepontios, Antuates ab Occasu, à Meridie Lepontios iterum & Salassos, & à Septentrione Helvetios: ab his omnibus altissimis montibus & qui perpetuis nivibus rigent, dirimitur. Itaque omnibus ferè locis æstate difficilem aditum habet: hyeme vero nonnulli montes, & præsertim Gemmius, qua æstate frequentissimum iter est, prorsus impervii sunt, reliqui magno labore & periculo superantur. Uno tantum itinere per Antuates qua Rhodanus montes aperit, commode adiri potest: sed idipsum & loci natura & arte ita munitum est, ut regio hac quoque parte ab hostium incursionibus tutissima videatur. Vallis ipsa in longitudinem ferè C. millia passuum patet, tota tamen angusta est, nisi qua inter montes in alias valles diffunditur, quarum aliquæ 15. nonnullæ etiam 30. millium passuum longitudinem habent.

Incolæ ipsi magno labore & singulari industria omnia loca, quæ modo culturam admittunt, exercere solent, multum autem operæ in aquis derivandis ponunt: etenim non tantum prata & hortos, sed, quod in nostris regionibus inusitatum est, vineas quoque irrigare consueverunt. Itaque è summis montibus aquam ligneis canalibus per duo milliaria aut etiam amplius deducunt, magnis sumptibus, & aliquando etiam magno vitæ periculo, quando homines funibus suspensi, nudarum rupium latera cædunt, ut ex his suppositis tibicinibus & canteriis canales suspendant. Quare etsi vallis arcta & exigua sit, hac tamen industria efficiunt, ut idipsum quicquid est soli fertilitate nulli finitimarum regionum cedat. Vini primum ea est copia & bonitas, ut illud jumentis sarcinariis per altissimos montes ab Helvetiis & Lepontiis exportetur. Frumenti tantum habet, ut aliunde invecto non egeat, ac durat illic messis à Majo ad Octobrem usque mensem, dum in vallibus depressioribus, & montibus frigidioribusque locis tardius, alibi citius frumenta maturescunt. Ac sæpe eodem die iter per montes facientes, in hyemem, & ver, & in ipsam messem incidunt: in summis enim montibus nives & glaciem reperiunt, in eorum depressioribus partibus pascua pulcherrime florent, & ad radices fœnum colligitur, in valle ima frumenta jam matura secantur. Fructus omnis fere generis illis non desunt, nam non tantum pira, poma, cerasaque diversi generis, pruna item & corna, & mora, & nuces juglandes, avellanæ, pineæ, copiose apud eos nascuntur, sed ficus quoque & amigdala & malogranata apud Sedunos feliciter proveniunt, neque tantum arboribus, sed omnis generis herbis & floribus cultissimos hortos habent, in quibus præter alia crocus præstans colitur, tanta copia, ut in vicinas regiones magno gentis lucro exportetur. In tanta florum copia, apum plurima alvearia incolæ habent, ex quibus toto anno mel recens illis abundanter suppetit. In montibus metalla sunt, plumbi, ferri, æris, argenti: crystallus etiam ibidem in summis Alpibus partim è terra effoditur, partim ex præruptis rupibus, quibus innasci solet, colligitur, ejusmodi etiam inde accepi, cui adhuc saxi è quo enata fuerat particula adhæret. Duorum autem generum crystalli in his alpibus reperiuntur. Unum, quod præstantissimum est, clarum & pellucidum, alterum subobscurum, nonnunquam crocei aut alterius coloris: quædam vero exterius quodam quasi velamine obductæ interius claræ puræque sunt. Magnitudo eorum diversa est, nam ferunt nonnunquam integras & non vitiatas ponderis quadraginta librarum aut etiam quinquaginta reperiri. Præterea lapidum seu carbonum bituminosorum, quos vulgus Steinkolen vocat, magna est copia apud Sedunos & Siderianos: hi lapides toti nigri sunt, & metallorum modo è montibus effodiuntur, deinde aliorum lapidum modo in calcariam

tiam fornacem componuntùr, & faſciculis aliquot lignorum adhibitis accenduntur, & in calcem optimam convertuntur: Modus hic calcis coquendæ è bituminoſis lapidibus, non ita pridem inventus eſt, cum antea tantum ad ignis uſum inſtar carbonum reliquorum adhibiti fuerint. Silvæ abundant larice, ex qua cum Agaricum inter purgantia pharmaca celebre, tum præſtantiſſima reſina colligitur, qua therebinthinæ loco noſtrates chirurgi utuntur, hanc Valleſiani lertſchienen vocant, noſtri glorien: præterea pinu, picea, abiete, aliiſque arboribus quæ alpibus frequentes ſunt. Cervis, capreis & apris carent: urſi, lupi, thoes, lynces, vulpes multi ſunt in hac regione: Ferinæ etiam reliquæ tanta eſt abundantia, ut bubulæ inſtar, & nonnunquam viliore precio in macello vendatur: ſimiliter phaſiani, perdices utriusque generis, otides, lagopodesque & diverſorum generum gallinæ Sylveſtres, non pauciores quàm in Lepontiis & Rhetis capiuntur. In vallibus & montibus mediis præſtantiſſima paſcua habent ac magna boum armenta alunt: ita ut quotannis hinc non exigua copia boum in Italiam abducatur. Ad Rhodanum equorum ſunt paſcua; porcos alunt paucos, eosque aliunde emptos: muli etiam & aſini illis non deſunt: in mediis montium paſcuis, ſed arduis & quo boves ob loci acclivitatem pervenire non poſſunt, oves paſcuntur: in ſylvis vero quæ boum & ovium paſcuis adiacent capræ nutriuntur. Itaque butyri & lactis & caſei magna apud eos eſt abundantia, ut & apud Helvetios. Atque apud ipſos præſtantes caſei ex lacte modo emulſo & calenti, absque ullo igne parantur. Rhodanus cum aliorum piſcium varia genera, tum qui inter fluviatiles non poſtremam laudem obtinent, Truttas multas & ingentes 29. & 30. pondo, alit. Calidæ quoque aquæ duobus locis ſcaturiunt, quas ad varios morbos medici & magis etiam vulgus hominum commendant.

Homines hujus regionis ſunt corpore firmo & ad labores apto, colore plerunque ſubfuſco, ut qui ſe agro colendo in ſole quotidie exerceant: multis ſtrumæ naſcuntur, id quidem plerique aquarum vitio fieri exiſtimant: Munſtero tamen hæc ratio non probatur, eo quod opulenti qui rariſſime aquam bibant, non minus cæteris ſtrumoſi ſint, ſed hoc infirmum plane argumentum eſt, quaſi nullus ſit aquarum niſi in potu uſus, & non etiam panis & plerique cibi quibus quotidie utimur, aqua miſceantur, aut coquantur. Idem tamen ſcribit Stiriæ populos ſtrumoſos eſſe, atque incolas cauſam ejus rei aquæ atque aeri quibus veſcantur, tribuere. Atque idem ſentit Georgius Agricola: Aquæ, inquit, quæ infectæ ſunt venis auri, argenti, plumbi, ſtibii, nervos duros efficere, contrahere, tendere, ſimiliter artus pituita replere & inflare ſolent. Ex ipſis vero aliquæ gutturoſos efficiunt: ut in Norico ſupra Juvavium nobile oppidum, quod hodie, ut dixi, Salzeburgum nominamus: atque in alpibus duobus in locis in Cillera valle, quæ diſtat ab Oeno ad octavum lapidem, meridiem verſus, ejus vallis incolas & habitatores nationem Medullorum Vitruvius videtur vocaſſe: & in Sundera valle: quæ abeſt à Curia oppido Rhetiæ, circiter duodecim millia paſſuum. Ubi præterea fons eſt cujus aquæ potæ adeo lædunt cerebrum, ut ſtolidos faciant, atque étiam in Italia Equiculis guttur intumeſcit aquarum, quas bibunt, vitio. Hæc ille. In agro Tigurino ad Turum fluvium, proxime qua Rhenum ingreditur in villa Flaach nomine, fons eſt qui bibentes gutturoſos efficit, ideoque ſtrumarum fons nuncupatur. Ac quod Valleſianos ſpectat in quibusdam pagis complures gutturoſi inveniuntur, in aliis prorſus nulli, in quibusdam pauci admodum. Alium quoque pagum ſe illic noſſe amicus quidam ad me ſcripſit, in quo plures claudicent, quum in proximo pago nemo tali vitio laboret. Item pagum eſſe in quo plures fatui homines inveniantur, quos ipſi gouchen vocant, qui vix homines nominari merentur, beſtiis ſimiles, ut qui nullo cibo humano utantur: ſe enim vidiſſe qui ſtercore equino uteretur, alium qui fœno, alios qui nudi tota hyeme incederent, & varia hujusmodi monſtra: quorum cauſa in occulto latet. Conſtat tamen illic primam eſſe gratulationem quæ enixis affertur, quod naturarum expertæ illis dicere & gratulari ſolent, quod infans non ſit fatuus. GOtt ſyge gelobt das Kind wird kein Gouch werden.

Veſtibus vulgo ex craſſa & rudi lana utuntur, & in hac re ruſtica plebs Helvetiorum populo minus ſumptuoſa eſt. Ædificia pleraque ex ligno, larice potiſſimum extructa ſunt, quæ & tempeſtates fert, & vetuſtate duritiem & nigredinem acquirit, ut hebenum Æthiopicam imitari videatur: ædificia ipſa pro captu hominum ſatis affabre extructa ſunt: tecta ex fiſſili lapide fiunt, idque ad incendia arcenda. In oppidis, & celebrioribus vicis qui oppidorum more extructi ſunt, plurimæ domus muratæ extant, additis turribus & murorum pinnis eleganter in modum arcium extructæ. Victus talis eſt, qui & veſtitui & habitationi, & hominibus ruſtico labori deditis conveniat. Nobiliores tamen ſplendide veſtiuntur, & argento, auroque ornantur, nec minus in victu omnibus delitiis abundant. Agri culturæ potiſſimum ſtudent, ſed qui ſupremam vallem incolunt, Viberi, paſtioni maxime operam dant, quod regio eorum frigidior, neque vites ferat, neque tam felix frumento ſit ut altera: cæteri & vineas & frumentarios agros colunt. Mercaturas non magnas faciunt, ſed res quibus abundant, exportant, & neceſſarias domum reportant.* At vero omnes bellicoſi ſunt & amantes libertatis, itaque & frequentia bella pro libertate tuenda geſſerunt, & monumenta horum tota regione dirutæ arces, & murorum ruinæ viſuntur. Literarum ſtudia ab illis magni fiunt, itaque & nobiles homines ſuos liberos frequenter ad exteras gentes ſtudiorum cauſa mittunt, & ſæpe etiam tenuiores magna animi conſtantia, ne in ſumma quidem paupertate & victu oſtiatim emendicato literarum ſtudia abjiciunt, ſperantes ſeſe ſi aliquam eruditionem conſequantur, domi & in eccleſia & in republica honores & dignitates poſſe adipiſci. Lingua utuntur partim Germanica, partim Sabaudica quam Romanam illi vocant.

Vallis univerſa in duas partes dividitur, Valleſiam ſuperiorem ab ortu Rhodani uſque ad Morſiam fluvium, qui infra Sedunum Rhodano miſcetur, hanc olim Viberi & Seduni incoluere: & Valleſiam inferiorem à Morſia ad Agaunum, quæ loca Veragri tenuerunt. Superior regio in ſeptem partes diſtincta eſt quas ipſi Deſenas & Germanice Zenden nominant: quod nomen unde deductum ſit ignoro: nam à decumis aut denario non poteſt derivari, cum tantum ſeptem Deſenæ ſint: amicus quidam meus exiſtimat idem eſſe quod διοίκησις, ſingulæ enim Deſenæ ſuam διοίκησιν ſive juriſdictionem habent, ſingularem rempublicam & peculiaria privilegia: nos deinceps Deſenas Latine non male ut arbitror Conventus nominabimus. Septem igitur ſunt Valleſiæ ſuperioris Conventus,

Conventus, Gomesianus, Brigianus, Vespianus, Raronius, Leucianus, Siderianus & Sedunensis. Porrò Conventus universi ecclesias seu parrochias habent xxx. Inferioris Vallesiæ sex sunt Conventus, quos ipsi nominant signa militaria, Baner, eo quod singuli propriis vexillis utuntur: ecclesiæ XXIV.

Veragri sive Vallesiani inferiores diu olim cum Sedunis & Viberis bella gesserunt, & tandem nonaginta duobus abhinc annis victi eorum imperium subierunt: arces munitæ numero sedecim ab his destructæ sunt, quarum rudera hodie cernuntur, neque enim easdem restituere licet, ne libertati eorum inde periculum creetur: itaque nunc Viberi & Seduni Veragris imperant, & illis præfectos mittunt, qui jus dicant, & rempublicam administrent. Princeps vero totius regionis est Episcopus Sedunensis, qui comes & præfectus Vallesiæ nuncupatur: hunc suffragiis communibus deligunt canonici Collegii Sedunensis, & legati septem Decumarum superioris Vallesiæ. Proximum ab episcopo locum tenet quem illi regionis ducem seu capitaneum, & Gallica voce balivum, vulgo deß Lands Hauptmann, nuncupant, hunc juris præfectum nos nominare possemus, quando ad illum causæ civiles deferuntur: præest hic biennio, & ab episcopo & legatis Decumarum liberis suffragiis deligitur, atque deinde publica approbatione singulorum conventuum confirmatur. Singuli quoque Conventus summum magistratum habent, quem Gomesanii, Raronii, & Leucenses Majorem, cæteri Castellanum nominant: hic cum sui Conventus senatu quasvis causas etiam capitales judicat. Præterea Ammanos (quo nomine Helvetici quidam pagi summum magistratum appellant) sed hi apud Vallesios sunt sub imperio Majorum. Ab omnibus Conventibus ad senatum Vallesiæ provocare licet. Nomino hic senatum, quem vulgo vocant den Landts-Raadt: hic more majorum quotannis bis convocatur Majo & Decembri mensibus, quo tempore ex singulis pagis bini & nonnunquam terni legati conveniunt, idque Seduni in castro Majoriæ. Senatui interest episcopus, sententias rogat balivus: ac ab his de republica consilia tractantur, eliguntur gubernatores & qui publica officia administrant, & summum jus dicitur à quo provocare ad aliud tribunal non licet.

Fœdere conjuncti sunt Vallesii Helvetiis, ac primum Friderico II. Imperatore anno 1250. cum Bernatibus fœdus in decennium fecerunt, neque ullum hoc antiquius fœdus habent. Multis deinde post annis bello inter Vallesios & Wilhelmum episcopum è Raronia familia exorto, quinque Conventus fœdus cum Lucernatibus Uraniis & Subsilvanis fecerunt, ut utrinque cives & quasi ejusdem regionis censerentur: factum est hoc fœdus anno salutis 1417. Anno autem postquam hæc gesta fuere 31. cum Bernatibus novum fœdus ab omnibus Decumis initum est. Mox anno 1473. fœdus & societas perpetua sancita est inter septem Conventus Vallesiæ, & tres ante nominatos pagos Helvetiorum: & post biennium cum Bernatibus etiam perpetuum fœdus sanciverunt, ut adversus quosvis hostes sibi mutuo auxilio sint. Postremo nostra ætate 1533. anno Episcopus & Conventus Vallesianorum fœdus cum tribus pagis renovarunt, & eidem quatuor alios pagos adscripserunt Suitiam, Tugium, Friburgum, & Solodorum.

Non possum hoc loco præterire Matzam Vallesianorum, singularem quidem hujus populi consuetudinem, quæ forte Scythica alicui videri possit, vulgo nominant einem die matzen bringen, hoc est Matzam alicui adferre: id non dissimile est Scythicæ consuetudini sedendi in tergore bovis, quam Lucianus in Toxari describit. Apud Scythas enim si quis à potentiore læsus & ulcisci se volens, pugnæ par non esset, bove immolato carnes frustillatim concisas assabat: dehinc ipse porrecto humi corio, in eo sedebat, in tergum reductis manibus vinctorum more. Appositis autem bovis carnibus adeuntium quicunque voluisset partem sibi sumebat, ac dextro pede tergum bovis calcans, pro facultate auxilium pollicebatur: colligebatur autem hoc modo in tergo bovis ingens nonnunquam exercitus, & qui certissima fide cohæreret, hostibusque expugnatu difficillimus esset: non aliter quam si jurejurando esset adactus. Nam in tergum ascendisse instar jusjurandi illis erat. Similis est Matzæ ratio apud Vallesios, etenim si quis in rempublicam Vallesiorum videatur peccasse, potentior tamen sit quam ut privatis adversus eum jure agere liceat, tum qui patriæ injurias persequi volunt, & nonnunquam etiam turbulenti homines qui tumultibus gaudent, Matzam instituunt, & ad hunc deferunt. Est autem Matza signum conspirationis, idque non unius formæ, nam olim dicitur ingens tantum clava lignea fuisse, huic clavum infigebant quicunque voluissent conspirationis socii esse, & publicas injurias ulcisci. Postea Matzam fecere larvam quæ aliquo modo humanam faciem referret, eam radicibus arborum & vitium inter se implexis cinxerunt, cujusmodi Matzæ formam Munsterus in sua Cosmographia expressit. Nonnunquam absque larva tantum ex radicibus arboris contexitur, quas tamen ita artificiose connectunt & complicant, ut quandam imaginem faciei humanæ eminus intuentibus repræsentet, hanc militari more pennis caponum & gallorum gallinaceorum ornant. Solent autem plerunque ex betula arbore Matzam conficere, hanc adhuc teneram inflectunt, & in circulum complicant, seu flexile ejus cacumen in nodum constringunt, inserta illi pertica, eam deinde tandiu in girum torquent, donec arbusculam ipsam radicibus evellant: indicantes hoc facto se malum e patria radicitus extirpaturos esse. Hujusmodi igitur arborem tenellam Matzæ annectunt, & qui authores hujus rei sunt, clam & plerunque noctu Matzam betula alligant arbori alicui, aut etiam sepi, qua maxima hominum frequentia iter facere solet. Mane facto prætereuntes inspecta Matza inscii forte hujus rei obstupescunt, & illic consistunt visuri rerum eventum: his se adjungunt tragœdiæ authores, & se mirari simulant, quid sibi Matza velit, tandem aliquis audacior cæteris prosilit & Matzam solvit: tacitus interim neque quidquam deinceps loquitur, verum Matzam in campum aut pratum aliquod defert, hunc cæteri sequuntur atque illum in orbem circumsistunt, ac tum ex horum numero aliquis Matzam alloquitur, & quid sibi velit, vel quid illi doleat interrogat, quoniam vero Matziger silet ac mutus videtur, suadet alius ut Matzæ detur advocatus seu procurator qui ejus causam agat, itaque ex omni numero plerumque cæteris facundior, sed factiosus & cui voluptati sint hujusmodi motus, ad hoc officium deligitur. Is simulans se omnium consiliorum ignarum, hæret & dubitat ob quam causam Matza in publicum prodierit, ac varias causas comminiscitur, quas Matza, hoc est is qui Matzam fert, attente audit, ac tandem ubi ve-

ram protulerit murmurando annuit, & prae gaudio exultat. Tum advocatus populum astantem hortatur, quoniam Matzae querelam cognoverint, deinceps consultent quid faciundum sit. Hoc idem Matzifer supplici gestu rogat. Tum advocatus singulorum, aut saltem eorum qui seditiosae plebis duces sunt, sententias rogat. Hi vero nulla pacis mentione facta, in eo consentiunt omnes, Matzae auxilium ferendum esse, ac veteres consuetudines & libertatem populi defendendam, idque reliquis conventibus indicandum. Neque hic ullo legato opus est, nam mox fama hujus rei per totam regionem volat. Dies jus prosequendi decernitur. Interim qui sibi timent, aut vi, aut consilio, aut largitionibus tumultum populi sedant: quod si id neglexerint, tunc Matza a furiosa plebe ad ejus aedes defertur quem injuriarum agunt, has illi quibus aliorum bona diripere volupe est invadunt & occupant, quicquid invenerint absumunt & depraedantur. Ac saepe ingens hominum multitudo, non tam ad publicas injurias ulciscendas, & defendendam patriae libertatem, quàm ad spem praedae confluere solet. Ferunt Matzam hanc primum inventam & usurpatam, cum plebs duro imperio Wilhelmi episcopi, & parentis illius Guiscardi Raronii premeretur: circa tempora concilii Constantiensis. Nostra aetate communi incolarum consensu, Helvetiis praecipue auctoribus, Matzae usus non quidem forte prorsus abolitus, sed tamen aliquo modo sepultus est. Periculum enim erat, ne quod aliquando factum fuerat, opulentis sed innoxiis viris, Matza à turbulentis & seditiosis hominibus adferretur, tantum diripiendarum opum gratia. Itaque rectius statuerunt jure potius agendum esse, & in eos qui rempublicam laeserint, legibus agendum, potius quam tumultu hoc barbaro & Scythico puniendos.

VIBERI.

Gomesianorum Conventus.

POpulos qui ad ortum Rhodani incolunt Viberos supra nominavimus, Plinium secuti, qui libro 3. cap. 20. ita scribit. Lepontiorum qui Viberi vocantur fontem Rhodani accolunt. Nonnulli tamen existimant Viberos esse quos hodie Ursarios seu Ursellanos nominamus, qui ad fontem Ursae fluvii, quem Rusam vulgus nominat, habitant, hos autem volunt dici fontem Rhodani accolere, quoniam ab adversa parte Furculae montis, è quo Rhodanus oritur, supremas valles Uraniorum habitánt, Caesarem etiam ajunt Sedunos collocare ad ortum Rhodani, cum scribit, Nantuates, Veragros & Sedunos ad summas alpes usque incolere: volunt enim summas alpes penes Lepontios esse montem Gothardi, cujus ramus aut promontorium est mons Furcula. Verum ego horum sententiae non possum assentiri, video enim eos alibi plerunque dici ad fontes fluminum habitare, qui proximas valles fontibus fluminum incolunt, non autem qui ab adversa fontium parte habitant. Porro alibi ostendimus Caesarem nomine summarum alpium non intelligere Lepontias alpes, sed τὰ ἄκρα τῶν ἀλπεῶν aut si hoc nomen sit alicui alpium parti tribuendum, id convenire Pennino, & proximis inde montibus ad fontem usque Rhodani. Praetera cum plures Rhodani fontes demonstrentur, ut mox ostendemus, Gomesiani ad hos omnes incolunt, Ursarii nequaquam, quare omnino hos Viberos nominandos censeo, aut Juberos. Nam Viberorum (quod ego norim) nemo veterum praeter Plinium meminit, apud hunc vero uno loco Viberi, & alio loco ubi Augusti trophaeum ponit, Juberi nominantur: quo loco Sigismundus Gelenius, quem honoris causa nomino, Viberorum nomen reposuit. Sed sunt qui alterum retinere malint, & Gelenium virum alioqui doctum & diligentem, nonnunquam in emendando Plinio nimium suis conjecturis tribuisse censent, ob quas ipsi nolint à veteri lectione recedere. Nam exempli gratia ab eodem lib. 4. cap. 5. pro eo quod vetus editio habebat, Dorion Thamyrae vatis clara temporibus, ab eo repositam aliam lectionem, Dorion, Zancle variis clara temporibus: cum tamen vetus lectio Strabonis & Lucani auctoritate confirmetur: similiter lib. 5. cap. 32. Azari portum commutatum in Amyci portum, quamvis prior lectio cum Strabone consentiat. Cum igitur rationem non afferat cur Juberorum nomen expungendum sit, se non posse illi assentiri ajunt, sed alterum potius immutandum censere, cum hujus vestigia adhuc iisdem locis extent. Nam si Munstero fides habenda est, Furca mons è quo Rhodanus oritur, idem Coatius & Ursellus atque Juberus nominatus est: hodie quoque mons huic vicinus è quo fluvius Elmius oritur, quem quidam Rhodani fontem faciunt, Jubet nominatur, & hic ni fallor is est quem Paulus Jovius alicubi Jovettum appellat. Solent autem proximae valles & populi, nonnunquam à montibus vicinis nomina accipere, aut sua illis imponere, ita namque in proximis alpibus à Poenino monte vallis Poenina nomen accepit: & alpes quibus à Briga ex Vallesiis in Italiam proxime descenditur, Itali vulgo montem Brigae vocant, quo nomine etiam Reimundus Marlianus utitur. Juberi igitur seu Viberi supremam Vallesiae partem tenent, quorum nomine si quis Ursarios quoque comprehendi censeat, quando saepe idem populus ab utraque parte alicujus montis habitat, non valde repugnarim: sed hi qui in Vallesia habitant Viberi, duos habent Conventus Vallesianorum, quorum superior & fontibus Rhodani proximus ipsorum dialecto Consenches, Germanis Gomser Zenden, nominatur: nos hosce Gomesianos vocavimus, secuti viros doctos qui eodem nomine ante nos usi sunt: alter à Briga vico Brigianus nominatur, servans vestigium quoddam prisci nominis, Briger vulgo quasi Viberigus dictus. Gomesianos igitur à Lepontiis Ursariis altissimae alpes dividunt, eas Furcam nominant, quoniam duobus quasi bifurcatis jugis in altum assurgunt.

Ex monte Furca Rhodanus oritur. Strabo Rhodanum oriri scribit supra Antuates & Veragros, à cujus fontibus non longe absint Rheni fontes, & mons Adulas. Polybius, Rhodanus inquit, tribus fontibus surgit, supra maris Adriatici intimum sinum. Plinius, Rhodanum ex alpibus oriri tradit: item Silius.

Aggeribus caput Alpinis & rupe nivali Prosilit.

Solinus quoque idem scribit, & addit eum primo per Helvetios ruere. Pomponius Mela, Rhodanus inquit non longe ab Istri Rhenique fontibus surgit. Idem scribit Plutarchus in Annibalis vita. Ammianus Rhodanum ait à Poeninis alpibus effusiore copia

copia fontium fluere. Appianus primo de bellis civilibus scribit, Eridani & Rhodani fontes modicis jugis distare. Sebastianus Munsterus & Joannes Stumpfius nostræ ætatis scriptores, tradunt Rhodanum in Furca monte ad occasum oriri, non vena aliqua aut fonte è terra scaturiente, sed ex nivibus & glacie inveterata, quæ nunquam prorsus solvitur, attamen liquescit & aquam effundit, & quamvis inferiore ejusdem montis parte magnus fons scaturiat, tamen hunc uti altiorem merito Rhodani fontem censeri. Horum sententiam confirmat Silius, scribens rupe nivali Rhodanum prosilire. Contra multi ex Vallesiis limpidissimum fontem in loco meridionali è terra scaturientem, pro Rhodani fonte demonstrant, prope quem pascuæ alpes sint, in quibus æstate ingens utriusque pecoris numerus alitur: illum autem fluviolum ex perpetua glacie ortum qui non longe à fontibus priori miscetur, ipsi Rhodani nomine non dignantur. Cæterum intra primum milliare à fontibus, Elmius fluvius ex Agerana valle Septentrionem versus profluens Rhodanum auget. Ad omnes hos fontes respexit Polybius, qui Rhodanum tribus fontibus oriri scribit. Porro qui Rhodani fontes Rheni fontibus vicinos esse ajunt, non errant, nam inter Furcam ex quo Rhodanus fluit, & Crispaltum qui Rhenum anteriorem fundit, duntaxat altissimum jugum Gothardi montis intermedium est, cujus duo alii montes quasi brachia quædam & promontoria esse videntur. Sed Dannubii fontes aliquot dierum itinere a Rhodani fontibus distant, sicut & Eridani fontes qui è Vesulo fluit, inter quem & Furcam Penninæ & Grajæ alpes & Cottiæ intermediæ sunt. Quare non bene videntur horum fontes vicinos dixisse, Appianus, Mela & Plutarchus, & qui ex recentioribus hos secuti sunt, ut Marlianus, Dominicus Niger, & nonnulli alii. Ammianus, qui Rhodanum ex Penninis alpibus fluere scribit, ita forte defendi potest, quod hoc nomine censeantur omnia illa alpium juga in Vallesia, quæ à Summo Pennino ad Lepontios usque porriguntur. Vadianus autem vir alioqui doctissimus, hunc secutus à vero aberravit, scribens Rhodanum apud Salassos in agro Sedunensi ad eas Alpes, quas hodie Sancti Bernardi cognominant, caput tollere. Nam Salassi primum alii sunt à Vallesianis apud quos Rhodanus oritur, apud illos vero Durias: deinde non oritur è monte S. Bernardi quod est Summum Pennini jugum, sed è Furca monte qui ad LXXX. M. P. à monte S. Bernardi distat: fluvius quidem Dransa Octodorum præterlabens è Pœnino oritur, & in Rhodanum fluit, sed nemo propterea illic fontes Rhodani statuit, quando etiam alii fluvii ex alpibus Vallesianorum in eundem defluunt. Paulus Jovius ab Jovis jugo Sesithem amnem fluere scribit, & contraria parte Rhodani fontes existere. Verùm amnis cujus fontes ex adversa parte Sesithis existunt, non Rhodanus est sed Vispa fluvius qui infra Vespianum vicum Rhodanum influit. Ex adversa autem parte fontium Rhodani in lacum Verbanum ex iisdem fere Alpibus defluunt Ticinus, Madia & Athiso. Sunt ergo veri fontes Rhodani, quos Gomesiani in suis Alpibus Furcæ montis demonstrant, sive unum aut duos vel etiam tres fontes, Rhodani fontium nomine nobilitare libeat. Fluvium vero Rhodanum Galliarum multo fertilissimum nominat Plinius: & eundem inter tres maximos Europæ fluvios computari tradit Solinus, Varronem ut arbitror secutus, qui idem affirmat apud A. Gellium. Nomen fluvio impositum censet Plinius à Rhoda oppido Rhodiorum in provincia Narbonensi: Valesiani & Germani **Rodden** vulgo fluvium nuncupant, ut dubitem de Græca nominis origine: Galli Rosne vocant. Fluit Rhodanus per totam fere Vallesiam recta versus occasum, nisi quod infra Octodorum aliquantum cursum suum versus septentrionem inflectit: atque brevi propter plurimos alpinos fluvios, quorum præcipuos suo loco nominabimus, adeo excrescit ut magnis quoque navibus ferendis par sit, nisi saxa ingentia & rupes per quas præcipitatur navigationi obstarent: Nonnunquam auctus alpinis torrentibus plurimum damni dat incolis, ni magnis aggeribus coerceatur, ne extra suas ripas erumpat, quos tamen nonnunquam rumpere, & agros proximos inundare imo secum auferre solet: unde quidam potius à rodendo quam à Rhoda urbe nominatum dixere. Itaque recte Solinus Rhodanum ex alpibus præcipitatum ruere scribit, occursantium aquarum agmina secum trahentem. Et Silius,

> *Aggeribus caput Alpinis & rupe nivali*
> *Proserit in Celtas, ingentemque extrahit amnem*
> *Spumanti Rhodanus proscindens gurgite campos.*

Egressus autem Vallesiam Rhodanus, per Antuatium Helvetiorum agrum fluit: itaque recte scribitur à Solino, eum per Helvetios ruere, quanquam non primo, ut ipse scribit, hac fluat, cum antea per Viberos, Sedunos & Veragros ruat, atque circiter XX. M. P. infra Agaunum extremum Veragrorum oppidum, lacu Lemano excipitur, qui ejus impetum mitigat: accidit autem hoc plerisque alpinis amnibus, ut magno impetu à fontibus ruentes in lacus deinde incidant, qui eorum vehementiam mitigant: sic Abduam Larius, Ticinum & Athisonem Verbanus, Mincium Benacus, Rhenum Acromus, Ursam Lucernanus lacus, Arolam Brientius & Thunius, ac Limagum nostrum Tigurinus lacus excipit. Ac referunt Polybius, Mela & Ammianus Rhodanum etiam in ipso Lemano suum impetum retinere, seque per medium lacum integrum agere, tantumque egredi quantus venerit. Inde contra occidentem ablatus Gallias aliquandiu dirimit, ac Ararim leniter fluentem prope Lugdunum suscipiens, deinde non minus seipso torrentes Isaram & Druentiam, & complures ignobiliores fluvios, cursu versus meridiem converso tandem in Sardoum pelagus influit. Atque hic est Rhodani totius cursus, quo nunc omisso ad Viberos & Rhodani fontem revertemur.

Initium igitur & caput Vallesiæ est mons Furca, è quo Rhodanus oritur, qui etiam limes est inter ipsos & Uranios. Mons ipse non inhabitatur, sed ut Silius scripsit.

> *Nullum ver usquam. nullique æstatis honores.*
> *Sola jugis habitat diris, sedesque tuetur,*
> *Perpetuas, deformis hyems.*

Cæterum ad radices montis, intra primum milliare à fontibus Rhodani, vallis proxima incolitur ab his, qui mitiora Furcæ juga pecoribus suis depascuntur: ac duo illic viculi occurrunt **Underwasen** unus, alter **Oberwald** (hoc est superior silva) vernacula lingua dicti. Inde ad meridiem mediocris vallis inter montes se aperit, quam Ageranam vocant, hæc Elmium fluvium Rhodano augendo effundit. Paruit olim vallis ista nobilibus de Arna, seu (ut

incolæ nominant) Aragno inferiore, hi merum mixtumque hujus loci imperium habuere, sed opibus eorum nescio quomodo imminutis, incolis sua jura & privilegia vendiderunt, quibus illi nunc quoque fruuntur, & sibi proprios judices eligunt & confirmant, quos Ammanos vocant. Itinere deinde circiter horæ unius ab influxu Elmii in Rhodanum, circiter VIII. M. P. à fontibus Rhodani, ad dextram fluvii & radices Grimsulæ montis, pagus occurrit ecclesiam parrochialem habens, hunc incolæ Castellionem superiorem vocant, Germani Gestilam. Grimsula mons cui Castellio adjacet, continuus est Furcæ, & uterque Lepontinarum alpium pars censetur. Dividit autem Grimsula Helveticam vallem Haselam à Vallesiis, & ab ea parte sunt Arolæ fluminis fontes: iter per hunc montem ad Helvetios asperum est & admodum arduum, vix enim quatuor aut quinque horis mons superari potest. Crystalli in hoc monte & aliis quampluribus effodiuntur. Duobus vero millibus passuum infra Castellionem, ad eandem Rhodani ripam alter pagus jacet Ulrica nomine. Juxta hunc olim Berchtoldus Zaringiorum Dux à Vallesianis prælio victus fuit: & post priorem pugnam ducentis fere annis denuo ab eis eodem loco cum Bernensibus pugnatum est: in utriusque pugnæ memoriam cruces ligneæ ab incolis erectæ sunt anno 1419. quæ nostra quoque ætate in illo campo extant. Infra Ulricam itinere horæ unius, in longe amœnissimis pratis, qualia vix alibi in tam vastis & pene desertis locis invenias, ad dexteram Rhodani non inelegans vicus extructus est, quem Monasterium nominant. Ad lævam Rhodani è regione fere Ulricæ, quondam cœnobium Monacharum erat, quod nunc ob loci asperitatem, & annonæ inopiam desertum est. Versus meridiem inter montes vallis Eginia per 8000. fere passuum seu milliare Germanicum extenditur, ex hac valle duo itinera ad Insubres patent, unum per montem Nisium in vallem Lepontinam Bellinzonam, alterum per Griessum montem in Antigoriam vallem Bonnatum ducit. Nomen hujus montis Gries, quosdam videtur movisse ut Alpes Grajas apud Sedunos ponerent: in qua sententia videtur fuisse Antonius Salamanca, qui non tantum Bernardi minoris montem Alpes Grajas vocat, sed alterum quoque Vallesianorum montem Sempronio proximum, non tamen Griessum, idque in Helvetiæ tabula Romæ edita. Ex Eginia valle fluvius ejusdem nominis ortus, ubi in Rhodanum influxit, eum ad justam fluvii magnitudinem auget: nam & a Septentrione per supra nominatos viculos non pauci ignobiles rivuli in eundem fluvium se exonerant. Ad Rhodani septentrionalem ripam, vici complures in campis amœnis & fertilissimis extructi sunt, Recingium, Glurina, Ritzicium, Biella, Walda, qui omnes fluviolis quibusdam rigantur. His aliquando imperavit, domina de Graniola, sed incolæ progressu temporis ab ejus dominio exempti sunt, regio nomen comitatus retinet, ipsi legibus & statutis Vallesianorum tenentur, habent tamen proprios judices in causis civilibus, cæterum criminales causas Gomesaniæ decumæ (cui attributæ sunt) judex Arnæ cognoscit. Proxime hos vicos ponte lapideo Rhodanus transitur, ac ab eo latere est vicus quem Mulibachum, quasi molatum rivum dicas, nominant, patria Matthæi Cardinalis Sedunensis, de quo nobis alio loco dicendum est. Habuit Mulibachum nobiles ejusdem nominis, quorum familia interiit, insignia duntaxat supersunt, Nicolaus Mullibachus vixit anno 1309. Arna incolis Aragnum, vicus ingens & Gomesianorum caput, hoc loco situs est, 8000. passuum infra Monasterium, ædificia habet non inelegantia, & quasdam domus muratas & lapide fissili tectas, superior enim regio non nisi è ligno ædificia habet, tecta è larignis scandulis. Hoc in loco curiam Gomesanii habent, & causas capitales cognoscunt. Arna oriundus fuit Waltherus Supersaxo Episcopus, qui Veragros hactenus à Sabaudo Episcopatui ademptos recuperavit, anno 1475. Fluvius deinde Binna infra Arnam Rhodano miscetur, Gomesaniorum hac parte limes: oritur hic in monte Albrunio, per quem iter est in vallem Antigoriam, in valle quam quidam Longam, alii Bindulum interius vocant, ac per vallem à se denominatam cursu continuato, quindecim millia passuum à fonte suo in Rhodanum mergitur. E regione Arnæ ad dextram fluvii ripam, qua is ponte jungitur, vicus est Viescha cum valle ejusdem nominis, 6000. passuum longitudine, per quam etiam fluviolus è glacie inveterata emergens Rhodanum influit. Juxta hunc cœnobium quondam fuit sacrarum virginum, nunc desertum: reditus ejus à Mattheo Cardinali Arnensi Ecclesiæ attributi sunt. Inferius ad alterum Rhodani pontem viculus est Laxa nomine, Gomesaniorum terminus ab altera fluminis parte.

Infra Laxam vicum montibus in unum pene coeuntibus vallis admodum coarctatur, ac tantum angustæ fauces Rhodano defluenti relictæ sunt: promontorium quod à Septentrione ad Rhodanum usque percurrit, in antiquis diplomatibus A monte dei superius nominatur, Germanice uf deisch. Hic mons Gomesianos à Morgianis dividit: regio namque non ita magna ab hoc monte ad fluvium Massam Morgiana nominatur: hæc propriam jurisdictionem & merum imperium habet, attamen attributa est Conventui Raronio, ejusque pars tertia censetur. Duo sunt hujus regionis celebriores vici: Graniola primum, quæ ad sinistram fluminis jacet in rupe celsa, prope fauces Bynniæ vallis, ac ponte hinc Laxam itur, unico fornice ab una rupe ad alteram ducto, tanta est vallis angustia. Habuit autem olim Graniola peculiares dominos, qui an iidem cum Morgianis fuerint, ignoro: his; ut supra diximus, paruerunt vici aliquot Superiores ad Rhodanum, qui adhuc nomen Comitatus Graniolani servant. Morgia alter vicus, à quo regio hæc nomen habet, à Germanis Mörill nominatur, & ab altera & dextera parte Rhodani situs est in medio regionis, itinere duarum horarum infra Arnam: hic quoque Rhodanus ponte jungitur. Supra Morgiam ad Rhodanum prata sunt & pascua amœna, atque non paucæ domus, similiter in vicino monte Bitta & alii viculi occurrunt, & supra hos altissimus mons ab Antonio nomen habens. Apud Morgianos primum vites proveniunt. Nam Gomesania regio propter frigus nullas fert: Morgiana tamen vina acerbiora sunt, neque regio hac parte inferioribus locis Raroniis & Sedunis & Veragris conferri potest.

Juxta Morgiam versus septentrionem, in altissima petra quondam arx fuit Mangepana, Baronum Morgianorum sedes: hos in incolas tyrannidem exercentes Petrus Sabaudiæ Comes, incolis juvantibus, bello aggressus vicit, arcemque eorum destruxit, cujus nunc exiguæ ruinæ supersunt. Baronum insignia nunc quoque Morgiani servant, nigrum bubuli caput, è cujus naribus aristæ duæ exeunt. Crediderim Barones Morgianos familiæ Raroniæ (de qua post dicemus) affinitate aut propinquitate aliqua

conjunctos,

conjunctos, atque hos eorum hæredes fuisse: ideoque nunc Raroniæ decumæ Morgianos adnumerari. Præterea Dirreberga arx in eadem regione fuit, quæ forte eodem tempore diruta est: mons adhuc arcis nomen servat. Massa fluvius, qui Morgianos à Brigianis dividit, ex Aletschianis montibus oritur, & per ejusdem nominis vallem fluit, æstate liquescentibus nivibus excrescit, & turbidus ac impetuosus fertur, sicuti omnes ferè hujus regionis fluvii, sic ut vado transiri commode non possit, verum ponte lapideo prope exitum jungitur.

Brigianus Conventus.

SEcundus Conventus ab insignioribus pagis Briga & Nateris nomen habet: frequentius tamen à priore denominatur. Cæterum quàm populosus & frequens sit, ex eo colligimus, quod anno 1465. peste per Vallesiam grassante, ex Brigianis & Naterianis supra mille, & quadriennio post 1400. homines perierunt. Nateræ autem vicus milliari non magno à Morgia distat, ad dexteram Rhodani ripam, loco saxoso non tamen sterili, ædificia pleraque lapide extructa sunt. Prope hunc vicum in edita rupe quadam arx munitissima extructa est, quæ à saxo seu rupe nomen habet, domus quondam dominorum à Saxo, Episcopo nunc paret. Extat etiam supra Nateras non longe à ponte Massæ fluminis turris quædam in colle, & ruinæ veteris arcis Wingartæ, quam nobiles olim, quorum familia nunc periit, inhabitarunt. Sunt quoque à septentrione Nateris conjuncti viculi quidam in montibus, ecclesia quæ à loco Montana nominatur, Blattana, & Birgiscum vici. Infra Nateras pons lapideus duobus fornicibus egregii operis utranque Rhodani ripam jungit, qui eo loco tanto impetu per saxa magno cum sonitu ruit, ut mirum videatur fundamenta aliqua pontis in tanta fluminis rapiditate jaci potuisse. Cæsa est ad hunc pontem Princeps, seu comitissa (ut vocant) Vespianorum cum filio anno 1365. Ad sinistram fluminis ripam ex adverso Naterarum Briga posita est, & paulo infra hanc Glisa, ita ut tres hi vici triangulum fere æquilaterum constituant. Briga à Viberis nomen habet, quasi dicas Viberiga, seu Vibericus vicus, est autem hic vicus ad Saltinam fluvium in oppidi morem extructus, cæteris Vallesianorum vicis elegantior & amœnior: ab Ortu & Meridie montes pascui imminent, multis viculis inhabitati: & proxime Brigam vetustæ arcis rudera apparent, vulgus locum Hellam, quasi Tartarum, aut inferos dicas, nominat. Saltina fluvius oritur in monte Sempronio, & per vallem ejusdem cum monte nominis, duo milliaria magna seu 16. millia passuum fluit, ac paulo infra Brigam Rhodanum intrat. Brigiani huic fluvio pontem lapideum, tribus fornicibus extructum (nam nivibus solutis late inundat) imposuere. Per montem Sempronium, quem quidam Scipionis montem vocant, ad Lepontios transalpinos iter est, & vetus oppidum Oscelam Tradunt quidam Cæsarem per has alpes duxisse exercitum contra Helvetios, atque ejus rei memoriam cotibus inscriptisse, in quibus adhuc cernantur literarum quædam vestigia. Ego non negarem Cæsarem hac exercitum in Galliam duxisse, sed hoc non esse illud iter, cujus 1. lib. belli Gallici meminit, alibi ostendi. In monte hoc vicus est Sempronius, cui valles duæ conjunctæ sunt, quarum una Germanicum nomen à situ inter montes habet, alteram Alpiam vocant. In ipsa Sempronia valle Brigiani magnam copiam utriusque pecoris alunt, in Alpibus quas S. Jacobi, & alteram Ganteram nominant. Glisa quæ a Græco nomine ecclesiæ, nomen suum accepit, circiter mille passuum itinere Briga abest, ad sinistram Saltinæ fluvii, vicus exiguus, verum amœnissimo loco situs, & ædificiis optime excultus. Templum hic est D. virginis, ad quod tota valle multi mortales religionis ergo confluere, & dona afferre solent, quibus ejus templi Sacerdotes laute victitant. Vicus hic patria fuit Georgii Suprasaxi, cujus Guicciardinus & Jovius in historiis meminerunt. Georgius Suprasaxus hic vir ingenti animo, corporeque, Italicis bellis magnas opes & bellicæ virtutis eximiam gloriam consecutus, summam domi sibi auctoritatem & potentiam comparavit, ac Gallicas partes secutus adversus Matthæum Sedunensem Episcopum, eundemque Cardinalem graves inimicitias exercuit: atque cum opera Cardinalis Romæ captus, & in Adriani mole carcere inclusus, beneficio Francisci Regis liberatus fuisset, in patriam reversus Cardinalem Vallesia expulit: sed tandem ipse in exilium pulsus, anno 1529. Viviaci ad lacum Lemanum obiit. Ecclesiam D. Virginis Glisæ ampliavit, & eodem loco sacellum & aram dicavit, ac ibidem sibi monumentum paravit, in quo tandem post obitum quiesceret. Extat in hoc sacello tabula, in qua Suprasaxus cum uxore ac filiis duodecim, ac undecim filiabus ad vivum depictus est, res spectatu digna, duorum conjugum tam numerosa & formosa (si pictura non fallit uti affirmant) proles. Tabulæ hæc inscriptio addita est.

S. ANNAE DIVAE VIRGINIS
MATRI, GEORGIUS SUPER
SAXO, MILES AU. HANC
CAPELLAM EDIDIT AN-
NO SALUTIS 1519.

ALTARE FUNDAVIT ET
DOTAVIT JURE PATRON.
HAEREDIBUS SUIS RESERVATO,
CUM EX MARGARETA UXORE
NATOS XXIII. GENUISSET.

Ex tanto liberorum numero complures adhuc nepotes in Vallesia extant, inter quos præterire non possum Georgium avi nomen referentem, virum egregia animi & corporis indole, mihi è facie Tiguri cognitum. Non longe infra Glisam murus à Rhodano ad excurrentia juga proximorum montium ductus est, hanc ad hostium vim arcendam quondam extructam fuisse turres & propugnacula ostendunt, verum à quibus & quando hoc factum sit ignoratur. Quidam Romanum opus censent, hos cum per Sempronium montem adversus Gallos exercitum ducerent, hunc locum muniisse. Alii existimant Viberos hujus munitionis auctores fuisse, qui contra Sedunorum irruptiones eandem extruxerint. Nam hic terminus Viberorum fuisse censetur, unde & pagus in monte supra Vespiam à Sedunis Termina appellatur: in Sedunis vero multi nobiles olim habitarunt, Vispii, Raronii, Turriani, Leucii, Siderii, Gradecii, aliique plures, quorum dirutæ arces passim visuntur, hos cum vicinis assidua bella gessisse, dum fines proferre student, verisimile est. Verum posteaquam eodem imperio utrique populi reguntur, & arcibus disjectis libertate fruuntur, hic murus neglectui habetur, multisque in locis vetustate fatiscit. Non longe ab hoc muro fluviolus Gamsa ex alpibus Vespianorum ortus, in Rhodanum evolvitur.

Ex adverso Rhodani latere medio milliari infra Brigam, calidarum aquarum fons mediis in campis scaturit. Aquas Brigianas vel Vibericas vocant: locus ipse amœnus & planus est, cui a Septentrione montes altissimi & quorum præruptæ rupes recta in altum consurgunt, imminent. Calidarum fons ex imis rupibus scaturit, non magna copia, itaque duo tantum lacus gypso incrustati ad usum lavantium parati sunt, hi quod aqua profundo loco scaturiat, in terram depressi sunt, magno incommodo lavantium aqua non defluente nisi plenis lacubus. Calida ipsa quo loco primum emicat, vehementer calet, sic tamen ut tacta non lædat: juxta illam, quod mirabile & jucundum visu, ex eadem petra frigidissimæ aquæ rivulus manat. Balneæ sulfureæ sunt, ac plagas, corrosiones, ulcera & scabiem sanant: medentur etiam spasmo, tremori, catarrho: tollunt tinnitum aurium, & sterilitatem fœminarum abolere creduntur. Nocent his qui infirmo capite, aut corpore debili sunt, febrientibus item, & his qui sunt jecore & renibus calidis.

SEDUNI.

Vespianus Conventus.

SUb Glisa Vespianorum Conventus incipit, ad hos pertinent proximæ alpes versus Meridiem & amplæ in his valles Sassia & Mattia, per has duo fluvii ex alpibus descendunt, qui in unum confluunt prope Staldam pagum, atque ambo Vispæ nomen habent, veteribus ut arbitror Germanice dicti **Vispach**, quod pisculentum rivum significat: ab hoc fluvio præcipuus pagus & totus hic Conventus nomen accepit. Prior fluvius in valle Sassia duobus fontibus oritur, quorum Orientalior est in monte Antrunio, supra Almengallum, alter in monte Martis, quem Foe Seduni, & Magganam montem Itali vocant: juxta hos fontes duo itinera patent ad Verbanum lacum, per vallem Magginiacam, item Sessitem Novariensis Diœceseos. Inter eosdem Sassa pagus positus est, unde valli nomen. In monte autem qui ad Brigianes vergit, Termina pagus est situs: alter deinde mons pascuus inter Sassiam & Mattiam vallem positus, Grenchiam pagum habet, huic vicinus est Rietbergus mons optimis pascuis abundans. Grenchiæ natus est Thomas Platterus, qui à lata rupe imminente paternis ædibus, quæ illic in perpetuam CL. V. memoriam ostenditur, nomen accepit: hic primum Basileæ typographiam exercuit, & complures bonos auctores eleganter & emendate in publicum edidit: postea ibidem ludum literarium magna cum laude doctrinæ & industriæ aperuit, è quo viri docti quam plurimi prodiere: & nunc quoque quamvis ferè septuagenarius, idem munus pari diligentia obit. Filius præterea illius medicinæ doctor Felix nomine, & revera in morbis curandis & peritus & felix, ea hactenus diligentia, & tanto ingenio ac doctrina rem medicam docuit & exercuit, ut non vulgarem sui expectationem apud omnes doctos commoverit. Grenchianus etiam fuit Simon Lithonius patruelis Platteri, qui in Argentinensi Schola dicendi artes una cum utraque lingua Græca & Latina magna cum laude docuit, & juvenis adhuc magno omnium ejus Scholæ professorum mœrore obiit, anno 1543.

Mattia vallis incipit à monte Sylvio, per hunc iter est ad Salassos & Ajazam vallem, & quam nostri vocant **das Kremertal**, quod hujus incolæ per varias regiones oberrent, merces diversi generis circumferentes: hac via per glaciem inveteratam aliquot millibus passuum iter faciendum est. Ex monte Sylvio, ubi colles sunt Finilæ, Areleitæ, & Moutæ, descendit alter fluvius Vispius millibus passuum trigintaquinque supra Vespiam pagum. Juxta hunc in suprema valle est pagus Matta, quatuor milliaribus supra Vespiam: infra hunc milliari uno vallis alia ad latus dextrum montibus se insinuat, quæ à proximo pago Dæsa aut Tæsta nomen accipit: pari ab hoc spacio distat pagus Gasa, prope quem crystalli pulcherrimæ ex alpibus effodiuntur: ab hac inferior pars vallis nomen accipit. Milliari uno infra Gasam, duo fluvii prope vicum Staldam confluunt, atque deinde uno flumine sex millia passuum infra eundem sub Vespiano vico in Rhodanum influunt.

Super confluentes Vispæ & Rhodani Vespia vicus habitatur, caput tertii Conventus Vallesianorum, duo hic templa S. Martino unum, & alterum D. Virgini extructa sunt: supra pagum quondam arx fuit; quæ una cum pago propter amœnitatem arx pulchra Germanico idiomate appellata fuit: postea veteri appellatione abolita, à Vispa fluvio nomen accepit. Hoc loco quondam sedem habuerunt Vespiani comites magnæ apud Sedunos auctoritatis & potentiæ: horum familia extincta Blandræ Comites illorum hæreditatem adiere: ex hac familia Blandrana comitissa Vespianorum, anno 1365. cum filio Antonio ad pontem Rhodani prope Nateras cæsa est: causa & author cædis literarum monumentis non traditur. Arx deinde Vespiana à Petro Sabaudiæ Comite capta & diruta est, forte eodem bello quo Mangepaniam arcem ab eodem dirutam ante scripsimus. Vespiæ Amedeus Sabaudiæ Comes, à Gomesaniis Brigianis & Vespianis prælio victus ad quatuor millia hominum amisit. Habitarunt quondam Vespiæ nobiles familiæ Ulricorum, item Sillinorum, Hengartiorum, seu à Platea, & Uverriorum, quæ adhuc florent. Neque hi tantum, sed quam plurimi alii nobiles Vespiæ olim habitarunt, ita ut asserant omnes ferè nobilissimas totius Vallesiæ familias, Vespia ortas esse: ac tanta olim nobilium eo loco frequentia fuit, & is fastus, ut haberent proprium templum, quo à plebeis discernerentur, cum quibus eisdem sacris ædibus uti dedecori sibi putabant.

Raronius Conventus.

RAronia vicus ad dextram Rhodani ripam 8. millia passuum sub Vespia, caput Raronii Conventus, duo templa habet S. Romani in edita petra supra vicum, alterum S. Germani, & ipsum extra pagum in plano extructum. Juxta S. Romani ædem, in eadem rupe turris & ruinæ arcis Raroniæ visuntur. Etenim in his locis olim imperium habuere barones Raronii, vetus & nobilissima familia. Munsterus tradit Othonum tempore Raronios numeratos inter quatuor barones imperii, ac alio nomine dominos de Thusis appellatos, id unde habeat ignoro: posterius nomen Rheticum est, qui Tuscianam vicum, quondam oppidum, ita appellant: sed nulla illic baronum hujus nominis mentio. Ex hac familia ante annos trecentos Petrus Raronius

Seduno-

Sedunorum Episcopus fuit: & eundem Episcopatum ex hac familia Wilhelmus II. & post Wilhelmus III. Guiscardi Raronii hic filius, ille vero frater, administrarunt. Verum bello inter Raronios & Vallesios orto, sedes eorum & arces dirutæ sunt, pace autem facta, Raronii nihilominus extra Vallesiam mansere, quod nollent plebis inconstanti voluntati denuo suam salutem cum vitæ periculo committere. Petrus aut potius Petromannus Raronius matre è Toggenburgensium comitum familia natus, post Friderici Comitis postremi obitum, comitatum Toggiorum adeptus est, quem deinde Ulderico Abbati St. Galli vendidit, ipse in monasterio Rüti pagi Tigurini mortuus & sepultus est. Hunc nonnulli Guiscardi filium & Wilhelmi tertii fratrem fuisse arbitrantur, est autem hic ultimus è Raroniis, cujus in domesticis historiis mentio fiat. Reliquit Petrus Raronius hæredem unicam filiam, quæ nupsit nobili viro Allobrogi è Tarentasia, Humberto à Villetta Baroni Chiuronis, qui sedes suas in Vallesiam transtulit: huic natus est unicus filius Joannes baro Chiuronis & Raronius Vicedominus Sedunensis, hic uxorem duxit Pernettam unicam filiam Perrodi de Bastia domini Sirri, itaque juncta sunt tria dominia Raroniæ, Chiuronis, & Sirri: hujus filius Petromannus uxorem duxit ex familia Beauvois quod Bilunnum Antoninus in itinerario suo nominat: ac duos reliquit filios Petrum qui uxorem habuit ex Tavellia familia de Granges seu Gradecio: huic complures liberi fuere, inter quos primus Franciscus de Chiurone Vicedominus Sedunensis, Seneschalcusque Vallesii, Baro Armiger & miles obiit Seduni anno 1528. vir magnificus & egregiæ proceræque staturæ, qui bellis plurimis in Gallia ordines duxit, hic ex Philippa uxore è familia Blonaya de S. Paulo plures liberos utriusque sexus habuit, quorum aliqui in adolescentia absque liberis sunt mortui, quidam vero sacris initiati sunt. Barbara autem filia nupsit Francisco de Monteolo: horum filius Bartolomæus vicedominus Martini & Leitron ante annos quinque mortem obiit, relictis Joanne, Francisco & Petro filiis. Porro Petri de Chiurone frater Andreas duos filios suscepit, Franciscum Abbatem de Cavorus in Pedemontio, & Urbanum Chiuronis & Villettæ dominum: hic genuit Michaelem, qui hodie in Tarentasia Chiuroni dominatur. Hanc generis successionem propter Raroniæ familiæ nobilitatem attexere volui. Porro in iisdem locis Raroniæ decumæ Aesperlingiorum magna potentia extitit, extinctis præsertim Raroniis. Fuit hæc vetus & nobilis familia. Verum bello exorto inter Waltherum Episcopum Sedunensem & Rodolphum Aesperlingium, propter Enfischiæ vallis possessionem. Rodolphus quod Sabaudos evocasset, illis victis, patria cum omni familia pulsus fuit. A Raronia versus Meridiem ultra Rhodanum, inter Vespiam & Thurtmannum (pago id nomen est) montes pascui sequuntur, in quibus villæ complures sunt, & ignobiles viculi, qui Raroniis parent. Eodem loco est vallis Eischolia in qua sunt argenti fodinæ. Verum infra Raroniam ab eadem fluminis parte Gestila vicus est, quem Castellionem inferiorem appellant: & prope hunc ruinæ arcis Turrianæ. Turriana familia olim in Vallesiis potens, & hanc arcem Turrianam, & proximam vallem Letschianam, item Ajentum prope Sedunum, & Contegium oppidum in Veragris possedit: præterea in Helvetiis Laupa & Frutingia vallis illis paruerunt. Sed postaquam Antonius Turrianus Guiscardum Sedunensem Episcopum per insidias crudelissime trucidavit, bello victi & bonis exuti sunt: eorumque arx Turriana & cæteræ munitiones dirutæ sunt. Luniza fluvius ex altissimis montibus supra Raroniam ortus infra Gestilam Rhodano miscetur, hic finis est Raroniæ decumæ. Eodem loco vallis Letschia versus Septentriones inter altissimos montes viculos complures habet, & præterea plumbi metalla. Per hanc vallem & montem Letschium iter periculosum, & in quo multi præcipitio pereunt, ducit ad Helvetios in vallem Frutingiam.

Leucianus Conventus.

Leucianus Conventus qui Raronium sequitur, calidarum aquarum saluberrimis balneis celebris est. Vallis est ad Rhodani lævam, Gemmio monte altissimo, & cœlum pene tangentibus jugis undique septa, unico tantum ad Meridiem exitu relicto, quæ à balneis nomen habet. In hac valle inter amœnissima prata, calidarum tres fontes non longe distanti spacio scaturiunt, quorum unus qui largissimus est, hospitiis, quæ in usum balneantium extructa sunt, cingitur. Eo loco sunt piscinæ sive lacus octo, lapide strati & parietibus gypso incrustatis clausi. Sed hujus fontis tanta copia est, ut facile tot alios implere possit, quando vel media aquarum pars in publicam viam derivata nulli usui est. Fons alter à pago remotior à leprosis frequentatur: tertio illi utuntur qui cute usu balnei exulcerata, curatione levioris aquæ opus habent. Ad ducentos passus ab hoc fonte, scaturiunt alii fontes frigidissimæ aquæ, è quibus maximus à Majo tantum mense ad Septembrem usque fluere solet, cætero anni tempore aquis caret. Vulgo D. Virginis fons nominatur, quod à festo Mariæ quod in vere celebratur, usque ad festum Assumptionis perennis sit. Verum naturæ rerum periti hujus rei hanc causam tradunt: Vere quando nives in alpibus è quibus oritur liquescere incipiunt, fons quoque incipit fluere: ac rursus sub Augustum mensem, quum primum Alpes illæ nivibus tectæ fuerint, fluere desinit: quod occulti meatus per quos scaturit, & primo calore aperiantur, & frigore rursus claudantur: ideoque modo tardius, modo citius pro tempestatum ratione fluere incipit & desinit. Idem in aliis Alpinis fontibus fieri usu & observatione cognitum est. Calidi fontes perpetuo scaturiunt, & omnes æque calent, atque Vibericis plus fervent, nam gallinam immissam deplumant, & ova excoquunt. Aqua ipsa plerunque pura, limpidaque est, sed interdiu crebro colorem mutat: odore caret, neque ut plerunque calidæ solent sulfur redolet: cupri & æris mixtura potissimum constare creditur. Medetur morbis frigidis & humidis, calefacit, exsiccat, abstergit, resolvit & constringit. Podagras mitigat: stomachum languentem roborat, & appetitum excitat: hepar, pulmonem, splenem juvare creditur: oculis lippientibus & obscuris, spasmo, catarrho, medetur: hydropicis & calculosis prodesse dicitur: uterum in mulieribus debilitatum confirmat, & solvit alvum bibentium: denique inveteratas & ulcerosas crurium plagas, & cicatrices ubivis male sanatas aperit & perfecte curat. Diversoria hujus loci pro regionis more minimè sunt ornatus & elegantiæ, sed tamen ob regionis opulentiam non modo victus copia est uberrima, sed ne delitiæ quidem desunt, adhaec aeris illius tanta est salubritas & amœnitas infestissimo & morbido

bido Syrii æstu, ut etiam vilissimæ habitationes salutares, gratæ, jucundæque omnibus videantur. Avorum memoria Justus Sillinius Episcopus, balnea peculiaria sibi hoc loco extruxit, & diversoria complura renovavit, atque templum D. Barbaræ sacratum primus hoc loco posuit. Utuntur vero aquis Leucianis non solum indigenæ Vallesii, sed vicini quoque Allobroges, & Helvetii, quorum major frequentia esset, nisi per Gemmium montem via præceps, angusta, & lubrica multos domi teneret. Ea namque est altitudo & asperitas hujus itineris, ut non male quidam a gemitu Gemmium nominatum putent: quod transituri montem sæpe ob laboris & periculi magnitudinem suspirent & ingemiscant. Vicini tamen montibus asueti frequentissime per hunc montem Bernam eunt: sed æstate tantum, hyeme enim est impervius. Ex Gemmio monte per Balnearum vallem Dala fluvius in Rhodanum influit, supra hunc VI. millibus passuum à balneis, Leucia vicus, caput Conventus Leuciani positus est, loco natura admodum munito: à meridie enim Rhodano, ab occasu Dala fluvio cingitur, uterque transitu difficillimus ponte jungitur, cui Castellum superimpositum viam munit: à Septentrione prærupto monte clauditur, ad ortum verò exiguæ fauces inter montes & Rhodanum iter angustum Raroniam versus relinquunt. Raronii Barones castellum quoddam in hoc vico olim incoluere, id bello Raronio dirutum est, sicuti etiam arx Episcopi, quæ tamen postea restituta, nunc quoque durat. Leuciæ plerunque comitia eligendis magistratibus, & cognoscendis controversiis, ab Episcopo & legatis septem Decumarum celebrantur: quod locus in medio regionis situs, commodissimus videatur. Infra Leucias via publica per pontem Rhodani ad dextram fluvii ripam ducit, quo loco merces quæ per Alpes in Italiam vehuntur deponi solent. Ibidem vasta quædam est vorago, quam torrentes qui in Rhodanum evolvuntur effecere, & hoc loco Leucam quondam sitam fuisse tradunt. Prope Leuciam campus est, qui à gemitu nomen habet, Gemens pratum vulgo nominatur, propter prelium quod anno 1318. in his campis factum fuit. Quatuor millia fere passuum infra Leucias Salges vicus sequitur cum ecclesia D. Joannis, & equitum Rhodiorum æde, cujus authorem nos ignoramus. Infra Leuciam Gallica lingua utuntur, superiores Germanica: in ipsis tamen vicis celebrioribus Leucia, Sideris, & Seduno, utraque lingua paulo lautioribus in usu est, sed extra hos vicos agreste vulgus (ut dixi) Gallica tantum lingua, eaque ita barbare utitur, vix ut à Gallo intelligi queant.

Siderianus Conventus.

Leuca ubi descenderis, montibus utrinque longius à Rhodano recedentibus vallis latius aperitur, & soli magis exposita cum vitibus abundat, tum etiam fructuum copia longe superiores partes vincit. Sideræ vicus hic primus occurrit paulo remotior à Rhodano versus Septentrionem, elegantia ædificiorum & viarum mundicie, quos ante numeravimus pagis plerisque inferior, sed his soli fœcunditate longe præstans. Ecclesia S. Catherinæ est in hoc pago, & arx non inelegans Hengartiorum, qui fortunarum suarum sedem Vespia huc transtulerunt. Versus Septentrionem pagi Siderianorum sunt, Musatum cum S. Sebastiani templo: Villa, pago id nomen est: & Lagesum cum templo D. Mauricii. Inter Rhodanum & Sideras Aymo Turrianus Episcopus Sedunensis cœnobium familiæ Carthusianæ extruxit, anno 1330. sed regione assiduis bellis vexata, exhaustis cœnobii opibus, patres hujus familiæ alias sedes quærere coacti sunt: successere in eorum nidum ex Episcoporum voluntate Carmelitæ, qui mendicato vivunt, eoque commodius hic habitare potuerunt. Prope hoc cœnobium in tumulo quodam arx Sideriana, Episcoporum sedes, quondam erat, sed bello Raronio ab incolis incensa conflagravit: murorum reliquiæ magnam & elegantem arcem fuisse declarant. Secundum Rhodanum ubi sesquihoræ itinere Sideris descenderis, Gradecium occurrit, oppidulum quondam, nunc dejectis mœnibus in vici formam redactum: servat tamen quædam adhuc oppidi jura, & nobilibus Taveliis Gradecianis paret.

Supra vicum in rupe tres arces extructæ & mœnibus oppidi comprehensæ bello Turriano ab incolis vastatæ & deletæ fuerunt, nunc murorum duntaxat reliquiæ supersunt. Supra Gradecium ad Septentrionem est Lensa vicus, & ecclesia S. Petri: mons vicinus à pago nomen accepit: sed infra Gradecium ecclesia & vicus S. Leonhardi sequitur, via Sedunensi: & juxta hunc fluvius è monte Ravinio, qua in Simmiam vallem transitur, ortus, qui Siderianos à Sedunis hoc loco dirimit. Bello Turriano juxta S. Leonhardi vicum ingenti prelio Turriani victi sunt anno 1375. Ad alteram vero Rhodani partem ex adverso Siderarum vallis est Ensischia, duorum milliarium longitudine, præstantibus pascuis abundat & argenti quoque metalla habet: hæc quondam Raroniæ familiæ paruit, nunc quoque peculiari imperio regitur, & propria insignia habet. In hac valle sunt plures vici, sed præcipuus D. Euphemiæ: arx præterea Perrigarda in altissima petra extructa, quæ bello Raronio deleta est. Ussentia fluvius è summis montibus ortus per Ensischios in Rhodanum influit. Juxta Ussentiam ex adverso Perrigardæ tres pagi Sideriis annumerantur, Fertorinum ad S. Bonifacium, vulgo vocant Fercoreii, & Schaleium, ac Gruna. Inter Fertorinum & Grunam sunt argenti metalla.

Sedunensis Conventus.

Septimus Conventus Vallesiorum (si ab ortu fluminis eos numeres) à fine Siderianorum usque ad Morsam fluvium, qui Veragros à Sedunis dividit, VIII. millia passuum longitudinem habet, latitudinis aliquanto plus, valle illic latius se expandente, & quibusdam aliis vallibus inter altissima alpium promontoria se insinuantibus. In hujus medio Sedunum ad Sittam fluvium jacet, non solum illius Conventus sed totius Vallesiæ caput. Incolæ lingua Sabaudica Seon, Germani Sittam nominant: Latini civitatem Sedunorum, & Sedunum totius gentis nomine: quod aliis quoque urbibus accidit, ut populorum quorum caput erant, nomina sibi adsciscerent, sic Remorum & Parisiorum nomine urbes celeberrimæ in Gallia nuncupantur, quæ horum populorum oppida maxima quondam fuerunt. Urbs Sedunorum sita est in amœna planitie, sed ab oriente mons mediocris altitudinis illi imminet, qui in media planitie solus inter altissimos montes, quibus vallis universa cingitur, assurgit duobus verticibus. Horum sinister sublimior & undique præceps, unicum

cum duntaxat à civitate ascensum habet, eumque difficilem ubi equo uti non licet: in hujus summitate est arx Tyrbele quam Episcopi si metus aliquis pestis existat inhabitare solent, quod illic sit aura salubrior & frigidior. In radice hujus verticis propius urbem alia est domus Episcopi, quam Majoriam nominant, olim arx nobilium quos Majores Sedunenses nominarunt, sed à Bartholomeo Grisaco Majore, vendita est Episcopo Sedunensi, Carolo IV. imperante. Alterum montis verticem Valeriam nominant, in hoc est templum D. Catharinæ & ædes Canonicorum, qui intra annos CCC. (ut ferunt) propter assidua bella hunc locum exædificarunt & inhabitarunt. Veruntamen nomen ipsum Valeriæ me movet, ut multo ante tempore hunc locum à Romanis munitum credam, sed bellis aut alio modo vastatum, postea à canonicis opportunitatem loci secutis denuo restitutum. Inter has arces passim per montem sacella aliaque vetera ædificia spectantur, partim diruta, partim integra & renovata. Inter cætera prope ludum literarium vetusta domus ostenditur, palatium Theodori primi Sedunorum Episcopi. Civitas ipsa quæ monti adjacet, pro captu regionis satis eleganter extructa est, & illi quotidie plus decoris accedit: cives enim pace diuturna opibus aucti, urbem novis ædificiis subinde ornant, quæ antea bellis sæpe vastata, aliquoties incensa & pene deleta fuit, ut in historia Sedunorum indicabimus. Templa celebriora habet D. Virginis unum, prope Gundesianam portam, quod olim Episcopale templum fuit, & collegium canonicorum habuit, qui non ut olim, urbem ipsam, sed Valeriam incolunt: alterum D. Petri, item S. Trinitatis, & ad mœnia D. Theodori templum à Matthæo Cardinale extructum. Sitta fluvius urbem perfluens, salubriorem & mundiorem secum avectis sordibus eandem efficit. Vrbem esse vetustissimam absque dubio est, cum enim Julii & Augusti Imperatorum ætate jam tum celebre fuerit nomen Sedunorum, necesse est fuisse tum quoque aliquod totius gentis maximum oppidum, quod non aliud fuisse præter hoc, & nomen, & situs ipse loci confirmat. Frequentibus autem vastationibus & incendiis vetera monumenta perierunt, extat tamen adhuc in summo templo D. Virginis, ad majorem templi portam, antiqui marmoris fragmentum, unicæ vetustatis Romanæ reliquiæ, hac inscriptione.

P. CAESARI DIVI I.
VGVSTO. COS. XI.
RIB·VNICIA POTESTATE XV
PATRI PATRIAE
TIFICI MAXIMO
- - - AS. SEDVNORVM
- - - - - - PATRONO

Etsi autem singulorum versuum initia & fines desunt nos tamen ex conjectura ita legendum putamus.

IMP. CAESARI DIVI IVLI F.
AVGVSTO COS. XI. IMP. XIII.
TRIBVNICIA POTESTATE XVI.
PATRI PATRIAE
PONTIFICI MAXIMO
CIVITAS SEDVNORVM
PATRONO.

Sedunum hodie sedes est Episcopi, qui regionis Princeps est: Episcopatus vero Sedunensis unus est è vetustissimis totius Galliæ. Sigebertus in Chronicis refert anno domini D. XI. Florentinum Episcopum Sedunensem pro Christo mortem pertulisse. Rursus in Agaunensis cœnobii quod à D. Mauritio martyre nomen habet, consecratione mentio fit Theodori Episcopi Sedunensis, extructum autem fuit hoc cœnobium à Sigismundo Burgundionum rege circa annum domini D. V. Sed in Concilio Epaunensi quod circa annum Domini D. X. celebratum fuit sub eodem Sigismundo rege, mentio fit Constantii Octodorensis, id est Vallesiæ Episcopi, & in Concilio Aurelianensi quinto circa annum Domini D. XLVI. sub Childeberto Francorum rege, Rufus Vallensium Octodorensium Episcopus adfuit. Et longe ante hæc tempora Theodorus Octodorensis Episcopus Concilio Aquilejensi interfuit, circa annum Christi 385. Nam id celebratum fuit tempore Gratiani Imp. & Damasi PP. Siagrio & Eucherio Coss. Quare nonnulli censent Vallesiam olim duos Episcopatus habuisse Sedunensem & Octodorensem. uti enim distincta jura fuere Sedunorum & Veragrorum, ita quoque Episcopatus diversos fuisse arbitrantur: Sed alii contra censent id regionis angustiam vix pati: etsi enim urbes pene conjunctæ in Italia proprios Episcopos habent, aliam tamen rationem servatam ajunt in provinciis, præsertim Transalpinis, in quibus longe majores sunt diœceses Episcoporum quam in Italia. Præterea id indicium unici Episcopatus esse volunt, quod unius tantum Theodori Sedunennensis Episcopi mentio fit, in Dedicatione cœnobii D. Mauritii apud Agaunum, à qua non est credendum absuturum fuisse Octodorensem Episcopum in cujus Diœcesi hæc agebantur, si alius à Sedunensi fuisset. Existimant autem Octodorum, quod caput aliquando Vallensium fuit, ut ex libello Provinciarum apparet, primam fuisse Episcoporum sedem, donec bellis Burgundionum vastatum & dirutum fuit, deinde Episcopatum Sedunum translatum esse: ac rursus propter Seduni excidia in veterem sedem rediisse, donec id restitueretur. Vel Florentinum & Theodorum Sedunenses Episcopos non ab urbe, sed à populo denominatos, quod Sedunorum vetustissimum nomen omnibus Vallensibus, ut hodie etiam solet, tribueretur. Nos rem in dubio relinquimus: nomina autem Sedunensium Episcoporum & res gestas alio loco persequemur, nunc regionis descriptionem, ut cœpimus, contexere pergemus. Supra Sedunum inter Ortum & Septentrionem est vicus Ajentum, & mons Ravinius, per quem itur ad Simmiam vallem Helvetiorum Bernatum. Ajenti & arcem & Imperii aliquid Turriani habuerunt, verum bello cuncta illis periere. Inde post fluvium Sittam sequitur S. Pangratii ecclesia, & vicus Grimsula, post hunc Saviesa S. Germani vicus, & mons Sanetschius: per hunc Sana vallis Grueriorum comitum aditur. Ex monte hoc oritur Morsa fluvius: sed inter montem & Sedunum supra fluvium in editissimis & pene inaccessis rupibus duarum arcium rudera cernuntur, una Seon nominatur, è qua Antonius Turrianus Guiscardum Tavellium Episcopum præcipitem dejecit: altera vulgari lingua Montarsium, & in Latinis diplomatibus Mons Ordei nuncupatur. Ab altera autem Rhodani ripa, è regione Seduni Bornus fluvius Rhodano miscetur: oritur hic è monte Sylvio qui Salassos à Sedunis dividit, & ad XVI. millia passuum per Urensiam vallem labitur: juxta fluvium est ecclesia S. Martini cum pago adjuncto, Massius præterea pagus, & Naxa cum templo D. Mauritii. Habet & alium fontem Bornus, nam ex alpibus fere eisdem, ad XVIII. millia passuum à Rhodano fluviolus oritur, qui VIII. millibus passuum à fonte suo priori miscetur: vallis per quam defluit, Armensia nominatur:

aeris

æris sectura eximiæ bonitatis hoc loco sunt, & pagus ejusdem cum valle nominis, ac alter Voschius nomine supra confluentes utriusque fluvii. His locis Salsularum fons ante annos aliquot inventus est, è quo salem coquere cœperant, sed hodie negligitur partim quod sal ex hac aqua non admodum probetur: partim propter sumptus qui maximi faciendi sunt ut aqua dulcis una profluens à salsa separetur: partim etiam, si vulgo credendum est, eorum opera qui sal marinum in Vallesiam vendunt. Supra Rhodani autem & Borni confluentes in montis radice est Bremisa pagus, & prope hunc ex rupe excisa sine ullis tignis & trabibus ligneis formatum est integrum cœnobium hoc est, templum, cubicula, conclave, culina, cella vinaria: monachi qui incoluere brevi omnes, ob loci, ut creditur humiditatem, ad unum usque periere: itaque ab habitatoribus nunc desertum est & vacuum.

VERAGRI.

Post Sedunos Veragri imam vallem inhabitant, à Morsia flumine ad fauces usque qua Rhodanus egreditur, inferiorem Vallesiam eorum regionem hodie nuncupant. Meminere horum Cæsar, Plinius, Strabo, Livius, qui ipsos semigermanos facit, itinera enim quæ ad Penninum ferant, cujus juga Veragros incolere scribit, gentibus semigermanis tempore Annibalis obsessa fuisse tradit. Sed nostra ætate Veragri Gallica lingua sive Sabaudica utuntur, quam ipsi Romanam vocant, nam cum Romani rerum potirentur veterem suam Celticam linguam (quæ non alia forte fuit à Germanica nisi dialecto differens, unde etiam morum & linguæ ratione semigermani à Livio dicti sunt) dedidicere, aut potius Latinam qualis in provinciis quibusdam in usu erat, cum hac commiscentes utranque corrupere. Verum in summis vallibus & quæ cacuminibus alpium proximæ sunt, incolæ Germanicæ linguæ usum retinuerunt, non tantum apud Vallesios, sed in adversis quoque Salassorum & Lepontiorum vallibus, ut in Ajaza & Cremera, & Sessite, Oscela, Antigoria, Madia, in quibus omnibus cum Italica lingua utantur, tamen vici aliqui sunt & præsertim cacuminibus alpium proximi in quibus Germanice loquuntur. Existimandum est hos veterum incolarum reliquias esse, in variis enim migrationibus gentium, ipsis suæ sedes permansere, nemo enim alius his locis habitare voluisset aut potuisset, præsertim cui liceret alibi cultiori loco sedes quærere: itaque veteres incolæ propter alpium transitum illic relicti sunt, qui iter per aspera loca munirent, & viæ duces peregrinis essent. Sic igitur suprema pars Vallesiæ veteres incolas linguam quoque Germanicam retinuit: alibi linguæ Gallicæ seu Romanæ usus introductus est: cæterum an id debeamus Seduno & Octodoro, quibus in oppidis aliquis Latinæ linguæ usus fuit, ut veteres inscriptiones testantur, ac forte etiam Itali homines mercaturæ causa illic habitarunt: an in Vallesiam novi coloni, vel ex Allobrogibus vel aliunde immigrarint, affirmare non possum. Mihi non dissimile vero videtur, quum diu Burgundiæ regno, & postea Sabaudis principibus (utrique autem in Allobrogibus imperarunt) Vallesiani inferiores subjecti fuerint, complures ex vicina Allobrogum regione huc commigrasse, & ita alienæ linguæ usum introductum.

Parent Veragri nostra ætate superioribus Vallesianis, & in Conventus sex ut diximus distributi sunt, quorum primus ad dextram Rhodani jacens Contegianus, à Contegio quod vulgo Gundes vocant, denominatus. Pagi hujus nominis sunt duo alter à Rhodano remotior, quondam oppidulum, Contegium castellum nomine, alter flumini propior quem Contegium planum nominant. Ab his non longe distat Vertrunius vicus, qui eidem Conventui attribuitur, & à sinistro latere Rhodani mons vinetis & pascuis amœnus Neinda, cum ejusdem nominis pago. Paruit aliquando hic Conventus Turrianis, qui in Contegio castello arcem habuerunt, sed bonis hujus familiæ propter Episcopi cædem publicatis, ipsorum ditio Episcopatui & reipublicæ Sedunorum cessit, arx diruta est. Eandem ab Amedeo Sabaudiæ Comite, qui Veragrorum imperium sibi vendicaverat, restitutam, Vallesiani illo victo denuo diruerunt. Paruerunt deinde Contegiani Bernatibus, bello enim Veragrico, quod anno 1475. gestum est, Bernates suppetias tulere Vallesiis, qui illis in stipendium Contegium dedere: sed bello Allobrogico an. 1536. Vallesii data Bernatibus præfectura ad lacum Lemanum, quæ Aelen vocatur, Contégium, quamvis impari permutatione, ejus loco receperunt, ne deinceps quisquam exterorum ulli parti Vallesiorum imperaret. Contegii celebris est Sernentum vetus & nobilis familia.

Infra Contegium ex alpibus illis quæ Veragros à Bernatibus Helvetiis separant, Lisserna fluvius Rhodano miscetur, post hunc Ardonius alter Conventus Veragrorum, & vicus eodem nomine sequitur. Ad hunc Conventum pertinet, & alter pagus Schamosius ad D. Andream, & cœnobium D. Petri una cum conjuncto pago.

Tertium Veragrorum Conventum Sallionium nominant, à Sallionio oppidulo, id in edito colle situm, loco amœno, arcem quoque sui nominis habuit, sedem Sallioniæ nobilis familiæ, Werinus Sallionius anno 1210. Sedunorum Episcopus fuit. Familia hæc post extincta est: arcem Seduni bello Veragrico dejecerunt. Inter Sallionium & Ardonium vicum est templum sancti Martini, & vicus Leitrona: sed sub Sallionio est Fulliesta pagus, & ecclesia sancti Sulpitii. Duo hi Conventus siti sunt ad dexteram Rhodani, nisi quod unicus præterea vicus Ridena cum ecclesia sancti Laurentii, ab adversa fluminis ripa, Conventui Sallionio accensetur.

Proximus conventus à situ nomen habet, & Intramontius nominatur, nam undique altissimis montibus cingitur. Vallis prima, quæ magis ad Orientem vergit, Baneas, credo à Balneis quæ forte olim hic fuere, nomen habet, & nomini insignia respondent: hanc fluvius à meridie defluens secat, qui prope Branscheriam pagum alteri miscetur, & ambo Dransæ nomen accipiunt: vicus hujus loci à D. Mauritii templo & valle nomen habet. Justus Sillinius Episcopus argenti metalla primus hic invenit, quæ nunc quoque cum fructu exercentur. Altera vallis Intremontiorum à Pennino monte Branscheriam usque porrigitur IV. leucis Gallicis, quo loco alter fluvius Dransæ priori miscetur. Pagum qui duabus leucis à summo Pennini jugo distat, S. Petri Burgum appellant, ab eo vallis nomen accipit. IV. millia passuum post hunc Lida sequitur, & pari post Lidam spacio Orsiera vicus & D. Nicolai templum. Orsiera vero, & S. Petri arx atque Baneæ, singuli pagi propria distinctaque jura & peculiaria insignia habent, sed Intremontiorum Conventu comprehenduntur.

Bran-

Branſcheria præcipuus pagus hujus Conventus XX. millia paſſuum ſummo Pennino diſtat, celebre hic eſt D. Stephani templum. Saxo etiam vicus Octodoro propinquus Intremontiorum eſt, una cum arce, quæ in prærupta rupe quondam hoc loco habitabatur, ſed bello Veragrorum diruta eſt: & ex altera Septentrionali Rhodani ripa Vulieſſus pagus, & templum ſancti Martini.

A Branſcheria vico per S. Petri vallem & Pennini jugum, quod nunc montem S. Bernardi majorem vocant, iter eſt ad Salaſſos. In ſummo Pennini cœnobium extat, in quo hoſpitio excipiuntur, qui per has alpes iter faciunt. Etenim mons ipſe aſſiduis nivibus tectus, & omnia late ab utraque parte ſqualida & ſterilia ſunt: itaque jumentis ſarcinariis ex proximis celebrioribus vicis omnem annonam in jugum montis convehere neceſſe eſt. Fratres hujus cœnobii peregrinos magna humanitate excipiunt, & quotidie ab utroque montis latere illis obviam progrediuntur, cibum & potum delaſſatis adferentes, viam oſtendunt, & in monte ſuperando illis auxilio ſunt. Pauperibus gratis victum dant, opulentiores ſuo quisque arbitratu ſymboli loco munera dant. Si qui hic moriantur, cum nihil terræ hoc loco ſit, in profundiſſimam foveam ruptæ glaciei abjiciuntur, ea illorum ſepultura eſt. Qui cœnobio præeſt, Eleemoſynarius vocatur, ac in Lauſanenſium Epiſcoporum annalibus traditur, Hartmannum Eleemoſynarium hujus cœnobii ſupra ſeptingentos & viginti abhinc annos Lauſanenſem Epiſcopum factum eſſe, anno 851. Quo tamen anno cœnobium hoc primum conditum ſit ignoratur: mihi non eſt dubium longe ante ejus originem hoc loco hoſpitium aliquod in uſum peregrinorum extructum fuiſſe: quod poſtea in cœnobium commutatum fuerit. Domeſticis monumentis proditum eſt in hoc monte idolum quoddam fuiſſe, quod petentibus reſponſa dederit. Livius etiam ſcribit lib. 21. fuiſſe in ſummo ſacratum vertice Pœninum, & ab eo montem nominatum; quidam Jovem hic ſacratum fuiſſe arbitrantur, & ideo jugum hoc Alpium Montem Jovis nominarunt. Poſteaquam verò Salaſſi & Veragri ad agnitionem Chriſti venere, Bernardus Sacerdos ex Auguſta Prætoria, piæ & ſanctæ vitæ homo, idolum dejecit & cœnobium eo loco in uſum peregrinorum inſtituit, ab eo deinde mons nomen accepit. Vulgus nugatur dæmonem qui reſponſa dederit, ab eo in horrendam ſpecum hujus montis quibusdam adjurationibus compulſum, illic quaſi carcere quodam detineri.

Scio à nobis de Pœnino, quem S. Bernardi majorem montem arbitramur, complures viros doctiſſimos diſſentire, ſed nos noſtram ſententiam, quæ tamen non noſtra eſt, ſed clariſſimorum virorum, Henrici Glareani, Ægidii Scudi, Alberti Leandri, alibi confirmabimus, ne absque ratione hos ſecuti eſſe videamur.

Martiniacenſis conventus proxime ſequitur, & primum vallis mediocri ſpacio inter montes occaſum verſus ſeſe diffundens quam Tridentinam nominant, in qua ferrum è montibus effoditur: per hanc itur ad Bodiontios: mox vicus Martiniacus ad dexteram Danſæ fluvii. a cujus altera parte arx in præcipiti petra ſita eſt, quam aliquoties vaſtatam Epiſcopi Silinius & Matthæus Cardinalis reſtituerunt. Hoc loco via per Alpes ſe in duas partes dividit, una per Sedunos & Veragros ad Sempronias Alpes & Furcam aliaque juga ducit: altera per Intremontios & Penninas Alpes & Salaſſos. Martiniacus vicus eſt Octodorum veterum, caput quondam Vallenſium: nam qui Octodorum inferiori loco oſtendunt, & veſtigia ejus eluvione Dranſæ & Rhodani deleta volunt, nulla firma ratione nituntur. Nam primum, ut Cæſar deſcribit, Octodorus vicus poſitus in valle, non magna adjecta planicie, altiſſimis montibus undique continetur, & in duas partes flumine dividitur: quæ deſcriptio Martiniaco optime convenit. Flumen autem non Rhodanum intelligi à Cæſare ſed Dranſam Eutropius oſtendit, qui torrentem nominat: & Rhodani celeberrimi fluvii nomen Cæſar haud reticuiſſet. Deinde Antonius in ſuo Itinerario ſcribit Octodorum à ſummo Pœnino diſtare XXV. millibus paſſuum, & à Tarnada XII. M. P. quæ diſtantia hodie quoque eadem fere traditur: niſi quod quidam ad ſummum Pœnini plus III. millibus P. numerant: quo minus illi audiendi ſunt qui longius à Pœnino Octodorum removent: minime omnium qui Octodorum eſſe volunt S. Mauritii oppidum. Poſtremo inſcriptiones Romanæ vetuſtatem hujus loci teſtantur.

In angulo templi.

RI. AVGVSTI. F.
I. NEPOT.
PI. IVETVTI.
CI. COS. IA.

Columna è rudi lapide ſub poſteriore porticu ejusdem templi.

IMP. CAESARI VAL.
CONSTANTIO PIO
FEL. INVICTO. AVG.
DIVI CONSTANTII. PII. AVG.
FILIO. FOR. CL. VAL. BONO
REIPVBLICE NATO.

Octodorum Julii Cæſaris ætate vicus fuit, atque illic cum Veragris & Sedunis Galba Cæſaris legatus pugnavit, & victor omnia ejus vici ædificia incendit. Poſtea (forte tum poſtquam gentes illæ Alpinæ omnes à Cæſare Auguſto devictæ fuerunt) oppidum factum eſt, & incolæ Latio donati. Sequentibus deinde ſeculis Maximianus Herculeus cum exercitum adverſus Bagaudas duceret, Octodorum venit, & illic ſacrificiis peractis, milites ſacramentum dicere juſſit: ac Thebeam legionem id renuentem Agauni trucidavit, ut in Agaunenſium martyrum vita ſcribitur. Ab illo tempore crediderim in his regionibus fidelium numerum creviſſe, nam ſanguine piorum rigatur eccleſia Chriſti: numero autem credentium aucto, uni Epiſcopo eccleſiarum cura commiſſa fuit, qui Octodori ſedem ſuam aliquando habuit: ut in Sedunis oſtendimus. Poſtea cum Burgundiæ reges, ſub quorum imperio Veragri & Seduni tum erant, aſſiduis bellis peterentur à Francis, cum univerſa vallis tum Octodorum multa perpeſſum vaſtatumq; fuit, & ab eo tempore nunquam priſtinam dignitatem recuperare potuit: Epiſcopatus tamen apud Sedunos permanſit: Octodori vero in locum oppidi vicus ſucceſſit, frequentior & notior propter mercatores, quibus hac frequens per alpes iter eſt.

Sub Octodoro ad ſiniſtram Rhodani hi viculi ſequuntur, Juviana, Servantia, Veroſa, mox Tarnadæ oppidulum, juxta quod montes in unum pene coeuntes, exiguo ſpacio qua Rhodanus effluat, relicto, vallem præruptis & altiſſimis rupibus quaſi muro quodam claudunt.

dunt. Rhodanum incolæ eo loco ponte fornicato stravere, cui castellum additum est, & porta ponti imposita, qua tota vallis clauditur: montes enim hyeme plerique impervii sunt, ipsa etiam æstate difficulter transiri possunt, neque ulla via militaris & convehendis curribus tormentorum apta, per hos montes patet: præterea singuli aditus & summa quoque montium juga in Vallesiorum potestate sunt, quæ illi exigua manu tueri facile possunt. Recte itaque incolæ totam vallem unum quoddam oppidum censent, montibus quasi mœniis munitum, cujus porta Tarnadæ sit. Tarnadæ autem Antonium secuti oppidum hoc nominamus, veterum plerique Agaunum nominarunt, nomine Germanico **Am Gandt** paululum deflexo, nomen id locum rupibus plenum sonat: & certe talis est Agauni situs. Locum hunc à Julio Cæsare bello Gallico munitum fuisse plerique credunt, ut sic alpium transitum in potestate haberet: quo consilio etiam Octodorenses Latio donati sunt. Extant hoc loco vetustissimæ inscriptiones Romanæ, quæ antiquitati Agauni testimonium perhibent.

V F
IVLIA DECVM. FIL.
DECVMINA
FLAMINICA.

D. PANSIO M. FI
SEVERO AN. XXXVI
IV. DECVMINA MATER
FIL. PIENTISSIMO

X PANSIO. COR.
... FILIO. SEVERO
IIVIR. FLAMINI
IVLIA. DECVMINA
MARITO.

D M

.... M .... SER ... G ...
.........M...........
...... SE...P.... R....
.... AT ....

SEX.... F....... L ....
SEVERI ....
....
....

IMP. CAESARI AVGVSTI F.
...........OTI PRINCIPI
.... COS. DESIG.

Multæ præterea inscriptiones in templi pavimento, parietibus & muro cœmiterii visuntur, sed vetustate exesæ & attritæ sunt, ita ut vix paucissimæ literæ agnosci queant. In sacello ejusdem templi supersunt tres columnæ marmoreæ antiqui operis, & pone summam aram pavimentum tessellatum variegati coloris.

Hoc loco à Maximino Imperatore Legio Thebea, cujus dux erat Mauritius, propter confessionem nominis Christi cæsa est. Ab eorum martyrio annis circiter 220. cum locus hic apud Burgundos, qui in his regionibus dominabantur, magnæ venerationi esset, Sigismundus Rex Burgundionum Maximi Genevensis, Theodori Sedunensis & aliorum Episcoporum oratione impulsus, eodem loco in honorem Martyrum cœnobium celebre construxit, S. Severinum Abbatem ibidem constituens, oppidulum Tarnade juxta positum mœnibus ampliatis cœnobio conjunxit; & eidem (ut vulgo loquuntur) incorporavit: ab eo tempore Tarnadæ nomen obsolevit, & nunc vulgo ad S. Mauricium nuncupatur. Tabulæ dotationis testantur Sigismundum regem amplos reditus huic cœnobio donasse, & credendum est Clodoveum Magnum, Francorum regem, non pauca eidem dedisse, si modo verum est, quod ab Aimoino traditur, ipsum à Severino primo Abbate febri liberatum esse. Fuere Abbates post Severinum usque ad Carolum Magnum Imp. 31. in quorum tamen numero Severinus in vetustis hujus cœnobii monumentis non ponitur. Aletheo Abbate simul & Episcopo Sedunensi Carolus Magnus reliquias Martyrum hujus loci invisit, & Abbati ac Monachis multa largitus est. Ejusdem Imperatoris filius Carolus Leonem Papam Roma ad Carolum Imp. proficiscentem Agauni excepit, & ad patrem deduxit. His temporibus fratres hujus cœnobii D. Benedicti regulam profitebantur: sed aliquanto post mortuo Adelongo Sedunensi Episcopo & D. Mauritii Abbate, qui Aletheo successerat, Ludovico Pio Caroli filio imperante, Monachi hinc propter vitæ petulantiam & improbitatem ejecti, & in eorum loco presbyteri & canonici à Ludovico substituti sunt, & datus his præpositus qui ipsos regat. Ultimus in ordine Præpositorum Reinoldus fuit Amedæi comitis frater: illo tempore opibus cœnobii dissipatis, quas Canonici partim turpiter prodegerant, partim liberis suis largiti fuerant, ad tantam egestatem Collegium illud pervenit, ut nemo amplius cœnobium inhabitaret, aut sacra perageret: donec tandem Amedæus Comes permotus precibus Hugonis Gratianopolitani Episcopi Agaunum venit, & abalienata bona ecclesiæ restituit, & in locum Canonicorum, alterius familiæ Canonicos quos regulares nominant delegit, imposito his Priore Hermencrado, anno 1136. Ab his cœnobii opes rursus auctæ sunt, nam & Petrus Tarentasiensis Episcopus fratribus non pauca donavit: & Amedeus Comes Præposituram Balnearum illis attribuit: aliorum quoque liberalitate, & fratrum diligentia & parsimonia brevi tempore opes illorum plurimum crevere: his autem auctis Prioris nomen fastidientes, ab Eugenio Papa impetravere Abbatis nomen & dignitatem. Ac Hugo secundus cœnobii Prior, anno 1146. Abbas ab Eugenio Papa Lugduni appellatus est: quo anno ab eodem Pontifice templum D. Mauritii consecratum tradunt. Eadem dignitas & vitæ institutum hodie manet. Non possum hoc loco præterire quod à viris gravibus ac ab omni superstitione alienis, qui sese oculatos testes afferebant, audivi, in piscina cœnobii Mauritiani pisces servari pro fratrum numero, notis insignitos certis, quorum si quis moritur, brevi fratrum aliquem consequi, & omnino certissimam mortem fratrum alicui portendi si piscis mortuus in aquis appareat. Quidam tamen fidem huic narrationi derogant: atque nullos alios pisces, in vivariis cœnobii servari ajunt, quam truttas è Rhodano huc delatas.

Infra Agaunum incipit Antuatum regio, quos quidam cum Strabone Nantuates appellare malunt, hi juxta Rhodanum & lacum Lemanum ab utraque parte ad summas Alpes incolunt. Per hos iter à Penni-

Pennino ad dextram Lemani ducit in Germaniam Argentoratum & Mogontiacum, cujus Antonius itinerarii provinciarum auctor meminit: ac ponit Tarnadæ, quod Agaunum & S. Mauricium nominari supra diximus, & Penne locum hinc distantem M. P. M. XXI. id quidam putant esse oppidulum ad caput fere Lemani nostris Nevvenstat, Villa nova Gallis nominatum: inde Bibiscum quod vulgo Vivis nuncupant, M. P. M. IX. hinc sequuntur Bramagum vicus, Bramasans hodie, Minnidunum Milden, Aventicum, Petinesca, Saloturum, Augusta Rauracorum, &c. Porrò aliud iter ad sinistram lacus ducit ad viam Grajarum alpium, Bautas oppidum, quod hodie Bonam vocant, inde vel per Equestres in Helvetiam & Germaniam itur, quod iter ab Antonio describitur: vel per Centrones Lugdunum: Tarantasia enim caput Centronum M. P. M. XL. à Bauta distat. Utroque autem latere Lemani ab Agauno Genevam & in Allobrogas iter est. Populos qui ad sinistram Lemani habitant, quidam omnes uno Equestrium nomine contineri censent, hodie quoque vulgo Gavoti, item ab equo Caballicenses nominantur, Pays de Gavot, & Pays de Chabaul seu Tschaballes dicti. Supremam regionem Agauno proximam Vallesii occuparunt, quando societate cum Francisco Gallorum rege & Bernatibus atque Friburgensibus facta, bellum adversus Carolum Sabaudiæ ducem gesserunt, anno D. 1536. Nostra ætate maxima pars Antuatum illustrissimo principi Sabaudiæ paret.

Tradunt autem Sabaudiæ principes ab illustrissima Saxonum ducum familia originem ducere. Beraldus enim Hugonis Saxoniæ ducis (qui Ottonis II. Cæsaris frater fuerat) filius, solum patrium vertere coactus, in eam partem Burgundiæ se recepit quæ inter Allobrogas comitatus Moriennæ vocatur. Est autem Morienna vallis Centronibus proxima, subjecta monti S. Dionysii quo loco Medullos veteres ponere videntur. In his igitur locis beneficio Regis qui eo tempore Burgundiæ præerat, comitatum Moriennæ Beraldus instituit anno 998. à quo Sabaudiæ principum & Marchionum Segusianorum stemma descendit. Hi primum Moriennæ Comites dicti sunt, & Marchiones Segusiani, usque ad Amedæum secundum ejus nominis, & quintum à Beraldo, is primus omnium titulum comitum Sabaudiæ usurpasse fertur. Attamen nomen ipsum Sabaudiæ multo est antiquius, nam in libro qui Notitia Orientis & Occidentis nominatur, quem quidam scriptum volunt circa annum salutis 450. mentio fit Præfecti classis Barcariorum Ebruduni Sabaudiæ: item Tribuni cohortis primæ Flaviæ Sabaudiæ Calaronæ. Scribitur autem illic nomen Sabaudiæ per P. literam: itaque quidam non ineruditus vir conjiciebat hoc nomen à Sapino deductum, quod in his regionibus sit Sapini copia: fert enim proceras abietes & piceas, navali materiæ aptas. Volaterranus, Sabaudorum nomen à Sabatiis deducit, quorum Plinius & Strabo meminit, qui ipsos ad initium Alpium maritimarum collocat. Multi ex Sebusianis Sabaudos factos volunt: meminit autem Sebusianorum Cæsar lib. 2. Comment. belli Gallici, & extra provinciam trans Rhodanum primos esse scribit: Strabo Segusianos nominat, & intra Rhodanum, & Dubim habitare tradit: hujus regionis pars est Bressia regio, quæ à Burgo oppido, Burgobressia quoque nominatur, ducis Sabaudiæ imperio subjecta. Patet autem late admodum imperium Sabaudi cis & ultra alpes, paret enim illi maxima pars Allobrogum, Antuates, Sebusiani, Centrones, & Medulli, atque ab altera parte alpium Taurini & reliqui populi Subalpini, quos uno nomine Pedemontanos nominamus. Nostra ætate Sabaudis imperat Illustrissimus Princeps Philibertus Eman. Caroli F. Porrò hæc series Sabaudicæ familiæ à quibusdam traditur, quam nos subjecimus, id non alienum ab instituto opere existimantes, quoniam aliquandiu Sabaudi Vallesianorum, de quibus scribimus, imperium obtinuerunt. Cum autem Sabaudica domus in plures familias aliquando divisa fuerit, quorum aliqui Sabaudiæ, alii vero Genevæ Comites nuncupati sunt: & quidam interiores & divites Comites à nostris, alii exteriores Helvetiis dicti sunt, quibus magna pars Aventicorum in Helvetia paruit, nos tantum rectam seriem & stirpem familiæ præcipuam uti ad nostra tempora propagata est, subiiciemus.

BERALDVS Hugonis Saxoniæ ducis filius, Comitatum Moriennæ erexit, anno 998.

HVMBERTVS I. à candore manuum cognominatus, duxit uxorem Adelheidam Marchionis Segusiani filiam. Obiit anno 1084.

AMEDEVS I. huic Henricus IV. quandam Burgundionum regionem dedit, ut illi iter per alpes pateret.

HVMBERTVS II. hic dicitur interfuisse bello sacro quod primum Franci contra Sarracenos gesserunt. Obiit anno 1109.

AMEDEVS II. hic primus fertur titulum Comitum Sabaudiæ usurpasse: ac bello Sarracenico Rhodum conservasse dicitur, in cujus rei memoriam ordo equitum Annuntiationis institutus est. Obiit in Cypro, anno 1248.

HVMBERTVS III. Hic obiit anno 1201.

THOMAS, huic filii septem fuere, è quibus quatuor nobis commemorandi sunt.

AMEDEVS III.	THOMAS	PETRVS	PHILIPPVS
Patri successit, ac obiit anno 1246. BONIFACIVS, Sabaudiæ Comitatum obtinuit post patrem: captus autem ab Astensibus præ dolore obiit nulla relicta sobole.	hic quidem principatum non obtinuit, ab eo orti sunt principes qui postea sequuntur.	Bonifacio patrueli successit, & Antuates subegit, obiit 1268.	post Petrum Sabaudiam gubernavit. Obiit anno 1285.

AMEDEVS IIII. cognomento magnus patruo Philippo successit. Obiit anno 1323.

EDVARDVS	AMEDEVS V.
unicam tantum filiam hæredem reliquit, sed Sabaudi imperium regionis ab illa ad Amedeum patruum transtulerunt. Obiit 1329.	qui à quibusdam viridis comes cognominatur, bellum gessit cum Sedunis. Obiit 1319. §

AMADEVS VI. hunc quidam Comitem viridem vocant non autem Eduardi fratrem: alii hunc omittunt.

§ AMEDEVS VII. hunc quidam Aymonem nominant. Obiit 1397.

AMEDEVS VIII. primus Dux Sabaudiæ factus à Sigismundo Imp. idem postea abdicata cura reipublicæ primum Eremita, & postea in Concilo Basiliensi Papa factus est.

LVDOVICVS Dux Sabaudiæ uxorem habuit Annam Cypriorum Regis filiam, ex qua suscepit quinque filios, è quibus.

PHILIPPVS Comes Genevensis.

LVDOVICVS Rex Cypri factus est.

AMEDEVS IX. Dux Sanctæ vitæ princeps, uxorem habuit Isabellam Caroli Galliarum regis filiam.

CAROLVS Philiberti successor ex Blanca Wilhelmi Montis ferr. com. F. genuit.

PHILIBERTVS patri successit: obiit celebs adhuc absque liberis.

PHILIPPVS fratris filio successit: uxorem habuit ex Borbonia famila.

JOANNEM CAROLVM qui etiam Amedeus nominatur: hic patri quidem successit, sed adhuc adolescens antequã liberos susciperet obiit.

† PHILIBERTVS II. gener Maximiliani imperatoris obiit absque herede.

CAROLVS III. hunc Franciscus Gallorum Rex & Bernates cum Friburgis & Vallesiis maxima parte sui principatus spoliarunt.

PHILIBERTVS EMANVEL paternum imperium recepit, & illud nostra ætate pace parta regit.

* * *

DESCRIP-

DESCRIPTIONIS VALLESIÆ
LIBER SECUNDUS,
DE
REBUS GESTIS VALLESIANORUM.

SEDUNORUM & Veragrorum prima mentio in Romana historia facta est à Julio Cæsare, qui misso in illa loca Servio Galba cum legione duodecima & parte equitatus, bellum illis intulit, quod nos Cæsaris verbis commemorabimus, interpositis nonnullis quæ ad historiæ explicationem facere videbuntur. Causa belli inferendi fuit, quod iter per Alpes (Penninas, videlicet, montem Bernardi Martis Sempronium, Grissum, qua sunt frequentiora itinera in Italiam) quo magno cum periculo, magnisque portoriis mercatores ire consueverant, patefieri volebat. Galba, secundis aliquot præliis factis, castellisque compluribus eorum expugnatis, missis ad eum undique legatis, obsidibusque datis, & pace facta, constituit cohortes duas in Antuatibus (videlicet ad lacum Lemanum) collocare, & ipse cum reliquis legionis ejus cohortibus in vico Veragrorum, qui appellatur Octodorus, hyemare. Qui vicus positus in valle, non magna adjecta planicie altissimis montibus undique continetur. Cum hic in duas partes flumine (Dransa, quem recte torrentem vocat Miscellæ historiæ auctor) divideretur, alteram partem ejus vici Gallis ad hyemandum concessit, alteram vacuam ab his relictam cohortibus attribuit. Eum locum vallo, fossaque munivit. Cum dies hybernorum complures transissent, frumentumque eo comportari jussisset, subito per exploratores certior factus est, ex ea parte vici quam Gallis concesserat, omnes noctu discessisse, montesque qui impenderent, à maxima multitudine Veragrorum & Sedunorum teneri. Id aliquot de causis acciderat, ut subito Galli belli renovandi, legionisque opprimendæ consilium caperent. Primum, quod legionem, neque eam plenissimam detractis cohortibus duabus, & compluribus singulatim, qui commeatus petendi causa missi erant, absentibus, propter paucitatem despiciebant. Tum etiam, quod propter iniquitatem loci, cum ipsi ex montibus in vallem decurrerent, & tela conjicerent, ne primum quidem posse impetum sustinere existimabant. Accedebat quod suos ab se liberos abstractos obsidum nomine dolebant, & Romanos non solum itineris causa, sed etiam perpetuæ possessionis, culmina Alpium occupare conari, & ea loca finitimæ provinciæ adjungere sibi persuasum habebant. His nuntiis acceptis Galba, cum neque opus hybernorum, munitionesque plene essent perfectæ, neque de frumento, reliquoque commeatu satis esset provisum, quod deditione facta, obsidibusque acceptis nihil de bello timendum existimaverat, concilio celeriter convocato sententias exquirere cœpit. Quo in concilio, cum tantum repentini periculi præter opinionem accidisset ac jam omnia fere superiora loca multitudine armatorum completa conspicerentur, neque subsidio veniri, neque commeatus supportari interclusis itineribus posset: propè jam desperata salute, nonnullæ hujusmodi sententiæ dicebantur, ut impedimentis relictis, eruptione facta, iisdem itineribus quibus eo pervenissent, ad salutem contenderent. Majori tamen parti placuit, hoc reservato ad extremum consilio, interim rei eventum experiri & castra defendere. Brevi spacio interjecto, vix ut his rebus quas constituissent, collocandis atque administrandis tempus daretur, hostes ex omnibus partibus signo dato decurrere, lapides gesaque in vallum conjicere. Nostri primo integris viribus fortiter repugnare: neque ullum frustra telum ex loco superiore (ex vallo: nam alioqui hostes ex superiori loco, hoc est monte in vallem decurrebant) mittere: ut quæque pars castrorum nudata defensoribus premi videbatur, eò occurrere & auxilium ferre: sed hoc superari, quod diuturnitate pugnæ hostes defessi, cum prelio excedebant, alii integris viribus succedebant: quarum rerum à nostris propter paucitatem fieri nihil poterat: ac non modo defesso ex pugna excedendi, sed ne saucio quidem ejus loci ubi constiterat relinquendi, ac sui recipiendi facultas dabatur. Cum jam amplius horis sex continenter pugnaretur, ac non solum vires, sed etiam tela nostris deficerent, atque hostes acrius instarent, languidioribus nostris vallum scindere & fossas complere cœpissent, resque esset jam ad extremum perducta casum, P. Sestius Baculus (hunc Pacuvium vocat, Miscellæ historiæ auctor) primi pili centurio, & item C. Volusenus trib. militum, vir & consilii magni & virtutis, ad Galbam accurrunt atque unam esse spem salutis docent, si eruptione facta extremum auxilium experirentur. Itaque convocatis centurionibus celeriter milites certiores facit, paulisper intermitterent prelium ac tantummodo missa tela exciperent, seque ex labore reficerent, post signo dato è castris erumperent, atque omnem spem salutis in virtute ponerent. Quod jussi sunt faciunt: ac subito omnibus portis eruptione facta, neque cognoscendi quid fieret, neque sui colligendi hostibus facultatem relinquunt. Ita commutata fortuna eos, qui in spem potiendorum castrorum venerant, undique circumventos interficiunt: & ex hominum millibus amplius triginta quem numerum barbarorum ad castra venisse constabat, plus tertia parte interfecta, reliquos perterritos in fugam conjiciunt: ac ne in locis quidem superioribus consistere patiuntur. (Romani enim, ut Dion scribit, hostibus consternatis per eos in locum sublimem evaserunt.) Sic omnibus hostium copiis fusis armisque exutis, se in castra munitionesque suas recipiunt. Quo prelio facto, quod sæpius fortunam tentare Galba nolebat, atque alio sese in hiberna consilio venisse meminerat, aliis occurrisse rebus videbat, maxime frumenti commeatusque inopia permotus, postero die omnibus ejus vici ædificiis incensis, in provinciam reverti contendit: ac nullo hoste prohibente, aut iter demorante,

te, incolumem legionem in Antuates, inde in Allobrogas perduxit: ibique hyemavit. Eutropius hoc prelio supra XXX.. millia Barbarorum cæsa tradit: sed hic supra verum cæsorum numerum auget: & Cæsar ipse haud sane detrectator laudum suarum, & hic & sæpe aliàs in hostium numero augendo nimius fuisse videtur. Quis enim credat Veragros & Sedunos non magnæ vallis incolas, accedentibus etiam finitimorum auxiliis XXX. millia hominum armare potuisse. Dion qui etiam bellum hoc describit, non ponit certum numerum militum, verum indicat, incolas, cum animadvertissent multos milites ex castris Galbæ discessisse, inopinatis insidiis ipsum agressos esse: tum ipsum ex desperatione in furorem versum, repente hibernaculis exiluisse, ac hostibus incredibili audacia consternatis, per eos in locum sublimem evasisse, ubi in tuto constitutus ultus id facinus hostes in servitutem redegerit. Sed ut ego judico, falso tradit eo tempore hosce populos in servitutem redactos, quando id postea factum est: neque Romani Galbæ ductu admodum luculentam victoriam adepti sunt: neque enim alias hyberna magno labore munita & iter per alpes, cujus causa bellum susceperant, hostium potestati reliquissent. Attamen Seduni & Veragri, qui tum retinuere suam libertatem, non multo post ab Octavio Augusto cum cæteris Alpinis gentibus subacti & domiti sunt. Nam ipse Cæsar Tauriscos, & Salassos, Liburnos Japygesque cum defecissent, in potestatem redegit, & per legatos bella plurima gessit: inter quos, P. Silius Nerva Alpinas gentes & Pannonios: Messala Corvinus & Terentius Varro Salassos vicere, plerasque vero Alpinas gentes Tiberius Nero Rhetico & Vindelico bello subegit: unde Augusto Cæsari trophæum positum est, quod apud Plinium legitur, & alibi à nobis expositum est.

Ab Augusto itaque in potestatem redacti Viberi, Seduni & Veragri, cum cæteris Alpinis gentibus Imperio Pop. Rom. paruere, & ab eo tempore oppida Sedunum, Octodorum, & Agaunum condita, & mœniis cincta esse crediderim, cum ante vici fuissent, inter quæ Octodorenses Latio donatos Plinius tradidit: idem de Seduno & Agauno suspicor: nam veteres Inscriptiones, quæ nostra ætate in illis locis cernuntur, fidem faciunt Romanos aut saltem Italos homines, in his locis habitasse, idque haud dubie mercaturæ causa, & ad Alpium itinera tuenda. In libello provinciarum Galliæ, quem post Gratiani & Theodosii ætatem scriptum esse manifestum est, peculiaris provincia Alpium Grajarum & Penninarum enumeratur, cujus pars una fuerunt Veragri & Seduni. Paruerunt igitur hujus provinciæ præsidi, qui erat sub dispositione viri spectabilis Vicarii Galliarum, Seduni & Veragri, qui uno nomine Vallenses dicti sunt: item Antuates, Centrones seu Tarentasii, & forte etiam Salassi. Verum cum hæc provinciarum divisio sit recentior, conjicimus olim jure Latii donatos suis magistratibus paruisse, vel Galliæ Narbonensi hanc partem attributam fuisse, vel præfectum quendam ex equestri ordine illuc missum, sicut ad montanos Ligures in maritimis Alpibus. Sed & Rhetiam Vindeliciam & vallem Pœninam ab eodem Prolegato simul fuisse administratam vetus inscriptio docet, quæ Veronæ extat apud D. Florianum, hac forma.

Q. CAECILIO CISIACO SEPTITIO PICAI CAECILIANO PROCVR. AVGVSTOR ET PROLEG. PROVINTIAI RAITIAI ET VINDELIC. ET VALLIS POENIN. AVGVRI FLAMINI DIVI AVG. ET ROMAI C. LIGVRIVS L. F VOL. ASPER Ↄ. CON. I. CR. IN GENVOR.

Etsi autem vallis Pœnina plerisque ea videatur, quam hodie veteri vocabulo Vallesiam dicimus: tamen id non satis liquet, nam & Salassorum pars hodie Pœnina vallis nominatur: & alia est Pœnina vallis, ad Ænum amnem, de qua forte hæc inscriptio intelligenda est: quæ rectius Ænina diceretur: Germanis Jntal dicta: quamvis & à Pœninis montibus nomen habere possit, qui ad ortum Lyci sunt, & ad Julias alpes in Rhetis porriguntur, atque inter Lycum & Ænum a sinistra hujus vallis descendunt: etenim Ptolemeus hos montes Pœnas alpes nominare videtur, quæ tamen aliæ sunt à veterum Penninis alpibus.

Circa annum urbis conditæ 1041. cum in Gallia Amandus & Ælianus collecta rusticorum manu tumultum concitassent, factioni suæ Bagaudarum nomine imposito, Maximianus Herculeus à Diocletiano in consortium imperii assumptus, & ad subigendos eos missus, per Salassos & Pœninum montem cum exercitu Octodorum venit. Ad id bellum insidiis, ut verisimile est, Imperatoris evocata est è Syria legio Thebæa cognomento Felix, quæ universa hominibus Christianis constabat. Est autem ex veteri historia notum, Christianos homines frequenter sub Romanis Cæsaribus, quorum imperio subjecti erant, militasse. Hujus legionis dux fuit Mauritius: signiferi Candidus, Innocentius, Exuperius, Victor, Constantinus. Legio Thebæa appellata est, vel quod Ægyptii essent è Thebaide nomo delecti, vel quod in Ægypto eadem nomo militassent. Fuit autem ab ipsa Apostolorum ætate amplissima ecclesia fidelium Alexandriæ Ægypti, per quam in Thebaide & per universam Ægyptum Christi religio propagata fuit. Baptizatos hos fuisse à Zabda Hierosolymorum episcopo Vincentius in historiis scriptum reliquit. Hi cum è Syria Romam venissent, à Marcello ejus urbis episcopo in fide confirmati sunt, dato juramento se vitam potius ipsam hostibus relicturos, quam de fide accepta cessuros esse. Ita instructi & animo confirmati per Alpes in castra Imperatoris, quæ Octodori erant, pervenere. Maximianus Imperator in amœna planitie sub urbe non longe à Rhodano consederat, & exercitu lustrato eos in sua verba sacramentum dare postulabat, per sacra arasque Deorum pugnare se velle & adversus Bagaudas rebelles, & Christianos Diis Imperatorum inimicos persequi. Thebæa legio præteriens Octodorum oppidum, ad locum (cui Agauno nomen est) celeriter properavit, ut XII. millium spatio ab Octodoro separata, necessitatem committendi sacrilegii, præteriret. Agaunum incolæ interpretatione Gallici nominis saxum dicunt. Quo in loco ita vastis rupibus Rhodani cursus arctatur, ut transeundi facultate substracta constratis pontibus viam fieri itineris necessitas imperaret. Undique tamen imminentibus saxis, parvus quidem sed amœnus irriguus fontibus campus includitur, ubi fessi milites legionis Thebææ post laborem tanti itineris resederant. Maximiano autem eos accersenti sacramenti militaris nomine & religione, intrepido animo

animo respondent, eo loci extingui se, quam aut diis sacrificare. aut contra Christianos arma sumere, malle. Ibi tum ille ira percitus integram legionem decumari jubet: ejus supplicii hæc erat ratio, ut sorte decimus quisque ad supplicium lectus, virgis cœsus securi percuteretur. Milites fide Christi ardentes quisque sibi sortem supplicii optare, & certatim ingenti cum lætitia cervices suas objicere. Addidit hoc ipsum factum, magnum & animi & fidei robur Mauritio, qui milites confestim gravissima concione ad constantiam & fortitudinem exhortatus est. Itaque rursus accersiti, respondere, sese arma pro reipublicæ defensione suscepisse, non adversus Christianos. Quod ad sacra vero idolorum attineret, vitam eripi sibi potius commissuros, quam Deum suum pernegent, aut dæmonum sacrificiis religionem suam polluant. Jubet igitur Maximianus denuo legionem decumari: sed cum ne sic quidem de sententia sua cederent Christiani milites, universum exercitum in legionem immisit, & ipsam undique armato milite cinctam jugulari præcepit. Facile fuit non repugnantes vincere, itaque maxima pars legionis eo loco cæsa est: quidam tamen manus militum effugere, qui postea in Helvetiis, & Germania utraque persequente eos Maximiano supplicio affecti sunt. Atque ut Otto Frisingensis scribit, novem ex hoc sanctorum militum numero, in oppido Bunna ad Rhenum ab insequentibus Romanis cæsi sunt: deinde Coloniæ Agrippinæ in suburbio Gereon cum sociis 300. & Victor cum 360. sociis in oppido Troja quod nunc Xantis dicitur interfecti sunt. In Helvetiis Soloturi Ursus cum Cosma, Damiano, & Victore idem passus est. Ex eodem consortio Felix cum sorore Regula per Sedunorum alpes effugiens, Christum Uraniæ & Glaronæ & Tiguri prædicavit atque ibi jussu Decii præfecti ambo propter veræ fidei confessionem capite plexi sunt. Præterea Lambertus Schaffnaburgensis in vita Henrici IV. scribit, Treviris apud S. Paulinum XIII. corpora sanctorum, Thebeæ, ut putantur, legionis reperta esse, quorum hæc nomina in tabulis plumbeis conscripta simul reperta sint: Palmatus, Tyrsus, Maxentius, Constantius, Crescentius, Justinus, Leander, Alexander, Soter, Hormisda, Papyrius, Constans, Jovianus. De passionibus vero eorum hæc à Trevirensibus prolata esse. Rictionarius Maximiani Imperatoris præfectus, legionem Thebæam jussu ipsius, circumquaque persecutus Trevirim, propter quos IIII. Nonas Octobris est ingressus, & eadem die occidit ibi ducem ejusdem legionis Tyrsum, cum omnibus comitatibus suis. Sequenti autem die Palmatum, Trevericæ civitatis consulem & patricium, cum omnibus ejusdem principibus civitatis. Tertia autem die cædem exercuit de plebe sexus utrius. Atque hæc quidem Lambertus memoriæ prodidit. Cæterum cur hic Tyrsum legionis ducem nominet, cum fere omnes alii Mauritium ducem aut tribunum hujus legionis faciant, aliis excutiendum relinquo. Mea vero de tanto numero Thebæorum martyrum (nam non tantum hi quorum supra meminimus, sed alii quoque plures alibi ut puto ostenduntur) hæc est conjectura. Primum non omnes unius & ejusdem legionis quæ Agauni decumata est milites fuisse: sed aliarum quoque legionum. Neque enim una tantum Thebæa legio fuit, verum in libro qui Notitia Orientis & Occidentis inscribitur, recensentur tres Thebæorum legiones, Maximiana I. Diocletiana III. & Flavia Constantia II. Itaque arbitror in his omnibus legionibus aliquos fuisse Christianos, atque etiam martyres. Deinde si qui prædicatione Thebæorum militum ad Christum conversi, ac postea una cum his propter fidem cæsi fuissent, illi quoque Thebæis adnumerabantur: id probatur Trevirorum narratione quam ex Lamberto adscripsimus: nam Palmatus ibi inter Thebæos numeratur, qui tamen non ejus legionis miles fuit, sed consul & patricius Trevirorum: & verisimile est hunc vel à Tyrso ad Christum conversum fuisse, vel saltem se illi conjunxisse in ejusdem fidei professione & propagatione. Postremo fieri potest, ut falso inter Thebæos numerentur aliqui, qui non modo ex ea societate nunquam fuerint, sed ne quidem pro Christo passi sint. Neque tamen id quicquam gloriæ & honori beatorum martyrum detrahit, imo hinc apparet celeberrimi nominis fuisse antiquitus, ideoque singulas regiones sibi aliquot ex his vendicare voluisse.

Narrat etiam Vincentius exercitum tyranni, cæsa legione & spoliis ejus direptis, eo loco, ob rem videlicet bene gestam, epulatum, festum diem egisse, tum senem quendam Victorem nomine, qui forte illac iter faciebat, admiratum epulas inter acervos cadaverum, quæsivisse à militibus, a quibus ad commune epulum invitabatur, quinam hic cæsi essent, cumque audivisset Christianos esse, qui Deos patrios & sacra Imperatorum contempserint, indoluisse senem, sese adeo provectæ ætatis non etiam cum his occisum esse, quod beatissimum judicaret: his auditis milites quæsivisse à sene, num se quoque Christianum esse profiteretur, qui cum annuisset, mox uti optaverat, ab illis cæsum & cæterorum acervo additum esse.

Citatur ex Ambrosio, in cujus operibus tamen non reperitur, brevissima de his Martyribus narratio, in hunc modum: Caterva fidelium divino lustrata lumine, ab extremis terræ finibus veniens, tibi domine fideliter supplicavit. Et tam corporeis bellatorum mucronibus circunsepta legio, quam spiritualibus etiam armis vallata, ad martyrium vigilanti constantia properavit. Hos pestifer tyrannus, ut eos metu perterreret, ad internecionem supplicii decimavit gladio: atque postmodum constanter eos perdurantes in fide, universos pariter capite plecti præcepit. Sed hi tanto charitatis ardore fervebant, ut ejectis armis, flexo poplite passim gratulantes, spiculatorum tela hilari corde susciperent. Inter quos beatus Mauritius, tuæ fidei amore succensus, decertando martyrii est coronam adeptus.

Fortunatus quoque Pictavorum episcopus lib. II. De certaminibus piorum, inter alia de sanctis Agaunensibus Mauritio & ejus sociis, hæc scribit.

Turbine sub mundi cum persequebantur iniqui,
Christicolasque daret sæva procella neci:
Frigore depulso succendens corda, peregit
Rupibus in gelidis fervida bella fide.
Quo pie Maurici, ductor legionis opimæ,
Traxisti fortes subdere colla viros,
Quos positis gladiis, armarent dogmata Pauli
Nomine pro Christi dulcius esse mori.
Pectore belligero poterant qui vincere ferro.
Invitant jugulis vulnera rara suis.
Hortantes se clade sua, sic ire sub astra:
Alter in alterius cæde natavit herus.
Adjuvit rapidas Rhodani fons sanguinis undas.
Tinxit & Alpinas ira cruenta nives.

Tali fine polos felix exercitus intrans,
Junctus Apostolicis plaudit honore choris.
Cingitur angelico super astra beata senatu,
Mors fuit unde prius, lux fovet inde viros.
Qui faciunt sacrum paradisi crescere censum,
Haeredes domini luce perenne dati.
Sidereo chorus iste throno cum carne locandus.
Cum veniet judex, arbiter orbis erit.
Sic pia turba simul festinans cernere Christum,
Ut coelos peteret, de nece fecit iter.

Legione Thebæa cæsa Imperatores Diocletianus Aug. & Maximianus Herculius Cæsar, omnes ubique terrarum Christianos è medio tollere cupientes, omni suppliciorum & tormentorum genere in eos sævierunt. Interim cum per universum terrarum orbem res turbatæ essent, & Carausius in Britanniis rebellaret, Achilleus in oriente, Africam Quinquegentiani infestarent, Narseus orienti bellum inferret, Diocletianus Maximianum Herculium ex Cæsare fecit Augustum: Constantium & Maximianum Galerium Cæsares. Quorum Constantius in Galliam missus Alemannos, qui eam depopulabantur apud Lingonas devicit, & LX. millibus Alemannorum cæsis pacem Galliæ reddidit. Idem Augustus factus, cum illi Italia cum tota Africa & Gallia atque Hispania cederent, Africæ & Italiæ administratione recusata, Galliis & Hispaniis contentus illis diligentissimè præfuit, eoque regnante nulli motus fuere, & hostes populi Romani ab armis cessavere. Ecclesiæ etiam, quoniam illi religio Christiana cordi erat, alibi grassante persecutione, pace in Galliis fruebantur: & cum post illum Constantinus F. & deinceps cæteri Imperatores omnes uno excepto Juliano Christum coluerint, verisimile est non multo tempore à passione Thebææ legionis episcopatum Sedunensem exortum suum habuisse. Etenim si vera sunt quæ de Victore narrat Vincentius, etiam ante Thebæorum martyrum cædem aliqui in his locis Christi fideles fuerunt: & qui ex illa laniena effugere, sicut in Helvetiis (ut suo loco scripsimus) Christum prædicarunt, ita procul dubio idem apud Vallesianos fecere: & insignis tot fortissimorum hominum constantia in asserenda fide sua, & patientia in suppliciis perferendis, multos commovit ut Christianam religionem amplecterentur, atque ita sanguine piorum quasi irrigata ecclesia ejus loci brevi ita aucta est, ut proprium episcopum habere cœperit, idque ex historiis colligi potest: Nam in concilio Aquileiensi interfuit Theodorus episcopus Octodorensis, & Palladium qui Christum verum Deum & patri coæternum negabat, nec Christianum nec sacerdotem esse pronunciavit. Celebrata autem est hæc synodus eodem anno quo & Constantinopolitana prima Siagrio & Eucherio Coss. qui est annus 91. post beatorum martyrum cædem. Deinde Sigebertus Anno domini 411. Florentinum Sedunensem episcopum fuisse testatur, qui annus est 120. post Agaunensium martyrum cædem. Etenim anno 291. à nato servatore Maximianus bellum contra Bagaudas gessit, cujus initio Thebæi supplicio affecti sunt: Non autem verisimile est Florentinum primum Sedunorum episcopum fuisse, alioqui Sigebertus non indiligens scriptor, aliquam forte hujus rei mentionem fecisset, & novi episcopatus exordium indicasset. Qui tamen Theodoro Octodorensi, aut Florentino Sedunensi successerint, nobis ex veteribus monumentis non est compertum: nos supra mentionem fecimus Theodori Sedunensis, qui vixit post annum domini 500. Constantii item & Rufi Octodorensium, quorum hic anno 546. alter ante hunc anno 530. episcopatui præfuit.

Ea vero ætate, qua Florentinus Ecclesiæ Sedunensi præfuit, Honorio imperante Burgundiones, Germanica gens, Sequanos & Allobroges & Narbonensis Galliæ partem atque Lugdunum occuparunt, tum itaque Veragri, Seduni, & Viberi, & Helvetiæ pars non exigua quæ ante juris Sequanici fuerat, Burgundis cessit. In hac imperii mutatione non est dubium Vallesiam valde afflictam esse, ut omnes mutationes imperiorum non absque multorum sanguine fiunt. Irruperunt eo tempore Barbaræ gentes in Romani imperii limites Burgundi, Wandali, Franci, Hunni, Alemanni, à quibus florentissimæ urbes per Germaniam primam & secundam, per Gallias & alias provincias vastatæ & funditus destructæ sunt: inter has primi omnium Burgundiones Christum receperunt, & cæteris omnibus clementiores in conservandis urbibus devictis fuerunt. Honorius aliis bellis occupatus Burgundos Gallia pellere non potuit: Aetius à Valentiniano III. Galliæ præpositus Gundicarium Burgundionum regem prelio quidem vicit, circa annum 434. sed Attila cum infinita fere barbarorum multitudine adventante, pacem cum eo composuit, & Burgundionum auxiliis in campis Catalaunicis pugna adversus Attilam usus est. Eo prælio quidam Gundicarium occubuisse tradunt: Alii longe ante ab Hunnis interemptum scribunt, cum eos suis finibus arcere conaretur. Postea cum Franci maximam partem Galliarum in hac fœdissima Romani imperii dilaceratione occupassent, mox inter ipsos & Burgundos bella exorta sunt. Gundebaldus tum occisis Gundemaro & Chilperico fratribus, a quibus bello petitus fuerat, solus Burgundis imperabat, at Clodoveo Magno Francorum Regi nupserat Clotildis Chilperici filia: hic ab Odesillo sive Godegisillo Gundebaldi fratre, qui nullam regni partem à fratre impetrare potuerat, impulsus ad ulciscendam Chilperici & fratrum necem, bellum Gundebaldo infert, circa annum 501. eumque urbibus Cisararicæ Burgundiæ spoliat: Et mox Odesillo quoque à fratre occiso, bello renovato Burgundia universa pellit, & ejus filio Sigismundo, cui Theodorici Ostrogothi regis filia nupserat, regnum Transararicæ Burgundiæ dat. Verum Clodoveo mortuo ejus filius Clodamirus, qui Aureliis imperabat, Burgundo bellum intulit, jam enim dudum Franci Burgundiæ regno inhiabant, & Aurelianus potissimum, cujus regno continens erat. Occasio belli hæc fuit. Sigismundum populares coarguebant Sugerium filium ex Ostrogothi filia natum, superinducta noverca non conferendæ nobilitatis, necavisse. Sugerius enim non ut privignus modo novæ nuptæ invisus erat, sed quod improvide matrem defunctam laudaret nimis, generosioremque eam fuisse contenderet, quam cujus mundo ornamentisque illam excoli conveniret: his sermonibus adeo stimulos novercales in perniciem sui acuit, ut ea illum appetiti regni insimulante, pater uxori deditus, ad quiescentem filium duos suorum intromiserit, qui laqueo gulam frangerent. Hic finis fuit liberæ nimis linguæ & incauti in matrem amoris. Clodamirus hoc parricidio regem infamem bello est adortus, pugna commissa desertum à suis, ipsum ad Agaunense monasterium fugientem, cum uxore liberisque cepit, & Aureliam abductos in puteum conjecit. Ab hoc Sigismundo D. Mauritii cœno-

cœnobium in honorem Agaunensium martyrum de consilio episcoporum, uti in suo diplomate Rex testatur, extructum fuit. Robertus Gaguinus Francicarum rerum scriptor, Simonem Sigismundi fratrem monasterii hujus authorem facit, sed falso, cum non tantum ex historiis, sed etiam ex archivis & vetustissimis hujus cœnobii literis certum sit, non alium à Sigismundo hujus cœnobii conditorem esse. Quo anno extructum sit, non satis certum est, in tabulis quas dotationis vocant, Burgundio testatur se cœnobium hoc instituisse sciente & approbante Clotario Clodovei F. ejusque fratribus regibus Francorum. At Aimoinus ipsum Clodoveum per Severinum Abbatem S. Mauritii à febri liberatum scribit: cujus tamen nomen in albo patrum cœnobii non habetur. Sigebertus ante Sugerii necem regem Sigismundum cœnobium hoc extruxisse scribit, ante annum salutis 515. alii postea id ad parricidii expiationem ab eo conditum volunt. Ego, si conjecturis uti liceat, crediderim Burgundos longe ante regem Sigismundum martyrum horum memoriam coluisse, atque eo loci fratres aliquot habitasse, qui ecclesiæ non Agauni tantum, sed per cæteros quoque vicos Veragrogrum inservirent, è quorum numero fuerit Severinus: postea hunc locum ædificiis & opibus à Sigismundo auctum & exornatum, ideoque hunc cœnobii auctorem perhiberi. Simile quiddam Tiguri accidisse in Helvetica historia ostendimus, cum enim illic ante Carolum Magnum fratres aliquot habitarint, qui ecclesiæ ministrabant, Carolus tamen qui templum extruxit, & opibus auxit, & fratrum numerum duplicavit, vulgo ejus collegii author perhibetur. Gregorius Turonensis scribit Sigismundum patrato parricidio ad sanctos Agaunenses abiisse, & per multos dies in fletu & jejuniis durasse, veniam precatum esse, & psallentium illic assiduum instituisse ordinem. Idem tamen ante scripsit Monasterium Agaunense ab eo extructum. Avitus Abbas D. Mauritii secundus, (Irmemodus enim hunc præcessit) Sigismundo capto pro ejus vita & libertate Clodamirum multis precibus supplex fatigavit, (Gregorius Turon. Avitum abbatem Nutiacensem apud Clodamirum regem pro Sigismundo intercessisse scribit, & illi prædixisse similem exitum, si huic non parceret.) Eo non impetrato corpus interempti illi datum est, quod ille ad D. Mauritium sepulturæ mandavit, quo loco inter divos relatus vulgo colitur, & febri mederi creditur. Ado scribit, id postea per revelationem abbati indicatum, & honorifice ab eo sepultum virtutibus postmodum claruisse. Gundemarus deinde Sigismundi frater in ejus locum à popularibus rex salutatur, hic Clodamirum victricibus armis in Burgundiam penetrantem, fuga simulata, circumvenit, & in conflictu occidit: verum ipse aliquanto post Clotario Childebertoque necem fratris persequentibus, regno spoliatus in Hispaniam ad Visigothos, & cum illic parum tutum exilium arbitraretur, in Africam ad Vandalos confugit. Ado tamen ipsum à Francis occisum asserit.

Burgundia Franci victores potiti sunt: ita anno 120. post Burgundionum adventum, imperium Sequanorum & Allobrogum ad Francos translatum est, mansit tamen Burgundici regni nomen. Bellis Francicis antequam illi regno potirentur, quid Vallesii egerint aut passi sint, etsi litterarum monimentis non proditur, tamen nemo ita rerum imperitus est, qui non videat eos publicæ cladis non potuisse expertes esse. Porro penes quem Francorum regum initio titulus Burgundici regni manserit, incertum est: satis constat Clotharium & Childebertum id inter se divisisse: ex Procopio autem & Agathia colligitur partem etiam aliquam datam Theodorico Austrasianorum regi, cui & Theodeberto, & postea Theobaldo Burgundi militarunt, ac proximis Italiæ regionibus hi imperarunt: quare verisimile est penes hos Vallesiæ imperium fuisse. Cum vero postea Clotharius monarcha Galliæ factus fuisset, Guntrannus ejus filius Burgundiam rexit annis 32. rex bonus & quietis amans. Sigebertus quoque hujus frater Mediomatricum rex superiorem Burgundiam alpiumque non contemnendam partem obtinuit: ea haud dubie omnia quæ ante Austrasiano regno attributa fuerant. Tradunt etiam sub ejus mortem anno 579. Longobardos superatis alpibus Salassos Vallesianos & Antuates vastasse. Eliodorus tum Sedunorum fuit episcopus, qui Matisconensi concilio circa annum 584. cum Mario Lausanensi episcopo interfuit. Guntranno successit Childebertus Sigeberti filius, & Childeberto Theodoricus F. Hi reges gravissima bella gessere, quibus opes Burgundorum haud dubie multum attenuatæ sunt. Aliquanto post circa annum 616. Theodorico Rege vel dysenteria, vel, ut quidam putant, veneno sublato, Clotarius Chilperici F. Francorum rex Burgundia potitur, Sigebertum Corbumque Theodorici parvos liberos necat: tertium Meroveum quod se patrem vocaret, sacra aqua ab eo imbutus, vita donavit. Hic universi regni potens, Burgundionibus magistrum equitum rerumque administratorem dedit Varnerium, magni apud eos nominis virum: Transjuranis vero Herponem, ejus Herponis, qui Guntranni regis dux fuerat, filium. Hunc vitia licentia temporum nata emendare conantem, Transjurani feroces, & sui prope juris superiorum principum negligentia effecti, interemere, Aletheo Burgundione, & ut quidam tradunt, Leudemundo Sedunorum episcopo auctoribus. Aletheus pœnas metuens, audendumque aliquid majoris rei ratus, in Clotarii regis necem conspirat, per Leudemundum lenonem verius quam episcopum Bertrudem reginam sollicitat, ut relicto Clotario rege marito, quem eo anno periturum mathematicis authoribus, sortibusque fatorum scire se diceret, ad se cum regia gaza transiret: eam se in matrimonium habiturum. Illa ut par erat, ægre tulit se à Leudemundo his moribus existimari, ut tentata expugnari posse videretur, ac rem omnem prudenter & magna fide viro detegit. Rex episcopum sanctitate templorum se tegentem, deprecantibus sanctis viris, Luxoviensi abbate potissimum, ad quem is confugerat, vita veniaque donavit, jussum diœcesi sua pedem non efferre: hanc gratiam flagitioso homini Rex ob suam in ecclesiasticum ordinem pietatem præstitit: Inde in Transjuranos profectus, quæstionem acriter habuit, Aletheus procerum judicio condemnatus, cum cæteris qui in noxa erant, capite scelus luit. Seditiosis hoc facto territis, Clotario deinde & ejus filio Dagoberto, Burgundi dicto audientes fuere, is eorum forti ac fideli opera bello Visigothico & Vasconico usus est. Clodoveo deinde regnante, Burgundionibus datus est magister equitum Flaucatus, qui etiam Transjuranis imperaret, cujus cum illi imperium contemnerent, horum dux Vilebardus seu Wilibaldus patricius sive præfectus, ad novum regem evocatus, cum suæ factionis non contemnenda manu veniens, à Flaucato, qui ei in Eduorum finibus occur-

rit,

rit, pugna commissa cæsus est. Eâ ætate Amatus e monacho D. Mauritii episcopus, Sedunorum ecclesiam regebat. Hic aliquando cœnobio deserto solitariam vitam egerat, cellula & oratorio in petra quadam vicini montis extructo, quod nunc sacellum D. virginis in rupe dicitur, eo loci magna sanctitatis opinione vitam degebat, Sedunensi episcopo & universo populo charus acceptusque, & quem illi sæpe solerent invisere. Vocatus deinde ex eremo ad episcopatum, magna fide & diligentia illi præfuit, sed tandem à Theodorico rege nescio qua de causa in exilium pulsus est. Id factum crediderim ab Ebroino magistro equitum, qui Leodegarium Eduorum episcopum (hunc Idatii continuator sub Childerico palatio Regio præfuisse scribit, sæpe autem ex palatio viri clari ad episcopatus vocati sunt) in tetrum carcerem conjecit, quod se tyrannidis ausus esset coarguere, eumque lingua abscissa, oculis erutis, cervice cæsa crudelissime trucidavit: alii plures ab hoc in exilium missi, aut sponte discedentes, exilio cruciatum necemque prævertebant. Theodoricus enim & qui illum deinceps secuti sunt reges, ad Pipinum usque, nomine tantum reges extitere, potestas omnis penes magistros equitum fuit, qui rebus omnibus regibusque ipsis præerant, nihil præter regis inane nomen relinquentes. Post Amatum, Guarinum Sedunorum episcopatum administrasse certum est, quo anno & quandiu, incertum. Hic post obitum in cœnobio vallis Alpium apud Equestres sepultus est: uterque à posteris in divorum numerum relatus fuit. His temporibus diuturna pace hæ regiones usæ sunt, nisi quod Carolo Martello Francorum principe Burgundi & Allobroges à Visigothis vastati sunt: quos tamen in Alpinas has valles penetrasse non est verisimile. Episcoporum & principum hujus regionis nomina & res gestæ cum à veteribus non sint annotata, nos quoque eadem prodere nequimus Theodini Transjurani principis in Pipini historia mentio fit, qui Griphonem fratrem Pipini ei bellum molientem in alpibus occidit: quæ tamen hujus sedes fuerit, incertum est. Lazius hunc Theobertum nominat, nescio qua ratione aut auctoritate ductus. Wiliharius vero Sedunorum episcopus fuit, Carolo magno regnante an. 771. hic cum Folrado sacerdote & cæteris episcopis ac principibus, legatus ad Carolum post fratris Carolomanni obitum, eum regem totius Galliæ salutavit. Hic videtur esse Vilicarius cujus Ado meminit, antea Viennæ episcopus, qui cum Sarraceni Gallias vastarent, & Franci res sacras ecclesiarum ad usus suos retorquerent, relicto episcopatu, Romam abiit, & postea Agaunensium martyrum monasterium ingressus est ejusque curam suscepit, Pipino regnante. Successit huic Aletheus Sedunorum episcopus, & D. Mauritii Abbas, cujus temporibus Carolus M. in Veragros venit & ossa Martyrum inspexit, non absque singulari Abbatis & fratrum emolumento. Theodorum episcopum, quem vulgo S. Theodolum nominant, Caroli ætate vixisse, ac ab eo gladio & Vallesiæ præfecturæ donatum esse quidam tradunt, & Munsterus comitatum & præfecturam Vallesiæ anno 805. à Carolo M. Theodolo episcopo datam scribit. Sed nos ante ostendimus Theodorum episcopum, quem etiam Theodulum vocant, sub Sigismundo Burgundiæ rege vixisse, supra 200. & 50. ut minimum annos ante Caroli imperium. Sed quia Theodorus magnæ sanctitatis apud omnes habebatur, facile concesserim, regem Carolum ingentia munera quæ episcopo dedit, Theodoro qui inter divos censebatur donasse, ac inter cætera forte Vallesiæ præfecturam ei dedisse. Constat tamen imperatores qui aliquot seculis Carolum secuti sunt, præfecturam episcopatus retinuisse, quam tandem Fridericus Ænobarbus pro regni Arelatensis permutatione Berchtoldo dedit. Burgundi quorum limitibus Helvetiæ bona pars & Vallesii tum continebantur, Carolo ejusque filiis paruere: ac Lothario Ludovici Pii F. rege, Transjuranis imperabat Hugobertus Abbas Theodebertæ reginæ frater: hic sorore à rege Lothario repudiata, ejusdem (ut ferunt) jussu à Conrado comite cæsus est, qui deinde Transjuranis præfuit. Conrado successit Rodolphus, quem alii Conradi, quidam Richardi & Hugoberti nepotem fuisse volunt, hic circa annum Do. 888. se Burgundorum regem appellavit, & Agauni in Veragris procerum & episcoporum consensu unctus est. Arnulphus verò Ludovici Germanici nepos, Caroli Crassi Imper. tutor, adversus hunc gravia bella gessit, & suo ductu & Suentibaldi filii Transjuranas regiones misere vastavit, Rodolphum tamen qui se in Vallesia & in natura munitis Alpium rupibus continebat, regno pellere non potuit, nam post Arnolphi obitum Rodolphus non solum universam Transjuranam provinciam recepit. Sed regnum nepotibus & pronepotibus reliquit, quod annis 142. in ejus familia duravit.

Etsi autem Rodolphus Burgundiæ Rex nominatur, tamen tantum in Juranis regnum obtinuit: nam tota Burgundia eo tempore in tres partes seu principatus divisa fuit. Quicquid enim à Jura monte ad alpes usque pertingebat, ubi hodie Sabaudiæ ducatus, & in Helvetiis Ergovia, Uchtlandia & Antuates, sive quicquid est Helvetiæ ab Rusa fluvio usque ad lacum Lemanum & Rhodanum, item Vallesia, id omne regnum Jurensis Burgundiæ à Rodolpho inchoatum complectebatur. Alter deinde principatus fuit Burgundiæ superioris, quæ Jura & Vogeso montibus includitur: ubi hodie Vesontio, Tullumque & Dola urbes sub comitatu Burgundico continentur. Hujus dux fuit Richardus ejusque filii, Rodolphus, & Hugo Niger. Ex his Rodolphus post patrem ducatui Burgundico præfuit annis fere 16. & idem regnum Francorum obtinuit, hunc quidam cum Rodolpho Jurensi rege temere confundunt. Tertium principatum Burgundia inferior constituebant, quæ provinciam Arelatensem Massiliensemque ad Rhodanum usque continet. Ex hac parte Arelatensem provinciam Rodolphus Jurensium Rex ab Hugone Italiæ rege ex fœdere accepit, jurejurando promittens se deinceps exercitum in Italiam non ducturum esse. Aliis quoque accessionibus regnum à Rodolpho inchoatum non parum crevit: nam Otho Frisingensis scribit id protendi à Monte Biliardi, oppido vicino Basileæ, usque ad Isaram fluvium: & amplissimos hujus regni terminos Guntherus in suo Ligurino describit, sed de his nos copiose in Helvetica historia scripsimus: hoc loco ejus mentionem ideo fecimus quod Vallesia olim hujus regni pars fuerit.

Porro ex his qui post Caroli M. tempora ecclesiam Sedunensem rexerint hi nominatim recensentur. Adelongus qui vixit sub Ludovico pio: Annon episcopus & D. Mauritii præpositus vixit Conrado Burgundis imperante. Manfredus circa Othonis primi tempora, Amedeus, Wilfinus, Hugo, Giliengus, Guiliermus: nuda nomina, prout in albo episcoporum absque ulla temporum adnotatione habentur:

tur: ita à me quoque ponantur. Henricus Imperator hujus nominis IV. profecturus hyeme in Italiam, ut à Roman. Pontifice anathemate solveretur, per Pœninas alpes iter ab Amedeo uxoris suæ fratre data quadam Burgundiæ parte redemit: reliqua enim itinera à Welfone Bojo, Rodolpho Alemanno, & Berchtoldo Zæringio ducibus, obsessa erant: Henrico vero nisi condicta die à Pontifice absolutus fuisset, ex principum decreto Imperio cedendum erat. Lambertus rerum Germanicarum non indiligens scriptor, refert Amedeum in oppido Civis (quod Viviacum vulgo Vivis esse putatur) imperatori obvium fuisse, & quinque Italiæ Episcopatus possessionibus suis continguos pro transitu petiisse: quidam inter hos numerant Sedunensem, Lausannensem, Genevensem: sed errant, nam hi non Italiæ, verum Galliæ Episcopatus sunt omnium consensu Amedeus cujus hic fit mentio, filius fuit Humberti Comitis Moriennæ, quæ nunc Sabaudia dicitur, ex Adelheide Marchionis Segusiani unica filia & hærede: cujus soror fuit Bertha Imperatoris uxor, quæ dicitur Ottonis Marchionis cujusdam Italici filia, forte quod alio patre nata sit, aut Othonem Segusianum Marchionem patrem pro avo nominarunt. Cum autem à Vivis ad alpes proximum iter sit per Vallesiam, apparet hinc vel Salassorum regionem quæ est ex adversa parte, aut ipsos Veragros comitibus Sabaudiæ paruisse: Episcopatus tamen præfectura penes illos non fuit, sed in Romani Imperatoris potestate, eaque non multo post à Friderico Aenobarbo, Berchtoldo IV. Zæringiæ duci data est hac occasione. Berchtoldus hic hæreditario jure, sed absque ullo usu fructuque Arelatensis regni jus titulumque possidebat. Et præterea Conradus Zæringius, Wilhelmi Burgundiæ Comitis avunculus, illo mortuo eum comitatum petebat, qui etiam illi à Lothario Imperatore adjudicatus est: hunc tamen Reinaldus Comes, quod proximus hæres esset, sibi vendicabat: atque de eo armis inter eos certatum est: non semel acie cruenta dimicatum: adeo ut res inter eos eorumque posteros ante Friderici primi Imperatoris tempora non potuerit componi. Anno igitur post mortem Wilhelmi 30. qui fuit annus salutis 1157. Fridericus Imperator gener & hæres Reinaldi, Berchtoldo Zæringio Conradi filio dedit præfecturam trium Episcopatuum, Sedunensis, Lausannensis, & Genevensis, cum suis juribus & limitibus, ac tum litem hanc sustulit, tum etiam ipsius jura Romano imperio redemit. Ex hac redemptione postea, anno 1211. bellum exortum est. Berchtoldus enim superioris filius cognomento Dives, cum Vallesii imperium ejus recusarent, exercitu valido ex Transjuranis & potissimum Helvetiis, Aventicis & Antuatibus collecto, per montem Grimsulam in Vallesiam irrupit. Sed quia nobilibus Transjuranis exosus erat, Vallesii ab his de principis consiliis edocti, & opibus copiis quoque clam adjuti, duci advenienti instructo exercitu obviam progressi, manus conseruere, quo prælio dux magna parte sui exercitus cæsa, ægre eodem quo venerat itinere domum rediit. In Vallesianorum annalibus scribitur, ducem ipsum hoc prælio occubuisse, sed ille septimo demum anno post hanc pugnam obiit, ut videre est in ejus Epitaphio, quod Friburgi Brisigavorum in hæc verba monumento ejus inscriptum est.

DVM BIS SEXCENTIS TER SE-
NVS IVNGITVR ANNVS,
IN FRIBVRG MORITVR BERCH-
TOLDVS DVX ALEMANNVS.

Tempore quo hæc gesta sunt, Episcopi Sedunorum fuerunt Waltherus Lothario II. & Conrado III. Imperatoribus. Ludovicus Friderico Aenobarbo Imperatore. Huic successit Wilhelmus S. Mauritii Abbas & Sedunorum Episcopus, etsi enim hic in catalogo omittatur, ejus tamen mentio fit in antiquis diplomatibus: hunc ossa quædam martyrum Collegio Cannoicorum Embraci in pago Tigurino donasse, literæ ejus rei indices testantur. Wilhelmum secuti sunt, quorum in Catalogo nomina ponuntur, Udo anno D. 1194. Elias qui in Italia apud Insubres mortuus & sepultus, à Sedunis inter divos relatus est. Verinus ex Sallionia familia in Veragris an. 1216. ipso Sedunorum ecclesiam administrante bellum cum Berchtoldo Zæringio gestum fuit. Successit huic Landericus anno 1219. ecclesiæ præfuit annis 29. Invenio in quibusdam Annalibus scriptum, Vallesios eorumque vicinos Alpium populos, a Sabaudiæ comite circa hæc tempora perdomitos, anno 1235. Boso ex Gradæcia familia post Verinum Episcopatui præfuit annis 21. Henricus Raronius annis 5. Hunc subsequuti sunt Rodolphus: deinde Bonifacius Chalanta, & Petrus Herens, quorum anni ignorantur: sed Petrum cum Friderico Curiensi in Rhætia Episcopo fœdus pepigisse anno D. 1282. in Vallesianorum annalibus scribitur. Circa hæc tempora Vallesiani aliquot, à Vatiensibus dominis in Rhetiam evocati, regionem Davosianam, quæ tum adhuc inculta & Sylvestris erat, excolere & inhabitare cœperunt. Crediderim hos à Raroniis Baronibus illuc missos, petenti Joanni Donato Vatiensi domino: hi postea anno 1289. ab eodem Vatiensi, & præterea Hugone Werdenbergensi Comite, qui ipse quoque nonnihil juris illic habebat, possessionem perpetuam illius loci fiduciario jure acceperunt, ea conditione ut quotannis domino fundi 24. pondo argenti, quæ 28. aureis Rhenensibus æstimantur, persolverent. Quare Davosiani qui principem locum in tertio Rhetorum fœdere tenent, Vallesianorum coloni sunt, atque quum finitimi omnes patrum memoria Rhetice loquuti sint, soli Davosiani Germanica lingua usi sunt, qua ab illis accepta multi Rhucantiorum seu Prettigoviorum nunc utuntur, qui Vallesianorum dialectum magna ex parte servant, & crassius plerasque voces exprimunt, ideo à Curiensibus & aliis vicinis qui paulo elegantius loquuntur, lingua eorum Vallesiana nominatur.

Aymo Castilioneus, Augusta prætoria ortus anno 1315. Episcopus factus, præfuit ecclesiæ annis 12. Aymo II. è Turriana familia ei successit, qui 11. annis hoc munus administravit. Condidit hic cœnobium Carthusianorum apud Siderianos, quod nunc Carmelitæ incolunt. Philippus Gastonius post hunc annis 23. Episcopatui præfuit. His Episcopis nullæ res memorabiles bello gestæ domesticis annalibus produntur, aut scriptorum negligentia, aut quod pacis studiosi populum quoque in officio retinuerint. Attamen Munsterus tradit comitem Grueriensem auxilio quorundam nobilium Vallesianorum (qui forte Turriani fuerunt) Bernatibus bellum intulisse, & anno 1346. signis collatis dimicasse. Præterea Stumpfius scribit, anno 1373. Paterniacum à Vallesiis per dies 8. obsessum & oppugnatum: sed quod hoc bellum fuerit non indicat.

Gastonium secutus est Guiscardus Gradecius è Tavellia familia, qui annos tredecim Episcopatui præfuit. Cum hoc inimicitias exercuit Antonius Turrianus, cujus tum magnum nomen & amplissimæ opes

opes in Sedunis & Veragris erant. Causa inimicitiarum fuere prædia quædam quæ uterque sibi vendicabat, uter jure & injuria incertum: sæpe enim & Episcopi religionis titulo principum bona occuparunt, & vicissim nobiles & potentes homines, qui jus omne in armis habent, sæpe quoque bona ecclesiarum nullo jure diripuere. Animis itaque duorum qui plurimum in Sedunis poterant inter se alienatis, Turrianus inimicitias hostiliter exercens, vitæ Episcopi insidias instruit, itaque cum ille prope Sedunum in arce Seona degeret, neque utpote in regione pacata ullum præsidium militare secum haberet, Turrianus qui hæc optime nosset, arcem de improviso occupat, & Episcopum atque ipsius sacellanum, qui tum forte simul matutinas preces recitabant, comprehendit, & de rupe, in qua arx sita est, præcipites dat. Factum hoc est anno salutis nostræ 1375. Episcopi tam crudeli indignaque nece divulgata Seduni ad arma concurrunt, & principis sui necem vindicare publico consilio statuunt. Turrianus interea, qui jam ante populi motum præviderat, undique suos clientes convocat & armis instruit, à cæteris principibus & nobilibus finitimis auxilium petit, è quibus Blandræ comes illi auxilio venit, & Hartmannus Kiburgius Comes magnam militum manum misit: hic ex insidiis occiso fratre Eberhardo, in Transjurana provincia late dominabatur: itaque Antonio moribus non absimilis auxilium illi prompte ferebat. Adjunxere præterea sese Turrianis multi homines nobiles, qui dolerent universæ familiæ alioqui nobilissimæ à furentis plebis impetu periculum imminere, & qui cognatione aut affinitate aliqua illis juncti, aut etiam eorum beneficiarii essent. Exercitu igitur non contemnendo sic collecto Antonius sub Ajento arce sui imperii castra ponit: Seduni vero his obviam progressi, eodem loco juxta D. Leonhardi viculum paulo plus 3000. passuum supra Sedunum, aciem instruunt, fit atrox prælium, victoria tandem Sedunis cessit, non tamen incruenta: cecidit hoc prælio Blandræ comes, & multi cum eo viri nobiles, ipsum quoque Antonium Turrianum belli auctorem hac pugna cecidisse tradunt. Prælio victores Seduni bellum ad arces & oppida Turrianorum circumferunt, Turrianam, Gradecium, quod oppidum tres arces habebat, Ajentum, & in Veragris Contegium, hæc omnia vi expugnant, aut obsidione ad deditionem cogunt: Gradecii & Contegii oppidorum mœnia dejiciunt, arces omnes comburunt & destruunt. Dum hæc illic aguntur, Turingus Brandissius exercitu è Simmia valle in qua dominabatur collecto, per Ravinium montem in Valesiam irrumpit, ut Turrianis opem ferat, verum Seduni prælio cum ipso congressi exercitum ejus fundunt & fugant, ipsumque Brandissium obtrucant: pugna hæc altero anno post cædem Episcopi facta est. Hoc bello Turrianorum opes dissipatæ, familia extincta est. Guiscardum Episcopum ob indignam necem Sacerdotes in martyrum numerum retulere, & inter divos ipsum colunt.

Successit illi in Episcopatum Eduardus ex comitum Sabaudiæ familia, hic nescio qua de causa tertio sui Episcopatus anno à Vallesiis expulsus & ejectus est. Imperabat eo tempore Sabaudis Amedeus Eduardi frater, Amedei illius filius qui comes viridis à quibusdam dictus est, hic per legationes re frustra sæpe tentata, armis fratrem in possessionem Episcopatus restituere constituit, ac anno D. 1384. bellum Vallesiis duobus locis infert. Bernates enim Sabaudo confœderati exercitum Gandecum ducunt, ac cum Vallesiis in montibus dubio Marte pugnarunt: interim Vallesiis bello eo occupatis, Sabaudus per Veragros exercitum Sedunum ducit, & urbem occupat, Episcopo suam sedem reddit, è qua tamen aliquanto post denuo pulsus fuit. Sedunorum annales tradunt urbem à Bernatibus per insidias captam & incensam esse. Triennio post Sabaudus novum exercitum in Vallesiam ducit, in quo Bernensium equites 100. pedites 1000. illi jure fœderis militabant, cum his copiis Vespiam usque progressus, cuncta in suam potestatem redegit, & illis suo arbitratu pacis conditiones præscripsit. Sed cum hæ duræ & intolerabiles omnibus viderentur, mox atque cum exercitu domum rediit, rursus ab eo defecere: quare sequenti anno exercitum tertio in Vallesiam ducit, vallem totam Vespiam usque depopulatur. Cæterum Vallesiani exercitu collecto mortem oppetere pro libertate parati, Vespiæ Sabaudum prælio excipiunt, & quatuor millibus ex ejus exercitu cæsis, in queis plurimi nobiles fuere, comitem cum reliquis in fugam conjecere, & ipso Vallesia pulso Sedunos in libertatem asseruere: ab eo enim tempore Eduardus Episcopatum non repetiit, sive morte præventus, seu belli pertæsus sponte Episcopatu cesserit.

In ejus locum Episcopus factus est Humbertus Billiensius anno 1388. præfuit annos 14. Post hunc Episcopatum accepit Guilielmus II. Raronius, cognomento Bonus. Hic postquam annos 6. Episcopatum rexisset, successorem habuit ejusdem nominis & familiæ Guilielmum III. Raronium, Guiscardi, quem quidam superioris fratrem fuisse tradunt, filium. Magnæ tum erant opes Guiscardi in Sedunis, & eas multum auxerat accepta a fratre præfectura Episcopatus, quæ res deinde magnum illi odium & invidiam comparavit. Nam cum omnes opes quæ privatas superant, in libero populo invidiosæ sunt, tum præsertim illæ quæ cum aliorum injuria partæ fuerint. Postquam vero filius Guiscardi Episcopatum adeptus est, una cum patris potentia populi quoque odium crevit: ac videbatur plerisque nimia esse ipsius potentia, & publicæ libertati periculosa. Itaque anno 1414. pauci primum inter se conspirant, se pœnas de his sumpturos qui contra Rempublicam fecerint, & in civitatem Vallesiorum injurii fuerint, hi periculo Reipublicæ demonstrato, multos in suas partes adducunt, aliis spem prædæ ostentant, qui aliquando læsi fuerant; eis indicant non aliud tempus expectandum esse, quo se ulcisci possint: & pro cujusque ingenio in sollicitandis hominibus agunt: qui conspirationi se jungere voluisset, clavum ferreum, quo in soleis equorum affigendis utimur, ligneæ clavæ infigebat. Postquam igitur ex clavorum numero se justam manum colligere posse deprehenderunt, omnes in unum collecti, clavam suam instar signi cujusdam præferentes, eos primum aggrediuntur, qui sub Raroniis plurimum poterant, & abusi potentia sua multos injuria affecerant, hos multa contra Rempublicam fecisse dicentes, domos ipsorum occupant, cellas exhauriunt, penu omne absumunt, cuncta diripiunt. Prima hæc congressio cum illis successisset (nemo enim illis adversabatur, alii odio horum qui accusabantur, cæteri quod conjuratorum amici & propinqui essent,) crescente quotidie suorum numero Raronios ipsos aggrediuntur, & primum Episcopum multa quæ reipublicæ sint

ſint iniquo jure poſſidere dicunt, & horum reſtitutionem ab illo poſtulant. Epiſcopus negare quidquam tale à ſe commiſſum, ſi quæ à majoribus & anteceſſoribus acceperit non jure occupata ſint, ejus rei cognitionem ad Senatum aut ad Concilium plebis, & omnium ordinum Valleſiæ pertinere, ſe paratum eſſe, ut coram illis rationem reddat, & ad ſingula eorum poſtulata reſpondeat. Sed illi hac reſponſione non contenti, Epiſcopum tergiverſari & bonorum reſtitutionem ſubterfugere velle judicant, itaque majorem vim illi adhibendam rati, Leuciam, & Siderianam arces diripiunt, & deinde incendunt. Guiſcardus autem Raronius vir prudens & diu in republica verſatus, ut incendium hoc effugere poſſet præfectura ſe abdicat, ac privatus Raroniam familiæ ſuæ ſedem ſe recipit: non tamen ideo furorem concitatæ plebis evadere potuit: & vetus odium quod diu vulgus aluerat, metu antè compreſſum, tum demum in apertum erupit, & majus id erat, quam ut præfecturæ abdicatione ſopiri rurſus poſſet. Quare anno ſequenti conjurati arcem ipſius Perigardiam in Enfiſchia valle oppugnant, & captam dejiciunt. Atque hactenus quidem magis ſeditione populari inter partes, quam juſto bello decertatum fuerat, verum cum plebs quotidie magis ſæviret, Guiſcardus Raronius Bernam, cujus oppidi civis erat, confugit, & ab his auxilium petit, illis autem cunctantibus & ut in re maximi momenti deliberantibus, à Comite Sabaudo impetrat, ut Epiſcopo & ſibi indignè patria pulſo opem ferat, Epiſcopus arces Majoriam Turbiliam & Monturſum Sabaudo tradit, ipſe cum patre & familia in arcem Seonam ſe recipit. At vero Valleſii qui hactenus neutrarum partium fuerunt, poſtea quam exterum principem cum exercitu admiſſum & arces munitiſſimas ejus poteſtati creditas viderunt, ſeſe ultro conjuratis adjunxerunt, & publice bellum pro patriæ libertate ſuſceperunt. Bernenſes interea & Friburgii de pace componenda ſedulo laborabant, ſed fruſtra: tandem vero Sabaudus cum populi totius conſenſionem cerneret, belli pertæſus, pacem cum Valleſiis fecit, & arces collegio Canonicorum Sedunenſium, accepta ab illis in ſtipendium militum certa pecuniæ ſumma, reſtituit. Plebs autem cui plurimum dolebat extero hoſti loca tutiſſima totius regionis adverſum ſe tradita fuiſſe, arces illas incendio delevit. Raronii deſtituti à Sabaudo tandem per Guiſcardum Bernates ſuis partibus adjungunt: viciſſim Valleſiani, cum Lucernatibus, Vraniis & Vndervaldiis fœdus faciunt, Raronius tamen Conventus & Leucianus, in quibus plurimum Guiſcardus poterat fœderi non ſubſcripſere. Anno proximo, qui fuit 1417. arx Seona in qua Epiſcopus agebat, à Valleſianis obſeſſa eſt, Helvetii ea re cognita, legatos in caſtra & ad Epiſcopum miſere qui de pace agerent: pace non confecta id impetravere, ut Epiſcopus cum Guiſcardi uxore ac liberis, familia & omnibus ſuis facultatibus liber ex arce dimitteretur, arx nondum omnibus ablatis à ſæviente populo incenditur: Epiſcopus cum ſuis Bernam ubi pater degebat ſeſe recepit. Bernæ etiam res ad bellum ſpectabat, Lucernates enim & Vranii ac Vndervaldii confœderati indignabantur à Bernatibus juvari ſuorum confœderatorum hoſtes: viciſſim Bernates oſtendebant ſe ſuorum civium cauſam non poſſe negligere, & ipſos potius accuſandos eſſe, qui fœdus cum iis iniiſſent, quos ſcirent cives ſuos bello perſequi: res per Helvetios compoſita eſt, ne ad arma perveniretur. Et quia Wilhelmo Epiſcopo Bernæ agente eccleſia Valleſianorum in tanto motu capite carebat, Andreas Collocenſis Epiſcopus à patribus concilii Conſtantienſis juſſus eſt eccleſiam Sedunorum adminiſtrare vicario munere, quouſque Epiſcopus ſedi ſuæ reſtituatur vel alius in ipſius locum ſuccedat: hic ſingulari prudentia & humanitate quantum potuit afflictis temporibus mederi conatus eſt, & poſtea etiam pacis præcipuus auctor fuit. Atque ea quidem hyeme pacem utrinque agebant: ſed proxima æſtate montibus jam perviis Raronii exercitu ex Simmia valle & Sanenſi ac Frutingia cæteriſque vicinis locis collecto, prædas ex Valleſia agebant, & tandem initio Octobris Sedunum oppidum ex improviſo cepere, & prius depopulati flammis tradidere, paſſim etiam in vicos & villas ruſticorum incendiis ſævientes, præda onuſti Bernam rediere. Ex Helvetiis, Tigurini, Suicii, Tugii, & Glaronenſes pacem iterum componere conati, cum id non impetraſſent, inducias fecere: & erat jam hyems inepta bello gerendo his locis: Tigurini etiam delecti ſunt, quorum arbitrio utraque pars ſtaret. Poſtquam vero nivibus ſolutis montes patuere, Valleſiani, quibus pacis conditiones diſplicerent, ex Bernatum vicinis regionibus armenta abegere: viciſſim Bernates miſſo ſuis ſubſidio, alia ex parte accepto à Friburgiis & Solodoriis auxilio 200. virorum, per Letſchium montem pulſo ejus loci præſidio Valleſiam ingreſſi ſunt, & valle Letſchia pecunia mulctata domum rediere: Sed Simmiæ & vicinarum vallium populi aliquoties hoc anno prædas ex Valleſiis abegerunt, minoris pecoris magnam vim, & quod in populationibus fieri ſolet vicos plures combuſſere, nullum interim pugnæ locum dantes Valleſiis. Sub finem verò Septembris ingenti exercitu collecto Bernates, iiſdem qui prius & præterea Suiciis quoque eos juvantibus, copias omnes in Haſliam vallem duxere, & nive quæ tum forte ceciderat via oppleta, ægre ſuperato Grimſula monte Viberorum viculos ſtatim depopulari & igni tradere cœpere. Gomeſanii interea & Morgiani, ſeptingenti numero prope Vlricam viculum in vicino monte ſub ſignis inſtructi ſtabant, rei gerendæ occaſionem expectantes: itaque cum aliquot cohortes à cæteris copiis ſejunctæ Vlricam invaſiſſent, aggreſſi eas cædunt & in fugam conjiciunt, ac mox cum Bernates omnibus copiis ſuis auxilium ferrent, in montem ſe receperunt. Tum vero Bernates cum vicis combuſtis hyeme inſtante non haberent quo ſe reciperent, eodem quo venerant itinere per Grimſulam exercitum domum verſus ducere cœperunt: at Valleſiani qui copias ſuas interea finitimorum concurſu auxerant, extremum agmen Bernatum alacriter aggreſſi magno detrimento eos affecere. Vtriuſque gentis annales in hujus pugnæ mentione inter ſe diſſentiunt, dum ſuis utrique victoriam aſcribunt: Valleſiani tamen trophæum eo loco poſuere, & apud vulgus hodie quoque plurimum celebratur Thomas Buntenius, qui fortiſſime dimicans in hoc prelio occubuit. Cum igitur Bernates cladem aliquam accepiſſent, Valleſiani etiam perpetuis irruptionibus hoſtium multum damni acciperent, utrinque belli eos tædere cœpit, itaque Helvetiorum primum, deinde Andreæ Collocenſis Epiſcopi & Sedunorum Vicarii opera pax quinto anno poſt bellum inchoatum facta eſt: & Sabaudiæ Comes ac Lauſannenſis Epiſcopus arbitri conſtituti, qui controverſiam Raroniorum & Valleſianorum deciderent: hi pacem

hi pacem utrinque servandam statuere, & ut Guiscardo Raronio damna illata Vallesiani certa pecuniæ summa luerent. Bello finito Guilielmus Episcopus pristinæ sedi restitutus est, ab hoc arces nonnullæ quæ superiori bello conflagraverant restitutæ sunt, & Majoria potissimum Episcoporum sedes. Ac quia utrinque senserant quantum mali bella civilia darent, perpetuæ pacis conditiones ab Episcopo & populo Vallesiano initæ sunt: quæ tamen Episcopo jam seni novarum pene litium causa fuere. Etenim quidam ecclesiastici ordinis homines existimantes per eum jura & immunitates ecclesiasticorum imminutas esse, plusque plebi quam oporteret pacis firmandæ causâ concessum, Romæ apud summum pontificem Episcopum hoc nomine detulerunt: itaque Romam ad causam dicendam evocatus, eo profectus est: verum cum causa cognita domum rediret in itinere obiit: corpus ejus familiares & propinqui in patriam reportarunt, & in majorum sepulchris condiderunt, anno salutis 1450.

In locum defuncti suffectus est Heinricus Asperlingius Raronia oriundus, qui annos septem in hoc munere versatus est, & successorem habuit Waltherum Suprasaxum, cujus tempora duabus de causis memorabilia sunt, Rhodani inundatione, qui semper impetuosus, tum forte ultra solitum auctus pluviis & nivibus & montanis torrentibus, nullis coercitus ripis fertilissima loca arenis invectis fœdavit vastavitque & vi aquarum ingentia saxa arboresque maximas volvens pontes plerosque dejecit: & deinde bello Veragrico seu Sabaudico. Veragros qui antea Sedunensi Episcopo parebant, Sabaudi temporum injuria occuparunt, Eduardo Sabaudo (ut ego arbitror) Episcopo: nihil enim certi hic affirmare possum, & hanc regionem ad hoc usque tempus magna cum Sedunorum invidia & indignatione tenebant. Eodem tempore Helvetii bellum gerebant cum Carolo Burgundo, & Antuates qui Veragros contingunt quod duci auxilio fuissent, captos in sua verba sacramentum dare coegerant. Sed illi aliquanto post eum Burgundus ex Belgico rediisset ab Helvetiis denuo defecerunt, eam occasionem nactus Joannes Ludovicus Episcopus Genevensis, & frater ducis Allobrogum, qui adversus Sedunensem Episcopum inimicitias exercebat, ingenti exercitu, (XVIII. millia in Sedunorum annalibus numerantur) ex Antuatibus & cæteris Allobrogum populis collecto, per Veragros in Sedunos copias omnes ducit, ut hos quoque sicuti Veragros suo imperio addat. Accedebat huc quod Waltherus Episcopus de valle Ensischia litem moverat Rodolpho Asperlingio, qui Raroniæ familiæ jura sibi vendicabat, is cum Episcopo viribus impar esset, Sabaudo se conjunxit, eumque in Vallesiam evocavit. Vallesii collecto exercitu & adjunctis sibi Rhætorum subsidiis, non magno numero, quæ per summas alpes ipsis auxilio venerant, hostium periculum facere statuerunt, sed levi prelio facto cum hosti viribus impares sese esse animadverterent, copias suas loco natura munito continuere. Ferox autem viribus Sabaudus Sedunum exercitu ducto, oppidum ex itinere oppugnat, & quia primo impetu uti sperabat capere non potuerat, illud obsidione cingit. Ea res cum plurimum doleret Vallesianis, & tamen rursus periculo virium suarum facto hoste inferiores fuissent, anxii omnem occasionem rei bene gerendæ expectabant: quam illis brevi fortuna obtulit. Helvetii enim Antuatum & Sabaudorum perfidia ac defectione cognita, tria millia peditum ex proximis Bernatum & Solotoriorum regionibus conscripta, Vallesianis auxilio per proximos montes submisere: his copiis illi aucti prelium cum Sabaudis commiserunt, quo præter ignobile vulgus trecentos nobilium occidere. Tam illustri victoria parta, & hostibus tota Vallesia expulsis, Veragros rursus in suam potestatem redegere: idque eo facilius quod in Allobrogibus, Burgundico bello Helvetiis jam semel atque iterum victoribus, omnia turbata erant, & principe regionis in Burgundiam abducta, quæ paulo post in Galliam ad Regem fratrem effugit, nemo erat qui Veragris suppetias ferre posset. Veragris subactis ne hostes exteri deinceps munita loca occupare, & rursus regioni negotium facessere possent, oppidorum Contegii Sallionæ & Agauni mœnia dejecere: arces munitas Sallioniam, Contegianam, Saxoniam, Octodorensem, Burgensem, Intremontiam, Agaunensem, & alias numero omnes XVI. flammis vastarunt & diruerunt. Cum Bernatibus præterea, quorum forti & fideli opera hoc bello usi sunt, Waltherus Episcopus & populus Vallesianus fœdus perpetuum fecerunt. Præterea cum militi auxiliario stipendium præsenti pecunia numerare non possent, ejus loco & rei bene gestæ præmium Contegiani oppidi & conventus præfecturam Bernatibus dederunt. Facta hæc sunt anno 1475. Sequenti anno cum peditum duo millia ex Insubribus & Salassis superatis montibus, clam per Vallesiam erumpere, & Burgundo se conjungere conarentur, à Vallesiis qui eorum adventu cognito arma sumpserant, 1500. ex his cæsi, reliquorum pars maxima in Alpibus fame, vel viarum ignorantia præcipitio periit: qua in re Helvetiis, quorum auxiliis superiori anno feliciter usi erant, vicissim bonam operam navarunt hostibus eorum cæsis. Pace patriæ reddita Waltherus Episcopus anno 24. suæ administrationis mortuus est, successit illi Justus sive (ut quidam malunt) Jodocus Sillinius: is primum fuit præpositus collegii Beronensis in agro Lucernate: postea etiam administrator Gratianopolitani Episcopatus: vir eximiæ prudentiæ, & propterea cum Ludovico Galliarum Regi, tum Sigismundo Austriæ principi charus & acceptus. Hujus opera potissimum Gallorum rex est usus in reconciliandis Helvetiis cum Sigismundo Austrio, & fœdere inter illos faciendo, ad repellendam vim Caroli Burgundi. Hic igitur anno 1482. Episcopatum Sedunorum adeptus, cum ædificandi studiosus esset vetera templa & ædificia publica passim tota regione instauravit, arces Octodorensem & Agaunensem superiori bello combustas, novas de integro extruxit: & primus in Balnea valle Intremontiorum argenti metalla exædificavit, & exercuit. Erat etiam Sillinius Gallicæ factioni addictus, itaque belli causam (quænam ea fuerit me latet) adversus Ludovicum Sfortiam Insubrum ducem nactus exercitum ex Vallesiis & Helvetiis Lucernatibus potissimum, quorum civis erat, conscriptum, in vallem Lepontinorum Oscelam, quam & Domussulam nominant, adduxit anno 1478 Lepontini à Duce admoniti, ut quacunque ratione possent, hostem morarentur, cum Vallesiis de pace agere incipiunt, & cum conditiones illis propositæ fuissent, nunc quædam tolli petebant, de aliis disceptando rem omnem ad ducis adventum callide protrahebant. Interea cum Vallesii dispersi essent, quod multi prædatum aut pabulatum e castris exivissent, Ludovicus Sfortia triplici acie eos aggressus inopinatos, priusquam convenire in unum, & aciem struere

struere possent, oppressit: cæsi sunt ex episcopi exercitu 800. quorum circiter 300. Lucernates fuisse dicuntur, cæteri ægre per montes fuga evasere. Pax deinde inter ducem & episcopum facta est, & controversia ipsorum per delectos arbitros composita. Pacem factam domi nova seditio excepit, Georgius Suprasaxus summæ authoritatis & potentiæ apud Vallesios Gallicæ factioni adversus, episcopum alterius factionis principem oderat, hic ex adverso ejus prælio occasionem nactus episcopum palam accusare, qui hujus cladis author populo fuisset, enumerare incommoda Gallicæ societatis, commendare Sfortiam, & ostendere quanto ipsis usui sit principem vicinum & tantum Alpium jugis ab ipsis divisum amicum & socium habere, quibus sermonibus brevi tantum vulgi odium episcopo concitavit, ut patria & episcopatu seditione orta pelleretur. Suffectus est in ipsius locum Nicolaus Schinerus anno 1496. vir senex pacis & quietis amans: eo præsidente Vallesiis bellum Suevicum ab Helvetiis gestum est, ad quod Vallesii Helvetiis 800. milites auxilio misere. Hic ætate fessus anno 1500. episcopatu se abdicavit, & in suum locum Georgio Suprasaxo adjuvante fratris filium Matthæum Schinerum, hic post Cardinalis erit, substituit. Natus est hic Matthæus apud Gomesanios humili genere in viculo Mulibacho, sed cum parentes ejus à literis non abhorrerent, ab illis Sedunum missus, & deinde Tigurum, prima litterarum rudimenta didicit. Seduni cum esset omen futuræ potentiæ accepit, cum enim pro more pauperum scholasticorum hymnos ad victum comparandum in multorum præsentia decantaret, senex quidam vir venerandus vocatum ad se puerum diligenter inspexit, & cujus esset, ac quod nomen haberet, ab ipso quæsivit, cui cum puer prompte respondisset, ad astantes conversus, hic puer inquit aliquando episcopus & princeps noster erit: quæ vox altissime animo pueri insedit, ut deinceps & majori diligentia studiis incubuerit, & jam tum bene sperare cœperit. Itaque cum adolevisset in Italiam linguæ addiscendæ causa profectus, Comi Theodoro Lucino nobili ejus ætatis grammatico operam dedit, sub quo tantum profecit, ut præceptoris absentis aut ægri munus persæpe cum laude obiret. Sacris deinde initiatus, primum apud Vallesios curam ignobilis vici nactus, ita se gessit, ut apud vicinos quoque magnam sibi & doctrinæ & sanctimoniæ opinionem compararet. Nam in popularibus concionibus disertus erat: in controversiis verò civilibus dijudicandis & componendis industrius & prudens: domi in studiis erat assiduus, in victu parcus, à libidinis suspicione alienus, & qui humi plerunque trabe capiti supposita cubaret. Hæc autem neque ipse jactabat, neque tamen ita clam habebat, quo minus ad plurium notitiam pervenerint. Forte accidit, ut Justus Sillinius episcopus eo loci iter faceret, hic cum à multis Matthæum laudari audisset, eum videre voluit, ac ipso ad se vocato, domum deinde ipsius, & bibliothecam inspexit, quam cum optime instructam cum aliis libris, tum maxime utriusque juris voluminibus vidisset, & præterea ex ipsius sermone hominis eruditionem & prudentiam deprehendisset: indignatus suis qui tam docti hominis nullam hactenus mentionem apud se fecissent: memorem ipsius se fore testatus est: quare cum non multo post quidam ex collegio Canonicorum Seduni mortem obiisset, Matthæum in ejus locum subrogavit: Brevi deinde tempore post Sillinio mortuo, & Nicolao Matthæi patruo ipsius potissimum opera illi succedente, cum ab ipso in omnibus actionibus adhiberetur, aut potius præponeretur, magnum brevi nomen adeptus est, & eo se abdicante in ejus locum successit. Ferunt quendam alium à collegio & populo Vallesiano in Nicolai locum substitutum fuisse, verum Matthæum qui Romam mittebatur ad confirmationem novo episcopo impetrandam, facile obtinuisse à Papa, ut sese Sedunorum episcopum faceret, ac cum domum rediisset, adversa factione multum indignante, auctoritate Georgii Suprasaxi in episcopatu confirmatum esse. Erat eo tempore Helvetia omnis in factiones duas divisa, Gallicam & Sfortianam. Superiori enim bello quod Helvetii adversus Maximilianum Imperatorem, & fœdus Suevicum gesserunt, Ludovicus XII. Gallorum rex fœdus cum Helvetiis in decennium fecerat, ita ut hujus ratione universa Helvetia publice esset Gallicarum partium. Sed quia multis militibus vetera stipendia Galli sæpius appellati non persolvebant, complurium animi ab illis alienati sunt. Adhæc Sfortiæ, quem nuper Mediolano Gallus ejecerat multi favebant, tum ob veterem amicitiam Helvetiorum cum ducibus Mediolani, tum etiam quod vel opulenta stipendia ab eo acceperant, aut immunitate donati ab ipso, magna commoda ex mercatura quam in Italia faciebant, quotidie percipiebant. Præterea Sfortiarum causam tuebatur Maximilianus Imperator, cum quo aliquot Helvetiorum pagi fœdus perpetuum nuper fecerant: is nomen & majestatem Cæsaream magnumque pondus auctoritatis ad hanc causam afferebat. In hoc rerum statu Matthæus episcopatum adeptus operam suam Gallorum regi primum obtulisse dicitur, verum cum nimis ampla stipendia peteret, Ludovicus Rex alioqui in largiendo parcior, respondit, se unius viri operam tanti redimere nolle: id cum episcopo relatum fuisset, indignatus se à Gallis contemni, reipsa se declaraturum dixit, quid unius viri opera effici possit. Itaque mox se totum Cæsari dedit, & Sfortianas partes tuendas suscepit, Gallorum perpetuus & infestissimus hostis, quod Jovius & Guicciardinus Italici scriptores etiam tradunt, causas tamen & initia tanti odii silentio prætereunt. Primum igitur omnium assiduis concionibus quas in publicis Helvetiorum Conventibus habebat, effecit ut lege lata interdiceretur, ne quisquam annuas pensiones ab ullo principum acciperet: Docebat enim exteros principes his pensionibus evertere libertatem Helvetiæ, & ipsos Helvetios inter se committere, dum unus Gallico, alter Italico auro corruptus, totus ab exteri principis voluntate pendet, & illi potius quam publicæ utilitati inservit. Et hæc quidem vera erant & utilia: si vel tum temporis vel hodie quoque edictum hoc constanter ab omnibus servatum fuisset: sed longe alio ejus consilia spectabant: ut Gallo excluso Helvetii novis fœderibus obstringerentur: quod non potuisset tam facile confici si Gallis non fuisset aditus præclusus ad corrumpendos potentiores. Postea cum Galli grave bellum Neapoli gererent, iisdem artibus & consiliis effecit, ne illis publice à pagis Helvetiorum milites darentur. neque enim ex fœdere ad hoc tenebantur: attamen nihilominus contra magistratuum edicta multi Gallorum castra secuti sunt, qui bello, fame, peste majore parte absumpti, contemptarum legum pœnas dederunt. Eodem tempore Julius II. pontificatum adeptus est, qui cum armorum flagrantissimo

studio teneretur, Matthæum mox sibi delegit, in quo singularis vis bellica inerat, per quem Helvetios Rhætos & Sedunos sibi conjungeret, ac ejus potissimum opera anno 1510. Helvetii fœdere se pontifici obstrinxerunt, id eo facilius impetravit, quod superiori anno Ludovicus Rex, finito tempore, in quod fœdus cum Helvetiis pepigerat, illis stipendia deinceps renuntiarat. Eodem anno Matthæus sex millibus Helvetiorum collectis, eo excercitu Gallos invadere, & apud Insubres res novare statuerat, quamvis Helvetiis milite hoc ad tuendas ecclesiæ terras Pontificem usurum dixisset. Consilio ejus patefacto magistratus singulorum pagorum milites suos, qui jam Alpes superaverant, domum revocarunt, & se per literas pontifici excusarunt, se milites suos revocasse, quod audirent Gallo cum quo veteri amicitia conjuncti sint, bellum inferri, idque se absque gravi suo incommodo facere non posse, & ad hoc fœdere non teneri, neque hujus rei ab episcopo mentionem ullam factam esse. Deinde militibus suis neque annonam neque stipendia, uti oportuerat, numerata esse. Et quia Christianissimus Galliarum Rex polliceatur se ecclesiæ nihil damni daturum, orare se pontificem, ut qui princeps pacis sit, cum Christianæ professionis hominibus pacifice absque ullis insidiis agat, in ea re se libenter operam daturos, ut pax coeat, & humano sanguini parcatur. Sibi omnino certum esse servare fœdus initum, sed tamen neque Imperatori, neque Regi Gallorum qui huic conjunctus sit arma illaturos, quando de hac re, fœdere etiam cautum sit. Ad has literas Helvetiorum Julius Pontifex acerbissime respondit: se non sui tuendi causa Helvetiorum operam conduxisse, sed ut jus suum persequi possit contra Alphonsum Estensem & ejus defensores, sive is sit Galliarum Rex, seu quicunque alius: neque enim illum Christianissimi titulo respondere, cum apertum ecclesiæ hostem defendat. Quod se hortentur ut pacifice & absque insidiis agat, facere eos impie & contra Christianam fidem, Romanam enim sedem semper absque vitio fideliter & sancte egisse. Quod polliceantur suam operam in pace concilianda, eos sui ipsorum oblitos arroganter facere, multos enim principes esse qui de pace intercedant si modo audiantur, debuisse ipsos duces à se missos sequi neque militem domum revocare, se bene adhuc de Helvetiis sperare, ipsos nihil cum Gallo adversus Romanam sedem molituros esse: quod si illi conjungantur, sibi quoque locum gratiæ apud Gallum patere, neque difficile sibi esse & Gallum & universum imperium adversus Helvetios concitare, & eos diris devovere, ut hostes ecclesiæ, qui pactis & conventis non steterint. Hoc responso accepto etsi plerique Helvetiorum offendebantur, tamen Julii iracundiæ id condonandum censebant, & denuo missis legatis stipendia superioris expeditionis à Papa exigebant: nihil tamen impetravere: nam Antonius de Monte S. Sabini archiepiscopus Sipontinus, & Achilles de Crassis episcopus Castelli, Cardinales ambo, judices hujus causæ à Julio delecti, pronuntiarunt, Helvetiis cum non ex voluntate Julii militarint, stipendia nulla deberi. Interea Sedunensis episcopus sedulo agebat, ut Helvetii spreta Galli amicitia totos se Pontifici darent, & eum ubicunque eorum opera opus haberet, sequerentur: id si facerent amplissimam gloriam eos manere, & uberrima stipendia à liberalissimo Pontifice vetera & nova expectanda esse docebat: id ut facilius impetraret commodè accidit, quod Gallorum magistratus apud Insubres Suiciorum publicum tabellarium Lugani captum aquis submerserant, & Reipublicæ insignia quæ ille gestabat, summa cum contumelia in publica auctione venum dederant. Helvetii enim insigni hac contumelia affecti cum milite collecto eam ulcisci statuissent, & hyeme impediti non potuissent propositum exequi, totos se à Galli amicitia averterunt. Julius quoque Ravennæ ingenti prælio à Gallis victus, omnem spem cladis hujus vindicandæ in Helvetico peditatu reposuerat, & obnixe per Sedunensem agebat, ut quam maximis copiis in Italiam proficiscerentur. Et quo major Sedunensis auctoritas esset, Ravennæ anno millesimo quingentesimo undecimo ipsum purpura donavit, & Presbyterum Cardinalem S. Pudentianæ in titulo Pastoris fecit. Sedunensis interea, ut consilia cum Pontifice conferret, & de manu ipsius galerum acciperet, obsessis omnibus itineribus, à Gallis summa diligentia & attentione ipsius transitum observantibus, leprosi habitu per illorum custodias in Italiam penetravit, & rebus confectis mutato habitu in Helvetiam brevi rediit. Ibi ex Helvetiis, Rhætis & Sedunis instructissimum exercitum per Alpes Rheticas & Tridentinum jugum Veronam adduxit, ubi Veneti reconciliato sibi pontifice, suas copias Helveticis conjunxerunt, ac brevi recepta Cremona, Ticino, Alta, Alexandria, & ipso Mediolano, Gallos quod maxime in votis Julii fuerat Italia universa expulerunt: & Maximilianum Sfortiam Ludovici filium in paterni imperii possessionem restituerunt. Tam præclara victoria parta Julius Helvetios novis insignibus, & titulo Defensorum ecclesiasticæ libertatis donavit. Interea cum Gallus legatis missis amicitiam & fœdus Helvetiorum studiose expeteret, & magnis muneribus principes pagorum sibi clam conciliare conaretur, Sedunensis qui in omnibus Helvetiorum comitiis præsens aderat, acriter se illi opposuit, ac tandem effecit, ut legatis Gallorum non amplius aditus daretur, & qui convicti essent auri Gallici crimine, senatu moverentur, aliis quoque mulctis additis. Ludovicus Helvetiorum auxilio destitutus exercitum ingentem Gallorum & Germanorum in Insubriam misit, Trivultio & Tramulio veteranis ducibus, qui deinde ad Novariam ab longè impari numero Helvetiorum victi fugatique, per Alpes Cottias in Galliam se recepere. Mortuo autem brevi post hanc cladem Ludovico, Franciscus rex omnino sibi Insubres recuperandos esse existimans, instructissimum exercitum ipse in Italiam adduxit: adversus hunc Sedunensis Helvetios denuo concivit, qui Cardinale præsente ingenti prælio à rege victi, facta pace domum redire: jam ante inter se dissentientes, cum quidam pace facta ante pugnam è castris excessissent. Eo bello Franciscus Insubres in suam potestatem redegit. Ab hac infelici pugna, quæ an. 1515. commissa fuit, Cardinalis auctoritas cum apud Helvetios, tum potissimum apud Vallesios plurimum imminuta fuit: Itaque Georgio Suprasaxo mutata voluntate Gallicas partes amplexo, Cardinalis qui constanter adversam partem tuebatur, à Vallesiis suis patria ejectus est, Suprasaxi potissimum opera. Quare ut sibi reditum pararet à Pontifice Leone facile impetravit, Vallesios ut sacro anathemate feriret: illi spreto Papæ anathemate, ut vicissim Cardinali malefacerent, arcem Octodorensem semestri tempore oppugnatam, & demum sub conditionibus deditam in odium Cardinalis combussere. Cardinalis interea frequen-

quen-

quenter Tiguri in Helvetiis, aut in aula Cæsaris agebat, & eo tempore quo Carolus delectus fuit, bonam illi operam navavit, & ejus coronationi interfuit. Conatus etiam est anno 1518. patriam repetere, nam illi sua factio in Vallesiis non deerat, verum cum ad Gomesanios pervenisset, animadversa adversariorum potentia & vulgi odio, converso itinere Tigurum rediit. Anno deinde 1521. auspiciis Leonis X. Papæ rursus Helvetiorum magnam manum in Italiam adduxit, & quoniam magistratus pagorum suis interdixerant, ne adversus Gallorum regem, qui & ipse non exiguum Helvetiorum numerum in castris habebat, militarent, multi cum viderent, quo Cardinalis tenderet, è castris domum rediere: sed ille partim eloquentia qua plurimum valuit, partim muneribus, quibus militares animi plus ulla oratione moventur, plerisque persuasit, ut se quocunque duceret, sequerentur, nam pollicebatur se amplissima præmia parta victoria singulis daturum, & facile ipsos in gratiam apud suos magistratus domi repositurum. Cum hoc exercitu Julio Medici, Prospero Columnæ, & Piscario summis ducibus se conjungens præcipua causa fuit, ut Galli denuo Insubrum imperio spoliarentur, quod ab eo tempore nunquam hactenus recuperarunt. Hac victoria parta, sicut apud Pontificem & Imp. Carolum summam sibi gratiam comparavit, ita maximæ partis Helvetiorum animos à se prorsus alienavit, quare ut odia adversariorum evitaret, & tandem etiam Senatorio munere fungeretur, Romæ deinceps assiduus fuit, & biennio post primis diebus comitialibus, quibus Hadrianus VI. Pontifex creatus fuit, in conclavi non absque suspicione veneni mortuus est. Nam eum in novi Pontificis electione à quibusdam nominatum fuisse, quosdam summæ auctoritatis Cardinales ita ægre tulisse creditum est, ut ipsum polline adamantis pani inserto è medio tollendum curarint. Nos in re incerta & suspicione plena, lectori hujus rei judicium relinquimus.

In Matthæi locum publicis Vallesiorum suffragiis suffectus est Philippus de Platea, hic cum cerneret à Pontifice confirmationem non impetrari posse nisi maxima cum difficultate, & præterea podagræ morbo assidue affligeretur, Episcopatu se sponte abdicavit sexto anno postquam creatus fuerat. Dum administraret Episcopatum, fœdus & amicitiam cum Allobrogum principe Carolo renovavit. Adrianus à Riedmatten anno 1529. Episcopatum adeptus est, ac ejusdem anni initio Altosaxus populi seditione patria pulsus est, & Vibisci ad lacum Lemanum obiit. Hic tertio demum anno ab electione sua, confirmatione à Pontifice impetrata, Lausannæ à Sebastiano ejus urbis Episcopo præsenti Vallesiorum nobilitate consecratus est. Fœdus cum septem Helvetiorum pagis sancivit. Arcem quoque Majoriam, quæ fortuito incendio conflagraverat ita brevi tempore, multo, quam ante fuisset, elegantiorem extruxit, ut hoc incendium pene utile fuisse plerique crederent. Rempublicam Vallesianam magna prudentia & moderatione rexit, in summaque pace & tranquillitate conservavit, absque ulla populi seditione. Obiit anno 1547. & in ejus locum successit Johannes Jordanus, qui tranquillitatem Reipublicæ quam à suo antecessore quasi per manus acceperat, non tantum conservavit, sed auxit, Matza quasi classico quodam seditionum, Helvetiorum legatis juvantibus, publico consensu omnium ordinum sepulta. Hic antequam sacris ordinibus initiaretur, uxorem duxerat è qua liberos aliquot suscepit, ac ejus è filio nepotes egregiæ spei juvenes Seduni agunt: cæterum uxore mortua sacros ordines quos vocant suscepit, & ita ad Episcopatum conscendit. Cum annis 17. Episcopatui præfuisset obiit, & in ejus locum publicis suffragiis delectus est Hildebrandus à Riedmatten, hic in juventa bonis literis operam dedit, & aliquandiu in celeberrima Parisiorum academia vixit. Domi deinde matura ætate summos honores adeptus qui aliis diu ambientibus vix senecta ætate contingunt, ita se erga cives & imperio suo subjectos hactenus gessit, ut ab omnibus celebretur tanquam vere clementissimus princeps, & pater patriæ. Nam cum regiones quamplurimæ bellis, aliæ diuturna & inaudita caritate annonæ laborent, Vallesia Dei beneficio, & optimi principis totiusque senatus singulari cura & providentia, in summa pace & tranquillitate degit: & quamvis malum inopiæ & caritatis etiam cum aliis senserit, tamen id hactenus apud eos tolerabilius fuit, quam in plerisque vicinis regionibus. Nos interea Deum precemur, ut & aliis regionibus pacem diu desideratam restituat, & eandem his qui nunc ea fruuntur conservet, ac ut ea ad sui nominis gloriam, & nostram salutem omnes utamur & fruamur, per spiritum suum sanctum efficiat. AMEN.

IOSIAE SIMLERI
COMMENTARIVS
DE ALPIBVS

DE ALPIBVS COMMENTARIVS
JOSIA SIMLERO
AVCTORE.

CUM æque in universis terrarum tractibus, campi & montes occurrant, nescio tamen quo pacto horum stupenda altitudo magis animos nostros percellit & in admirationem sui rapit, quam illorum latissime diffusa planicies. Itaque prisci mortales excelsa loca divino cultui aptissima existimarunt, quod hominibus inde admiratio non vulgaris incuteretur: existimabant etiam vulgo loca tam eximia præsens numen habere. Neque tantum falso idolorum cultui dediti, sed populi Dei progenitores, Abrahamus ipse, Isaacus & Jacobus, aliique veteres patres in montibus Deo vero sacra fecerunt. Qui mos tam diu valuit, quoad Deus lege lata præcepit, ut uno tantum in loco sibi sacra fierent. Inter gentes vero Poetæ qui naturæ contemplationem fabularum involucris tectam posteris tradiderunt, multos monticolas Deos finxere, Faunos, Satyros, Pana, Oreades aliaque nympharum genera complurima: neque tantum hos quasi minorum gentium Deos, sed illos quoque majores montes incolere prodiderunt. Jupiter enim Olympius cognominatur, & omnium altissimorum montium vertices illi sacri sunt: Biceps, Parnassus, & Helicon, & Cytheron, Pierus, Nisa, aliique montes Apollini & Musis Bacchoque ab iisdem consecrati sunt: Mercurius Atlantis proles est. Voluerunt autem his fabulis haud dubie naturæ opera & vires, quæ eximiæ in montibus cernuntur, adumbrare. Nobis interim qui hæc illorum ænigmata explicare non possumus, neque etiam magnopere laboramus, nihilominus fatendum est, magna contemplatione montes excelsos dignissimos esse. Quocunque enim te vertas, multa in omnes sensus occurrunt, quæ animum nostrum excitent & delectent. Ipsa primum immensa moles in tantam altitudinem accumulata, quæ tot seculis durat, neque unquam subsidit aut absconditur? quis enim non miretur, quibus fundamentis tanta moles nitatur, aut in quem usum altissima hæc cacumina natura extulerit. Si partes singulas inspicias alibi derupta præcipitia, aut rupes immensæ, scopuli pendentes, & per secula quotidie ruinam minantes, profundi & impenetrabiles hiatus, speluncæ vastæ & horridæ, multorum seculorum indurata glacies, stuporem aspicientibus incutiunt. Si te convertas ad ea quæ ortum habent, & vel nascuntur vel saltem aluntur illic, fontes, lacus, torrentes, & ingentia flumina, plantarum infinitas species, varia genera animalium, multa eximia & singularia invenies. Atque hæc in omnibus montibus, maxime tamen in Alpibus qui omnium fere Europæ montium altissimi sunt, plurima hujus generis ab eo, qui mediocrem diligentiam afferat, observari possunt. Hæc itaque sæpius cogitans, & sæpe oculos jucunda montium contemplatione pascens, è quibus quotidie certissima tempestatum & serenitatis signa petimus, existimavi me operæ precium facturum, si, quando in universum hæc pertractare majoris est operæ, ea saltem in Commentarium redigerem, quæ de Alpibus memoratu digna, vel ex bonorum auctorum lectione collegi, vel ab hominibus fide dignis accepi, aut etiam ipse vidi. Non exquirens singulorum causas & rationes, quæ in natura rerum abditæ latent, sed tantum historico more res ipsas ordine commemorans: adhibita nonnunquam interpretatione eorum, quæ ab aliis, de iisdem rebus obscurius, aut etiam perperam memoriæ prodita sunt. Id autem eo libentius feci, quod scribenti mihi Commentarios rerum Helveticarum, multa sæpe hujus generis occurrunt, quæ si uno loco semel hic a nobis exposita fuerint, non necesse erit eadem postea in singularum Alpium aut Alpinarum regionum descriptione, cum fastidio repetere.

Alpium nomen unde deductum sit, & quibus montibus proprie tribuatur.

PORRO Alpium nomen altissimis montibus qui Italiam à Gallia & Germania dividunt, à candore impositum est, quia pepetuis ferè nivibus albescunt. Sabini enim, ut Festus Pompejus annotat, Alpum dixere, quod postea Latini Album, unde Alpium nomen. Græci tamen inter quos Stephanus, annotant veteres non tantum ἄλπεια ὄρη dixisse, ὄρη τινὰ sed etiam ἄλβεια ὄρη τινὰ. Idem affirmat Strabo qui scribit Alpes olim nominatas ἄλβεια & ἀλπιόνια, atque apud Japodes montem qui Alpium extremus est, vocari Albium, quod eousque Alpes extendantur. Ligurum quoque urbes Albium Intemeliorum, & Albingaunum seu Albium Ingaunorum, dictas quasi Alpium Intemelium & Alpium Ingaunum. Cæterum Isidorus Alpium nomen vult esse Gallicum: Alpes, inquit, propriæ montes sunt Galliæ, de quibus Vergilius, Aerias Alpes, & dicendo Aerias, verbum expressit à verbo, nam Gallorum lingua Alpes montes alti vocantur: hæ sunt enim quæ Italiæ murorum vicem exhibent. Nostra ætate Alpium nomen quasi vernaculum vulgo usurpatur, non tamen altum significat, sed alp & alpen plurali numero vocantur montes pascui, in quibus fœnum non secatur & in hybernos usus colligitur, sed tantum boves aliaque armenta illuc in pascua mittuntur, unde zů alp faren, est armenta in pascua montana ducere, in quibus plerunque ad summum ternis mensibus æstivis agunt.

Porro

Porro Alpium nomen veteres plerunque tribuerunt solummodo his montibus qui Italiam finiunt, ac illam à Gallia & Germania dividunt. Herodianus, Alpes, inquit, sunt altissimi montes, quales in his regionibus nulli, porrecti ad muri formam circundatique Italiæ quasi ad reliquam ejus felicitatem hunc etiam quasi cumulum natura addiderit, ut munitionem haberet inexpugnabilem, pertingentem scilicet à Septentrionali ad id mare quod ad Meridiem spectat. Idem libro octavo, Alpes, ait, sunt longissimi quidam montes, vice murorum Italiæ circumdati, adeo in altum editi, ut etiam superare nubes videantur, itaque in longum porrecti, ut universam Italiam comprehendant: leva ad Tyrrhenum pelagus, dextra ad Jonium usque pertingentes: densis ubique nemoribus insessi, atque angustissimis callibus, & rupium præcrupta altitudine, scopulorumque asperitate vix pervii, nonnullis tamen quasi semitis veterum Italorum labore manu factis. Rectè hæc de Alpibus, nisi quod perperam Italis tribuit quod itinera per Alpes fecerint, cum ea aliorum & præcipue Gallorum opera facta sint, ut postea ostendemus. Præterea longe Herodiano antiquiores, C. Sempronius, Polybius, Strabo, Plinius, Ptolemæus, Alpium nomen his tantum montibus tribuunt, qui Italiam claudunt: Sed Mela Alpes in Thraciam usque extendit: Alpes ipsæ (inquit) ab iis littoribus (Ligusticis) longe lateque diffusæ, primo ad Septentrionem magno gradu excurrunt, deinde ubi Germaniam attigerunt, verso impetu in Orientem abeunt, direptis populis immanibus, usque in Thraciam penetrant. Meminerunt etiam Tacitus & Sextus Rufus Pannonicarum Alpium: atque hi videntur altissimos Pannoniarum & Thraciæ montes Alpes nominare, propterea quod ab Alpibus nasci quodammodo videantur, & his continuatis jugis connecti. Nam à mari Ligustico inter Salassos atque Allobrogas per Helvetios, Rhetos, Vindelicos, Noricos, Carnos, Illyrios, ad Macedoniam usque ultimam continui montes sine ulla intermissione pertinent. Quidem etiam quosvis altissimos montes Alpes nominant, atque hoc modo Pyrenæi montes, qui Hispaniam à Gallia dividunt, Alpes nominantur à Procopio libro primo. Contra Frisingensis Otto Alpes nominat Pyreneum, Italiam scribens à Septentrione habere Pyreneas Alpes. Guntherus in Ligurino: Pyreneum, inquit, complecti Alpes & Apenninum, atque has esse Pyrenei partes. Sed nos sequemur veterum sententiam qui montes Italiam terminantes Alpes propriæ nominant. Alpis autem nomine, ut hoc quoque moneam, quidam singulari numero usi sunt, ut Lucanus:

Agmine nubiferam rapto supervolat Alpem.

& Dionysius Afer,

τῆς δὲ πρὸ ἀντολίην ἀναφαίνεται ἄλπιος ἀρχή.

Verum magis usitatum est in multitudinis numero Alpium nomen, non tantum quia Alpis maximus est mons, ut Dionysii interpres scribit, sed quia multi sunt montes, seu juga montium longa serie connexa. Attamen non tantum continuata illa juga Alpium nomen habent, sed alii quoque montes qui ab his quasi rami quidam aut brachia in utrunque latus excurrunt, & amplissimas valles efficiunt.

Ipsi autem Alpium montes variis nominibus nuncupantur: quidam enim à Diis quibus consecrati fuere nomen acceperunt, ut mons Jovis, mons Martis, & Penninus à Pennino deo dictus est, ut perhibet Livius: & nostra ætate Alpium montes à divis denominantur, ut S. Bernardi major & minor mons. S. Bernardini mons: item S. Dionysii, Gothardi: S: Braulii, &c. Nam uti initio diximus, gentes sicut nemora & lucos, ita etiam montes diis suis consecrarunt: at Christi religione late propagata, pii homines ut memoriam gentilis superstitionis abolerent, memorias aut sacella sanctis hominibus, & qui forte per hæc loca Christum prædicando iter fecissent, dedicarunt, & ab his montibus nova nomina imposuerunt: consilio bono, cæterum quam id sacris dogmatibus conveniens & ecclesiæ utile fuerit, aliorum esto judicium. Nonnulli montes à ducibus & claris viris, qui forte exercitum per hæc loca duxerunt, nomen acceperunt. Sic à Julio Cæsare, uti arbitramur, apud Venetos, Juliæ Alpes dictæ sunt, & in Rhetis Julius mons: à Pœno Annibale plerique Penninas aut Pœnas Alpes nomen habere censent: Lucumonis mons, á Lucumone quodam Tusco nomen suum accepisse creditur: sicut Rhetico mons, à Rheto, à quo etiam Rhetorum populi nomen habent: & apud Vallesianos mons Sempronius, qui & Scipionis dicitur, & mons Sylvius: à Romanis ducibus hæc nomina accepisse creduntur: & Grajæ Alpes ab Herculis Græci transitu nominatæ dicuntur. Cottiæ dictæ sunt à Cottio qui in his regnum obtinuit, & vias munivit. Aliæ rursus Alpes à populis qui ad has incolunt nominantur: ut Lepontiæ Alpes, & Rheticæ, Noricæ, Tridentinæ, Vindelicæ, Venetæ, Carnicæ, Pannonicæ. A situ suo & vicinia maris maritimæ Alpes nuncupatæ sunt: Summas ab altitudine dictas volunt. Furca à bifurcato & in duos vertices diviso summo jugo nomen habet. Atque similibus de causis vicini proximis Alpium jugis vernacula sua lingua nomina imposuerunt, quæ commemorare singula, res magni & inutilis laboris esset.

Alpium Longitudo, & latitudo, atque altitudo.

De longitudine & latitudine Alpium diversæ sunt auctorum opiniones, quarum aliquot à Plinio commemorantur lib. 3. cap. 19. sed quantum ego judicare possum is locus mendosus est: ponam tamen verba ejus ut in vulgatis codicibus leguntur. Alpes XM. pass. patere à supero mari ad inferum, Cælius tradit: Timagenes XXIIM. pass. deductis in latitudinem, Cornelius Nepos CM. T. Livius tria M. stadiorum: uterque diversis in locis. Nam & centum millia excedunt aliquando, ubi Germaniam ab Italia submovent, nec LXXM. explent, reliqua sui parte graciles, veluti naturæ providentia. Latitudo Italiæ, subter radices earum à Varo, per vada Sabatia, Taurinos, Comum, Brixiam, Veronam, Vicentiam, Opitergium, Aquileiam, Tergeste, Polam Arsiam, DCCXLII. millia passuum colligit. Hæc Plinius. Primum hic numerus XM. passuum longe minor est Alpium longitudine, aut Italiæ latitudine, itaque mihi vix persuadere possum hanc à Cælio traditam, aut à Plinio absque reprehensione ejus commemorandam fuisse. Quare vel pro XM. ponenda sunt 410. millia passuum, quæ latitudo Italiæ à Plinio posita est quinto cap. 3. libri, inter duo maria Inferum & Superum ac Varum & Arsiam flumina, ubi etiam alpium initium & finis ponitur. ut

par

par ſit harum longitudo: vel XM. ſunt decies centena millia. Atque ita alibi ponit ambitum Italiæ à Varo ad Arſiam XXXM. paſſuum, LVIII. hoc eſt tricies centena & quinquaginta octo millia paſſuum. Hæc autem non accipienda ſunt de recta diſtantia à Varo ad Arſiam, qua ratione alibi Italiæ latitudinem metiri videtur, ſed de longitudine montium qua curvato ambitu Italiam claudunt. Jam quod latitudini inæquali à Nepote & Livio proditæ ſubjicit, aliquando Alpes C. millia excedere, recte ad latitudinem à Nepote traditam refertur: quod autem ſubjicit nec LXXM. implere, non reſpondet latitudini trium M. ſtadiorum quam Livius tradit: nam ſicut majorem latitudinem alicubi eſſe aſſerit quam Nepos prodiderat, ita hic videtur minorem latitudinem voluiſſe indicare quam quæ à Livio tradita eſſet: at tria millia ſtadiorum faciunt XXIV. millia paſſuum, quem numerum longe ſuperant LXXM. paſſ. itaque forte pro LXX. ponendæ eſſent XXM. paſſuum: ſed ego antiquorum codicum auctoritate deſtitutus nihil hic mutare auſim, tantum indicare volui, mihi Plinii locum mendoſum videri. Polybius lib. 2. ſcribit. Alpes quæ Italiam à Septentrione claudunt ad duo millia & ducenta ſtadia protendi: quæ faciunt CCLXXV. millia paſſuum: Polybium Strabo ſequitur. Attamen cum diverſa initia & fines Alpium ſtatuantur, non mirum eſt diverſas quoque eſſe de Alpium longitudine opiniones. Italiam enim quam finiunt & tuentur Alpes quidam Carnis & Tergeſte oppido circumſcribunt, alii Pola & Formione amne, quidam vero ad Arſiam uſque eandem producunt, & Iſtriam Italia comprehendunt, ut Plinius & Strabo, in hac circumſcriptione Auguſti Imp. auctoritatem ſecuti. Atque Polybius Alpes inquit à Maſſilia incipere, & uſque ad intimum maris Adriatici ſinum protendi. At Strabo à vadis Sabatiis: Plinius à Varo flumine eaſdem inchoat. Videntur etiam quidam de recta diſtantia loqui, alii de ambitu lunato, & dimenſione itineris juxta alpes. Similis ratio latitudinis eſt, nam neque eandem ubique latitudinem Alpes ipſæ habent, ſed alicubi continua Alpium juga longe excurrunt in latus: deinde itinera deſcribentes, latitudinem Alpium modo juxta montium aſcenſum dimetiuntur, quandoque ab ipſis vallium initiis iter numerare incipiunt, atque ita Polybius ſcribit Alpes vix quinto die aſcendi poſſe, quod certe de recto aſcenſu à pede montis ad verticem nequaquam intelligi poteſt.

De altitudine vero Alpium æque variæ opiniones ſunt atque de longitudine & latitudine earum. Plerique affirmant alpium montes omnium totius Europæ maximos atque altiſſimos eſſe, quamvis enim id de Pyreneis montibus Appianus affirmet in Hiſpanico, conſtat tamen Alpes his neque altitudine neque magnitudine inferiores eſſe. Strabo Polybii de hac re ſententiam his verbis exponit. Hic idem vir cum de alpium magnitudine & ſublimitate diſſereret, maximos Græciæ montes comparat Taygetum, Lycæum, Parnaſſum, Olympum, Pelion, Oſſam: Thraciæ vero Aemum Rhodopen, Dunacem, quorum ſingulos inquit unius diei itinere expeditis facile viatoribus aſcendi poſſe, & uno die circumiri, Alpes autem ne die quidem quinto aſcendi poſſe. Neque tamen par ubique eſt Alpium altitudo, ſed qua incipiunt ad mare Tyrrhenum minor earum eſt altitudo, & qua finiuntur mitiora juga habent: unde etiam Plinius ſcribit, miteſcentia alpium juga per medium Illyricum à Septentrione ad meridiem verſa, in Pannoniis molli in dextra ac leva devexitate conſidere. Intermediæ Alpes plerisque in locis altiores ſunt, ac Solinus Veſulo monti è quo Padus oritur maximam altitudinem tribuere videtur, quem ſuperantiſſimum inter alpium juga nominat, alii Lepontias alpes ſummas omnium eſſe volunt, hoc argumento ducti quod ex his maxime flumina ad omnes orbis partes fluant, Rhenus, Rhodanus, Ticinus, Athiſo, Vrſa, Arola. Quin & Rheti & Seduni contendunt ſuas alpes omnium altiſſimas eſſe. In ſingulis tamen alpibus humiliora quædam juga inveniuntur & depreſſiora loca per quæ antiquitus itinera facta ſunt, ſed hæc ipſa adeo alta ſunt, ut iter per montem vix uno die confici poſſit ab expedito pedite, nam equorum in ſummis jugis plerunque nullus eſt uſus niſi forte in ſarcinis geſtandis: ab imis autem vallibus ad ſummos montes plurium dierum iter eſt, hæc itinera Strabo reſpexit ſcribens alpes vix quinto die aſcendi poſſe. Noſtri cum de aſcenſu alpium loquuntur, plerunque de ſummis jugis tantum loquuntur, ubi incipit acclivis aſcenſus, & loca omnia ſterilia & frigida ſunt, cum huc perveniunt tum demum dicunt ſe incipere montem aſcendere, den Berg angon. Verum ubi quis in ſummum montem qua iter eſt pervenerit, novas adhuc alpes quodammodo invenit, altiſſima cacumina perpetua nive & glacie rigentia quæ plerunque mitiori jugo per quod via eſt utrinque imminent. Ac videntur excelſa hæc juga nubes ipſas penetrare, ut non immerito poetæ alpes aerias & nubiferas appellarint: ita ut ſi quis ea loca conſcendat nubes ſeipſo inferiores videre poſſe arbitretur: atque id ſpectaculum ſibi contigiſſe quidam gloriantur: vere ne an falſo ipſi viderint. Græci multa de ſuorum montium altitudine fabulati ſunt. De Olympo Solinus refert, aram in ejus cacumine Jovi dicatam eſſe, cujus altaribus ſi quæ de extis inferantur, nec diſſlari ventoſis ſpiritibus, nec pluviis dilui, ſed volvente altero anno cujuſmodi relicta fuerint, ejuſmodi reperiri. Et omnibus tempeſtatibus à corruptelis aurarum vindicari quicquid ibi ſemel Deo conſecratum fuerit. Literas in cinere ſcriptas uſque ad alteram anni ceremoniam permanere. Ideoque Lucanus eum nubes excedere ſcripſit: & idem Claudianus pluribus exponit in conſulatu Manlii. Similia de monte Atho Mela retulit. Athos inquit, mons eſt adeo elatus, ut credatur altius quam unde imbres cadunt ſurgere. Cœpit opinio fidem quia de aris, quas in vertice ſuſtinet, non abluitur cinis, ſed quo relinquitur aggere manet. Verum neque Athon neque Olympum, neque quemvis alium Græciæ montem alpibus altitudine & magnitudine comparandum eſſe Polybius aſſerit, neque tamen talia quiſque de illis affirmare poteſt, cum vertices perpetuis nivibus tecti oſtendant montes hos nequaquam nubibus unde nives & imbres cadunt altiores: Verum quod nubibus operti nonnunquam cernuntur ſummi eorum vertices, & quod aliqui nubes infra ſe poſitas viderunt, cum in cacumina alpium aſcendiſſent, id adeo inde factum crediderim, quod nubes non ſemper in media aeris regione, ſed aliquando propius terram & quidem magno cum fragore moventur, ut Phyſici tradunt. Sæpe etiam denſiſſimæ nebulæ montes tegunt, quæ eminus nubes omnino eſſe videntur: & tales offuſas fuiſſe Aemo, quando hunc Philippus Macedonum Rex aſcendit, Livius innuit, his verbis: Ut vero jugis appropinquabant, quod rarum in aliis locis eſſet, adeo omnia contecta nebula, ut haud ſecus

cus quam nocturno itinere impedirentur. Quod si nubes suum propcium locum habent, qui (ut Abdomades quidam demonstrat apud Vitellionem) à terra distat fere 52. millibus passuum, posito ambitu terræ 24000. milliariorum hujusmodi: non verisimile est ullos montes eousque pertingere. Neque tamen propterea Græcis in definienda montium altitudine assentiri possumus, è quibus Dicearchus vir imprimis eruditus regum cura permensus montes, altissimum ex his prodidit Pelion MCCL. passuum ratione perpendiculi: uti de illo retulit Plinius. Præterea Plutarchus in vita Pauli Aemilii scribit Geometras dicere neque altitudinem montis, neque profunditatem maris protendi ultra decem stadia, quæ passivum numerum à Dicearcho proditum conficiunt. Verum & Plutarchus refert, Xenagoram certis instrumentis deprehendisse majorem esse altitudinem Olympi montis: & opinionem hanc manifeste convellit alpium altitudo, in quibus cum multis locis ascensus & quidem satis acclivis XXXM. pass. habeat, facile hinc colligere possunt, qui dimensionum non prorsus rudes sunt, longe majorem esse earum altitudinem ad perpendiculum quam MCCL. passus. Nam quod non majorem ajunt montium altitudinem esse quam sit maris profunditas, idipsum rident graves Philosophi, ac Cæsar Scaliger summus nostra ætate Philosophus, terræ altitudinem quanta absistit ab aquæ superficie, ad aquæ profunditatem vigecupla majorem arbitratur. Cum autem ponat aquæ maximam fere profunditatem centenorum passuum, erit montis excelsi altitudo duorum millium passuum: quantum ad perpendiculum attolli multa alpium juga, & forte etiam aliquanto amplius non dubitamus. Quod si altitudinis eximiæ indicium est, quod de Casio monte & Ida veteres memoriæ prodiderunt, ex illorum vertice solem ante ejus exortum per tenebras videri: certe hoc quoque indicio constabit alpium nostrarum altitudo, in quibus circa solstitium nox brevissima & pene nulla est, quoniam & post occasum solis diu ejus luce fruuntur montani homines, & mane luce ante initium diei fruuntur, estque jucundissimum spectaculum ex alto monte contemplari solem paulatim orientem. Postremo Alpes ex plurimis locis Italiæ, Galliæ, Germaniæ cernuntur, ac rursus ex summis alpium jugis longe lateque prospectus patet, itaque Annibal militibus suis ex promontorio alpium Italiam & circumpadanos campos ostentabat ad confirmandos eorum animos, quibus facile etiam licuisset ex iisdem alpibus Galliam & Rhodanum contemplari.

Silii Italici Descriptio Alpium, ejusque brevis explicatio.

POstquam quædam de alpium magnitudine exposui, visum est hic alpium elegantissimam descriptionem ex Silio Italico subjicere: nam quum ejus carmina à plerisque nostræ ætatis scriptoribus, qui de Alpibus tractant adducantur, existimavi, ea à me absque piaculo quodam omitti non posse. Carmina illius hæc sunt:

Cuncta gelu, canaque æternum grandine tecta,
Atque ævi glaciem cohibent: riget ardua montis
Ætherii facies, surgentique obvia Phœbo
Duratas nescit flammis mollire pruinas.
Quantum tartareus regni pallentis hiatus
Ad manes imos. atque atræ stagna paludis
A supera tellure patet: tam longa per auras
Erigitur tellus, & cælum intercipit umbra.
Nullum ver usquam, nullique æstatis honores.
Sola jugis habitat diris, sedesque tuetur
Perpetuas deformis hyems: illa undique nubes
Huc atras agit, & mixtos cum grandine nimbos.
Jam cuncti flatus, ventique furentia regna
Alpina posuere domo, caligat in altis
Obtutus saxis, abeuntque in nubila montes.
Mixtus Athos Tauro, Rhodopeque adjuncta Mimanti,
Ossaque cum Pelio, cumque Hemo cesserit Othrys.

Quæ hic à Silio scribuntur partim de totis montibus, partim de certa illarum parte accipienda sunt. Dividunt enim Græci montes in tres partes, quarum prima dicitur: ἀκρωρεια και κορυφη & τα ἀκρα Latini juga & vertices nominant: secundo loco sunt ὑπωρειαι τα πλευρα του ὀρους latera montis: postremo τερμα, το τελευταιον του ὀρους quæ etiam vocant ποδας και προποδας, quamvis Strabo alicubi duas posteriores partes non distinguat, & τα ὑπωρεια ποδας nominet: Latini vocant radices montis. Quæ igitur de alpium magnitudine & altitudine scribit, ea de integris montibus intelligenda sunt, reliqua de æterna nive & glacie, & perpetua hyeme ad summos vertices montium pertinent. Nam Polybius scribit, Summa Alpium juga, tum propter locorum asperitatem, tum quia altæ nives premunt terram, gelu & perpetuo pene rigore constrictæ: tantumque abest ut ab hominibus colantur, ut nullum quidem vestigium extet humanum. Nostra ætate in omnium fere alpium verticibus qua frequens iter est, diversoria extructa sunt in usum peregrinorum, sed ad ea omnem annonam, imo ligna quoque ad foci usum sarcinariis jumentis per multa millia passuum subvehere oportet: vere itaque juga illa inhabitabilia sunt. At nihilominus in alpibus latera montosa habitantur, & convalles: unde idem Polybius, Nuda sunt (inquit) montium juga herbis atque arboribus, quod continuis rigeant nivibus hyberno æstivoque tempore. Mediæ vero convalles ab utroque Alpium latere læta pascua, atque apricas arbores habent, & humano cultu digniora loca. Item Livius. Nuda fere cacumina sunt, & si quid est pabuli obruunt nives: inferiores valles apricos quosdam colles habent, rivosque prope silvas, etiam humano cultu digniora loca. Summa igitur Alpium loca horrida & sterilia sunt, nive & gelu rigent, media vero pascua & cultui apta sunt, at radices montium & campi Alpibus subjecti, præsertim versus Italiam omnium rerum fertilissimi sunt: indicio est subalpina regio quam hodie Pedemontanam vocant, & Insubres, totaque circa alpes Gallia Cisalpina, cujus fertilitatem multis modis etiam Polybius celebrat. Et nostræ quoque alpium valles copiose omnia proferunt, quæ ad victum cultumque necessaria sunt.

De summis igitur alpibus scribit Silius æternum tectas gelu & glacie & nivibus, quas canam grandinem vocat, cum enim eadem ratio sit grandinis & nivium maluit nomine graviore uti, non tantum soni gratia, sed quia alpinæ regiones grandini obnoxiæ sunt: & cum illic cadant plerunque nives magnis floccis grandini similiores sunt. Non solvuntur autem nives & alpina glacies calore solis, non quidem quod prorsus non liquescant, sed quia nunquam consumuntur. Cum enim etiam media æstate in summis montibus nives cadant, quando pluit in vallibus, contingit plerunque novas nives accumulari

mulari veteribus prius quam illæ consumantur. Sunt quidem montes altissimi undique suis verticibus Soli expositi, unde à poeta dicuntur obvii surgenti Phœbo: attamen cum propter eximiam altitudinem viciniores sint mediæ & frigidæ aeris regioni, aer illic frigidus non tantum incenditur ut nives tantas dissolvere possit. Vulgi quidem opinio est montes altissimos, quorum vertices æterna nive obsessi sunt, soli viciniores esse, ideoque quo propiores illi sunt eo calidiores esse debere. Sed recte hunc errorem confutat Seneca, lib. 4. naturalium quæstionum: ac docet nullam esse analogiam altitudinis montium ad totum terræ ambitum, alioqui non constaret terræ rotunditas: ideo etiam non esse eam altitudinem montium, ut viciniam solis præ alia terra sentire possint. At longe alia est ejus ratio ad mediam regionem aeris, quæ minimo spacio à terra abest, si cum Solis loco & regione conferatur. Idem præterea addit: aerem quo editior est sinceriorem puriorem-que esse, itaque Solem non retinere sed velut per inane transmittere, ideoque minus calefieri. Adhæc altiora loca magis perflantur: depressa minus à ventis verberantur: itaque hac quoque de causa altissimi montes frigidiores sunt, & magis glacie & nivibus rigent.

Porro inveteratas illas nives nostri homines Firn vocant, nomen enim hoc recenti opponitur: sic enim vina vetera, aut alterius saltem anni vocamus firnen Wyn. Est autem nix hæc dura quidem & aliqua ex parte congelata, sed nondum nivis naturam exuit: quæ vero soluta & congelata neque jam nix sed glacies est, ea Gletscher à nostris vocatur, nomine forte à glacie deducto, verumtamen non ab omnibus hoc discrimen observatur, sed utrunque nomen glaciei tribuitur. Hujusmodi glacies vetus & multorum seculorum in Alpibus reperitur, & quia subinde nova glacies veteri accumulatur, in immensum excrescit, ita ut alicubi horrendæ rupes glaciei videantur. Apud Sedunos mons est quem quidam Silvium nuncupant, Salassi Rosæ nomen ei imposuere: in hoc monte ingens est glaciei perpetuæ cumulus, per quem transitur ad Salassos fere quatuor millium passuum spatio, & tamen illi adhuc altiora & magis rigida juga imminent: Vallesiani hunc à glacie den gletscheer denominarunt. Purgatur autem longi temporis spacio hujusmodi glacies ab arenis, terra, lapidibus aliisque sordibus, ita ut fere crystalli modo splendeat, unde etiam crystallum ex glacie inveterata nasci quidam existimant. Sæpe autem in summis montibus rimas agit & rumpitur, tanto quidem cum sonitu & impetu ut terra tremere & montes ipsi ruere videantur, Hyatus illi plerunque profundissimi sunt, neque tamen quicquam aliud præter glaciem multis seculis coacervatam apparet, ideoque recte Silius ævi glaciem nominat. Nam & à multis seculis in montibus coacervata est, & in iisdem perpetuo durat, neque unquam à sole emolliri potest. Quod si aliquando ut fit frustum glaciei è monte in vallem aliquam deciderit, non statim solvitur sed paulatim pluribus diebus colliquescit: ac delicati homines hanc in cellis servant, & ea ad refrigeranda vina utuntur.

Poetica sunt & videntur quæ de immensa Alpium altitudine Silius scribit, tantum eas attolli in altum quantum in profundum tartarus patet: hac enim amplificatione voluit incredibilem altitudinem indicare: interim arbitror ipsum ad Græcorum opinionem supra à nobis expositam respexisse, qui voluerunt parem esse rationem altitudinis montium & profunditatis in mari. Itaque tartari nomine profundissimas aquarum voragines, & maris quasi abyssum significari ab illo existimo, nusquam autem tam profundum est mare, ut non alpes tantum in cœlum attollantur. Similiter quod addit; Et cœlum intercipit umbra. Ex Græcorum doctrina depromptum videtur, hi nanque inter miracula notaverunt montem Athon è Macedonia in Myrinam Lemni oppidum umbram jacere, cum tamen Athos à Lemno sex & octoginta millibus passuum separetur. Noster igitur ut ostenderet Alpes longe altiores esse monte Atho quem Græci tantopere celebrant, non metitur earum umbram, neque quousque porrigatur definit, sed inquit cœlum intercipere: quemadmodum scilicet in eclipsi umbra terræ lunam intercipit & condit. Exprimit etiam altitudinem alpium scribens, aspectum nostrum caligare obtuendo altissima saxa, & in nubila montes abire, sive ad nubes usque pertingere: quæ ex hominum opinione & sensuum judicio dicuntur. Illa autem comparatio qua Alpes majores facit altissimis montibus inter se conjunctis, omnino ex Polybii loco quem Strabo etiam adducit desumpta est, hic tamen poetico more amplificata.

Postremo Alpes domum quodammodo hyemis tempestatum & ventorum constituit. Ac de hyeme quidem non obscurum est id dici, propterea quod perpetua hyems est in summis montibus, qui semper nivibus tecti sunt, & glacie rigent. Ventorum quoque domus dicuntur, nam & venti superiora loca petunt, depressa vero minus ventis verberantur: deinde sicut maxima & frigidissima flumina ex Alpibus defluunt, ita ob similem causam frigidissimi & validissimi venti ex his locis spirant, qui frigiditate sua sæpe grandinem aut pruinam generant. Ratio horum à Physicis traditur: vulgo tamen certissima tempestatum signa ex altissimorum montium verticibus petuntur: de quibus ita scribit Plinius. Cum in cacuminibus montium nubes consident, hyemabit. Si cacumina pura fient disserenabit. Nube gravida candicante, quod vocant tempestatem albam, grando imminebit. Cœlo quamvis sereno, nubecula quamvis parva, ventum procellosum dabit. Nebulæ è montibus descendentes, aut cœlo cadentes, vel in vallibus sedentes, serenitatem promittunt. Atque hæc prognostica certissima sunt, itaque sæpe apud nos Agricolæ Alpium cacumina observantes, & præcipue verticem ejus montis qui clarissimæ Lucernatum urbi imminet, & Fractus atque Pilati mons vulgo nuncupatur, certissima indicia tempestatum illic habent: ut non male tempestatum sedes in Alpibus à Silio posita sit. Princeps quoque poetarum Alpinos Boreas dixit, vehementissimos ventos quales fere semper in Alpibus perflare solent: aut quia Boreas & septentrionales venti ab Alpibus flant in Italia quæ his montibus à septentrione clauditur. Quidam tamen à Græcis Posidonio & Protarcho scriptum retulerunt, Riphæos & Alpes eosdem dici montes qui ab Hyperboreis incolantur: & ideo Boream qui à Riphæis montibus flat Alpinum à poeta nominatum.

Quinam Primum Alpes transierint.

POsteaquam de Alpium magnitudine dixi, deinceps de transitu illarum agam, ac primum, quoniam diversæ de hac re sententiæ existunt, quando

quando iter Alpinum patefactum ſit, & quis primum cum exercitu hos montes ſuperare auſus fuerit, quæremus. Quidam igitur tradunt Herculem Thebanum quando Gerionem & Tauriſcum devicit primum omnium viam per Alpes feciſſe: atque in ejus rei memoriam Grajis alpibus nomen impoſitum: ac Monœci arcem & portum ad perennem hujus rei memoriam ab ipſo conſecratum: alterum qui poſt Herculem iter aliud per Alpes fecerit Annibalem. Ac hanc quidem vulgo receptam opinionem fuiſſe docet Livius: idem de Hercule & Annibale affirmant Aemilius Probus, & Ammianus Marcellinus: quibus Silius aſſentitur: his verbis.

Primus inexpertas adiit Tirynthius arces.
Scindentem nubes, frangentemque ardua montis
Spectarunt ſuperi, longisque ab origine ſeclis
Intemerata gradu magna vi ſaxa domantem.

De Annibale autem inquit,

Nec mora, commotum promiſſis ditibus agmen
Erigit in collem, & veſtigia linquere nota
Herculis edicit magni, crudisque locorum
Ferre pedem, ac proprio turmas evadere calle.

Nos ea quæ de Hercule prodita ſunt in medio relinquimus: Livius quidem ea ut fabuloſa rejicit: illud vero quod de Annibale traditur prorſus rejicimus, Polybium ſecuti qui hanc opinionem graviter his verbis confutat.

Hoc loco (inquit) ſcriptores quidam dum magnitudine rei perterrefacere legentium animos ſtudent, non animadvertunt labi ſe in duo ab hiſtoriæ lege alieniſſima. Siquidem & falſa ſcribere, & plane inter ſe repugnantia coguntur: ſimul enim Annibalem, quem & ſcientia rei militaris, & animi magnitudine omnino inimitabilem volunt, omnis prorſus conſilii atque rationis expertem oſtendunt. Simul nullum exitum mendacio reperientes, ad Deos & Deorum filios ad pragmaticam hiſtoricam confugiunt. Nam cum iter Alpium adeo immenſum atque aſperum faciant, ut non ſolum equitibus, impedimentis atque elephantis, verum etiam ipſis levis armaturæ peditibus invium, inacceſſumque ſit: præterea etiam tantam in eo ſolitudinem, ut niſi quis Deus aut heros ducem ſe itineris Annibali præbuiſſet, procul dubio omnes copiæ per loca prærupta iſſent perditum: apertiſſime in utrumque labuntur errorem. Primum enim quis ducum Annibale imprudentior erit, ſi ille tot copiis talique exercitui præfectus, in quo ſpem omnem bene gerendarum rerum repoſuerat, neque vias, neque loca, ut ipſi afferunt, nec qua iter omnino, nec ad quos tenderet, ſciebat? Nam quod cæteri poſt maximos conflictus, etiam in ſumma deſperatione rerum non faciunt, id iſti feciſſe Annibalem in tanta ſpe, ita florente exercitu volunt, ut cum copiis loca incognita acceſſerit, quo quid ineptius dici poteſt? At quod de ſolitudine atque aſperitate locorum dicunt, apertius etiam mendacium indicat: neque enim referunt, ut Galli Rheni accolæ, non ſemel neque bis ante id tempus in Italiam venerint, neque ut olim cum magno exercitu ſuperatis Alpibus in ſubſidium Ciſalpinorum contra populum Romanum vires advocarint: neque ut ipſis etiam in Alpibus multorum hominum gens habitet: hæc omnia ignorantes heroa quendam, inquiunt, apparuiſſe Annibali iterque monſtraſſe. Quo fit ut tragœdis potius quam hiſtoricis ſimiles videantur. Apud Livium etiam Annibal milites adhortans: Alpes, inquit, montium altitudines eſſe, ſed nullas terras cœlum contingere nec inexuperabiles humano generi eſſe. Alpes quidem habitari, coli, gignere atque alere animantes, pervias paucis eſſe, exercitibus invias? eos ipſos quos cernant, legatos non pennis ſublime elatos Alpes transgreſſos: ne majores quidem eorum indigenas, ſed advenas Italiæ cultores, has ipſas Alpes ingentibus ſæpe agminibus cum liberis ac conjugibus, migrantium modo, tuto tranſiiſſe.

His itaque auctoribus conſtat, Alpes non ita prorſus invias atque inſuperabiles eſſe, ut quidam tradiderunt, ac longe ante Hannibalem Gallos cum exercitu Alpes tranſiviſſe. De horum autem tranſitu Livius ita tradit: Priſco Tarquinio Romæ regnante, Celtas Belloveſo duce, Alpes nulla dum via, qua de quidem continens ulla memoria ſit, ſuperatas, Taurino ſaltu tranſcendiſſe, fuſisque acie Tuſcis, haud procul Ticino flumine, agrum in quo conſederant occupaſſe, ibique Mediolanum urbem condidiſſe: poſt hos Cænomanos Elitovio duce veſtigia priorum ſecutos, eodem ſaltu favente Belloveſo tranſcendiſſe Alpes, & in illis locis conſediſſe, quos antea Lebui tenuere, ubi nunc Brixia ac Verona urbes ſunt: poſt hos Salvios Ligures citra Ticinum amnem incolentes, expuliſſe. Deinde Bojos Lingonesque Pennino transgreſſos, Pado ratibus trajecto, non Etruſcos modo, ſed etiam Vmbros agro puliſſe, intra Apenninum tamen ſe tenuiſſe. Poſtremos omnium Senones ab Vſente flumine usque ad Aeſim fines habuiſſe. Atque hæc quidem Livius de Gallorum in Italiam tranſitu memoriæ prodidit. Quod autem Tarquinii Priſci tempore primum Alpes tranſierint, non ab eo ſimpliciter affirmatur, ſed nullius alterius tranſitus memoriam certam extare tradit. Etenim Gallorum res olim prorſus incognitæ Romanis fuerunt, etſi paucorum dierum navigatione Roma in Galliam perveniri poterat, attamen cum nulla eſſent mutua harum gentium commercia, lingua quoque & moribus plurimum diſcreparent, eorum res utrinque incognitæ fuerunt. Neque hoc mirum cuiquam videri debet, quando Hetruſcorum res in ipſa Italia, diu pene ignotæ Romanis fuerunt, & ſylva Ciminia magis olim invia & horrenda viſa eſt, quam ipſæ poſtea Alpes & Germanici ſaltus. Cæterum vero ſimile eſt, longe ante Tarquinii Priſci tempora Alpium itinera patuiſſe. Etſi enim Livius quæ de Hercule Græci ſcripſere, inter fabulas refert, aliis tamen non prorſus vana & inanis narratio videtur, quando ejus tranſitus multa veſtigia judicantur, Herculis Monœci portus & Grajarum Alpium nomen: & Lepontii ita dicti creduntur, quod ab Hercule eo loco relicti fuerint. Vix etiam credibile eſt, Gallos, ſi Alpes ante prorſus inviæ & inſuperabiles fuerunt, cum exercitu auſos fuiſſe iter illud ingredi, præſertim cum non difficulter ex Narbonenſi Gallia navibus in Italiam pervenire poſſent; neque tum maris uſus illis videtur incognitus fuiſſe; & eodem tempore Maſſilienſes navibus à Phocæa in Galliam profecti, ab his adjuti ſunt, ut quem primum in terram egreſſi occupaverant locum patentibus ſylvis communirent. Præterea cum nonnullæ Alpes depreſſiores ſint, in quibus adulta æſtate nullæ nives apparent, adeoque humiles ut æſtivo die uno ſuperari poſſint, ita ut à culta valle & frugum vinique ferace, in alteram

teram similem eodem die superatis Alpibus transiri possit, veluti à Veragris ad Salassos, & è Tumiliasca Rhætorum valle ad Clavenam aut Bilitionis castrum, credibile est inter vicinos qui utrinque habitabant aliqua fuisse commercia, neque tam stupidos fuisse ut aditus montium, quorum forte maximam partem pecoribus suis depascebant, nunquam tentarent. Ac Plinius ipse videtur indicare ante Gallorum transitum in Italiam Alpes fuisse pervias. Produnt (inquit) Alpibus coercitas & tam inexuperabili munimento Gallias, hanc primum habuisse causam superfundendi se Italiæ, quod Elico ex Helvetiis civis eorum, fabrilem ob artem Romæ commoratus, ficum siccam, & uvam, oleique ac vini præmissa remeans secum tulisset. Livius tamen hæc ad postremum Gallorum Senonum, à quibus urbs Roma capta est, transitum referre videtur: nam de his ita scribit. Eam gentem traditur fama dulcedine frugum maximeque vini nova tum voluptate captam, Alpes transisse, agrosque ab Hetruscis ante cultos possedisse, & invexisse in Galliam vinum, illiciendæ gentis causa, Aruntem Clusinum, ira corruptæ uxoris à Lucumone, cui tutor is fuerat ipse, præpotente juvene, & à quo expeti pœnæ, nisi externa vis quæsita esset, nequirent, hunc transeuntibus Alpes ducem auctoremque Clusium oppugnandi fuisse. Etsi vero Plinius Eliconem Helvetium, Livius Aruntum Clusinum nominat, tamen eadem de re loqui videntur, ac fieri potuit ut Eliconis opera Aruns usus fuerit in evocandis Gallis. Verum utut se hæc habeant, ipsa locorum utrinque cultorum vicinia, & humana curiositas, haud dubie ante Tarquinii tempora Alpes pervias fecerunt, nisi existimare voluerimus, alpinas multis jam seculis cultissimas valles tum desertas & inhabitatas fuisse, ut nullum desiderium conscendendi hos montes homines longe remotos incesserit. Quare ego sic censeo ab antiquissimis temporibus ex quo tota Gallia atque Italia cultæ habitatæque fuerunt, Alpes pervias fuisse, attamen veteres illos justos & alieni non appetentes, non videri cum exercitu transivisse: sed primum omnium Herculem (nisi hæc quæ de illo scribuntur inter fabulas referre libeat) & post hunc Gallos Tarquinii primum ætate & postea sæpe alias, ante Annibalis adventum, cum exercitu per Alpes in Italiam descendisse.

De itinere Annibalis per Alpes.

QUoniam vero de transitu Gallorum qualis is fuerit nihil est memoriæ proditum, Annibalis transitum consideremus, de quo multa Græci pariter atque Latini scripsere. Ex hac enim narratione Alpinorum locorum habitus & qualitas, atque itineris ardui, quod in portento prope veteres habuere ratio cognoscetur. Illud autem initio observandum est, Annibalem exercitum duxisse, non per loca prorsus invia & nulli ante tentata, ut quidam veterum putarunt, quos Polybius, cujus verba supra adscripsimus, merito reprehendit. Recte tamen dici per invia pleraque exercitum duxisse, non quod Alpes etiam eo loco perviæ non essent, sed quod à recto itinere sæpius aberrarit (ut Livius scribit) aut ducentium fraude, aut ubi iis fides non esset, temere initis vallibus à conjectantibus iter. Alterum etiam tenendum est, maxima pericula ipsum sustinuisse, Gallis exercitum invadentibus, quos plurimum locorum natura adjuvit: nam propter angustias itinerum & præcipitia, pauci homines locorum periti, etiam ingentes copias aditu arcere possunt: loca vero ipsa non ita insuperabilia sunt, si nulla vis hostium se opponat. Quare his omissis, iter Annibalis quale fuerit, victis jam & profligatis hostibus consideremus: id vero Livius his verbis describit. Procedere inde agmen cœpit: jam nihil ne hostibus quidem, præter parva furta per occasionem, tentantibus: cæterum iter multo, quam in ascensu fuerat, ut pleraque Alpium ab Italia sicut breviora, ita arrectiora sunt, difficilius fuit. Omnis enim fermè via præceps, angusta, lubrica erat, ut neque sustinere se à lapsu possent: nec si qui paululum titubassent, hærere afflicti vestigio suo: aliique super alios & jumenta & homines occiderent. Ventum deinde ad multo angustiorem rupem, atque ita rectis saxis, ut ægre expeditus miles tentabundus, manibusque retinens virgulta ac stirpes circa eminentes, demittere sese posset. Natura locus jam ante præceps, recenti terræ lapsu impeditus, in miram admodum altitudinem abruptus erat. Ibi cum velut ad finem viæ equites constitissent, miranti Annibali quæ res moraretur agmen, nunciatur rupem inviam esse. Digressus deinde ipse ad locum visendum: haud dubia res visa, quin per invia circa nec trita antea, quamvis longo ambitu circumduceret agmen. Ea vero via insuperabilis fuit. Nam cum super veterem nivem intactam, nova modicæ altitudinis esset: molli nec præaltæ nivi facile pedes ingredientium insistebant. Ut vero tot hominum jumentorumque incessu dilapsa est, per nudam infra glaciem, fluentemque labem liquescentis nivis ingrediebantur, tetra ibi luctatio erat, ut à lubrica glacie non recipiente vestigium, & in prono citius pede se fallente: & seu manibus in assurgendo, seu genu se adjuvissent, ipsis adminiculis prolapsi si iterum corruissent, nec stirpes circa radicesve, ad quas pede, aut manu quisquam eniti posset, erant, ita in levi tantum glacie tabidaque nive volutabantur jumenta: necabantur interdum etiam, dum infimam ingredientia nivem, & prolapsa, jactandis gravius in continendo ungulis penitus perfringebant, ut pleraque velut pedica capta, hærerent in durata & alte concreta glacie. Tandem, nequicquam jumentis atque hominibus fatigatis, castra in jugo posita, ægerrime ad id ipsum loco purgato, tantum nivis fodiendum atque egerendum fuit: inde ad rupem minuendam, per quam via una esse poterat, milites ducti: cum cædendum esset saxum, arboribus circa immanibus dejectis detruncatisque, struem ingentem lignorum faciunt, eamque, cum & vis venti apta faciendo igni coorta esset, succendunt, ardentiaque saxa infuso aceto putrefaciunt, ita torridam incendio rupem ferro pandunt, molliuntque anfractibus medicis clivos, ut non jumenta solum, sed elephanti etiam deduci possent. Quatriduum circa rupem consumptum, jumenta prope fame absumebantur, nuda enim fere cacumina sunt: & siquid est pabuli, obruunt nives: inferiores valles apricos quosdam colles habent, rivosque prope sylvas, etiam humano cultu digniora loca, ibi jumenta in pabulum missa, & quies muniendo fessis hominibus data triduo. Inde ad planum descensum est, etiam locis mollioribus, & accolarum ingeniis.

Primum hic Livius descensum Alpium longe difficiliorem fuisse Annibali scribit, ipso ascensu, quod quidem iter attinet: nam in ascensu præter locorum angustias & præcipitia Galli Alpium incolæ multum damni intulere Annibali: in descensu hostibus

stibus nihil fere tentantibus, cum ipsa locorum natura, & præterea cum nivibus illi luctandum fuit. Itaque, ut Polybius etiam asserit, non pauciores fere in descensu, quam in ascensu amisit. Ac in genere causam affert difficilioris itineris, quod Alpes qua parte Italiam spectant, breviorem ascensum habentes, longe sint arrectiores magisque præcipites. Etenim qua Galliam spectant ascensus montium leniter acclivis est, longius etiam iter, ideoque majori tempore opus est ad conscendendas Alpes quam si ex Italia in Galliam transeas: ideo forte quia pars altera Septentrionibus magis exposita est, ideoque frigidior & incultior, majorque ejus pars nivibus tecta est: quæ tota Alpibus adnumeratur: altera vero pars Soli magis apposita, citius cultiora loca offert, quæ non amplius Alpina habentur: In descensu igitur propter loca præcipitia, & angusta ac lubrica, ob nivem scilicet ac glaciem difficile erat iter facere. Id quod Polybius etiam asserit. Nam cum (inquit) natura locus angustus & præceps foret, tum vero recenti nive omnia usque adeo obruta, ut nullum prorsus vestigium callis appareret, neque sustinere se à lapsu poterant: & qui parum titubassent continuo in præceps ferebantur. Atque hoc quidem commune periculum est in præcipiti descensu altorum montium, præsertim quando per nives iter faciendum est. Cæterum illud peculiare obtigit Annibali, quod iter qua descendendum erat, rupe opposita & recenti lapsu terræ clausum offendit, & quum frustra alio itinere exercitum ducere conaretur, tandem clausum iter aperire summa vi, coactus est. Impedimentum hoc itineris non eodem modo describunt Polybius & Livius: rupem enim impedimento fuisse ne elephanti & jumenta pertransire possent Livius affirmat, deinde iter juxta rupem natura alioqui jam ante præceps, recenti terræ lapsu impeditum & in miram altitudinem abruptum fuisse. Ac in quibusdam Livianis exemplaribus ex Vallæ emendatione legitur, Natura locus jam ante præceps, recenti terræ lapsu in pedum mille admodum altitudinem abruptus erat: Sigonius tamen ex fide veterum librorum locum hunc ita emendavit, sicuti ante citavimus. Polybius autem non rupis, non altitudinis aut præcipitii meminit, sed angustiæ: quod recens terræ lapsus viam occluserit: verba ejus Græce apponam, quoniam Latinus interpres etiam rupis meminit, dum Livium imitatur potius, quam Polybii verba bona fide reddit, ac quoniam quæ supra apposui Græce paulo clariora sunt, locum integrum repetam. ὀυσης γαρ στενης και κατωφερους της καταβασεως, της δε χιονος ἀδηλον ποιουσης ἑκαστοις την ἐπιβασιν, παν το περιπεσον της ὁδου και σφαλεν, ἐφερετο κατα των κρημνων ὀυ μην ἀλλα ταυτην μεν ὑπεφερον την ταλαιπωριαν, ἁτε συνηθεις ὀντες ἠδη τοις τοιουτοις κακοις, ἁμα δε τω παραγενεσθαι προς τοιουτον τοπον, ὁν ὀυτε τοις θηριοις ὀυτε τοις ὑποζυγιοις δυνατον ἠν παρελθειν δια την στενοτητα, σχεδον ἐπι τρια ἡμιςαδια της γης απερρωγυιας, και προτου μεν ὀυσης, τοτε δε και μαλλον, ὁτι προσφατως ἀπερρωγυιας, ἐνταυθα παλιν ἀθυμησαι και διατραπηναι συνεβη το πληθος. Descensum Alpium[inquit, angustum & præcipitem esse, accessisse aliud incommodum, quod nix (supra enim dixerat, nivem omnia loca opplevisse, occidente vergiliarum sidere) incertos viæ reddebat, neque enim poterant propter nivem videre quodnam esset verum & tutum iter, quod si quisquam aberrasset hominum, aut elephantorum aut jumentorum, in præceps ferebantur: attamen hoc incommodum milites æquo animo tolerabant, hujusmodi malis jam assueti, verum ubi denuo pervenere ad locum quem neque elephanti neque jumenta transire poterant, propter angustias, quia ad tria fere semistadia terra abrupta & lapsa erat, ita ut quamvis ante arcta fuisset, tamen propter recentem lapsum longe arctior esset, ibi rursus animo deficere & regredi cœperunt. Accidit autem sæpe in montanis itineribus, ubi propter præcipitem declivitatem recta descendere non licet, ut viæ admodum angustæ montium lateribus quasi incisæ sint, quod si pars superior montis labatur via præcluditur, vel si pars ea montis qua iter est in vallem subsidat, jam propter præcipitium nullus est locus itineri, nisi novum quoddam iter in montem excidatur. Ac ex Polybio videtur tale quid accidisse Annibali, qua iter illi faciendum erat via alioqui arcta, ibi terra sesquistadii longitudine abrupta itineris usum ademit, etsi enim forte aliquid itineris superarat, tamen non tam latum erat ut jumenta multo minus elephanti illic transire possent, simul tantum erat ad latus præcipitium ut ea parte via muniri non posset, neque vero videbatur nova via in monte incidi posse propter ingentem rupem quæ obstabat: itaque hærebant neque poterant progredi. Atque si hoc modo Annibalis iter accipiamus Liviana narratio cum Polybio non pugnabit.

Annibal cum videret exercitum subsistere, ipse digressus est ad rupem videndam, ibi haud dubia res visa quin per invia nec trita antea quamvis longo ambitu circumduceret agmen: hoc est, cum usitato itinere videret se non posse progredi, quod terræ lapsu illud iter ademptum esset, constituit alia via, quæ potius invia dici debet, quod nemo illac iter fecisset, exercitum ducere: etiamsi enim longiore ambitu circumducendus esset, tamen id facilius putabat quam per hoc præcipitium descendere. Sigonius tamen vir doctissimus aliter Livii verba interpretatur, nempe Annibalem cum ad visendam rupem digressus fuisset, sensisse se per invia loca nec trita ante agmen ducere, neque ea re quicquam profecisse, quod longo ambitu exercitum circumduxisset, quo facilius & expeditius iter haberet. Sed nostræ sententiæ Polybius astipulatur, his verbis: το μεν ὀυν πρωτον ἐπεβαλετο περιελθειν τας δυσχωριας ὁ των καρχηδονιων στρατηγος: ἐπιγενομενης δε χιονος και ταυτης ἀδυνατον ποιουσης την πορειαν, ἀπεστη της ἐπιβολης. Annibal initio constituit locum hunc difficilem circumire, hoc est, ut Livius inquit, per invia circa nec trita antea quamvis longo ambitu agmen circumducere, sed propter nives iter hoc impedientes coactus est à cœpto itinere desistere. Quomodo vero propter nives non potuerit novum iter insistere, copiose à Livio & Polybio exponitur, ac subjicit deinde Polybius: ὁθεν ἀποστας της τοιαυτης ἐλπιδος, ἐστρατοπεδευσε περι την ἀρχην διαμησαμενος την ἐπ' ἀυτη χιονα, και μετα ταυτα παραστησας τα πληθη, τον κρημνον ἐξωκοδομει, μετα πολλης της ταλαιπωριας. Annibal spe sua dejectus cum non posset alio loco exercitum ducere, redit eo unde digressus fuerat, & multis hominibus adhibitis, locum præcipitem exædificat, seu viam illic multo cum labore munit. Neque vero usquam Livius aut Polybius dicunt viam illam qua Annibal exercitum duxit, inviam fuisse, & antea non tritam, sed lapsu terræ impeditam & quasi clausam.

Cur autem novo itinere proficisci non potuerit, ut cœperat, hæ causæ exponuntur. Primum nix nova, quæ nuper ceciderat, initio facilem viam præbere videbatur, primi enim facile in ea vestigia firmabant, cum adhuc mollis nec admodum profunda esset, sed tot hominibus atque jumentis eodem itinere incedentibus, recens illa nix, ut assolet, facile dilapsa & soluta est, porro quæ suberat vetus nix, non

non nix sed glacies erat, in qua tum propter ipsius glaciei lubricitatem vestigia firmari non poterant, tum etiam, quod labes illa nivis dilapsæ, aqua è soluta nive mixta alia molli & liquescente nive, omne iter adhuc magis lubricum efficiebat: quod si homines manibus seu genu in assurgendo se adjuvissent, ipsis adminiculis prolabebantur, neque enim manus aut genua minus labebantur, quam ipsi pedes, nullæ etiam stirpes aut prominentes radices erant, quas vel manibus apprehendere aut pedibus ad illas eniti possent: ad hunc modum in levi glacie & tabida nive, partim dissoluta, partim molli & fluente, homines jumentaque volutabantur. Interdum etiam secabantur (seu necabantur, ut Sigonius emendat) infimam ingredientia nivem, veterem inquam nivem, quæ infima nominatur, respectu novæ nivis jam dilapsæ, vel ut quædam exemplaria habent infirma, quod scilicet durata quidem erat in glaciem, unde & lubricam glaciem eandem Livius nominat, sed tamen alicubi infirma erat, quæ homines & jumenta non poterat ferre, sed si jumenta ungulas jactarent fortius ut se continerent, quando conabantur se retinere & cohibere ne in loco lubrico & declivi laberentur: aut si prolapsa resurgere tentarent, infirma glacies, & impar tanto ponderi sustinendo frangebatur, ac animalium crura vulnerabantur, sæpe etiam in his foraminibus perfractæ glaciei, quasi in pedicis quibusdam capta hærebant. Sigonius hoc loco pro secabantur legit necabantur, tamen ego libenter cum Glareano veterem lectionem retineo, non enim statim homines aut jumenta perfracta glacie necabantur, sed devoluta per ingentia præcipitia: at fracta glacies hominum jumentorumque membra sæpe numero vulnerat & secat, unde ille suæ Lycoridi metuens apud poetam conqueritur:

Alpinas ah dura nives & frigora Rheni
Me sine sola vides, ah te ne frigora lædant,
Ah tibi ne teneras glacies secet aspera plantas.

Silius quoque iter Annibalis describens, hoc malum his versibus describit:

Dumque premit sonipes duro vestigia cornu,
Ungula perfossis hæsit compressa ruinis.
Nec pestis lapsus simplex: abscissa relinquunt
Membra gelu: fractosque asper rigor amputat artus.

Turnebus vir longe doctissimus legit: Secabant interdum etiam, dum in firmam ingredientia nivem, &c. Confirmat autem suam lectionem ex Polybio, qui & firmam illam nivem dicit: sed & infimam: & secabant apud illum est διεκοπτον: alii tamen existimant id Livium reddere, Penitus perfringebant. Nos Polybii verba hic subjiciemus, quo horum collatione lector de Liviana lectione judicare possit. τα δ' ὑποζυγια διεκοπτον ὁτε πεσοι, την κατω χιονα κατα την ἐξαναστασιν. διακοψαντα, ἐμμενε μετα των φορτιων οἷον καταπεπηγοτα, δια τε το βαρος (alii βαθος) και δια το πηγμα της προ υπαρχουσης χιονος.

Porro labor omnis hic susceptus est, non in superanda rupe, ut Sigonius judicat, sed in novo itenere, per quod longius circumducere copias, & ita circumire & evitare rupem hanc statuerat: sed cum hac spe dejectus fuisset Annibal frustra fatigatis hominibus atque jumentis, coactus est eo loco castra ponere, & nova consilia inire de superanda rupe, & via munienda. Hunc ejus conatum paucis Polybius exponit, και μετα ταυτα παρασησας τα πληθη, τον κρημνον ἐξωκοδομει μετα πολλης της ταλαιπωριας Livius scribit, milites ductos ad rupem minuendam, ubi Turnebus muniendam legit: & interpretatur per rupem viam reperire, viamque in ea munire & tanquam struere: eam cædere & in ea opere laboreque militari complanare & æquare iter, aut deorsum deprimere & declive reddere quodam anfractu molli. Ita autem legendum esse ex eo apparet, quod non longe hinc scribitur: Et quies muniendo fessis hominibus triduo data. Polybius etiam scribit τον κρημνον ἐξωκοδομει Munit autem viam rupe perfracta, primo incendio, ingenti strue lignorum incensa ad torrendam rupem, deinde aceto perfusis ardentibus saxis, & tum demum ferro per rupem via facta. Unde Juvenalis:

Opposuit natura alpemque nivemque,
Diduxit scopulos & montem rupit aceto.

Silius hæc copiose & luculenter his versibus describit:

Dum pandit seriem venturi Jupiter ævi:
Ductor Agenoreus tumulis delatus iniquis,
Lapsantem dubio devexa per invia nixu
Firmabat gressum: atque humentia saxa premebat
Non acies hostive tenet: sed prona minaci
Prærupto turbant, & cautibus obvia rupes.
Stant clausi mœrentque moras, & dura viarum:
Nec resovere datur torpentia membra quiete.
Noctem operi jungunt, & robora ferre coacti
Approperant humeris: & raptas collibus ornos.
Jamque ubi nudarunt sylva densissima montis:
Aggessere trabes, rapidisque accensus in orbem
Excoquitur flammis scopulus, mox proruta ferro
Dat gemitum patiens resoluto pondere moles.
Atque aperit fessis antiqui regna Latini.

Equidem si quis Livii narrationem cum versibus Silii conferat, nihil fere eam gravitati & amplificationi poeticæ cedere animadvertet. Neque tamen quicquam à veritate recedere videtur: nam nostra ætate metallici eodem fere modo durissimas venas metallorum fœcundas, sed impatientes ferri igni frangunt, is enim durissima saxa ita emollit ut maxime fiant fragilia: itaque Hannibal in frangenda rupe Hispaniarum metallicos imitatus esse videtur.

Restat nunc ut de Hannibale dicamus, ubinam alpes transierit: vulgo creditum scribit Livius Pennino transgressum, atque inde nomen jugo Alpium inditum: Cœlium tamen scribere per Cremonis jugum transisse. Penninum nos postea ostendemus eum montem esse qui S. Bernardi nominatur: Cremonis nomen emendat Glareanus, & Centronis vel Ceutronis substituit, sed absque veterum codicum auctoritate: creditur id jugum esse cui Romanarum alpium nomen tribuit Messala Corvinus in libello de progenie Augusti: Sed utranque opinionem rejicit Livius, eo quod constet Annibalem ex Alpibus in Taurinos degressum, at ambo alia itinera non in Taurinos, sed ad Lebuos Gallos deduxissent, ubi hodie est Vercellensis episcopatus. Polybius cui merito fides tribuenda est, quoniam & ab his didicit qui rebus gerendis interfuerunt, & ea loca ipse vidit, ob hanc solummodo causam profectus ut Alpes contemplaretur: is igitur scribit, Annibalem ad insulam pervenisse quam faciunt Rhodanus & Araris (qui σκωρας nominatur à Polybio forte liberarii culpa nomine hoc pro ἀραρ posito) ac deducente Regulo ejus loci per Allobrogas die decimo à Rhodano ad Alpes pervenisse, confecto itinere octingentorum stadiorum, seu CM. P. At Alpes Penninæ & Cremonis quæ ad Vercellenses ducunt: non distant à Rhodano supra XXXM. P. Præterea idem refert, & Livius quoque, Annibalem

ad Alpes maritimas pertinent, & pleraque ex his nostra ætate antiquorum nominum vestigia servant: Lollupice tamen seu Pollupice (utroque enim modo legitur) hodie Finale nominant, & Tecolata à S. Maximino nunc nomen habet. Porro Alpis summa non ita accipitur Antonino, uti plæraque summas alpes apud Cæsarem interpretantur, nempe proprium & peculiare nomen jugi ita dicti quod summum sit inter alpes, uti Rhenanus existimasse videtur: sed summum alpis est cacumen ejus montis, per quem iter describit. Sunt autem in omnibus alpibus per quas frequentius iter fit hospitia & xenodochia quædam pro viatoribus extructa, quæ tamen quia ignobilia sunt nullo proprio nomine annotari poterant, ideoque Antoninus Summum alpis pro vertice & mansione in vertice extructa ponit: Sic etiam Summum Pœnini vocat, quo loco nunc est cœnobiolum quoddam in vertice montis majoris qui à D. Bernardo nomen habet.

Non prætereunda mihi est hic Alciati sententia, qui Maritimas & Grajas alpes easdem esse existimat: movit autem illum Ammiani Marcellini auctoritas, qui scribit Herculem Thebanum viam per Alpes has composuisse, atque illis nomen indidisse. Similiter Monœci arcem & portum ad perennem sui memoriam consecrasse. Cæterum ne doctissimo viro assentiamur, movent nos multa veterum testimonia, quibus mox ostendemus longe alia parte Grajas alpes sitas esse. Verisimile quidem est Alpes maritimas primum pervias fuisse, quia etiam maritima loca prius habitata sunt, & hæ minus arduæ & asperæ sunt interioribus Alpium jugis. Verum an Hercules hac transierit incertum est, quoniam alibi quoque Herculei transitus vestigia ostenduntur: Lepontios enim & Euganeos à sociis Herculis ortos tradunt, quos in illis locis reliquerit, ideoque prioribus nomen impositum quod hoc significet. Cum autem plures hujus nominis Heroas fuisse antiqui tradant, quid obstat quo minus credamus non à Thebano, sed ab aliquo alio Hercule, aut ab aliis Græcis nomen Grajæ alpi impositum? Quin etiam Ptolemeus Græas Alpes vocat, quo nomine nescio an usi sint illius temporis scriptores quoties Græcos significare volebant.

De Alpibus Cottiis.

POst Maritimas sequuntur Cottiæ alpes, nominatæ à Cottio rege, qui, ut Marcellinus scribit, perdomitis à Julio Cæsare Galliis, solus in angustiis latens, inviaque locorum asperitate confisus, lenito tandem timore in amicitiam Octavii principis receptus, molibus magnis extruxit ad vicem memorabilis muneris compendiarias & viantibus opportunas, medias inter alias Alpes vetustas. Illo mortuo Nero regnum ejus in provinciam redegit, ut Suetonius, Eutropius, Aurelius Victor testantur. Miror autem cum tot auctores Cottiani regni meminerint, ausos fuisse viros doctos alpes has Gothicas à Gothis nominare: hujus erroris causam illis præbuerunt librarii, quorum aliqui Coctias alii Gothias alpes scripsere. Regni Cottiani urbes fuisse duodecim Plinius refert: hæ non sunt extructæ à Cottio rege, ut Albertus Leander credidit: nam cum Alpes Cottias ab eo extructas scribit Marcellinus, non de oppidis loquitur sed de viis, ideoque vocat compendiarias Alpes & viantibus opportunas. Sitæ autem fuerunt urbes Cottiani regni cis Alpes, & in libello provinciarum inter Italiæ provincias numerantur Alpes Cottiæ: regionem illam hodie Pedemontanam vocant: atque regnum Cottianum obtinet Illustrissimus princeps Philibertus Emanuel dux Sabaudiæ, hujus imperio non tantum Cottianum regnum, sed magna pars Maritimarum alpium, Salassi & tota ferme provincia Grajarum & Penninarum alpium, atque Allobrogum maxima pars subjecta est.

Cottias autem Alpes prope Taurinos sitas esse inter Maritimas & Grajas multis testimoniis ostendi potest. Is scribit Medulos sive Medualos habitare supra confluentes Rhodani & Isaræ ad summa usque juga Alpium qua descenditur in Italiam: ab ea autem parte Taurinos jacere gentem Ligusticam quorum sit ager quem Ideonni & Cottii dicunt: post istos & Padum Salassos esse: supra hos in cacumine Centrones, Caturiges, Veragros, Nantuates & lacum Lemanum per quem Rhodanus fertur, ipsiusque Rhodani fontes. Taurini nostra ætate nomen servant, & Augusta Taurinorum non tantum vetusta nobilitate clara est, sed longe celebrior quod Illustrissimorum principum Sabaudiæ sedes sit, & Academiam habeat in qua viri doctissimi amplissimis salariis à principe donati, omne genus bonarum artium & literarum publice docent. Centrones esse Tarentasios hodie dictos constat. Caturiges nomen vetus aliqua inflexione facta servant: Charges Galli nominant oppidum Caturigum Eburoduno proximum. Supra Rhodani & Isaræ confluentes sunt Gratianopolitani & post illos vallis Moriennæ. Similiter Plinius, Alpium inquit incolæ Octodorenses, & finitimi Centrones, Coctianæ urbes, Caturiges, & Caturigibus orti Vageni, & Ligures qui montani vocantur, Latio donati sunt. Recenset hic Plinius ordine vicinos populos, unde liquido apparet Coctianas urbes inter Centrones qui ad alpes Grajas habitant, & Caturiges, ac Ligures Montanos qui ad Maritimas alpes pertinent, poni.

Cum his consentit Ammianus qui omnium diligentissime alpes Cottianas describit his verbis: In his Alpibus Cottiis, quarum initium à Segusione oppido est, præcelsum erigitur jugum, nulli fere sine discrimine penetrabile. Est enim è Galliis venientibus prona humilitate devexum, pendentium saxorum altrinsecus visu terribile, præsertim verno tempore: quum liquente gelu nivibusque solutis flatu calidiore ventorum, per diruptas utrinque angustias, & lacunas pruinarum congerie latebrosas, descendentes cunctantibus plantis homines & jumenta procidunt & carpenta: idque remedium ad arcendum exitium repertum solum, quod plæraque vehicula vastis funibus illigata: pone cohibente virorum vel boum visu valido, vix gressu reptante paulo tutius devolvuntur. Et hæc (ut diximus) anni verno contingunt. Hyeme vero humus crustata frigoribus & tanquam lævigata, ideoque labilis incessum præcipitantem impellit, & patulæ valles per spatia plana glacie perfidæ vorant nonnunquam transeuntes, ob quæ locorum callidi, eminentes ligneos stylos per cautiora loca defigunt, ut eorum series viatorem ducat innoxium: qui si nivibus operti latuerint, montanis defluentibus rivis eversi, agrestibus præviis difficile pervaduntur. A summitate autem hujus Italici clivi planicies adusque stationem nomine Martis, per septem extenditur millia: & hinc alia celsitudo erectior ægreque superabilis, ad Matronæ porrigitur verticem, cujus vocabulum casus

 fœmi-

fœminæ nobilis dedit. Unde declive quidem iter, sed expeditius adusque castellum Virgantiam patet. Hujus sepulchrum reguli, quem itinera struxisse retulimus, Segusione est mœnibus proximum: manesque ejus ratione gemina religione coluntur: quod justo moderamine rexerat suos: & ascitus in societatem rei Romanæ, quietem genti præstitit sempiternam.

Antoninus Itinerarii Provinciarum scriptor, iter describens à Mediolano Arelatem per alpes Cottias (quæ in quibusdam ejus exemplaribus Pontiæ nominantur) hæc loca inter reliqua commemorat.

A Taurino ad Fines	MPM.	XVI.
Segusione	MPM.	XXIV.
Ad Martis	MPM.	XVI.
Brigantione	MPM.	XIX.
Rama	MPM.	XVIII.
Eburoduno	MPM.	XVII.

Quam Segusionem Antoninus nominat (vel Regusionem ut quædam exemplaria habent) Ptolemæus Segusium vocat, hodie Susa nominatur, ab Augusta Taurinorum stadiis CLX. distans, Brigantionem Galli Brianson vocant. Alpis intermedia per quam transitur, mons Genebræ, aut Genevæ nominatur. Atque ut Jovius scribit compluribus diversisque itineribus, per tot convalles ac varios anfractus occurrentium montium, omnibus in unum Genebræ dorsum pari labore evadendum est.

Unde autem jugum hoc Genebræ nomen acceperit ignoro, Acciaolus in vita Annibalis montem Genuæ vocat, & Annibalem hac transivisse putat. Cum autem Sempronius dicat, omnes Alpium incolas præter Ligures à Thuscis ortos, fieri potest ut nomen hoc sit antiquius quam vulgo creditur, & forte à Tuscis desumptum, ac in fragmentis Catonis Cort Enebra in Hetruria commemoratur.

Neque tamen hoc jugum duntaxat Cottias alpes putamus, sed alia quoque quibus inter maritimas & Grajas alpes in Galliam transitur. A Susa enim per Novalesiam & Ferreram ascenditur mons Dionysii, cujus summum La posta vocant, inde in vallem Moriennam descenditur, Luneburgum, ubi D. Dionysii statua in foro columnæ imposita cernitur, & à Gallis colitur, indeque monti nomen inditum creditur. Quidam Cinisium, alii Cinerum montem vocant. Per hoc jugum quidam scribunt, Carolum Francorum regem cognomento magnum, exercitum duxisse adversus Desiderium Longobardorum regem. Errant autem qui hunc putant esse Vesulum, ut Spiegelius in commentariis in Ligurinum, Vesulus enim antiquum nomen servat: Item qui volunt esse Penninum, quorum sententiam postea confutabimus. Sunt & alia itinera inter montem Genebræ & alpes Maritimas, veluti per vallem Perosæ, item Lusernam vallem, & Angroniam, & collem Crucis, quarum vallium incolæ vulgo Christiani nominantur: credo quia neglecta Romani Pontificis auctoritate, & contemtis monachorum societatibus, se Christo uni & soli in quem baptizati essent addictos dicerent, & ab eo nuncupari vellent. De his quidam multa portentosa memoriæ prodiderunt, atque ipsos impura & libidinosa sacra & promiscuos in his concubitus exercere scripserunt, quæ tamen falsa & conficta esse cum ipsi arguunt, tum etiam omnes qui cum illis commercium exercent, qui viros probos & moderatos esse testantur. Vesulus etiam mons è quo Padus oritur, & ab altera parte paulo altiori jugo Druentius minor, ad alpes Cottianas pertinet, atque vetus nomen adhuc retinet: illic perpetuò specu perfossi montis in Salassos penetrari Jovius scribit, arbitror autem Salassos ab eo nominari Marchionatum Salutiarum, qui alii sunt à veterum Salassis. Scribit autem Jovius, Coctias alpes hodie montem Genebræ nominari, cujus excelsum cacumen duorum amnium fontibus Duriæ atque Isaræ clarum sit: ubi memoria lapsus videtur, nam ambo hi fluvii ex monte Bernardi seu Grajis alpibus oriuntur, sed Druentia & Durias minor in monte Genebræ suos fontes habent. Alciatus Cottias alpes existimat qua è Segusio per Centrones iter: sed si Centrones sunt Tarentasii, à Segusio Centrones non adeuntur nisi longo circuitu. Verum cum dicat easdem esse Julias alpes & Cottias, quod in eas per Tricastinos (quos ipse Tricaspinos vocat) eatur, apparet eum de monte Genebra loqui, nam à Segusio per montem Genebræ itur in Tricastinos, ubi est Augusta Tricastinorum Trieves nunc dicta, Leander Albertus, Coctias alpes interpretatur montem Cinesium, asserit autem Coctias à Grajis alpibus usque ad Bobium pertinere, (Civitas hæc in Apennini jugo sita est inter Placentiam & Genuam) Genuamque complecti. Existimat autem Apennini juga alpibus proxima partem esse Cottiarum alpium. Ego illius opinionem probare non possum, cum videam hac ratione Maritimas alpes Cottiis adnumerari, cum tamen duæ provinciæ fuerint, Alpium maritimarum una, & Cottiarum altera. Aventinus lib. 4. Annalium Bojorum scribit, Cottias alpes nunc D. Bernardi nominari: verum cum duo sint montes hujus nominis, neutri tamen Cottiarum alpium nomen convenit: nam ambo Augustam Prætoriam & Eporediam ex Gallia venientes ducunt, non autem Segusium & Augustam Taurinorum, quod Cottiarum alpium iter est.

De Grajis Alpibus.

Alpes Grajæ Cottias sequuntur, positæ inter Centrones & Salassos. Plinius, Salassorum inquit Augusta Prætoria, juxta geminas Alpium fauces, Grajas atque Pœninas. His Pœnos, Grajis Herculem transisse memorant. Similiter Strabo iter per Alpes apud Salassos in duas vias dividi scribit: quarum una per Penninum ducat per Alpium summitates: altera occidentalior per Centrones plaustro permeabilis. Non nominat hoc loco Grajas alpes, sed cum ex Polybii sententia secundum iter per Taurinos, & tertium per Salassos constituerit, hic ostendit duplex iter esse per Salassos, per Penninum montem, & per Centrones, ubi Plinius Grajas alpes collocat. Antoninus iter per alpes Grajas hoc ordine describit.

Vercellis Eporediam	MPM.	XXXIII.
Vitricium	MPM.	XXI.
Augusta Prætoria	MPM.	XXV.
Arebrigium	MPM.	XXV.
Bergintrum	MPM.	XXIII.
Darantasia	MPM.	XVIII.

Præterea inter Provincias Galliæ numeratur Provincia alpium Grajarum (seu ut quædam exemplaria habent Gratarum) & Penninarum: hujus metropolis dicitur civitas Centronum, hoc est Darentasia: item civitas Vallensium hoc est Octodorum. In eadem Provincia ponitur ab Ammiano Aventicum caput quondam Helvetiorum.

Meminit

Meminit etiam Tacitus alpium Grajarum, his verbis: Et quia præsidio alæ unius latissima pars Italiæ defendi nequibat, præmissis Gallorum, Lusitanorum, Britannorumque cohortibus, & Germanorum vexillis, in alpe Graja ipse paululum cunctatus, num Rhæticis jugis in Noricum flecteret, adversus Petronium urbis procuratorem, Pœnino subsignanum militem itinere & grave legionum agmen, hibernis adhuc nivibus traduxit. Videtur Cecinna de quo hæc scribuntur, in alpe Graja fuisse, & ibi hæsitasse utrum scilicet in Italiam pergeret, an per Rhetiam exercitum in Noricum duceret, ac tandem constituisse in Italiam ire, atque per Pœninas alpes exercitum illuc duxisse: Sed hoc aliquam absurditatem habet, quod positus in Grajis alpibus quarum facilior est transitus retro ad alpes Penninas abierit: ego mendum esse opinor, & punctum post alpem Grajam ponendum: ut hæc sit Taciti sententia, Cecinnam cohortes Gallorum, Lusitanorum, Britannorumque & Germanorum vexilla, in Italiam præmisisse per Grajas alpes, ipsum deinde, postquam visum illi est Noricum hoc tempore omittere, cum legionibus & subsignano milite Pennino itinere subsecutum esse.

Grajis alpibus Julium Cæsarem bello civili exercitum in Italiam duxisse Petronius Arbiter asserit: aliquot illius versus hic ponam ut à Gaudentio Merula referuntur.

Exiit omnis
Quippe moras Cæsar, vindictaque actus amore
Gallica projecit, Civilia sustulit arma.
Alpibus aeriis: ubi Grajo nomine pulsæ
Descendunt rupes, & se patiuntur adiri.
Est locus Herculeis sacer aris, hunc nive dura
Claudit hyems, canoque ad sydera vertice surgit:
Cœlum illinc cecidisse putes, non solis adusti
Mansuescunt radii: non verni temporis aura
Sed glacie concreta rigens, hyemisque pruinis
Totum ferre potest humeris minitantibus orbem.

Existimat autem Merula hæc de Pennino scribi à Petronio, in cujus vertice Herculem Penninum montani coluerint: sed hoc loco à doctissimi viri sententia (cujus diligentiam alioqui admiror, & judicium in plerisque secutus sum) dissentire cogor: Video quidem Livium Pennini Dei meminisse, sed hunc nusquam invenio Herculem Penninum nominari: id si ex probatis auctoribus ostenderit, libenter illi assentiar, Petronium hæc de Pennino scripsisse, ita tamen ut simul hinc conficiatur easdem esse Grajas & Penninas, quandoquidem hic diserte Herculi sacratas Grajas nominat: quod tamen ipse non probat, & veterum sententiæ repugnat.

Ptolemæus in Grajis Alpibus Centrones numerat, & eorum oppida Forum Claudii & Aximam, item Caturgidorum oppidum Eburodunum, & Segusianorum, Segusium & Brigantium. Ac quantum ad Centrones nihil ejus expositio à Plinio & Strabone discrepat. Caturiges autem & Segusianos, Cottianis Alpibus proximos esse supra ostendimus: at Ptolemæus Cottias Alpes (quas Scutias vocat) ponit in Lepontiis, & unicum duntaxat oppidum commemorat Oscelam. Sunt autem Lepontii longe à Cottiis dissiti, & nominum similitudo illi imposuisse videtur, Ocelum enim Cottianum oppidum est supra Segusium, cujus Cæsar meminit, hodie Isilles: Oscela autem Lepontiorum est, ab Oscis denominata, ut Catoni videtur. Quare cum Cottias Alpes fere totas Ptolemæus omittat, & Grajis Alpibus attribuat, quæ Cottianis proximæ sunt, illi in hac re assentiri non possumus. Ab eodem Grææ Alpes ponuntur in Rhetia, ad latus ejus Meridionale: & his proximas facit Pœnas Alpes, sed istæ prorsus aliæ sunt à nostris Alpibus Grajis. Erravit autem quisquis ille fuit, qui in Ptolemæo adnotavit à Tacito harum Alpium mentionem fieri. Nominat quidem Tacitus Grajas Alpes, sed de his loquitur quæ sunt inter Centrones & Salassos. Nam Cecinna, qui militem per Grajas Alpes misit, aut ipse Graja Alpe substitit, cum exercitu Aventicum Helvetiorum ante pervenerat, quod oppidum in provincia Grajarum & Penninarum Alpium Marcellinus numerat: hinc proximum iter est ad Centrones & Veragros, & Grajas atque Penninas Alpes per quas transiit: iter autem per Rhetiam ab hoc diversum longeque remotum est.

Salassi penes quos sunt Grajæ & Penninæ Alpes, nostra ætate nomen habent ab Augusta Prætoria, à qua tota regio vallis Augusta, tam Italis, quam Germanis in sua lingua nuncupatur. Durias fluvius Salassorum vetus nomen retinet: sicut & Barduni ad fauces vallis inter Augustam & Eporediam. Centrones nominantur Tarentasii, à metropoli quæ Tarentasia & Darantasia in Antonini itinerario & libro Provinciarum nominatur: oppidum ipsum vulgo à templo nomen habet, Münster in Tarentäsen nostris dictum, Gallis Motier. Isara fluvius ex Grajis Alpibus per Centrones in Rhodanum fluit. Arebrigium oppidum supra Augustam Salassorum quidam Ereburicum vocant, & veteri Celtica lingua Ererenburg dictum putant, hodie forte Tuile. Bergnitrum vero hodie est cœnobium exiguum in summo vertice Grajarum Alpium, D. Bernardo sacrum, sicut & alterum in Pennino. Ab hoc mons S. Bernardi nominatur, minoris nomine ad differentiam addito: item Jovis columna, ut Jovius perhibet. Grajæ igitur Alpes erunt mons S. Bernardi minor, quod idem affirmant Ægidius Scudus, Joannes Stumpfius, & Leander Albertus. Verum prope hoc jugum, aliæ sunt Alpes, quas Montem Cales & Cinisium majorem nominant, per utrasque ad Centrones itur, à Taurinis recto itinere, juxta Sturam fluvium: de his dubito Grajis ne an Cottiis Alpibus adnumerari debeant.

Paulus Jovius, quem honoris causa nomino, de Grajis Alpibus paulo aliter scribit, verba ejus apponam, & paucis ubi dissentiam indicabo. Has sequuntur S. Bernardi Alpes, quas Cæsar summas appellat, quondam à transitu Græcorum atque Herculis, Grajæ nuncupatæ, quæ ab Eporedia per Augustam Prætoriam atque Octodorum Veragrorum, id hodie S. Mauritii oppidum dicitur, in Centrones Gallos & loca Allobrogum, Lemano lacu proxima, perducunt: superanturque jugis duobus, quorum alterum à dextris sub Ocello vetere oppido, montem Jovis, alterum à leva Jovettum recenti vocabulo appellant. Has rupes ignibus acetoque Hannibalem perfregisse multi opinantur: uti apud Barrum ejus itineris pagum perpetuò tanti ducis gloriæ monumento literæ ipsis cotibus inscriptæ significant: quanquam Livius gravissimus historiarum scriptor, de transitu Annibalis ambigens non Grajis, sed Pœninis eum trajecisse, memoriæ prodat. In hac Jovii descriptione hoc primum desidero, cum duo sint montes Bernardi nomine, major qua Octodurum & inde lacus Lemanus aditur, minor qua per Centrones via Lugdunum ducit, quod hos non distinguit, sed eandem viam facit,

cit, quæ & Octodorum & in Centrones ducit, quæ tamen diversæ sunt, & à Plinio atque Strabone perspicue distinguuntur. Deinde Octodorum non est S. Mauritii oppidum, sed hodie Martinacum nominatur, & ab altero duodecim millibus passuum distat. De Hannibalis transitu supra nostram sententiam exposuimus: neque recte ab eo affirmatur, Livium prodere Pœnis Alpibus Hannibalem trajecisse: refert quidem Livius hanc vulgi opinionem esse, quam tamen ipse refellit. Jovis montem plerique nominant, quem hodie S. Bernardi majoris nominamus, sic Otto Frisingensis, Guntherus in suo Ligurino, multique alii hoc nomine usi sunt: Jovettum nostri Jubet vocant. Video à quibusdam Grajas Alpes prope hunc in tabulis depingi, & montem illum Germanice **sb graum** nominari, ab iisdem tamen, monti Jovis Pennini nomen tribuitur, & aliæ Grajæ Alpes prope Centrones ponuntur: quo autem auctore duas Alpes Grajas faciant, & in horum medio Penninum, ignoro. De Alciati opinione supra nostram sententiam exposuimus, & quam ea cum veterum descriptione conveniat, ex his quæ ex Plinio, Strabone & aliis attulimus, judicium fieri potest.

Postremo Reimundi Marliani sententiam præterire non debeo, qui in descriptione locorum Galliæ ita scribit, Alpes erant, quibus initio Gallici belli Cæsar ex Italia in Galliam quinque legiones traduxit, per fines Centronum, qui hodie Tarentasii nominantur. Hæ Grajæ dicuntur, quibus vulgo mons Cinesius, seu Cinerum nomen est, quæ & Penninæ (ut quidam volunt) dicuntur, quod Hannibal Pœnus his in Italiam penetraverit. Marlianum secuti sunt Joannes Cuspinianus, & Joannes Saxonius in Livianis annotationibus. Cum autem duo sint juga montis Cinesii, equidem si de altiore loquantur, quod Salassis propius est & ad Centrones ducit, ferri utcunque potest eorum opinio, cum hoc jugum videri possit pars quædam Grajarum Alpium: sed si Cinesium minorem intelligunt, qui Italice Strata Romana dicitur, minus probari potest eorum sententia, cum iter hoc recta à Segusio incipiens, potius Cottiis Alpibus adnumerari debeat. In eo autem gravius errat, quod Grajas & Pœnas Alpes confundit, contra veterum Auctoritatem: quem errorem Cuspinianus auget, asserens easdem esse Alpes, Grajas, Penninas, Cottias.

Libet hic subjicere quod de Pompejo scribit Appianus lib. 1. de Bellis civilibus: Per Alpes iter aggressus magno animo, ad æmulationem Annibalis alias fauces aperuit, medio inter Padi Rhodanique fontes spacio, qua uterque amnis modicis jugis origines dispescentibus in diversa cursus concitat. Meminit hujus itineris Pompejus in Epistola ad Senatum, quæ inter fragmenta historiarum Sallustii legitur, his verbis: Hostes in cervicibus jam Italiæ agentes ab Alpibus in Hispaniam summovi: per eas iter aliud atque Hannibal nobis opportunius patefeci. Quodnam vero hoc iter sit locorum peritis conjiciendum relinquo: attamen non incommode nos hæc de Cinesio monte aut aliquo propinquo jugo interpretari posse arbitror: illud enim iter multo opportunius est Penninis Alpibus, per quas Hannibal transivisse creditur: ac hodie propterea quod omnium usitatissimum sit ex Hispania, & Gallia, & Britannia Romam euntibus, Strata Romana ab Italis nominatur.

De Penninis Alpibus.

DEinceps post Grajas de Penninis Alpibus agendum, ambarum enim initium est apud Salassos. Existimant autem plerique veterum Penninas Alpes à transitu Annibalis nomen accepisse & Pœninas dici: idque scribunt Cajus Sempronius, Plinius, Ammianus Marcellinus, Servius. Sed Livius à Pennino Deo, quem in summo ejus vertice sacratum Veragri colant, montem nomen habere mavult. Quidam Penninas dictas putant quasi Pinninas, à celsi cacuminis eminentia quo cæteras Alpes superant: quoniam pinna maxime quid elatum significat. Penninas autem Alpes apud Salassos ostendunt Strabo & Plinius gravissimi auctores: & cum supra Augustam Prætoriam duæ sint viæ per Alpes, huic quæ ad Orientem est & ad Veragros ducit Pennini nomen tribuunt. Hanc breviorem esse altera via quæ per Centrones Lugdunum ducit, Strabo scribit: quod non de longitudine totius itineris ab Augusta Prætoria Lugdunum usque intelligo, sed tantum de via per Alpes. Nam ad Centrones eunti longe adhuc per vallem ascendendum est, antequam ad verticem Grajarum Alpium perveniat, atque juxta Antonini dimensiones Bergintrum, in summa Alpe locus, XLVIII. M. P. ab Augusta Prætoria distat, ad summum autem Pennini iter est vigintiquinque millia passuum. Præterea ubi sit Penninus Livius aperte ostendit, Veragros incolas ejus jugi nominans: ubi autem sint Veragri ex Julio Cæsare non obscurum est. Antoninus in Itinerario viam per Alpes Penninas sic describit.

Eporedia Vitricium	MPM.	XXI.
Augusta Prætoria	MPM.	XXV.
Summo Pennino	MPM.	XXV.
Octodoro	MPM.	XXV.
Tarnade	MPM.	XII.

Penninum montem multi superioris & nostræ ætatis scriptores montem Jovis nominant: vulgo mons S. Bernardi nominatur, non à Clarevallensi abbate, cujus plurima scripta hodie publice extant, sed ab alio quodam Bernardo sacerdote apud Augustam Prætoriam: hic nanque idolum quod in sumo Pennino erat dejecit, ac demonem qui iter hoc infestum reddebat, precibus suis depulit: atque in usum iter facientium cœnobium in summo Pennino extruxit. Vestigium tamen antiqui nominis apud Salassos mansit, vallis enim quæ ab Augusta Prætoria ad Penninum ducit, vallis Pelinna ab ipsis nominatur. Beatus Rhenanus summi judicii & singularis diligentiæ scriptor, in explicandis præsertim Germanorum rebus, Vallesiam Vallem Penninam nominat: sed absque veteris auctoris testimonio: nam inscriptionem Veronensem quæ Penninæ vallis meminit, ipse quoque fatetur huc non pertinere. Fateor tamen hanc à Pennino monte, cui proxima est, ita nominari posse, sed an veteres sic appellarint dubito.

Quæ sit nostra sententia de Penninis Alpibus, paucis exposuimus, quæ tamen non nostra est, sed Ægidii Scudi, quem in plerisque sequimur, item Stumpfii, Leandri, Merulæ. Dissentiunt autem à nobis duo summi viri, Jovius & Alciatus, quorum prior contendit Penninas Alpes esse, quarum altissimum cacumen hodie montem Cinesium appellamus: alter, Alpes Pœnas, inquit, eas esse opinor, per quas ex Druentia flumine recta in Italiam tenditur Brigentionem versus & Fereitam, quæ via nostro quoque tempore est frequens. Quibus paucis respon-

respondeo, si existimant Hannibalem per eas Alpes transivisse, & ideo Pœnas nominandas putant, equidem nolim adversus illos contendere: sed si Penninas Alpes intelligant, quæ hoc nomine plerunque à veteribus nuncupatæ sunt, opponam illis Strabonem, Livium, Plinium, Antoninum Augustum, qui nobis alibi Penninas Alpes ostendunt. Non desunt tamen qui juxta vulgi opinionem afferant, Annibalem per hunc quem nos ostendimus Penninum copias duxisse, itaque Luitprandus Ticinensis scribit, Arnulfum imperatorem ex Italia domum reversum esse per Annibalis viam, quam Bardum dicant & montem Jovis: ac Jovius scribit apud Barrum literas cotibus inscriptas ostendi: monumentum Hannibalis qui hac Alpes trajecerit. Est autem Bardum vicus inter Eporediam & Augustam Salassorum, ubi vallis arctissime coit, & fere clauditur, Germani vocant **im Bart**. Sunt tamen qui Cæsarem monumentum sui itineris rupibus inscripsisse velint. Interea cum gravissimi authores tradant Annibalem in Taurinos ab Alpibus transcendisse, & tamen ejus monumenta alibi etiam ut apud Salassos ostendantur: confirmatur nostra opinio, universum ejus exercitum Alpes non uno jugo superasse: sed in plura agmina divisum pluribus locis trajecisse.

Ptolemæus Pœnas Alpes diversas a Pennino describit, hæ juxta illum Rhetiam ab Italia separant, & positæ sunt inter Rheticas Alpes & Ocram montem, ad fontes Lyci fluminis. Aventinus denominatas ait à Pennone Noricorum rege: ipse Alpes Bojas nominat: ab eodem etiam denominatum Penninum montem, unde oriuntur Athesis & Rhenus, quem vulgo Venusticum nominant. Describit autem Alpes istas his verbis. Vindelicia quam nunc Bojariam nominamus, clauditur ab Austro perpetuis montium jugis, & hoc dorsum à Lyco ad Oenum pertinet. Quod amplius, si anfractus sequeris, centum & viginti millia passuum percurrit. Quod si hisce quincuncem dempseris, reliquum est recti itineris intervallum. Alpes à Ptolemæo Penninæ nuncupantur, sicut celsissimæ undique præruptæ, & abscissæ rupes. Cacumina perpetua nive albicant, longe, late ad quadragesimum & amplius lapidem à peritis discernuntur. Alpium quas Aventinus describit, summa juga à nostris nominantur, **der Arlberg oder Arlbelen**, item Venustus mons, **Vintschgau**, atque inter Lycum & Oenum montes illi longe procurrunt, & vallem efficiunt, quæ **Inthal** à nostris nominatur. Hanc nos arbitramur esse Penninam vallem, quæ regebatur à Prolegato Rhetiæ & Vindeliciæ, ut vetus quædam inscriptio Veronæ in templo Floriani docet.

De Summis Alpibus.

SVmmarum Alpium meminit Cæsar, scribens, Antuates, Veragros, Sedunosque à finibus Allobrogum, & lacu Lemano, & flumine Rhodano ad summas Alpes pertinere. Heinricus Glareanus, qui primus literarum lucem rebus Helveticis attulit, Cæsaris verba hoc modo interpretatur. Cæsar, inquit, hoc loco Sedunorum, Veragrorum atque Antuatum longitudinem exprimere volens, ait, eos à finibus Allobrogum & lacu Lemano & flumine Rhodano ad summas Alpes pertinere, qua descriptione nihil luculentius dici potest. Cæterum ubi potius summas Alpes dixerimus, quam ubi in omnes mundi plagas flumina eximia fluunt, ac originem habent? Sunt autem hac Alpium parte septem hæc, Ticinus qui ad Meridiem, Tosa ac Madia ad eundem, Rhodanus ad Occasum, Arola & Ursa ad Septentrionem, Rhenus ad Ortum duobus fontibus. Glareano assentiuntur Scudius, Stumpfius, Leander. Cacumen harum Alpium hodie mons Gothardi nominatur, cujus rami sunt, Furca ubi Rhodanus oritur, Crispaltus ubi sunt fontes Rheni, & Valdotius qui Athisonem fundit. E contra Rhenanus, Penninas Alpes à Cæsare summas vocari scribit: hoc est, partem illarum hoc nomine donari. Alciatus summas Alpes ait à Cæsare nominari, quæ sunt inter Sedunos & Veragros, ubi & Octodorus est pagus. Idem affirmant Reimundus Marlianus, Jovius, Cuspinianus, & alii plures. Ego quod pace tantorum virorum dixerim arbitror, nomen Summi non hic poni, ut aliquæ Alpes isto quasi proprio titulo discernantur ab reliquis Alpibus, sed esse nomen appellativum, ut Grammatici vocant, & idem esse atque τα ἄκρα των ἀλπιων, quæ paulo post Cæsar vocat culmina: itaque pertingere ad summas Alpes, id est, quod Strabo vocat, μεχρι των ἄκρων ὑπερβολων τε ὀρων. Apud Dionem qui eadem de Veragris refert, scribitur eos usque ad Alpes incolere: hic simpliciter dicuntur juxta Allobrogas ad Alpes incolere, quod Cæsar clarius expressit: Vsque ad Summas Alpes, hoc est, summitates & cacumina Alpium. Quod si Cæsar voluisset horum populorum longitudinem exprimere, non opus erat Rhodani & Lemani lacus meminisse, sed satis fuisset Allobrogum mentionem facere: cum autem à lacu & Rhodano ad Alpes summas ipsos pertinere dicat, & longitudinem non hinc metiamur, apparet eum non de ea loqui, alioqui tot terminis constitutis rem de industria obscurasset Cæsar.

Argumentum autem quo probant ex fluminum decursu has alpes summas esse, infirmum plane est. Primum enim cum summi nomen respectu alicujus rei minus altæ dicatur, hic non ad alias alpes refertur, neque enim Cæsar huc spectavit, ut ostenderet, quænam alpes omnium altissimæ essent, sed alpes summæ ab eo dicuntur respectu vallium. Seduni enim & Veragri atque Antuates campos & imas valles circa Lemanum & Rhodanum habitabant, & ab his loca proxima usque ad culmina alpium. Quare etiam si sint summæ, non tamen necesse est, ut Cæsaris verba de his interpretemur. Deinde non protinus illi montes sunt altissimi ex quibus magna flumina oriuntur, & in diversas orbis partes defluunt: nam ex Pinifero monte quatuor flumina ad quatuor mundi cardines fluunt, Egra, Mœnus, Nabus, & Sala: è Rhetorum etiam monte qui ab aquila nomen habet **Arlberg**, quatuor flumina defluunt. Rursus Danubius primi nominis Europæ fluvius in plano loco, aut saltem non alto monte oritur: ut jam præteream Moscorum & Tartarorum flumina, quorum multa in latis campis fontes suos habent. Ac veterum aliqui crediderunt Vesulum inter alpes excelsissimum esse. Et adhuc inter se certant Rheti, Helvetii & Vallesiani, penes quos sint altissimæ Alpes: est igitur hæc res dubia & incerti judicii, ut vix credendum sit, Cæsarem de ea pronuntiare vel ipsum voluisse, vel ex vulgi sententia definire quæ sint summæ alpes.

Veruntamen si aliqua certa pars alpium hoc nomine Cæsaris sententia ab aliis alpibus separatur, non possum eorum opinionem improbare, qui existimans,

existimant, Cæsarem loquutum de Alpibus Sedunorum & Veragrorum, per quas iter patefieri volebat: idque ex verbis ejus videtur quodammodo confici posse. Primum enim inquit, has gentes ad Alpes summas pertinere & quasi pertingere: & ad has à se missum esse Servium Galbam, propterea quod iter per Alpes patefieri volebat: haud dubie per illas Alpes ad quas pertingebant, & quæ his proximæ erant. Si enim summæ Alpes sunt mons Gothardi, & iter per alias Alpes prope Veragros Cæsar patefieri volebat, debebat vel verbulo aliquam illarum quoque Alpium mentionem facere. Porro Alpes Sedunorum & Veragrorum à Marliano in duas partes dividuntur, in montem Bernardi & montem Brigam: trajiciuntur autem non tantum duobus locis, sed multis aliis, ut in Vallesiæ descriptione annotavimus: recte tamen in duas partes dividi videntur: omnia enim itinera, quibus per has Alpes itur in Italiam, vel ducunt ad Salassos, inter quæ frequentissimum est iter per montem S. Bernardi sive Penninum: vel ducunt ad valles Lepontiorum Cisalpinorum, quibus ad Lebuos descenditur. Etenim Cisalpina loca ita à quibusdam dividuntur, ut Salassi ab ortu Duriæ pertineant ad Sessitem fluvium, reliqua montium juga & valles, à Sessite usque ad Rhætos & initium Verbani lacus sint Lepontiorum. Inter montes vero Sedunorum, quo loco Grajas Alpes à quibusdam poni diximus, per juga montis Sylvii, quem nostri Gletscher vocant, duo sunt itinera, unum ad Salassos, alterum in vallem Sessitis fluvii ad Varallum oppidum ducit, à quo deinde Novariam descenditur: hujus itineris Jovius meminit & Merula, atque hic quidem a Sesithe incipere ait Alpes summas, quarum finis sit ad Verbanum.

Alterum iter celebrius est quo à Briga vico Vallesianorum, per juga montis Sempronii Domussulam itur: hunc montem Brigam à proximo vico Marlianus nominat: à Vallesianis Simpeler, ab Italis Sempiano vel Sempronio vocatur, Latine Sempronii, aut ut alii malunt Scipionis mons dicitur. Per hunc igitur montem juxta fontes Doveriæ amnis qui ad Crevolam in Athisonem evolvitur, descenditur in Vechiam, hoc est, Veterem vallem, & hinc in Oscelam vallem & urbem ejusdem nominis pervenitur, quam hodie vocant Domussulam vel Domodoscellam à templo & Collegio Canonicorum, quod Itali Domum, Germani Thum vocant, cognomine accepto. Meminit hujus itineris Jovius: Patent, inquit, eædem Alpes supra Verbanum lacum ad Domussulam oppidum, quod ipsis in faucibus & perfluentis Ogoniæ ripis ædificatum, Ludovicus Sfortia patrum nostrorum memoria, & cæde Sedunorum & maximis operibus nobilitavit. Adeunturque eo itinere Vallesii, atque Seduni, qui sedes inter Helvetios & Allobroges tenent. Porro Domussulam, Blondus, Machaneus, Tscudus & Leander Oscellam esse volunt, quam Ptolemæus in Alpibus Cotiis (quæ Scutiæ ab ipso nominantur) juxta Lepontios nominat Auctores Oscellæ Cato tradit Oscos, unde quoque nomen ortum sit.

Nonnulli (ut Leander refert) tradunt Julium Cæsarem hac in Helvetios profectum, celsi montis supra Crevolam jugo cæso, qua sarcinarium duci jumentum posset, ejusque rei memoriam ipsis cotibus inscripsisse, nec jam literas ob antiquitatem apparere, quanquam signa quædam & vestigia pauca maneant. Sed horum sententiæ ipsa Cæsaris verba repugnare videntur, Ipse (inquit) in Italiam magnis itineribus contendit: duasque ibi legiones conscribit: & tres quæ circum Aquileiam hyemabant, ex hybernis educit, & qua proximum erat iter per Alpes in ulteriorem Galliam cum his quinque legionibus ire contendit: ibi Centrones & Garocelli & Caturiges, locis superioribus occupatis, itinere exercitum prohibere conantur. Compluribus his prœliis pulsis, ab Ocello quod est citerioris provinciæ extremum, in fines Vocontiorum ulterioris provinciæ die septimo pervenit: inde in Allobrogum fines, ab Allobrogibus in Sebusianos exercitum ducit, hi sunt extra provinciam trans Rhodanum primi. Si Cæsar per alpes Sedunorum exercitum duxisset, iter ejus Centrones & Garocelli ac Caturiges, qui in Gallia circa Alpes Bernardi minoris, Dionysii & Genebræ habitant, prohibere non potuissent, sed Seduni & Veragri & Antuates. Deinde superatis his Alpibus non pervenisset in fines Vocontiorum, sed quemadmodum postea fecit Galba, ex Veragris in Antuates & deinde in Allobrogas exercitum duxisset: Vocontii enim longe ab hoc itinere absunt ad Sulgam fluvium, & juxta hos ad Druentiam Caturiges, quorum caput Eburodunum, ad hos per Taurinos ex Italia itur Segusionem primum, & inde per Alpes Cottias Brigantionem. Ocellum vero citerioris provinciæ, non est Oscella ad Tosam seu Athisonem fluvium, sed longe aliud oppidum prope Alpes Cottias, non longe à Segusione in radicibus Alpium Cottiarum quod Itali Itiles, Galli Essiles hodie vocant. Itaque similitudo nominis (ut supra diximus) Ptolemæo imposuisse videtur, qui Oscelam vocat oppidum Lepontiorum in Cottiis Alpibus: nam si Lepontiorum est, non est in Alpibus Cottiis, cum ab his Lepontii plurimum distent.

De Lepontiis Alpibus.

Lepontiorum ex veteribus meminere Cæsar, Strabo, Plinius, Ptolemæus. Ex his Strabo eos Rhætis attribuit, ideoque videtur nullam eorum peculiarem mentionem fecisse in commemorandis itinerineribus alpinis. Cæsar Rhenum oriri scribit ex Lepontiis qui Alpes incolunt: Plinius Lepontiorum qui Viberi vocantur, fontem Rhodani accolere tradit. Quare non est dubium omnes Alpes à fonte Rheni ad Rhodani usque fontem, Lepontiorum esse. Atque in his locis manet adhuc vestigium antiqui nominis, vallis enim per quam Ticinus delabitur Levantina ab Italis, quasi dicas Lepontina, nominatur, nostri vocant Liviner. Mons altissimus per quem ab Uraniis Helvetiis in Italiam trajicitur, Gothardi mons nostra ætate nominatur. Atque has esse Lepontias alpes doctissimi nostræ ætatis scriptores consentiunt. Jovius has minores Lepontias vocat, ad differentiam Alpium quibus à Lario lacu per Clavennam Curiam Rhetorum itur, quas Lepontias majores nominat. Minores, inquit, Lepontiæ sunt, quibus à Bellizona, quæ oppidum Villitionis, ut quibusdam videtur antiquitus fuit, per Ticini amnis vallem Torsanum primum Helvetiorum oppidum aditur: æquitate viarum ac montium cæteris Alpibus leniores, nisi æditissimum divi Gothardi jugum, & profundissima vallis, quam cum tremulo ponte infernam vocant, uno tantum vel altero in loco maximam cum summo timore transeuntibus difficultatem præberent. Torsanum Jovius nominat præcipuum Vraniorum vicum, quem ipsi Altorfum vocant.

Loca

Loca vero maxime periculosa quorum meminit, duo sunt. Primum enim ab ea parte quæ Italiam spectat, supra pagum Ayrolum quem Oriels Germani vocant, in medio fere montis ascensu pons est quem Tremulum hic vocat, is Ticinum jungit: atque hyeme sæpe accidit, ut Ticino glacie & nivibus tecto, per glaciem quasi pontem homines transeant, quando vel pontem glacie tectum ignorant, vel compendia viarum sectantur: accidit autem aliquando ut glacie non amplius firma multi periclitentur, & tam homines quam jumenta in Ticino submergantur. Vbi vero supra pontem ascenderis, ibi nullæ amplius sylvæ occurrunt, sed præruptæ rupes, & acclivia montis Latera nivibus tecta, vallis per quam ascenditur angusta admodum est: atque hoc loco quando nives mollescere & decidere solent, periculosum est iter facere: sæpe enim conglomeratæ nives è summis montibus decidunt, atque transeuntes opprimunt. Ac levi occasione nives tum commoventur, ita ut altior vox & clamor prætereuntium, eas repercussione sua movere dicatur. Videtur itaque hic Ticini pons tremulus dictus non quia ipse tremat, sed quod montem ascendentes ubi huc pervenerint, tremere & sibi metuere incipiant: itaque viso præsenti periculo, & ipso quoque montis præcipitis & horridi aspectu perculsi, taciti & trementes quam citissime fieri potest locum hunc prætereunt. Nives etiam primum tremere deinde labi videntur: & accumulatæ tanto impetu ruunt, ut mons totus tremat & concutiatur. Deinde ab altera montis parte alter locus periculi plenus occurrit, quem vallem infernam vocat, is est supra Sillinium pagum Vraniorum, juxta Vrsam fluvium, & prope Vrsarium vicum, quo loco pons est quem Satanæ aut inferni pontem nominant. Ascenditur huc à dextera fluvii, via adeo angusta ut nonnullis locis petram excindere oportuerit, quo satis spatii transeuntibus relinqueretur: altera parte mons in altum præceps abit. Vrsa autem fluvius vehementi sonitu per saxa devolvitur, ac supra pontem de altissima petra decidens, vicina loca late aspergit, & suis undis quodammodo compluit: cum vero via angusta & præceps sit qua ad pontem descenditur, iter alioqui difficile longe periculosius redditur hyeme quando omnia glacie lubrica sunt, ita ut sæpe illac transeuntes, cum pedes firmare & nusquam tuto consistere possint, vestibus suis, aut aliis rebus insidentes, instar puerorum paulatim se demittant.

Alciatus, Lepontias alpes inquit in Suitensibus esse, qua Claronam ex Bilitionis castro recta tendimus: Errat autem in nomine Claronæ, nam recta Vraniam ducunt, inde per alios montes Claronam tenditur: sed illud iter mercatoribus non est usitatum, verum ab Vrania merces lacu deportantur Lucernam claram Helvetiorum urbem, & inde per Vrsam fluvium in Rhenum devehuntur. Illorum opinionem qui Lepontias alpes sive Gothardi, summas à Cæsare nominari volunt, supra exposuimus. Cæterum si Lepontiorum sunt omnes Cisalpinæ valles à Sessite fluvio ad initium Verbani lacus, & usque ad Adulam montem, quo loco Misaucorum vallis est, haud dubie etiam alpium juga & latera, altera saltem ex parte Lepontiorum erunt. Quare Sempronius mons, & Furca, & omnia intermedia horum juga, non minus Lepontiorum quàm Vallesianorum alpes dici poterunt, cum ad utrosque ex æquo diversis tamen lateribus pertineant. Quapropter si ad has alpes respiciamus, non negandum erit etiam Lepontias alpes à Cæsare summas nominari.

Est etiam aliud iter per Lepontios, à Bellinzona per vallem Pleniam & Lucumonis montem, quem quidam Barnabæ vocant, ad Rhetos, & caput eorum Curiam. Montis Lucumonis pars occidua ad Lepontios pertinet, altera ad Rhetos: illic ex summo jugo Lepontiorum, quod Cadelinum vocant, fluvius Froda nomine ad Lucumonis montem defluit, ac mox mutato nomine Rhenus medius vocatur, fluvius hic vicum Rhetorum Medullinum (mædels) præterfluit, & prope cœnobium Disertinum Rhenum anteriorem à dextera ingreditur. Rhenus autem anterior oritur in monte Crispalto, qui Gotthardum montem & Vrsarios Lepontios attingit, ac per Ætuatios primum fluit, ubi vicus Tavetsch vetus nomen paululum inflexum servat. Tertius fons Rheni à Rhætis ostenditur in monte quem Culmen de Olcello Rhæti nominant, alii S. Bernardini montem, qui Rhætos à Misaucis dividit. Cæterum montes isti in quibus fontes Rheni ostenduntur sunt fere continui: & uno nomine Adulæ seu Adyæ montis à veteribus comprehenduntur. Cum igitur Cæsar & Ammianus scribunt Rhenum apud Lepontios oriri, Tacitus vero in alpibus Rhæticis: Strabo & Ptolemæus in Adula monte: nequaquam existimandum est eos inter se pugnare: nam primum Lepontii Rhætorum nomine continentur: deinde Adulæ montis juga, ex quibus Rhenus oritur, ad Rhætos pariter atque Lepontios pertinent. Etenim non est dubium Vrsarios, Levantinæ & Benniæ vallis (quam Palensam nostri vocant) incolas, Lepontios esse, ad quos Crispaltus & Lucumonis mons altera parte pertinent. Misauci vero ad Montem Bernhardini habitantes, Rheti hodie sunt, sed si Lepontiorum limes fuit initium Verbani lacus, extremi Lepontiorum erunt. Attamen Rheti qui fontes ipsos incolunt & Rhinwalder, vulgo vocantur, à Lepontiis non Rhetis orti videntur, nam Germanica lingua utuntur, qua Lepontii veteres qui Taurisci fuerunt, usi sunt, & quam hodie Vrsarii & Viberi Lepontii retinent: Rhetis autem alia & peculiaris lingua in usu est. Postremo medius Rheni fons in jugo Alpis ostenditur, quæ tota Lepontiorum est.

De Rhæticis Alpibus.

Strabo ex Polybii auctoritate quartam viam per Alpes Rhætis tribuit, de qua nobis deinceps agendum est. Etsi enim plures vias, & Alpium partes hactenus enumeraverimus, commode tamen omnes ad quatuor has partes à Strabone propositas referri possunt. Primum enim de Maritimis alpibus inter nos convenit: alterum postea iter per Taurinos statuit, qua nos Cottianas alpes patere diximus: tertium illi est per Salassos, id Grajas & Penninas alpes complectitur. Omnes autem Vallesianorum Alpes, partim ad Penninas, partim ad Lepontias pertinent. Quartum iter est per Rhætos, sed hoc etiam Lepontiarum alpium itinere Strabonem comprehendere mihi non est dubium, cum Lepontios ad Rhætos pertinere dicat. Nos autem perspicuitatis causa hæc particulatim & distinctius explicare singula voluimus, & cum alioqui Rheticæ alpes late pateant, maluimus separatim de his & Lepontiis agere.

Eundem

Eundem igitur Strabonem si sequamur ad Rhetiam pertinent Alpes à Como Veronam usque: Rheti enim inquit, ad Italiam spectant supra Comum & Veronam. Plurima sunt juga harum Alpium, & varia illarum nomina, diversa quoque itinera: nos tantum celebriora commemorabimus, quae ex Italia in Helvetiam vel Germaniam tendunt. Adulas mons primus est inter Rheticas alpes ab occasu, Strabo ex hoc monte Rhenum oriri scribit, & ex diverso Abduam, qui in Larium influat: verum multorum judicio aberrare videtur: nam à fontibus Rheni ad Abduae fontes, multi montes sunt, neque rectis jugis continuati, ut uno nomine censeri debeant: ac anterior Rheni fons ab origine Abduae circiter quatridui itinere distat: ex adversa Rheni posterioris parte (qui locus prae aliis fontibus Rheni Abduae propior est) non Abdua sed Muesa & Lyra oriuntur, quorum hic Mairam influit, alter Ticinum qui in Verbanum se exonerat. Attamen si quis tam longe Adulae nomen cum Strabone extendere maluerit, per me licebit, nos interim in explicatione itinerum nomina usitata retinebimus, quibus celebriora juga hodie nuncupantur, quarum pleraque Latinae originis, seu veteris Thuscorum linguae vestigia aliqua servare videntur.

Primum igitur iter est, quod à Lario lacu per Clavennam munitissimum oppidum Curiam Rhetorum perducit: idque duobus tramitibus, ut Jovius etiam testatur, Septa scilicet & Speluga, ubi columna Julii Caesaris ostenditur. Vtrunque iter Antoninus in Itinerario describit. Prius quidem per Septam montem sic.

Curia Tinnetionem	MPM.	XX.
Murum	MPM.	XV.
Summum laci	MPM.	XX.
Comum	MPM.	XXXV.

Tinnetio vetus nomen retinet, Rheti enim Tinnezono vocant, Germani Tintzen, vicus est à Curia tribus milliaribus Germanicis distans, ab eo itur ad alium vicum quem Germani Stallam vocant, Rheti Bevio, quod illic via per Alpes in duas partes dividatur, una per Septam, aut Septimum montem Clavennam ad Larium: altera ad Engadinos tendit per Julium montem, ubi columna Julii Caesaris ostenditur. Murum vero vicus est Praegaliae vallis, per quam à Septimo ad Larium descenditur, prope quem ruinae apparent arcis à qua nobilis & clara Castromurorum familia nomen habet. A Muro initium Larii, quod summum laci vocat Antoninus, distat 20. milliaribus: ut idem recte scribit: sed longe major est distantia Muri à Tinnetione quam quae ab ipso ponitur, etenim iter hoc per septimum montem Murum usque dicitur esse XXVIII. M. Passuum.

Alterum vero iter per Spelugam montem hoc modo Antoniuus exponit.

Curia Tarvesede	MPM.	LX.
Clavena	MPM.	XV.
Ad lacum	MPM.	X.
Per lacum Comum	MPM.	XXXV.

An adhuc extet Tarvesede vicus dubitamus: sed in hoc itinere celebris vicus est Sepulga a quo mons nomen accepit, distat autem à Curia Rhetorum MPM. XXXVI. à Clavena autem MPM. XXVII. Si igitur Speluga est Tarvesede veterum, ut quibusdam videtur, quoniam non alius opportunior vicus hac iter facientibus occurrit, tum vel in dimensione Antoninus aberravit, vel numeri vitiati sunt, quod saepe in hoc auctore contigit. Montem Spelugam Rheti vocant Colmen del Orso, Germani den Ursch-ler und den Splüger Berg. Huic proximus est Adulas mons, quem Rheti Colmen de Olcello, Germani den Vogel, & S. Bernardini montem vocant, per quem à Rhetis Bellizonam itur.

Secundum iter per Alpes Rheticas, à Lario lacu per Volturenam vallem supra Abduae fontes per Rhetica juga in Germaniam deducit. Has Alpes Alciatus describit his verbis: Sunt Rheticae alpes quibus in Rhetos vadimus, quos vulgo Chrisones vocant, incipiunt ab Adya monte (Straboni corrupte legitur nunc Adulae nunc Aduella) id est, inaccesso, vernacula simplicitas montem Bralium nuncupat, in Voltarena, seu ut imperiti in valle Telina, & in Venetiam protenduntur donec Ocrae subeant. Jovius vero, his inquit aliae Rheticae succedunt, quae ab Lario lacu per Volturenam vallem supra Abduae fontes & Burmias aquas, celsissimum Aduae montis culmen habent, quod hodie Mongrajum vocant. Subjiciuntur adverso statim dorso ab Germaniae parte Sancti Petri vicus, & à dextris Maranum atque Bolzanum, oppida nundinarum conventu nobilia. Culmen Aduae seu Adulae montis, cujus hic fit mentio (quidam tamen, ut diximus, negant Aduae partem esse) Germani vocant das Wurmser joch, Burmiana juga, nam in summa valle ad montem jacet Bormium opulentum ac populosum castrum, & prope hoc aquae calidae sunt, & supra illas fons Abduae. Itali Montem Braulium nuncupant Monbraio, vel ut Jovius mavult Mongraio. Alii juga Rhetica vocarunt. Sunt autem alpes istae non tam altae & horridae, atque reliqui Rhetorum & Lepontiorum montes. Sancti Petri vicus à Germanis Veldkirch appellatur, quidam Velcuriam nominant, subjicitur quidem his alpibus à Germaniae parte, sed breviori & rectiori itinere à Lario lacu illuc itur per Curiam Rhetorum. Maranum etiam & Bolzanum oppida, non sunt in eo itinere, quo à Burmianis jugis Oenipontem itur, sed in altero quod à Tridento illuc tendit. Per haec loca creditur Stilico exercitum duxisse, quod ejus iter Claudianus sic describit:

Protinus umbrosa vestit qua littus oliva
Larius, & dulci mentitur Nerea fluctu,
Parva puppe lacum praetervolat ocyus, inde
Scandit inaccessos brumali sydere montes,
Nil hyemis, caelive memor.

Ac paulo post.

Sed latus Hesperiae qua Rhetia jungitur ora,
Praeruptis ferit astra jugis, panditque tremendam
Vix aestate viam, multi ceu Gorgone visa
Obriguere gelu, multos hausere profundae
Vasta mole nives, cumque ipsis saepe juvencis
Naufraga candenti merguntur plaustra baratro.
Interdum subitam glacie labente ruinam
Mons dedit, & tepidis fundamina subruit astris,
Pendenti malefida solo. Per talia tendit
Frigoribus mediis Stilico loca.

Cum enim duo sint itinera à Lario lacu, & iter per Curiam non ducat ad Norica rura, quo suum Stiliconem poeta per Alpes deducit, haec de illo non videntur intelligenda. At in Panegyrico in IV. Con-

Consulatum Honorii ducit eum ad Rhenum, quod priori itineri melius convenit.

Tertium iter Alpium Rheticarum ducit per Tridentum, de quo sic Jovius: Secundum eas, inquit, sunt Rheticæ, quibus à Tridento per montis Cremeris clementia juga, in Vindeliciam, & ad loca ad Ænum amnem Hispurcho oppido proxima penetratur. Scio à quibusdam separatim numerari Tridentinas Alpes, malui tamen hic Jovium sequi, qui ex Strabonis & Plinii auctoritate Tridentinos Rhetis attribuit. Oeniponte duo hæc Alpina itinera conveniunt, atque ibi duabus viis in Germaniam itur. Nam secundo flumine Æno in Noricum, quæ hodie est Bavaria, descenditur: ad lævam per medias Alpes iter ad Vindelicos, quo loco ad exitum Alpium arx est Erebergum, editissimo loco posita, & Fiessa oppidum, quod à faucibus Alpium nomen habet. Iter hoc per Tridentinas alpes ab Augusta Vindelicorum Veronam usque sic ab Antonino describitur.

Abuzaco	MPM.	XXXVI.
Parthano	MPM.	XXX.
Veldidana	MPM.	XXX.
Vipiteno	MPM.	XXXVI.
Sublavione	MPM.	XXXII.
Endide	MPM.	XXIV.
Tridento	MPM.	XXIV.
Ad Palatium	MPM.	XXIV.
Verona	MPM.	XXXVI.

Abuzacum conjectura est esse Fiessam: Parthanum vocatur Partenkirch ad Loysam fluvium, Veldidena Wilten prope Oenipontem quod oppidum Jovius Hispurchum Germani Inßprugg nominant. Vipitenum am Sig, vicus ad Brennum montem den Brenner, quem quidam Pyreneum vocant: Sublavio Brixen episcopi Brixentinorum sedes.

In hoc itinere super Veronam sunt quædam angustiæ & clusuriæ quas Fridericus I. Cæsar magno labore expugnavit: Otho Frisingensis illas describit: & Guntherus 4. lib. sui Ligurini his versibus easdem non adeo ineleganter depingit.

Ventum erat ad fauces, angustaque claustra viarum,
Quæ se nubiferis horrendæ rupibus alpes
Exiguo tantum penetrandas limite præbent,
Unusque capax scopuloso semita calle,
Arcta laboranti pandit vestigia turbæ.
Hinc fractis prærupta jugis, tenebrosa vorago
Pandit inane chaos, barathrique simillimus horror
Exanimes fecisse potest. Athesisque fragosis
Sub pedibus rauco certantem murmure saxis
Accipit attonita, quam non videt, aure viator.
Hinc se nubifero super æthera vertice rupes
Tollit, & ingenti late loca protegit umbra.
Æque supercilio scopulosi verticis unus
Conatu facili, lapsuraque saxa movendo
Mille potest arcere viros, aditusque viarum
Claudere, vel missis ibi cautos perdere saxis.

Præter itinera à me exposita, plures adhuc viæ sunt, quibus Rheticæ alpes superantur, sed hæc præcipua itinera sunt, & si qua sunt alia, diversis tramitibus ad eadem loca Curiam, aut Tridentum, aut Oenipontem ducunt, & ita cum aliis conjunguntur. Sunt etiam itinera multa, quibus per medias alpes Rhetiæ in Noricum itur: & de hujusmodi itinere Tacitus loquitur, cum Cecinnam inducit deliberantem, num per Rhetica juga in Noricum exercitum ducat: neque enim hic probare possum illorum opinionem, qui per Rhetica juga apud Tacitum Braulium montem, seu Bormiana juga intelligunt: erat Cecinna, de quo Tacitus loquitur, cum exercitu in Helvetia, ut igitur in Noricum, copias duceret, alpes quidem aliquæ superandæ erant, non tamen ad fontes Abduæ veniendum & ad ipsos Italiæ fontes.

De Alpibus Juliis & Carnicis.

Alpes Julias triplices invenio. Nam primus omnium Livius Julias alpes prope Taurinos ponit, de Gallis enim scribit: (si modo locus non est mendosus) Ipsi per Taurinos saltus, Juliasque alpes transcenderunt. Alciatus existimat Cottias alpes à Livio Julias appellari, in eas enim per Tricastinos iri, Bellovesum autem per Tricastinos in Julias alpes venisse. Idem asserit Sabellicus, & anxie disputat, num per Julias alpes apud Tricastinos & Taurinos Galli in Italiam venerint, an verò per Venetorum alpes quæ etiam Juliæ nominantur: ita ut Norici hoc loco Taurini nuncupati fuerint à Livio, propterea quod Tauriscæ originis fuerunt: Verum cum Livius Gallos per Tricastinos venisse scribat, qui sunt Galliæ populi supra Isaram fluvium, quorum civitas maxima Augusta Tricastinorum, hodie Trieves vocatur, & præterea per Taurinos ad Ticinum fluvium, non licet alios Taurinos hic intelligere quam Cisalpinos Gallos, ubi hodie Augusta Taurinorum nomen vetus totius gentis retinet. Merula hic distinguit inter Julias alpes, & Juliæ alpis saltum: idque ex impressorum codicum auctoritate, in quibus legitur, Per Taurinos, saltusque Juliæ alpis transcenderunt: atque saltum Juliæ alpis incipere ait à Tricastinis, & in Tricorios descendere ac viatorem sistere in Cottiis. Huic doctissimi viri sententiæ libenter assentiremur, si alicujus veteris auctoris testimonio ab ipso comprobaretur. Sed cum Livius primum in Tricastinos Bellovesum venisse scribat, deinde ad Alpes, quas per Taurinos saltus transcenderit, non videntur mihi ex Livii sententia saltus Julii nescio qui in Tricastinis poni posse. Malo igitur cum Rhenano, Glareano, Sigonio viris doctissimis, pro Juliis alpibus, invias alpes apud Livium legere: Juliæ enim alpes per ea tempora non fuerunt: quod si multis post seculis nomen hoc acceperunt, mirum est à nullo usquam auctore ejus mentionem fieri.

Aliæ deinde sunt alpes Juliæ in Rhetia, juxta Septimum montem, admodum excelsæ & præruptæ ut hyeme fere sint impermeabiles: ex his Ænus fluvius oritur. Atque totus montium tractus à Septimo usque ad Braulium montem, quorundam judicio ad Julias alpes pertinet, & harum apud Tacitum mentionem fieri existimant: is enim libro 19. scribit à Vespasiani ducibus Veronam & Vicentiam possessas, & interceptum exercitum per Rhetiam Juliasque alpes, ac ne pervium illac Germanicis exercitibus foret, obseptum. Sed pace aliorum, videtur Tacitus non de Julio monte Rhetorum loqui, sed de Juliis alpibus apud Venetos: distinguit enim Rhetiam & Julias alpes.

Tertiæ igitur alpes Juliæ, & quibus proprie hoc nomen conveniat, sunt apud Venetos, atque de his Tacitum loqui Alciatus rectè asserit, Meminit etiam harum Ammianus lib. 31. qui Venetas ab antiquis dictas ait. Meminere quoque harum D. Hieronymus & Sextus Rufus, qui scribit sub Julio & Octaviano Cæsaribus per alpes Julias iter factum esse. Positæ sunt hæ alpes inter Carnicas & Tridentinas, atque ut Jovius scribit, à Tarvisio juxta Anaxum

xum flumen, per Bellunum ac Feltrium in Noricum Austriamque perducunt. In Antonini Itinerario ponitur iter ab Opitergio Tridentum, quod per Alpes Julias (ni me judicium fallit) transit, id tale est:

Ab Opitergio Cepasias	MPM. XXVIII.
Feltra	MPM. XXVIII.
Ausugum	MPM. XXX.
Tridentum	MPM. XXIV.

Nomen autem his Alpibus videtur impositum à Julio Cæsare, nam ut Rufus scribit Julio & Octaviano Impp. per has Alpes iter factum est. Deinde ut Sabellicus refert, non procul à Julio Carnico mons arduus & ascensu difficilis est, eum crucis vocant, ubi medio ferme ascensu prærupta rupes occurrit, cum calle angustissimo militari opere illius jussu munito, ut ex vetustissimo Epigrammate præcipiti saxo sculpto, sed magna ex parte ob vetustatem abolito, datur intelligi: ejus principium hujusmodi est C. JVLIVS CÆSAR: reliqua tum loci asperitate, tum vetustate legi nequeunt. Existimat autem Sabellicus, Cæsarem quinque legiones initio belli Gallici per has alpes in ulteriorem Galliam duxisse, eas enim proximas Aquileiæ esse circa quam tres legiones hyemabant. Sed errat: nam hoc itinere in Noricos pervenitur qui longe à Galliis absunt: Cæsar autem exercitum duxit, qua proximum erat iter in ulteriorem Galliam, non qua ad alpes iter proximum erat, uti Cæsaris verba Sabellicus interpretatur. Adhæc tota itineris ratio à Cæsare exposita, de qua supra scripsimus, sententiam Sabellici redarguit.

Carnicæ alpes Italiæ simul & Alpium finis sunt, aut potius initium, si quis ab ortu & Arsia flumine eas incipere maluerit, ut Jovius fecit. Sunt autem alpes Carnicæ cæteris minus arduæ, & quæ facile superari possint. Etenim ut Strabo perhibet ab Aquilea per Ocram montem qui Carnicarum alpium pars est, Pamportum onera plaustris devehuntur, non ultra CCCC. stadiorum seu LM. passuum itinere. Itinera aliquot per Alpes has Antoninus describit, quæ ab Aquileia ad diversas urbes Norici ducunt, quæ ex illo peti possunt.

Porro tam Juliæ quam Carnicæ alpes etiam Noricæ nominantur, nam ab altera parte Alpium Noricum est. Antiqui tamen omnes fere Alpes ab his populis qui versus Italiam illas incolunt denominarunt. Dividuntur autem his Alpibus Illyrici provinciæ ab Italia, idque D. Hieronymus videtur observasse in Epitaphio Nepotiani. Horret, inquit, animus temporum nostrorum ruinas prosequi. Viginti & eo amplius anni sunt, quod inter Constantinopolim, & alpes Julias, quotidie Romanus sanguis effunditur. Scythiam, Thraciam, Macedoniam, Dardaniam, Daciam, Thessalonicam, Achaiam, Epiros, Dalmaciam, cunctasque Pannonias, Gothus, Sarmata, Quadus, Alanus, Hunni, Wandali, Marcomanni vastant, trahunt, rapiunt. Provinciæ omnes quæ ab eo nominantur ad Illyricum & Thraciam pertinent. Quare non debuit mirum videri Merulæ non adjecisse ipsum Cisalpinam Galliam, quam Marcomanni vastarunt: hæc enim non continetur inter hos limites, intra Julias Alpes & Constantinopolim. Quod si omnes provincias à Barbaris vastatas enumerare voluisset, longior illi catalogus fuisset contexendus, sed illarum provinciarum potissimum meminit, quæ frequentius irruptiones barbarorum passi sunt. Atque cum inter Julias Alpes & Constantinopolim multum sanguinis Romani fusum scribit, forte respicit ad bella, quæ contra Maximum & Eugenium, Theodosius in his locis gessit. Nam Maximum prope Aquileiam in Carnis superavit. Cum Eugenio vero & Arbogaste pugnavit in Alpibus Juliis (ut Nicephorus scribit) ad Frigidum fluvium. Fluvii hujus meminit Antoninus in Itinerario, & eum ponit inter Aquileiam & Longaticum, quæ mansio ab Æmona MPM. XVIII. distat, atque Vipao hodie nuncupari dicitur. Quare ubi à Claudiano scribitur:

Alpinæ rubuere nives & Frigidus amnis
Mutatis fumavit aquis, turbaque cadentum
Staret ni rapidus juvisset flumina sanguis.

Fluvium proprio nomine vocat Frigidum, non autem ut quidam existimarunt hoc epitheton fluvii est. In his igitur bellis plurimum Romani sanguinis fusum est, fuerunt enim Civilia bella, & Maximus atque Eugenius tyranni Romanas legiones quoque in aciem adversus Theodosium produxerunt.

Atque hæc quidem hactenus de itineribus Alpinis commentati sumus, nostras rationes & conjecturas in medium afferentes, si forte veterum scriptis, & rebus ipsis lucem aliquam afferre, & homines doctos locorumque peritos ad hæc illustranda nostro exemplo excitare possemus. Interea nobis non improbatur Cuspiniani sententia, ita scribentis: Ego Alpium nomina & itinera tam ex terræ motibus, quam ex arbitrio principum & accolarum, crediderim sæpissime variata, & opinionibus scribentium, nomenclaturam crebro pro uniuscujusque constanti æstimatione inversam, ut integre de singulis nihil afferere possimus. Nam & urbium nomina plerunque nobiscum & intereunt & renascuntur, nedum montium & collium, quibus crebro pastores rustica simplicitate nomina imponunt. Atque hæc quidem illius est sententia. Interea non est dubium, etsi non tota antiquorum itinerum ratio nobis constare potest, posse nihilominus nos summariam & generalem eorum cognitionem consequi, quandoquidem de fluminum, oppidorumque plurimis nominibus nobis certo constat: atque huc potissimum spectavimus in nostra tractatione, quod si alicubi à via aberravimus, id in longo & perplexo itinere non est mirum, eorum autem qui rectius iter norunt munus fuerit, si modo humanitatis commune officium nobis præstare volent, ut errantem moneant & in viam reducant.

De itinerum Alpinorum difficultatibus & periculis, & quomodo hæc superari possint.

Quæ sint frequentia itinera per Alpes hactenus exposui, deinceps quæ difficultates & pericula eos maneant, qui per Alpes iter faciunt, & quomodo superari possint ordine exponam. Sunt autem itinera alpina difficilia & periculosa, vel propter viarum angustias, ac præcipitia, vel propter glaciem, vel propter nives, aut denique ob frigora & ventos tempestatesque sævas. Primum enim in altissimis montibus itinera omnibus ferè in locis natura aspera & angusta, nonnunquam etiam in rupibus hominum labore & opera excisa sunt, adeo tamen angusta ut vix sarcinariis jumentis pateant, ac nonnullis locis duos pedes latitudine parum superent: sæpe etiam ubi via deest, ruptæ rupes injecta trabe quasi ponte junguntur, aut nudarum rupium latera suppositis tibicinibus interjectisque longuriis muniuntur, & cespitibus ac virgultorum fascibus

fascibus pensiles viæ sternuntur. Sæpe etiam ubi nullæ rupes iter coarctant, nihilominus angustæ sunt viæ in profundissimis nivibus, in quibus hominum opere semita facta tutum incessum præbet, sed à latere nives molles & profundæ non patiuntur viatores ex illa egredi. Plerunque autem prospectus ex his locis in profundissimas valles subjectas, magnum horrorem transeuntibus incutit, adeo ut multi vertiginis metu ab incolis, qui itineribus hujusmodi assueti sunt, manu ducantur, quandoque etiam equis illorum, qui tutissime aspera hæc & angusta loca superare possunt, se deportari curent. Atque hæ viarum angustiæ efficiunt, ut quamvis nullæ Alpes insuperabiles sint, non tamen omnibus itineribus exercitus duci possit propter impedimentorum, & tormentorum difficilem vecturam. Et quia sæpe in montibus ubi alioqui æquiora itinera sunt, viarum perlongæ augustiæ occurrunt, diligenter cavent ne iter facientes se in his angustiis lædant, præsertim ne illis damnum detur, qui boum armenta aut equorum greges agunt, solent enim quotannis ex transalpinis regionibus, & præsertim Helvetiis & Germania multi boves & equi in Italiam abduci. Neque leve periculum est ne terrore aliquo incusso turbati greges in præceps ruant & pereant. Itaque qui per Alpes iter faciunt, & præsertim qui sarcinaria jumenta, aut armenta agunt, utrinque constituta habent tempora, quibus iter ingrediuntur, ut sibi invicem in summis verticibus ubi aliqua planicies est, occurrant: quod si forte aliter accidat, certas leges habent, quosnam in via subsistere, aut alteri de via decedere oporteat.

Augent autem viarum difficultatem præcipitia & derupta loca, præsertim si glacie tecta sint itinera, quare variis rationibus sibi consulunt viatores, & pastores, ac venatores qui frequenter per altissimos montes vagantur. Nam adversus lubricitatem glaciei soleas ferreas, equorum soleis similes, tribus acutis cuspidibus præditas, firmiter pedibus alligare solent, ut vestigia in glacie firmare possint: alii corrigias, quibus calcaria astringuntur, sub imo pede similiter præacuto ferro muniunt, aliaque adhibent, quæ lubricitati obsistere & gressum firmare possunt. Nonnullis in locis baculis utuntur mucrone ferreo præpilatis, quibus nixi per arduos clivos ascendere & descendere solent, hos alpinos baculos vocant, & pastoribus præcipue in usu sunt: Aliquando etiam pastores & venatores per loca declivia & pene præcipitia, qua nulla alioqui via est, cæsis ramis arborum, & præcipue abietum insidentes & quasi inequitantes se demittunt. Ubi autem currus onusti per loca hujusmodi ardua demittendi sunt, nonnunquam ingentibus funibus ergatarum & trochlearum artificio eos demittunt. Atque antiquis hoc in usu fuisse Ammianus Marcel. indicat, cujus verba superius in Alpium Cottiarum descriptione apposuimus. Simile quiddam refert Schaffnaburgensis, qui commemorans, quanto labore Henricus IV. Alpes hyeme superasse scribit, Reginam & mulieres ex ejus gynecæo boum coriis impositas fuisse, quas itineris duces deorsum trahebant, equos quoque per machinas summissos, aut colligatis pedibus tractos, ex quibus multi mortui aut debilitati perierint.

Acclivia autem loca plurima in eodem monte se offerunt, etsi enim eminus continuus ascensus videtur, ita ut superato jugo, per quod iter est, te ad summum montem perventurum judices, tamen eo superato, planus aliquis locus se offert, & supra hunc alius novus mons superandus occurrit, quæ res magnam molestiam horum locorum imperitis affert. Plerumque enim sibi persuadent montes non tam altos atque arduos esse, nam ex propinquo eos contemplantes judicant longe humiliores, quam revera sint: ubi igitur ad rem perventum fuerit vident, se opinione sua deceptos esse, ac sibi laborem crescere dolent. Observavit hoc Silius atque eleganter affectum hunc ascendentium Alpes carmine expressit.

Quoque magis subire jugo atque evadere nisi
Erexere gradum, crescit labor, ardua supra
Sese aperit fessis, & nascitur altera moles:
Unde nec edomitos exudatosque labores
Respexisse libet, tanta formidine plena
Exterrent repetita oculis, atque una pruinæ
Canentis, quacunque datur permittere visus,
Ingeritur facies, medio sic navita ponto
Cum dulces liquit terras, & inania nullos
Invenium ventos, securo carbasa malo
Immensas prospectat aquas, ac victa profundis
Æquoribus, fessus renovat sua lumina cœlo.

Glacies autem in Alpibus non tantum lubricitate sua vias difficiliores reddit, sed alia quoque majora pericula affert. Imminent nonnullis locis immensæ rupes, quæ nonnunquam ita viis impendent, ut ruinam minari videantur, & his qui his non assueti sunt magnum terrorem incutiunt: sed raro ab his periculum cuiquam creatur, sæpius à glacie, quæ ex altis rupibus in vias subjectas nonnunquam cadit, easque tegit & intercipit, magno cum vitæ discrimine eorum qui tum per illa loca iter faciunt. Meminit hujus rei Strabo, his verbis: Glaciales crustæ supernæ & quidem lubricæ illabentes universam occupant semitam, & in subjacentes extrudunt valles. Frequens enim super glaciem glacies incumbit, ingruentibus maxime nivibus, antequam in superficie omnino solibus dissolvantur. Præterea illa vetus glacies per quam nonnunquam iter faciendum est, profundos hiatus trium aut quatuor pedum latitudine, & sæpe etiam ampliores habet, in quos si quis decidat, indubitato illi pereundum est. Accidit autem ut nivibus recentibus, aut vento conglomeratis illi hiatus tegantur, itaque qui tum per Alpes iter faciunt, peritos locorum qui ipsis præeant conducere solent: hi se fune cingunt, cui etiam aliquot ex his qui sequuntur se astringunt, qui vero præit longa pertica viam explorat, & diligenter in nivibus hiatus hos scrutatur, quod si forte imprudens in aliquem deciderit, à sociis qui eodem fune cincti sunt, sustinetur, & extrahitur. Ubi nullæ nives foveas tegunt, minus est periculi, saltu tamen illos superare oportet, nulli enim hic sunt pontes: nisi quod nonnunquam hi qui sarcinaria jumenta per hæc loca agunt (id autem rarius fit,) asseres ligneos secum ferunt, quibus jumentis ponticulum sternunt qua transeant.

Nives vero in Alpibus multis locis tam sunt altæ, ut hominibus & jumentis pereundem sit, si in illis submergantur, atque non levius periculum est, quam si in aquis mergantur. Ideoque Claudianus scribit:

Multos hausere profunda
Vasta mole nives, cumque ipsis sæpe juvencis
Naufraga candenti merguntur plaustra barathro.

Qua propter ut iter facientes sibi cavere possint, inco-

incolæ prælongos stipites, quos stilos ligneos vocat Marcellinus, erigere solent, ut hos sequantur viatores. Sed hoc negligentius plerumque ab illis fit, quo imperiti viarum ipsorum operam conducere cogantur. Cæterum ut aliquis transitus pateat, proximi montium accolæ magistratuum edicto viam per montes munire coguntur, magno labore neque absque periculo. Igitur singulis fere diebus ex proximis vicis utrinque ad montem, aliqui vias explorant, & si quid periculosum deprehenderint, iter facientes monent, viasque muniunt. Ac multis in locis cum primum novæ nives aliquæ ceciderint, boves aliquot qua iter erat, per novas nives agunt, hi non tantum pedibus, sed cruribus & toto pectore nives frangunt, deinde etiam trabem aliquam ad complanandam viam trahunt, & creduntur vias melius nosse, & his complanandis atque parandis longe aptiores esse equis. Quod si hac ratione via non bene patefacta fuerit, plures ad hoc opus conducti, palis & batillis aliisque instrumentis nives amovere & viam aperire solent. Atque mercatores cum incommodæ tempestates inciderint, sæpe magno pretio pluribus operis conductis vias purgant, quo merces suas transmittere possint. Porro qui profundas nives perambulare volunt, illis locis ubi nullæ viæ sunt, hac ratione sibi à submersione cavent: asses ligneos parvos & tenues, vel circulos ligneos cujusmodi in doliis vinariis vinciendis adhibentur, pedalis diametri funibus cancellatim undique contextos, pedibus alligant. Atque hac ratione cum majus vestigium faciant, non submerguntur, atque non alte in nives incidunt. Apud Xenophontem legimus quiddam simile, cum enim Græci per Armeniorum montes nivosa via iter facerent, ab incolis edocti, sacculis equorum & jumentorum pedes obligarunt, quod aliqui nudis pedibus ingredientes usque ad ventrem in ipsas nives descenderent.

Maximum omnium periculum est à decidentibus conglomeratis nivibus, quas nostri Louwinen, Rheti Labinas vocant, haud dubie à labendo, unde & Germanicum nomen alterius vocis depravatione factum est. Hæ commoventur levi de causa, si enim in monte summo arboribus nudo & acclivi nix commota fuerit, vel à prætervolante avicula, vel ab aliquo animali alio, aut etiam à vento vehementiore, aut prætereuntium hominum clamore, quando scilicet ipsa repercussione vocis, quam Echo vocant, aer impulsus nives etiam movet. His inquam vel levissimis commotionibus nix impulsa in globum initio convolvitur, is ubi multis provolutionibus excreverit, & jam propter magnitudinem & inæqualitatem volvi amplius non potest, vehementiore tum impetu delabitur, & continuo progressu auctior vires majoremque molem acquirens, saxa, arbores, ibices & alia quævis animalia, homines, tuguria, & quicquid obvium fuerit, involvit, & secum abripiens, ad imos montum pedes defert. Hujusmodi nivium moles sæpe complura jugera occupat, tantoque cum fragore è montibus decidit, ut terra ipsa concuti videatur, & procul inde distantes atque hujus rei ignari, tonitru se audire existiment. Cadunt autem hujusmodi Labinæ non omnibus in locis & temporibus, sed tantum in declivi monte, qua solum arboribus nudum est, & plerunque eo potissimum tempore, quo vel verno calore nives liquescunt & emolliuntur, vel ubi autumno & hyeme magnæ nives super veterem conglaciatam & lubricam nivem repente decidunt, cœloque sereno frigus sævit. Duo autem tradunt genera esse Labinarum, unum ubi novæ & molles duntaxat nives conglobantur & labuntur: alterum quod inveteratam nivem quoque trahit, & multum terræ secum abripit: hoc priori & majus est & plus damni dat. Atque superioribus annis in Rhetis apud Rinvvaldios, qui fontem Rheni accolunt, nivium è monte ruentium moles, sylvam & proceras abietes dejecit & involvit. Accidit etiam Helvetio milite per Alpes iter faciente, ut LX. homines & etiam plures eadem nivis conglobatione opprimerentur. Nonnunquam tamen homines nive conglabata involuti, sub ipsis nivibus vivunt, & opera incolarum eruuntur, & quasi ab inferis revocantur. Id autem accidit fere tum ubi tantum recentes nives conglobatæ fuerunt, & prope valles qua impetum sistunt aliquem involverint: etenim si is qui nive obrutus est, manus sub nive non prorsus indurata movere, & aliquid spacii circa faciem excavare possit, aliquam sub nivibus respirandi facultatem nanciscitur, atque in alterum & tertium etiam diem sub nivibus vivere potest. Montium vero accolæ si quando hujusmodi moles decidant, mox observant an aliqui eo die iter ingressi sint, & temporis ratione subducta an nivibus involuti sint conjiciunt, atque confestim harum rerum periti nives fodiunt, & scrutantur num aliquis lateat, cui adhuc opem ferre & vitam conservare possint. Considunt autem atque subsistunt labentes nivium moles in locis planis & vallibus, atque illic aliquando viam montanis torrentibus in eos incidentes præcludunt, quæ si hominum opera non fuerit rursus aperta, illi in se collecti & aucti nonnunquam non parvo incolarum damno erumpunt. Quo autem loco casus nivium ex alto monte metuendus est, illic nullæ sunt domus, nulla tuguria aut boum stabula in subjecta valle, sed incolæ proximo aliquo loco, ubi collis forte interpositus nivium casum coercet, ædificare & habitare solent. Atque apud Ursarios in montis Gothardi radicibus, ingens sylva proceritssimarum abietum, ab ipsa natura molibus nivium opposita videtur, cum alioqui nullæ aliæ arbores aut sylvæ illic in ea parte montis creverint: triangulari autem forma consita est, ut quamvis nives arbores dejicere soleant, hic tamen non sit periculum ne subvertatur, cum angulo opposito quasi perfringere conetur incidentem molem, & sua magnitudine, qua subinde latior & densior est, se defendat. Itinera autem propter vallium angustiam nonnunquam, quoniam aliter fieri non potest, per loca huic periculo obnoxia transeunt: quare ut discrimen evitare possint, qui illac iter faciunt, plerunque summo mane, quando minus periculi est, viam ingrediuntur, & taciti quam celerrime possunt periculosa loca prætereunt. Accolæ etiam qui optime naturam locorum tenent, & quando periculum immineat certis signis conjicere possunt, peregrinos quid faciendum illis sit admonent. Cum autem in ipsum iter ingens aliquis globus nivis deciderit, vix multo tempore solvitur: & per illum iter faciendum est, quasi per novum quendam monticulum, aut collem nuper in via ortum. De his autem Labinis seu nivium cadentium mole, Silius scribere videtur, his versibus:

Tum qua durati concreto frigore collis
Lubrica frustratur canenti semita clivo,
Luctantem ferro glaciem premit, haurit hiatu
Nix resoluta viros, altoque à culmine praeceps
Viventes turmas operit delapsa ruina.

Apte

Apte autem & proprie inducit Annibalem per loca acclivia & conglaciata iter facientem, ubi multa nix fuerit, & ea quidem mollis & liquescens, in quam ingressi milites mergebantur, & hiatu quodam hauriebantur, & illic cadentem ex alto nivem integras turmas operuisse sua ruina. Nam tantum in summis & acclivibus montibus, & præsertim cum super glaciem magnæ nives ceciderint, & molles fuerint, & liquescere cœperint, conglomeratæ nives decidunt. Ac forte etiam Claudiani versus huc referri possunt, in quibus tamen non nives, sed glaciem nominat:

Interdum subitam glacie labente ruinam
Mons dedit: & trepidis fundamina subruit astris.

Præterea inter alia mala frigus ingens his qui per alpes iter faciunt, molestum est, præsertim flante Borea, quare sæpe multorum artus vi frigoris amburuntur, atque aliis aures aut nares, nonnullis manuum aut pedum digiti, atque etiam ipsi pedes vi frigoris obstupescunt & pereunt: multi oculos ex perpetuo nivium visu amittunt. Adversus hæc mala varia præsidia sunt: oculis quidem ut vel aliquid nigri prætendatur, vel vitrea conspicilia quæ vocant: reliquis membris, ut pellibus crassisque vestimentis bene contra frigus muniantur: ac charta scriptoria & membrana pectus optime à ventis frigidis defendunt: quod si pedes obstupuerint, noctu exutis calceis gelidæ aquæ immerguntur, & paulatim tepida affunditur, ita enim restitui creduntur. Maxime tamen omnium motus assiduus prodest: accidit enim nonnunquam ut in ascendendo monte, homines ob laborem incalescant, & nullum frigus se sentire existiment, quod si quiescendi gratia in nivibus sederint, mox illis somnus obrepit, atque tum absque ullo fere sensu doloris dormientes obstupescunt & moriuntur: unde Claudianus in alpium Rheticarum descriptione:

Multi ceu Gorgone visa
Obriguere gelu. ———

Cur autem motus unicum adversus letiferum frigus præsidium existat, Xenophon eleganter exponit, cujus verba subjiciam: Quin si torpentem aliquem & desidentem offendissem, quique se ultro hostibus præ inertia dediturus videretur, illum ego pulsabam, seque erigere & progredi jubebam. Ex meipso enim intelligebam, in magna hyemis acerbitate desidendo tanto inertiora & pigriora corpora reddi: qui si forte paululum commoratus essem, ut fit, eos qui sarcinas colligerent, expectans, sentiebam crura præ frigore obtorpescere. Meo itaque periculo doctus, ubi se quem pigritiæ dedentem, ac quasi frigore stupentem vidissem, illum ego commovebam, quod intelligerem motu, ac virili quadam corporis exercitatione recalescere membra, & humorem evocari: contra vero efficere quietem & tarditatem, ut sanguis quasi gelu concretus intabescat, atque ex eo, quod ipsi multis accidisse scitis, pedum digiti obrigescant. Nostri igitur eodem modo sibi à frigore cavent, non à Xenophonte, sed longo usu edocti.

Postremo vero omnia hæc pericula tempestatibus augentur, non enim in mari tantum, sed in altissimis quoque montibus magnæ & periculosæ tempestates existunt. Nam in alpibus venti quidem semper & frigidi & vehementes sunt, nonnunquam tamen præter solitum sæviunt, & prorsus violenti sunt: ac tum nivibus cadentibus, aut pluvia, aut grandine non licet iter facere, quoniam non tantum hæc molesta sunt & difficilia ad perferendum, sed simul conspectum & usum viarum adimunt, idemque accidit si veteres nives à vento conglomerentur, nam sicut arenæ in Africa à ventis accumulantur, & quandoque homines suffocant, ita in alpibus nives ab iisdem gravi hominum periculo accumulantur. Quin etiam per vias præcipites & angustas, nequaquam tutum est vento vehementius perflante iter facere, ne quis violentia venti in præcipitium aliquod impellatur. Itaque nonnunquam si subito tempestas gravis incidat, in summa alpe viatores ad biduum aut triduum subsistere coguntur, donec tempestate cessante, itinera rursus ab his qui valles incolunt patefiant, & muniantur. Sunt autem in singulis fere alpibus, per quas mercatores frequenter transeunt hospitia aliqua, sed talia, qualia loci natura patitur, & illic fieri possunt, ubi omnem materiam sarcinariis jumentis subvehere oportet. Porro tempestates montanæ non ignotæ fuerunt Silio, à quo his versibus describuntur:

Interdum adverso glomeratus turbine Corus
In media ora nives fuscis agit horridus alis.
Aut rursum immani stridens avulsa procella
Audacis rapit arma viri, volvensque per orbem
Contorto rotat in nubes sublimia flatu.

Cæterum non absque ratione Corum inter ventos potissimum nominat, quem Græci Argestem vocant, hic enim unus est ex frigidissimis ventis, & grandines importat: atque idem esse videtur, qui in Narbonensi provincia Circius nominatur, nulli ventorum violentia inferior, ut Plinius refert, ita ut tecta auferat. Cato quoque de alpinis Hispanis scribens, verba hæc posuit: Ventus Cercius cum loquare, buccam implet: Armatum hominem, plaustrum oneratum percellit. Ventorum violentiæ in summis montibus, exemplum apud Xenophontem extat, qui lib. 5. Rerum Græcarum de Cleombroto scribit. Digredienti quoque vehementissimus incidit ventus, quem aliqui futura augurari suspicabant, multa enim damna exercitui intulit: nam ex Crasio per montem mari imminentem ducenti, jumenta quam plura impedimentis onusta in mare præcipitata sunt, arma quoque militibus erepta, ac vi venti in mare dejecta sunt. Multi quoque cum arma ferre amplius non possent, in montium summitatibus lapidibus degravata relinquere coacti sunt.

De Gentibus Alpinis.

INcolæ alpium multi populi a Plinio & aliis commemorantur, præcipui tamen ex his commemorantur in Trophæo alpium, quod populus Romanus Cæsari Augusto erexit, ejus inscriptionem nos ex Plinio subjiciemus, quæ talis est.

IMPERATORI CAESARI DI. FIL. AVG. PONTIFICI MAXIMO, IMPERATORI XIIII. TRIBVNITIAE POTESTATIS S.P.Q.R. QVOD EIVS DVCTV AVSPICIISQVE GENTES ALPINAE OMNES QVAE A MARI SVPERO AD INFERVM PERTINEBANT, SVB IMPERIVM PO. ROM. SVNT REDACTAE.

GENTES ALPINAE DEVICTAE.

TRIVMPILINI. CAMVNI. VENNOTES. VENNONETES. HISARCI. BREVNI. NAVNES, FOCVNATES, VINDELICORVM GENTES IV. CONSVANETES. VIRVCINATES. LICATES. CATTENATES. ABISONTES RVGVSCI. SVANETES. COLLVCONES. BRIXENTES. LEPONTII. VIBERI. NANTVATES. SEDVNI. VABAGRI. SALASSI. ACITAVONES. MEDVLLI. VCENNI. CATVRIGES. BRIGIANI. SONTIONTII. EBRODVNTII NEMALONI. EDENNATES. ESVBIANI. VEAMINI. GALLICAE. TRIVLATTI. ECTINI. VERGVNNI. EGVITVRI. NEMENTVRI. ORATELLI. VERVSI. VELNANI. SVETRI.

Non ſunt hic adjectæ, ut Plinius aſſerit, Cottianæ civitates XII. quæ non fuerunt hoſtiles, ſed item attributæ municipiis lege Pompeja. Gentes hic commemorantur, quæ ab Auguſto imperio populi Romani ſubjectæ ſunt. Julius quidem Cæſar bellum in Gallia geſſit annis decem, ſed alpinos populos non ſubegit, verum tam ipſe quam alii imperatores qui ante ipſum in Gallia bellum geſſerunt, haſce gentes vel contempſerunt vel neglexerunt, ac tantum de tranſitu alpium cogitantes, ad provincias ſuas feſtinabant, ut Appianus ſcribit in Illyrico. Cæſar etiam à bello Gallico Pompejanis armis avocatus, has reliquias perſequi non potuit. Auguſtus vero Imperator, aliis gentibus quæ ab imperio defecerant, vel ſub propriis legibus degebant, bello ſuperatis, poſtremo reliquas omnes quæ ſummitates alpium incolunt, barbaras bellicoſaſque nationes per vim ſubjecit: Veruntamen ante Auguſtum Imperatorem Romani bella in alpibus geſſerunt, & præſertim adverſus Ligures qui magnam alpium partem incolunt. Cæterum per quos ſingulæ gentes alpinæ devictæ ſint, quoque jure & fœdere fuerint, diligentiſſime à Sigonio Romanarum antiquitatum periti ſſimo homine, annotatum eſt, ſub finem libri tertii De antiquo jure Italiæ. Nos hic pauca tantum ad inſcriptionem Trophæi explicandam de nonnullis alpinis gentibus afferemus.

TRIVMPILINI. Hos Aegidius Tſcudus in Rhætia ſua ſcripſit ad lacum Larium habitare, ac illos eſſe qui hodie Tripleven nominantur, quorum ſunt Domaſium, Muſſum, Gravedona: idem tamen poſtea viſus eſt aliter ſentire, atque Triumpilinos exiſtimavit illos eſſe qui vallem Trupiam vel Triumpiam incolunt, atque hæc ſententia verior videtur. Cum enim Euganei fuerint, quos intimum ſinum Adriatici maris usque ad alpes Plinius incoluiſſe ſcribit: rectius videntur ad Benacum quam ad Larium collocari. Jacet autem hæc vallis inter Benacum, & vallem Sarcæ fluminis, & præterea Camunicam vallem. Sunt in hac valle Cliſius & Caſtar fluvioli & Ludro oppidum à quo comites Lodronii nomen habent, qui exiſtimantur à Plinio Alutraenſes nominari lib. 3. cap. 19.

CAMVNI. Nomen horum retinet vallis Camunica, quæ ſupra Triumpilinos, inter vallem Solis, & alteram de Serra, (qui forte ſunt Aſſeriates Plinio) atque vallem Volturenam poſita eſt. Ollius fluvius ex hac valle in Sebinum lacum influit. Parent autem Triumpilini & Camuni noſtra ætate Brixienſibus: & Plinius ſcribit Triumpilinos, Camunos compluresque ſimiles finitimis municipiis attributos fuiſſe.

VENNONES. Meminit horum Strabo, & eos inter Vindelicorum ferociſſimos numerat, quique cum Rhætis ad Orientem verſi ſint. Plinius quoque: Caput (inquit) Euganeorum Stoni, Rhetorum Sarunetes Vennoneſque ortus Rheni amnis accolunt. Quo loco Aeni nomen pro Rheno quibusdam ſupponendum videtur. Erunt igitur Vennones incolæ vallis Venuſtæ, quam Germani Vintſgòw nominant, & ſupra hos in proxima valle ad ortum Aeni Sarunetes jacent.

VENNONETES. Hi exiſtimantur incolæ eſſe vallis Volturenæ, quam Valtelinam vulgo vocant, in cujus ſummitate Abdua fluvius ex jugis Bormianis oritur, & in Larium per vallem hanc cultiſſimam defluit. Hæc ab ortu habet Sarunetes atque Vennones: à meridie Camunos, atque ut Dion libro 54. ſcribit, tam Camuni quam Vennonetes à Publio Silio auſpiciis Auguſti Cæſaris in ſervitutem redacti ſunt, anno urbis conditæ 737. Lucio Domitio & Publio Scipione Coſſ.

HISARCI. Tſcudus, quem honoris cauſa nomino, exiſtimat, legendum Miſauci. Sunt autem Miſauci Lepontiorum populus ſupra Verbanum lacum ad Mueſam fluvium, qui ex Adula monte prope Bellinzonam in Ticinum defluit. Alii tamen exiſtimarunt Hiſarcos populos eſſe Vindeliciæ ad ortum Iſaræ fluminis.

BREVNI. Ad Aenum fluvium populi habitant Germanis dicti Brünnawer. Hos Aventinus Brennos nominat. Leander Albertus Breunos ponit ad Bellinzonam ex Bonaventuræ Caſtilionæi ſententia, qui etiam Berinzonam vel Breunizonam id oppidum appellari perhibet, quod ſit Breunorum caſtrum & tanquam Breuni Agri zona. Fluvium etiam qui ex Lucumone monte profluit, Breunium nominant, qui octo millibus paſſuum à Bellinzona Ticino miſcetur: agrum quoque circa fluvium, vallem Breuniam nominat Leander. Horatius inter Vindelicorum populos quos Druſus devicit Breunos numerat. In quibusdam tamen manuſcriptis codicibus Brenni nominantur, in aliis Breuci: Strabo Brencos nominat, ac Porphyrio ſcribit Brennos ciſalpinos populos eſſe: verum id Horatii ſententiæ repugnare videtur, qui eos Vindelicis annumerat. Sunt qui exiſtiment Bernenſes nominari à Plinio 19. cap. 3. libri. Quo loco inter ciſalpinos Feltrini & Tridentini & Bernenſes Rhætica oppida numerantur. Brunecum oppidum in alpibus hujus nominis veſtigia ſervat: & de ejus loci populis Horatianum verſum non incommode interpretari poſſumus. Quos vero idem poeta Gelonos vocat in quibusdam exemplaribus Genauni, & Gerauni & Genauui nominantur, quæ poſtrema lectio videtur magis ad Germanicum idioma accedere, in qua auw vel ouw quæ & inſulam & agrum ſignificat, multis nominibus adjicitur, an autem ſint populi ad Glanum fluvium an hi quos Plinius Naunes, vocat, & Ptolemæus Benlaunos, Vindeliciæ populi, an alii montani ciſalpini, aliis conjiciendum relinquo.

NAVNES videntur eſſe quos Germani vocant Nanſer oder Nanſperger, Latini montem Neanis: vallis hæc eſt admodum culta in Tridentino Epiſcopatu, cujus initium tribus miliaribus a Tridento abeſt, præcipuus vicus hujus vallis Naunß vocatur,

vocatur, per quem octo itinera transeunt, in quibus celebriora sunt à Tridento, à lacu Benaco, Bolzano, Merano, valle Camunica, Bormio.

FOCVNATES. Hos ex conjectura quidam existimant referendos ad vallem quæ ab oppido Suls (quod nunc D. Bartholomæi nomen habet) vallis Solis nominatur, & partim Venetis partim Tridentino Episcopo paret, atque ad vallem Camunicam & Volturenorum montes pertingit. Per hanc vallem fluvius Nussius defluit, qui ex montibus Camunicos ab hac valle dividentibus, ex adverso Ollii oritur.

VINDELICORVM GENTES IIII. Ita quidem in exemplaribus Plinii impressis, quæ ego vidi, legitur. Verum mendum mihi esse videtur in numerorum notis, omissa librariorum incuria nota quinarii numeri. Itaque legendum arbitror Vindelicorum gentes VIIII. Nam quatuor gentes quæ proxime præcedunt non pertinent ad Vindelicos, mihique magis probatur eorum sententia, qui illas cis alpes ostendunt. Atque ut maxime illæ gentes Vindelicæ sint, tamen non est dubium, gentes quæ proxime sequuntur, novem numero ad Vindelicos pertinere & Rhætos: itaque quum subjicitur, Gallicæ: id pertinet ad gentes quæ has novem sequuntur: quod si quatuor tantum sint Vindelicorum gentes oportebit Abisontes Ruguscos & alias Rhetorum gentes Gallis adnumerare, cum tamen Rhætia nunquam ad Galliam pertinuerit.

CONSVANETES. Hos Ptolemæus Consuatas nominat Vindeliciæ populum inter Leunos & Belaunos. Jacet autem ad Isaram Vindelicorum fluvium regio quam Germani vocant Schwindouw, hanc quidam Consuatam regionem esse existimant.

VIRVCINATES. Populi Vindelicorum ad Ambram & Isaram fluvios, qui ad Aenum usque porriguntur, nostris dicti Frisinger & in vetustis diplomatibus Brisinger.

LICATES. Ptolemæo & Straboni Licatii dicti, nomen habent a Lico flumine juxta quod habitarunt. Germanice nominari possunt Lechthaler, Lechfälder, & Lechreiner.

CATTENATES. Hos Strabo Clautinacios vocat. Hos quidam existimant extremos Vindelicorum esse, qui utrinque ad Aenum habitent, supra eum locum ubi Danubium ingreditur.

ABISONTES. Hos existimo a Ptolemæo Ambisontios nominari, quos postremos ponit inter occidentales Norici populos.

RVGVSCI. Ptolemæus magis, inquit, Australia Rhetiæ Suanitæ & Regusci habitant. Creduntur accolæ Rheni esse supra Acromum lacum usque ad eum locum in quo fontes Rheni confluunt, vallis horum Acromo lacu proxima Rinthal nominatur.

SVANETAE à Ptolemæo juxta Reguscos collocantur & inter hos CALLVCONES. Quare si Regusci supra Brigantinum lacum ad Rhenum jacent, hi forte erunt Algovii & Suevi qui interiores campos à lacu habitant.

BRIXENTES ab utroque alpium latere habitant, finitimi Tridentino & Curiensi Episcopatui, eorum nomen hodie assumpsit Brixina Episcopalis civitas, quam veteres Sublavionem vocarunt. Ptolomæus horum meminit ac Brixantas vocat: & magis Septentrionalia Rhetiæ habitare scribit.

LEPONTII. Gentes XVII. quæ hic deinceps ordine enumerantur, omnes sunt Gallicæ. Nos complurium ex his superius mentionem fecimus, in expositione alpinorum itinerum, ac potissimum Lepontiorum, Viberorum, Nantuatum, quos nos Cæsarem sequuti Antuates nominavimus, item Sedunorum, Veragrorum, Salassorum.

ACITAVONES. Quinam sint ignorare me fateor. Aegidius Tscudus nomen corruptum esse arbitratur, pro illo Centrones substituit.

MEDVLLI. Straboni Medualli, supra Allobroges & Vocontios, Centronibus proximi, quo loco hodie est vallis Morienna.

VCENNI forte sunt Vocontii, aut Siconii, quos Strabo ponit inter Vocontios, Tricorios & Medullos.

CATVRIGES una cum Sonciontiis & Ebroduntiis in provincia alpium maritimarum numerantur.

BRIGIANI. Hi forte sunt qui Brigantione supra Caturiges habitarunt in alpibus Cottiis. De reliquis nominibus mihi quidem hoc tempore non liquet: Dubito tamen an Edennates sint Decietæ Straboni, & Esubiani ab illo Oxibii dicantur.

De Alpinis aquis.

Deinceps de his rebus agendum nobis erit, quæ ex alpibus oriuntur, aut in illis degunt, in his omnibus ea tantum persequemur, quæ maximè memoratu digna videbuntur, & peculiaria & quasi propria sunt alpibus. Igitur primo omnium de aquis agemus, quoniam montes à Deo facti sunt, ut sint aquarum receptiones, quas bona fide per terram transmissas pristinæ reddant origini. Nobis enim præ omnibus Philosophorum opinionibus Solomonis sapientissimi sententia placet, qui è mari flumina dixit generari: Etsi enim aqua multa ex aere generatur, tamen tanta moles, quæ maxima flumina expleat, sub terra non invenitur, cum decuplum, ut ajunt Physici, ampliorem oporteat esse aerem ad certam aquæ magnitudinem conficiendam. Quæ vero terræ concavitates tantum aeris capient, aut per quæ tandem foramina tantum superni aeris in subterraneas cavernas descendet, ut ex eodem pene Gothardi montis vertice septem flumina defluant? Itaque Dei opificis admirandum opus est, quod marinæ aquæ compressæ ab extrinsecus incumbente mari, latebrosos recessus montium petunt, atque illic in altis jugis exiliunt, longoque interim hoc circuitu percolatæ omnem salsedinem amittunt. Ex his igitur naturæ principiis fontes, flumina & lacus in altissimis montibus generantur: augentur autem & supra solitum modum excrescunt solutis nivibus & imbrium accessione: ac multi montani torrentes ex his solis generantur, ideoque sæpe deficiunt & fluere cessant.

Est autem maximè admirandum naturæ opus, in summis montibus lacus esse, qui non ex nivibus aut pluviis colliguntur, sed perennibus scatebris conficiuntur, & cum non ad cursum prodeant, sed intus cohibeantur incorrupti sine ullo motu, attamen neque deficiunt aut minuuntur, neque rursus ullis exundationibus labra superant. Sic in summa montis Cenisii planicie lacus est è vivis purus scatebris, at ei campo summo, celsissimo, planissimo nihil

nihil imminet: duos alios tales lacus Julius Cæsar Scaliger commemorat, alterum in agro cui Defesso nomen est, in montis summi vertice quo nullus ibi circumque altior locus assurgit: & non longe ab hoc alium quem Cravam vocat. Ex his lacubus ut ait pecora atque armenta quotidie potant, aquæ tamen nunquam deficiunt, quod mirum est, quandoquidem nives eo liquantur nullæ, pluviæ non largiores aut crebriores, quam aliis in locis, & in supremo loco tanquam in sinu ex devexis locis colligi nequeunt. Tales lacus complures habent alpes Helvetiorum, Abbazellani tres pusillos lacus truttas ferentes in cacuminibus suarum Alpium ostendunt. Similis est in summo Gemmio monte, & in aliis montibus alii, tantæ profunditatis nonnunquam ut montem totum penetrare credantur, & fontes ad radices montium efficere. Sed hominum superstitione maximè celebris est supra Lucernam urbem in monte Fracto lacus à Pilato cognomen habens, vulgo enim persuasum est Pilatum olim illic in eminenti rupe consedisse, & diras tempestates concitasse, quem deinde incantator quidam suis conjurationibus depulsum in proximum lacum deturbarit. Vulgo autem persuasum est, si quicquam ab homine de industria injiciatur, toti regioni ex tempestatibus & inundatione periculum esse. Veruntamen lacus hic non est in summo jugo, sed undique collibus cingitur, à quibus liquescentes nives defluunt. Simile quidam Pausanias refert de fonte montis Lycæi. Ab Hagnone inquit nomen accepit fons in Lycæo monte, qui eodem modo quo Danubius, aquam solet exhibere, in hyeme similiter & vere. Si quando autem diuturna eos siccitas premat, ita ut semina in terra & arbores jam exarescant, Jovis Lycæi Sacerdos persolutis ad aquam precibus, & sacris peractis, quæ ex ritu solent peragi, quernum ramum non in imum fundum, sed extremitatem tantum aquæ demittit. Commota deinde aqua, nebula ascendit vapori consimilis. Hæc si paululum intercedat temporis, in nubem convertitur, cum qua conjunctæ aliæ nubes pluviam Arcadibus efficiunt. Verum ut maxime hujusmodi aliquid unquam factum sit aut fiat, sæpenumero enim ad superstitiones & ad falsas persuasiones eventus & miracula sequuntur, non alia certe ratione fiunt, quam malorum geniorum opera, quibus Dominus Deus permittit, ut impiorum aut superstitiosorum fides ita decepta confirmetaque suæ impietatis aut superstitionis pœnas luat, ut recte de hoc miraculo lacus Pilati Gesnerus noster censuit.

Lacus verò majores qui in proximis campis alpibus subjecti sunt, quid attinet commemorare cum sint notissimi? ut Benacus, Larius, Verbanus, Brigantinus, Tigurinus, Lucernas, Lemanus, ac alii pene innumeri. Hos flumina in cavum amplumque locum defluentia conficere creduntur, sed plerunque falso: quoniam ex singulis ferè lacubus majora flumina effluunt, quam ea sint quæ ingrediuntur, itaque nisi subtus terram pullulantibus aquis, quarum venas Vrinatores sæpe sentiunt, augerentur, brevi exhaurirentur continuo defluxu. Atque tam abest ut omnes lacus à fluviis creentur, ut tanto impetu plures fluvii lacus ingrediantur, facillime ut eorum aqua ab aqua lacuum dignosci possit, atque ob rapiditatem & violentiam montanorum fluminum, natura parens lacus hujusmodi fabricata esse videtur, qui eorum impetum mitigent, plerunque enim postquam lacus egressi fuerint, mitescunt ac leniter defluunt, qui antea propter violentiam navigari non poterant. Ad Rheni Cataractas multi obstupescunt, cum vident ingentem fluvium immani fragore ex alto scopulo præcipitari, ita ut vicina loca late aspergat, & nebulam quodammodo ripæ offundat: sed in Alpibus summis sæpe flumina non exigua, & Alpini torrentes non minori fragore ex editissimis rupibus decidunt. Sed minus celebres sunt hujusmodi Cataractæ quod in montibus declivibus fiant, ubi non mirum est talia accidere, & quod flumina quibus hæc accidunt, vulgo non ita nota sunt & magni nominis, quæque Rheno conferri possint.

Alpibus autem originem suam debent quatuor nobilissima Europæ flumina, quæ innumeros penè amnes secum in diversa maria deferunt. Padus per Italiam in mare Adriaticum defluens, Rhodanus per Gallias in mare Lygusticum, Rhenus inter Germaniam & Galliam limes in Oceanum, ac postremo Danubius longissimo cursu Illyrici provincias emensus Euxinum pontum intrat. Ac de reliquis quidem tribus non est dubium eos in Alpibus suos fontes habere, de Danubio solum dubitatur, nam ipsum ex Alpibus oriri quidam negant. Sed hic animadvertendum est, Alpium nomen non tantum tribui excelsis jugis continuatarum Alpium, quæ unius quasi montis faciem exhibent, sed declivioribus quoque jugis quæ in plures partes divisa ad latera extenduntur, inter hæc primum numeratur à Strabone Alpium jugum inter Rhenum & lacum Brigantinum mediocriter sublime, in quo inquit esse Histri fontes inter Suevos & Herciniam sylvam. Regio ubi Danubius oritur (sive in pago **Don Eschingen**, juxta vulgi opinionem fontes ejus statuamus, sive ut Glareanus vult in proximis montibus regionis quam **Baar** vocant quam Arbonam Tacitus nominare videtur) omnis uno nomine **Alb** Albia Germanis vocatur, atque ultra fontes Danubii in Orientem porrigitur, in hac non sunt alti montes, sed jugum mediocriter planum, unde etiam Strabo vocat ῥάχιν μετρίως ὑψηλήν. Cæterum etiam qua plana est hæc regio, maxima tamen sui parte nivalis, aspera, saxosa & frigida est, ac in multis locis incommodæ habitationis. Quare Albia nominari videtur, non tam quod continuum brachium sit Alpium, quam quod Alpibus propinqua & ejusdem ferè naturæ sit, quoad frigus & locorum asperitatem. Atque hoc videtur Ptolemæus observasse, qui scribit, montes qui supra caput Danubii sunt idem cum Alpibus nomen habere. Quare totum illum tractum quidam nostra ætate Alpes Germanicas nominarunt, atque ubi in Plinio legitur, Danubium oriri in Abnoba monte, & apud Tacitum in Arbona monte, malunt substituere Albium aut Albonam montem, tum quia hodie regio **Alb** dicitur, tum etiam quia Strabo alpium partem dicit, & Ptolemæus montes hos idem nomen cum alpibus habere scribat: Alpes autem Albias quoque dictas supra ostendimus. Est igitur Danubius quoque ex Alpinis fluviis, quia idem nomen regioni unde oritur, & illis saltem proxima est, si non cum Strabone partem earum reputare voluerimus.

Fontibus etiam Alpina regio abundat frigidis pariter & calidis: singulari certe naturæ miraculo, quod ex illis montibus quorum vertices fere perpetuis nivibus tecti sunt, calidæ aquæ hominibus salutares ex ipsis rupibus profluunt, veluti apud Leucios & Brigianos in Sedunis, in Rhætis Burmianæ aquæ circiter mille passibus ab Abduæ fontibus, & in Fa-

in Fabarianis rupibus, atque aliis locis quam pluribus. Præter calidas aquas vero multi salutares frigidi fontes in Helveticis & proximis alpibus ad balneorum usum calefiunt, quorum aliqui acidulæ sunt, ut Fideriani fontes apud Rhætos. Alii alumine, alii sulphure, alii ferri aut æris aut alterius metallicæ rei vena imbuti. Sunt autem apud nos in frequenti usu, propterea quod nostra gens balneis plurimum delectatur, & ea inter præcipua omnium fere morborum remedia numerat. Ex his autem fontibus quidam æstate duntaxat fluunt, mense autem Septembri aut Octobri deficiunt, ut calidæ Fabarianæ & Marianus fons apud Leucianos: aliqui vero etiam æstate certis duntaxat horis fluunt, ut fons in valle Hasela, in monte quem Engstlom vocant. Sed hæc singula suis locis volente Deo alias à nobis commemorabuntur.

Verum nostros fontes aliquis damnare possit, quod aquam ferant à dissoluta nive & glacie collectam, quam pessimam esse medicorum principes pronunciant, quoniam exactum sit inde quod tenuissimum fuerit. Possemus his ex Plinio lib. 31. cap. 3. objicere aliorum sententiam, qui imbrium aquam maxime probant ut levissimam, & nives præferunt imbribus, nivibusque etiam glacies, velut in infinitum coacta subtilitate: & præterea ea afferre quæ contra Hippocratem Athenæus de hac quæstione disputat. Verum ingenuè fatemur multos potu nivalis & glacialis aquæ, & præsertim usu veteris glaciei lædi, quam tamen nihilominus propter eximiam frigiditatem nonnulli avide expetunt. Sed interea addimus fontes alpinos non tantum confluxu nivalis aquæ confici, sed plerunque vivas scaturigines habere: ideoque salubres & innoxios esse. Deinde experientia rerum magistra, montanos homines non tantum remedia adversus noxam nivalium aquarum edocuit, verum etiam salubrem eorum usum in gravibus morbis, si apte intra & extra corpus usurpentur. Apud Glaronenses in monte Wepchio fons est frigidissimus, quem aquæ solutarum nivium & glaciei in sinum quendam collectæ conficiunt, in hoc incolæ sese contra varios morbos immergunt, idque tertio, præ frigore nanque diutius in aqua subsistere non possunt. Existimant autem hujus balnei usu aciem oculorum juvari, & auditum in senibus recuperari: Quidam vero in calidissimis febribus, & nonnunquam in dysenteria aquam frigidissimam, eamque potissimum quæ ex glacie veteri soluta defluit, abunde ad vomitum usque bibunt, & ita sæpenumero liberantur.

De Crystallo: & item de metallis.

NE quis autem hæc inveteratæ nivis medicamenta prorsus exemplo carere existimet, sciat medicos tradere cristallum in tenuissimum pulverem tritam, & in vino austero potam auxiliari dysentericis, crystallus autem quid aliud est, quam glacies ad lapidis duritiem evecta seu in lapidis formam commutata. Atque hoc nomen ipsum docet, & Græci elegantissimo epigrammate duplici idipsum testati sunt, quæ hic testimonii gratia apposui.

Χειονεη κρυςαλλος ὑπο ἀνερος ἀσκηθεισα
δειξεν ἀκηρασιοιο πανκιολον εἰκονα κοσμου
οὐρανον ἀγκας ἐχοντα, βαρυκλυστον ἐνδοθι ποντον.

Alterum:

Εἰπ' ἄγε μοι κρυςαλλε, λιθῳ πεπυκασμενον ὑδωρ,
τις πηξεν, βορεης ἢ τις ἐλυσε, νοτος.

Similiter Claudianus, cui & Græcum epigramma tribuitur, in crystallum, in cujus medio aqua inclusa erat, eleganter lusit his Latinis versibus:

Possedit glacies naturæ signa prioris,
Quæ fit parte lapis, frigora parte negat.
Solers lusit hyems, imperfectoque rigore
Nobilior, mitis gemma tumescit aquis.

Item alio Epigrammate:

Solibus indomitum glacies alpina rigorem
Sumebat, nimio jam preciosa gelu.
Nec potuit toto mentiri corpore gemmam,
Sed medio mansit proditus orbe latex, &c.

Quod si vera est hæc veterum opinio, quam quidam convellere conantur, nemini mirum videri debet in Alpibus quæ perpetuo glacie rigent, plurimas & pulcherrimas crystallos reperiri, quando illic vetus glacies plurima est, quæ vel ipsa, vel ex ea defluens aqua, aut ut alii censent succus quidam peculiaris, intra terram frigore condensatur & lapidescit. Sæpe tamen ingentes crystalli à rupibus dependentes avelluntur, quandoque etiam hominibus fune demissis, sæpe quoque in summis montibus nulla humo tectæ inveniuntur. Atque quod ab amico accepi, hic referam. Accidit ad Verbanum lacum, non procul à Locarno veteri oppido quod Helvetiis paret, uti forte rustico prætereunte rupes non parva de proximo monte in subjectam viam decideret, ille qui vix fuga vitam conservarat, attonitus locum in quo periclitatus fuerat, ut fieri solet, metu jam deposito, diu & accurate contemplatur, tandem nescio quid splendens in rupe cernit, ac magno labore illuc ascendens quamplures non parvi precii crystallos reperit. Verisimile autem est sicut fortuitus casus hasce sub terris enatas crystallos detexit, ita etiam plerasque quæ è rupibus dependent, sub terra primum enatas, postea eluvione aquarum aut alio casu nudata rupe detectas esse. Non autem unius generis crystallos inveniri, sed alias candidas & pellucentes, alias vero purpurascentes, quas pro Amethysto gemma quidam vendunt, supra in Vallesiæ, in qua præstantissima crystallus invenitur, descriptione diximus.

De metallis Alpium nolo hic agere, hoc tantum adnotabo, Alpes metallorum feraces esse duobus argumentis constare, primum quidem quod in his locis in quibus exercentur, huic rei operam dantes uberrimum fructum inde percipiunt, ut ad Oenum & Athesim amnes, in Noricis & Rheticis Alpibus: Deinde in his locis in quibus nullæ sunt fodinæ, flumina ramenta auri deportantia, ut Rhenus, Vrsa, Emma, ostendunt montes è quibus oriuntur non carere venis metalli. Cæterum in Helvetia nullæ ferè præter ferri secturas sunt: gens enim militiæ dedita, at & domi ex boum armentis & pastione ingens lucrum percipiens, rem metallicam, cujus ignara est, negligit: neque patitur peregrinos fodinas facere, quoniam judicat eas exerceri non posse absque publico incommodo, quod sylvæ cæduæ integræ in carbonum usum cædantur, pascua quæ in montibus optima habent, maxima parte pereant, aquæ vitientur, multaque incommoda sequantur: adhæc gens alioqui populosa & arctis finibus inclusa, neque vult, neque absque gravi detrimento potest peregrinorum majorem numerum intra suos fines recipere.

De Arboribus alpinis.

IN magnis montibus, ut Theophrastus memoriæ prodidit, omnis fere generis plantas nasci certum est, scilicet ratione varietatis locorum. Habent enim stagnantia, madentia, sicca, crassa, saxosa, prataque media pene omnia telluris discrimina. Adhæc alia concava atque tranquilla: alia sublimia & ventis exposita, ita ut permulta & varia gignere possint, quæque planis proveniunt isti quoque præstare

possunt. Non tamen montes omnia aeque ferunt, sed alia alibi felicius proveniunt. Atque inter arbores, si Theophrasto credimus, montibus propriæ sunt neque in planis nascuntur, abies, pinaster, picea, aquifolia, tilia, caprinus, buxus, portulaca, taxus, juniperus, terebinthus, caprificus, philyca, apharca, nux juglans, castanea, ilex. Ex his autem quæ montibus cum planis communia habentur, campestris materia mollior & tenerior plerunque est, montana autem proprium adepta locum melior pulchriorque provenit, nam montium siccior & aridior habitus lignum magis durat & astringit, & ventis ibi ad soliditatem & firmitatem tunduntur arbores, itaque apud poetas, ut doctissimus Turnebus adnotavit, montana materia ut hastilibus aptior commendatur, unde etiam Homerus cæsam fuisse ait hastam Achillis è vertice Pelii montis, bonitatem materiæ demonstrans. Et ἔγχος ἀνεμοτρεφὲς nominat: Criticis durum & rigidum hastile interpretantibus. Apud Latinum quoque poetam Itali milites:

- - - - - *Duo quisque alpina coruscant*
Gesa manu. - - - - - -

Alpina enim dicuntur non solum, quod alpini populi gesis uterentur, verum etiam quod ex alpina materia facta essent.

Inter montanas autem arbores, quæ à Theophrasto enumerantur, abietes, pinastri & piceæ felicissime proveniunt in nostris Alpibus. Atque abietes nonnunquam pedum CXXX. inveniuntur quæ non solum à proceritate commendantur, verum etiam à firmitate materiæ, quo nomine præferunt abietibus Herciniæ sylvæ æque alioqui proceris, quod firmiores & sicciores sint, inde fit, ut nonnunquam architecti è navalibus Venetis & Genuensibus, abietes Rheticas & Helveticas, vel Abdua flumine in Padum & mare Adriaticum, vel Arola in Rhenum & Oceanum deportari curent, ad fabricandos malos navium. Tanta autem est sylvarum magnitudo & harum arborum copia, ut multi homines præsertim ex Galanca valle Rhetorum, per alpinas sylvas oberrantes pice colligenda se familiamque alant. Nec minor commendatio est taxo, cujus sæpe magna copia ex Helvetia in Angliam usque deportatur, ad arcus quibus adhuc ea gens frequenter utitur, conficiendos. Castanearum apud Rhetos sylvæ sunt non exiguæ, ac superioribus annis nuces castaneas siccatas adversus futuram famem, magno pauperum commodo recondere didicerunt. Nam si recte & ex arte siccatæ fuerint, siccæ pariter & elixæ esui aptæ sunt, & panis quoque ex illis in usum plebis coquitur.

Reliquas à Theophrasto commemoratas montanas arbores silentio prætereo, quoniam etsi plerisque his Alpes quoque abundant, cæteris tamen montibus non minus propriæ & etiam frequentes sunt. Laricem tamen præterire non possum, Theophrasto & Græciæ ignotam, propriam nostris Alpibus. Arbor hæc abieti, pino & piceæ affinis est cortice quam picea asperiore, frondibus pinguioribus, mollioribus & magis densis, quas tamen autumno amittit, contra quam Plinius asserit, qui πεύκην Theophrasti, Laricen transtulisse videtur, proceritate cognatas arbores æquat, & sæpe etiam superat. Faciendo autem operi nulli earum postponenda est, etenim structurarum pondera firmissime & diutissime sustentat, idque Baptista Albertus se cum alibi, tum apud Venetias ex vetustis fori operibus adnotasse scribit, atqui addit, quod etiam alpini homines affirmant, nervosam esse, virium tenacem, firmissimam in tempestatibus, & adversus cariem illæsam. In secando ferramenta facile patitur, ideoque affabre dolatur & levigatur. Vetus est opinio à Plinio quoque literis prodita, eam non ardere, nec carbonem facere, neque alio modo ignis vi consumi quam lapides: ideoque objiciendos ex Larice asseres eo versus jubent, unde ignium adventicium malum extimescas. Sed falsam fuisse hanc persuasionem inde constat, quod apud Vallesianos quibusdam in locis non alia ligna in usum foci adhibentur, alicubi etiam in Alpibus ad ferrarias fodinas carbones ex ea fiunt. Inter omnes autem alpinas arbores præcipuus ejus in medicina usus est, etenim adeo efficax contra lepram judicatur, ut inhabitantes triclinia & zetas Larigno ligno contectas, tuti ab hoc malo credantur. Recentes deinde arboris surculos in balneis adversus eundem morbum decoquunt: aqua etiam ex his chymica arte elicita, miram vim habere creditur. Præcipua tamen laus est larignæ resinæ quæ vulnerata arbore melleo colore effluit, hac nostrates terebinthinæ loco non infeliciter utuntur, ac vulgus illa ut domestico remedio, non tantum ad vulnera & exteriora corporis vitia curanda utitur, sed adversus internos quoque morbos eandem deglutiunt: ac certum est renes & vesicam hoc remedio purgari, namque in ipsa urina odor ejus facile apparet, si vel triduo quis ea usus fuerit. Fungus postremo qui in Larice nascitur, frequentissimi usus est in purgando corpore, Agaricum medici nominant.

De Alpinis fruticibus & herbis.

INter Alpinas herbas nihil habeo prius commemorandum uberrimis pascuis, quæ omni armentorum & pecorum generi montes nostri suppeditant, ita ut infinita pecoris vis, longeque major quam pro regionis amplitudine in Helveticis & Rheticis Alpibus alatur. Novi ego vallem, quæ paulo plus viginti millibus passuum in longum patet, multis autem in locis adeo arcta est, ut videare tibi facile sclopeto ab una montis parte oppositum latus tangere posse, & tamen fide digni homines asserebant, quotannis ali in ea valle quindecim millia capitum majoris pecoris, cumque ego mirarer qui id fieri posset, ostendebant vallem longe ampliorem esse, quam primo obtutu videatur, montibus superne maxime distantibus, in quibus latissima & uberrima sint pascua. Est autem hoc peculiare & proprium Alpinis pascuis, quod herbæ sub ipsis nivibus crescunt, itaque sæpe accidit æstate, ut quo loco heri nives erant ibi altero die lætissima pascua cernas, ac tantum abest ut nivium copia pascuis obsit, ut potius ea agros fertiliores faciat. Nives enim non parum terræ admixtum habent, aeris multum, aquæ plurimum, accedente igitur Solis calore lætamen conficitur excellentissimum: & quia tarde nives in montibus solvuntur, terra æstate incalescente atque calorem suum expirante nives prope terram liquescunt, neque amplius herbis incubant, sed eas simul & lætificant, & una quoque spacium præbent quo crescere possint, atque ita fit, ut mox atque solutæ nives fuerint, animalia in pascua duci possint.

Sed non tantum pascuas herbas Alpes pecoribus suppeditant, verum multa plantarum genera, rara & non facile alibi obvia, in Alpibus inveniuntur, partim à veteribus descripta, partim adhuc antiquo nomine & certa descriptione destituta. Quare ne hanc partem prorsus intactam prætereamus, subjiciemus nomina aliquot alpinarum herbarum & fruticum, quæ à doctissimis viris & summis amicis nostris, nunc in Domino quiescentibus, Conrado Gesnero, Joanne Fabricio, & Benedicto Aretio adnotata sunt. Optamus autem brevi in publicum edi

edi picturas & descriptiones, non tantum Alpinarum sed omnis generis plantarum, quas clarissimus medicus Casparus Wolphius ex Gesneri & propriis observationibus quotidie conficit. Commemorabo autem eas, tumultuario ordine sicut ab illis adnotatas inveni.

Lunaria arthritica cognominata, hanc pastores altiorum montium **Fluß blumle** flosculos rupium nominant, radicem habet in fine præmorsam: alia tamen est ab herba vulgari, quam plerique morsum diaboli appellant, descriptio ejus copiosior extat in libello Gesneri de Lunariis herbis. Lunaria Græca quam quidam **Blitteren** vocant floribus admodum odoratis. Tria præterea vel quatuor Lunariarum genera, quæ à Gesnero in eodem libello describuntur.

Sylibus quam vulgo Carlinam vocant, Germani radicem apri **Æberwurtz**, cujus capitula carnosa calice, floribus, ac semine resectis, suave edulium præbent ex aqua cum sale & pipere adjecto, caulis hujus interdum ferè cubitum æquat, & ex uno sinu prodeunt infinita capita.

Conizæ alpinæ genus sesqui cubiti aut amplius proceritate corymbis florum luteis, fibris radicum albis, plurimis & confectis, subamaris, à pecore non attingitur, pastorum aliqui **Bone** vocant, aliqui **Goldkrut**.

Herba cervi ut quidam appellant, sed alia quam Elaphobyoscon, foliis chamædrios, lignosa repit, subastringit, insipida ferè, semine lanuginoso, ut vitis sylvestris, caustica ferè. Gentianæ species plurimæ: magna primum floribus luteis cujus veteres meminerunt: altera deinde junior floribus puniceis, radice lutea, amariore quam gentiana magna: omnium minima fibris radicularum amarissimis, **Bitterwurtz**: alia ejusdem species foliis fere hirundinariæ, floribus cæruleis, **grosse Bitterwurtz**. Utuntur ea pastores ad ubera vaccarum si à muribus, araneis, aut aliis bestiis venenatis lædantur.

Anemone alpina radice nigra, flore albo, quo cadente calix lanugine & canicie horrescit.

Rosa alpina, **Alprose**, non magnis sed roseis odoratis floribus, frutex etiam totus suaviter odoratus est foliis fere oleæ, quidam **Bärenblust**, nonnulli **Himerloub** vocant.

Allium alpinum, **Sigwurtz**, **Siben hämleren** ab involveris, quibus tanquam reticulo radix involvitur. Victorialis longa.

Ursi radix, Meum quorundam, **Bärenwurtz**.

Imperatoria sive Astrancia Laserpitium Gallicum quorundam.

Muttelina vulgo dicta, qua recoctam condiunt, hujus radix minimi digiti crassitiem quandoque æquat, ut plurimum tamen minor, umbellam gerit qualis est in pimpinella rubescente.

Aconiti varia genera, **Wolffwurtzen**, luteo, cæruleo, purpureo flore.

Polygonati genus erectum. Item herba quam aliqui vocant, noli me tangere, flore pallido aconiti lycoctoni non sine veneno, ut Gesnerus conjicit.

Herba foliis Aspleno persimilis, cauliculis ab una radice quinque vel sex, duos fere palmos longis & spicam florum sustinentibus, ut Orchis ferè.

Trollius flos, ut nostrum vulgus appellat, & in hortos transfert, coronarius est, nec alius ex ea usus, neque enim ad ulla remedia utilis, neque venenata est, ut quidam suspicati sunt, tanquam aconiti genus ex foliorum cum napello similitudine decepti. Flores sunt lutei, ampli & veluti in globum collecti: nulla calyce, inodori fere.

Sedum montanum majus, folio serrato, oblongo caule, erecto, gracili: floribus albis. Sedi minimi variæ species, Luteum, Igneum, Maculatum.

Wülblume, flos odoratus est, folio Pilosellæ, circa supernum cauliculum folia multa imparia, candicantia, lanuginosa, medio orbe quinque vel sex flores: inter quos medius plerunque aridus: ex singulis lutei apices emicant, radix arida, parva, summo cespite hærens. Tomenti speciem arbitror.

Himmelstengel, pusilla herbula est: flores habet cœruleos, radiculas amaras, ut Gentiana minima.

Kelberschiß, palmum altitudine æquat: flores cœrulei sunt, pallidiores tamen quam in superiori, uno caule plurimos fert flores, denos interdum, eoque plures: herba tota amara est, superiori congener.

Jegerkraut, herba caustica, flore albo, pusilla. Ranunculus montanus.

Balmenstritten, frutex est ἄκαρπος, nec enim florere nec fructum ferre dicitur, inter saxa serpit, semper virescens: etiam hyeme folia retinet, ramos intortos, fractu contumaces, folio Buxi.

Fluoblumen, alterius generis à Lunaria, variis coloribus: flore luteo, pallido, purpurascente, rubescente, sanguinis modo cinereo, nec desunt qui atro colore reperiri dicant. Cum his emergit alia species Arthriticæ, quæ plurimos flores ex una radice profert, quemlibet autem suo proprio pediculo.

Bastartklee, quasi adulterinum trifolium dicas.

Hirtzwurtz weiß und schwartz. Et sub eodem nomine alia herbula pusilla, folio Chamædryn referens, flos ei albus est, qui evanescit in lanuginem, superne folium viret, subtus autem albicat, Chamædrys alpina.

Keyserlin, herba pusilla, albicans bellidis minimæ forma, oblongioribus foliis. Cauliculus tenuis, in summo plurimos confertos flores purpureos habet, tota herba candicat & attrita manu pulverem exuit, aspectu elegans. Cæsar inter herbas aut regulus.

Rackenballen, cubitum ferme æquat, folio Plantaginis aut Ellebori albi, terna aut quaterna per caulem folia habet, ex quibus erumpit ut in perforata, in summo unus flos, raro duo: is luteus est, oblongus, luteum ovi exprimens, concavus: quem ambiunt apices, seu folia potius, ignita rutilantia, morionum habitus procul contuentibus refert, aut dæmonum larvas, cadente flore semen in spica (siliqua) continetur. Damasonii aliqua species.

Bergmüntz, Calamintha montana & vera.

Waldschiben, herba tota folio & floribus Saxifragam exprimit, radice tantum ab ea differt, quæ in hac nigra est & pilosa.

Flüberlin, arbustum est, primo vere floret, folio Piri per orbem tenuiter inciso, fructus nigros fert, plures confertim parvos, quale est Sorbum torminale. Pirafter.

Garlobsstuden, folio Buxi, parum à rosa montana frutice (hoc est **Bergrose**) differens.

Edeldistel, Carduus, inter carduos speciosissimus folia habet mollia, ab una radice, per caulem rara: quæ referunt folia herbæ, quam **Roßblumen** nominamus: altitudine cubiti in altum assurgit caulis. Capita in summo sunt singula, interdum bina, cærulea, quandoque alba, interdum purpurea, color collucet mixtus viridi, tum in capitibus, tum in supremis foliolis. Mollis est tota, & etiam spinis, quas æmulatur, nam non pungunt. Radix nigra subest, longa & bifida.

Hüttreiff, Croci sylvestris seu montani species est, flores quidam cœrulei, alii candidi, nonnulli

 utroque

utroque mixti, tenuis radix, bulbacea subdulcis, grata suibus, rubescente lana involuta. Herbaceum capillamentum quod foliorum loco habet, in Jura monte præsertim supremo jugo Gestlero Leistrut nominatur.

Wilder senff, herba ejus nominis duarum specierum reperitur. Prior uno pediculo septena habet folia, supremo caule multi flores purpurei, & partim albi: post quos cornicula subnascuntur semen continentia minutum, compressum, radix subest alba, alabastri modo splendens squamea. Altera quinque folia habet uno pediculo, alias superiori non dissimilis, tota substantia utriusque acris est sinapi æmulans, aut Raphanum. Ad cubiti altitudinem crescunt: umbrosa loca amant, & latices, primo vere statim emergunt. Aliqui Pulmonariam hanc vocant.

Ranunculus quidam parvus, flore albo. Jegerkrut.

Mutterwurtz, à quibusdam dicta: veluti plantago quædam alpina: foliis plantaginis, leniter hirsutis: flore Doronici, radice aromatica.

Centaurium majus, Rhaponticum vulgo dictum, non procul a jam dicto loco.

Lilium purpureum radice lutea: quo pro Asphodelo quidam abutuntur.

Christophoriana, quæ quò in loco nascitur editiore, tanto est exilior & pressior: ut & reliquæ pleræque omnes herbæ. Christoffelskraut, aliis Wolffwurtzen.

Nardus Celtica seu saliunca quæ vestibus apponitur ut illas jucundo odore commendet.

Chamæcerasus montana Bergkriese.

Chamæme spilus alicubi Mälpi nominatur.

Chamænerion sive Buccinaria Schoßkraut.

Conyzoides cerulea, Schartenkraut: Dentelaria quibusdam. Quatuor has plantas Gesnerus peculiari libello descripsit, ad Casparum Collinum Pharmacopœum Sedunensem.

Tota herba venenata copiose à Gesnero descripta, in historia lupi, & libro de Lunariis.

Elleborus albus quem nostri Germern nominant. Ejusdem alia species notha, superiori per omnia respondens, nisi quod foliis minoribus sit prædita acutæ plantagini similibus: & quod flores lutei caulem circundant, singuli propriis insidentes pediculis avium instar.

Phyllitis, Lonchitis scolopendrio similis, Pimpinella purpurea, Sanicula alpina guttata, Tussilago, item violarum, item Ranunculi varia genera specie diversa vulgaribus & quæ depressioribus locis nascuntur: foliis minoribus & solidioribus, passim in singulis alpibus, obvia sunt. Doronicum & seseli quod pharmacopœi Siler montanum cognominant, in summis jugis reperitur. Vitis Idæa nigris acinis: item alia rubris acinis acidior & minus grata.

Rubus Idæus fructu rubi fere absque ullis spinis: humilis planta lignosa radice, foliis rubi vel fragi, acinis binis, ternis, aut singulis in uno fructu, acido sapore.

Præterea varia fruticum & herbarum genera hactenus incognita, ab his qui horum cognitioni operam dant, in Alpibus inveniuntur.

De animalibus alpinis.

QUod de arboribus supra ex Theophrasti sententia scripsimus, in magnis montibus omnia fere arborum genera nasci, idem de animalibus quoque dici potest: etenim in alpinis regionibus omnia fere animalia degunt, quæ quidem Europæ nota sunt, Leones enim, & Tigrides, & Africanas atque Indicas feras nemo in frigidissimis montibus quærit. Verum sylvestria animalia, majora & minora varii generis in Alpibus inveniuntur: nam his quæ aquis gaudent non desunt lacus & flumina, quæ campos amant, degunt in vallibus. Cæterum sicut quædam sunt montanæ arbores, quæ nasci in planis nequeunt, ita etiam quædam animalia montibus propria sunt, quæ non facile in aliis regionibus invenias: quorum aliqua commemorabo. Strabo ex Polybio tradit Alpes habere equos agrestes & boves, & peculiaris formæ (inquit) belluam gignunt, habitu quidem ad cervi staturam, collo duntaxat excepto, & villis, in quibus capro perquam similis est, geritque sub mento carnis globum, ad palmæ magnitudinem capillosum, crassitudinem instar equini pulli caudæ habentem: πωλικης κερκου το παχος: Merula ipsi animali equini pulli caudam adscribit.

Ibex quem etiam caprinorum quidam vocant Steinbock, animal est Alpibus proprium, quorum summos vertices incolit, ubi glacies nunquam solvitur: natura enim frigus requirit hoc animal, cæcum aliter futurum. Ibex fœmina Germanis Ibsch geiß dicitur.

Rupicapra quam feram capram Græci, nostri Gemmß vel Gammß nominant, alpina capra est & nominari potest, rupes enim montium incolit, non tamen summas ut Ibex, neque tam alte & longe salire solet. Amat petras arenosas quas lingit salis vice, ad inertem pituitam linguæ defricandam, & appetitum excitandum: atque ad hæc loca quæ nostri fultzen vocant frequentes conveniunt, & à venatoribus in propinquo latitantibus feriuntur.

Mus alpinus Plinio dictus, Italis Murmont, Gallis Marmote, nostris Murmelthier, Murmentle, ipso cognomine indicat, quæ sibi propria sit sedes: apud nos in altis tantum & nivosis montibus degit, & sub terra suas cavernas habet, in quibus tota hyeme convolutus delitescit & dormit.

Præterea nusquam fere nisi in Alpibus aut altis montibus inveniuntur Vrogalli, quorum majores creduntur esse Tetraones Plinii, à nostris Orhan vel Urhan, & grosser Bergfasan, montani Phasiani nominantur: minores in Helvetia nominantur Laubhan, alibi Bromnhan, & kleiner Bergfasan. Est præterea duplex genus gallinarum sylvestrium totum candidum: majus vocant ein Brugelhan, minus ein Spielhan, ambo in Alpibus potissimum degunt.

Lagopus pedes leporino villo insignes habet columbarum more, ipsa tota candida: adeo montes amat ut nive liquescente inferioribus locis, subinde altiora in quibus nix perennat persequatur. Candore vel ipsas nives superat, ac homine conspecto se in illas abdit, ac sese motu prodere cavet, ut nivis similitudine fallat. Germani vocant Schneehun & Steinhün.

Cæterum tam quadrupedum quam avium multa alia genera in Alpibus, ut dixi reperiuntur, eadem genere cum his quæ in plano degunt, & prorsus similia, nisi quod plerunque firmiori corpore & fortiora sunt montana animalia. Atque qui hæc observant facile discrimen animadvertunt: exempli gratia cervus in Helveticis montibus & corporis magnitudine atque cornibus differt à cervis quos trans Rhenum nobis proxima silva Hercinia alit, illi enim collum magis hirsutum habent, nec tam excelsis sunt cornibus & corpore tam bene compacto. Sic equi alpini Germanicis quos Frisia mittit, toto corpore & præsertim cruribus minores sunt: sed magis laboriosi præsertim si per montes, aut loca saxosa iter faciendum fuerit. Aves quibus ad aucupium utimur, ut accipitres, Falcones, in Alpibus natæ aliis longe præstare creduntur, & ad remota loca exportantur. Quædem etiam animalia colorem in Alpibus mutant, & prorsus alba fiunt, ac frequenter lepores albos, & mustelas albas vidimus: capræ quoque sylvestres totæ albæ interdum sed rarissime conspiciuntur. Et in Allobrogum alpibus, se perdices albas comedisse Cæsar Scaliger scribit: Cur autem colorem mutent rationes duas idem affert. Prima causa est alimentum ex quo colores contrahuntur animalibus. Vulgo apud nos dicunt leporibus albis nivem pro cibatu esse hybernis mensibus. Deinde præter alimentum nivium aspectus affert matricum phantasiæ speciem coloris hujus: ut vel parturiendo vel incubando fœtus edant aut excludant concolores.

Quoniam vero quicquid tam de quadrupedibus quam de avibus Alpinis, & piscibus quoque Alpinorum fluminum & lacuum dici potest V. CL. Conradus Gesnerus diligentissime collegit, & copiose ac docte exposuit, in laborioso opere historiæ animalium, ab eo hæc peti debent, etenim si diligenter ejus scripta evolvantur, ab harum rerum cupido lectore, nihil aut parum erit quod præterea desideret.

JOSIAE SIMLERI
APPENDIX
DESCRIPTIONIS
VALLESIANAE.

Martyrium beati Mauritii & sociorum ejus, ex V. C. descriptum.

Elogium Matthæi Cardinalis Sedunensis, ex Paulo Jovio.

De thermis & fontibus medicatis Vallesianorum liber, Gasparo Collino Pharmacopœo Sedunensi auctore.

REVERENDO PATRI ET DOMINO

D. MARTINO ABBATI COENOBII

D. MAURITII APUD VALLESIANOS, JOSIAS SIMLERUS TIGURINUS, GRATIAM ET PACEM A DEO PATRE, ET DOMINO NOSTRO JESU CHRISTO PRECATUR.

SUPERIORIBUS diebus, cum typographo Vallesiæ descriptionem publicandam dedissem, casu accidit ut in perveteri bibliotheca ecclesiæ nostræ quosdam manuscriptos libros evolvens, inciderem in historiam beatorum martyrum Thebeæ legionis, brevem quidem, sed ut mihi videtur pervetustam, eam continuo describendam curavi, & meo libello quasi quandam appendicem adjeci. Quamvis enim non indiligenter, ut existimo, hanc partem historiæ ex variis auctoribus collectam exposuerim, volui nihilominus hoc testimonio meam illam narrationem confirmare, cui antiquitas auctoritatem non parvam affert. Velim autem historiam S. S. martyrum Thebeæ legionis, quam notissimam omnibus esse. Propterea quod passim in Helvetia tantorum virorum vestigia quasi ostenduntur. Prodest autem indicia virorum memoria dignorum observare, non tantum ut sciamus, id enim curiosorum est, sed ut ad eorum virtutem, fidem, pietatem imitandam excitemur. Addidi deinde huic narrationi, Elogium Matthæi Cardinalis Sedunensis, ex Paulo Jovio: etenim quia frequens ejus mentio fit in Vallesianorum historia, volui celeberrimi historici de illo judicium apponere. Postremo Gaspari Collini Pharmacopœi quondam Sedunensis, libellum de thermis & fontibus medicatis Vallesianorum addidi, quem mihi ex bibliotheca sua liberaliter communicavit, clariss. medicus & summus meus amicus D. Gasparus Vvolphius. Scripserat hunc auctor, in gratiam CL. medici Conradi Gesneri, qui studiose descriptionem omnium fontium medicatorum per Helvetiam collegit: quoniam vero uterque in Domino obdormivit, prius quam hic libellus in publicum ederetur, ne perpetuo delitesceret, meis commentariolis hunc adjunxi, sperans id gratum fore harum rerum studiosis, quamvis enim genus orationis non sit expolitum, rerum tamen ipsarum tractatio diligens est & accurata. Hæc autem tibi Reverende Domine offero, & una cum nostra Vallesiæ descriptione ad te mitto, simulque rogo, ut non dedigneris hæc quamvis exilia per otium inspicere, & tuam de his sententiam pronuntiare. Facile namque video, & ingenue profiteor, multa, meæ huic descriptioni deesse, inter eos autem qui eam augere & perficere possint, te R. D. ex præcipuis unum esse existimo: etenim tibi non tantum locorum situs & res domesticæ notissimæ sunt, sed præterea multa antiquitatis monumenta vetustissimi Cœnobii tui bibliotheca suppeditare poterit. Cæterum ut hoc ipsum R. Domine quod potes etiam facere velis, ego quidem mea causa petere non ausim, quam enim auctoritatem & gratiam ad hoc impetrandum homo peregrinus & ignotus afferre possem? Sed id ipsum patria postulat, idem expetunt historiarum & veteris antiquitatis studiosi. Apud me quidem, quicunque me alicujus erroris admonuerit, aut quicquam notatu dignum commentariolis meis addiderit, magnam inibit gratiam, meque illi multum debere profitebor. Neque vero existimes Reverende Domine operam hanc seram & inutilem fore, libro jam in publicum edito: nam si mihi Deus vitam concesserit, spero hanc ipsam Vallesiæ descriptionem, cum reliquis meis Helveticarum rerum commentariis denuo edendam fore. Quare si interea temporis viri boni, quicunque illi fuerint, aliquid ad augendam aut emendandam hanc meam descriptionem attulerint, idipsum fidelissime addetur. Neque dubito fore aliquos qui hoc faciant, præsertim si tu R. Domine illis exemplo præeas, & authoritate tua eos excites, idque ut benigne & clementer velis, pro tuo erga patriam & bonas literas amore, majorem in modum obsecro, & me quoque meosque labores tibi R. D. commendo, ac Deum precor, ut te patriæ diu incolumem conservet. Tiguri pridie nonas Augusti, 1574.

MAR-

MARTYRIUM S. MAURITII ET SOCIORUM EJUS. EX VETERI MARTYROLOGIO DESCRIPTUM.

SUB Maximiano, qui Romanæ reipublicæ cum Diocletiano collega imperium tenuit, per diversas fere provincias laniati aut interfecti sunt martyrum populi. Idem namque Maximianus sicut avaritia, libidine, crudelitate, cæterisque vitiis obsessus furebat, ita etiam execrando gentilium ritui deditus, & erga Deum cœli profanus, impietatem suam ad extinguendum Christianitatis nomen armaverat. Si qui tunc Dei veri cultum profiteri audebant, sparsis usque quaque militum turmis, vel ad supplicia vel ad necem rapiebantur, ac velut vacatione Barbaris data, prorsus in religionem arma commoverat. Erat eodem tempore in exercitu legio militum qui Thebæi appellabantur: Legio autem vocabatur, quæ tunc sex millia ac sexcentos sexaginta sex viros in armis habebat. Ii in auxilium Maximiano ab Orientis partibus accersiti venerant, viri in rebus bellicis strenui, virtute nobiles, sed fide nobiliores. Christianæ enim religionis ritum ab Hierosolymitanæ urbis Episcopo susceperant, ejusdem fidei fundamentum Romam transeuntes de Marcelli ejusdem urbis Episcopi exhortatione roborant. Erga Imperatorem formidine, erga Christum devotione certabant, Evangelici præcepti etiam sub armis non immemores, reddebant quæ Dei erant Deo, & quæ Cæsaris, Cæsari restituebant.

Cum itaque & hi sicut cæteri militum ad dilaniandam Christianorum multitudinem destinarentur, soli crudelitatis ministerium detrectare ausi sunt, atque hujusmodi præceptis se obtemperaturos negant. Maximianus non longe aberat, nam se circa Octodorum itinere fessus tenebat, ibi cum ei per nuntium delatum esset, legionem hanc adversus mandata regia rebellem in his angustiis substitisse, in furorem instinctu indignationis exarsit. Sed priusquam reliqua commemorem, situs loci istius relationi inserendus videtur. Locus hic sexaginta fere millibus à Genevensi urbe abest, quatuordecim vero millibus à capite Lemanici lacus, quem influit Rhodanus; locus hic jam inter alpina juga in valle situs est, ad quem pergentibus difficili transitu asperum, atque arctum iter panditur. Infestus namque Rhodanus saxosi montis radicibus vix pervius est viantibus, undique tamen imminentibus saxis amœnus quidem, sed exiguus inter montium rupes campus aperitur.

Igitur sicut supra diximus cognito Maximianus Thebæorum responso, præcipiti ira fervidus ob neglecta imperia, decimum quemque ex eadem legione gladio feriri jubet, quo facilius cæteri reb. certis territi metu cederent, redintegratisque mandatis edicit ut reliqui in persecutionem Christianorum cogantur. Ubi vero ad Thebæos denunciatio iterata pervenit, cognitumque ab eis est injungi sibi rursus persecutionem profanam, vociferatio passim ac tumultus in castris exoritur, affirmantium nunquam se ulli in hæc tam sacrilega ministeria cessuros, idolorum profana semper detestantes, sacræ & divinæ religionis cultui instantes, æternitatis Deum colere, extrema experiri satius esse, quam adversus Christianam fidem venire. His deinde compertis Maximianus omni bellua cruentior rursus ad ingenii sævitiam redit atque imperat ut iterum decimus eorum cæderetur, cæteri nihilominus ad hæc quæ spreverant, compellerentur. Quibus jussis denuo in castra perlatis, segregatus est atque percussus qui decimus forte obvenerat, reliqua vero se militum multitudo mutuo sermone instigabat, ut in tam præclaro opere persisterent.

Incitamentum tamen maximum fidei illo tempore penes sanctum Mauritium fuit primicerium tunc sicut traditur legionis hujus, qui cum Exsuperio, quem exercitus appellat Campiductorem, & Candido senatore animos militum accendebat, non modo exhortando singulos & monendo fidelium commilitonum, sed etiam martyrum exempla ingerens, pro sacramento Christi, pro divinis legibus, si ita necessitas ferret, omnibus emori suadebat, sequendosque admonebat socios illius & contubernales suos, qui jam in cœlo preces ferant. Flagrabat enim tunc in beatissimis viris martyrii gloriosus ardor. His itaque primoribus suis atque auctoribus animati, Maximiano adhuc insania æstuanti, mandata mittunt, sicut pia ita fortia, quæ feruntur fuisse in hoc modo: Milites sumus Imperator tui, sed non tam servi quam liberi confitemur Deum: tibi militiam debemus, illi innocentiam: a te stipendium laboris accipimus, ab illo exordium sumpsimus. Sequi imperatorem in hoc nequaquam possumus, ut auctorem negemus Deum, utique auctorem nostrum, Dominum velis nolis & tuum. Si non in tam funestam rem compellimur, ut in hoc eum offendamus, tibi ut fecimus hactenus adhuc parebimus: sin aliter, illi parebimus potius quam tibi. Offerimus nostras in quemlibet hostem manus, quas sanguine innocentum cruentare nefas dicimus. Dexteræ istæ pugnare adversus impios atque inimicos sciunt, laniare pios & cives nesciunt. Meminimus nos pro civibus potius quam adversus cives arma sumpsisse. Pugnavimus semper pro justitia, pro pietate, pro innocentium salute. Hæc fuerunt hactenus nobis pretia periculorum. Pugnavimus pro fide, quam quo pacto conservamus tibi, si hanc Deo nostro non exhibemus? Juravimus primum in sacramenta divina: juravimus deinde in sacramenta regia. Nihil nobis de secundis credas necesse est, si prima perrumpimus. Christianos ad pœnam per nos requiri jubes, jam tibi ex hoc alii requirendi non sunt. Habes nos hic confitentes Deum patrem auctorem omnium, & filium ejus Jesum Chri-

stum, & spiritum sanctum credimus. Vidimus laborum nostrorum socios, nobis quoque eorum sanguine aspersis, trucidari ferro, & tamen sanctissimorum commilitonum mortes & fratrum funera non flevimus, non doluimus, sed potius laudavimus, & gaudio prosecuti sumus, quia digni habiti essent pati pro domino Deo eorum.

Non nos vero vel hæc ultima necessitas in rebellionem cogit, non nos adversum te Imperator armavit ipsa quæ fortissima est in periculis desperatio. Tenemus ecce arma, & non resistimus tibi, quia mori quam occidere magis maluimus: & innocentes interire, quam noxii vivere præponimus. Si quid in nos ultra statueris, si quid adhuc jusseris, si quid admoveris, ignes, tormenta, ferrum, subire parati sumus. Christianos nos confitemur, persequi Christianos non possumus.

Cum hæc & talia Maximianus audisset, obstinatosque in fide Christi cerneret animos Thebæorum, desperans gloriosam eorum constantiam posse revocari, una sententia interfici omnes decrevit: & rem confici, turbam circumcingi militibus jubet. Qui cum missi ad beatissimam legionem venissent, stringunt impium ferrum in sanctos Dei, mori non recusantes vitæ amore. Cædebantur itaque passim gladiis non reclamantes, sed & depositis armis cervices persecutoribus vel intectum corpus offerentes, non vel ipsa suorum multitudine, non armorum motione elati sunt, ut ferro conarentur asserere justitiæ causam, sed hæc solum reminiscentes, se illum confiteri qui nec reclamando ad occisionem ductus est, & tanquam agnus non aperuit os suum, ipsi quoque tanquam grex dominicarum ovium, laniari se tanquam ab irruentibus lupis passi sunt. Operta est terra illic procumbentibus in mortem corporis piorum, fluxeruntque pretiosi sanguinis rivi. Quæ unquam rabies absque bello tantam humanorum corporum stragem dedit? Quæ feritas ex sententia sua tot simul perire vel reos jussit? Ne justi punirentur multitudo non obtinuit, cum inultum esse soleat, quod multitudo delinquit.

F I N I S.

MATTHÆI CARDINALIS SEDUNENSIS ELOGIUM. EX JOVIO.

MATTHÆVS cui Lango (*rectius Schinero, Longus enim Gurcensis Card. fuit, alius à nostro, ut alibi etiam ipse Jovius scribit*) cognomen fuit, & honorem postea purpuræ adeptus est, apud Sedunum urbem fœderatamque Helvetiis & Rhetis, natale solum habuit, humili quidem patre genitus: sed eo pro captu Alpinæ gentis, nihil à literis abhorrente. Quamobrem ab eo, ut primum adolevit, in Italiam est missus, eo consilio ut Italicam perdisceret linguam, & Latinis pariter literis operam daret, demumque (uti evenit) sacris initiaretur. Itaque Matthæus post prima literarum rudimenta quæ in patria perceperat, Comi sub Theodoro Lucino nobili (uti illa ferebant tempora) grammatico, poetaque tantos processus fecit in studiis, ut nihil earum rerum quæ vel audiret, vel legeret, robusti avidique ingenii memoriam subterfugeret: utpote qui sæpe ægri præceptoris munia docendo felici æmulatione obire esset solitus, magnamque partem Maronis Æneidos, & Heroidum Nasonis, quanquam subagresti vocis sono recitaret, amplectereturque supra cunctos authores librum de Consolatione Boetii Severini, qui liber moralibus multis exemplis refertus, delectos quotidianis actionum suarum sermonibus flores & exempla cunctis quoque casibus opportuna, ita suppeditabat, ut ejus eloquentiam non Germani modo, sed Itali etiam eruditiores magnopere mirarentur, conciliaretur inde Sedunensi populo ad promerendum Episcopatus sacerdotium, quem populus spectatum moribus per suffragia deligere, & Pontifici maximo mitra exornandum offerre consuesset. Ubi vero stolatus & infulatus de more in templo sacras habere conciones cœpit, tanto concursu omnis generis hominum audiebatur (quod mores exacte sobrios castosque præferret, qui ipsam eloquentiæ laudem sine controversia superarent) ut ampliore sacerdotio dignus haberetur. Nam multus erat, & efficax in componendis controversiis, quæ inter cives atque finitimos intercederent, usque adeo recto atque incorrupto judicio, ut nemo vel factiosus, eum ultro oblatum arbitrum rejiceret. Eo modo collecta authoritate apud suos populares probitatis atque industriæ nomine potens & validus, in id incidit tempus quo exortum est bellum inter Gallos & Julium Pontificem, quum Ludovicus Rex, infausti damnatique nominis causam suscepisset excitandi concilii, cujus sanctionibus atque armis impotenter dignitas Pontificis convelli posse putabatur. Jamque eo res erat perducta, ut Julius ex Ravennate cruento prælio victus spoliatusque Bononia, & nefariis undique armis circumventus ab externis gentibus Hispanis atque Britannis, Helvetiisque præsertim, opem implorare cogeretur. In ea controversia Matthæus integræ pietatis studium, egregiamque operam sic præstitit, ut à Julio supplente Senatum, in honorem Helvetiæ gentis, purpuræ dignitate honestaretur. Nec multo post Matthæus multis concionibus apud Helvetios habitis egregie persuasit ut pia arma susciperent adversus Gallos, qui res divinas profanis commiscere conarentur. Quod ob id non magnopere difficile fuit, quoniam Gens Helvetia paulo ante sese ab amicitia Ludovici regis alienarat, tanquam ingrate spreta & fraudata donativis atque stipendiis, avari aut certe nimis parci Regis acceptam contumeliam vindicare percuperet, eoque gravius & properantius, quod pro Helvetiis legionibus auxiliaris Gallus Germanorum cohortes mercede conducere cœpisset: cujus injuriæ is fuit exitus, ut Matthæus cum suo astrictus officio, tum purpurei galeri beneficio obligatus, universam gentem adversus Gallos concitaret, eosque Ticino pulsos, & ad Alpes & in Galliam fugientes, Cisalpinæ Galliæ imperio expelleret. Nec ab ea celebri victoria, qua haud dubie Pontifici sua dignitas est restituta, Matthæus aut studium suum erga Pontificium decus, aut odium in Galloe intermisit.

Nam

Nam mortuo Julio, Leonem Decimum pro recipienda Parma atque Placentia bellum moventem mirifice adjuvit, Gallosque Duce Lotrechio iterum Mediolano depulit, instauratoque sæpe bello, quum Leo Pontifex fato esset ereptus, atque ei suffectus Hadrianus Sextus cujus comitiis interfuerat, nunquam ab authoritate Pontificii nominis discesserat. Mortuus est Romæ non plane senex primo Hadriani pontificatus anno, vir inter exactæ virtutis Imperatores, potius quam inter Senatores numerandus, si corporis ac ingenii robur & rerum strenue gestarum cumulum spectes. Maxime vero ei gloriosum fuit Francisci Regis judicium, quum asseveraret, me audiente, aliquanto plus sibi sumptus atque periculi Sedunensis facundiæ indomitam vim, quam tot legionum ejus gentis cuspides attulisse.

PLACIDII PLACENTINI.

En tua purpureus decorat Matthæe Galerus
Tempora digna sacro triplicis splendore coronæ.
Scilicet exultans telis ferus accola Rheni
Pondus arenosum rapidis qui flexibus urget
Oceani in gremium, demens, hostilibus armis
Imperia, & leges divum lacerare profanus
Irruerat: miseræque novus tremor ossa tenebat
Italiæ, validis quum te duce castra maniplis
Helvetia adventant, bisque acres cuspide Gallos
Fundunt, Pontificemque armis victricibus ulta
Tandem nubiferas Alpes transcendere cogunt.

AVGVSTI COCCEIANI.

Helveti, gens una Jovi carissima summo
Et cara Martis pignora.
Invicti bello populi, certissima Regum
Bellantium spes, ac metus:
Nullone Heroas vestros celebratis honore?
Nullo ære? nullo marmore?
Certe etiam externos, claræ virtutis amicæ
Artes fovebunt Italæ.
Ipse pater Jovius quam mira expresserit arte
Illustrium formas Ducum
Cernitis, & vestri ductoris imagine vera, ut
Dotes & ora effinxerit.
Qui late Italiam fama compleverat omnem
Virtutis ergo fulgidæ.
Quare purpureo corpus velabat amictu,
Sacro coruscus ordine:
Certabantque virum sublimem tollere ad astra
Bellona, Pytho, Sanctitas.

DE SEDVNORVM THERMIS ET ALIIS FONTIBVS MEDICATIS LIBER, AVCTORE CASPARO COLLINO SEDVNO.

SEDUNORUM diocœsis montibus horridis & inaccessis, nivibusque perpetuo rigentibus, ita undique vallata est, ut vix Rhodano versus Orientem rapidissimo Europæ fluvio, orienti, vallemque secanti, & ad Occasum in Veragrorum agros delapso patere videatur. Quæ cum aliis quam plurimis mineris tum metallorum tum fontium medicatorum abundet, propter duo tamen genera thermarum præcipue celebratur. Quorum alterum in Brigiensi, alterum in Leucensi conventu, sive (ut hodie nuncupant) Deseno, situm est. Quoniam vero hoc frequentissimum est ob eximias & singulares vires ab accolis in longinquas regiones divulgatas, illud minus celebre, de eo priore loco dicendum existimamus.

Leucenses itaque thermæ à Leuca præcipuo hujus Deseni pago nominatæ, duodecim millibus passuum à vetustissima urbe Seduno (unde & populus nomen sumpsit) ad Orientem distant. A pastoribus pecudes suas æstivo tempore illic pascentibus, vel ut alii, quibus magis assentior, à venatoribus inventæ sunt. Locus enim hic olim fuit horrendus difficilisque aditu, nam ab Oriente clauditur glacie alta & quæ habet fissuras profundissimas: à meridie habet montem invium & inaccessum: ab Occidente vero nemora densissima & tenebrosa (ut ab his locus appellatus sit eorum idiomate Sholtz im Thal, id est, Vallis nemorum) saltus excelsos & rivum Dalam æstivo tempore excrescentem, ut vix suo contineatur alveo; & hac nunc iter est ad oppidum Leucam: à Septentrione adeo præruptum montem habet, ut accolæ & aliarum nationum homines, profunditatum non assueti, hunc ascendentes, & magis etiam descendentes, oculos propter vertiginem capitis velare cogantur, ideoque monti ipsi quod non nisi cum crebris & maximis gemitibus superetur nomen inditum, Gemmi. Denique is locus erat in quo nemini habitare quam Hamadryadibus, Nymphis & feris: accedere autem illis solis qui has insequerentur, liceret. Annis aliquot post elapsis semitis à venatoribus ostensis & tritis, cum propter ferarum copiam, tum maximæ ob fontis utilitatem etiam alii incolæ sese eo contulerunt. Deinde pastores hæc vestigia secuti, illic pecudes suas pascere, magalia, casasque (ob accolarum adventum, & quia sylvæ herbarum fertilissimæ sunt) struere cœperunt. Quo vero tempore id factum sit non constat: turris tamen antiquissima jamque ruinam minitans, evidentibus argumentis ostendit, ante aliquot sæcula hæc accidisse. Hanc quidam constructam à quodam nobili viro cognomine Mans affirmant, contra vim prætereuntium militum: nam transitus fuit frequens postquam vallis inhabitari cœpit. Non quidem per eundem locum qua jam iter est, sed paulo superius cujus viæ vestigia adhuc pauca supersunt & videntur. Mansius ille quisquis fuerit, postea propter dissensiones civiles, vel alias ob causas in Germaniam migravit. Sunt tamen qui ædificatam putent a nobili Antonio de Turre, sive ab ejus majoribus, ut esset propugnaculum contra vim Bernensium, quorum opinio mihi non probatur. Nobilium enim de Turre jurisdictio ex altera parte montis Gemmii erat, ubi excelsam & munitissimam arcem extruxerant, nec usquam memoriæ proditum est, locum in quo hæ thermæ sunt, ad eos pertinuisse. Hoc autem tempore vallis exigua quidem, sed satis amœna,

na, & aprica est, sylva illa densissima extirpata, soloque exculto, & extructis ædificiis (ut loci ratio fert) splendidis, sic ut ubique circum has aquas medicatas prata florentia collesque virentes appareant.

Fontes sunt quinque præcipui, diversis in locis scaturientes, atque ab Oriente in Occasum effluentes. Quorum primus & maximus ad molam impellendam sufficiens esset, oritur in publica via, ubi saxum ingens superimpositum est instar mensæ. Hic in tres partes sive canales derivatur: duobus incolæ ad usus domesticos, & præcipue abluendas vestes aliasque res utuntur: tertia vero pars in maximum lavacrum defluit viginti forte & centum pedum circumferentiam habens, quod ex utraque parte tectum habet, binis columnis impositum, aliqua tamen parte sub dio relicta, ab Oriente in Occidentem, ubi aqua effluit, quum lavacrum purgandum est, qua vero tectum est muro circundatur. Tres habet cameras, quarum una viris, aliæ duæ contiguæ fœmineo sexui dicatæ sunt. Quin & alter fonticulus hoc lavacrum influit sub diversorio, cui Albæ crucis insigne est, emanans, quæ pars absque ullo tecto est. Quarta item pars duo alia minora conficit balnea, quorum alterum olim in gratiam hospitum honestorum & clarorum factum erat: jam vero solum male affecti & exulceratis membris, qui nauseam cæteris hominibus moverent, hoc ingrediuntur. Alterum in Chirurgorum usum factum, illis hodie quoque inservit. Hæ thermæ olim ad strenuum Perrinum Othschier ducem Sedunorum pertinuerunt, nunc ad Reverendi Card. Mathæi Schiner Comitis & præfecti Sedunorum hæredes. Hic tribus domibus inchoatis à R. D. Jodoco de Silinen episcopo (qui tempore Cæsaris Friderici Sedunis præfuit, ut Stumpfius refert) atque una tantum absoluta è regione harum thermarum, reliquas duas perfecit, & sub his versus Occidentem in prato duo egregia & amœna balnea extruxit, quæ jucundissimum prospectum habent in colles virentes & saltus altissimos, in quibus interdum venationes caprearum, & iter per montem Gemmium cernitur. Hic quum lavandi tædium oppresserit, cœlo sereno juvenes procaces, veneres falaces, in pratum descendere lusus chorearumque gratia solent: Spectatum veniunt, spectentur ut ipsæ. Fons oriri videtur sub ædificiis supra dictis, canali deducitur ad locum balneorum, in quo per saxeos canales dividitur in lacus in terra excavatos, & muro lateritio cinctos.

Quartus fons leprosorum dictus, ex multis hinc inde confluentibus rivulis constat, sub turre illa cujus supra mentionem fecimus, in pratis. Hoc primum usos fuisse homines puto, quia à mole hybernalium nivium magis tutus sit: Quin & turris ipsa satis pro argumento esse potest. Postea vero crescente confluxu advenarum, cum hic fons non sufficeret, apud inferiores quorum meminimus, vallis positis contra moles nivium, ipse vicus extructus est: huc vero se jam homines leprosi, & alii ulceribus & plagis apertis laborantes conferunt. Quintus & supremus fons salubris appellatur, quia præ cæteris homines sanare, & ulceribus & scabie affectis cutem citius inducere creditur, calidiorque reliquis videtur: situs est versus Orientem prope rivum Dalam, de perpetuis nivibus & glacierum fissuris decurrentem: & ut prior ex multis rivulis colligitur. Huc sese conferre solent, qui tempus balneandi fere confecerunt, quin etiam qui præ frequentia hominum alias convenire & confabulari nequeunt, huc se conferunt interdum sub specie lavationis aut relaxationis alia agentes. Est præterea frigidus, limpidissimusque fons non procul à maximo balneo versus meridiem, Deiparæ nomine insignitus, quoniam in Majo vel saltem sub finem Maji proveniens, in Augusto circa festum assumptionis Mariæ fluere desinit. Quæ hujus rei ratio sit meam sententiam proferam. Fons hic originem ducere videtur à nivibus vel glaciebus illis perpetuis, quæ cum incipiunt liquescere, ut in Majo fit, aquæ earum per canales subterraneos eo defluunt, ibique ebulliunt, quum vero calor deficit sole averso, ut fit in fine æstatis, fons iste suo cursu destituitur: promanat enim cum ver est calidius solito citius: aliquando sub initium mensis Maji, quum alias sub finem solitus sit: æstate vero calidissima etiam ad finem Augusti perdurat. Vidi & animadverti anno ab hinc sexto cum in mense Junio abunde flueret, deinde cum tempus frigidum & nubilosum subsequeretur, prorsus cursu destitui. Redeunte vero calore æstivo, æstuque caniculæ flagrante, cœloque sereno, post aliquot dies eodem ut antea cursu ebullire. Hoc fonte balneantes plurimum non tamen sine magno ipsorum dispendio utuntur, quia clarus & frigidissimus est, atque ideo gratus æstuantibus ex calore vehementi thermarum.

Hactenus de descriptione thermarum, jam de earundem vi & natura dicemus. Aqua itaque earum nullius odoris est: minera vero per quam defluit (unde & naturam & vim tantam accipit) cuprea sive ærea majori tamen ex parte auro abundat, cum aliqua portione calcis, ut clarissimo viro Adamo Clarino apud Friburgum Nuithonum medico videtur. Terra enim ubi emanat & defluit rubra est, similis ferme bolo armeno, quo colore etiam lapides tinguntur, deinde aliquid albi in superficie: etiam quicquid inciderit aquam, ubi non fortiter currit, huic albus lapis increscit similis colore & gustu calci. Lapidem conficit latum in canalibus, cujus duæ partes videlicet superior & inferior rubræ sunt, interior alba. Præterea harum thermarum aqua turbida cernitur, in alborem vergens, quasi calx, mense Majo tribus vel quatuor diebus, reliquis vero anni partibus limpidissimæ. Quare hac anni parte Seduni præsertim ea utuntur, quia arbitrantur (ut revera est) eo tempore saluberrimum. Et præcipue si Aprilis & Majus squalidi & calidissimi fuerint: quoniam ut plantæ tum in suo vigore sunt, sic & mineralia existimantur florere.

Ægritudinibus autem quam plurimis hæ thermæ medentur. Cum æs sive cuprum medium quasi sit inter Solem & Lunam, Venerique attributum (ut Chymistæ asserunt) calidum & siccum in tertio gradu atque ideo calefaciat, resolvat, abstergat, exsiccet, stipticet, & incarnet, frigidis maxime & humidis morbis conferunt. Calx autem qua certo tempore abundant ut supra dictum est, calida & sicca ad quartum gradum, quamvis aliquam esse minoris caloris & siccitatis quidam tradant: tamen omnis calefacit, exsiccat, abstergit ut æs, at proprium habet quod maxime mordicet atque mundet, quapropter carnem putridam in vulneribus (præsertim Majo mense) non sinit crescere. Ratione igitur horum mineralium quibus morbis medeantur hæ thermæ, ac quibus obsint & noceant, ex vi & natura earum colligi potest. Nam si calefaciant, exsiccent (quod

(quod commune est omnibus thermis pro ratione materiæ ejusque quam percurrunt & vires hauriunt) astringant, mordicent, mundent, & incarnent, etsi remissius quam mineralia, sequitur contra morbos frigidos & humidos valere. Contraria enim (ut inquit Medicorum facile princeps Hippocrates) contrariis curantur. Omnes itaque corporis partes perquiremus, & quibus morbis in unoquoque membro accidere solitis hæ aquæ auxilientur enarrabimus.

Principibus vitæ partibus conferunt, ut cerebro, cordi & hepati: cerebro quidem ex frigido humore nimio laboranti, unde Catharrus & aliæ species Rheumatis, branchus & Coriza, oculis caligantibus & lippientibus, auribus, ori, tonsillis & Vuæ succurrunt. Cor autem languescens roborant: stomacho & facultati concoquenti debilitatæ maximè prosunt, & appetitum edendi excitant. Hepaticis doloribus opem ferunt, debilitati pulmonis, Asthmaticis, spleneticis, volvulo, & Nephreticis conveniunt, hydropis speciebus omnibus auxiliantur. Ventrem solvit pota, sed stranguriam movet. Uterum mulieribus languescentem confirmat, calculosos & febres sanat, & colica passione laborantibus opitulatur. Juncturarum languoribus ut Ischiadicis, podagricis & spasmo medetur, nervos contractos laxat, & roborat: his qui destituuntur usu membrorum, atque aliis partibus nervosis, ut paralyticis succurrit. Initium lepræ curat sanguinem purificans, ramici & illis qui laborant calculo vesicæ convenit. Consolidat ossa confracta, lassitudinemque tollit. Ulceribus malignis tibiarum, fistulis, & aliarum partium corporis apostematibus, scabiei cujuscunque generis ex frigiditate provenienti, & impetigini medetur. Vulnera non bene conglutinata & sanata aperit, purgata mundataque à sordibus & carne putrida, consolidat.

De Brygensium Thermis.

BRygenses thermæ à Bryga, præcipuo hujus Deseni pago, sic appellatæ: à quo mille & quingentis passibus distant, versus Occidentem. Sitæ sunt autem loco satis aprico & fœcundo, alnisque olim abundanti, quem Rhodanus percurrit à Meridie: ab Oriente & Occidente pratis viridibus, & vitium pergulis, segetibusque lætis cinguntur: à Septentrione ad radicem montis Mundt petrosi quidem in ascensu, quem si quis deviceri pascuis, arboribus fructiferis, & annona uberrimus apparet. Hic olim fons balnearum scaturiebat, tepidus ob commixtionem aquarum frigidarum sub iisdem scopulis emanantium, & ea de causa tempore hyemis inutilis existebat: æstate verò lacum quendam parvum conficiebat, in quo accolæ sordibus labore & sudore acquisitis, se lavare & purgare solebant. Tempore vero labente, natura & vi aquarum longo usu & experientia cognita, circa 1471. annum, Antonius Walcker publicæ utilitati studens, magistratum adiit, ab eoque (quoniam in loco publico effluebant) licentiam ædificandi cum aliqua summa pecuniarum, & privilegiis impetravit. Hic fontem verum maximis laboribus & expensis quærere cœpit atque extructo diversorio, effossa terra, fornicibusque factis, & rupibus excavatis ad octo forte passus, limpidum & calidum rivulum per petrarum fissuras prosilientem, separare ab aquis frigidis conatus est, & larignis canalibus inclusum, ad loca in terra excavata (quas Capsas vocant similiter ex materia larigna factas) deduxit. Anno autem 1521. Petrus Ovvlig Brygiensis diversorium amplius fecit, aliisque ædibus adjunctis, hortis pulcherrimis decoravit, pergulis super thermas inductis, conductoque æris fossore maximo pretio, à loco supradicto fontis, ad sex passus vivo scopulo exusto originem perscrutatus, ad calidiorem venam fontis pervenit, & has thermas una capsa addita, binæ enim tantum antea fuerant, seclusisque melius aquis frigidis, restauravit, & omnia capaciora ac meliora reddidit.

Harum thermarum aqua limpida est, valde sulphur olens, cujus & multum emittit, quodque arefactum cum uritur odorem ac flammam diversis coloribus ut commune sulphur reddit. Mense Majo cum prata rigantur abundantius effluit, obstructo meatu & canali altius posito, effluere desinit. Cocta in sartagine pulverem sucinericium relinquit odore sulphuris, cum quodam sapore dulci & astringente, unde conjicio aliquam ejus portionem esse aluminosam, cum sale seu nitro mixtam. Omnia vitia cutis expurgat; succurrit igitur alphis, Leucis, ulceribus antiquis & malignis, nervosque contractos calefacit & emollit. Mitigat dolores, podagræ medetur, mulieres steriles conceptui idoneas facit. Auxiliatur surdis, tinnitui aurium, tremori, spasmo & catarrho. Ventriculum subvertit, febrientibus & qui debilitati sunt & Nephriticis nocet.

De Fontibus Vispianis.

IN Deseno seu tractu Vispianorum, inter thermas Brygenses & Leucenses (ab utroque enim forte tredecim millibus passuum distant) duo fontes medicati promanant: quorum prior oritur in altissimo monte prope alpes, in loco qui vulgo Augstport nuncupatur, è regione fertilis & viridantis vici Grenchen, in opposito monte siti (celebris apud quosdam ob natales duorum doctissimorum virorum Simonis Lithonii olim professoris Argentinensis clarissimi; & Thomæ Platteri Gymnasiarchæ inclytæ urbis Basileæ, præceptoris mei charissimi, maximeque colendi) quibus duobus montibus rivus Vispa ex valle Gasen interfluit. Hic inquam fons ex saxo durissimo tribus vel quatuor in locis prosilit. Quin etiam alius fons (qui mox ei conjungitur) sub eodem scopulo in lapide fragili & terra rubea, ex Occidente in Orientem scaturit, ubi lapides aliqui tinctura auri colorantur, & ebulliendo particulas alumini scissili similes emittit & profert. Glacies ejus hyemis tempore flavi aut subrufi est coloris. Ambo ejusdem saporis sunt, astringentis & cuprei. Hic fons à multis accolis paulatim visitari cœpit: experientiaque edocti, ac sanitati pristinæ restituti, vires ejus eximias ab Opt. Max. conditore datas, crebris sermonibus provulgarunt, sic ut 1557. anno frequentissimus fuerit. Referunt quidam si quis de ejus inventore sciscitetur, Scholasticum quendam Vagantem, nostramque Sedunorum diœcesim peragrantem, in Rhodano ejus aqua inspecta, vim fontis cognovisse atque indicasse. Sed hæ aniles sunt fabulæ, quibus antiquitas multum tribuebat, & adhuc posteritas patrizat. Huc maxima pars hominum quotidie confluit, & ignarum & stultum vulgus postquam sobrium jejunumque longinquo arduoque itinere, & morbis confectum advenit, bibit & ingurgitat se, donec (ut sic dicam) fauces attigerit. Frigidissima etiam aqua fontis quidam totum corpus, quidam

quidam aliquod tantum membrum vel partem affectam, postquam abluerint, hausta manibus aqua, non enim ingrediuntur, ignem ex fruticibus rosarum alpinarum construunt (locus enim hic nullo genere arborum consitus est) adsident, viaticum pro facultate rei ex sacculis & peris suis promunt, atque caseos duros, pingues ac molles, recoctamque veterem assant, sæpius plenos haustus fontis miscent, nullam enim sacietatem aquæ se sentire dicunt. Facto tam lauto & celebri convivio, lagenulas suas implent & reditum parant. Ita simplex populus marcescit, & minori cum utilitate dono Dei optimo fruitur, nam post potum erat jejunandum ad aliquot horas, donec aqua operata esset, & non impedimentum, in interna præsertim corporis parte, addendum, quo concoctio impediretur. Ventrem laxare, à materia quacunque interna purgare, oculos caligantes ob quamcunque causam sanare, & alias membrorum partes restituere fertur. Principium hydropis curat. Non sentit quantumvis aliquis biberit. Febrientibus tamen non prodest. Itaque ex his & sapore valde astringenti colligo, venam illam per quam hæc aqua fluit, cupream esse, cum maxima participatione Solis (ut Chymistæ loquuntur) quæ in tertio exsiccantia, in secundo gradu & ratione auri solutiva maxime sunt: Ochræ aliquam etiam particulam habere, quum hyemis tempore glacies subrussa videatur: tum etiam alumen scissile, schistum vocant. Ex quibus omnibus conjicio valere, si eo recte utamur, contra omnes morbos, frigidos & humidos astrictione indigentes, ut Catharrum, branchum & Corizam, caliginem oculorum si ex humoribus frigidis cerebri procedant.

Alter fons in valle Sas prope vicum & templum, Vispa rivo interfluente, in pede montis prærupti scaturit, rubensque rivus (Germanice **der rothe Bach**) ab inhabitantibus appellatur, quia lapides injecti rufo colore tinguntur, & terra ejus coloris fit quam suo delapsu attingit & conspergit. Tepidus hic fons est in scaturigine, & tepidior fuit ante aliquot annos: quemadmodum Petrus **an den Dan-matten** aurifaber peritissimus affirmabat, aliisque rivulis in interno terræ gremio permisceri videtur. Hic fons omnes notas habet illius qui in thermis Leucensibus existit, & hyemis tempore nunquam congelatur, sed fumum exhalat.

Est & alius quidam fons in Veragris, prope destructum oppidum Schellon, tepidus, qui scabiem sanat.

In Diœcesi Bernensium.

FONS est frigidus supra arcem præstantissimorum ac fortissimorum nobilium de Blonoy, in monte Lala, ab ea parte lacus Lemanni, ubi Viviacum situm est, à quo duobus millibus passuum distat, albicans, vehementer sulphur olens, ut quis à stadio facile sentiat. In hoc fonte herba super inducta sulphure invenitur, quæ arefacta, ejus flammam edit, odoremque reddit. Hac aqua qui lavantur scabie eos cito curari audio.

De Fonte A Sanct. Surgo.

FONS est gelidus & limpidissimus in jurisdictione Bernensium, prope limites ducatus Burgundiæ, in itinere per quod ad S. Claudium itur, in Jura monte, eo tendentibus ad latus dextrum quingentis forte passibus, hoc tempore frequentissimus. Hic ante ducentos annos adeo celebris, ut & hodie viribus & miraculis fuisse fertur, & propter quandam inter ducem Burgundiæ & comites Sabaudiæ dissensionem, effluere desiisse. Videtur autem particeps gipsi, quod ex terra alba & pingui, lapide gipso, qui in ea invenitur, & stipticitate gustus deprehenditur; Curat morphæas, podagram, scabiem, herniam, ulcera maligna, pedum fistulas & aliarum partium corporis, lota parte affecta aqua, & terra pingui imposita. Ferunt etiam surdos auditui, cœcos visui, mente captos intellectui restitutos, qui se hoc fonte laverant. Quod si ita est, non alia de causa accidere puto quam naturali, & ob vitæ temperantiam. Cibis enim delicatis vesci, situs loci, (nisi forte maximis sumptibus allatis) vix patitur.

De Fonte Bituminoso non procul à Thononio.

A Thononio insigni vico ad lacum Lemannum sito, fons distat quinque millibus forte passuum, fœtens quodammodo, cui quiddam albi & pinguis supernatat, tactu oleoso, quâ materia quidam ad lucernas alendas utuntur.

De Fonte Iverdunensi.

PROPE Iverdunum oppidum vetustum, ad radicem montis Juræ situm, fons fuit olim celebris, sed temporis injuria & hominum negligentia jam exolevit, ut vix aliquod vestigium reperiatur.

Præcepta sive leges communes balneandi.

IN quocunque cupis medico te fonte lavari,
Ut tibi proficiat disticha parva lege.
1. Quo melius valeas leges servare medentum,
Non tibi purpurei delit arena Tagi.
2. Ante tuum corpus præscripto tempore purges,
Quam tu pæonias ingrediaris aquas.
3. Nec primum veniens totis utere diebus;
Omni sed fugiens hora sit aucta die.
4. Non nimium caleas, nec te mala frigora lædant,
Tempore membra laves conveniente tibi.
5. Dumque salutifera fervens immergeris unda,
Pertingant fauces nulla alimenta tuas.
6. Invalidum certa corpus ratione gubernes,
Quin etiam morbi maxima cura tui.
7. Lotus ubi egrederis calido velamine cinge,
Non frigus noceat, transeat aura poros.
8. Cinctus ubi exieris madeas sudore fluenti,
Et dormire queas, tegmina plura cape.
9. Membra levans, tenui sudorem abstergito tela.
Ire lubet, modice, pocula sume, cibos.
10. Quæ natura cibi, & quantum, meminisse juvat: quæ
Thermarum vires impediisse solent.
11. Nec prius ingrediare nisi hunc concoxeris, ante
Fercula sumpta tibi nulla pericla ferant.
12. Et Venus enervat corpus, mentisque vigorem
Opprimit, admonitus plurima damna cave.

FINIS.

JOSIAE SIMLERI
DE
REPUBLICA HELVETIORUM.

CLARIS AC NOBILIBUS VIRIS, PRUDENTIA ET PIETATE ORNATISS. COSS. AMPLISSIMOQUE SENATUI INCLYTAE CIVITATIS SANCTI GALLI, DOMINIS SUIS PLURIMUM OBSERVANDIS S. D.

NIHIL esse Principi Deo, qui omnem hunc mundum regit, quod quidem in terris fiat acceptius, quàm concilia coetusque hominum jure sociati, quæ Civitates appellantur, non solùm sapienter sed piè et sanctè à Cicerone scriptum est. Nam societatis cupiditas et communionis studium non temere, sed à Deo naturæ auctore et gubernatore humano generi insitum est. Et aucto hominum genere Deus ipse peculiarem populum sibi delegit, cujus societatem legibus et certo ritu religionis, quæ potissimum est Reipublicæ vinculum, tradito optimè instituit. Quin etiam per universum terrarum orbem magnos et virtute ac sapientia præstantes viros excitavit, qui homines ferarum more dispersos in unum colligerent, de religione docerent, et coetum eorum imperio ac legibus regerent. Itaque omnibus seculis viri sapientes in eo elaborarunt, ut opera, et labore suo communi hominum societati prodessent: atque alii quidem magno animo præditi, et ad imperandum nati susceptis rerum publicarum gubernaculis, earum rectores et conservatores extitere. Alii verò quietis et ocii amantes ac nihilominus tamen civibus suis consulere volentes, accurata animi observatione, in suis et aliis populis perspexerunt rationes Respublicas bene et prudenter constituendi et gubernandi, quas postea literarum monumentis prodidere: quo in genere Plato, Aristoteles, doctissimique alii Philosophi fuere. Fuere etiam complures qui nullis præceptionibus additis, excellentium Rerumpublicarum formam rationemque descripsêre, quo in genere extant Xenophontis præclari Commentarii de Atheniensium, item de Lacedæm. Republica, præterea Heraclidis scripta de Rebuspublicis Atheniensium, Amorgiorum, Corinthiorum, Cumanorum, Cyrenensium, Eretriensium, Lacedæmoniorum, Lepreatarum, Locrorum, Lyciorum, Molossorum, Phasianorum, Samiorum, Tyrrhenorum. Aristoteles quoque cujus ingenii acumine omnes Philosophiæ partes illustratæ et excultæ sunt, Respublicas urbium CLVIII. descripsisse traditur. Nostra verò ætate multi Turcarum politiam, non pauciores Magistratus et Rempublicam Venetam descripsêre. Quòd si optima ratio est, ut Platoni visum fuit, legum tradendarum et Civitatis bene instituendæ, si omnibus omnium Rerumpublicarum moribus ac legibus collectis, viri prudentes eas inter se compararent, et ex his optimum Reipublicæ genus conflarent: certè laudandum est eorum studium qui in colligendis et describendis celebrioribus Rebuspublicis operam suam collocarunt. Ideoque bonis viris me probaturum confido studium meum in Republica Helvetiorum describenda, quæ clara et nobilis est, lateque patet, exteris autem hominibus propter quorundam odia et calumnias non bene cognita est. Plerisque enim persuasum est majores nostros occisa aut ejecta omni nobili ate, novam Rempublicam, quæ non tam Respublica quam Anarchia sit, instituisse: et si sit aliqua Respublica, nobiles tamen ab ea excludi, neque ullum inter nobilem et plebejum discrimen esse. Quàm verò vana et improba sit hæc calumnia, facilè videbunt, quicunque hæc nostra legerint. Primùm enim quod foedera attinet, etsi pagi aliquot Austriorum imperio paruerunt, certum tamen est, majorem partem liberam et sui juris fuisse, ideoque optimo et æquissimo jure potuisse foedus inter se facere. Deinde illi pagi qui Austriis paruerunt, conditionibus certis eorum imperio subjecti fuerunt, et multa privilegia habuere, quæ cum illis præfectorum improbitate eriperentur, et atrocibus atque notoriis injuriis afficerentur, coacti sunt alibi defensionem quærere. Veruntamen in primis et antiquissimis foederibus excipiunt Austriorum jura, et ostendunt se paratos esse ad omnia illis præstanda, ad quæ jure ac legibus tenerentur, cum verò illi nollent his contenti esse, sed eos prorsus opprimere conarentur, armis sese in libertatem asseruere. Ipsæ autem foederum conditiones nullam seditionem spirant, nihil injustum sanciunt, sed humanitatis et æquitatis plenæ sunt, ideoque Romani Imperatores Helvetiorum fœdera approbarunt et confirmarunt, nova quoque privilegia et immunitates amplas ipsis elargiti sunt. Nobiles verò tam abest ut universa ex Helvetia ejecti sint, ut nostra ætate in plerisque Civitatibus peculiares societates et ampla privilegia obtineant, præterea arcium possessiones et jurisdictio integra illis manet, ac nos in una Turgeæ præfectura supra viginti nobilium arces et jurisdictiones enumeravimus. Sunt quidem arces complures dirutæ, quod negari non potest, sed neque omnes ab Helvetiis vastatæ sunt, verùm non exigua pars nobilitatis ab Austriis principibus, Alberti Filiis, necem paternam vendicantibus cæsa et domo pulsa est, arcibus ipsorum eversis: Ecclesiasticæ quoque familiæ multas nobilium possessiones occupant: quas nobiles illis legarunt aut vendiderunt, aut ipsi bello cepere: quas verò Helvetii vastarunt, justis et gravibus causis, ut id facerent, ducti sunt, atque aperto bello, non tam nobiles quàm tyrannos abutentes nobilitate, ex his locis profligarunt: ceteroquin nobilibus suus honor, sua jura, immunitates et privilegia salva manent. Reipublicæ verò non ubique eadem est forma et ratio, omnia tamen majorum nostrorum prudentia et consilio ita aptè disposita sunt, ut vel ad hostes propulsandos, vel ad cives in pace conservandos, et consequendam illam αὐταρκείαν optimo gubernatori Reipublicæ propositam nihil desiderari queat. Quòd si alicubi peccatur nostra ætate, et ab optima Reipublicæ moderandæ ratione receditur, nostris id vitiis imputandum est, qui veterum mores et majorum instituta non retinemus. Atque utinam non liceret nobis justè uti querela, qua Africanus apud Ciceronem utitur. **Nostra ætas, inquit, cum Rempublicam sicut picturam accepisset egregiam, sed**

eva-

evanefcentem vetuftate, non modò eam coloribus iisdem, quibus fuerat renovare neglexit, fed ne id quidem curavit, ut formam faltem ejus, et extrema tanquam lineamenta fervaret. Quid enim manet ex antiquis moribus, quibus ille dixit rem ftare Romanam, quos ita oblivione obfoletos videmus, ut non modò non colantur, fed etiam ignorentur? nam de viris quid dicam? mores enim ipfi interierunt virorum penuria: cujus tanti mali non modò reddenda ratio nobis, fed etiam tanquam reis capitis quodammodo dicenda caufa eft: noftris enim vitiis non cafu aliquo Rempublicam verbo retinemus, re ipfa verò jampridem amifimus. Hæc graviffimi et fapientiffimi viri verba apponere volui, non quod exiftimem res noftras ad extremum perveniffe, fed cùm conftet magnam morum inclinationem factam effe, omnino cavendum eft, et à viris prudentibus in tempore occurrendum, ne rebus in deterius prolapfis, idem nobis accidat quod Romanis eventurum Cicero verè vaticinatus eft, qui amiffis antiquis moribus virifque Rempublicam et libertatem fimul amiferunt. Sed ut mores antiquos retinere, et labefactatos reparare poffimus, præclara majorum facta et inftituta ante oculos femper habenda erunt, ac omnibus opera danda, ut hæc fint quàm notiffima. Quare magnorum virorum exemplo, ut pro viribus patriam juvarem operam dedi, et cùm in hiftoria majorum noftrorum pietatem, virtutem, refque in pace et bello præclarè geftas pofteris imitandas proponere conatus fum, tum in hoc opere fummam quandam horum complecti, et omnibus contemplandam exhibere volui. Quòd fi alicubi aberravi, vel res memoratu dignas omifi, equidem non ftudio fed errore à me peccatum eft, itaque facilè me et in ignoratione erudiri, et in errore reprehendi patiar. Videbor etiam fortè nonnullis minutiora perfequi, quicunque verò ita judicant, primùm veniam dabunt amori patriæ, qui res etiam parvas majores apparere facit: deinde cogitabunt hoc non abfque exemplo fieri. Græci enim quorum res et facta omnes celebrant, etiam minima quæque perfecuti funt, quod abunde teftatur Paufaniæ Periegefis Græciæ. Illi tamen dicendi vi et fermonis elegantia rebus exiguis fplendorem et ornatum attulerunt, hoc ego cum præftare non potuerim, in eo elaboravi, ut fidem quæ nonnunquam in Græcis defideratur, in expofitione fingularum rerum integram præftarem.

Interea verò dum juftos commentarios rerum Helveticarum jam dudum à me inchoatos, fed fæpè de manibus depofitos, et penè neglectos ad finem perduco, hunc de Republica commentariolum et majoris operis quafi epitomen quandam in lucem emittere, et noftris hominibus judicandam proponere volui. Ac quoniam alterum opus pagis Helvetiæ jamdudum deftinavi, præfentem librum vobis viri ampliffimi offero, qui inter Refpublicas pagis confœderatas primum locum tenetis. Idque eo libentius feci ut libros de Republica ad vos mitterem, quòd videam veftram Rempublicam meritò inter illas numerari poffe, quæ quam optimè inftitutæ funt: cujus rei indicium eft quòd cum civitas veftra in folo penè fterili ædificata fit, nunquam tamen res ad victum humanum neceffariæ vobis defunt, ac intra extraque urbem, magnus pauperculæ plebis numerus veftro beneficio alitur. Tanta nim: prudentia linificii mercatura à majoribus veftris inftituta eft, tanta diligentia et feveritate cuncta adminiftrantur, et omnis fraus cavetur, ut nunquam vicinæ urbes quæftum hunc vobis eripere, et ad fe transferre potuerint, quamvis id aliquando tentatum fit. Prætereo hic Magiftratuum ordinem, Ecclefiæ et Scholarum eutaxiam, fortitudinem denique et prudentiam veftram in libertate publica et immunitatibus urbis tuendis et augendis, quæ multis exemplis non tantùm ex annalibus, fed recenti hominum memoria depromptis oftendi poffunt. Quare exiftimavi libros de Republica jure vobis infcribi poffe, et vobis politicæ difciplinæ peritis non ingratos fore. Deinde veftri cives apud omnes ferè Europæ nationes mercaturæ caufa peregrinantur, per Italiam, Galliam, Hifpaniam, Poloniam, Pannonias, credo autem fæpè coram illis ab exteris hominibus fermones fieri de his rebus quæ à nobis explicantur, dum alii quærunt de Helvetiorum ingenio et moribus, et rei publicæ forma ac ratione, deque rebus eorum fortiter et præclarè geftis: alii vero fortè nos ut barbaros, et nobilitatis atque legitimæ gubernationis hoftes accufant, et majorum noftrorum victorias contemnunt, et feditionis damnant. Illi igitur qui non ita verfati funt in domeftica hiftoria, ex hac Epitome aliquam rerum noftrarum cognitionem fibi comparare poterunt, ut ad hujufmodi objectiones facilè refpondere poffint: quibus vero hæc cognita funt, alios de his rebus fcifcitantes huc remittere poterunt, atque ita feipfos labore levabunt, et noftro operi nomen et celebritatem comparabunt. Poftremo vetus et arctiffima eft conjunctio veftræ Reipublicæ cum Tiguro patria mea, et multis olim fœderibus teftata, et poftremò perpetuo foedere confirmata: ad hæc accedit fumma in religione et omnibus Ecclefiæ ritibus confenfio, quam conftantiffimè hactenus confervaftis, quæ caufa honeftiffima et graviffima me commovit, ut vos præ aliis patronos huic operi delegerim, quos ego merito colerem et obfervarem, et de quibus mihi polliceri poffem, faltem patriæ nomine non gravatim patrocinium operis mei vos fufcepturos effe. Quapropter librum hunc apud vos depono, et veftræ fidei commendo, atque judicio quod maximi facio fubjicio, ut ab improborum calumniis ope veftra tutus, et veftri nominis auctoritate illuftrior exiftat. Precor autem Deum Patrem Chriftumque optimum maximum, ut Helvetiæ univerfæ, communi patriæ, et veftræ quoque Reipublicæ largiatur, ut pietate florens, copiis locuples, gloria ampla, virtute honefta fit, quo cuncti beatam et tranquillam vitam degere, et ipfum hujus auctorem et confervatorem fanctè celebrare et colere non ceffemus, Amen.

VESTRÆ AMPLITUDINIS

Obfervantiffimus
JOSIAS SIMLERUS.

JOSIAS SIMLERVS

DE REPVBLICA HELVETIORVM.

LIBER PRIMUS.

CVM INTER LIBERAS RESPVBLIcas, quæ non unius Principis Imperio reguntur, nostra ætate multorum judicio post Venetam primas partes teneat *Helvetica*, sæpe audivi exteros homines quærenter, quænam sit hujus Reipublicæ forma ac ratio: quod illis mirum videretur tot populos fœdere facto in unam quasi civitatem ita brevi potuisse coalescere, et tot annis in eadem constanter et concorditer perdurare. Athenienses enim, quorum in Græcia celeberrima fuit civitas, ex compluribus populis et oppidis à Theseo non tantum in unam civitatem, sed in unam quoque urbem collecti fuerunt. Achæorum autem Resp. quæ duodecim constabat urbibus, neque diuturna, neque potens fuit, sed sub Arato et Philopœmene florens, brevi post in servitutem à Romanis, cum sua libertate abuteretur, redacta est. Israelitarum Resp. post Josuæ mortem, sua culpa crebris hostium direptionibus exposita, divinitus quidem excitatis heroicis viris aliquoties liberata fuit, sed tandem ultro monarcham duodecim illi populi sibi elegerunt, suæ libertatis pertæsi. Avorum autem memoria cum Friderico Augusto auctore et principe Suevicæ urbes fœdus fecissent, magna initio apud omnes ejus fœderis fama fuit et opinio, verum bello adversus Helvetios temere suscepto, et infeliciter gesto, multum existimationi ejus decessit, quam tamen pulso duce Wirtembergico, et arcibus prædatorum tota Suevia disjectis, recuperasse videbantur, nisi paulo post finito præscripto tempore fœderis, ita statim in diversum abiissent, ut quos ante hostium loco habuerant iis ut amicis, et veteribus amicis et fœderatis, hostium pene loco usi fuissent. Ita hominum memoria fœdus illud cœpit, et in nihilum abiit. Cæterum Helvetiorum plures quidem sunt populi & urbes non paucæ, una nihilo minus est civitas, una Respublica, de quo tamen à doctis dubitari video: existimant enim apud nos imperii nullam societatem et conjunctionem esse, ideoque unam rempublicam dici non posse: singulas enim civitates aliarum decretis non aliter obligari, quam si sponte assentiantur: ut in pactis sociorum privatis, atqui in eadem republica, quod pluribus placuit, omnes obligat. Nos cum his disputare nolumus, ac ingenue fatemur*, si exacte singula perpendantur, ita se rem habere ut ipsi asserunt; sed quoniam unum est totius gentis concilium et communi imperio provincias plerasque administrant, de pace et bello omnes simul statuunt, et præterea leges et consuetudines fere easdem habent, atque pactis perpetuis adeo arcte devincti sunt, ut si non sit una Respublica, saltem quam proxime ad unius reipublicæ formam accedant, nos qui rudius de his rebus scribimus et loquimur, illam societatem *fœderis Helvetici civitatem et rempublicam Helvetiorum* nominabimus. Hæc igitur fœderibus perpetuis constituta civitas Helvetica, jam supra ducentos annos patriam libertatem summa concordia et animorum incredibili consensu tutata est. Quamvis enim semel atque iterum (quod in omnibus fere magnis Rebuspublicis fieri solet) inter ipsos civilia bella exorta sint, tamen brevi pace facta, omnium animi sincero amore rursus coaluerunt et veteri studio patriam libertatem tueri semper parati fuerunt. Sunt tamen nonnulli, qui odio ingenti gentis Helveticæ, nimis impudenter anarchiam nobis objiciunt, ac majores nostros, cæsis aut in ordinem redactis nobilibus, sese in hanc libertatem præter jus et æquum vendicasse ajunt: alii etsi agnoscunt gravibus nobilium injuriis, et contumeliis majores nostros ad arma provocatos esse, ipsos tamen justæ defensionis modum excessisse arbitrantur, ut fere fit animis acrius irritatis. Quare ut et amicorum admirationi ex ignoratione rerum nostrarum ortæ satisfacerem, et invidorum calumnias confutarem, existimavi me operæ pretium facturum, si Helveticæ Reipublicæ formam, origine ejus paulo altius repetita, describerem.

HELVETIAE PARTES.

Helvetia igitur universa tribus hodie partibus constat: nam primum tredecim populi quos Itali *cantones*, nos nostra lingua *Orte*, *pagos* nonnulli vertunt, in unam civitatem fœdere perpetuo coierunt, Tigurum, Berna, Lucerna, Vria, Suitia, Vndervaldia, Tugium, Glarona, Basilea, Friburgum, Salodorum, Scaphusium et Abbatiscella: Secundum locum tenent horum *socii* atque *confœderati*, Abbas primum et oppidum S. Galli: deinde Rætorum fœderati populi, Episcopus Sedunensis, et tota Valesianorum

norum regio, Rotevila, Mulhusium, Bipennæ: Postremo loco sunt *præfecturæ*, quæ communi Helveticorum pagorum imperio reguntur, Turgea, Aquensis, Rhegusca, Sarunetum et quæ nomen habet liberæ provinciæ: item Lugani, Locarnenses, Mendrisiani, vallis Madiæ incolæ: quibus Bilitionenses forte etiam adjungere possumus, qui trium pagorum imperio parent. Inter confœderatos, urbes et oppida sunt Tigurum, Berna, Lucerna, Tugium, Basilea, Friburgum, Salodorum, Scaphusium, S. Galli oppidum, Curia Rætorum, Sedunum Valesianorum, Rotevila, Mulhusium, Bipennæ: reliqui populi omnes vicatim suas regiones incolunt. Cæterum non omnes intra ipsam Helvetiam et hos limites, qui apud Cæsarem leguntur, manent: nam ex tredecim Helveticæ civitatis pagis, Basilea Rauracorum est, Scaphusium ultra Rhenum solo Germanico jacet: Glaronensium quoque pars Rætis et Vriorum Lepontiis quorundam judicio adnumeranda est: ex sociis autem præter S. Galli abbatem et oppidum, atque Bipennes, reliqui omnes extra veteris Helvetiæ limites positi sunt, Ræti primum veterem regionem et nomen servantes: deinde Valesiani, qui veteribus Viberi, Seduni et Veragri fuerunt: Rotevila in Germania est: Mulhusium in Sequanis jacet. Porro ex præfecturis Rhegusci et Sarunetes Ræticæ nationis sunt: sed Luganenses, Locarnenses, Mendrisii et Madiæ vallis incolæ atque Bilitionii, in Lepontiis sunt, Italicæ originis et linguæ: reliquæ præfecturæ in ipsa Helvetia jacent. Cæterum non omnes pagi imperium æquale in has provincias habent: sed cum diverso tempore fœderi accesserint, diversa quoque sunt pagorum jura. Turgeis imperant septem vetustiores Helvetiorum pagi, sunt autem hi Tigurum, Lucerna, Vria, Suitia, Vndervaldia, Tugium et Glarona: tres autem alii pagi Berna, Friburgum et Salodorum, sua quoque jura illic habent, in causis rerum capitalium. Etenim præfectura imperii (ut vocant) et judicium rerum capitalium oppigneratum antea civibus Constantiensibus, bello Suevico inter pacis conditiones Helvetiis concessum est, ideoque ex æquo ad illos pagos qui bellum gesserunt pertinet. Præterea iidem septem pagi Badæ, Sarunetibus, Reguscis et in libera provincia imperant: porro in Badensis præfecturæ societatem Bernenses et in Reguscorum Abbatiscellani ab illis admissi sunt: atque quatuor Italicis præfecturis pagi omnes, Abbatiscellanis exceptis, ex æquo imperant: Bilitionum paret Vriis, Suitiis et Vndervaldiis. Atque hic quidem status est Helveticæ civitatis nostra ætate: deinceps ordine exponam, tempus, causam et conditiones præcipuas fœderis Helvetici et qua conditione, ac jure ante fœdus singuli pagi fuerint, quæ denique fœdus initium consecuta sint.

TRES PRIMI PAGI HELVETIAE.

I. Tres primi pagi. II. Vrii donati cœnobio Thuricensi. III. Quæ conditio III. pagorum fuerit. IV. Fœdus Tigurinorum Vriorum et Suitiorum. V. Primum bellum nobilitatis contra tres pagos. VI. Præfecti ab imperio pagis dati. VII. Albertus Imp. hostis libertatis Helveticæ. VIII. Idem pagos sibi subjicere conatur. IX. Pagorum responsum. X. Præfecti ab Alberto in pagos missi. XI. Præfecti tyrannice imperant. XII. Landenbergii tyrannis. XIII. Wolffenschiessii libido et cædes. XIV. Grisleri præfecti tyrannis. XV. Stouffacherus. XVI. Tres primi auctores fœderis. XVII. Consilium de occupandis arcibus. XVIII. Telli historia. XIX. Arces duæ quomodo ab Vndervaldiis captæ sint. XX. Alberti Imp. cædes et ejus vindicta. XXI. Henricus VII. pagorum privilegia confirmat. XXII. Suitiorum lites cum Eremitano cœnobio. XXIII. Ludovicus IV. Imperator. XXIV. Pagi tres proscribuntur et excommunicantur. XXV. Leopoldus Alberti F. bellum infert pagis. XXVI. Pugna ad Moragartum. XXVII. Strasbergii gesta in Vndervaldiis. XXVIII. Tres pagi perpetuum fœdus sanciunt. Suiceri unde dicti. XXIX. Ludov. Imp. confirmat libertatem et fœdus pagorum. XXX. Præfectorum potestas circumscripta.

I. PRimi omnium fœdus fecerunt Vrii, Suitii et Vndervaldii, anno à Christo nato MCCCVIII. Hi populi nominantur sylvestres, aut vallium civitates. Vulgo, *die drey Lander, item die drey Waldstadte*, quibus aliquando quarto loco Lucerna adnumeratur. Incolunt autem hi alpinas valles inter Rætos, Lepontios et Viberos, ac partim Tigurino, partim Verbigeno pago attributi sunt. Tradunt (quod alibi expositum est) Suitios à Cimbris, Vrios à Tauriscis, Vndervaldios à Romanis exulibus, ortos esse: ac virtus eorum bellica à majorum virtute non degenerat. Patrii eorum annales asserunt Ludovicum Imperatorem Magni F. hisce populis rogatu Romani Pontificis αὐτονομίαν, multasque alias immunitates concessisse, propter fidelem operam bello Sarracenico urbi Romæ navatam. Etenim Sarraceni qui tum Africam tenebant, Sicilia capta, Italiam magna vi adorti, Centumcellas ceperunt et inde citato agmine Romam petentes, Vaticanum nullis adhuc munitionibus septum facile adepti, templum D. Petri direptum, argenteis, quas habebat, ingentis pretii foribus sublatis, ferro et igni prophanarunt: ibique plures dies commorati, cum urbem oppugnare in animo haberent, audito, (ut Historici tradunt) auxiliarium ex Cisalpina Gallia copiarum adventu, recedentes inter Appiam et Latinam vias suburbana omnia vastarunt: Pauli Basilicam Ostiensi via spoliarunt, atque igni injecto magna ex parte absumpsere. Inde in Latinam viam flectentes et populabundi in Cassinensem usque saltum excurrentes Cassinense fanum opulentissimum sacra veste et donariis spoliarunt, magnaque ex parte exciderunt. Hinc dextra Liris ripa ad mare instar rapidæ procellæ sese effundentes, ibique præda navibus suis, quæ illic præsto fuere, imposita, in altum abivere. Huic igitur expeditioni tres pagos et Haseliæ vallis incolas interfuisse patrii annales tradunt et bis adversus Sarracenos in Italiam descendisse duce Guidone quodam Marchione Italico: cum autem vestigiis Sarracenorum insistentes, conciso postremo agmine, præda magna potiti essent, omnem templo D. Petri, quod ab hostibus spoliatum fuerat, donarunt. Itaque Pontifex duplicis beneficii memor, ampla privilegia illis à Gallo rege impetravit et præterea donavit eos his signis seu vexillis, quibus nostra ætate in bellis utuntur.

II. Vrios tamen Ludovicus Germanicus Pii F. Magni nepos, donavit monasterio sacrarum virginum Turegi à se extructo, cui Hildegarda filia Ludovici præfuit: verba donationis sunt. *Curtim nostram Turegum in ducatu Alemannico, in pago Durgaugensi cum omni-*

omnibus adjacentiis vel aspicientiis ejus sive in diversis functionibus, id est pagellum Vraniæ, cum ecclesiis, domibus, cæterisque ædificiis desuper positis, mancipiis utriusque sexus et ætatis, terris cultis et incultis, sylvis, pratis, pascuis, aquis aquarumque decursibus, adjacentiis, perviis exitibus et regressibus, quæsitis et inquirendis, cum universis censibus et redibitionibus: Insuper etiam Forestum nostrum Albis nomine, et quicquid in eisdem bonis nostri juris atque possessionis jure proprietatis est, et ad nostrum opus instanti tempore pertinere videtur, totum et integrum ad Monasterium nostrum tradimus, quod situm est in eodem vico Turego, ubi S. Felix et S. Regula in Christo corpore quiescunt. Cæterum non existimandum est hac donatione prorsus abolitas esse immunitates veteres, et libertatem Vraniis sublatam, nam si Vraniis credendum est, tantum unius aut alterius vici, non autem totius regionis jurisdictio ad hoc cœnobium pertinuit. Deinde ut maxime universæ Vriorum valli imperaverit, tamen id non derogabat multum eorum libertati: quoniam olim hi, qui subditi erant monasticis familiis, certis tantum pactionibus illis obstringebantur, et sua libertate (nisi servi Ecclesiastici essent) interim gaudebant. Accipiebant etiam ab imperio præfectos, quos *Vogte* et *Reichs-Vogte*, quidam Voitos, fortasse Græco nomine, quasi *Βοηθοὺς* appellatos existimant: penes hos summa judiciorum capitalium potestas erat.

III. Præfectos hujusmodi rerum capitalium Vrii quoque ab imperio accepere quondam, cæterum reliquas causas Ammanus et senatores ex populo delecti cognoscebant, et in commune Reipublicæ suæ consulebant. Eadem Reipublicæ forma fuit apud Suitios et Vndervaldios, nam apud hos quoque ecclesiasticæ familiæ arces et jura quædam habuere. Habitarunt etiam in his regionibus non pauci nobiles, veluti apud Vranios Attinghusani, Schvvynsbergii, atque Vtzingii barones: Sillinii, Winterbergii, Mosii, Seedorfii, Spiringlii, Meieri, et qui à Burgis et qui ab Oertfeldia nomen accepere: apud Suitios Stouffackeri, Rogckenbergii, Schvvanovii: apud Vndervaldios, Wolffenschiessii, Blumeneckii, Rudentzii, Altnachii, Waltersperzii, Lenburgii, Liebburgii, Hunevillii. Hi primum æquo jure cum cæteris incolis utebantur, et pars etiam horum vicinis comitibus sese in clientelam ad dicebat, verum paulatim auctis opibus plebem spernere, et eam suis imperiis obnoxiam reddere cœperunt: præfecti qui populi libertatem tueri debebant, adhæc connivere, favere sui ordinis hominibus nobilibus, suam quoque interim potentiam augere et confirmare. Ac tum potissimum periclitata est non solum Helveticorum pagorum, sed multarum quoque civitatum per Germaniam libertas, quando Imperatores à Romanis Pontificibus excommunicati, & bello petiti sunt, ipsaque Germania in partes divisa est, dum hi Pontificum alii Imperatorum partes sequuntur. In Helvetiis populus, & nonnulli ex nobilitate Fridericum legitimum Imperatorem sequebantur, ideoque vera libertatis privilegia, ab eodem renovata et confirmata illis sunt: extant apud Suitios tabulæ Friderici II. scriptæ Septembri, anno MCCXL. quibus Suitios in tutelam imperii recepit, qui solum ad imperium spectent, et ab eo abalienari non possint: eorum privilegia confirmat, et liberæ conditionis homines nominat. At vero major pars nobilitatis, præsertim clientes monasticarum familiarum, quarum tum magna fuit potentia, Pontificum partes sequuta est, hinc odia & animorum abalienationes, & prima fundamenta civilium dissensionum orta sunt, atque hæc plurimum aucta sunt in illo interregno multorum annorum post Friderici obitum: Illo tamen tempore mansisse quidem adhuc suam libertatem his pagis, sed cui multi insidiarentur, non obscure perspici potest ex formula fœderis quod Vrii et Suitii cum urbe Tigurina ad triennium fecerunt, quam nos hic subjecimus.

IV. *Universis præsentium inspectoribus aut auditoribus notum facimus nos Senatus civesque Tigurini et nos Arnoldus Major à Sillinio Ammanus populusque Vriensis, nosque Conradus ab Ibergo Ammanus populusque Suitiæ, Constantiensis Diœcesis, quod invicem nos omnes juramento obstrinximus, ut mutuo auxilio et consilio nos defendamus, à festo nativitatis Christi ab hinc ad triennium, his conditionibus quæ hic subscripta sunt.*

Quæcunque ante hunc diem facta sunt eorum nomine non tenemur invicem. Si Dominus, quisquis is fuerit, servum inter nos habuerit: is serviat ei ea consuetudine quæ antea Regis tempore in usu fuit: et ut jure tenetur: si autem ultra hæc eum cogere velit, ipsum tueri tenemur. Quod si alterutra pars absque alterius consilio et voluntate arcem sive munitionem aliquam possidere voluerit, hujus munitionis nomine nihil obstricti alteri erimus. Quod si in arce damnum datum fuerit, incendiis aut vastationibus, tenemur auxilio, et consilio mutuo invicem juvare adversus eos, qui contra jus hæc fecerint. Si quis in agrum Vriorum aut Suitiorum irruptionem facere voluerit, Tigurini pro viribus id probibento: si probibere nequeant, hostem incendiis, et rapinis, et quocunque modo potuerint, lædunto. Si quis Tigurinorum urbem adoriatur, eorum vineta arboreve vastare voluerit, Vrii atque Suitii id pro viribus probibento, et hostem rapinis atque incendiis aggrediuntor. Quod si pars una alicui alteri præterea sese fœdere obstrinxerit, eo reliqua non tenetur. Præterea nos Vrii atque Suitii è civibus Tigurinis sex viros delegimus, Rodolphum Mulnerum, Rudigerum Manessium, Rodolphum Beggenhovium equites, Waltherum à S. Petro, Wernherum Biberlinum, et Conradum Kriegium. Nos quoque Tigurini ex Vriis delegimus tres, Wernherum Attinghusanum, Burckhardum Ammanum veterem, Conradum Majorem ab Ortscheeld, et ex Suitiis totidem, Conradum Ammanum ab Ibergo, Rodolphum Stauffacherum, Conradum Hunium. Hi duodecim viri pro sua æquitate utrique parti mutuum ministerium et auxilium imperabunt pro ut opus fuerit, in his rebus quarum conditiones ante expressæ sunt. Quod si aliquis ex his duodecim intra præscriptum annorum numerum interierit, cæteri juramento obstricti sunto, ut intra XIV. dies alterum in ejus locum substituant. Ut autem hæc omnia firma maneant constituto annorum spacio, nos Senatus civesque Tigurini, nosque populus Vriæ, item populus Suitiæ sigilla nostra appendimus tribus instrumentis, quæ eadem forma de hac ipsa re confecta sunt. Data sunt hæ literæ Tiguri die S. Galli, anno à nativitate Domini, MCCLI.

Formula hæc fœderis, centum annis ante facta, quam Tigurini cum his pagis perpetuum fœdus sancierunt, evidens testimonium præbet libertatis horum pagorum, et quam studiose illam defenderint, citra tamen cujusquam injuriam. Cæterum circa decennium ab hoc fœdere, cum illa anarchia in imperio adhuc duraret, atque omnia ubique turbis plena essent, nobilium quoque licentia in his regionibus cresceret, tres pagi Rodolphum Habespurgium, qui postea Imperator factus est, propter eximiam virtutis opinionem, ad defendendam armis libertatem, si opus foret, numerato annuo stipendio ducem sibi ascivere, & fœdus cum eo fecerunt: idem fecere tum

tum Tigurini, Basilienses, Argentinenses: multæ quoque per Germaniam liberæ urbes his temporibus principes vicinos certo stipendio ad tuendos se ab omni injuria conducebant.

V. Cæterum nobilitatis insolentia Habespurgii authoritate compesci non potuit, ipso præsertim aliis bellis occupato in pago Tigurino, atque in Rauracis et Alsatis: itaque tandem populus cum injurias potentiorum ferre non posset, arma cepit, et nobiles qui injustam vim aliis intulerant regione ejecit, duravit autem bellum hoc annis duodecim, circa annum Domini MCCLX. et deinceps. Hoc bello pagi omnes aditus suarum regionum primum munire cœperunt: & Suitii quidem in monte quem Sellam seu Sattel vocant, turrim extruxerunt, et viam publicam vallo fossaque muniverunt. Vndervaldii vero ad Stanzium pagum, lacum undique acutis vallis sepserunt, et turri excitata portum muniere. Posteaquam vero Rodolphus Habespurgius anno MCCLXXIII. Romanorum Rex factus est, nobiles harum regionum populum rebellionis apud illum accusavere, illi vicissim nobiles injuriarum reos agere: cæterum Rex Rodolphus utraque parte audita, et inspectis pagorum privilegiis, pro illis sententiam tulit, et pacem inter ipsos et nobilitatem patria pulsam composuit, qua facta plerique nobilium domum rediere.

VI. Præfectos autem illis non Austriæ domus, sed Imperii nomine Rodolphus Rex dedit, hi ab initio non habuere sedes suas in hisce pagis, sed alibi in suis arcibus habitabant, & quotannis semel atque iterum evocati illuc proficiscebantur juris dicundi causa, præsertim in rebus criminalibus et capitalibus: hujusmodi præfectos nostra quoque ætate nonnullæ civitates ab imperio accipiunt, qui tantum judiciis rerum capitalium præsunt, nullum præterea in illis urbibus imperium aut jurisdictionem habent. Ac tam abest ut libertas nostrorum per Rodolphum regem imminuta sit, ut potius illi plerique pagi non modo confirmationem, sed etiam amplificationem suarum immunitatum debeant. Nam ut de Tigurinis nunc taceam, Suitiis sua privilegia anno XVIII. sui imperii confirmavit et auxit, quod confirmant literæ datæ Badæ pago Verbigeno, anno MCCXCI. in quibus Suitii expressis verbis homines liberæ conditionis appellantur. Laboravit quidem plurimum Rodolphus Rex in augenda potentia Habespurgiæ domus, verum Helvetiis suam libertatem intactam reliquit, vel quod ante imperium forti et fideli eorum opera usus nollet ingratus videri, et judicaret etiam utilius suis rebus hos fideles amicos et socios habere, quam subditos contumaces, et hostili animo erga suæ libertatis oppressores præditos: vel etiam quod nuper amplissima accessione Austrii Alemannicique Ducatus auctus, non existimaret minima quæque persequenda, ne invidia nimia se oneraret, quæ commodum ipsum harum regionum superaret. Adolphus quoque Nassovius, qui Rodolpho in imperio successit, Helvetiis privilegia ipsorum confirmavit: ac ipsius nomine in grave odium Alberti Austrii, qui Adolphi hostis erat, inciderunt.

VII. Albertus hic Rodolphi filius, maxime omnium Helveticæ libertati gravis et molestus adversarius fuit, nam cum plures liberos haberet, ut augeret illos opibus ac potentia, cum alibi ditionem suam amplificare, tum in Helvetiis novum principatum instituere cœpit, cumque ad Imperium pervenisset, multa quæ Imperii erant, Austriis asserere pergebat, et omnibus vicinis molestus & intolerabilis erat, quem neque puderet sive improbis postulationibus, seu etiam aperta vi consequi quæ desideraret. Quoniam vero Ecclesiasticarum familiarum magna erat potentia, ubique satagebat, ut vel suas jurisdictiones sibi venderent, vel ipsum liberosque hæreditarios perpetuosque tutores, & advocatos, sive patronos (aut quo nomine alio appellare libet) agnoscerent. Postulavit hæc à collegiis & monasteriis Argentinensi, Basiliensi, Constantiensi, Curiensi, S. Galli, D. Virginis ad Eremitas, S. Blasii, Disentisio, Fabariano, Rinoviano, Wettingensi, Murensi, Interlacensi, Trubiano, Certiaci vici, Secconiensi, Schennisio, duobus collegiis urbis Tigurinæ, et aliis quam pluribus. Pari ratione Helveticarum regionum Comites sollicitabat et urgebat, ut se in clientelam Austriæ familiæ dederent: ex hoc numero erant Willisoviani, Rotenburgii, Regenspurgii, Eschenbachii, Arburgii, Wolhusani, et qui à grue nomen habent Grencingiani. Cæterum collegia hæc et monasteria antehac ad imperium spectabant, et nobiles Domini præter Imperatorem neminem superiorem hactenus agnoverant, at hic Augustus omnia Austriæ domui asserere conatus est. Quam autem vehemens erga exteros fuerit, hinc conjici potest, quod sæpe rogatus nunquam tamen eo adduci potuit, ut nepoti ex fratre patriam hæreditatem, quam tutorio nomine administrabat, restitueret, id quod illi postea necis causa fuit. Verum Abbas S. Galli, collegia duo urbis Tigurinæ, comes Homburgius, & quidam alii Austrios neque patronos neque advocatos agnoscere, neque quicquam suarum jurisdictionum, ut Imperatori venderent adduci potuerunt, ac tuebantur se veteribus privilegiis, neque se ab imperio sejungi patiebantur, quo nomine Imperatorem graviter offenderunt. Cæterum multi alii, et inter alia monasteria Secconiense, Murbacense, D. Virginis ad Eremitas, ad Interlacus, Disentisium, collegium Lucernense, sua jura Alberto dederunt, quæ ipsi apud Glaronenses, Lucernenses, Suitios et Vndervaldios habebant, quamvis dudum obsignatis tabulis polliciti essent his pagis, nunquam se passuros, ut ab his monasteriis abalienarentur. Interea Rex magnis pollicitationibus popularium animos sibi conciliabat, ut hujusmodi alienationem ratam haberent.

VIII. Postquam vero his artibus vicinas regiones occupasset, et arces quasdam in ipsis pagis sibi comparasset, quæ antea monasteriorum fuerant, de ipsis pagis in suam potestatem redigendis agere cœpit: etenim cum undique cincti essent Austriis, quibus jam parebant Eremus D. Virginis, Glarona, Tugium, Lucerna, Entlibuchum, Vrseræ, Disentisium, aliaque vicina loca: plerique credebant sponte in Austriæ familiæ clientelam concessuros: attamen ut res ex regis sententia conficeretur, legati ab eo ad pagos mittuntur, Liechtenbergius Baro præfectus Alsatiæ, et Ochsensteinius Baro, ambo consiliarii Regii, hi Suitios primum alloquuntur, et illis suadent, ut se in clientelam Austriæ familiæ dedant, habituros esse Principes longe clementissimos, & sub quorum imperio tranquillius degere possint quam hactenus sub Imperio sæpe distracto in partes, dum in eligendis Imperatoribus Principes dissentiunt. Addunt Austrios possidere monasteriorum non exiguos reditus in his regionibus, quod si illis adversati regis animum offenderint, ipsos facile conjicere posse, durius secum agendum esse, rege alioquin pollicente se quam humanissime et clementissime cum illis acturum.

IX.

IX. Suitii autem antea de consilio et postulatis regis edocti à Wernhero comite Homburgio (qui regioni vicinæ quam Marcham vocant, imperabat, et regem quoque offenderat, quod se in clientelam Austriorum dedere noluisset) re cum Vriis et Vndervaldiis deliberata, respondent legatis Regiis, se amplissima Regum et Imperatorum Romanorum privilegia habere, quibus caveatur ne unquam ab Imperio alienentur, quare statuisse sese exemplo majorum Imperio Romano constanter adhærere. Cæterum monasteria illa quorum jura et reditus Austrii nunc possiderent (erant hæc Murbacense et Beronense quæ jura nonnulla et reditus in Arta pago agri Suitii habebant) obsignatis tabulis pollicita esse, nunquam se ab his monasteriis alienandos, id si servetur, se quoque paratos ut debita officia monasteriis præstent, quod si fides sibi non servetur, et tabulæ hæ irritæ fiant, se quoque existimare non amplius obligatos esse. Porro Regi et liberis ejus Principibus Austriis se debitam observantiam et fidem præstituros, et cum ipse caput imperii sit et Augustus, se ab eo petere ne ab imperio avellantur: præterea cum antecessores ejus ipsorum privilegia confirmarint, quod hactenus ab ipso impetrare non potuerint, se nunc denuo suppliciter petere illorum confirmationem, ac precari legatos ut hanc responsionem Regiæ majestati offerant, eamque suo nomine obsecrent ut clementer audiat. Legati hujusmodi responso accepto, ad Vrios et Vndervaldios proficiscuntur, qui sicut antea inter ipsos convenerat, in eandem prorsus sententiam responderunt, ac in singulis pagis ipsæ tabulæ seu vetera diplomata Friderici et Rodolphi Habespurgii, aliorumque imperatorum, et præterea monasteriorum literæ ac pacta legatis ostendebantur, simulque omnes orabant, ne cogantur hæc omnia abolere. Verum re ad Imperatorem delata, gravissime offensus fuit hoc responso, quoniam non tantum Austrios Dominos agnoscere, detrectabant, et ab imperio se avelli non patiebantur, verum ne à cœnobiis quidem sejungi poterant, et ita quæ ille vix multo labore comparaverat, irrita reddebantur. Cum autem non ita longo tempore interjecto pagi legatos suos denuo ad Imperatorem misissent pro confirmatione suorum privilegiorum, ille indignanti animo illis ait, se æque satisfacturum illorum precibus, atque illi suis postulatis satisfecissent, verum se delegisse præfectos, quos ad illos missurus sit, à quibus plenius de sua voluntate certiores fiant.

X. Præfecti autem ab eo missi sunt, Grislerus eques, qui Suitiis et Vriis præesset, hic Cussenaci (arx vetusta hoc nomine fuit supra pagum agri Suitii ejusdem nominis) habitabat, et alteram præterea arcem apud Vrios extruebat: alter vero Peregrinus Landenbergius Vndervaldiis præfectus est: obtinebat hic arces duas, Sarnam infra sylvam, et Rotzbergium supra sylvam, quæ mediam regionem Vndervaldiorum dividit, ambæ arces antea collegii Lucernensis fuere, et quos Majores vocant illic habitavere, sed Imperator Albertus utranque Austriis vendicarat, et præsidio imposito munierat. Erat hæc ratio præfectorum nova atque insolita Pagis, ante enim unum duntaxat præfectum tres pagi habuere, qui plerunque etiam Tigurinorum aut aliarum urbium præfectus erat: hic (ut diximus) extra pagos in suis ditionibus habitabat, et quotannis semel atque iterum juris dicundi causa evocatus in pagos veniebat, sed reliquis temporibus ejus munere fungebatur vicarius aliquis ex incolarum numero delectus: nunc vero duo perpetui præfecti munitissima loca regionis præsidio tenebant, hos cum arces in Austriorum potestate essent, plebs metu Imperatoris ferre cogebatur.

XI. Ac initio quidem, magna humanitate et clementia præfecti erga omnes utebantur, si forte blanditiis et comitate sua animos popularium conciliare, et ex integro Austriis subjicere possent: id autem cum non succederet, duro et aspero imperio populum premebant, idque jussu regis, quem præter cætera novo fœdere graviter offenderant Suitii, quod cum Comite Homburgio in decennium pepigerant. Crescente igitur tyrannide, legati à tribus pagis communi nomine ad Imperatorem mittuntur, hi cum non possent impetrare accessum ad ipsum Imperatorem, consiliariis ejus mandata sua exponunt: se Romani Imperii populos habere à multis Imperatoribus privilegia ampla et immunitates, quibus nunc tyrannide gravi oppressi spolientur. Etenim cives harum regionum nullis aut levibus de causis in carceres conjici, premi novis exactionibus, et præterea cogi singulos, ut cum alio tempore tum Calendis Januarii præfectis munera afferant, quod hactenus nunquam in usu fuerit, quare sese supplices petere, ut apud Imperatorem intercedant, quo liberentur his oneribus, et restituantur ac confirmentur illis vetera privilegia. At consiliarii Imperatoris deliberatione facta respondent, pagos in culpa esse, quod gravius premantur, et Imperatore minus clementi utantur, qui vicinorum Lucernatum, Tuginorum, et Glaronensium exemplum imitari nolint, et sese Austriæ domui dedere, id unum si fecerint, neque ut antehac regem et liberos ejus spreverint, habituros clementissimum Principem. Hoc responso accepto legati re infecta domum rediere: præfectorum vero tyrannis Imperatorem patronum nacti, indies augebatur.

XII. Erat apud Vndervaldios incola vallis, quam patria lingua Melchtal nominamus, vir senex, opulentus, et libertatis studiosus, qui hactenus semper suis author fuerat, ne se Austriæ familiæ subjicerent, sed pristinam libertatem constanter retinerent: nomen illi fuit Henricus à Melchtal: ad hunc mittit Landenbergius præfectus servum, qui aliquot boum juga abducat, cum ille responderet se nullius criminis sibi conscium esse, propter quod à præfecto mulctari debeat: atque ut maxime aliquid commiserit, non tamen absque judicio atque inaudita causa se mulctandum esse: ad ea servus ad domini ingenium factus arroganter respondet, se nunc jussu heri boves hos abducturum, quod si terra colenda sit, rusticos ipsos aratrum trahere debere, simul juga bobus demit, illosque abigere parat: at hujus filius Arnoldus nomine, injuriæ indignitate commotus, stimulo quem manu gerebat servum præfecti percutit, illique verbere digitum frangit, ac veritus tyrannidem heri, statim per vicinos montes ad Vranios confugit, atque apud quendam cognatum delitescit. Landenbergius vero re cognita Henricum Melchtalium ad se revocat, ab eo percunctatur ubinam filius lateat, illo autem respondente, se id nescire (et re vera id nesciebat) indignatus oculos illi erui jubet, juga illa boum abducit, et præterea maxima bonorum parte eum mulctat. Hoc facto magnam sibi invidiam et populare odium omnium conciliat, sed metu regis, cujus erat maxima potentia,

nemo tum fuit qui se commovere auderet. Itaque ut improbitas licentiam nacta facere solet, sic tum præfectorum libido ab uno scelere in aliud ruit.

XIII. Prope Engelbergum Monasterium, non longe à pago *Wolffenschieß* locus est, *auf Alzelen* nominatus, ubi habitabat rusticus quidam, Conradus à Bomgarten dictus, uxorem habens eximiae formae, hanc forte in prato aliquid operis facientem vidit Wolffenschiessius nobilis præfecti vicarius, qui illac Engelbergo domum suam Rotzebergum revertebatur, et quoniam maritum absentem esse didicerat, illuc divertit, ac mulierem solium sibi temperare jubebat, se enim labore et æstu fessum (erat autem tum finis æstatis) sudorem velle abluere: Mulier tyranni imperio quamvis invita paret, verum cum illam hortaretur, ut ipsa quoque depositis vestibus balneum ingrederetur, se quidem paratam obsequi ait, modo servi discedant, habebat autem secum duos famulos; his dimissis, mulier moram nectit simulans se mox venturam, interim per posticum effugit: ibi illi solicitæ et anxiæ maritus è sylva domum rediens obvius fit, atque rebus omnibus cognitis domum ingressus securi, quam forte secum gerebat, præfecti vicarium in solio adhuc sedentem trucidat, atque meritas ab eo pœnas alienæ pudicitiæ attentatæ sumit. Cædem hanc præfectus ulcisci conabatur sed tantum erat ejus odium apud omnes, ut nihil efficere posset, et indignitas facinoris efficiebat ut salvo pudore à nullo auxilium implorare auderet: is quoque qui cædem commiserat, ex Vndervaldiis discesserat, et clam apud Vrios latebat. Quidam tradunt, Landenbergium ipsum attentantem pudicitiam honestæ matronæ cæsum esse, et ita Etterlinus et hunc sequutus Stumpfius, in suis annalibus Helveticis prodidere: sed Vndervaldii narrant hunc qui in solio cæsus est Wolffenschiessium fuisse, Austrii Principis ministrum, qui Rotzbergæ habitarit.

XIV. Cum hæc in Vndervaldiis facta essent, Grislerus ut suos in officio retinere posset, jussu Regis prope Altorffum vicum, in colle Solaturn nominato, arcem proximo anno extruere cœpit, ac homo arrogans jactabat se ita sub jugum missurum pagos, ut eos pro arbitrio quavis flectere posset, arcem ipsam nuncupabat *Zwing Ury unter die Stägen*: ac si dicas, Jugum Vriorum, quo in extremam servitutem redigendi sunt. Cæterum cum animos omnium exasperatos, et à se alienatos esse cerneret, metuens occultam aliquam conspirationem, ut eam investigare posset, hoc consilio usus est. Altorffi in foro quo maxima hominum totius regionis frequentia convenire solet, pileum prælongæ perticæ imponit, ac omnes jubet nudato capite, flexisque genubus honorem eum pileo exhibere quo se præsentem afficere consuevissent: existimabat autem eos qui præ cæteris sibi infensi essent, nequaquam adduci posse, ut tantum honorem pileo exhibeant, præsertim si confidant aliorum auxiliis quibus cum convenerint, hac autem occasione posse se honesto titulo in eos animadvertere, et tormentis ad exploranda consilia aliquos subjicere. Interea ipse in Suitios quibus etiam præfectus erat proficiscitur.

XV. Erat apud Suitios in magna authoritate Wernherus Stouffacherus, vir nobilis, cujus pater Rodolphus ante annos circiter triginta summum magistratum in eo pago gesserat, hic ædes paulo quam pro regionis more ampliores et elegantiores extruxerat, itaque equo illac prætervectus Grislerus rogat cum cujus sint ædes, ille vero qui nosset præfectum sibi inimicum esse, quod populo hactenus auctor fuerat ne se Austriis subjicerent, Regis, vestræque sunt, ait, et ego vestro beneficio eas possideo, cui præfectus: Ego, inquit, regionis hujus Dominus sum, nec deinceps patiar vos vestro arbitratu libere agere, et ædificare quasi penes vos imperium sit, idque brevi experiemini. Doluit hæc præfecti minax & contumeliosa responsio plurimum Stouffachero, neque mœrorem celare poterat, itaque uxor ejus modesta et prudens mulier, cum maritum mœstum et anxium cerneret, causa ab ipso cognita, hortatur eum ad bene sperandum, Deum enim cui omnis injusta vis ac tyrannis displicet, non defuturum ipsum invocantibus, debere autem ipsum alibi viros fortes quærere qui eadem tyrannide premantur, et cum his consilia et opes conjungere ad recuperandam patriam libertatem, bona spe Deum piis cœptis adfuturum. Stouffacherus diu secum deliberans, tandem Uriam proficiscitur, ac illic facile animadvertit Grislerum non minus quam apud Suitios ob intolerandum fastum omnibus exosum esse. Baro quoque Attinghusanus, qui illum familiariter nosset (is tum summum magistratum gerebat) graviter illi conquerebatur de Grisleri insolentia, qui vel pileum suum Principum more coli vellet, ac palam testabatur fieri non posse ut homines diutius tantam tyrannidem ferant.

XVI. Verum Stouffacherus, qui forte metueret ne hæc tentandi sui causa ab illo dicerentur, consilia reticet, ac uni tantum veteri fidoque amico, cui nomen erat Walthero Fuerstio (quod Principem significat) suam mentem patefacit: Hi autem duo re diu deliberata, et Arnoldo Undervaldio à Melchtala in societatem consilio adhibito, jurejurando se invicem mutuo obstringunt, ad patriam communi consilio et auxilio tyrannide liberandam, et restituendam veteri libertati. Præterea ita inter ipsos convenit, ut quilibet in suo pago, quotquot possit, viros bonos et prudentes huic fœderi asciscat: qui omnes juramentum dabant, se paratos vitam fortunasque omnes exponere, ad asserendum cuique suum jus veteremque patriæ libertatem, ita ut interea præstentur quæcunque debita officia imperio, monasteriis, omnibusque nobilibus et ignobilibus, et simul spondebant se fœdus hoc in arcano habituros, donec communi consilio id palam facere omnes statuissent. Locus etiam ad Uriensem lacum delectus est, *ins Grütli* nominatus, quo convenirent tres fœderis Principes, singuli tribus quatuorve sociis ascitis, et communi consilio de rebus agendis statuerent atque ita tum principium fœderis Helvetici à Stouffachero, Fuerstio, et Arnoldo Melchtalio jactum est, ac singuli ut novo fœderi socios adjungant, domum rediere. Mox autem non solum plebei, sed nobilitatis quoque maxima pars in his pagis, fœderatorum partes sequuta est: Nam præfecti non minus nobilitati quam populo infesti erant et molesti, et vulgo ab his nobiles pagorum rusticis adnumerabantur, et rustici nobiles, et rusticorum tribules appellabantur: eorum quoque jura præfecti Austriis paulatim asserere cœperunt, quibus injuriis et contumeliis multorum ex nobilitate animi ab Austriis abalienati sunt, ut modo de Attinghusano Barone diximus. Aucto paulatim confœderatorum numero, visum est plerisque tempus esse rem ipsam aggrediundi, ut scilicet pulsis præfectis patriam in veterem libertatem asserant, ne forte si diutius differant, res alicunde per indicium ad præfectum emanet.

XVII.

XVII. Itaque postridie S. Galli XVI. Calendas Novembris, anno MCCCVII. duodecim præcipui ex omni confœderatorum numero constituto loco conveniunt: Cæteris autem urgentibus rem primo quoque tempore inchoandam, soli Undervaldii obstare, afferentes Sarnam et Rotzbergum arces suæ regionis munitas et expugnatu difficiles esse, in quibus oppugnandis si mora trahenda sit, mox regem instructo exercitu suis subsidio venturum, verum si expectentur Calendæ Januarii proximi anni, facile per insidias eodem die utramque arcem occupari posse: horum postulatis cœteri acquievere. Itaque decernunt proximis Calendis Januariis omnes arces præfectorum in singulis pagis occupare, nullam tamen injuriam inferre vel præfectis, vel eorum familiæ, aut his qui in præsidio sint, nisi illis qui armata manu se defenderint; Sed ipsos cum ipsorum bonis inviolatos dimittendos esse, arces autem funditus diruendas, quo re ipsa testarentur, se non prædæ cupiditate, aut ullius lædendi causa, sed propriæ libertatis tuendæ gratia arma sumpsisse. Hoc decreto facto singuli domum rediere, constitutum tempus expectantes, interea consilia sua optima fide silentio tegunt.

XVIII. Interea accidit apud Urios ut Wilhelmus Tellius confœderatorum unus, aliquoties pileum illum stipiti impositum præteriret, nullo reverentiæ et honoris signo exhibito, ob hanc causam à præfecto accusatus, suam rusticitatem excusabat, qui non existimasset ullius hoc momenti esse. Sed præfectus qui hominem suspectum haberet, è liberis ejus filiolum unice charum patri deligit, et in vertice hujus pomum sagitta petere illum jubet (erat enim Tellius optimus sagittarius) ni illud dejiciat capite pœnas daturum. Tellius vero hanc rem inauditi exempli dicere, seque potius mori paratum, quam ut sagitta forte aberrante charissimum filiolum feriat, cui præfectus ni jeceris tibi una cum filiolo pereundum erit: quare cum nullus excusationi aut ullis precibus locus relictus esset, arcu sumpto Tellius Deo haud dubie jactum gubernante, pomum e vertice filii dejicit. Omnibus autem felici jactui gratulantibus, unus præfectus satiari hac pœna non potuit, verum cum sagittam alteram thoraci Tellii insertam cerneret, quærit in quem usum hanc quoque e pharetra depromserit, cui ille id moris esse, et in consuetudine sagittariorum positum, ut geminas sagittas depromant: Sed res præfecto suspecta erat, itaque hominem acrius urget, et tandem vitæ impunitate illi proposita verum elicit: eum scilicet hoc consilio sumpsisse alteram sagittam, ut si priore filium feriisset, secunda præfectum peteret. Tum vero præfectus, se quidem uti promiserit vitam illi non erepturum esse inquit, cæterum conjecturum in perpetuos carceres, ubi omni hominum alloquio ac lucis usu privatus, miseram in tenebris vitam degat: simulque vinctum navi imponi jubet, ut eum ex Uriorum regione Cussenacum abducat. Jamque medio lacu navigabant, cum subito gravis tempestas navim concutere, et fluctibus pene obruere cœpit, ibi cum in summo vitæ discrimine omnes versarentur, quidam è servis Grisleri monet dominum, unicam salutis spem superesse, si vinctus Tellius solvatur, et gubernaculo adhibeatur, hunc enim navigandi peritissimum esse et simul quoque robore corporis multum pollere: necessitate urgente omnes id consilium probant ac Tellium solvunt. Ille vero gubernaculo sumpto vix multa vi è fluctibus navem eripit, et eam adversus Suitiorum terram dirigit, quo loco non multum à littore ingens saxum supra undas eminet (Tellii saxum hodie nuncupant,) huic cum appropinquasset, arrepto arcu suo (forte pone ipsum in puppi jacebat) in saxum hoc desilit, et simul quanto maximo potest nisu, navim pedibus in fluctus repellit, atque inde se fuga in proximos montes proripit, navis vero diu fluctuans tandem a servis præfecti portui, quem Brunnam à fontibus nominant, appellitur. Inde cum præfectus Cussenacum peteret, et illi inter Artam et Cussenacum via quadam profunda iter faciendum esset, Tellius locorum peritus ea commoditate captata, illuc se abdidit inter fruteta, et prætereuntem præfectum sagitta conficit. Extat nostra ætate sacellum eo loco quo præfectus cæsus est, et alterum in saxo in quod Tellius è navi desiliit, perpetua rei gestæ monumenta. Tanto facinore perpetrato Suitiam se confert, et rem omnem Stouffachero exponit, inde per altissimorum montium juga juxta Morsachum Uriam redit, atque Waltherum Furstium adit, quidque egerit illum edocet: Aderat autem illis satis animi et virium ad ejiciendam omnem præfecti familiam, sed Undervaldiorum rationem habent, et memores conventorum Calendas Januarii instantes expectant: Interea Tellius apud amicos abditus latet.

XIX. Cum autem tandem Calendæ Januarii venissent, Vndervaldii arcem utranque capiunt ex insidiis, uti polliciti fuerant. Rotzbergi in arce famula adolescentem Vndervaldium egregiæ formæ amabat, et cum eo stupri consuetudinem habebat, constituta igitur nocte adolescens secum adducit viginti alios, omnes armis instructos, eosque se prope arcem abdere jubet, ipse pro more signo dato ab amica ignara conspirationis fune in arcem subducitur, ubi cum aliquantulum quievisset, alia causa conficta è cubiculo ad eam fenestram qua ascenderat revertitur, et unum è sociis fune demisso in arcem subducit, ac ad amicam redit: hujus opera reliqui omnes arcem ingressi sunt, qui præfecti familiam numero et robore superantes, arcem in suam potestatem redegerunt, clausis tamen portis expectabant eventum sociorum, quibus altera arx Sarna occupanda erat. Erant hi numero L. ex his XXX. sese inter arbores quarum eo loco densa silva erat abdiderant, cæteri XX. baculis nixi arcem petebant, munera pro consuetudine præferentes, agnos, porcos, vitulos, caseos aliaque hujus generis: his in itinere obvius fit præfectus qui de more templum petebat, cumque eos inermes cerneret baculos tantum manu gestare, nihil mali metuens institutum iter perficit, lætus etiam propter munerum copiam quæ solito major erat. Verum illi baculos teretes ita ante excavuerant, ut facile eos acuto ferro, quod singuli sinu gestabant, hastarum instar induere possent. In arcem ergo intromissi portam occupant, et socii qui inter arbores abditi signo dato his auxilio veniunt, ac omnes qui in arce erant in suam potestatem redigunt, cumque cognovissent Rotzbergum quoque captum, omnes cum rebus suis, etiam ipsum præfectum quem fugientem interceperunt, ad fines deducunt et dimittunt, jurejurando illis dato, ne unquam in has regiones redirent. Arces ambæ funditus dirutæ sunt. Eodem die Vrii novam arcem, Vriæ jugum, nondum absolutam, destruxere: et apud Suitios Stouffacherus cum suis arcem Lovertiam in lacu positam cepit, et diruit. Postridie tres pagi legatis missis publicum fœdus conditionibus ante commemoratis in decennium fecere, et illud jurejurando

rando fancierunt, atque hunc finem habuit tyrannicum imperium praefectorum, quos Albertus Austrius his pagis imposuerat.

XX. Caeterum Albertus Rex cognitis his rebus graviter commotus, statuit pagos bello persequi, et vi sub jugum redigere, mandat igitur suis omnibus, Tuginis, Lucernatibus, et reliquis, qui his pagis finitimi erant, ne ullam commeatus copiam eis faciant, sed ipse non multo post in transitu Rusae fluvii, juxta veteris Vindonissae ruinas, caesus à fratris filio et conjuratis, bellum quod animo destinaverat, persequi non potuit. Liberi autem Alberti occupati in ulciscenda nece patris, nullam tum Helvetiis vim intulerunt, metuentes, ne se nobilibus à quibus Albertus pater eorum caesus fuerat, conjungerent. Dirutae sunt eo tempore ab Austriis multae munitissimae arces in Helvetiis, veluti in pago Tigurino Warta, Multbergum, Schnabelbergum, Maschuanda arx et oppidum: in Verbigenis, Farvvanga. Deletae etiam sunt nobilissimae harum regionum familiae, Eschinbachia, Wartia, Palmia, aliaeque plures: arce enim Farvvanga capta, uno die sexaginta tres nobiles et nobilium servi capite mulctati sunt: non minus etiam mille hominum, quorum maxima pars nobiles erant, alibi in Helvetiis Austriorum jussu vel caesi, vel in exilium acti sunt: falso autem Helvetii a malevolis quibusdam accusantur de plerisque arcibus eversis, et familiis nobilium patria pulsis aut extinctis, cum maxima pars ab ipsis Austriis deleta sit.

XXI. Alberto regi successit Henricus Luzelburgius VII. hujus nominis Imperator: hic trium pagorum privilegia, et veteres immunitates illis concessas confirmavit, atque praefectum seu advocatum Imperii nomine constituit, qui Tigurinae urbi, Turgeis, Verbigenis, et tribus pagis Imperatoris nomine jus diceret, Rodolphum Habespurgium Lauffenbergae dominum: fuit hic Gotthofridi filius, Rodolphi nepos patrui Rodolphi Imperatoris. Cum autem Imperatore absente in Italia (in qua expeditione centum è Tigurini, et totidem ex singulis pagis illi militarunt) praefectus sua potestate abuteretur, et eo nomine apud Imperatorem accusatus fuisset, idque ut quidam ajunt, falso et per calumniam, opera Leopoldi ducis, qui ipsum oderat, praefectura privatus est, et in ejus locum substitutus Eberhardus à Burgla in Turgea habitans. Rodolphus autem sequutus aulam Francicam Mompessulli mortem obiit, cadaver ejus famuli domum reportarunt, et in Coenobio Wettingensi sepelierunt. Liberi autem Alberti caesis illis omnibus qui paternae mortis conscii fuerant, et illis quoque pulsis qui illis conjuncti erant, aucti opibus et potentia (omnia enim caesorum bona occupaverunt) pagos quidem oderant, sed tamen aperto bello eos non petebant, forte metu Imperatoris in cujus clientela erant, interea tamen incursionibus infestabant eos, facile enim erat ex Lucerna navibus Vndervaldios infestare. Pagi vero diligentes excubias agere, et sibi mutuo auxilio esse. Itaque cum anno MCCCX. navis armis virisque optime instructa è Lucerna Vndervaldios peteret, ab ipsis et ab Vraniis, qui forte navi praesidio Vndervaldiis veniebant, in portu oppressa est, atque omnes qui in ea erant, vel caesi vel capti sunt: qua clade accepta, qui Lucernae et in his finibus agebant, inducias cum hoste fecerunt. Eodem anno Suitii uti omnia domi pacarent, Artam et Cussenacum sui pagi vicos, Habespurgiorum tamen imperio parentes, ab Eberhardo comite Habespurgio emerunt, et hac quidem parte suos fines ad lacum extenderunt.

XXII. Sed ab altero limite interea illis bellum erat cum monasterio D. Virginis ad Eremitas, cum quo inimicitias diuturnas quadringentis fere annis exercuerunt, quarum causam breviter exponam. Otho magnus Imperator circa annum DCCCCL. limites certos constituerat Suitiis et fratribus monasterii Eremitani, in his montes quidam pascui monasterio tribuebantur, quos hactenus Suitii possederant, sed illi decretum Caesaris ratum habere et suis possessionibus cedere nolebant, verum eosdem fines quos antiquitus possederant, vi retinebant: Abbates vero monasterii cum vi eos pellere non possent, nihilominus decreti hujus confirmationem à sequentibus Imperatoribus impetraverunt. Anno autem MXLIV. Gero Abbas Suitios apud Henricum III. Imperatorem accusavit: Suitiis conjunxerant sese Lentzburgii comites Rodolphus et Arnoldus Tugio imperantes, qui et ipsi de finibus imminutis conquerebantur, sed Imperator Henricus Othonis decretum denuo confirmavit, et comitibus Lentzburgiis nescio quam mulctam imposuit: Suitii tamen in possessione veteri quamvis invitis Abbatibus permanebant. Rursus igitur circa annum MCXLIV. Rodolphus Abbas ipsos coram Conrado II. Imp. accusavit, ab hoc quoque Othonis sententia confirmata fuit: cum autem Suitii nihilominus in possessione vi permanerent, et Abbas suos fines à Caesare constitutos occupare vellet, bellum inter eos exortum est, quo excursionibus utrinque se infestabant, et quoscunque poterant mutuo intercipiebant. Durarunt hae inimicitiae multis annis, tandem Rodolphus Rapersvilae comes, pacem inter eos composuit anno MCCXVII. quae annis circiter quinquaginta servata est. Anshelmo autem Abbate novae lites exortae sunt, quod literas pacis factae diverso modo interpretarentur: duravit bellum utrinque XLIV. annis. Postea Tigurini pacem firmam facere conati sunt temporibus Henrici VII. verum in ipsa pacis actione nonnulli Suitiorum qui religionis ergo ad Eremitanum monasterium venerant, publice à quibusdam monachis insigni contumelia affecti fuerant, idque pacis actionem irritam fecit. Praeterea Austrii Principes, qui tum advocatiam monasterii sibi vendicarant, Abbatem et monachos contra Suitios incendebant, illisque suum auxilium pollicebantur: Cum igitur bellum duraret, et multa damna Suitii inde acciperent, anno MCCCXIII. die XXIII. Febr. noctu ex inopinato profecti, deceptis excubitoribus, coenobium ipsum manu ceperunt, ac ex monachis hos à quibus contumelia affecti fuerant, ac loci parochum nomine Joannem, et Rodolphum monasterii ludimagistrum ceperunt et abduxerunt: Erant autem monachi nobilibus familiis nati, Rodolphus et Henricus Wunenbergii, Joannes Regenspergius, Burckhardus Flumingerus, itaque statim eorum cognati atque affines Habespurgii comites et Toggii, et Baro Regenspergius, et praeterea Abbas monasterii Joannes de Schvvanden pro ipsis apud Suitios intercesserunt, quare cum jurejurando cavissent ne Suitiis haec irruptio damno foret, eamque se nunquam ulturos polliciti essent, persolutis DCCCC. libris liberi dimissi sunt. Verum animi eorum non tam data libertate placati sunt, quam offensi et exacerbati captivitate, itaque omnes occasiones laedendi Suitios captare.

XXIII. Accessit nova dissensionum occasio, mor-

mortuo Henrico Imp. cum anno MCCCXIV. comitia novi Imperatoris creandi gratia haberentur, Principes electores suffragiis variarunt, et quatuor ex his elegere Ludovicum Bavarum hujus nominis quartum, cæteri tres sua suffragia dedere Friderico Austrio Alberti filio, is ut numero suffragiorum Ludovico par esset, Henricum Carinthiæ ducem regem nominat Bohemiæ, qui gentilitatis jure regnum illud ad se spectare contendebat, et hunc inter suos suffragatores numerabat, cum tamen Joannes Henrici VII. filius, qui filiam demortui regis in uxorem duxerat, regno potiretur. Hanc quasi dilacerationem Imperii cum per omnem Germaniam, tum etiam per Helvetiam magni motus consequuti sunt: tres pagi qui Austrios oderant Bavaro adhæserunt: vicini eorum omnes aut ante in clientela Austriorum erant, aut nunc Friderici electionem ratam habebant.

XXIV. Itaque cum soli pagi acerrime Friderico resisterent, ejus opera, accusante ipsos Eremitano Abbate, à Constantiensi Episcopo excommunicati, et à Curia imperiali Rotevilana proscripti sunt. Crimini eis dabatur quod in Cœnobium Eremitanum irruptionem fecissent, et in illo tumultu sacrosanctum corporis et sanguinis Domini nostri Jesu Christi sacramentum in terram profudissent, id autem factum Suitii constanter negabant, et ultro pollicebantur se gravissime pœnas exacturos de tanti facinoris auctoribus, si modo demonstrari queant, nemo tamen quenquam facti hujus authorem nominare poterat, nihilominus manebat publicata proscriptio et excommunicatio, itaque supplices à Ludovico Imperatore petunt, ut causam cognoscat, hic re cognita proscriptione eos exemit, et ut communioni Christianæ restituerentur, effecit.

XXV. Interea vero Nobiles qui una cum præfectis à pagis profugerant, solicitabant Leopoldum Austrium Alberti filium ut bellum pagis inferret, idem urgebat Abbas Eremitanus, et Montefortius comes, titulus quoque belli videbatur esse honestissimus, ut Princeps vindicaret injuriam fano D. Virginis illatam: non difficulter autem persuasum fuit Principi juveni et præpotenti, ac qui paternum odium animo aleret, ut bellum adversus pagos susciperet. Habebat secum copias illas quibus arces expugnarat parricidarum patris sui, alacres ad bellum, et opima præda direptarum arcium opulentas, præter illas ex Helveticis regionibus et Suevia Alsatiaque instructissimum exercitum colligit, et universas copias in duas partes dividit, majorem partem ipse (circiter XX. M. numero fuisse ferunt, in Suitios ducit, alteram dat comiti Strasbergio, qui Haseliæ valli imperabat, ut superato Brunigo monte Vndervaldios adoriatur. Pagi apparatu ducis cognito, et ipsi suas copias colligunt, et ne quid intentatum relinquant, per Toggium comitem Principem de pace interpellant, et se vel ipso Principe judice Abbati Eremitano atque nobilitati ejectæ responsuros pollicentur: sed Princeps intercessionem comitis admittere noluit, omnemque pacis actionem rejecit. Spe igitur pacis prorsus sublata, in omnibus pagis jejunium indicitur, et supplicationes ad Deum fiunt: omnes qui arma ferre possint, distribuuntur in præsidia quacunque aditus in eorum regionem patet, incertum enim adhuc illis erat, qua potissimum via Austrii ipsos adorituri essent. Sed quia dux ipse cum omnibus fere copiis Tugii erat, Suitium conveniunt qui proximus Tuginis pagus est, Vriorum CCCC. Vndervaldiorum CCC. et sexcenti ex ipso Suitio pago, hi omnes mille trecenti numero hostem expectare statuunt, vitamque pro patria et libertate, pro uxoribus et liberis ponere parati sunt, non minus laude digni illis Lacedæmoniis qui ad Thermopylas pro Græciæ libertate pugnantes occubuerunt.

XXVI. Ferunt nobilem Hunebergium qui in agro Tugino habitabat, sed tum in castris Austriis erat, misertum tot innocentum, quos omnes perdendos videbat (decretum enim erat nobilitati ferro flammaque Pagos vastare) clam epistola alligata sagittæ monuisse Pagos ut die Othmari in loco qui Morgarten dicitur, sibi caveant: itaque re cognita Pagi eum quem diximus locum muniunt, angustias obsident, et castra in edito monte ponunt. Convenerant tum in unum exules Suitiorum quinquaginta numero, hi veniam exilii à suis petebant, et suam operam in defendenda salute patriæ offerunt, verum illis triste responsum datur, eorum multos gravium criminum reos esse, quare nolle se uti eorum societate, ne homines sontes universo exercitui alicujus mali causa sint: illi tamen hoc responso accepto non deterriti sunt ab auxilio ferendo patriæ, sed in ipsis finibus collem editum imminentem viæ qua hostibus transeundum erat, occupant. Die igitur Othmari qui est XVI. Nov. anno MCCCXV. Leopoldus suas copias Tugio ante ortum solis educit, et ipse cum equitatu omnique nobilitate peditatum antecedit, sua enim manu quisque nobilium pœnas sumere de seditiosis rusticis statuerat. Cum autem appropinquarent finibus Suitiorum, qua parte lacus quem Egerium seu Aquæ regiæ vocant, ab una parte, et ab altera editissimi montes viam militarem cingunt, exules primi omnium ingentia saxa, et vastas trabes è summo monte in exercitum Ducis devolvere cœperunt, indeque passim lapides quos in hunc usum congesserant, in equitatum continenter jacere. Rem inopinatam consequuta est magna hominum equorumque turbatio, sic ut sessores equos consternatos, cum sonitu ingentium saxorum quæ per præceps ruebant, tum ipsis quoque lapidum ictibus, non possent regere, id altiori loco cernentes Suitii, instructa acie hostem à fronte adoriuntur, et primum lapidibus missilibusque eminus petunt, inde cominus congressi halabardis maxima vi hostem ferire incipiunt, tantoque impetu eos aggressi sunt, ut brevi hostem in fugam verterint, cujus authores fuisse traduntur Eremitanus Abbas et Montefortius comes. Occubuerunt præter peditatum hoc prælio MD. equites, multi in lacu suffocati, non pauci angustia locorum fugam impediente à suis oppressi et equorum pedibus obtriti perierunt. Cæsi illic sunt Tigurini cives LII. qui duci Austrio à senatu auxilio missi fuerant, omnes diversicolore vestitu ejusdem generis usi, mortui eodem loco reperti sunt, virtuti eorum etiam hoste testimonium perhibente.

XXVII. Eodem die quo ad Moregartum pugnatum est, Strasbergius comes dejecto è Monte Brunico præsidio Vndervaldiorum cum tribus millibus in eorum regionem penetravit, ac prædas undique agere cœpit. Alpenaci (is vicus est Vndervaldiorum,) castra metatur, ut nisi sponte deditionem facerent, postero die alteram partem Vndervaldiorum, quæ sylva à superiori parte regionis dirimitur, invaderet. Interea vero Vndervaldii superiores sese colligunt in vicinis montibus, eos etiam qui sub sylva erant, ad quos hostis nondum venerat in auxilium evocant, et simul rem omnem suis, qui apud

apud Suitios erant significant. Venit is nuncius cum jam depugnatum esset, postridie Brunnam, alii eodem die venisse tradunt, itaque mox Vndervaldii lacum petunt, et tanto studio domum festinant, dum omnes nautarum vice funguntur, ut duabus horis lacum alioqui spaciosum trajecerint, comitati sunt eos C. e Suitiis, hi omnes Buchsum appellentes qui ipsorum vicus est, ac inde Burgenstadum versus profecti, se cum domesticis copiis quæ illic erant conjungunt, illic primum hostes qui huc Lucerna navibus advecti regionem populabantur, aggrediuntur et turpi fuga naves repetere cogunt: deinde his profligatis, Alpenacum contra Strasbergium proficiscuntur: etsi autem non multum diei supererat, statuunt tamen hostem aggredi, quod is in diripiendis pagis dispersus esset, et quod noctem sibi qui loca nossent nihil nocituram, hostibus autem magno impedimento fore statuerent, neque eos fefellit opinio. Strasbergius enim vix primum eorum impetum sustinuit, territus, et quod sui milites dispersi essent, et quod duo vexilla Vndervaldiorum cerneret, unde vir prudens colligebat exitum prælii ad Moregartum, itaque effusa fuga per montes domum se recepit, trecenti tamen hostium hoc loco cæsi sunt, omnisque præda ab hostibus recuperata est. Suitii et Vrii domi rebus compositis, Vndervaldiis auxilio veniebant, et ineunte nocte Buchsum appulerunt, huc ad eos venit victoriæ nuntius, itaque actis Deo gratiis, et congratulati victoriam suis fœderatis, domum reversi sunt.

XXVIII. Hæc victoria fundamenta firmavit Helvetici fœderis, itaque tum primum tres pagi fœdus quod antea ad decennium fecerant, in perpetuum pepigerunt, et id in literas retulerunt. Ab hoc fœdere Helvetii nomen acceperunt, ut dicantur *Eydgenossen*, quasi dicas jurisjurandi participes, aut eodem juramento devinctos, exteri Suitzeros vocant à Suitio pago, forte quod primum pro libertate in eorum agro pugnatum sit: aut quia diutissime cum Eremitanis contenderunt, et primi omnium ex pagis tribus Austriorum irruptioni expositi fuerunt, et inter tres pagos maxima eorum fuit potentia, nomine eorum ut celebriori reliqui etiam pagi sunt comprehensi, et ab his deinde nomen ad omnes confœderatos dimanavit. Formulam fœderis subjicere hic placuit, ut omnibus appareat, nihil iniquum et insolens fœdere hoc contineri quemadmodum quidam falso nos accusant.

FORMVLA FOEDERIS TRIVM PAGORVM.

IN NOMINE DEI AMEN. Cum humani sensus infirmi et fragiles sint, fit ut res quas diuturnas et perpetuas esse oportebat, brevi facile oblivioni tradantur: quare utile ac necessarium est, ut res illæ quæ pacis et tranquillitatis, utilitatis hominum et honoris causa instituuntur, in literas seu tabulas referantur et publicentur. Nos igitur Vrii, Suitii et Vndervaldii omnibus, qui has literas legerint aut audierint, notum facimus, quod prævidentes et præcaventes dura et difficiliora tempora, ut commodius pace et quiete frui, et corpora atque fortunas nostras tueri et conservare possemus, nobis invicem mutuo bona fide et jurejurando promisimus et juravimus, nos utrinque consilio et auxilio alteri fore nostris corporibus et fortunis, idque propriis sumptibus, semper contra universos et singulos qui nobis nostrisve vim aliquam aut injuriam fecerint, aut facere voluerint in corporibus, aut fortunis. Quod si interea nostrum aliquis damnum in corpore suo aut fortunis acceperit, huic auxilio pro viribus esse debemus, ut id illi vel amice vel jure restituatur et resarciatur. Præterea eodem jurejurando in nos statuimus, ne ulli trium pagorum aut cuiquam nostrum liceat sibi dominum aliquem asciscere absque aliorum consilio et voluntate. Singuli autem nostrum tam mares quam feminæ legitimis suis Dominis, et legitimæ potestati in omnibus æquis et justis servitiis obeundis parere debent, exceptis his dominis qui alicui pagorum vim intulerint, aut injuste dominari nobis voluerint, talibus enim nulla servitia præstanda sunt, donec cum pagis transegerint. Convenit inter nos ne ullus pagorum, aut quisquam confœderatorum, jusjurandum vel obligationem cuiquam exterorum præstet absque cæterorum pagorum et confœderatorum consilio. Nullus confœderatorum colloquium cum quoquam exterorum instituat, absque reliquorum confœderatorum consilio et permissione, donec pagi Domino carent. Quod si ullus è nostris pagis aliquid horum quæ hic continentur, et literis mandata sunt, violarit et transgressus fuerit, perfidus et perjurus esto, ejusque corpus et bona pagis cedant. Præterea in eo etiam consensimus, ut nullum judicem habeamus aut recipiamus, qui pecunia aliave re officium coemerit, quique non fuerit è nostra regione. Si dissensio seu bellum oriatur et existat inter confœderatos, optimi ac prudentissimi quique conveniant, et bellum dissensionemve componant, et tollant, vel amice vel jure: quæcumque autem pars id respuerit, confœderati alteram partem juvent, ut amice vel jure controversia componatur, ejus damno qui inobediens fuerit. Quod si inter duos pagos lis aut bellum oriatur, et alter horum neque amice neque jure agere voluerit, tertius pagus obedientem tueatur, et illi auxilio sit, ut res amice vel jure decidatur. Si quis confœderatorum alterum occiderit, is vita luat, nisi probare possit et judices statuant, se necessario sui ipsius defendendi causa id fecisse. Quod si fugerit, quicumque in nostris regionibus eum domo receperit, hospitium præbuerit, defenderit, in exilium ejiciatur, neque in patriam redeat nisi communi sententia confœderatorum revocatus fuerit. Si quis confœderatorum furtim aut aperte et audacter alteri incendio noceat, hic nunquam in nostras regiones recipiatur, quicumque autem eum domo hospitiove exceperit, et foverit, alteri damnum datum resarciat. Nemo pignus exigat nisi ab ipso creditore aut ejus vade, idque non nisi judicis consensu faciat. Vnusquisque suo judici obsequatur, et pareat, judicem autem suum in nostra regione ostendat coram quo se judicio sistere velit. Qui vero judicio non paruerit, si ejus inobedientia confœderatorum alicui damni causa fuerit id illi resarcire cogatur. Vt autem præscriptæ conditiones perpetuæ et firmæ maneant, nos supra nominati cives et confœderati Vrii, Suitii, et Vndervaldii nostra sigilla his literis appendimus, quæ scriptæ sunt Brunnæ anno à nato Christo servatore nostro MCCCXV. postridie S. Nicolai.

XXIX. Victis hostibus, fœdere confirmato, pagi missis legatis de utroque Ludovicum Imperatorem certiorem faciunt, is initio sequentis anni comitia Principum habet Norinbergæ, in quibus Austriæ Principes læsæ majestatis damnantur, ipsorum bona in pagis Helveticis imperio addicuntur, pagorum libertas confirmatur. Extant hujus decreti tabulæ datæ in castris ad Merridam XXIII. Martii, Anno salutis MCCCXVI. anno autem Imperii Ludovici secundo. Idem Imperator circa annum MCCCXXIII. Joannem Arbergium comitem tribus pagis præfectum constituit, huic nomine Ludovici Imperatoris sacramentum dederunt.

XXX. Præfectus autem pagis per literas spospondit, se nolle libertatem et fœdera pagorum ullo modo tollere aut imminuere, neque passurum ut ab imperio abalienentur, et sub Austriorum vel nobili-

nobilitatis imperium redigantur. Neminem harum regionum civem alibi extra regionem in jus vocandum, judicem nullum conſtituendum niſi civem ejuſdem pagi. Et ut libertas pagorum à præfectis non poſſet infringi, poteſtas eorum a Ludovico circumſcripta eſt, et ſancitum gravi pœna ne libertatem conceſſam pagis ulla ex parte imminuant: diploma quo hæc ſtatuuntur, Papiæ ſcriptum eſt anno MCCCXXIX. die Joannis Baptiſtæ. Imperatores qui Ludovico ſucceſſerunt, et hæc confirmarunt, et præterea pagis poteſtatem dederunt, ut ex ſuo numero Imperii præfectos conſtituant, et plenum jus habeant tam civilium quam criminalium cauſarum.

Auſtrii autem tanta clade accepta, nulla pace facta, ſponte inducias agebant, non quod vires eorum ita attritæ eſſent, ſed quod gravi bello adverſus Ludovicum Imperatorem diſtinerentur, ut his minus vacare poſſent. Interea tamen ſæpe excurſionibus levibus utrinque finibus damnum dabatur: cumque Weſenii et qui illis in locis agunt, quæ inferioris præfecturæ Glaronenſis nomen habent Suitiis moleſti eſſent: illi inſtructo exercitu fines eorum ingreſſi ipſos pacem à ſe petere coegerunt. Abbas vero Eremitanus pagos et præſertim Suitios excommunicari fecerat primum ab Epiſcopo Conſtantienſi, deinde à Papa, eoſdem Fridericus Auſtrius, qui ſe Imperatorem nominabat, proſcripſerat, ſed Ludovicus Imperator eos à proſcriptione exemit, et ejus juſſu à Petro Archiepiſcopo Moguntino Chriſtianæ communioni reſtituti ſunt. Abbas quoque Eremitanus literas dedit Suitenſibus, quibus bullæ Pontificiæ renunciat, eaque ſe non uſurum adverſus ipſos pollicetur. Interea autem dum utrinque induciæ ſunt, Auſtrii primum in ſocietatem aſciſcunt comites harum regionum Hartmannum ac Eberhardum Kyburgios comites et Dunii Dominos anno MCCCXVII. horum opera prohibebant, ne ab Interlacenſibus commeatus ſubveheretur Vndervaldiis. Anno deinde MCCCXXIII. Joannem Habeſpurgium utriusque Rapersvilæ dominum, et hæredem Homburgii comitis in ſuam clientelam adigunt, et fœdus præterea cum eo contra pagos ineunt, propterea quod regio ejus finitima Suitiis, et commeatui intercipiendo, et bello gerendo longe opportuniſſima eſſet. Sequenti autem anno Rodolphus et Hartmannus fratres comites Werdenbergii, domini Sarunetum, itidem Leopoldo Auſtrio ſe fœdere junxerunt, ſed horum frater germanus Henricus nomine, Ludovici partes ſequutus eſt. Eodem tempore Bavarus Imp. à Romano Pontifice eſt excommunicatus, privatusque Imperio, et propterea ſtudia hominum in varias partes ſciſſa ſunt, dum hi ratam habent Pontificis ſententiam, alii vero eandem nihili facientes Ludovicum Imp. agnoſcunt: pagi vero in hac diſſenſione ſtudioſe eorum amicitiam colebant, qui Bavari partes ſequebantur, id quod pleræque Helveticæ civitates faciebant: nam etſi Tigurini et quidam alii initio Auſtrium agnoſcerent, tamen cum is captus Imperio renunciaſſet, fratres autem nihilominus bello perſequerentur Bavarum, ipſi Ludovici partibus ſe junxerunt, ut qui jam vere ſolus Imperator eſſet. Anno igitur MCCCXXVII. fœdus fecerunt tres pagi cum urbibus Imperii quæ Ludovici partium erant, Moguntiaco, Vormatia, Spira, Argentina, Baſilea, Friburgo, Conſtantia, Lindovia, Uberlinga: huic fœderi ſe quoque junxerunt Tigurum et Berna. Sed quinto anno ab hoc fœdere, Lucerna perpetuo fœdere pagis juncta eſt: id qua ratione factum ſit paucis exponam, ſi prius quædam de hujus urbis origine ac ſtatu ante fœdus Helvetiorum paulo altius repetiero.

LVCERNA.

I. Lucernæ ſitus et origo. II. Lucerna quomodo in Auſtriorum poteſtatem pervenerit. III. Lucernates pacem faciunt cum pagis. IV. Conjuratio prior. V. Fœdus cum III. pagis. VI. Pugna ad Buchenaſſum. VII. Conjuratio ſecunda.

VRbs Lucerna ſita eſt ad fluvium Ruſam, qua is effluit ex lacu amplo, et per quem ad tres pagos navigatur, ad pedem altiſſimi montis, quem Fractum montem, et Pilati montem vulgo nominant. Locus urbi commodus eſt, quod hac iter ſit in Italiam per Alpes Lepontias, quem montem S. Gotthardi hodie nuncupant, hinc merces ad Alpes ſubvehuntur, indeque in Italiam clitellariis jumentis, et viciſſim Italicæ merces per Lacum et Ruſam fluvium in Rhenum, ac porro in Oceanum deſcendunt. Origo urbis incerta eſt: utrinque ad flumen extitiſſe caſtella ſingula traditur, (hodie ſunt civium ædes) quæ ab Allemannis extructa creduntur. Etterlinus enim Helveticarum rerum ſcriptor, qui ad Auſtrios hæc refert, et prædonum receptacula fuiſſe exiſtimat, plurimum à vero aberrat, nam Rodolphi Habeſpurgii tempore primum Auſtrii in his locis imperare cœperunt, quando Auſtrius ducatus Habeſpurgiæ domui ceſſit: neque credendum eſt iter commodiſſimum per alpes ullum Principem paſſurum fuiſſe à prædonibus occupari. Urbs nomen accepiſſe videtur à Lucerna, quæ forte illic in uſum navigantium noctu ponebatur, atque huic rei credibile eſt inſerviiſſe turrim illam vetuſtam, quæ ad ſuperiorem pontem hodie ab aquis nomen habet, qualis et Tiguri cernitur à fluctibus Wellenberga dicta: Pharos antiqui turres hujus generis appellarunt. Antiquiſſimam eſſe hujus loci appellationem, teſtatur diploma Wichardi presbyteri ſcriptum tempore Ludovici regis, in quo ſcribitur locum hunc Lucernam ex antiquitate dictum eſſe. Tradunt autem annales domeſtici Lucernates Carolo Magno adverſus Sarracenos militaſſe, et ab eo cum privilegia quædam conſecutos, tum cornuum uſum quibus adhuc claſſicum tempore belli canunt. Quicquid tamen illud ſit, maxima olim poteſtas, ut in multis aliis Germaniæ urbibus, penes collegium Canonicorum fuit: collegium vero illud fundavit Wichardus presbyter frater Ruperti, qui fuit dux militum Ludovici regis. Ludovicus is filius fuit Theodorici regis, qui circa DCC. annum a Chriſto nato obiit: ab iſto etiam collegium Canonicorum Tiguri fundatum eſt.

II. Hoc igitur collegium pervenit in poteſtatem Abbatis Murbacenſis, ex donatione Pipini regis oppido quoque idem Abbas imperavit ad tempora usque Alberti Auſtrii Imperatoris: hic cum in Helvetiis novum principatum condere inſtituiſſet (uti ſupra ſcripſimus) Lucernam quoque a Murbacenſi Abbate emit, datis illi quatuor pagis in Alſatia, et certa quadam argenti ſumma, bis mille argenti marcas fuiſſe ferunt. Habuerat antehac urbs ſub abbatum imperio immunitates multarum rerum et præclara privilegia, neque merum imperium penes abbatem erat: cives ipſi oppidum ampliarunt, mœnia condiderunt, urbem ſuo arbitratu etiam tum temporis muniarunt.

runt. Austrius quoque Princeps eorum privilegia se inviolata conservaturum esse promittebat, clementique imperio usurum se ostendebat, uti nunquam in pollicendo liberalitas illi deerat. Sed non ita multo post sub Austriorum imperio gravibus oneribus pressi, bellum quoque cum finitimis pagis maximo suo incommodo gerere coacti sunt: nam et primi pagorum incursionibus expositi erant, et domi maximo sumptu præsidia alebant: turris Seeburga hodie nominata testimonium præbet nostræ narrationi, in qua excubias ad lacum adversus classium irruptiones agebant: cumque neque bellum apertum esset, neque pax fida, ab Austriis non defendebantur justis copiis, et nihilominus commercia peribant, agri vastabantur, cives sæpe ab hoste intercipiebantur. Accedebat huc quod una cum Glaronensibus bello adversus Ludovicum Imp. Othonem ducem Colmariam secuti, promissis stipendiis fraudabantur: et cum in aliis bellis sumptus fecissent, et accepta syngrapha non parum pecuniæ præfectis Austriorum credidissent, non modo nihil recipiebant, sed ita tractabantur, ut omnis solutionis spes illis periret.

III. Assiduis igitur injuriis commoti cum sæpe Austrios interpellassent, et suppliciter ab iis petiissent, uti pacem cum his pagis facerent, frustra re tentata ipsi tandem pacem cum tribus pagis fecerunt, integris tamen juribus Austriæ domus.

IV. Offendit hæc pax non modo Austrios, sed multorum quoque civium animos, qui nobilium clientes magna ab illis emolumenta percipiebant, metuere enim utrique ne urbs sese pagis fœdere conjungeret, et ita prorsus ab Austriis alienaretur: itaque inter sese conspirant de opprimendis illis qui populo pacem suaserant, et etiam ad fœdus faciendum eundem hortabantur, atque hujus rei fœdus clam inter se faciunt. Ita autem inter ipsos convenisse dicitur, ut constituta hora noctis, qui in urbe essent portas aperiant, Austriaci autem ad id tempus cum instructis equitibus illam occupent, et conjunctis in unum viribus urbe in potestatem redacta, pagorum amicos puniant, fœdus seu pacem irritam faciant, præsidium oppido imponant, ne quid deinceps rerum novarum moliri possit. Verum cives de insidiis paratis admoniti, constituta nocte omnes in armis fuere, portas præsidiis munierunt, sic factum est, ut qui Austriis favebant, territi nusquam se prodere auderent. Cum vero præfectus Rotenburgi una cum multis nobilibus Verbigeni pagi ad urbem accessisset, ipsum quidem qui se amicum diceret, in urbem cum aliquot nobilibus recepere, cæterum majores copias portis exclusere: itaque postridie cum videret dolos sibi parum processisse, neque vi quicquam tentare auderet, quod viribus inferior esset, una cum suis Rotenburgum rediit: secuti sunt ipsum aliquot è civibus, qui Austriis addicti pœnam domi metuebant.

V. Conjuratio hæc acceleravit fœdus Helveticum, cum enim cernerent odia et insidias nobilitatis, et animadverterent in quanto periculo versarentur, auxilium vicinorum, quod divinitus quasi oblatum esse videbatur, nequaquam rejiciendum esse existimaverunt. Fœdus igitur inter eos ictum est mense Novembri, die Sabbati, qui proxime antecedit D. Martino sacratum diem, anno MCCCXXXII. Mox autem à fœdere inito Austrii vicina Lucernatibus oppida, Tugium, Sempachum, Rotenburgum, Meyenbergum, præsidiis muniverunt: ab his et commeatu Lucernates prohibebantur, et si qui paulo longius ab oppido fuissent progressi, vel trucidabantur, vel captivi abducebantur: quare armata manu commeatum petere cogebantur.

VI. Cum igitur anno sequenti Martii XVII. die Lucernates instructo exercitu Buchenassum (arx ea est ad lacum Tuginum, quæ hodie Hertensteina nominatur) peterent, Ramsuagius Austriorum præfectus Rotenburgi, in itinere eos ex insidiis invasit, et civium circiter LXXX. occidit, cum autem cæteri qui per villas prædandi causa dispersi essent, prope Buchenassum in unum coiissent, acre prælium commiserunt, ac hostem XVIII. equitibus C. peditibus cæsis in fugam conjecerunt. At vero Austrius præfectus cum aperto Marte nihil proficere posset, denuo se ad insidias convertit.

VII. Erant tum Lucernæ complures, quibus bellum Austrium grave et molestum erat, qui ante clientes Austriorum fuerant, et hoc bello omnia sua beneficia amiserant, et fructibus prædiorum suorum, quæ maxima parte in Austriorum solo erant, carebant. Cum his igitur consilia sua confert præfectus ducis, et quoniam maximis familiis nati et non exiguæ auctoritatis erant, hortatur ut civibus persuadeant, ut fœderi trium pagorum renuntient, et denuo totos se Austrio dedant: ostendit quanto majora incommoda à principe vicino et potente hoste metuenda sint, quam hactenus à pagis acceperint cum illorum hostes essent, et quoniam forte ingentes imbres cum urbi minori tum etiam suburbano agro multum damni dederant, ea quoque res in omen ab eo vertitur, divinitus ipsos sic puniri, quod legitimo suo principi rebelles sint. Verum cum illi his rationibus populum movere non possent, aliter rem aggredi statuunt, et inter se conjurant de opprimendis et trucidandis illis qui auctores et propugnatores erant Helvetici fœderis, ac hoc jurejurando et scriptis tabulis sibi mutuo fidem dant. Quo autem se mutuo nossent, rubris manicis singuli conjuratorum utebantur, atque hæc ipsorum tessera erat: unde post apud Lucernates in proverbium abiit, cavendum esse à societate rubearum manicarum, atque probri ingentis loco apud eos ducitur, ex societate rubearum manicarum nominari. Conjuratorum numero aucto, dies Petri et Pauli Apostolorum, quæ est penultima Junii mensis, cædi destinatur, locus in quo conveniant constituitur, sub fornice majori qui vicinus est publicæ domui collegii sartorum: eo enim loco vigiles nocturni tum temporis nondum obambulare solebant: paratus etiam est à ducis præfecto exercitus, quem conjurati patefactis portis in urbem recipiant. Verum sanguinaria hæc consilia, ea nocte qua patranda cædes erat, divina providentia patefecit, cum enim constituto loco armati convenirent, adolescens quidam forte illac iter faciens rem animadvertit, et consilia eorum audivit, mox obscuræ noctis beneficio se subducens ad laniorum domum venit, ubi cum ex lucernarum splendore et hominum strepitu quosdam ludere et perpotare animadvertisset, rem omnem illis indicat: ab his ad summum magistratum omnia relata, et interea summo silentio cives ad arma convocati sunt, portæ præsidiis munitæ, et conjurati antequam externum consilium admittere possent, oppressi et capti sunt. Ac ne quid ducis præfectus in tanto motu aperta vi conari adversus urbem auderet, eadem nocte per celeres tabellarios præsidium à tribus pagis postularunt, ab his postera die CCC. milites urbi præsidio venere: quo recepto munita et firmata

mata urbe, de conjuratorum pœna agi cœptum eſt, literæ conjurationis ipſorum in medium prolatæ, conſcii qui noctis beneficio evaſerant à primo tumultu, capti et in vincula conjecti. Quoniam vero non exiguus numerus erat conjuratorum, et ex his non pauci magnis familiis orti, qui multos in urbe affines et cognatos haberent, tribus pagis pro illis intercedentibus, vitæ eorum parſum eſt, pecunia mulctati ſunt, et ſe ſanctiſſimo ſacramento obſtrinxerunt, nihil deinceps unquam contra rempublicam et fœdus Helveticum tentaturos eſſe. Ab eo tempore apud Lucernates lege cautum eſt, ne ulli cives clandeſtinos cœtus et ſocietates faciant, et ſe mutuo juramento ullo devinciant, præter illud quod ſingulis annis bis a magiſtratu exigitur. Erant tum temporis Auſtrii reconciliati Imperatori Ludovico, quare illi apud hunc pagos tres et ſimul Lucernates graviter accuſant, illi viciſſim ſe purgare, et oſtendere quod graves ob cauſas et jure fœdus fecerint, itaque à Cæſare Tigurinis, Bernatibus, et Baſilienſibus, qui tum Auſtriorum fœderati et pagorum quoque amici erant, (nam triennio ante Tigurini in eorum gratiam militem trans alpes contra Lepontios miſerant) commiſſum eſt ut pacem inter eos componant: itaque tandem anno MCCCXXXIV. per horum legatos induciæ triginta menſium factæ ſunt, his legibus, Lucernates tempore pacis duces de credita pecunia et ſtipendiis nondum ſolutis ne appellanto: moneta ducum Zofingæ cuſa in urbe ſua utuntor: ducibus debita officia et obedientiam præſtanto: fœdus cum pagis tempore pacis durato: pagi non impediant quo minus duces apud ipſos ſuis prædiis et reditibus fruantur: commiſſarii ab Imperatore conſtituuntor qui controverſias ducum cum pagis cognoſcant. Prorogatæ poſtea ſunt hæ induciæ, et quamvis infida pax eſſet, et quæ aliquoties violata ſit, non tamen bellum aliquod Auſtrii publice adverſus confœderatos geſſere, niſi poſtquam Tigurum anno MCCCLI. ſeſe confœderatis junxit, et proximo anno Glarona atque Tugium, et altero poſt hos anno Berna: de quorum pagorum ſtatu atque fœdere deinceps ſcribam.

TIGVRVM.

I. Tigurinorum antiquitas. II. Tigurinorum libertatis incrementa. III. Regenſpergius hoſtis Tigurinorum. IV. Rudolphus Rex Tigurinorum amicus. V. Tigurini ſequuntur Adolphum. VI. Tigurini primo Fridericum ſequuntur. VII. Tigurum excommunicatur. VIII. Forma Reipublicæ Tiguri mutata. IX. Bellum adverſus exules. X. Conjuratio exulum de urbe occupanda. XI. Bellum contra Reperſvilam. XII. Tigurini ab Imp. opem petunt. XIII. Actio Tigurinorum cum Alberto. XIV. Tigurini cum pagis fœdus faciunt. XV. Tigurum I. obſidetur.

TIGVRVM absque omni controverſia una eſt e vetuſtiſſimis urbibus Helvetiæ, domeſtici annales tradunt ſedecim annis poſt Trevirorum urbem conditam eſſe. Treviros autem Trebetam Nini filium Abrahami Patriarchæ temporibus condidiſſe, Marianus Scotus in Chronicis memoriæ prodidit. Tigurinorum quoque mentio celebris eſt in Romanis hiſtoriis, quia et cum Cimbris adverſus Romanos militarunt, et Caſſium conſulem profligarunt, et poſtea à Julio Cæſare bello Gallico victi et cæſi ſunt, et ab eo tempore usque ad Alemannorum irruptionem ſub Romano imperio Tigurum fuit, poſt in Francorum regum poteſtatem, et inde ad imperium illud Germanorum, quod Romani nomen et umbram habet, pervenit. Sunt a regibus Francicis duo collegia virorum unum, alterum fœminarum, Tiguri inſtituta, penes hæc olim maxima ex parte imperium urbis fuit. Cæterum in arce quæ ad Limagum edito loco ſita olim fuit, Francicorum regum præfecti habitarunt, qui collegiorum et urbis advocati erant: poſt ſub Germanis Imperatoribus itidem præfecti dati ſunt urbi et collegiis non tamen qui in arce habitarent, nam hoc munus plerumque Principes viri habebant. Cæterum illis temporibus urbs nihilominus ſuum conſilium habebat virorum triginta ſex, e quibus duodecim quadrimeſtri tempore imperabant: fuit hæc forma Reipub. circa annum MC. et duravit usque ad annum MCCCXXXVI. quo tempore uti mox dicemus, mutata eſt.

II. Cæterum illis temporibus paulatim urbis libertas crevit, atque collegiorum jugum excutere cœpit: in his enim Pontificum et Imperatorum diſſenſionibus Tigurini Imperatorum partes ſequuti ſunt, et Friderico Aenobarbo, Friderico II, Ludovico Bavaro adhæſerunt, itaque ab his privilegiis et immunitatibus aucti ſunt, præſertim a Friderico II. etenim hic mortuo Berchtoldo ultimo Zeringenſi duce, collegiorum et urbis Tigurinæ advocato, cives in Imperii tutelam recepit, circa annum MCCXVIII. ac poſtea multa privilegia collegiorum, et præterea jus eligendi ſenatum, quod antea penes collegia fuerat, in cives tranſtulit ac ſtatuit ne unquam liceat urbem ab Imperio abalienare. Friderici etiam ætate cives urbem foſſa valloque munierunt, communi civium opera. Cum autem a ſacerdotibus, qui cives eſſent, exigerent, ut ipſi quoque expenſas in hoc opus rata ſui parte conferrent, et præterea eos ſuſpectæ pudicitiæ mulieres e domibus ſuis exigere juberent, ea re illi adeo offenſi ſunt, ut a civibus ſeceſſionem fecerint: ſed hæc lis ab Epiſcopo Conſtantienſi ſopita eſt. Ac aliquot annis poſt hanc controverſiam cives Tigurini, quod Friderico Imperatori conſtanter adhærerent, a Papa Romano excommunicati ſunt. His temporibus permiſſione Friderici vetus arx (quo loco nunc amœniſſimus campus tiliis aliisque arboribus conſitus cernitur) diruta eſt civium opera, ne forte aliqui occupata illa, civium libertati inſidiarentur. Multi item vicinorum nobilium urbem, utpote ſacris abſtentam et omnium injuriæ expoſitam, infeſtabant: itaque cum antea frequens mercimonium ſerici panni in urbe fuiſſet, multi etiam qui ſericum texerent, hoc tempore, quod cuncta infeſta eſſent, omne illud mercimonium Novocomum ad Larium lacum translatum eſt. Illis temporibus anno MCCLI. primum fœdus Tigurini fecerunt cum Vriis et Suitiis, cujus formula ſupra a nobis deſcripta extat. Cæterum aliquot annis poſt obitum Friderici, Conradinus hujus nepos Tigurinos ducum Sueviæ imperio ſubjicere tentavit: credo titulo advocatiæ quam olim Alemanniæ duces diu in ſua poteſtate habuere: cum vero illi libertatem ſuam conſtanter defenderent, ejus opera factum eſt, ut urbs a Conrado Imperatore proſcriberetur: ab hac proſcriptione exemit eam Richardus Anglus Romanorum Rex, qui imperialibus literis privilegia eorum confirmavit, in quibus inter cætera hæc leguntur. *Sane fideli relatione pervenit ad ſerenitatis noſtræ auditum, quod Conradinus olim Conradi regis filius, qui ſe ducem Sueviæ nominat, eo non contentus injuria quod in unum*

D *ſibi*

sibi gloriam alienam usurpat, insuper etiam in cives nostros Thuricenses, in nostro et imperii nostri gremio speciali collocatos, nec ad ducatum eundem, sed ad imperium prout stabilivit antiquitas, et modernitas approbavit, immediate spectantes, tanquam subessent memorato ducatui proscriptionis de facto, cum nullo penitus jure posset, sententiam promulgavit, &c. Data Haganoa XX. die Novembris anno MCCLXII. regni nostri VI. Amplum testimonium libertati Tigurinorum his literis perhibetur, quod tamen illo tempore non magnum pondus forte habuit, nam eorum qui Fridericum II. in imperio secuti sunt usque ad Rodolphum Habsp. exigua fuit authoritas, itaque quidam nullum horum in Cæsarum numero habent, sed omne illud tempus interregno tribuunt, in quo non tam jure quam viribus decernebantur pleræque controversiæ, et plerumque infirmiores à potentioribus injusta vi opprimebantur: præsertim potentiores vicini civitatum libertati insidiabantur: itinera quoque passim prædonibus infesta erant, denique anarchia summam licentiam improbis et audacibus hominibus quidvis audendi et faciendi dabat.

III. Cives igitur Tigurini, ut suæ libertati et quieti consulerent, Regenspergi Dominum oblato honesto stipendio, et splendida legatione missa, sibi advocatum et belli ducem fore postulant usque ad electionem novi Imperatoris, erat hic Regenspergius urbi vicinus, atque viribus opibusque tum temporis multum pollebat: is igitur honorem oblatum magno Tigurinorum contemptu respuit, respondens, si cives Tigurini omnibus suis imperiis parere, et urbem sibi obnoxiam facere velint, paratum se esse ut eos in clientelam recipiat, et illis clementer imperet, quod si nolint nunc id facere, brevi tamen cogendos, ut etiam inviti sibi pareant: ut enim pisces nassa, sic urbem suis arcibus circundatam et irretitam esse. Neque prorsus inanis erat Regenspergii jactatio, habebat enim prope urbem arces munitissimas, Vurpiam ad lacum Tigurinum tribus forte passuum millibus ab urbe, et eodem fere spatio sub urbe ad Limagum, oppidum Glanzeburgum cum arce: præterea propius urbem in edito monte ad Occasum Vtlibergam et Balderiam arces, loci natura (uti tum judicabatur) pene inexpugnabiles: adhæc sedes illius, Regenspurgum oppidum et arx, ab urbe non ultra VIII. aut X. passuum millia distabant. Deinde erant ejus confœderati comites plures, Kyburgius qui Burgdorfii habitabat, Rapersvilanus, Toggius, Nidovius, Arbergius, et Barones Eschenbachii, Ringgenbergii, Kilchbergii, Balmii, Homburgii, Wartii, etc. aliique quam plures. Tigurini igitur contumeliosam repulsam passi recta se ad Rodolphum Habesp. conferunt, cui tum graves inimicitiæ cum Regenspurgio intercedebant, cum hoc fœdus ineunt, et conjunctis viribus arces Vtznabergiam, Vurpiam, Vtlibergiam, Balderiam, et Glanzenburgum oppidum intra biennium expugnarunt et diruerunt, et ita bello fatigarunt Regenspergium, ut tandem pace facta in urbem Tigurinam commearit, accepto ab illis exiguo annuo stipendio. Facta sunt hæc anno MCCLXVI. et proxime sequentibus.

IV. Anno autem MCCLXXIII. Rodolphus Habespurgius à Septemviris penes quos imperatoris deligendi potestas est, Romanorum Rex concordibus suffragiis creatus est: hic imperio potitus, Tigurinorum fideli et forti opera in multis bellis usus est, et bello Bohemico ducentos cives Tigurinos inter antesignanos primæ aciei collocavit, ac hortatus est cæteros, ut horum virtutem, ante sibi optime perspectam et cognitam, imitentur: horum maxima pars eo prælio cæsa est, reliquorum insignia honoris ergo in Franciscanorum templo depicta fuere. Donavit Rodolphus Rex pro veteribus et recentibus officiis Tigurinos multis privilegiis, et honoris ergo signum eorum diademate purpureo ornavit. Multi è vulgo existimant, quia prælio ad Vitodurum facto signum Tigurinorum in hostium potestatem pervenit, ignominiæ causa fasciam signo additam, sed horum opinioni multa refragantur: primum enim illæ ignominiosæ notæ non purpureæ, sed nigræ sunt: deinde bello Burgundico quando Renatus Lotharingiæ dux Helvetiorum signis omnes notas ademit, Tigurini non passi sunt hanc fasciam à suo signo auferri: ac anno MDXII. cum Julius P. P. Helvetios novis signis donaret, noluit Senatus Tigurinus quicquam in suo quoad hanc fasciam mutari, quod utique nunquam fecissent, si ignominiosa nota fuisset. Adhæc Joannes Vitoduranus, qui illo tempore vixit quo Tigurini ex insidiis ad Vitodurum profligati sunt, de Rodolpho Rege scribit: Thuricense vexillum coronavit cum magna gratiarum actione. Idem Vitoduranus refert Jacobum Mullerum civem Tigurinum, bello Regenspurgico cum Rodolphus Habespurgius equo dejectus esset, eum corpore suo protexisse, et proprio equo impositum incolumem suis restituisse, ob quod beneficium postea Regem, virum hunc et honoribus ornasse, et singulari amore prosequutum esse, imo summam inter cives Thuricenses et comitem fuisse amicitiam: quare Carion et qui eum sequuti sunt, injuriam Tigurinæ civitati faciunt, quum eam seditionis et perduellionis contra Rodolphum Regem accusant, quæ bello ab eo victa sit, et ad officium revocata.

V. Post mortem Rodolphi Tigurum Adolphi partes defendit, easdem sequebantur Abbas S. Galli, Episcopus Constantiensis: ut igitur Tigurini se his jungerent, Vitodurum quod Werdenbergius Alberti Austri nomine cum magno militum præsidio tuebatur, oppugnarunt duce Toggio comite, cæterum primum victores, postero die dolo Werdenbergii qui Constantiensis Episcopi signa præferebat, victi et cæsi sunt. Suscepere etiam aliam expeditionem Adolphi nomine adversus Groningenses, populus hi sunt pagi Tigurini, Albertus vero Rodolphi F. Dux Austriæ his rebus offensus, persuasus à suis maximam partem civium Tigurinorum ad Vitodurum periisse, urbem quam putabat vacuam defensoribus obsedit: cæterum cives armatos homines in edito loco, ubi quondam arx fuerat, lustrare, in quem prospectus erat ex castris Austriis, et quo videretur major exercitus, omnes mulieres firmæ ætatis, et pueros adultiores armis induerunt, quæ res ingentis exercitus speciem præbuit, missis deinde legatis ad Albertum, commemorabant patrem ipsius Rodolphum semper urbem hanc amasse et fovisse, cives quoque omnibus bellis militasse illi, eorumque forti et fideli opera ipsum usum esse, rogare igitur se patris quoque vestigiis insistere, et Tigurinorum potius in amicitia colenda studium et industriam experiri velit, quam hostium suorum querelis fidem habere, præsertim cum parati sint ipsi satisfacere. Rex legatis benigne respondit, et eos Vitodurum sequi se jussit, quo loco pax inter ipsum et Tigurinos firmata est, hac conditione, ut cives Tigurini Albertum Austrium legitimum Imper. agnoscant et colant. Fuit hæc pax etiam post obitum regis servata, et bello quod

quod contra nobiles paternæ cædis conscios Austrii gesserunt, Tigurini constanter eorum amicitiam coluere, bello item contra tres pagos illis militarunt, et ad Moregartum (ut supra diximus) L. ex Tigurinis cæsi sunt.

VI. Præterea in illa distractione imperii quando variantibus suffragiis delecti sunt Ludovicus Bojorum princeps et Fridericus e domo Austriaca Alberti filius, Friderico Tigurini diu adhæserunt. Anno deinde MCCCXXX. pax facta est inter Bojum et Austrium, in qua Austrius Imperio cessit, ac vicissim Bojus magnam pecuniæ summam illi persolvit, quam cum bello exhaustus in præsenti argento non haberet, quatuor oppida Austrio oppigneravit, Tigurum, Scaphusium, Rinfeldiam, et Neoburgum ad Rhenum: verum Tigurini missis legatis ad Imp. Ludovicum, ostenderunt se ita imperio insitos ut alienari non possint, ejusque rei diplomata proferebant, quibus inspectis Imperator etsi alienior ab iis erat quod Friderici partes sequuti essent, tamen eos liberos reliquit, et eorum loco Brisacum Austriis pignori dedit. Duxerant tum secum intercessores trium pagorum legatos, quos Ludovicus ob fidem erga se plurimum amabat, hi ostendebant, urbem hanc pagis amicam et vicinam sæpe etiam illis magno usui fuisse: pollicebantur quoque Tigurini, se deinceps Bojum, qui jam unus et solus legitimus Imperator erat, non minori fide et constantia observaturos esse quam antehac Austrium. Offendit hoc factum Austrios, etsi enim Fridericus imperio renunciarat, tamen fratres ejus Leopoldus, Albertus et Otho, actiones has noluere ratas habere, et bello Boium persequuti sunt: Pontifex quoque eundem anathemate cum omnibus suis ferit.

VII. Quare hoc modo Tigurinorum urbs rursum ab Austriorum amicitia discessit, et à Papa excommunicata, decem et octo annis communione Ecclesiastica ac usitatis Romanæ Ecclesiæ ceremoniis caruit: sacerdotes partim sponte urbe excesserunt, partim à civibus quibus sacra administrare nolebant, ejecti et domo pulsi sunt, soli Franciscani una porta egressi altera in urbem rediere. Urbi excommunicatæ et præterea alienatæ ab Austriis, nobiles plerique Austriorum clientes infesti erant. Anno igitur MCCCXXXIII. cum Argentinensibus, Basiliensibus, et Bernatibus, Schvvanovium arcem Geroltzegkiorum ad Rhenum sitam, prædatorum receptaculum oppugnarunt et diruerunt. Sequenti deinde anno Fryenstejnium arcem ad Tosam fluvium, et huic vicinam Tuffium superius, item Schonenvertum ad Limagum forte sex ab urbe passuum millibus: præterea Schlattam prope Elgovium, Tigurini everterunt, quod eorum locorum nobiles vrbi infesti essent.

VIII. Anno deinde sequenti forma reipublicæ Tigurinæ mutata est, quæ res multorum motuum causa, et præcipua occasio fuit se Helvetiis pagis fœdere jungendi. Viri ut diximus triginta sex rem publicam administrabant, sic tamen ut duodecim tantum quadrimestri tempore imperarent, inter hos et plebem dissensione orta, plebs ab illis rationem administratæ rei publicæ repetere cœpit, præcipue à medii ordinis seu secundis duodecemviris, ac aliquos ex his peculatus accusare, qui urbis thesauros brevi tempore dissiparant, et præterea urbem gravi ære alieno obstrinxerant: ex his igitur octo sibi male conscii urbe excesserunt, cæteri sponte magistratu abierunt. Duodecemvirorum potestate sublata, ea magistratuum ratio popularis, qua tributim deliguntur, instituta fuit. Hanc formulam rei publicæ Ludovicus Imperator publicis tabulis confirmavit, quas etiam cæteri ejus in imperio successores approbarunt. Cæterum cum hi qui urbe excesserant se populi judicio subjecissent, pecunia multati, et in triennium qui minimum ab urbe relegati sunt, fide prius data se nullam contra cives conspirationem facturos: ignominia quoque pœnæ addita, ne ipsi liberique eorum in senatum legantur. Hac severitate judicii territi veteres Senatores, causæ suæ timere cœperunt, et novem ex eis urbe excesserunt, quibus exilium ratum fuit, bona publicata sunt: ex reliquis, novem alii pecunia mulcati, et ad biennium relegati sunt, eaque ignominia notati, ne vel ipsi vel liberi eorum in senatum legantur: cæteri innocentiam suam populo probarunt, et in novum senatum electi sunt. Exules autem Rapersuilam se recepere, id oppidum XX. fere millibus passuum supra Tigurum ad lacum situm, parebat tum temporis Joanni è comitum Habespurgensium familia. Hic ante triennium civitatis jus a Tigurinis postulaverat, sed quamvis civis eorum esset, nihilominus Austriis non tantum cognatione, sed etiam fœdere junctus erat, ideoque exules prompte hospitio excepit, et certis præterea conditionibus fœdere cum illis facto, arcem oppidi eorum potestati commisit. Itaque exules loco idoneo et munito potiti, cives Tigurinos injuriarum accusare, consulem novumque senatum convitiis proscindere, urbi quoque insidias struere cœperunt, et ad eam rem uti amicorum opera quos in urbe habebant: senatus autem re cognita, de nonnullis horum qui domi erant supplicium sumpsit: alii urbe clam effugere, et se exulibus conjunxere. Quoniam vero exules pacto non stabant, omnes perpetuo exilio à senatu damnati sunt, etiam hi qui definito tantum annorum numero relegati fuerant.

IX. Cum autem civibus nihil tuti extra mœnia esset, et comes sæpe admonitus officii, ne ipse qui civis esset exules tueri, et hospitio atque auxilio juvare pergeret, civium querelas sperneret, Tigurini assiduis injuriis commoti copias suas ex urbe educunt, et Rapersuilam oppidum exulum sedem oppugnant atque obsident, sed illis fortiter propugnantibus, cum præterea annona abundarent, obsidionem solvere coguntur, idque eo libentius fecere, quod Habespurgius exulum patronus domo aberat. Quare soluta obsidione adversus hunc copias ducunt Grinovium, ea arx est ad caput Tigurini lacus, Tigurinorum copias ducebat Diethelmus Toggius Comes cui de Grinovio lis erat cum Habespurgio: Cômes vero Habespurgius qui instructo exercitu montem Buchbergium insederat, Tigurinos navibus illuc appellentes adoritur, et priusquam aciem instruere possent, inordinatos adhuc, cum quisque prout sors tulisset in terram descenderet, fundit et in naves denuo compellit, sed clades ea non magna fuit, nisi quod Toggius comes captus fuit. Itaque postea ubi naves armato milite plenæ medio lacu convenere, incitati ad iram, et ignominiam acceptam abolere cupientes, ducibus exhortantibus naves rursus terræ appellunt, et de integro prælio decernunt, qua pugna Tigurini victores fuerunt, cæsus est Comes Habespurgius, et cum eo plures ex nobilitate clari viri, signa hostium sex, et præda satis ampla in naves relata est. Rapersuilæ autem Toggius comes (quem statim à prima pugna terrestri munere illuc abduxerant) à civibus in ultionem Habspur-

Habſpurgii fruſtulatim conciſus eſt. Facta ſunt hæc anno MCCCXXXVII. eodemque anno à Ludovico Imperatore et Alberto Auſtrio II. hujus nominis, cognomento Claudo, inter Joannem Habeſpurgium cæſi filium, exulesque Tigurinos, item conſulem et cives Tigurinos pax his legibus facta eſt: Exules ſolvant civibus mulctæ loco ſexcentas argenti marcas, per quinquennium exulent, atque hoc tempore nunquam quatuor millibus paſſuum propius urbe abſint, quinquennio finito in civitatem recipiantur, et illis ſua bona ſalva permaneant. Viſum eſt Imperatori novam rei publicæ formam hoc temporis ſpatio confirmari poſſe, cui periculum erat veteribus magiſtratibus receptis, ne eorum artibus novis motibus excitatis, vetus forma rei publicæ quam haud dubie multi eorum amici et clientes probabant, revocaretur. Pax hæc non fuit diuturna, exules enim cum multi e nobilitate ſe illis conjungerent, pactis non ſtabant, ſed civibus moleſti multa quotidie adverſus illos moliebantur, itaque Imperatore ita concedente, exulum ædes, et quæcunque præterea ex bonis eorum in urbe erant, publicata ſunt. Proximo tamen anno opera Agnetis reginæ Vngarorum, (quæ filia fuerat Alberti primi, et poſt patris obitum in Helvetia frequens degebat,) et Friderici Auſtrii, atque quarundam civitatum, pax de integro inter exules et cives Tigurinos compoſita eſt, quæ tamen priore nihilo firmior aut diuturnior fuit: quamvis enim exules pollicerentur ſe velle civium judicio ſtare, et quam illi mulctam irrogarint luere, nihil tamen horum præſtabant. Fovebant ipſos et contra Tigurinos incitabant multi ex Habeſpurgia familia, filius et cognati comitis Joannis, quem Tigurini in prælio ad Grinovium occiderant: multi præterea alii ex nobilitate infenſi libertati Tigurinorum, et Remp. democraticam, et nimium, ut ipſis videbatur, popularem, odio habentes. Igitur Tigurini Landenbergiæ nobiliſſimæ familiæ arcem juxta Toſam fluvium, et alteram Schovvenbergiorum in excelſo monte ſupra Elgovium ſitam, combuſſerunt, proptérea quod ex his locis multum damni acciperent. Et ut vires ſuas confirmarent, cum Conſtantia et Sancto Gallo civitatibus fœdus fecerunt: præterea cum inter ipſos et Scaphuſianos controverſiæ nonnullæ ortæ eſſent, quæ ad bellum ſpectare videbantur, eas quibusdam civitatibus per legatos intercedentibus, libenter compoſuere, et paulo poſt eosdem in idem fœdus cum Conſtantia et S. Gallo adſcripſere. Eodem tempore fœdus ſancitum eſt cum Epiſcopo et civitate Baſilienſi, præterea complures ſocietates ſeu domus Joannitarum ſive Rhodiorum equitum civitate donarunt, idque eò libentius, ut homines nobiles et militares, quo genere hominum Joannitarum familia ſemper abundavit, ſibi conjungerent.

X. Itaque vicinis et potentioribus urbibus et populis partim fœdere antiquo conjunctis, partim novis his fœderibus urbi ſociatis, aliquanto quietiores fuerunt res Tigurinorum, et videbantur exules omnem ſpem vi potiundæ urbis abjeciſſe: cum illi interim quam occultiſſime conſpiratione facta urbem proditione occupare conati ſunt. Inierat autem cum illis fœdus Joannes Habeſpurgius comes, ejus filius, quem ad Grinovium a Tigurinis cæſum ſupra oſtendimus: hac conditione, ut ipſe quidem exules in patriam et in integrum reſtituat, et illi deinde comitis poſſeſſiones creditoribus obligatas ſuo ſumptu liberent. Conjunxerunt ſe his Toggenburgius comes, Peregrinus Landenbergius, cui ſuperioribus annis graves inimicitiæ cum Tigurinis interceſſerant, ſed quæ jam pace inter eos facta ſopitæ videbantur, Mazingius baro, et nobiles quam plurimi, partim exulum amici, partim etiam in comitis Habeſpurgii gratiam, beneficiarii et clientes ejus. Habebant etiam exules in urbe amicos veteres, quorum aliqui conſilii eorum participes erant, cæteri non defuturi partibus credebantur, ſi primus conatus ſucceſſiſſet. Spes etiam erat multos acceſſuros ipſorum partibus, ſi veteres magiſtratus cernerent, cum homines obæratos qui ſalva Repub. ipſi incolumes eſſe non poſſent, tum eos qui in hac mutatione Reipublicæ non conſequuti erant vel honores vel præmia quæ expectabant, et alios ſibi prælatos eſſe indigne ferebant, et præterea qui faſtidio veterum res novas appetunt, quales ſemper in omnibus Rebuſpub. inveniuntur. Conſilium eorum erat Rodolphum Brunium conſulem et novos magiſtratus, et omnes qui ipſis adverſati fuiſſent, noctu per omnes vias immiſſis armatis hominibus domi ſuæ trucidare, et urbe occupata ejus imperium ſibi vendicare, erepta libertate civibus. Itaque ſexto Calendas Martii anni quinquageſimi ſupra milleſimum trecenteſimum Tigurum venit Habeſpurgius comes, Peregrinus Landenbergius, et multi nobilium, et una cum his exulum nonnulli: erat autem fama in vulgus edita, venire hos ut pro exulibus apud Senatum intercederent. Iisdem diebus complures armati clam in urbem venerant, qui apud hujus conſpirationis ſocios deliteſcebant, et comites et nobiles ſecum adduxerant non contemnendam manum famulorum armatam et ad omne imperium dominorum paratam. Erat item militum magnus numerus delectus, quorum alii equites ac pedites noctu ad urbem accederent, ut ſigno dato reciperentur, alii navibus qua urbs lacu alluitur et ſecatur irruptionem facerent, et tumultu exorto caverent, ne quod ſubſidium eo loco urbi ferre poſſent ruſticani homines, qui urbi fidi utrinque ad lacum habitant. Cum autem omnia inſtructa parataque eſſent, ipſa nocte quæ cædi deſtinata erat, divina providentia magis quam hominum conſilio et induſtria, conjuratio omnis detecta eſt: volebat ſcilicet Deus urbem incolumem ſervare, quæ poſteris temporibus Helveticam libertatem Princeps tueretur, et ſuæ Eccleſiæ hoſpitium præberet. Deliberabant in civis cujusdam domo de ſumma rerum conjuratorum Principes, et intenti horam noctis expectabant qua ſignum dandum erat, horum conſilia exaudiit ſervulus quidam, qui illuc totius rei ignarus diverterat, et illis deliberantibus præ laſſitudine in ſcamno reclinatus, ſomnum ſimulabat. Hic quam primum ſubducere ſeſe potuit, recta ad conſulem Brunium pergit, quid cognoverit, et quantum ipſi periculum et ſenatui bonisque omnibus immineat commemorat, ſimul etiam hoſtium teſſeram qua ſe per tenebras agnoſcebant, conſuli indicat. Brunius confeſtim armatus curiam petit, jam paſſim per plateas hoſtes vagabantur, verum cum illis teſſeram oſtenderet, evaſit, et in curiam pervenit: ſervus conſulis qui Domini habitum ſumpſerat, cui in tanta feſtinatione et trepidatione conſul teſſeram dare oblitus fuerat, non tam teſſeræ ignoratione, quam quod conſul eſſe putaretur, ante curiam cæſus eſt. Conſul publico famulo in templum miſſo, cum ære campano more gentis hoſtium adventum indicare jubet: hic porta turris ab hoſtibus obſeſſa, per ignotum oſtiolum è ſacra æde in turrim irrepſit: et ſignum

gnum adventus hostium civibus dedit: ipse etiam Consul e summa curia cives magno clamore ad arma vocat, et urbem plenam esse hostibus testatur. Cum autem Tigurum Limagus in duas partes dividat, quæ duobus sublicis pontibus conjunguntur, ad utrunque fit mox ingens concursus, sed alterius sublicæ, quia nullis clavis fixæ erant, mox dejectæ fuerunt, et omnis vis certaminis in alterum pontem cui adjuncta est curia Senatoria incubuit. Area est non magna ad ipsum curiæ et pontis aditum, hanc cum platea conjuncta hostes occuparunt, adversus hos cives cum e tectis lapidibus et tegulis pugnabant, tum etiam plurimi conglobati armata manu cominus congrediebantur. Inter primos fuere lanii, illi ut tum forte in macello, quod proximo loco secundum flumen ædificatum est, boves cædebant, tumultu et clamore consulis exciti, securibus suis armati in hostes impetum fecerunt, in cujus rei memoriam æreo leone virtutis ergo sunt donati, eum quotannis ludicra quadam pompa circumgestare solent. Illi deinde qui ad sinistrum fluminis latus minorem urbem inhabitabant, strenue cum hoste ponte occupato depugnarunt. Fuere autem illi ad arma exciti hac occasione. Diverterat apud quendam conjurationis conscium comes Toggenburgius, is periculo ante oculos posito cum sibi metueret, re cum hospite deliberata, statuit se in locum tutum extra periculum recipere: si res suis succedant, facile nocturno tumultu aliis rursus immisceri posse, perinde ac si rei gestæ interfuerit: si vero secus quam sperent res evenerit, se sibi consulturum. Itaque conducto piscatore Baxo, cum hospite et famulo argento bene onusto naviculam piscatoriam conscendit, ut extra urbem secundo flumine naviget. Verum ne forte fuga ipsorum a Baxo proderetur, servo imperat, ut cum evaserint ex urbe piscatorem confodiat: id Baxus qui longius abesse putabatur per tenebras exaudiit, itaque navicula in latus depressa illos in flumen præcipitat, ipse domum appellit, et vicinos quos poterat festinanter excitat, et clam arma capere jubet, magnum enim urbi periculum imminere, et hostes abditos alicubi latere, ubi tamen sint, quid consilii habeant, se ignorare. Quare illius viciniæ homines consule ad arma vocante, jam ante parati pluribus aliis excitatis pontem occupant, et in eo aciem contra hostes struunt. Ferunt etiam summi templi sacerdotes nocturno tumultu audito, ut tum forte in templo nocturnas preces decantabant, armis arreptis e proximis ædibus prælio se immiscuisse, et fortiter pro salute, et libertate patriæ decertasse: et forte eo anno anathemate pontificio abolito, post annum decimum octavum in urbem redierant. Civium igitur numero aucto, cum ex diversis urbis partibus conglobati prodirent, et summa vi niterentur, hostes qui intra urbem erant loco pulsi sunt: ex iis ceciderunt XV. capti sunt plures triginta septem, et inter hos Habespurgius comes, cæteri noctis beneficio evaserunt: Mazingius baro, et Peregrinus Landenbergius nocturno prælio occubuere: comes Toggius submersus in flumine periit. Cæsorum corpora per urbis plateas conculcanda, omnium ludibrio per triduum exposita fuerunt. Postero die conspirationis principes decem et septem, rotæ fractis membris impositi sunt, uno plures capite mulctati: Habespurgius comes, Vlricus Baro Bonstettius, et quidam alii in custodia publica retenti. Exercitus Habespurgii comitis, tum qui lacu tum qui terra venerat, audito in urbe tumultu, cum nemo portas illis patefaceret, magna trepidatione domum refugit, ita ut passim per omnes vias qua fugerant, vestes, tela, arma ab illis abjecta et relicta à vulgo postero die colligerentur.

XI. Rebus domi pacatis, ne quis novus in urbe tumultus metuendus esset, Brunus consul postridie Calendas Martii exercitum educit, et adjunctis Scaphusianorum auxiliis, Rapersvilam conjuratorum sedem et arcem obsidet. Cives ejus oppidi comite capto, conjuratis partim cæsis, partim fuga elapsis, et abdita loca quærentibus, cum auxilii spem nullam viderent, die tertio deditionem faciunt, et in nomen Tigurinæ Reipub. sacramentum dant, ut deinceps quicquid ante comiti persolverunt, præstent Reipub. Tigurinæ, neque ullius alterius imperium agnoscant. Occupato hoc oppido, duo se existimabant Tigurini consequutos: primum ne ex hoc loco deinceps vel ager suus deprædaretur, quod ante frequenter factum fuerat, et urbi insidiæ strui possent: deinde sperabant propinquos et cognatos capti comitis, de pace acturos metu amittendi omnem vicinam regionem, capite totius regionis, et sede comitum capta. At Regina Vngariæ inducias aliquot mensium fecit, sed Habespurgii Rodolphus et Gotthofridus à Tigurinis de pace interpellati, animum ab ea prorsus alienum ostendebant, et vicini nobiles urbi infesti ipsos ad bellum instigabant. Quare cum nulla pacis spes esset, Calendis Septembribus ejusdem anni Tigurini exercitum in Marchiam regionem (quæ ad lacus principium occasum versus sita est, ac comiti Habespurgio parebat) educunt: misere Tigurinis auxilia civitates Constantia et S. Galli. Tota illa regione depopulata, et incendiis vastata, arcem quam Rapersvilam veterem vocant obsident, et omnibus viribus oppugnant: præsidium rebus desperatis deditionem facit, ac incolume dimittitur: arcem ipsam funditus dejecere ac diruere: Marchiani in verba Tigurinorum jurarunt. Exercitu deinde Rapersvilam novam, ita oppidum tum appellabatur, ducto, pontem quo lacus jungitur solvere, arcem et mœnia oppidi magna ex parte disjecere: atque cum certis nunciis comperissent Albertum Austrium statuisse magnis copiis Habespurgensibus suppetias ferre: et Rapersvilæ stativa habere, urbem funditus igne delevere. Eodem tempore Waldneri Sultzii habitantes in Alsatia, Tigurinis bellum indixere, et mercatores eorum captos et spoliatos omnibus contumeliis affecerunt: hos hospitio aliisque rebus juvabant Basilienses et Argentinenses, eo nomine indignati Tigurini, circiter centum et septuaginta harum urbium cives, qui religionis causa D. Virginis Eremitanæ fanum petebant, capiunt: si forte civium suorum periculo et calamitate moti, Waldnerum ut malorum causam finibus suis arcerent. Sed hæc spes ipsos fefellit, etenim dictæ urbes et earum Episcopi, irati nostris, Friderico Austrio fœdere se junxerunt, venere etiam in hoc fœdus aliæ urbes Friburgum Brisigavorum, Selestadium, Brisiacus mons, et Argentuaria quam Colmariam hodie nuncupant: hi omnes junctis copiis bellum Tigurinis inferre, et captivos armis repetere statuerant: quare cum se his impares viderent nostri, et superioribus bellis, atque tumultibus aliisque cladibus opibus exhausti essent, captivos illis restituerunt, et tum quidem bellum hac ratione avertere.

XII. Cæterum quia atroces injurias passi erant, nec dum finis aliquis sperari poterat, legatos mittunt

tunt ad Romanorum Imperatorem, is tum temporis erat Carolus IV. huic omnem causam exponunt, ac docent, se qui justo bello Habespurgium hostem in urbe sua ceperint, nunc hujus causa ab harum regionum nobilibus bello vexari, et quod sibi plus doleat, Fridericum Austrium, et praeterea aliquot praepotentes imperii urbes hos auxilio juvare, itaque se liberam imperii urbem, ipsius qui sit caput imperii, consilium et opem suppliciter implorare: ut pro sua sacra potestate et authoritate efficiat, ne deinceps Austrii principes, et imperii urbes, caeterique nobiles, contra jus et aequum sibi bellum inferant, sed patiantur urbem pacifice et quiete sua libertate frui: quippe quae parata sit sese sistere coram ipso Imperatore, si quid contra se habeant. Imperator audita querimonia Tigurinorum legatis humaniter respondet, se cupere conservatam libertatem ipsorum, et daturum operam si pacem ipsis cum Austrio, et caeteris ejus sociis possit conficere: auxilium autem ipsis ferre, aut vi aliquid tentare se non posse contra Austrios, nobilitatem Germanicam, et urbes Imperii, quod horum magna sit potentia, cui hoc tempore non sit par: debere itaque Tigurinos studere ut aliqua moderata transactione res suas cum hostibus componant, in eo se illis non defuturum esse.

XIII. Legati hoc responso accepto tristes domum redierunt, et quoniam eo tempore Albertus Austrius Alberti filius, in Helvetiis erat, ad eum Tigurini legatos cum muneribus mittunt, hi humaniter à principe excepti, responsum ab eo retulerunt, ut cum plena potestate ad se redirent, cupere se amicum Tigurinis esse, habere autem quaedam quae cum illis agat. Postquam vero legati ad principem Brugas Helveticas redierunt, ille interea nobilium accusationibus et criminationibus alienatus, vehementi oratione in eos invehitur, se gravi injuria ab illis affectum, inquit, quod Rapersuilam veterem et novam evertissent, Marchiam vastassent et occupassent, haec enim sui juris esse: postulare igitur ut quae occuparint sibi restituant, quae destruxerint aedificent, quae vastarint pecunia luant: ita se hujus injuriae veniam illis daturum. Quod autem Austrius princeps ea quae Joannis Habespurgii fuerant sui juris esse dicebat, id sic habet: Wernherus Hombergius comes possederat Rapersuilam veterem, et non longe à Basilea tres arces, in eodem monte sitas, Wartenbergum vocant: hic cum absque liberis discessisset, omnia ejus bona haereditate obvenere Joanni Habespurgio illi qui ad Grinovium occubuit: sed Austriaci principes Ottho et Albertus nescio quo jure, cum viribus longe superiores essent, omnia haec, et praeterea novam Rapersuilam totamque Marchiam sibi vendicarunt, eadem tamen restituere Joanni in feudum, ut vocant, et eum suum beneficiarium et clientem fecerunt. Hoc igitur nomine Austrius sibi injuriam factam dicebat, et satisfieri postulabat. Ad haec ejus postulata Tigurinorum legati respondebant: Ex his locis insidias urbi suae factas esse, cives spoliatos et caesos, perduelles suos in his arcibus à se captos esse: quare cum jure belli Rapersuilam non amplius nobilium sedem, sed grassatorum et latronum perduellium suorum receptaculum destruxerint, non existimare se cogendos ut eandem restituant in integrum, rogare se suppliciter ut princeps causam diligenter expendat, sese paratos esse coram principibus et urbibus imperii, et quocunque denique loco voluerit, causam suam judicio defendere. Princeps autem iratus sit, rem hanc non esse controversam quae judicio egeat, suas arces dirutas, loca sui imperii vastata esse, haec nisi restituantur in integrum et sibi satisfiat, se omnibus viribus Tigurinos, ut id faciant adacturum esse, et jus suum armis persequi velle.

XIV. Haec cum domi à legatis ad Senatum relata essent, et simul etiam certis indiciis comperissent urbem brevi obsidendam fore, quod jam omnis nobilitas in armis esset, in Caesare autem et Imperio nullam spem auxilii esse ante didicissent, foedus statuerunt cum pagis Helveticis inire pro communi libertate tuenda. Coluerant hactenus inter se amicitiam et quamvis Tigurini ad Moregartum Austrio suppetias tulissent, tamen id non tam pagos offenderat, quam illos delectarat cognita illic Tigurinorum virtus et audacia: cum autem communem hostem Austrium haberent utrique, facile judicare poterant, conjunctas omnium vires plus roboris habituras. Adhaec non ignorabant pagi magnum commodum societatem Tigurinorum sibi allaturam, ad commeatus subvehendos, quod et forum annonae illic locuples sit, et lacus subvectioni idoneus, itaque cum Tigurini legatos misissent ad pagos qui eos de foedere appellarent, et simul ingenue pericula sua exponerent, grata eorum haec voluntas pagis accidit, ac paulo post legatos plena potestate Tigurum mittunt, à quibus foedus factum est mense Aprili anno MCCCLI. et eodem anno die Walpurgae ineunte Majo literis consignatum. Etsi autem Tigurum quinto demum loco Helvetico foederi accesserit, tamen nihilominus propter urbis celebritatem et potentiam princeps locus omnium consensu illis datus est, quem hodie quoque aucto foedere retinent in comitiis, legationibus, aliisque publicis actionibus.

XV. Foedus Tigurinorum acceleravit illis bellum Austrium: erat princeps Austrius vehementer quidem iratus pagis illis alpinis, qui primi foedus fecerunt, non tamen dubitabat se posse hos aliquando rursus sub jugum mittere, nam cum regionem inhabitent sterilem, neque apparatu bellico illo tempore instructi essent, quamvis sint praelio optimi si non pugna, bello tamen non ita difficulter superari posse videbantur. Postquam vero his accessit Lucerna, quae sub Austriorum imperio fuerat, et mox Tigurum urbs libera, et cujus summa in his regionibus esset auctoritas, longe vehementius princeps commotus fuit. Non enim illum latebat quantum virium, et auctoritatis novo foederi per Tigurinos accessisset, itaque occasione hac belli accepta, Tigurinos bello persequi, et urbem ipsam obsidere statuit, si forte foedus hac ratione solvere possit, priusquam plures horum exemplum sequuti novo foedere illigentur. Hanc autem veram fuisse belli causam, non Rapersuilae vastationem, vel hac manifesta conjectura asserimus, quod postea cum saepe de pace ageretur, non jam amplius Rapersuilae restitutionem Austrii urgebant, sed ut novo foederi Tigurini renunciarent. Mense igitur Septembri ejusdem anni Albertus Austrius Tigurum obsedit, erant cum eo in castris Ludovicus Comes Brandenburgicus, Fridericus Dux Tecciorum, item Vrsilingorum Dux, et Norinbergensis Burggravius. Episcopi auxilia illi misere Wirceburgius, Bambergicus, Frisingensis, Curiensis, Basiliensis. Comites secum habebat XXVI. Eberhardum Wirtenbergium exercitus hujus ducem, Ludovicum Ottingensem, Fridericum Ortenbergensem, Schmalaneccios duos, Tettnangios duos, Furstenbergios

gios duos, Tiersteinios tres, Habespurgium, Kyburgium, Rodolphum et Hermannum Werdenbergios, Albertum et Henricum Nellenburgios, Wilhelmum Kilchbergium, Immerum Strasbergium, Neocomensem, Nidovium, Petrum Arbergium, Hermannum Friburgium, Zolerinum, Metburgium. Vrbes quoque Argentina, Basilea, Friburgum Brisigavorum, Salodorum, et nonnullæ aliæ duci sua auxilia miserunt. Copiarum numerus fuisse dicitur duo millia equitum, viginti millia peditum. At ex diversa parte quatuor pagi Tigurinis firmum præsidium misere: hi conjunctis operis, cum civibus urbem munierunt, et omnia ad obsidionem et oppugnationem tolerandam, diligentissime compararunt, ac utrinque aliquoties velitatiunculis levibus certatum est. Cæterum non multis diebus à cæpta obsidione pax facta est, opera Friderici Toggii Comitis, et Hertegii Rechbergeri equitum Rhodiorum magistri Wadisvillæ, Basiliensium item et Bernatum, hac conditione, ut Helvetii sistant se judicio Agnetis Reginæ Vngariæ, cui ab utraque parte duo assessores adjungantur, et quod hi majorve pars statuerit, id ambæ partes ratum habeant: ejus rei gratia Tigurini sedecim obsides dent e præcipuorum civium numero, quibus literis caveat dux Albertus tutos à vi et injuria fore. Abhorrebant ab hac pace quatuor pagi, dicentes non esse fidem habendam Reginæ Vngariæ quæ Alberti soror secundum illum pronunciatura esset, sed tamen persuasi à Tigurinis, qui multum hujus pietati tribuebant, ipsi quoque his conditionibus subscripsere una cum illis, communiter exceptione addita fœderum suorum, quæ salva sibi esse velint. Judices ab Austrio delecti sunt, Immerus Strasbergii Comes, Petrus à Stoeffelen Commendator, ut vocant, Tannenfelsii: hi pronunciarunt pro Austrio: Tigurinos jubent Rapersuilam utranque, cæteraque quæ destruxerint in integrum restituere, et Austrio satisfacere: Lucernam Austriorum imperio subjiciebant: in Vndervaldiis multa prædia et jura Austriis vendicabant. Suitiis jus piscationis in lacu, sylvarum multarum veterem possessionem et usum adimebant: singulos denique pagos graviter multabant, nulla ratione habita injuriarum quas Rapersuilii Tigurinis intulerant, neque aliarum causarum et defensionum, quas fœderati et ab illis delecti judices, Philippus Kyen eques, et Petrus à Balma Consul Bernatum proponebant. Horum sententiam Agnes Regina approbavit, mulier versuta, quæ magnam præ se ferebat sanctimoniam, quanquam sæpe antehac cum fratres imparatos videret, inducias aut pacem inter ipsos et Helvetios fecerat, ut interea illi militem comparare, et se commode adversus Helvetios instruere possent, cum tamen interea præ se ferret, hæc à se fieri pacis studio, et quadam Helvetiorum commiseratione. Etsi autem hæc sententia esset iniquissima, tamen Helvetii spondent se ratam habituros: cæterum dux non contentus his jubet Tigurinos Joannem Habespurgium bello captum absque omni mulcta liberum dimittere, de quo tamen nihil à judicibus statutum fuerat, id cum se Tigurini facturos negarent, obsides eorum contra datam fidem in carceres conjicit, fines suos præsidiis munit, et bellum de novo instruit.

GLARONA.

I. Fœderis occasio. II. Glarona quibus subjecta. III. Pugna ad Tetivillam. IV. Waltherus à Stadio caditur.

I. HELVETII cum omnis spes pacis evanuisset, et sibi denuo belligerandum esse animadverterent, consilio inter se inito Glaronensem regionem occupare statuunt, ne hostes ex eo loco confœderatorum agros, et præcipue Suitiorum infestare possent: quare eodem anno mense Novembri junctis viribus Tigurini, Vrii, Suitii, Vndervaldii copias suas Glaronam ducunt, et totam regionem nemine repugnante occupant, cives sacramento obstringunt, et propter ipsorum fidem et fortitudinem ante sæpe expertam, fœdere sibi jungunt. Glarona vallis est juxta Limagum fluvium non admodum ampla, longitudine trium miliariorum Germanicorum, nomen habens à præcipuo totius regionis vico, cincta tribus partibus altissimis alpibus, à meridie et oriente Rætos, ob occasu Vrios et Suitios attingit, à Septentrione castra Rætica dictam regionem, qua Limagus vallem egreditur.

II. Regio hæc à multis annis monasterio Seconiensi fuit obnoxia, donata S. Fridolino ab Vrso et Landolpho fratribus, huic solvebantur decimæ et constituti reditus, et census certorum fundorum: ab exactionibus et vectigalibus erant liberi, vivebant suis legibus, et senatum habebant ex civibus, cujus tamen electio penes Abbatissam erat: advocatia vero Cœnobii et Glaronensium fuit penes Rom. Imper. quæ deinde à Friderico Ænobarbo data est Othoni Palatino Burgundiæ, à Burgundis ad Habespurgios pervenit. Hujus advocatiæ titulo imperium in Glaronenses sibi vendicavit Albertus Austrius Rodolpi Imp. F. reluctantibus Glaronensibus, quibus ante Seconiense monasterium promiserat nunquam alienandos à se esse, itaque nonnullæ nobiliores familiæ patriam deseruere, et aliæ Vriam, quædam Tigurum commigrarunt. Austrii vires nacti, Suandium Baronem in illis locis gratum et potentem domo ejecere, et ejus bona sibi vendicarunt, jura quoque majoratus Glaronensis ad se transtulere: et quod hactenus nunquam factum fuerat, præfectos in illam regionem misere qui populum regerent, et illi jus dicerent: horum imperia cum aspera et insolentiæ plena essent, plebs odio Austriorum Helvetiis bellum inferentibus sese ultro dedidit, et perpetuo fœdere junxit. Waltherus à Stadio Austriorum præfectus, postquam Glaronenses Helvetiis sacramentum dixere, regione excessit, et Wesenam se contulit: populus autem Glaronensis è suo numero Ammanum, et senatores pro veteri consuetudine delegit: et quia bellum ab Austriis sibi imminere non dubitabant, vallem, cætera undique montibus altissimis cinctam, prope vicum Næfelsum, qua liber in illam aditus patet, muro fossaque clausere.

III. Dum hæc Glaronæ geruntur, Decembri mense Tigurini exercitum versus Badam ducunt, quo loco firmum præsidium Austriorum positum erat, quod Tigurinorum agrum sæpe incursionibus vastabat, itaque Tigurini ipsorum quoque agris vastatis, et suburbano incenso, copias per juga montis domum reducebant, quo loco ad Tetivillam Ellerbachius Austrii militis dux cum IV. millibus vias insedit, Tigurinorum non erant supra mille trecentos (sunt qui multo minorem numerum ponant) hi cum hoste congressi insigni victoria potiti sunt, hostium DCC. cæsis, inter quos insigniores LXV. e nobilitate periisse traduntur.

IV. Sequenti anno Waltherus à Stadio, qui nuper præfectus Glaronensis fuerat, collecto exercitu Glaronenses rursus Austriis subjicere parat, occasio-

ne captata quod CC. Glaronensium Tiguri in præsidio urbis essent, sed ab incolis victus prælio, cum multis aliis è nobilitate occubuit, II. Februarii. Eodem die Austrii qui Tugii erant navibus Artam profecti, Suitiorum agrum invadunt, quorum eadem in Suitiis, quæ et Stadii apud Glaronenses fortuna fuit. Omnes quoque confœderati misso excercitu Beronam, et pagi Verbigeni vicina loca, e quibus Austrii frequenter Lucernenses invadebant, depopulati sunt: vicissim Austrii Cussenacum Suitiorum, et quædam alia loca igne ferroque vastarunt, non tamen absque suorum jactura. Circa ferias autem Pentecostes, Lucernates trium pagorum auxilio adjuti, Habespurgum arcem ad lacum Lucernatem sitam, oppugnatione ceperunt et funditus everterunt, trucidatis omnibus qui in præsidio illic erant.

TVGIVM.

I. Tugii status prior, et fœderis occasio. II. Tigurum II. obsidetur.

I. TVGIVM quoque illis diebus Helvetico fœderi accessit. Est autem Tugium oppidum inter Tigurinos et Suitios, in pede pascui, et vitibus consiti montis situm, ad lacum piscosum ipsis et Suitiis communem, caput ut putatur Tuginorum populorum, qui cum Tigurinis Cimbrico bello adversus Romanos militarunt. Paruit urbs aliquando nobilibus, postea in Austriorum potestatem pervenit, hi bello Helvetico perpetuo præsidia illic alere quæ Suitios et Tigurinos infestabant: itaque anno MCCCLII. mense Junio, Tigurini cum quatuor aliis pagis expeditionem adversus Tugium suscepere, præsidiarii qui diffiderent munitionibus oppidi, ante adventum Helvetiorum eo deserto, Bremogartum et vicina loca Verbigeni pagi se contulerunt, cives tamen qui fidem Austrio servare vellent, obsidionem per dies XV. sustinuere, sed cum aliquoties summa contentione Helvetii oppidum oppugnassent, tandem deditionem fecere et Helvetiis sacramentum dixerunt, hac conditione, si intra præfinitum tempus Dux Austrius eos exercitu adducto obsidione liberaret, ab Helvetico sacramento liberi in ejus obedientiam redire possent: eaque de re legatos ad ducem auxilium petentes miserunt. Erat tum Dux Albertus in monasterio pagi Verbigeni quod campum Regium vocant, id passuum millibus XXX. P. M. Tugio abest, cum autem apud ipsum Tuginorum legati mandata sua exponerent, accidit forte ut princeps in peristylio obambulans, ab aucupe quæreret, an accipitres cibum cepissent, ibi Hermannus legationis princeps, Ach inquit, clementissime Princeps, an non tuorum clientum potior tibi, quam avium ratio est, præsertim cum ita ab hoste urgeamur, ut ni auxilium feras, deditionem facere cogamur? Cui princeps: Agite, deditionem facite, brevi omnia, quæ nobis ablata sunt, recuperabimus. Quare Tugini cum viderent sibi nullam in Austrio spem esse, Helvetico fœderi se junxerunt.

II. Vix dum fœdus in tabulas relatum, et ab omnibus pagis jurejurando confirmatum erat, quando Albertus Austrius secundo urbem Tigurinam obsidione cinxit, medio mense Julio: cæterum vix dum mense elapso, interventu Brandenburgici Marchionis pax facta est his conditionibus. Tigurini Joannem Habespurgium, qui jam tertium annum captivus erat, liberum absque omni mulcta aut precio dimittant: pari conditione Austrius Dux Tigurinorum obsides, quos in vincula conjecerat, indemnes atque liberos dimittat. Tugini et Glaronenses soluti jurejurando Austriis uti antea pareant, ceteroqui nihil impedire quo minus Helveticum fœdus ratum maneat. His conditionibus Joannes Habespurgius libertatem adeptus est absque precio, sed non eadem fide Tigurinorum obsides ex pacto dimissi sunt, hos enim priusquam libertatem adipiscerentur MDC. aureos persolvere oportuit: quamvis ne sic quidem pace uti potuerint. Nam Habespurgius libertati restitutus, mox Rapersvilam vicinaque loca Austrio dedit, qui Rapersvilam statim muniit, et loco præsidium imposuit, unde novi belli materia orta est, cum præsidiarii Tigurinorum fines invasissent, et Meilæ (qui vicus collegii Tigurini erat) quinquaginta viros trucidassent, ac facile apparuit Austrios novi belli occasiones quærere. Sequenti anno cum Suitiorum legati nomine suorum confœderatorum à Tuginis ex conditione pacis factæ jusjurandum exigerent quo fœderi obstringerentur, ab Austriis contumeliis affecti sunt, itaque collectis copiis Tugium denuo occuparunt, et Helvetiis sacramentum dicere jusserunt. Eodem anno Berna sexta die Martii Mensis anno à nato Christo MCCCLII. Helvetico fœderi accessit, de qua urbe longe potentissima in Helvetiis, hoc loco quædam dicenda sunt.

BERNA.

I. Bernæ conditor. II. Bernensium bella ante fœdus. III. Proelium Loupense. IV. Bellum cum Vnderwaldiis. V. Fœdus Bernatum.

I. BERNAM urbem condidit Berchtoldus Zeringiæ Dux, quintus hujus nominis et ultimus, offensus nobilitati cujus fraudibus filii ipsius veneno in pueritia necati sunt, ideoque urbem à se conditam Imperio Romano attribuit, libertateque donavit, quam ejus voluntatem Fridericus II. Imperator ratam habuit, et ab obitu Zeringii, qui anno MCCXVIII. mortuus est, nomine imperii urbi præfectum dedit Othonem Ravenspurgium, sed aliquot annis post propter fortem et fidelem operam, quam cives ejus urbis Imperatori navarant, majoribus privilegiis et immunitatibus ab ipso donati sunt, et à jure præfecti exempti. Cæterum in illis turbis, et anarchia Imperii, Kyburgius comes Burgdorffii dominus, libertatem urbis opprimere conatus est, conjuncta sibi vicina nobilitate et Friburgo oppido, quod Berchtoldus IV. condiderat, et hujus filius ambas urbes perpetuam amicitiam servare jusserat. Belli occasio fuit, quod Bernates agro trans Arulam empto pontem ædificare cœperant, id comes qui trans Arulam imperabat, prohibere conabatur, quare Bernates ut adversariis pares essent, sese in clientelam Sabaudiæ comitis dederunt, hic conatus Kyburgii repressit, et pace parta mœnia urbis ampliavit. Bello deinde inter Sabaudum et Burgundum orto, Bernatibus Sabaudus pollicetur, si strenue auxilium ferant, se re bene gesta præmium quodcunque petierint daturum, illi igitur fortiter pugnantes, victo hoste præmii loco veterem suam liberta-

bertatem à Sabaudo repetiere, idque illis bona fide ab eo præstitum est, fœdus tamen et amicitiam ab eo tempore perpetuo cum Sabaudo coluere.

II. Vrbs libertati restituta, antequam in fœdus Helveticum veniret, varia et difficilia bella gessit, cum pro libertate tuenda, tum pro finibus ampliandis. Pugnarunt cum Gothofrido Habespurgio anno MCCXLI. quamvis infeliciter, numero ab hostibus superati. Præterea cum Turrianis et Gruerianis. Rodolphus Habespurgius Bernam bis obsedit, causa belli prætexebatur, quod fidem publicam Imperii violassent quibusdam Judæis captis et multatis. Albertus Austrius Imp. Rodolphi filius ante urbem ipsam cum Bernatibus pugnavit, quo prælio civium multi periere. Anno Domini MCCXCI. fœdus adversus Bernam fecere Comites Sabaudus, Neoburgius, Gruerianus, Episc. Lausanensis, Turrianus Dominus, nonnullæ item urbes et ex nobilitate multi, hos Bernates auxilio comitum Kyburgiorum, et Arbergii, civitatisque Salodorensis ingenti prælio vicerunt in eo colle qui à tonitru nomen habet: Dux Bernatum hoc bello fuit Vlricus Erlachius.

III. Proximis annis multæ arces vicinæ urbi captæ et dirutæ sunt, bellum in Simmia valle, Minniduni, multisque aliis in locis adversus infestam nobilitatem feliciter gestum, et fines ab illis ampliati sunt. Hafeliæ quoque vallis incolæ, liberi homines, sese his annis Bernatibus junxere: quæ urbis felicitas nobilitatis odium et invidiam auxit, ex quo Loupense prælium longe maximum est sequutum. Loupam oppidulum Bernatum obsederunt multi comites et nobiles collecto instructissimo exercitu, in quo qui minimum XVI. Millia peditum, ter mille quingentos equites fuisse tradunt. Bernatum fuerunt circiter quinque millia, his auxilio venere ex Vria, Suitia, et Vndervaldia, et præterea Hafelia valle, singulis regionibus CCC. His copiis Bernates Rodolpho Erlachio duce hostem ante Loupam insigni prælio superarunt, in quo occubuere Sabaudus comes qui a patre eo missus venerat pacis componendæ causa, sed ab aliis coactus erat prælio interesse, comites item Nidovius, Arbergius, Valendisius, equites MD. cæsi, inter quos LXXX. ex insigni nobilitate, peditum circiter III. millia. Pugnatum fuit anno MCCCXXXIX. Junii XXI. Ab ea pugna bellum adversus Friburgios qui Austrio se in clientelam dederant, et vicinam nobilitatem, non minori successu Bernates gesserunt, nam ad Schonenbergium Friburgi prælio ingenti victi sunt, ager vastatus, ipsa suburbia oppidi incensa. Signovium, Langenovium, Burgdorfium, Longavallis, Pyreneslica, Arbergum, Erlacum, Nidovium, Thunum, aliaque oppida et celebriores vici, vel vastata, vel deditione capta sunt. Tandem regina Vngarica Agnes pace facta bello finem imposuit.

IV. Cum autem omnibus bellis nobilitatem infestam experti essent, quæ scilicet in Austriorum clientela erat: Helvetiorum autem amicitia non infeliciter usi essent, novum bellum accidit, in quo præter Bernatum expectationem Vndervaldii sese ipsorum hostibus junxere. Cives Bernatum erant Ringgenbergii dominus, præterea præpositus Monasterii inter duos lacus siti, hi imperabant regioni quæ est ad Brunicum montem et lacum Brientium, sed cum duriora esse horum imperia homines illius regionis conquererentur, seditionem adversus eos movere, et in auxilium vocatis vicinis Vndervaldiis, Ringgenbergam arcem, domino absente captam, igni delevere, præposito quoque servitia et census debitos persolvere detrectabant. Bernates igitur legatis missis hortabantur Vndervaldios ne contra jus et æquum seditiosis hominibus opem ferrent, verum illi nihil moti hac re, cum illis Brientii castra posuere. Bernates accitis auxiliis sociorum Salodorensium, Thuniorum, Bipennium, et Moretensium, instructis copiis Brientium profecti, pugnam cum seditiosis et Vndervaldiis commisere, victoria penes Bernates fuit, victi fuga se in vicinos montes receperunt. Vndervaldii quibus ignominia doleret, confœderatos suos Tigurum, Lucernam, Vriam, Suitiam, Tugium et Glaronam auxilio vocarunt: verum Bernates missis ad hos pagos legatis offerebant se juri, et vel ipsis Helvetiis judicibus paratos esse causam suam agere. Quare Lucernæ conventu habito, legati Helvetiorum utriusque partis rationibus auditis, jussere Vndervaldios renuntiare fœderi quod cum Brientiis fecerant: Brientios autem debere veteribus dominis parere, et pro damnis datis illis satisfacere.

V. Iisdem comitiis Bernates perpetuo fœdere cum tribus pagis Vria, Suitia, et Vndervaldia, se conjunxerunt. Etsi autem fœdus tantum cum tribus pagis tum fecere, nihilominus Tigurum et Lucerna eo tenentur, nam tres pagi Tigurinis et Lucernatibus literis datis se obstringunt, quod de auxilio appellati et jussi Bernates quoque evocare, id jure fœderis illius facturi sint, vicissim Tigurini et Lucernates sese literis obstringunt, quod evocati à tribus pagis Bernatibus auxilio, id pro viribus laturi sint.

RES GESTAE VETERVM OCTOPAGORVM.

I. Tigurum III. obsidetur. II. Pax facta cum Austrio. III. De Tugio lis oritur. IV. Bellum Anglicum primum. V. Bellum adversus Kyburgium. VI. Bellum cum Leopoldo Austrio. VII. Pugna ad Sempachum. VIII. Pugna ad Navalia Glaronensium. IX. Bellum Abbatiscellanum. X. Bellum adversus Fridericum Austrium. XI. Bellum contra Bilitionenses. XII. Bellum Tigurinum. XIII. Fœdera. XIV. Bellum cum Sigismundo Austrio. XV. Bellum Burgundicum. XVI. Bellum Lepontium.

I. Fœdus Bernatum secuta est tertia obsidio urbis Tigurinæ. Albertus enim Austrius confœderatos coram Carolo IV. Imperatore accusavit, is audita responsione Confœderatorum, inducias fecit usque ad reditum suum: cogebatur enim propter quædam imperii negotia ex his regionibus discedere: cæterum a reditu cum Tigurum venisset, utriusque partis rationibus auditis, primum cum Helvetiis et præcipue Tigurinis agere cepit, ut fœderi renuntiarent, et addebat eos qui sint urbs Imperii non posse injussu Imperatoris fœdus ullum facere: cæterum Confœderati causas sui facti reddebant, sua privilegia proferebant, ostendebantque se salvo jure imperii fœdus mutuo pepigisse. Cum autem Helvetii à fœdere inito depelli non possent, cum Austrio deinde egit, et ab eo petit, ut Lucernam, Glaronam, Tugium, de his enim pagis potissimum controversia erat, imperio vendat, verum dux elato animo respondit, malle se urbes aliquas a

Cæſare emere quam ſuas illi vendere. Tum denuo urgere Cæſar Helvetios, ut rem ſuo arbitrio permittant, et polliceantur ſe ipſius judicio ſtare velle, id ipſum ducem quoque facturum eſſe: ſed Helvetii id non aliter quam cum exceptione ſuorum fœderum facere volebant: cum autem Cæſar exceptionem nullam admittere vellet, omnis actio irrita fuit, induciæ tamen factæ ſunt. Porro tandem aſſiduis interpellationibus fatigatus Cæſar, ſolutis induciis bellum Helvetiis indicit, et una cum Auſtrio Tigurum obſidet, cæterum cum Tigurini ſubinde miſſis legatis ab Imperatore ſupplices peterent, ne ſe urbem Imperii in Auſtrii gratiam bello perſequatur, qui nihil aliud quam ſua privilegia conſervata velint, et nullam æquam compoſitionis rationem reſpuant, cœpit Auſtrium de pace interpellare, cujus cum ille omnem actionem rejiceret, ſoluta obſidione Imperator diſceſſit. Movebat etiam illum quod in ſuo exercitu tantum fere urbium Imperii copias haberet: urbes autem Helvetiis quam Auſtrio amiciores putabat, quamvis ſuam auctoritatem in urbe obſidenda ſecutæ eſſent. A Cæſaris diſceſſu Auſtrius quoque obſidionem ſolvit, territus adventu novi præſidii quod cæteri pagi Tigurinis miſerant: copias tamen ſuas per vicina oppida et arces diſtribuit, illis in mandatis dedit, ut perpetuo confœderatorum fines infeſtent.

II. Quinto demum anno hujus belli, authoritate et ſtudio Caroli IV. Imperatoris, pax facta eſt inter Auſtrium principem et Tigurinos, cujus formulam huc adſcribere longum eſſet, ſumma capitum hæc eſt. Primum hoc bello capta utrinque reſtituantur. Secundo Tigurini eos civium albo non inſcribant, qui ſub Auſtrio habitant, ſed ſi qui in urbem commigrare voluerint, liceat eos recipere, quorum recipiendorum jus ante habuerint. Tertio qui feuda habent, ab eorum Domino jus petant: qui aliorum poſſeſſiones occuparunt, reſtituant, aut juri ſe ſiſtant: exulum tamen bona hic excipiuntur. Quarto Tigurini in poſterum non ſe jungant fœdere Auſtriorum clientibus, imo juvent Auſtrium ut jus ſuum conſequatur. Quinto ſi controverſia oriatur inter Auſtrium et Helvetios confœderatos, quo judicio illis litigandum ſit conſtituitur. Sexto Helvetiis ſua fœdera ſalva maneant. Sunt quædam alia quoque hoc fœdere ſancita, ſed hæc ut majoris momenti huc annotare libuit.

III. Diverſa interpretatio hujus fœderis novam litem peperit, quæ tamen abſque bello compoſita eſt, ambæ enim partes opibus et viribus exhauſtæ bellum horrebant. Albertus Bucheimerus Auſtrii præfectus Tuginos in verba principis adigebat, illi jusjurandum nolle dare niſi cum exceptione fœderis Helvetici, niſi eo à quinque pagis quibus ſe obſtrinxerant ſolvantur: res relata eſt ad Carolum IV. is demum pronunciavit, Tuginos fœderi exemptos, quoniam in conditionibus pacis caveatur urbes ducis ab Helvetiis non occupandas, aut ejus imperium impediendum in illis eſſe. Etſi autem dolebat Helvetiis reſponſum, cum diſerte in pace excepta fuiſſent fœdera jam facta, duntaxat cautum ne deinceps cum Auſtriis clientibus nova jungantur, tamen adeo eos belli tædium ceperat, ut Tugium dimiſſuri Auſtriis viderentur, ni Suitii obſtitiſſent, hi nondum pacem obſignarant atque tum ſubito collectis copiis Tugium profecti cives ſacramento rogarunt, qui viciſſim etiam legatos Suitiam miſerunt, qui ab illis ſacramentum exigerent. Agitata fuit hæc res multis contentionibus, tandem Torbergii opera induciæ annorum undecim factæ ſunt, idque poſt obitum Alberti: manebant autem induciarum tempore Tugium et Glarona in fœdere Helvetico, ſed tamen Auſtriis parebant, et præſtabant debita officia. Tuginis Ammanum e Suitenſium pago quotannis Auſtrius dabat. Glaronenſibus præfectum dedit Gotthofridum Mulnerum Tigurinum. Induciæ hæ poſtea in plures annos prorogatæ ſunt.

IV. Cæterum Leopoldus Alberti filius cum Helvetios odiſſet, neque tamen bellum illis inferre liberet, quod pater bello parum profeciſſet, Anglos cum Helvetiis commiſit, hi vaſtatis regionibus quæ Rheno vicinæ ſunt, in Helvetiam progreſſi Auſtriacis non minus quam confœderatis damni dedere, ſed aliquot præliis victi, Helvetiis, Alſatis et aliis regionibus vaſtatis domum ſe recepere: geſta ſunt hæc anno MCCCLXXVI.

V. Poſt ſexennium bellum adverſus Kyburgium comitem ſubſequutum eſt, hic Salodorum urbem fœdere Bernatibus junctam proditione occupare conatus eſt, eodemque tempore Auſtrii Dunium et Arbergum Bernatum oppida per inſidias intercipere voluerant: bellum deinde apertum Kyburgius Salodorenſibus intulit, in quo Bernates et reliqui pagi Salodorenſes juvere: dux vero qui nuper cum Helvetiis fœdus fecerat, clam Kyburgium juvabat, et ejus auxilia contra fœdus commeatu cæteriſque rebus juvabat: cæterum comes tandem bello exhauſtus pacem cum Salodorenſibus et Bernatibus fecit, et his Burgdorffum oppidum XL. M. aureorum vendidit: Erat tum Auſtrio neſcio quæ controverſia cum urbibus imperii, hæ fœdus fecerunt, in quod etiam receptæ ſunt Helveticæ urbes, Tigurum, Berna, Salodorum, Tugium: cæterum dux artibus hoc fœdus ſolvit, et controverſiam quam cum Suevicis et Franconicis urbibus habebat amice cum illis compoſuit: cum Rhenanis autem urbibus in Alſatia congreſſus eas prælio ſuperavit, qua victoria clarior factus animum ad urbes Helvetiæ ſub imperium reducendas adjecit, occaſio belli hæc erat.

VI. Auſtrii præfecti Petrus Torbergius Wolhuſiæ et in valle Entlibuchia, Hermannus Grunenbergius Rottenburgi, quibus hæc loca à duce oppignerata erant, tyrannico imperio populum premebant, et vicinos quoque Lucernates contumeliis afficiebant, itaque illi miſſis legatis à Lucernatibus jus civitatis petiere, cæterum re ad præfectos relata, legati et alii qui in hac re operam ſuam patriæ impenderant, eorum juſſu laqueo ſuſpenſi, fidei et induſtriæ ſuæ pœnas dederunt. Rottenburgi quoque nova vectigalia imponebantur pagis qui illa via uterentur: his injuriis accenſi Lucernates auxilio trium pagorum Rottenburgum XXIX. Dec. An. MCCCLXXXV. occupant, arcem diripiunt, quam Grunenbergius fuga deſeruerat, mœnia oppidi dejiciunt, et foſſas æquant, ne Auſtrii denuo præſidio illic poſito Lucernates oppugnare queant. Non multo poſt Sempachios quoque Lucernates civitate donarunt, et oppido Richenſee præſidium imponunt CC. hominum: verum præfecti Auſtriaci exercitu collecto oppidum oppugnatione capiunt, præſidium trucidant, cives omnes nulla neque ſexus aut ætatis ratione habita aut cæſi aut una cum oppido concremati ſunt. Meyenbergum in iiſdem locis oppidum, confœderati omnes Berna excepta captum præſidio firmarunt, ſed Auſtrii ſimulata fuga præſidium eliciunt, et LXXXI. cæſis cæteros fuga in urbem compellunt,

lunt, ea re cognita pagi suos milites domum revocant, arcem et oppidum incendio delent. Videbantur hæc belli auspicia et primordia Helvetiis adversa fuisse, itaque magno studio et ingenti apparatu bellum ubique ab Austriis parabatur, et multi quotidie ineunte proximo anno literis et fœcialibus missis confœderatis bellum indicebant: neque segnius Helvetii sese parare et proximo cuique hosti bellum inferre parabant. Bernenses qui hactenus quieverant, crebris confœderatorum nunciis exciti Torbergum et Koppingam Petri Torbergii arces diruere. Lucernates cum tribus pagis Wolhusam arcem et oppidum vastarunt, item Lielam, Rinacum, Baldegum. Tigurini et cum pagis junxere copias quibus Verbigenum agrum vastarunt, et domum reversi Rumlangum arcem ad Glattam oppugnatione captam igne delevere. Quoniam vero Austrii exercitus Brugis ac Badæ maxima ex parte prope Tigurum colligebantur, credebatur ducem denuo urbem obsessurum esse, quare pagi quatuor Tigurinis mille sexcentos e suis subsidio misere.

VII. Cæterum Dux Leopoldus cum didicisset urbi præsidium missum, recta in pagos qui magna copiarum parte nudati videbantur, exercitum ducere cœpit: ea re per exploratores Tiguri cognita, pagi Tigurinos urbi suæ præsidio esse jubent, ipsi sub signis diu noctuque magna celeritate Sempachum proficiscuntur, et eodem die quo dux cum copiis illuc perveniunt, qui erat IX. Julii: pugnatum est illo ipso die, Dux Leopoldus Alberti sapientis F. Alberti Imp. N. cæsus, atque cum eo e nobilitate DCLXXVI. e quibus insigniores coronatis et cristatis galeis insignes CCCL. Confœderati tam splendida victoria potiti bellum undique per Helvetiam circumferre cœperunt, et pœnas sumere de his qui fines ipsorum vastarant, cives spoliarant, bellum non lacessiti indixerant, arces multæ dirutæ, oppida nonnulla capta. Anno autem MCCCLXXXVII. mense Februario purificationis D. Virginis die, induciæ unius anni opera quarundam civitatum factæ sunt.

VIII. Finitis induciis præsidium Helveticum Veseniis ad lacum Rivarium, proditum à civibus oppidi ab Austriis cæsum est: ac ingentibus copiis Glaronensium fines hostis invasit nona Aprilis, qui minimum VIII. M. hominum fuisse tradunt, alii duplo fere plures, duces exercitus erant Donatus Toggius comes, Petrus Torbergius, Joannes Klingenbergius, Joannes Werdenbergius comes Sarunetum dominus. Hic delectis duobus millibus per Beglingam ducens à tergo hostem adoriri statuit, reliqui à fronte murum aggressi, quo superioribus annis Glaronenses vallem munierant, eum cepere, quo superato quasi integra victoria potiti essent, proxima loca urere prædasque agere cœperunt. Interea in vicino monte convenere Glaronensium CCCL. quibus Suitensium XXX. è proxima valle auxilio venere, hi magno impetu, majore animo hostem loco angusto aggrediuntur, et primum lapidibus quorum locus copiam suppeditabat impetunt, inde cum se in patentem locum reciperent, ita urgent et insistunt, ut tandem eos in fugam conjicerent: undecies eos in hostem, qui aciem instaurare conabatur, impressionem fecisse patrii annales tradunt. Werdenbergius vix suorum clade e monte quem ceperat, ipse quoque fuga sibi consulit: hostium bis mille eo prælio cæsi, et non pauciores quingentis in aquis periere, rupto præ nimia fugientium multitudine ponte fluminis qui Vesenam ducit. Ab hoc prælio sæpe deinde Confœderati levibus præliis cum Austriis congressi sunt, arces et oppida expugnatione aut deditione cepere, nunquam autem deinde hoc bello justa acie pugnatum est, sed primum opera ac studio civitatum Constantiæ, Uberlingæ, Ravenspurgi, Rotevilæ, induciæ annorum septem factæ, quæ deinde prorogatæ sunt in annos viginti, et postremo quinquaginta annorum pax facta est.

IX. Illis annis pace facta quies et otium fuit Confœderatis, cæterum anno MCCCCI. cepit bellum quod Abbatiscellanum vocatur, et septennio integro duravit. Est autem Abbatiscella regio Helvetiæ in Alpibus supra caput Acromi lacus sita, quæ hodie una est ex pagis confœderatis, tum vero nondum fœdere tenebatur, sed parebat Abbati S. Galli. Erat tum temporis Abbas Cuno à Stoulfen, inter hunc et Abbatiscellanos controversiæ ortæ sunt, de quibus cum sæpe judicio contendissent, tandem armis quoque contendere cœperunt. Abbati conjunctæ erant urbes ad lacum Acromum, Abbatiscellani quoque in hoc fœdere fuerant, sed Abbatis opera exempti sunt. Ex his oppidis collecto exercitu Abbas congressus cum Abbatiscellanis, ingenti prælio vincitur. Cives oppidi S. Galli post hanc pugnam societatem cum Abbatiscellanis fecere, et præterea Suitii: Abbatis partes tuendas dux Austrius suscepit. Abbatiscellani vero aliquot præliis superiores, vicinis regionibus longe lateque in potestatem redactis, eversis multis arcibus nobilium, captis nonnullis civitatibus, coegerunt tandem Abbatem pacem petere, salva ipsis libertate relicta.

X. Septimo anno à fine hujus belli novum bellum inter Austrium et confœderatos ortum est, cum enim Fridericus Austrius abducto Joanne XXII. P. P. e Concilio Constantiensi, ab Imperatore proscriptus, à Concilio excommunicatus fuisset, Confœderati Imperatoris et Concilii decreto pace quinquaginta annorum abrogata, et jurejurando soluti, ab his jussi contra Fridericum arma sumpserunt. Hoc bello pagum Verbigenum, Badam, aliaque Austriorum loca Helvetii ceperunt.

XI. Anno deinde MCCCCXXII. Helvetii exercitum per summas alpes in Lepontios Bilitionum duxere, oppidum hoc à comite Monsaxio venditum tribus pagis Helvetiorum, dux Mediolani qui ad se id spectare contendebat, per insidias interceperat: Ideoque illius recuperandi causa aliquoties Helvetii exercitum trans alpes duxerunt, primum hoc anno quem diximus, deinde anno MCCCCXXV. et sequenti quoque, ac oppidum quidem capere non potuerunt, vicinas tamen valles quæ ad ducem Mediolani spectant longe lateque vastarunt.

XII. Cæterum anno XXXVI. post millesimum et quadringentesimum, gravissimum bellum civile Austriorum potissimum artibus et opera in Helvetiis conflatum est, primum quidem inter Tigurinum pagum et Suitium, cui postea sese omnes fœderati junxerunt: ac Austrius Princeps qui primo sese Suitiis junxerat, postea cum Tigurinis fœdus fecit, et illis suppetias tulit. Pugnatum est aliquoties, urbs quoque Tigurina ab Helvetiis obsessa est: sed nullum magis memorabile prælium est quam quod prope Basileæ mœnia decertatum est anno MCCCCXLIV. die XXVI. Augusti. Abduxerat in Sequanos et Rauracos numerosissimum exercitum Ludovicus primogenitus filius Regis Gallorum, qui postea Rex fuit hujus nominis XI. partim à Papa

pa Eugenio ad dissipandum concilium Basiliense, partim à Friderico Imperatore contra Helvetios vocatus: cum hoc ingenti exercitu mille sexcenti Helvetii congressi maximam stragem ediderunt, et ipsi quidem occubuerunt, superati multitudine hostium, sed ita attriverunt hostium exercitum, ut mox relicta Germania in Galliam redierint: sic ut hæc pugna memorabilis Lacedæmoniorum prælio ad Thermopylas comparanda videatur, ob insignem ferocitatem paucorum militum, qui pro totius patriæ, imo Germaniæ salute, contra innumerabiles pene hostium copias pugnarunt. Sæpe hoc bello induciæ factæ sunt, ideoque annos ejus alii aliter numerant, et vulgo septennale dicitur: sed initia belli jacta sunt anno MCCCCXXXVI. et firma pax facta et confirmata est anno Domini MCCCCL.

XIII. Proximo anno post pacem factam Abbas S. Galli fœdus fecit cum IV. pagis Helvetiorum. Sequenti anno Abbatiscellani, cum septem pagis, et rursus proximo anno civitas S. Galli cum sex pagis. Anno deinde hunc sequente qui fuit MCCCCLIV. Scaphusiani itidem cum sex pagis fœdus fecerunt, de quibus fœderibus singulis suo loco scribam.

XIV. Brevi post nova bella Austria subsequuta sunt adversus Sigismundum ducem, hunc Pius Papa nescio quam justa de causa excommunicarat, et Helvetios ad bellum hortabatur: deinde Gradleri fratres e Græcio Styriæ oppido bonis spoliati à Duce, Tigurinorum quorum cives facti fuerant opem implorabant. Duxerunt tum Helvetii copias contra Vitodurum: et Rapersuilam ac Diessenhovium, Frovvenfeldum et Turgeam occuparunt: pax demum facta est anno MCCCCLX. opera Ludovici Bojorum Principis. Anno deinde MCCCCLXVI. capita certa pacis et amicitiæ mutuæ inter Mediolani ducem et Helvetios conscripta sunt. Biennio post renovatum est bellum Austrium, et Helvetii copias in Sequanos Mulhusium duxere, quod oppidum hoc anno primum fœdere se Helvetiis junxerat: Waltzhutum quoque eodem anno obsessum fuit ab Helvetiis.

XV. Anno deinde MCCCCLXXVI. ingens et difficile bellum * nostri cum Carolo Burgundo gesserunt, sed hujus quoque potissima causa fuere Austrii Principes. Nam Sigismundus Austriæ dux bello diu infeliciter adversus Helvetios gesto, cum pacem non ex animi sententia cum illis fecisset, ut aliquo modo ipsis male faceret, regiones quas habebat in Sequanis et Rauracis vicinas Helvetiis Carolo Duci Burgundiæ, Principi illa ætate potentissimo, et magni animi ac fastus, oppigneravit, existimans fore, ut plerunque inter vicinos fieri solet, ut aliquæ controversiæ inter ipsos orirentur. Misere tum Helvetii legatos ad Burgundum petentes ut veterem amicitiam Burgundicæ domus cum Helvetiis renovaret, et pacis capita cum Sigismundo nuper inita quatenus ad regiones ipsi oppigneratas spectarent, confirmaret, verum hi aditum ad Principem nunquam impetrare potuerunt, obsistente illis Hagenbacho, quem Princeps nuper partæ regioni præfecerat, et plurimum amabat. Fuit hic Hagenbachus præcipua fax belli, nam et Helvetios multis verborum contumeliis affecit, et eorum hostibus semper apud illum receptus erat, Heudorffio et Eptingero, et quibusdam aliis nobilibus qui nostris bellum indixerant, et in eorum mercatores grassabantur. Idem tyrannide gravi premebat Sequanos sibi subjectos, quam cum illi ferendo non essent, supplices Sigismundum Austrium veterem dominum deprecabantur, ut redempto suo pignore, rursus suæ potestati se vendicaret, idque à Principe clementissimo, et qui propter facilitatem morum simplex cognominatus est, facile impetravere. Verum Burgundus solutionem pignoris recipere nolebat, et Hagenbachus quotidie acerbiori imperio premebat subditos, vicinis quoque molestus erat. Accessere etiam aliæ offensiones inter Burgundum et Helvetios, quod Remontius comes, ejus cliens, aliquot currus pellibus onustos illis interceperat. Interea Ludovicus XI. Gallorum Rex, qui Burgundum maxime oderat, et quantum esset robur in peditatu Helvetico, prælio ad Basileam cum illis gesto, expertus fuerat, fœdus cum illis fecit, et quamvis bello se non immiscuerit, tamen Helvetios ad id clam incitabat, et pecunias illis subministrabat, ne inopia coacti pacem facerent. Ejusdem opera Sigismundus Austrius reconciliatus Helvetiis, se quoque peculiari fœdere illis junxit, accessere mox ad idem fœdus Renatus Lotharingiæ Dux, et amplissimæ urbes Argentoratum et Basilea cum ipsorum Episcopis: Colmaria item, et Selestadium, et mons Bellicardi, et quædam aliæ urbes. Interea Hagenbachus Brisiaci captus fuit, ac Austrius pretio pignoris Basileæ deposito recepit omnem suam ditionem, ac publico judicio Hagenbachum damnatum capite mulctavit. Interim Carolus adversus Episcopum Coloniensem bellum gerebat, quod sibi illius Episcopatus advocatiam vendicaret, ac Novesium oppidum supra Coloniam obsidebat: adversus hunc Fridericus Imperator totius Imperii auxiliis instructus castra posuit, idem Helvetiis eorumque confœderatis pro Imperii jure et majestate edixit, ut Burgundo domi bellum inferrent, quo ejus vires distraherentur. Sed mox se Austrium esse hostemque Helvetiorum ostendit, nam cum illi in Burgundiam penetrassent, et Burgundos ad Ellicartum vicissent, captis etiam aliquot oppidis, ipse pacem cum Burgundo fecit, qua Principes imperii et civitates quæ Imperatorem bello juverant continebantur, solis exceptis confœderatis Sigismundo, Renato, Helvetiis et urbibus supra nominatis. Carolus bello adversus Imperatorem et Germanos liberatus, omnes suas vires contra fœderatos convertit, facta sunt utrinque levia aliquot prælia: sed tribus pugnis, quibus dux ipse interfuit, de summa rerum certatum est. Primo ad Gransonium oppidum, ad lacum Ebrodunensem qui hodie etiam Neocomensis dicitur, id ante ab Helvetiis captum, dux per deditionem receperat, præsidiariis militibus contra datam fidem partim laqueo necatis, partim lacu submersis: sed brevi postea prælio ab Helvetiis victus crudelitatis et perfidiæ pœnas luit: ac tum quidem non magnum numerum militum amisit, equitatu pedites in fuga defendente, cum Helvetii carerent equitatu, neque enim fœderatorum equites in tanta festinatione advenire potuerant: sed opum vim magnam amissis castris perdidit. Pugnatum deinde est ad Moratum in Aventicis, et ingenti prælio confœderati hostes vicerunt, dicuntur enim Burgundorum cæsa XXVI. millia, et nostra ætate ingentes ossium cumuli cladis ejus testes supersunt. Tertia pugna ad Nancejum Lotharingiæ commissa est: oppugnabat id oppidum Burgundus, sed Helvetii Renato Lotharingo VIII. millia, reliqui fœderati III. millia

* Cœpit anno MCCCLXXIV. finitum est initio anni MCCCCLXXVII. morte ducis, sed duabus pugnis MCCCCLXXVI. dux victus est.

millia auxilio misere, habebat ipse lectissimas alas equitum, ad sexcentos maxima parte Gallos, his viribus aggressus ducem, cujus longe majores copiæ erant, ipsum vicit, dux ipse in fuga ab Helvetiis cæsus morte sua bello finem imposuit.

XVI. Proximo anno post bellum Burgundicum, pugnatum est ab Helvetiis contra ducem Mediolanensem in Lepontiis ad pagum Jornico nomine. Causa belli fuit, quod Lepontinæ vallis incolæ qui Vraniis parent, conquererentur de quibusdam injuriis vicinorum, quod veteri possessione et fructu quarundam sylvarum ab illis pellerentur, cum autem Legati Helvetiorum hanc controversiam non potuissent componere, Vrii evocatis in auxilium confœderatis suis exercitum Bilitionum duxerunt: sed cum ingruente hyeme id obsidere non potuissent, præsidium sexcentorum hominum Lepontinis in pago Jornico reliquerunt, hos adorti sunt Mediolanenses instructissimo exercitu, verum ipsi occupatis angustiis locorum mille quadringentos occiderunt, reliquos e Lepontina valle profligarunt. Pugnatum est circa Idus Novembris anno MCCCCLXXVIII. ac proximo Decembri opera regis Gallorum pax inter Mediolanenses et Helvetios facta est. Eodem anno Sixtus Pontifex fœdus cum Helvetiis fecit, et cum alia quædam privilegia, tum largas indulgentias illis dono dedit. Biennio post Helvetii Ludovico Gallorum regi VII. millia ex fœdere nuper inito auxilio misere: cum hi Cabillonum usque venissent, Rex cui ex animi sententia res successerant, ipsos opimis stipendiis donatos domum remisit, qua liberalitate plerique illecti avide Gallorum stipendiis se addixere. Proximo deinde anno civitates Helvetiæ, Tigurum, Berna, Lucerna, Friburgum, et Salodorum privatum fœdus fecerunt, quod existimarent a Sociis inhumaniter secum actum esse præterito bello Burgundico, nam cum maximos sumptus fecissent in commeatibus, et tormentis bellicis subvehendis, plures quoque cæteris pagis milites in aciem eduxissent, tamen in dividenda præda, qua longe omnium opulentissima tum Helvetii potiti sunt, cæteri pagi qui neque hos sumptus fecerant, neque parem militum numerum adduxerant, parem cum ipsis prædæ partem sibi vendicabant: ob hanc igitur injuriam, uti existimabant, et alias nonnullas leves offensiunculas, ut privatim sibi urbes consulerent, peculiare fœdus inter se fecere. Cæterum reliqui pagi hoc fœdere graviter offensi id rescindere conabantur, et præcipue Vrii, Suitii, Vndervaldii contendebant non licere Lucernatibus absque suo consensu fœdus ullum facere, disceptata est res aliquot conventibus Stantii in Vndervaldiis, ac tandem opera Nicolai Vndervaldii Eremitæ, cujus tum summa propter singularem sanctitatis opinionem apud omnes Helvetios erat auctoritas, ambæ partes his conditionibus inter se convenerunt, urbes fœderi renuntient, de capitibus controversis communi consilio decretum faciant, Friburgium et Salodorum in numerum pagorum Helvetiæ recipiantur. Atque hac ratione decem pagi Helvetiæ facti sunt. Quoniam vero pagi octo, qui quia priores aliis fœdus fecerunt veteres nominantur, soli corpus civitatis Helvetiæ per annos circiter CXXV. constituerunt, antequam de Friburgo et Salodoro scribam, summa capita fœderum quibus octo hi pagi veteres inter se conjuncti sunt exponam, et præterea ea quæ Stantii a pagis communi decreto sancita sunt.

SVMMA FOEDERVM INTER OCTO VETERES PAGOS HELVETIAE.

PRæcipuum caput omnium fœderum est *περὶ συμμαχίας*, de mutuo auxilio contra omnem vim injustam, in quo omnia diligentissime constituta, ad justitiam et æquitatem accommodata sunt. Ne enim temere et levibus de causis suscipiantur bella, ante omnia cautum est, ut in eo pago cui injuria facta est primum publico consilio causa cognoscatur, et si constet de vi et injuria, ut tum demum auxilium postulent. In quibusdam aliis fœderibus et nominatim in Glaronensium, cognitio hæc reliquis pagis qui in fœdere sunt defertur. Ubi jam constiterit de æquitate causæ et injuria accepta, auxilium pagus injuria affectus a confœderatis petere potest: neque tamen quivis pagus a quovis altero jus postulandi auxilium habet, sed ab eo cui peculiari fœdere junctus est, nam ut hactenus ostendi, non singuli pagi cum aliis omnibus fœdus habent. Tigurini primum qui antiquo fœdere sex aliis pagis juncti sunt, auxilium ab illis postulare possunt, postea etiam cum Bernensibus peculiare fœdus fecere, cujus ratione utrique mutuo alteros in auxilium vocare possunt. Bernenses tres pagos, Vriam, Suitiam, Vndervaldiam in auxilium vocare possunt, antiqui fœderis ratione, et hi in auxilium sui et aliorum Bernates evocant: at recentioris fœderis ratione Tigurini et Bernates mutuo postulationis jus habent. Lucernenses ex octo pagis quinque de auxilio ferendo appellare possunt, Tigurinos, Vrios, Suitios, Vndervaldios, et Tuginos. Vrii vero Suitii et Vndervaldii omnes alios pagos appellare possunt. Tugini ab iisdem quinque pagis à quibus et Lucernates, auxilium postulare possunt. Glaronenses, Tigurinos, Vrios, Suitios, et Vndervaldios advocare in auxilium possunt. Etsi autem non omnes par postulandi jus habent, nihilominus tamen si pagus unum aut alterum fœdere junctum in auxilium evocarit, universi conveniunt, eo quod hi qui primo evocati sunt, reliquos etiam convocent. Ante omnia vero legatis missis ad Eremitanæ virginis templum, aut in locum qui à tæda et sylva nomen habet, *das Kienboltz*, si Bernatum res agitur, communi consilio decernunt, qua ratione controversiæ amice aut jure tolli possint, aut si id fieri nequeat, quomodo auxilium quam optime ferendum sit, et nominatim cavetur fœderibus nostris, ut auxilio evocati nulla ficta excusatione, nulla fraude et dolo utantur, sed pro viribus juvent. Quia autem fieri poterat ut subito bello pagus aliquis peteretur, ita ut viis omnibus ab hoste obsessis, neque per legatos neque per literas confœderatos vocare possit, huic quoque rei prospectum est, et nominatim cautum, ut in hujusmodi casu ubi subito auxilio opus est, singuli pagi confœderati æque pro viribus opem ferant, atque si nominatim vocati essent. Et in Bernatum fœdere sancitum est, ut si hostes superiorem regionis partem invadant, confœderati ab altera parte hostium finibus damnum dent, quo eorum vires distrahantur, et idem alio loco vicissim faciant confœderati, si hostes inferiori parte regioni bellum inferant. Porro qui in auxilium evocantur, hi absque ullo stipendio propriis sumptibus auxilium ferunt: Tantum in Bernatum fœdere cum tribus pagis stipendii fit mentio, id est solidus Turonensis, diurnum stipendium in singulos pedites, quod tamen si bellum sit in Ergovia, non numeratur, sed limes constitutus est oppi-

dulum prope primum Arolæ lacum Vndersea dictum, ultra quod quæcunque pars alteri militem miserit, stipendium hoc accipit. Sed si bellum longius trahatur, et urbs aliqua oppidum aut arx obsidenda et oppugnanda sint, ac id communi sententia decretum fuerit, tum is pagus cujus gratia et in cujus finibus hostile oppidum aut arx oppugnatur, sumptum oppugnationis causa factum in bellicis machinis, et artificum stipendiis, et aliis rebus ad oppugnationem necessariis, solus persolvet. Si tamen bellum non unius pagi, sed totius civitatis Helveticæ communi nomine geratur, tum singuli rata parte persolvant. Sæpe etiam fit ut aliqui qui longe extra Helvetiam habitant, publice aut privatim alicui damnum dent, quod tamen non licet bello persequi, quod longe absint, neque forte aliquam certam sedem habent in qua bello peti possunt, de his statuitur, ut si qua forte occasione in alicujus pagi potestatem perveniant, vel ipsi, vel eorum bona, vel socii eorum, ut manus illis injiciatur, et his quos læsere satisfacere cogantur. Postremo ne quis milite nostro abuti, et quosvis pro sua libidine abducere possit, termini in plerisque fœderibus præscripti sunt, intra quos ex fœdere auxilium sibi mutuo ferre teneantur: sunt autem termini partim pagorum limites, qui tum temporis erant, aut paulo ampliores, sed qui veterem Helvetiæ limitem non excedant. Alterum caput est de controversiis publicis, quæ inter duos pluresve pagos oriantur, cum enim vix caveri possit, quin aliquando etiam inter socios et confœderatos lites oriantur, id quod proximum est, studiose majores nostri cavere conati sunt, ne res ad bellum deveniat, et ita solvatur et pereat fœdus. Itaque primum sanciverunt, ut cæteri legatis missis operam dent quo controversia omnis amice aut æquo jure dirimatur. Deinde judicii forma et ratio hæc ab illis instituta est. Singulæ partes duos judices deligunt e suo pago, quibus jusjurandum datur, ut sepolito affectu et amore patriæ, de controversia sententiam ferant, quatuor his judicibus, quintus omnium arbiter additur, hunc quandoque judices, alias actores deligunt. Quod si pagus aliquis noluerit se judicio sistere, neque causæ cognitionem admittere, reliqui pagi fœdere tenentur huic opem ferre qui petit judicio causam definiri. Caput tertium est de fœderibus: ac quatuor primi pagi sanciunt, ne cui absque aliorum voluntate et consensu liceat se cuiquam jurejurando obstringere, aut pactum aliquod et fœdus facere. Similiter in Glaronensi fœdere cavetur, ne illi fœdus ullum absque fœderatorum suorum consensu faciant: alias pagi reliqui sibi liberam facultatem reservant nova fœdera faciendi, salvis tamen ante et exceptis antiquis fœderibus. Eandem libertatem retinent augendi et minuendi sua fœdera publico et communi consensu. Sanciunt etiam ut singulis decenniis, aut quinquenniis, renoventur voce vel scripto, et jurejurando confirmentur si usus postulat: si id commode fieri nequeat, nihilominus firmiter serventur. Quarto loco sunt exceptiones, aliqui enim pagi qui antiquitus ad Romanum imperium spectarunt, ut Tigurum, Berna, Vrii, Suitii, Vndervaldii, excipiunt Romanum imperium, ejusque jura, quibus nihil hoc fœdere derogatum volunt: Lucerna et Tugium jura ducis Austrii excipiunt. Glaronensi fœdere excipiuntur jura et servitia omnia debita legitimo domino et magistratui. Similiter in omnibus fœderibus excipiuntur antiquiora fœdera, jura, privilegia, consuetudines non tantum pagorum, sed arcium, vicorum et villarum; ut singulis salva et integra maneant. Reliqua capita etsi non sunt ita γενικα, tamen ad pacem et tranquillitatem conservandam faciunt: horum unum est de homicidarum pœnis, qui aliquem e fœderatis occiderit capite luat, nisi ostenderit se vitæ suæ tuendæ et conservandæ causa fecisse. Qui damnatus fuerit, et à suo pago proscriptus, hunc etiam alii pagi proscribant, et finibus suis arceant, et qui talem exceperit hospitio, ope sua juverit, ipse quoque reus esto, et vel exilio, vel alia mulcta punitor. Aliud caput pertinet ad exigenda nomina: Nemo laicus ope Ecclesiastici judicis nomina exigat, sed tamen causæ matrimoniales, et manifestæ usuræ ad Ecclesiasticum judicium deferantur. Nemo pignora exigat à quoquam, nisi à suo debitore, aut illo qui pro eo sibi spoponderit: neque etiam privata libidine, sed ex judicis consensu pignora capiantur. Nemo pro altero pignus esto. Item de judiciis. Quivis suum judicem habeto et ostendito: qui contumax in judicio non comparuerit, et sua absentia alteri damnum dederit, id luat. Causæ agantur in illius pagi judicio ubi res acta est, et jus dicatur absque fraude et dolo: et quivis alterius pagi judiciis, legibus, consuetudinibus contentus esto. Hæc et consimilia etsi levia forte sunt, tamen cum sæpe hinc graves controversiæ et bella etiam oriantur, copiose et accurate fœderibus nostris definita sunt, mihi satis fuit capita quædam perstrinxisse.

FORMVLA DECRETI SEV PACTI STANTIANI.

PRimum statuimus, ut nullus octo pagorum, vel per se, vel aliorum opera, alteri pago, aut ulli qui huic fœderi aliqua ratione sit conjunctus bellum inferat, aut corporibus eorum, fortunis, juribus, urbibus, regionibus, hominibus, damnum det, injuriamve inferat, aut rebus suis spoliet. Quod si quis octo pagorum (quod Deus avertat) aliter fecerit, atque alteri injuriam intulerit, quo id caveatur et fœdus nostrum firmum permaneat, ac omnes fraterne ac pacifice vitam simul degere queamus, cæteri pagi omnes eum qui injuria affectus fuerit, defendant, et jura ejus bona fide atque absque omni fraude conservent. Quod si privatus aliquis, aut plures simul vim et injuriam alicui fecerint: quocunque loco id factum fuerit, hi pro merito, et criminis ratione à magistratu suo confestim absque ulla contradictione puniantur. Veruntamen si quis in alterius jurisdictione quicquam tale fecerit, aut tumultuum auctor fuerit, is eo loco judicio sisti, et pro jure ac consuetudine illius regionis pœna affici poterit. Secundo statuimus ne deinceps in Helvetiæ urbibus, aut regionibus quisquam cœtus convocet, conventus habeat, quicquam proponat, clam palamve, e quo damni quicquam aut periculi exoriri possit, absque voluntate et consensu magistratuum ejus pagi: qui vero contra fecerit, et cœtus hujusmodi convocare conatus fuerit, consilio auxiliove juverit, is pro culpæ ratione mox à suo magistratu absque omni impedimento puniatur. Similiter communi consensu hoc peculiariter statuimus, ut salvo honore et jurejurando non liceat cuiquam alterius subditos contra sui magistratus obedientiam concitare, aut ab ea revocare, aut conari eos commovere ad defectionem et inobedientiam: quod si alicui pagorum imperio ejus subditi contumaces et inobedientes fuerint, cæteri bona fide dominis auxilium ferant, et ad obedientiam eos revocent juxta conven-

conventa nostrorum fœderum. Tertio cum post prælium ad Sempachum leges quædam bellicæ à majoribus nostris conscriptæ sint, visum est nobis in hoc perpetuo pacto, nostrorum ac etiam posterorum causa præcipuum caput ejus decreti explicare, et his verbis proponere: Si unus pluresve pagi exercitum sub signis adversus hostem produxerint, omnes qui sub signis militant, in acie simul maneant, uti viros bonos decet, et majores nostri fecerunt, quæcunque tandem necessitas eos urgeat, sive justo prælio, seu alio congressu certandum sit, sicuti copiose et diserte in decretis legum bellicarum post Sempachianum prælium sancitis cavetur. Quarto decrevimus tabulas quondam à majoribus nostris sacerdotum et aliarum rerum causa scriptas, et sancitas anno domini MCCCLXX. omnibus suis capitibus et punctis debere firmas et inviolatas servari: atque perpetuæ memoriæ causa, quotiescunque fœdera nostra jurejurando sanciuntur, ambæ tabulæ et legum bellicarum, et hæc posterior sacerdotum causa scripta, præterea amica hæc transactio, simul cum fœderibus publice recitari debent. Sed ut omnes juvenes atque adulti nostra fœdera firmius memoria teneant, et servent fidelius, statuimus ut in posterum singulis quinquenniis per omnes pagos fœdera juramento dato renoventur. Postremo etiam inter nos ita convenit, ut bello exorto universa præda bello capta aut quicquid hostes pro sui liberatione persolverint, pro militum numero, quem singuli pagi aut urbes in castris habuerint, æqua portione distribuatur. Sed oppida, arces, regiones, vectigalia, annui reditus, jurisdictiones, et quæcunque hujus generis bello parta fuerint, pro veteri consuetudine inter pagos æqualiter distribuantur. Quod si quæ hujus generis, vel redimi patiemur, vel vendiderimus, pecunia illa inter pagos æquis partibus distribuatur. Hanc autem amicam transactionem ita explicamus et concludimus, ut eadem teneantur omnes qui ex Helvetiis nobiscum militarint, subditi, cives, incolæ, fœderati et conjuncti nobis, ut nempe hi æquam prædæ partem accipiant, sed urbes, arces, regiones, homines, annui reditus, vectigalia, jurisdictiones, pagis tantum Helveticis cedant. Excipimus autem in hac transactione perpetua nostra fœdera, ne quid his decedat, sed ut ad confirmationem, et ad defensionem nostrorum fœderum hæc transactio omnibus suis partibus inviolata, fideliter, et absque dolo malo conservetur.

Hoc decreto omnium sententia confirmato, anno MCCCCLXXXI. civitatum fœdus privatum solutum est, et communi consensu Friburgii ac Salodorii in numerum pagorum recepti sunt, ac eo tempore decem pagis constitit civitas Helvetica per annos viginti, donec Basilea et Scaphusium et post has Abbatiscella accessit. Verum antequam de fœderibus agamus, prius de Friburgo ac Salodoro quædam addenda sunt, et res post eorum fœdus gestæ breviter commemorandæ.

FRIBVRGVM.

I. Friburgi origo. II. Bella et rursus fœdera cum Bernensibus.

I. FRIBVRGVM oppidum ad Sanam fluvium à Berchtoldo IV. Zeringensium duce paucis annis ante Bernam conditum est, ambæque civitates mutuam amicitiam diu coluere: cæterum à morte Zeringii Berna imperio fuit obnoxia, Friburgum vero pervenit in potestatem comitum Kyburgiorum qui Burgdorffi habitabant, quæ res causa fuit ut sequentibus annis Bernatum amicitiam deseruerint.

II. Etenim primum cum Gottefrido Kyburgio contra Bernates militarunt: mox autem fœdus renovatum est utrinque, exceptione tamen addita, si Domini urbis dissideant à Berna, ut tum dominorum suorum partes salvo fœdere sequantur. Postea à Kyburgio Friburgum venditum fuit Rodolpho Romanorum Regi, ac deinceps sub Austriæ domus imperio annis fere CC. mansit, quo tempore Austriorum ductu et auspiciis ad Loupam, in monte Schonenbergio et alibi cum Bernatibus pugnarunt: rursus etiam vetus amicitia et fœdus utrinque aliquoties renovatum est. Anno autem MCCCCIII. multis contumeliis nobilitatis vexati perpetuum fœdus cum Bernatibus fecere, mansere nihilominus sub Austriorum imperio. Duravit amicitia hæc annos quinque et quadraginta, inde exorto bello inter Sabaudum Principem et Friburgum, Bernates Sabaudi partes, cum quo illis vetus amicitia et fœdus intercedebat, secuti sunt: utrinque expeditiones aliquot susceptæ semel ad Galteram pugnatum adversa Friburgiorum fortuna, altero demum anno legati Regis Gallorum, Burgundiæ Ducis, et Helvetiorum pacem fecere. Proximo anno à pace facta Albertus Austrius Friburgum venit, cum hoc quidam civium consilia inibant de bello adversus Bernates suscipiendo, cæterum major et sanior pars civitatis pacem bello anteferebat, et amicitiam initam constanter tuebatur, jamque res ad seditionem spectabat, ac forte inter ipsos cives pugnatum fuisset, nisi Bernates missis legatis singulari prudentia et industria motum hunc populi sedassent. Cum igitur Austrius videret Friburgum Helvetiis favere, et ad eorum partes inclinare, cives quoque qui majorum suorum privilegiis fruebantur, non per omnia imperiis suis parere, sæpe etiam Bernates ex fœdere sequi et cum Helvetiis confœderatis militare, de urbe diutius retinenda desperare cœpit. Venit igitur Friburgum Austrii principis aulæ magister, à principe ut fertur missus, hic fama per civitatem disseminata principem brevi illuc venturum, omnis generis inaurata et argentea vasa, aliaque varii generis ornamenta corrogare cœpit ad exornandam curiam urbis, quo loco princeps dicebatur excipiendus esse, cæterum hæc omnia insciis civibus clam avehenda curabat. Constituto autem die quo princeps venturus dicebatur, cum suis principi in equis obviam egreditur, ac ipsum nobilissimi quique civium sequebantur: longius urbe progressis, princeps quidem nusquam apparet, sed equites ab illo missi aulæ magistrum ejusque comites excipiunt, is jam in tuto constitutus Friburgios qui honoris causa cum illo principi obviam progressi fuerant alloquitur, ipsos confisos fœdere Bernatum, et reliquorum confœderatorum amicitia, principis imperata detrectare, æquum autem esse ut princeps quoque aliquem ex ipsis fructum percipiat, et ob hanc causam se ea quæ corrogarit argentea vasa et ornamenta illis abstulisse: atque his dictis cum spoliis civium ad principem se contulit. Tanta injuria affecti Friburgii arctiori fœdere Bernatibus conjuncti sunt, et cum cæteris confœderatis amicitiam certis conditionibus junxere: itaque bello Burgundico Helvetii mille hominum præsidium illis

tuendæ urbi misere, ipsi quoque cum confoederatis adversus Burgundum militarunt, et fortem fidelemque operam eo bello Helvetiis præstiterunt, quo finito cum Salodorensibus in numerum pagorum, (uti mox dicemus) adscripti sunt.

SALODORVM.

SAlodorum una est ex antiquissimis totius Helvetiæ urbibus, et Trevirorum soror dicitur, quorum urbem Nini seculo conditam esse vetusti annales tradunt. Antiquitatem urbis indicant veteres inscriptiones Romanæ, quarum aliquæ adhuc Salodori extant. Alemannicis autem et Hunnicis, Francicisque bellis et incursionibus, in Galliam inclinante imperio, hæc quoque urbs cum pluribus aliis vastata est, cæterum Francis rerum potitis, denuo instaurata fuit, et episcopatui Genevensi subdita, tradunt enim in fano D. Victoris prope Genevam scriptum esse: Acta sunt hæc regnante Domitiano Episcopo Genevensi, quo tempore etiam castrum Salodorense, episcopatui Genevensi subditum erat, etc. Cæterum sub Germanis Imperatoribus Salodorum semper fuit in numero urbium imperii: sic tamen uti præcipuis privilegiis et immunitatibus frueretur collegium Canonicorum, cujus eadem pariaque cum Tigurino privilegia esse traduntur. Advocatia hujus urbis sicut et aliarum urbium imperii in Helvetiis, fuit penes duces Alemanniæ. Cum Bernatibus antiquitus fœdus fecerunt, id quo anno primum factum sit, mihi incertum est, sed ab eo tempore ambæ urbes amicitiam mutuam constanter coluerunt, et omnibus fere bellis Bernates Salodorensium auxiliis feliciter usi sunt. Contendentibus autem inter se de imperio Ludovico Bojo et Friderico Austrio, Boji partes sequuti sunt, ejusque gratia à Papa excommunicati, ab Austrio obsessi fuere, quo bello Bernates CCCC. militum præsidium illis misere. Bellum etiam gessere adversus Kiburgium comitem, in quo proditione civis cujusdam non exiguam cladem accepere. Anno deinde MCCCLI. cum Bernatibus fœdus perpetuum fecerunt, cæterorum etiam confœderatorum amicitiam magna fide coluerunt, itaque bello Austriaco quo Leopoldus cæsus est, finito, paribus conditionibus ac cæteri confœderati, pacem et fœdus cum Austriis fecerunt, et in tabulis fœderis confœderatis conjunguntur, et cum iisdem communi consilio leges militares statuerunt, et jurejurando sanciverunt. Demum vero finito Burgundico bello, in quo fortiter et strenue omnium judicio se gessere, una cum Friburgiis in pagorum numerum adscripti, et à confœderatis civitate quasi donati sunt.

RES GESTAE DECEM PAGORVM.

I. Bellum contra Mediolanenses. II. In Italia. III. Bellum Sangallense. IV. Bellum Suevicum. V. Italica Bella.

I. FRiburgiis et Salodoriis in numerum pagorum jam adscitis, bella hæc ab Helvetiis gesta sunt. Anno MCCCCLXXXVII. Justus Sillinius Sedunorum Episcopus, exercitum ex Vallesiis et Helvetiis collectum trans alpes duxit contra Mediolani ducem, verum hujus expeditionis infelix fuit exitus, nam cæsi et victi à duce, multis militum amissis domum redierunt.

II. Proximo anno Sigismundo duci Austriæ Helvetii ex fœdere auxilium misere contra Venetos. Postea Carolo Galliarum regi qui patris fœdus renovarat militarunt, primum in Britannia, quando ad S. Obinum ingenti prælio Britonum ducem vicit: deinde in Italia, cum regnum Neapolitanum occupavit, et ad Tarrum cum Italiæ principibus conjuratis pugnavit: quibus in bellis forti et fideli opera Helvetiorum feliciter usus est,

III. Anno autem MCCCCXC. aliud civile bellum in Helvetia exortum est. Abbas S. Galli novum cœnobium Rosaci ædificare cœperat, et illud jam pene absolverat: hoc ægre ferentes cives S. Galli, Abbatiscellani, et subditi imperio abbatis, tum quod nollent, religione ducti, ossa et reliquias S. Galli loco moveri, tum quod metuerent ne uberrima negotiatio linificii ab ipsis Rosacum transferretur, conspiratione facta, subito armati confluunt, et novum ædificium diruunt. Abbas vero hac injuria commotus, quatuor pagos quibus fœdere junctus erat, in auxilium evocat: sex alii pagi sequestri pacis, S. Galli cives cum fœderatis ipsorum hortantur, ut jure cum abbate contendant, verum cum illi ostenderent sibi atrocem injuriam contra vetera privilegia, novi cœnobii ædificatione illatam, ideo se justam causam habuisse eorum quæ fecerint, neque tamen se jure sistere vellent, quatuor pagi quibusdam aliis in societatem ascitis copias in Turgeam duxerunt: sed bellum hoc absque sanguine confectum est: primi omnium Abbatiscellani pacem cum Helvetiis fecerunt, et Rheguscorum vallis illis est adempta: postea obsessa urbe S. Galli, pax inter ipsos et Helvetios facta est opera Georgii comitis Sarunetum, et Gaudentii comitis Mætschii, atque Constantiensis Senatus: subditi quoque abbatis pecunia multati in gratiam recepti sunt.

IV. Sequitur ultimum bellum Austrium quod nostri Suevicum vocant, hujus semina jacta sunt à Friderico Imperatore, sed id post obitum ipsius à Maximiliano Imp. filio ejus gestum est. Effecerat Fridericus Imperator ut principes nonnulli, et civitates, et plurimi e prima nobilitate fœdus facerent quod magnum foedus Suevicum nuncuparunt, idque præcipue ad opprimendam libertatem Helvetiorum factum credebatur, et ipse quoque huic fœderi præfuit: hoc autem boni consulit Germaniæ, quod passim itinera tuta reddidit, grassatoribus captis et supplicio affectis, dejectisque illorum arcibus. Erant jamdiu inimicitiæ inter Austriorum clientes vicinos Helvetiæ et nostram nationem, et quotidie animi utrinque magis exacerbabantur, ac intolerandis contumeliis Helvetii ab illis afficiebantur: Rætos etiam Austrii novis oneribus gravabant, et veteri possessione quorundam locorum exuerant, ideo ut utrinque adversus vim hostium tutiores essent, fœdus perpetuum invicem fecere. Ludovicus præterea XII. Gallorum rex avidus Mediolanensis imperii, quod jure ad se spectare contendebat, Helvetiorum amicitiam et fœdus ambiebat, idque tam periculoso tempore neutiquam negligendum nostris visum est. Tandem igitur anno MCCCCXCIX. post multas actiones pacis frustra tentatas, ad arma ventum est. Pugnatum est hoc bello sæpius, sed Helvetii semel tantum victi prope Constantiam, eodem die iterato prælio hostes fuderunt, et præterea ipsi atque Ræti octo aliis partim

tim justis pugnis, partim levioribus præliis victores fuerunt: ad Lucii clivum, Treisæ, Hardæ, Frastenzii, et in Malsæ campis, et prope Basileam ad sylvam quæ Fratrum sylva nuncupatur, in Leimia valle, et postremo ad Dorneggum Salodoriorum arcem. Tot præliis cum fracti essent animi Austriorum, tandem opera et intercessione Ludovici Sfortiæ Mediolani ducis, misso ad id Galeatio Vicecomite, pax facta est, qua Helvetiis sua libertas intacta mansit, et in possessione omnium locorum quæ antehac Austriis ademerant, confirmati sunt, præfectura quoque rerum criminalium in Turgea, quæ hactenus penes Constantienses fuerat, his addita est. Atque hoc (excepto Rætorum bello cum Joanne Jacobo Mediceo Mussii domino,) ultimum bellum est, quod ad hunc usque diem Helvetii contra exterorum principum vim et potentiam pro patria libertate gesserunt: multis quidem bellis postea interfuerunt, et magnam in militia laudem consecuti sunt, sed hæc partim in Italia, partim in Gallia, modo Regum Gallorum, modo Romanorum pontificum, modo ducum Mediolani auspiciis gesta sunt.

V. Etenim mox à pace facta Galeacius Vicecomes militem Helveticum clam conscribere cœpit, contra Gallorum rex aperte ex fœdere militem petebat, isque illi datus est. Nihilominus Galeacius V. millia Helvetiorum contra magistratuum voluntatem et edicta conscripsit, horum opera et ope Germanici militis quem collegerat, dux Ludovicus Mediolanum recuperavit, verum paulo post à maximis Gallorum copiis obsessus Novariæ, cum Helvetii qui in urbe non munita hostibus non poterant obsistere, pace facta domum redirent, sumpto habitu Helvetico gregarii militis, se illis immiscuit, sed agnitus, et (ut ajunt) à Turmanno quodam qui post in quatuor partes dissectus fuit, proditus, et captus, et in Locœnsem carcerem in Galliam abductus est. Gravem vero injuriam faciunt nobis qui unius hominis crimen universæ nationi imputant. Quod si eos omnes qui cum duce fuerunt, criminis hujus reos faciunt, propterea quod nolente duce pacem cum hoste fecerint, tamen non ideo cæteri omnes accusandi sunt, cum hi qui id commisere, non publico nomine illi auxilio venerint, sed eum contra magistratuum edicta secuti sint, et non injustas neque leves pacis sanciendæ causas habuisse videantur. Eodem anno quo hæc gesta sunt in Insubria, Vlricus Wirtembergicus dux cum Helvetiorum civitate fœdus in annos duodecim fecit: Maximilianus quoque Imperator fœdus hæreditarium ante à Sigismundo duce factum, cum quatuor pagis Helvetiorum, Tigurinis, Bernatibus, Vraniis, et Vndervaldiis renovavit. Anno sequenti qui est à partu Virginis MDI. nobilissimæ urbes ad Rhenum Basilea et Schaphusia in numerum pagorum Helvetiæ cooptatæ sunt.

BASILEA.

I. Basilea origo. II. Basilienses diu amici Helvetiorum fuerunt.

I. Basilea omnium confœderatarum urbium amplissima, caput Rauracorum, quo tempore primum condita sit, ignoratur, meminit ejus Ammianus Marcellinus, qui Basiliam nominat et Gratianum prope hanc propugnaculum contra Germanos construxisse perhibet, ac sunt qui à Basilina Juliani Imp. matre denominatam existiment. Meminit etiam Phlegon libertus Adriani Cæsaris Basiliæ, an autem de nostra hac in Rauracis loquatur, dubium est. Probabilis est eorum opinio, qui hanc existimant ex Augustæ Rauracorum Romanæ coloniæ reliquiis crevisse. Est autem Basilea e numero liberarum civitatum Romani Imperii, amplissimis immunitatibus et privilegiis jam olim à Romanis Imperatoribus donata. Celebris præterea Episcopatu et bonarum literarum gymnasio.

II. Cæterum urbs hæc ut Helvetiis vicina est, ita etiam eorum amicitiam multis annis antequam se eorum fœderi jungeret, studiose coluit: etenim Ludovico Bavaro Imp. excommunicato à Romano Pontifice, cum magnæ turbæ per universam Germaniam inde exortæ essent, Basilienses fœdus mutui auxilii gratia fecerunt cum tribus primis Helvetiæ pagis, ac Tiguro et Berna multisque aliis Germaniæ urbibus anno MCCCXXVII. Anno deinde MCCCXLV. cum Tigurinis peculiare fœdus in biennium fecerunt, et illud triennio post renovarunt. Rursus anno Domini MCCCLXV. cum Leopoldi Austrii auspiciis Anglorum exercitus Alsatiam vastaret, Argentinam urbem obsedisset, et Basileæ quoque obsidionem minaretur, quod minoris urbis cives duci Austrio oppignerati ab Episcopo, non per omnia ejus imperio se subjicerent: Basilea autem cum paucis annis ante terræmotu prostratis mœniis et multis ædibus, non paucioribus incendio absumptis, hosti impar esset, Helveticæ urbes Tigurum, Berna, Lucerna, Salodorum, firmum præsidium urbi miserunt, ita ut Angli urbem tentare non ausi præsertim imperatore Carolo IV. exercitum adversus eos ducente, retrocesserint. Bello item Austrio quod Basilienses gessere cum Katharina Burgunda Leopoldi uxore, anno MCCCCIX. Bernenses et Salodorii auxilia illis misere, cæteri Helvetii assidua et diligenti opera pacem inter ipsos et Austrios conciliarunt. Præterea Concilii Basiliensis tempore cum ad dissipandum concilium Ludovicus Galliarum regis filius ingentes copias in Germaniam duxisset, et ab Austrio evocatus Helvetiis bellum intulisset, Helvetii urbem et concilium adversus peregrinum hostem tueri volentes, memorabili exemplo non plures MDC. cum maximis copiis Gallorum congressi, et omnes paucis exceptis cæsi, ita attriverunt eorum copias, ut de reditu mox cogitare cœperit: atque his profligatis, Basilienses postea junctis copiis cum Helvetiis, commune bellum adversus Austrium gesserunt. Similiter cum omnibus metuenda esset Caroli Burgundi potentia, Basilienses cum Argentinensibus et aliis ad Rhenum urbibus, et Sigismundo Austrio et Renato Lotharingico ducibus, atque Helvetiis fœdere ad decennium sese conjunxerunt, et eo bello sæpe fortem et fidelem operam confœderatis navarunt. Postremo cum bellum grave inter Maxilimianum Romanorum Imperatorem, et Helvetios ac Rætos Alpinos ortum esset, Basilienses medios sese gessere, et neutram partem auxiliis juvere, nullius præsidia in urbem suam recepere, commeatu ex æquo utrosque juverunt: pugnatum est eo bello sub ipsis quasi mœniis urbis, et rursus ad Dorneggum, ubi ingenti prælio Helvetii hostes superarunt, et ad ipsa mœnia usque urbis persequuti sunt, sed omnibus his temporibus cives urbis se æquos utrique parti exhibuerunt. Demum opera Ludovici Mariæ ducis Insubrum,

ſubrum, utriusque partis legati Baſileam convenerunt, et pax inter Imperatorem et Helvetios facta eſt. Gratum fuit hoc bello Baſilienſium conſilium Helvetiis: quin et Maximilianus Imperator præ ſe ferebat ſibi quoque non improbari. Cæterum nobilitas quæ ingenti Helvetiorum odio flagrabat, Baſilienſes pene hoſtium loco habuere, quod non aperte Helvetiorum ſe hoſtes profiterentur: neque hi tantum qui Auſtriis parebant, ſed complures qui hactenus cives fuere, ex urbe in vicinos Sequanos, Alſatios, atque Briſigavos Auſtriis parentes commigravere, unde urbis incolas contumeliis et injuriis afficere non ceſſabant, donec hi tandem indignitate rei commoti, anno proximo, qui finem belli illius conſequutus eſt, et fuit MDI. à Chriſto nato, perpetuo foedere ſeſe decem pagis Helvetiæ conjunxerunt, et ita pacem et quietem metu auxiliorum Helveticorum facile apud vicinos obtinuerunt.

SCAPHVSIA.

I. Origo urbis et ſitus. II. Scaphuſia alienatur ab imperio. III. Fœdus faciunt cum Helvetiis. IV. Bellum cum Auſtriis.

SCaphuſia, quæ eodem anno in pagorum numerum recepta fuit, urbs non ita antiqua eſt, ſita ad Rhenum in Germanico ſolo pons tamen ex urbe ad Helvetios pertinet. Temporibus Henrici tertii Imperatoris à Nellenburgiis comitibus cœnobium eo loco conditum eſt, quod nunc quoque extat, id primam originem urbi dediſſe creditur, ſicut et Sancti Galli oppidum, et Lucerna, et multa alia oppida Germaniæ coenobiis ſuam originem acceptam referunt. Alteram occaſionem et cauſam incrementi huic urbi præbuit, Rhenus, qui aliquot millia paſſuum infra urbem per ingentia ſaxa maximo impetu fertur, et tandem ex altiſſimis rupibus horrendo ſonitu, et ſpumis nebulæ inſtar in altum ſparſis, præcipitatur, ita ut nullius generis naves illic tranſire poſſint, quare omnes naves quæ ex Acromo et Veneto lacu ſecundo Rheno deſcendunt, neceſſe eſt Schaphuſiæ exonerari, et ob hanc cauſam creditur urbi nomen impoſitum, ut vel à Scapha Scaphuſia, vel etiam à navis Germanico nomine Schiffuſia nominaretur, vulgus tamen falſo nomen ab ove derivans nomini inſignia accommoda finxit. Colligitur eo loco ingens portorium, præſertim ex ſalis vectura, id diu ante conditam urbem fuit in poteſtate duarum nobilium familiarum, quæ nunc quoque Scaphuſiæ habitant, Dominorum im Turn et am Stad. Initio urbis maxima poteſtas penes Abbatem coenobii fuit, qui et magiſtratuum mediam partem elegit, cæterum paulatim cives ab ejus imperio ſeſe exemerunt, et Romanorum Imperatorum beneficio multis immunitatibus et privilegiis donati ſunt.

II. Verum cum Ludovicus Bavarus longo bello exhauſtus, Auſtrio duci quam ex compoſitione facta pecuniam debebat perſolvere non poſſet, Scaphuſia ab illo una cum aliis quibusdam urbibus ab imperio abalienata et Auſtrio vendita eſt. Manſit ab eo tempore ſub Auſtriorum poteſtate annos LXXXV. ad tempora usque Concilii Conſtantienſis: tum enim Fridericus Auſtrius, quod Joannem XXII. P. P. e concilio abduxiſſet, ab Imp. Sigismundo proſcriptus eſt, bellum illi illatum juſſu Imperatoris, et ejus bona partim direpta, partim imperio vendicata: hoc bello Scaphuſia rurſus imperio unita eſt, ac cives non exigua pecuniæ vi Imperatori numerata, ampliſſimis privilegiis donati ſunt, et illis cautum ne unquam poſtea urbem eorum ab Imperio alienare liceat. Verum cum Fridericus III. ex Auſtria familia Imperio potitus fuiſſet, conatus eſt rurſus Auſtriæ domui Scaphuſiam aſſerere, itaque Sigismundo duci poteſtatem fecit, ut Scaphuſianos cives in ſua verba jurejurando adigeret: factum eſt hoc anno ſalutis MCCCCLIV.

III. Miſſi ergo ſunt à Sigismundo legati Scaphuſiam, qui ſacramentum ab illis exigerent, ſed cives non niſi cum exceptione ſuorum privilegiorum principi ſe obſtringere, neque alia conditione legatos in urbem admittere volebant: contra legati urgebant, ut absque omni exceptione principi ſe ſacramento obſtringerent, ac proponebant quædam capita in quæ illi jusjurandum darent, graviſſimaque pericula illis denuntiabant ni parerent, cum autem in hac ſententia perſiſterent, cives ab altera parte urbis Helvetiorum legatos in oppidum receperunt, et cum Tigurinis, Bernatibus, Lucernenſibus, Suitiis, Tuginis, Glaronenſibus foedus in aliquot annos fecerunt, atque ita Auſtrii legati irrito conatu domum rediere. Coluerant ante hæc tempora Scaphuſii Helvetiorum amicitiam, et anno MCCCXLV. cum Tigurinis in paucos annos fœdus fecerant, ſed cum ipſi Auſtriis parerent, quibus cum aſſidua pene bella Helvetii illis temporibus geſſerunt, nulla potuit illis conſtans amicitia cum Helvetiis intercedere, adverſus quos ſæpe vel inviti Auſtriorum ductu militarunt: ſed ab hoc tempore Helvetiorum amicitiam conſtanti fide conſervarunt, et multis bellis ſocia arma cum illis junxerunt.

IV. Nam mox ab inito fœdere bellum Auſtrii cum Helvetiis, et nominatim cum Scaphuſiis geſſerunt. Cum enim Helvetii juſſui et imperio Pii Papæ obtemperantes, Sigismundo Auſtrio arma intuliſſent, pace deinde facta, rurſus propter Mulhuſios qui Helvetiis ſeſe junxerant, et Scaphuſianos, bellum ab Auſtriis redintegratum eſt et Helvetii magnis copiis in Sequanos deſcendere. Eodem tempore Peregrinus Hevvdorffius Scaphuſios Rotevilæ accuſavit, et ut proſcriberentur effecit: reos hic peragebat Fulachios cives Scaphuſianos: eſt autem hæc vetuſta et nobilis familia, quæ olim poſſedit arcem ad Cataractas Rheni, ſed inde pulſa ab Alberto Auſtrio poſtea rurſus per inſidias eandem occupavit, hoc igitur nomine accuſati ſunt à Hevvdorffio Fulachii fratres Joannes et Conradus, et tam ipſi quam Scaphuſiani, qui cives ſuos in cauſa juſta et æqua defendebant, proſcripti ſunt. Miſere hoc bello Helvetii Scaphuſianis firmum præſidium, cum quo illi multas excurſiones in vicinum Auſtriorum agrum in Hercyniæ juga, Hegojam, Latobrigos, aliaque loca fecerunt: demum vero Waldshuto (quod oppidum contra Rheni et Arolæ confluentes, in aditu Hercyniæ ſylvæ Auſtriis paret) obſeſſo, pax facta eſt, in qua Sigismundi Auſtrii ſumptu et opera Scaphuſii proſcriptione ſunt exempti. Cum igitur his bellis et Helvetii Scaphuſianorum fidem experti eſſent, et animadverterent quantum commodi ipſis afferret urbs hæc opportuno loco in finibus Helvetiæ ſita, viciſſim etiam Scaphuſiani forti et fideli opera Helvetiorum hoſtes repuliſſent, et quietem aſſequuti eſſent, viſum eſt utrisque e re ſua eſſe ſi fœdus ad annos plures prorogarent. Itaque anno MCCCCLXXIX. fœdus in annos XXV. ſequentes fecerunt, quo fœdere

dere etiam comprehenduntur Vrii et Vndervvaldii cum quibus hactenus nullum peculiare fœdus Scaphusiani habuerant. Formula fœderis ferme iisdem capitibus constat, quibus veterum pagorum fœdera: nam primum περι συμμαχιας se mutuo obstringunt: deinde statuitur forma judicii quo decidendæ sunt lites, si quæ inter pagos Helvetiæ et Scaphusianos oriantur. Præterea quo modo æs alienum exigendum sit, quo jure in hujusmodi postulationibus utendum sit cavetur: item de homicidarum pœna. Postremum caput est de novis et antiquis fœderibus: nova non ineantur absque aliorum voluntate, vetera semper potiora sint et præcedant. Consequutum est hoc tempus bellum Burgundicum, et post aliquot annos illud quod nostri Suevicum appellant: quod Maximilianus Imperator Helvetiis intulit: utroque bello Scaphusiani Helvetiis fidelem operam navarunt, ac milite et pecunia rem Helveticam juverunt, eoque nomine apud Helvetios magnam gratiam inierunt, et sibi non exiguam laudem compararunt, itaque proximo anno finito bello qui fuit MDI. à nato Christo, perpetuum fœdus, cum XI. pagis Helvetiorum fecerunt, et in numerum pagorum adscripti sunt.

RES DVODECIM PAGORVM.

Bella Italica.

BAsilea et Scaphusia urbibus civitate Helvetica donatis cum jam duodecim pagi essent durante adhuc fœdere quod cum Ludovico Gallorum rege fecerant, Helvetii anno MDIII. castra ejus bello Neapolitano secuti sunt, nullo tamen publico consilio, imo contra magistratuum auctoritatem. Fuit bellum hoc, sicut et prius Neapolitanum bellum Carolo VIII. regi, Gallis pariter et Helvetiis infelix: nam priori qui in præsidio regni manserant, plerique morbis, pauci prælio periere: quique bello superfuerunt., infelix ἀριστεῖον, luem illam quam alii Hispanicum, quidam Neapolitanum morbum, vulgus Gallicum nominat, domum reportarunt: posteriori bello duobus præliis victi magnam militum partem amisere. Anno deinde MDVII. Helvetii publice auxiliares copias Gallo regi misere, horum opera cum Ligurum castra in monte supra Genuam sita expugnasset, brevi post urbe per deditionem potitus est. Eodem tempore Maximilianus Imperator militem ab Helvetiis petebat, qui illi VI. Millia polliciti sunt, hac conditione ne contra Gallorum regem illos ducat, cum quo fœdus habeant: sed cum conditionem hanc recipere nollet, irrita fuit hæc expeditio. Brevi postea, anno MDIX. finitum fuit fœdus Galli Regis cum Helvetiis, et Imperator ac Julius Papa, et Galliæ atque Hispaniarum reges, fœdere facto, Venetis bellum intulere, quo bello Helvetii etiam apud Gallos stipendia fecere. Proximo anno Julius II. P. P. cum Helvetiis fœdus fecit, opera Matthæi Cardinalis Sedunensis, qui mox ab inito fœdere VI. millia Helvetiorum in Italiam duxit, hoc titulo ut terras ecclesiæ contra ducem Ferrariensem defenderent, sed revera opera eorum Gallos per insidias Mediolano depellere conabatur: id cum animadvertissent Helvetii Cardinalem contra Gallos sequi noluerunt, et magistratus idem imperabant, quare à Pontifice non persolutis stipendiis dimissi, indignantes domum rediere. Sequenti anno, qui fuit undecimus supra millesimum quingentesimum, fœdus perpetuum inter Helvetios et Austriam Burgundicamque domum renovatum est. Petebat etiam Gallus per legatos ut fœdus secum renovarent, sed plerique illi indignabantur, quod finito fœdere priori confestim illis annuas pensiones et stipendia cuncta denegasset, et quamvis multi offensi pontifici ob non soluta stipendia Gallo faverent, metu tamen fulminis Pontificii non audebant cum Gallo qui hostis Papæ tum erat, fœdus facere. Accessit nova Gallorum offensio, qui tabellarium Suitensium cum literis Lugani interceptum submerserant, et insignia pagi, qualia tabellarii gestant, in eorum contumeliam in publica auctione vendiderant. Duxere tum Helvetii media hyeme exercitum trans alpes ad Galeritæ vicum, sed pagis tantum aliquot incensis re infecta domum rediere. Verum sequenti anno à Julio Papa, quem Galli ingenti prælio ad Ravennam vicerant, evocati, exercitum XX. millium in Italiam misere, hi conjuncti Venetis qui Papæ reconciliati erant, Cremona et Ticino urbibus primo impetu captis, Gallos è toto Mediolani ducatu ejecere, sic ut præter arcem Mediolani nihil illis reliquum manserit. Quapropter Julius Helvetios titulo Defensorum Ecclesiæ ornavit, atque illorum vexilla imaginibus quibusdam decoravit, ac publice etiam universæ genti duo majora vexilla quæ *Panner* vocamus, ac Pileum libertatis signum et gladium dono dedit. Maximilianus Sfortia Helvetiorum beneficio in imperium paternum restitutus, fœdus et amicitiam cum illis junxit, et civitati Helveticæ Luganum, Locarnum, Mendrisium, et Madiam vallem: Rætis autem confœderatis vallem Telinam seu Voltureniam dono dedit: Carolus quoque Sabaudiæ dux, cujus majores multis ante annis privatum fœdus cum aliquot pagis habuerant, novum fœdus in annos XXV. proximos cum omnibus duodecim pagis fecit. Eodem tempore Rex Gallorum de fœdere cum Helvetiis agebat, verum cum arce Mediolani decedere nollet, et animadversum fuisset, legatos ipsius conari largitionibus aliquos corrumpere, et suffragia coemere, jussi sunt Helvetiæ finibus quam primum excedere, atque ita bellum denuo instauratum est. Nam Gallus ingenti exercitu in Italiam misso Tramulio et Trivultio ducibus, Maximilianum Sfortiam Novariæ obsedit, is secum habebat quatuor millia Helvetiorum, quibus postea octo millia auxilio missi fuere, horum prima acies cum Novariam venisset, assumptis qui illic erant, ingenti prælio Gallos non modo vicit, sed ex Italia profligavit. Guicciardinus non ignobilis rerum Italicarum scriptor, tradit hoc uno prælio Helvetios tantum sibi nomen comparasse, ut multi illud omnibus fere præclaris Græcorum et Romanorum quæ leguntur rebus gestis, anteferre auderent. Veruntamen victoria hæc quamvis amplissima, non absque sanguine multo illis contigit, nam ex Helvetiorum numero supra MCCCC. desiderati sunt, ex his maxima pars tormentis Gallorum pene antequam ad manus pervenirent periere. Itaque plebs multis in locis tumultuata est, invidiaque omnis in eos qui Gallicæ factioni addicti erant derivata fuit, quorum multi ad tempus patria cedere coacti sunt, duo tantum in omni illo tumultu capite multati, cæteroquin res absque sanguine transacta est. Post hanc victoriam Helvetiorum Maximilianus Imp. a Galli amicitia et fœdere discedens, auctor fuit Helvetiis ut exercitum ingentem XVI.

M. contra Gallum in Burgundiam ducerent, quibus totidem fere voluntarii accessere, his equitum aliquot alas Cæsar adjunxit, Virtenbergico principe eos ducente. Obsessa tum fuit Divio caput Burgundiæ, verum Tramulius vetus dux cum diffideret urbem tueri se posse, cum Helvetiis convenit ea lege, ut Rex Mediolanensis imperii juribus cederet, et certis temporibus sexcenta aureorum nummum millia illis persolveret: atque ejus rei fidem quatuor obsides claros magnosque viros dedit, quibus acceptis nostri illico domum redierunt. Cæterum Rex Ludovicus, etsi omnibus constabat hanc pactionem Galliæ regno salutem attulisse, quod Divione capta in Helvetiorum potestate erat ad Lutetiam ipsam excurrere, aut se cum Anglis conjungere, neque ullæ justæ copiæ Regi erant quas ipsis opponeret, nihilominus comprobare eandem noluit: neque enim ullo modo juribus suis se privari in Mediolanensi imperio ferre poterat. Itaque Helvetii se delusos videntes, vehementissime indignati, nisi confirmatio intra certum tempus afferretur, se obsides interfecturos minabantur: et mense Novembri nihil obstante hyeme denuo in Galliam erumpere decreverant: sed Rex legatis missis de pace perpetua cum Helvetiis ineunda sedulo agebat, etsi autem à conditionibus quas Rex proponebat, Helvetii alienissimi erant, tamen dum de pace agitur, et deliberationibus ac conventibus variis ea res agitatur, instituta expeditio irrita facta est. Porro in his conventibus Abbatiscellani eodem anno mense Decembri in numerum pagorum cooptati sunt, et decimum tertium locum tenuere.

ABBATISCELLA.

I. Abbatiscellæ situs. II. Bellum Abbatiscellanum. III. Fœdus cum Helvetiis. IV. Abbatiscellani excommunicantur.

Abbatiscella est regionis et vici nomen: regio hæc supra S. Galli oppidum sita est intra altissimos montes juxta Rætorum fines: vicatim habitatur, et octo insignes habet vicos, quorum singuli suas Ecclesias, seu templa, ut vocant parochialia habent, omnium caput est quam Abbatiscellam vocant, à qua regio nomen habet. Paruit hæc regio olim Abbatibus S. Galli, et quia hi frequentius in vico præcipuo versabantur, in quo etiam munitissimam arcem Clanxiam nomine extruxere, vicus inde nomen accepit ut Abbatiscella diceretur, quod deinde universæ regioni communicatum est. Asseruere autem Abbatiscellani sese in libertatem primum armata manu, post etiam pace facta, magna pecuniæ summa Abbati persoluta, libertatem sibi posterisque suis redemerunt.

II. Bellum gessere cum Abbate Cunone ex Stouffia familia annis septem. Abbati suppetias tulerunt urbes ad lacum Acromum, dux Austrius Fridericus, Episcopus Constantiensis, Wirtenbergicus comes, præterea multi comites ac nobiles. Cæterum Abbatiscellani his nequaquam cessere, sed adjuti auxilio civium S. Galli, qui primo Abbatem secuti, postea Abbatiscellanis sese adjunxerunt, aliquot præliis victores fuerunt: oppida non pauciora quinque arces supra sexaginta vel cepere vel diruere. Hoc bello primum Abbatiscellani fœdere juncti sunt Helvetiis, qui et ipsi Austriorum hostes erant, ac quidam tradunt cum Suitiis et Glaronensibus duntaxat, alii cum Lucernatibus, Vriis, Suitiis, et Vndervaldiis eos amicitiam et fœdus iniisse ajunt. Bello huic finis impositus est anno MCCCCVIII. à Ruperto Imperatore, qui pacem inter Abbatiscellanos eorumque hostes Constantiæ composuit. Pace facta Abbatiscellani hanc Reipublicæ formam instituere qua hodie quoque utuntur, nam cum ante singuli vici sua insignia et proprios conventus haberent, unum tantum signum totius regionis, unicum conventum et judicium, in quod ex omnibus vicis præstantissimi deliguntur, esse voluerunt.

III. Anno deinde tertio à pace facta, cum Abbas S. Galli denuo Abbatiscellensibus novam litem intendisset, societatem junxere cum pagis Helveticis, Tiguro, Lucerna, Suitia, Vndervaldia, Tugio et Glarona.

IV. Fœdus hoc adeo doluit Abbatibus S. Galli, ut Henricus Mansdorffius circa annum millesimum quadringentesimum vigesimum quintum, effecerit, ut Abbatiscellenses à Romano Imperatore proscriberentur, et à Pontifice arcerentur sacris: cæterum illis à proscriptione nullum periculum grave imminebat, quod suis montibus cincti, neque ulla fere commercia cum exteris exercentes, non poterant cuiquam prædæ esse: de Pontificis autem excommunicatione communi decreto statuerunt, se nolle eam ratam habere (*sie vvollen nicht im Ding seyn*). Itaque Sacerdotes qui Pontificis edictum observabant, neque Sacra illis administrare volebant, è regione sua ejecerunt, quibusdam etiam cæsis. Cum igitur hac ratione Abbas S. Galli se nihil effecisse cerneret, atque interim Abbatiscellani adversus eos grassarentur, qui ipsos excommunicatos appellabant, et multorum nobilium arces vastarent, tandem eos suffragante Episcopo Constantiensi et Suevica nobilitate, apud Septemviros imperii accusavit, eorumque auxilium imploravit, illi per literas civitatibus superioris Germaniæ et Helvetiis mandarunt, ut eos ad officium revocarent. Sed Helvetii vicinis et civibus suis bellum inferre noluere, cæterum in pace componenda laborarunt, quæ tandem anno excommunicationis quarto facta est, Abbatiscellanis prius bis prælio victis à comite Toggenburgio. Neque tamen pax hæc constans et diuturna fuit, nam vicini nobiles ad lacum Acromum et in Reguscis, equitatu magno collecto Abbatiscellanos invadere conati sunt, quibus illi obviam profecti Rineggum et Reguscorum vallem occuparunt, anno MCCCCXLV. ac Hagenvilii nobiles, quibus Regusci oppignerati erant, cum Rotevilæ proscribi curassent Abbatiscellanos, nihil autem proficerent, sua jura sex millibus aureorum illis vendidere, et eos proscriptione exemerunt. Anno deinde MCCCCLII. sese cum septem pagis Helveticis perpetuo fœdere junxerunt, et ab eo tempore Austriis, Burgundicis, Suevicis bellis cum Helvetiis militarunt, illisque fidelem ac utilem operam his bellis navarunt. Anno autem MDXIII. in numerum pagorum adscripti sunt.

FOEDVS QVINQVE POSTREMORVM PAGORVM.

Qvinque postremi pagi omnes, excepta Basilea, diu antequam in numerum pagorum cooptarentur, vetustioribus Helvetiorum pagis

gis fœdere juncti fuerunt, postea tamen diversis temporibus, ut indicavimus, in numerum pagorum asciti sunt. Id autem juris pagi habent præ aliis confœderatis, quod hi de omnibus rebus ad communem rempublicam Helvetiorum pertinentibus in publicis conventibus deliberant ac suffragia ferunt, omniumque totius civitatis commodorum et incommodorum participes sunt, præfecturas quas simul acquisierint pari jure administrant, et reliquæ prædæ publice ex æquo participes sunt. Fœderis vero quo tam vetustiores VIII. pagi inter se, quam posteriores V. cum vetustioribus, conjunguntur, eadem fere sunt capita.

Primum et præcipium est περι συμμαχιας, sive de mutuo auxilio, idque varium et multiplex. Pagi qui evocati fuerint, sibi mutuo auxilium ferant absque mora et dolo malo: si pagus aliquis subito ab hoste obruatur, ut reliquos per literas aut legatos auxilio evocare non possit, tum illi nihilominus atque si evocati fuissent auxilium ferant. Pagi posteriores si injuria se affectos existiment nemini tamen bellum moveant absque voluntate et consensu vetustiorum pagorum. Si hostes eorum jure agere volent, et Helvetios vel alios æquos judices ipsis offerant, ipsi quoque jure non bello certent. Quilibet pagorum alteri propriis sumptibus auxilium ferto: mittito autem certum auxiliorum numerum, quem volet et se decere existimaverit, eo alter contentus esto. Limites etiam præscribuntur intra quos vetustiores pagi teneantur auxilio posteriores alios juvare, sunt autem iidem fere qui et termini tum erant imperii illorum pagorum. Agitur etiam de sumptibus, quisnam eos ferat in hostili arce aut oppido obsidendo et oppugnando. Item leges de præda dividenda eædem cum Stantiana conventione sanciuntur. Alterum caput est, quo jure utendum sit si controversiæ aliquæ inter duos pluresve pagos oriantur: de qua judiciorum forma alibi à nobis agetur. Similiter de privatis injuriarum actionibus statuitur, ad quos judices pertineant. Item de nominibus exigendis. De libero commeatu utrinque concedendo, et ut forum utrinque ementibus liberum sit. Ne quis aliorum cives, aut servos civitate recipiat, nisi prius liberi sint ab eorum imperio quibus ante obnoxii fuerunt. Posteriores pagi nullum fœdus cum quoquam faciant absque consensu vetustiorum pagorum. Si bellum inter vetustiores pagos oriatur, neutri parti se jungant, sed operam dent paci componendæ. Vnicuique pago vetera privilegia, jura, consuetudines salvæ maneant. Atque hæ quidem sunt conditiones præcipuæ fœderum postremorum, in quibus eo diligentius cavetur, ne bellum absque consilio aliorum moveant, ne æquum jus aut honestas pacis conditiones rejiciant, et alia plura quæ ad bella pertinent sanciuntur, quod plerique pagi in extremis finibus et quidam quasi extra Helvetiam positi fuerunt, itaque quia difficilius fuit in his locis bellum gerere, caverunt ne quod bellum nisi gravissimis de causis susciperetur.

RES TREDECIM
PAGORVM.

I. Fœdus Gallicum. II. Cur Tigurini fœdus Gallicum recusarint. III. Argumenta pro fœdere Gallico.

ANno Domini M. D. XV. ipsis Calendis Januarii, mortuus est Ludovicus XII. Francorum Rex, hic per legatos amicitiam et fœdus Helvetiorum denuo ambierat, domi interea ingentes apparatus faciebat, ut Mediolanensem ducatum rursus bello recuperaret: successit illi in regno Franciscus Valesius gener, qui soceri consilia secutus, totus in idem bellum incumbebat. Helvetii vero fœdere Maximiliano Imperatori, et Ferdinando regi Hispaniarum, atque Sfortiæ Mediolani duci juncti, cui accessit Leo decimus Pontifex, curam tuendi Mediolanensis ducis contra Gallos suscepere. Itaque cognito apparatu regis Francorum primum VI. millia Sfortiæ duci præsidio misere: ac deinde sexto Calendas Julii novo delectu habito denuo XIII. millia miserunt, quæ se prioribus jungerent: postquam vero Franciscus inusitato alpium itinere evitatis Helvetiorum præsidiis in Italiam pervenit, maximis non tantum Gallorum sed Germanorum quoque copiis instructus, tertio miles ab Helvetiis in Italiam missus est, hominum millia XII. atque ita universus exercitus Helvetiorum XXXI. millibus peditum constabat. Franciscus vero rex quamvis instructissimas haberet copias, tamen nolens temere periclitari et cum tanto Helvetiorum exercitu congredi, qualis vix unquam hactenus uni prælio interfuisset, per internuncios de pace cum ducibus Helvetiorum agere cœpit: erant etiam Helvetiorum animi non alieni à pace, quòd judicarent confœderatos principes non bona fide secum agere, primum enim promissa stipendia ipsis non numerabantur: deinde Imperator equites quos ex fœdere debebat non miserat, et præterea Germanis peditibus pro sua auctoritate quam in Imperio habebat nunquam interdixerat ne Franco regi militarent, sed passus fuerat, eos turmatim ex Germania in Franciam transire. Postremo Pontificis et Hispani copiæ, etsi in propinquo erant, nunquam tamen adduci potuerunt ut Padum transirent et se Helvetiis conjungerent, crebri quoque nuntii inter ipsos et Gallos commeabant. Quare cum et pecunia et sociorum auxilio destituerentur Helvetii, in vico Galerate pacem cum Franco rege honestis conditionibus fecere, quam cum quidam pagi confirmassent, mox XII. millia ipsorum non expectatis aliis Comensi via domum discessere: reliqui etiam in diem crastinum se ad iter accingebant. Verum Sfortia dux Mediolani conditiones pacis factæ respuebat, et Cardinalis Sedunensis Gallorum semper accerrimus hostis, occulte in eo laborabat ut pacem factam turbaret: horum igitur opera XIII. Septembris ex Helvetiis Prætoriani milites ducis Mediolanensis, et quidam alii Gallo infensi, sub vesperam Gallos aggressi sunt, et reliquos missis nunciis docent in quo periculo versentur eosque auxilio advocant, qui turpe existimantes socios in tanto periculo deserere, præsertim cum initium prælii à Gallo factum crederent, totis copiis suis auxilio venerunt, pugnatum est utrinque acriter donec nox prælium diremit: in hoc nocturno conflictu ex Gallis nobilissimi duces cecidere, Franciscus Borbonii ducis frater, Imbricurtius, Sanserrius, Talamontius princeps Tramulii filius, Bussius, Sasertii comes, Busichius, Moja, et alii plures: ideoque Helvetii eo congressu superiores fuisse visi sunt, ac fama victoriæ eorum per totam Italiam dispersa fuit. Sed ea nocte rex Francorum tormentis dispositis, Germanorum et Vasconum ordinibus instauratis, equitibus in suas turmas restitutis, advocato etiam Liviano cum Veneto-

siderandum esse Helvetiis quosnam vicinos habeant, quorum scilicet multi eorum libertati invideant aut etiam insidientur, itaque si contra hos externis præsidiis se muniant, pie et prudenter facturos esse: fidem enim et spem in Deum externorum præsidiorum usum non tollere. Posse etiam hac ratione nostros homines addiscere artem militarem, quæ rebuspublicis sit necessaria, et propterea semper honorata summoque in pretio fuerit. Postremo etsi nonnulla fœdera damnosa fuerint, tamen pleraque fortunata fuisse Helvetiis, et præsertim quæ cum Gallorum regibus Ludovico XI. Carolo VIII. et Ludovico XII. fecerint, ideoque hujus quoque fœderis quod cum rege et fortuna et opibus florente sanciatur, felicem exitum expectandum esse. Atque hæc quidem, ut à majoribus meis audivi, tum temporis utrinque de fœdere Gallico disceptata fuere: eademque quæstio mea memoria sæpe et accurate ab hominibus politicis disputata est, quibus nunc quoque illam excutiendam relinquimus.

DE SOCIIS HELVETICI FOEDERIS, ET PRIMUM DE ABBATE S. GALLI.

QUI pagi sint Helvetiæ quibus Respublica confœderata constat, et quis fuerit singulorum ante fœdus initum status, quibus de causis, et quo tempore, quibusque conditionibus in unam rempublicam coierint, hactenus exposuimus: nunc eodem modo, ordine de sociis Reipublicæ Helveticæ agemus, qui sint, et cur, ac quando, qua conditione Reipublicæ Helveticæ sese conjunxerint: et quoniam primum locum tenet Abbas atque oppidum S. Galli, ab his initium faciemus. Gallus à quo locus nomen habet, ex Scotia claris parentibus natus, Columbani Abbatis discipulus cum eo in Galliam profectus est, et inde in Germaniam, ad Lindiniacum flumen, in loco qui Tuconia dicitur (is *Tuggen* nominatur juxta Lintham seu Limagum fluvium ad caput Tigurini lacus) contra diversi generis Idololatrias, Christi fidem frequenter populo annunciavit. Brigantii item ad caput lacus Acromi, et Arbore Felice atque aliis in locis Helvetiæ circiter annos sedecim Christum prædicavit. A Gonzone autem duce Allemannorum ad Episcopatum Constantiensem vocatus, id munus suscipere renuit, sed duci author fuit, ut munus hoc committeret Joanni uni e numero suorum discipulorum, quem ad hoc maxime judicabat idoneum: ipse vero circa annum Domini DCXXX. in montana loca supra Acromum lacum sese contulit, solitudinem amans, et eo loco ubi hodie Cœnobium et oppidum S. Galli visitur, cellam extruxit, atque cum aliquot discipulis in studio et meditatione rerum sacrarum ætatem suam illic transegit. Post obitum S. Galli, discipuli ejus eodem loco perseverantes, studia ejus imitati sunt, nullam tamen ab initio certam regulam profitebantur: verum cum Francorum reges et duces Allemanniæ pietate eorum delectati, eos muneribus multis afficerent, crevit fratrum numerus, et cella S. Galli paulatim in cœnobium mutata est: itaque anno LXXX. post D. Galli mortem, à Waltramo comite et regum Francicorum præfecto petierunt sibi abbatem dari, is Otthomarum presbyterum educatum in collegio Curiensi apud Rætos, mittit ad Pipinum Caroli Martelli filium Francorum principem, qui ex patris sententia hunc primum abbatem fecit S. Galli: et tum primum D. Benedicti regulam fratres profiteri cœperunt. Ab eo tempore Cœnobium opibus et potentia plurimum crevit, ita ut hujus loci Abbas inter Principes numeretur, ac antiquitus sub tutela Romanorum Imperatorum fuit, qui Cœnobio advocatos ex nobilibus harum regionum quæ Allemanniæ nomine censebantur dedere. Verum cum in variis dissidiis Pontificum et Imperatorum ab his negligeretur cura Cœnobii, et bello deinde exorto inter Abbatem et Abbatiscellanos experti essent Cœnobium opus habere fortibus aliquibus advocatis cum cives oppidi qui in ipsis quasi visceribus cœnobii hærebant, Abbatiscellanis conjuncti essent, et ex clientibus Abbatis plerique his faverent: ideoque Caspar Landenbergius Abbas ordine LII. de consilio suorum fratrum petiit à quatuor pagis Helvetiæ Tiguro, Lucerna, Suitia, et Glarona se jure civitatis cum suis donari, eosque cœnobii advocatos et defensores suæ libertatis et omnium suorum bonorum, possessionum, jurisdictionum, consuetudinum, privilegiorum constituit: est autem jus hoc civitatis perpetuum quod à singulis Abbatibus cum primum electi fuerint renovatur, ac spondet Abbas omnia loca suæ ditionis quatuor pagis semper aperta fore, ut ubique liberum receptum habeant: item si quæ controversia illi cum quoquam oriatur, se velle judicio horum pagorum stare. Postea Abbas Vlricus cognomento Rufus qui Landenbergio successit, hoc addidit priori fœderi, ut singuli IV. pagi ordine mittant virum senatorii ordinis qui biennio cum Abbate maneat, et sit totius regionis Capitaneus; hic judiciis interest, et omnium mulctarum semissis cedit Helvetiis: sancitur præterea eodem pacto ut omnibus bellis subditi Abbatis quatuor pagis militent. Quod autem Abbas Vlricus renovavit fœdus, et se arctius conjunxit quatuor pagis, causa fuit, quod proximis annis cum cives S. Galli et Abbatiscellani conspirassent cum subditis Abbatis, et destruxissent Rosaci cœnobium, quod Abbas novum illic extruebat, quatuor pagi cæteris Helvetiis in auxilium evocatis Abbatis jura fortiter asseruerunt, et ejus adversarios graviter mulctarunt. Durat hæc societas nostra quoque ætate, et quamvis non omnes pagi quoad religionem cum Abbate consentiant, mittunt tamen illi ex fœdere Capitaneum, qui civilium rerum administrationi interest, et in his rebus privilegia et jura monasterii tuetur.

OPPIDUM S. GALLI.

OPpidum S. Galli originem suam et incrementa cœnobio debet, libertatem Romanis Imperatoribus, qui Imperio hoc oppidum unierunt, et privilegiis atque immunitatibus multis donarunt. Mœnibus primum cinctum est temporibus Arnolphi Imperatoris, metu irruptionum Hungaricarum, et una cum monasterio sub Imperii tutela fuit, multis quidem in rebus Abbatibus obnoxium, interim sua quoque jura cives habuere, quæ Imperatorum beneficio et sua industria subinde auxere: cæterum aucto civium numero, et crescentibus etiam interea cœnobii opibus, frequentes inter eos lites extiterunt, quæ sæpe vicinarum urbium arbitrio, aliquando Romanorum Imperatorum sententia compositæ sunt, multoties quoque pecunia Abbatibus numerata eorum

postulatis satis fecere, et suam libertatem redemptis illius juribus auxerunt. Verum cum Abbatiscellani bellum abbati Cunoni movissent, cives qui pro Abbate initio pugnarant non absque sua clade, postea Abbatiscellanis fœdere sese conjunxerunt: cæterum finito hoc bello, cum aliquot annis postea Abbas Landenbergius jus civitatis apud quatuor Helvetiorum pagos impetrasset, cives oppidi, ut se quoque iisdem præsidiis munirent, cum sex pagis Helvetiorum Tiguro, Berna, Lucerna, Suitia, Tugio et Glarona perpetuum fœdus fecerunt. Confirmatum est fœdus hoc juramento pridie Joannis Baptistæ anno MCCCCLIV. et à civibus Helvetiorum legati publico convivio excepti sunt, cui circiter MD. homines interfuerunt. Ante hoc fœdus cives. S. Galli cum quibusdam pagis Helvetiæ ad certos annos fœdus fecerunt, cum Tigurinis, Constantiensibus, Scaphusianis anno MCCCXII. et MCCCXLVII. et sæpe alias cum Tigurinis et Constantiensibus: cum Tigurinis item Bernatibus, Vriis, Suitiis, Vndervaldiis anno MCCCXXIX. Sed hæc paucorum annorum fœdera ommittenda putavi, adnotato ultimo quod nostra ætate durat.

RAETORVM FOEDERA.

I. Rætorum antiquitas. II. Rætorum tria Fœdera. III. Ræti fœdus faciunt cum Helvetiis. IV. Causa fœderis Helvetici. V. Capita fœderis Helvetici.

RÆtorum gens est omnium consensu antiquissima, nam aliquot seculis ante Christum natum Thusci domo pulsi à Gallis, duce Ræto Alpes occuparunt, et ab ejus nomine nomen sibi imposuere. Late autem patuit quondam Rætia, adeo, ut Romani Imperatores duas Ræticas provincias fecerint, primam et secundam, et non tantum Alpinæ regiones, sed ea quæ hodie Suevia appellatur maxima sui parte, et Bavariæ quoque portio Rætia fuit. Cæterum veterem illam et primam Rætiam constat circa Rheni fontes Alpium tractum non exiguum complecti, et vicinas ab utroque latere valles: Gentes illæ ferme omnes hodie ab Italis Grisoni nominantur, et olim quoque Cani appellati sunt, eandemque appellationem Germani retinuere, qui eos *Grauwündtner* Canos confœderatos nominant. Nam quia Ræti hi non tantum Helvetiis fœdere juncti sunt, sed ipsi quoque vetustis fœderibus inter se obstricti, *die Grauwundtner* et Cani fœderati, et simpliciter etiam *Püudtner* à nostris hominibus appellantur.

II. Tria sunt autem Rætorum fœdera. Primum Rætorum fœdus à situ nomen accipit, et superius fœdus aut canum fœdus, *der ober oder Grauwundt* nominatur: constat hoc decem et novem communitatibus: inter omnes autem præcipuo loco fuere Abbas Disentisius, Baro Rætiæ, et Misaucorum comes: sed posteriorum familiæ periere, vulgo tamen, qui arcem Baronum veterum possident, domini à Rætzunz appellantur, quem titulum nuper domini à Marmorea et postea Plantæ habuerunt. Præcipui populi hujus fœderis sunt Æruatii, Lepontii, Misauci. Alterum nominatur fœdus domus Dei, credo propter Episcopatum Curiensem, qui hoc fœdere continetur: constat hoc foedus XXI. communitatibus, e quibus duæ Germanica lingua, reliquæ sua peculiari Rætica utuntur, quæ ad Italicam accedit: præcipui populi hujus foederis sunt Curia civitas Episcopi sedes, Pregalienses et Engadini, apud quos Rhenus et Athesis flumina oriuntur. Tertium foedus decem communitatibus constat et nomen decem judiciorum habet: sunt autem in hoc foedere Rucantii et Corvantii.

III. Duo priora foedera à multis annis amicitiam cum vicinis Helvetiis temporariis foederibus confirmarunt, anno enim MCCCCXIX. Episcopus et Capitulum civitasque Curiensis cum Tigurinis foedus in annos LI. junxerunt: iidem etiam antiquitus cum Glaronensibus foedere juncti fuerunt: at illi qui superiori foedere continentur, vicinis Vraniis jam olim confoederati fuere: postea vero ambo foedera cum VII. Helvetiorum pagis perpetuum foedus fecerunt, ac tertium foedus etsi non eodem Helvetiorum foedere continetur, tamen eorum amicitiam et societatem cum suis foederatis non minori fide et constantia coluit quam si ad id jurejurando obstricti essent. Primum igitur anno MCCCCXCVII. foedus superius, quod Canum seu Grisonum foedus peculiariter nominatur, Helvetiis septem veterum pagorum foedere æterno se conjunxit: anno vero sequenti iisdem pagis conjunxit se foedus domus Dei.

IV. Causa foederis ineundi hæc fuit: ab annis aliquot controversiæ graves intercesserant Rætis de foedere domus Dei cum Tyrolensibus, tandem ex voluntate Maximiliani Imperatoris statutum est, ut utrinque æquo numero judices deligantur qui causam cognoscant, horum omnium arbiter sit Thomas Constantiensis episcopus: sed cum regii consiliarii cognitionem causæ de industria differrent, antequam ea cognosceretur, arbiter obiit, in ejus vero locum à Maximiliano subrogatus est Fridericus Augustanus episcopus. Verum consiliarii Regis ipso (ut creditur) inscio, non minus quam ante causæ cognitionem variis impedimentis excogitatis subinde prorogabant, interea vero Rætis molesti nova onera illis imponere conabantur, cujus rei cum nullum finem facerent, Ræti ex singulis foederibus binos legatos mittunt Oenipontem, ac urgent, ut tandem causa ex decreto Maximiliani Imperatoris cognoscatur: verum consiliarii se Maximiliani sententiam ignorare simulabant, quamvis nonnulli ipsorum, et inter hos Servatinus Cancellarius actioni illi præsentes interfuissent, ne tamen nihil actum videretur, in sequentis anni quadragesimam conventus Velcuriam indictus fuit. Interea autem temporis Austrii milite et tormentis fines suos firmabant, et omnia ad bellum necessaria occulte parabant: conventus enim Velcurianus fraudulenter indictus fuerat in hunc finem, ut ipsi interea Rætos imparatos et inopinatos opprimere possent, atque in hac re episcopus Curiensis Austriacis operam navabat. Sed Ræti de Domo Dei exploratis hostium consiliis ad Helvetios, qui tum Tiguri conventum agebant, legatos mittunt, et his sua pericula exponunt, et quia præter inveterata odia, novæ quoque controversiæ inter Austrios et Helvetios exortæ erant, sic ut illic quoque omnia ad bellum spectarent, ostendunt utrisque utile ac tutum fore si foedus mutuum ineant, nam Rætos à tergo securos foederatis sibi Helvetiis, facile hostem suis limitibus reliquis arcere posse, etiamsi nullo vel levi præsidio juventur: rursus cum Helvetiis omnia ab hac parte tuta fuerint, posse eos majori robore hostibus obsistere. Helvetii quibus antea Ræti amicitia juncti essent, et qui nossent harum Alpinarum gentium robur, et animadver-

madverterent quantum commodi fœdus hoc utrique parti afferre posset, anno MCCCCXCVIII. mense Decembri perpetuum fœdus cum illis fecerunt.

V. Capita utriusque fœderis sunt. Primum amicitiæ et mutui auxilii, ac ne quis alterius hostes hospitio, commeatu aut ulla alia re juvet. Alterum de controversiis componendis si quæ inter confœderatos oriantur. Tertium quo jure utrinque nomina exigantur, ne quis alterum quam debitorem aut ejus sponsorem arresto subjiciat. Quartum de annona, et foro libero utrique parti absque ullis novis oneribus concedendo. Postremum, ut neutra pars fœdus ullum novum faciat, in quo hoc non excipiatur salvumque maneat: item ne bello orto, altera exclusa pacem faciat. Hæc quidem capita sunt fœderis: cæterum proximo anno sequutum est bellum quod nostrates Suevicum vocant, in quo Ræti adversus Austrios fines suos egregie tutati sunt, et tum suis viribus, tum etiam aliquando Helvetiorum auxiliis adjuti, pluribus prœliis hostem fuderunt. Helvetii quoque aliquot prœliis victores, tandem Basileæ cum Maximiliano Imperatore pacem fecerunt, qua et Ræti comprehensi sunt. Atque hoc quidem fœderis initium utrique parti felix et salutare fuit: postea etiam multis bellis quæ in Italia Helvetii aliorum auspiciis gessere, semper Ræti socia arma cum illis junxerunt: et cum anno MDXXXI. Joannes Jacobus Medices qui postea Marignani marchio factus est, occupata Mussii arce ad Larium lacum, Clavennam Rætis ademisset, et eorum fines vastaret, plerique Helvetiorum pagi ex fœdere Rætis auxilia misere, à quibus tandem hostis victus, et finibus pulsus est. Nostra ætate Ræti cum Helvetiorum pagis Gallis fœdere conjuncti sunt, et una cum illis Gallo regi militant, sic tamen ut plerumque separatam ab Helvetiis legionem sub proprio imperatore in bellum mittant.

VALESIANORVM FOEDVS.

VAlesianorum nomen complectitur tres populos, qui altissimis montibus cincti, eandem vallem ab ortu Rhodani ad lacum usque Lemannum incolunt, hi sunt Viberi sive ut quidam malunt Juberi, Seduni et Veragri: ex his duo priores liberi Valesiani superiores uno nomine dicuntur, et in septem conventus, quos Decumas vel Desenas vocant, divisi sunt: Veragri, qui et Valesiani inferiores, illorum imperio parent: omnium tamen princeps est Episcopus Sedunensis, qui summam tam in ecclesiasticis quam in civilibus rebus auctoritatem obtinet, et comes atque præfectus Valesiæ nominatur. Vallem hanc et res præcipuas Valesianorum, nos alibi peculiari libello descripsimus. Primum fœdus cum tribus Helvetiorum pagis Lucerna, Vria, et Vndervaldia fecere quinque conventus Valesianorum anno MCCCCXVII. gerebant tum Valesiani bellum cum Guilielmo Raronio episcopo, et ejus patre Guiscardo, quos per seditionem domo ejecerant. Raroniis auxilium ferebant Bernates, horum enim cives illi erant, itaque Valesiani, ut sibi quoque peregrina auxilia asciscerent: cum his quos diximus Helvetiorum pagis fœdus junxerunt: ne igitur Bernates, et tres pagi qui cum Valesiis fœdus fecerant, hac occasione inter se committerentur, reliqui pagi qui neutris fœderati erant, multo labore vix tandem pacem composuere, qua Raronii patriæ restituti sunt. Ante hoc fœdus, cum Bernatibus quoque fœdus fuit Valesiis, temporarium tamen decennii spacio quod initum est anno MCCL. Rursus finito bello Raronio, aliud temporarium fœdus cum Bernatibus feriebant: sed anno MCCCCLXXV. perpetuum fœdus συμμαχίας cum Bernatibus fecerunt, atque hoc anno quo hæc scribimus, centum annis à primum inito fœdere, idem splendidis legationibus utrinque missis renovarunt et confirmarunt. Biennio autem ante fœdus Bernatum, certa pactione sese conjunxerunt tribus pagis Vraniæ, Suitiæ et Vndervaldiæ. Postremo nostra ætate cum graves controversiæ de dogmatibus religionis, ceremoniis, vita, et moribus cleri reformandis exortæ essent, et Helvetia quoque in diversas partes abiisset, Adrianus episcopus Sedunensis, et septem Decumæ Valesianorum fœdus fecere anno MDXXXIII. Friburgi cum septem pagis Helvetiæ, qui ex integro Romanam religionem profitentur, ii sunt Lucerna, Vria, Suitia, Vndervaldia, Tugium, Friburgum, Salodorum, quo fœdere cum ea sanciuntur quæ in aliis fœderibus usitata sunt, tum præcipue συμμαχία in defendenda recepta et usitata Romanæ ecclesiæ religione, si quis hoc fœdere junctos ab ea vi depellere volet.

ROTEVILA.

ROtevila oppidum, quod Glareanus Germanico nomine in Græcum mutato Erythropolin nominat, putatur esse Taxgetium apud Ptolomeum ex quorundam sententia, sed falso, Taxgetium enim ab illo in Rætia commemoratur, sed Rotevila ultra Danubium in Germania ad sinistram Nicri fluvii sita est non longe ab utriusque fluvii fontibus. Oppidum hoc inter Romani Imperii urbes non incelebre est, eo enim loco judicium imperii exercetur, quod Curiæ judicium *Hof-Gericht* vulgo nuncupatur, ad quod vicinæ regiones in gravibus causis provocant, ac qui huic contumaces fuerint, judicum sententia Imperiali Banno subjiciuntur, ac quasi proscribuntur. Ferunt autem à Conrado III. Imperatore ante quadringentos et viginti quatuor annos institutum esse. Fœdus primo junxere Rotevilani cum Helvetiis in annos quindecim, Friderico III. imperante, anno MCCCCLXIII. idem fœdus aliquoties ab illis renovatum est, ac anno demum MDXIX. cum omnibus Helveticis pagis perpetuum fœdus sanciverunt. Bello Suevico Rotevilani in medio hostium positi, Helvetiis fidem constanter servarunt, omnesque suas opes et copias amice et liberaliter illis obtulerunt. Helvetii vero his usi non sunt, sed id tantum ab eis petierunt, ut ipsi urbem suam adversus hostes defendant. Cæterum quia Rotevila longe extra limites Helvetiæ posita est, quo non nisi cum periculo exercitus per alienos fines duci potest, diligenter eorum fœdere cautum est, ne temere bellum sibi sociisque excitent. Nam primum sancitur ne cuiquam bellum inferant insciis et non consentientibus Helvetiis: deinde ne sine horum voluntate cuiquam extra Helvetiam auxilium ferant: præterea si vis illis inferatur quam vi repellere voluerint, si quid vi et armis faciendum fuerit, ex Helvetiorum consilio agant. Si hostes eorum se juri sistere voluerint, eo judicio quod Helvetii ho-

nestum et æquum statuerint, illo utantur. Nullum fœdus faciant absque voluntate Helvetiorum. Si inter Helvetios bellum oriatur, quod major pars censuerit, id sequantur. Helvetii Curiæ judicium Rotevilanis pro viribus conservanto, sed eo contra neminem Helvetium utantur: si exterorum aliquis Helvetium citaverit, ostendant quomodo jure illo uti, seque tueri debeat, neque ulli nostrorum hoc judicio molesti sint.

MVLHVSIVM.

MVlhusium oppidum in Sequanis, aut ut alii volunt in Rauracis, putatur antiquitus Ariabinium nominatum, nam in Antonini Augustalis itinerario id inter Augustam Rauricam et Vruncim, quod volunt Ensisheymium esse, ponitur, deinde mons Brysiacus, et Helvetum, et Argentoratum numerantur. Fuit jam olim e numero urbium imperii Mulhusium, cæterum ejus advocatiam habuit Episcopus Argentoratensis, sicuti et Argentuariæ quam Colmariam hodie nominamus: cæterum bello exorto inter Rodolphum Habespurgium et Episcopum Argentinensem, Mulhusium Episcopo ademptum, et arx ejus quæ in oppido erat diruta est, atque ab eo tempore rursus fuit in numero urbium imperii Romani. Primam societatem cum Helvetiis iniit circa annum MCCCCLXIV. cum enim nobilitas vicina urbi liberæ infesta esset, et occasiones belli adversus illam studiose quæreret, cives cum Bernatibus, Friburgiis, et Salodoriis fœdus in annos quindecim fecerunt, ac Bernatum intercessione reliqui septem pagi Helvetiorum urbem in suam tutelam recepere, quo facto animi nobilitatis adeo incensi sunt, ut brevi odia hæc in apertum bellum eruperint, in quo Helvetii præsidium primo urbi misere, et deinde omnes pagi sub signis magno exercitu auxilio venere: ac demum obsesso Waldshuto Austriacorum oppido, nobilitatem ad æquas pacis conditiones recipiendas adegerunt. Anno deinde MDVI. Mulhusiani à Basiliensibus in civium numerum recepti sunt, atque ita arctius Helvetiis uniti: nono autem anno postea cum omnibus tredecim Helvetiorum pagis fecerunt fœdus XIX. Januarii mensis. Hoc fœdere de bello inferendo, societatibus incundis, conditiones plane similes Rotevilano fœderi sanciuntur.

BIENNA.

BIenna aut Bipennium oppidum ad exitum lacus amœnissimi et piscosi, et cujus littora vitibus consita sunt, jacet: sub potestate est Basiliensis Episcopi, interim αυτονομιαν habet, et propriis immunitatibus atque privilegiis fruitur. Primum autem hujus oppidi cives Biennenses facti sunt Bernatum confœderati anno MCCCIII. ad opprimendos grassatores quorum multitudine regio abundabat, ut nulla itinera amplius tuta et secura essent: hoc autem fœdere præterea continebantur Argentoratenses, Basilienses, Friburgenses, Salodorii. Triennio post, cum illis controversiæ cum vicinis graves intercederent, peculiare fœdus cum Bernensibus fecerunt. Tertium fœdus ictum est anno MCCCLII. atque anno XV. post cum Joannes de Viana Basiliensis Episcopus, homo inquieti ingenii, continua cum vicinis bella gereret, ut suæ quieti et tranquillitati consulerent, arctius se Bernatibus conjunxerunt, civitatis jure utrinque communicato: ea societate offensus Episcopus, collectis aliquot equitibus, improviso cives Bipennium oppressit, et præcipuos Bernensium societatis auctores in vincula conjecit, sed Bernenses re cognita suis auxilium tulere, et arcem Episcopi quam in oppido habebat expugnarunt, cives custodia exemerunt, et Episcopo ac sociis Salodoriis bellum intulerunt, in quo multa loca potestati Episcopi subjecta devastarunt, et ceperunt.

GENEVA.

GEneva extremum oppidum est Allobrogum, cujus inter veteres Julius Cæsar meminit, proximum Helvetiorum finibus, ad lacum Lemanum qua is flumen Rodanum emittit. Urbis antiquitatem non tantum Julii Cæsaris verba, sed vetusta quoque monumenta, quæ plurima illic reperiuntur, indicant. Ac plura invenirentur, si non urbs sæpe ab hostibus vastata fuisset, postea etiam gravibus incendiis pene periisset. Nam veteribus chronicis traditur, tempore Heliogabali tantum incendium Genevæ exortum, ut nulla fere domus illius expers fuerit. Aurelianum item imperatorem urbem vastatam instaurasse, jura et privilegia magna concessisse, et propter situs opportunitatem jus nundinarum atque imperii tribuisse, Aurelianam quoque suo nomine appellasse, verum illo mortuo civitatem vetus nomen urbis retinuisse. Postea barbaris nationibus, in Galliam irrumpentibus easdem calamitates cum aliis urbibus passa est: ac ducentis et quinquaginta fere abhinc annis duo incendia intra annos septem passa est, quibus urbis maxima pars periit. Episcopatus hujus urbis amplissima privilegia et immunitates habuit, civitas nihilominus proprias libertates, et pacta perpetua cum episcopis, à majoribus accepta, studiose conservavit. Fuere autem libertati eorum graves comites Gebennesii, qui tamen episcopatus clientes suum comitatum ab eo in feudum habebant, et Sabaudi principes, contra quos fortiter sua jura et privilegia asseruere. Atque anno MCCCCXX. cum Amedeus Sabaudiæ dux, jus superioritatis, ut vocant in civitatem Genevensem à Papa Martino permutatione quadam impetrare conaretur, Joannes à Petra scissa episcopus cum civibus pactus est pro se et suis successoribus, se nunquam ulli permutationi aut alienationi libertatis Genevensis consensurum, si secus aut ipse aut aliquis ex successoribus faciat, tum civibus jus fore illos in proditorum et perduellium numero habendi. Postea vero cum Maximilianus imperator Philibertum Sabaudiæ ducem generum suum, vicarium imperii in illis regionibus declarasset, denuo ipse ac frater ejus Carolus Genevam novi hujus juris titulo sibi subjicere conati sunt, prætendentes privilegia vicariatus à Carolo IV. olim principibus Sabaudis data, qui tamen omnem actionem, potestatem, jurisdictionem, præeminentiam in civitate Genevensi et ejus territorio Amedeo comiti ademerat. Inter has igitur insidias et odia vicinorum principum Genevenses Helvetiorum amicitiam studiose coluerunt, et fœdera nonnunquam in certos annos cum Bernatibus et Friburgensibus fecere. Postremo perpetuum fœdus, seu jus civitatis *Burgrecht* cum Bernatibus pepigerunt, idque arctius

ctius firmarunt anno MDXXXVI. quo tempore propter mutatam religionem Sabaudus princeps et Episcopus Genevensis urbem bello persequebantur, Bernatibus illis auxilium ferentibus: Idem fœdus postea quoque denuo renovatum est, et aliquoties actum ut Geneva publico fœdere pagis Helvetiorum jungatur, quod tamen nescio quibus de causis hactenus confici non potuit.

NEOCOMVM.

Oppidum Neocomum in Aventicis jacet, ad lacum qui hodie ab oppido hoc nomen habet, ad cujus caput Ebrodunum positum est: comitatus oppido adjunctus est, qui à Neocomensibus comitibus hæreditate pervenit ad Hochbergios comites Rotelini dominos, ab his ad Longovillanos duces in Gallia. Bello autem exorto inter Ludovicum XII. Galliarum regem et Helvetios, Bernates communi Helvetiorum nomine urbem Neocomum totumque comitatum occupavere, et præfectum huic imposuere, idem fecere cæteri ordine, exceptis Tigurinis, qui cum primum præteriti fuissent, debebant ubi vices ad ipsos rediissent duplici annorum spatio imperare. Sed ubi tempus id venisset, Joanna Hochbergia Longovillani ducis vidua, per internuntios tantum effecit, ut sibi comitatus ab Helvetiis certis pactionibus restitueretur, anno salutis MDXXIX. Cæterum ante hoc tempus comitatus certis conditionibus et pactis conjunctus fuit Bernatibus, Lucernatibus, Friburgensibus et Salodoriis, quæ in hac restitutione confirmata sunt: et domini hujus comitatus nostra ætate Bernatibus peculiari fœdere obstricti sunt.

DE POPVLIS QVI COMMVNI HELVETIORVM IMPERIO REGVNTVR.

Reipublicæ Helvetiæ tertiam partem fecimus populos, qui communi Helvetiorum imperio reguntur, de his igitur paucis scribendum, quibus temporibus, quo jure in Helvetiorum potestatem pervenerint. Ex his autem qui Helvetiorum imperio parent, quædam urbes sunt quas stipendiarias nominare possumus, quod suis stipendiis militent Helvetiis: interim αὐτονομίαν habent, suosque magistratus sibi creant, quamvis summum imperium penes Helvetios maneat, quorum legibus et edictis publicis hi quoque tenentur. Vrbes hæ Austriorum principum quondam fuere, et bellis Austriis cum vicinas regiones Helvetii occuparent, certis conditionibus in eorum potestatem venere, ut salvis veteribus privilegiis pareant Helvetiis eo modo quo antea Austriis paruere, sunt autem numero quinque, Bada, Bremogartum, Frauvvenfeldum, Mellinga, Raperschvila.

BADA.

I. Badæ situs et antiquitas. II. Bada quomodo ad Helvetios pervenerit.

Bada oppidum ad Limagum fluvium nomen habet à calidis aquis, quarum illic plures sunt fontes, ad quos plurimi mortales utriusque sexus confluere solent ex variis locis, unde quidam Thermopolim, alii Castellum Thermarum nominant, nos ad Aquas Helveticas veterum consuetudine appellare possumus, quibus moris fuit hujusmodi loca in quibus calidi fontes sunt, Aquarum nomine appellare, ut in Italia sunt quæ Statiellæ, Appollinares: in Gallia Sextiæ, Convenarum, Tarbellicæ: in Germania Granii: Bada quoque oppidum Marchionum Badensium in quadam inscriptione ad Aquas nominatur, et in Wettingensi inscriptione nostræ Badæ cives Aquenses nuncupantur. Est hoc oppidum unum ex antiquissimis Helvetiæ, quippe cujus meminit Cornelius Tacitus, qui appellat locum in modum municipii extructum, amœno aquarum salubrium usu frequentem: eodem auctore Romani castellum ejus loci præsidio munierunt, etenim montes eo loco coeuntes pene in unum, regionem claudunt. Transitur autem hac ex Germ. et Helvetiis pago Tigurino in Verbigenum pagum et per reliquam Helvetiam in Galliam et Italiam. Habuit Aquarum oppidum antiquitus duas arces, alteram in edita rupe sitam, quæ inde nomen apud Germanos accepit, *der Stein zu Baden*, hæc ab Helvetiis (uti mox dicemus) diruta hodie in ruinis jacet: altera ad pontem sita est, quam nostra ætate præfecti ab Helvetiis missi incolunt. Comites etiam sui nominis Bada olim habuit, horum familia extincta successere illis Habespurgii, qui cum hunc comitatum, tum præterea multa alia Austriæ domui conjunxere.

II. Ab Austriis autem ad Helvetios Bada pervenit Constant. Concilii tempore, hac ratione. Fridericus Austrius abduxit e concilio Joannem XXII. eumque defendit invito Imperatore atque Concilio. Itaque Concilii decreto communione ecclesiæ privatus est, præterea ab Imperatore proscriptus, et bona ejus publicata: intulere illi bellum, Imperator ipse Sigismundus exercitu e civitatibus Vindelicis et Germanicis conscripto, princeps item Bavarus, ac alii nonnulli, jussi sunt etiam Helvetii ab Imperatore simul et Concilio bellum totis viribus Austrio inferre, id illi renuere, hac de causa, quod salvo honore sui nominis hoc non possint facere, propter pacem quam in annos quinquaginta nuper cum Austria familia fecerint, et tabulis signatis atque jureiurando confirmarint. Ad hanc Helvetiorum excusationem patres Concilii responderunt, Fridericum esse hostem Ecclesiæ, publico decreto excommunicatum atque proscriptum, ac bellum hoc ad Ecclesiam spectare quam ille in suis membris injuria affecerit, quare si Imperatoris jussu Helvetii arma capiant, eos pie recteque facturos esse, ac tam abesse, ut id honorem eorum lædat, ut potius si in his excusationibus perseverent, ipsi quoque condemnationi pari cum Austrio subjiciendi sint. Præterea Imperator ex sententia legatorum regum Angliæ, Daniæ, Suediæ, Norvvegiæ, Bohemiæ, Poloniæ, principum item et nobilium, ac jurisperitorum, statuit Helvetios jure arma posse Austrio inferre, nihil obstante pace facta: propterea quod ab his qui Imperio parent, in omnibus actionibus Pontificis atque Imperatoris jus et majestas vel expresse excipiatur vel excepta subintelligatur. Hujus decreti tabulas Imperator Helvetiis transmittit, ac denuo eos bellum Austrio inferre jubet, simul etiam quæcunque olim illis ab Austriis oppignerata fuerint, eorum jus imperio vendicat, promittit etiam se nullam pacem cum Austrio facturum, antequam Helvetii quoque pristinæ paci restituantur. Rationibus his persuasi majores nostri, arma sumpsere, sed quia Imperatoris et Romani imperii nomine bellum gerendum erat, petunt ab Imperatore stipendium, ne-

que enim æquum esse ut ipsi sumptus faciant, et præmia victoriæ ad alios redeant, opes quoque suas non esse tantas ut magnos sumptus ferendo sint. Erat hæc postulatio non iniqua ipsius Imperatoris judicio, attamen quia pecuniis exhaustus erat, concessit Helvetiis, ut quæcunque bona Austriorum vel ante possederint, vel hoc bello occuparint, imperii nomine possideant, donec pro sumptibus et stipendiis belli illis satisfactum fuerit. Tigurinos quoque Imperator peculiaribus literis ad bellum exhortatus est, et illis agrum trans Albium montem, qui liberæ provinciæ nomen habet, ante ab Austriis possessum in perpetuum feudum concessit. Itaque Tigurini anno MCCCCXV. medio Aprili instructo exercitu Mellingam oppidum ad Rusam fluvium obsident, et die tertia deditione capiunt: inde copias ducunt Bremogartum, quo loco suas copias cum illis junxere Suitii et Tugini: secuti Bremogardii exemplum Mellingensium Helvetiis se in fidem Romani Imperii nomine dedunt. Eodem tempore Lucernates Surseium oppidum cepere. Bernates autem ascitis in auxilium Salodoriis, Bipennensibus, Nuvenburgio comite, et nonnullis aliis Zofingam, Arburgum, Arovium, Lentzburgum, et Brugas oppida, omnemque illum tractum pagi Verbigeni in suam potestatem redegere. Verum Tigurini captis oppidis quas diximus, Badam obsederunt, his cæteri pagi omnes unis Bernatibus exceptis sese conjunxerunt, etenim non aliud castellum munitius in tota Helvetia Austrii habebant, et sæpe ante ex hoc loco Helvetiorum et præsertim Tigurinorum fines infestarant: itaque omnino oppidum cum arce sibi expugnandum esse statuere. Ac oppidum quidem, cum absque intermissione mœnia et domus tormentis ferirentur, post tertiam septimanam deditionem fecit: Cæterum qui arci præsidio erant, munitioni loci confisi, quamvis capto oppido eandem fortiter defendebant, Helvetii autem acceptis etiam Bernatum auxiliis, oppugnationibus assiduis eos ad deditionem urgebant: tandem igitur cum eos paulatim lapides ac tela deficerent aliaque defensioni opportuna, induciæ in aliquot dies factæ sunt, intra quos nisi Fridericus Austrius eos eximeret obsidione, ipsi præsidio excederent, arce in Helvetiorum potestate relicta. Interea temporis intercessione Bavari et Norinbergensis Burggravii, Fridericus Dux Sigismundo Imperatori reconciliatus est, itaque confestim legati ab Imperatore missi sunt in castra Helvetiorum, qui eos juberent bello absistere, verum illi memores injuriarum quas ex hoc loco sæpe ab hostibus acceperant, finito induciarum tempore oppugnationem urgebant, ac perendie Pentecostes eam deditione ceperunt, et incendio statim delevere: quare cum postridie Pentecostes legatus Imperatoris Fridericus comes Toggius in castra Helvetiorum venisset, qui denuo eos ab armis discedere juberet, arcem captam et destructam invenit: dolebat id quidem nobilitati, sed cum Helvetii indicto et legitimo bello id fecissent, non habebant accusandi occasionem. Cæterum cum in Hispaniam profecturus esset Imperator ad Petrum de Luna, qui et Benedictus XI. appellatur, Pontificem evocandum, et ærario assiduis sumptibus cum Concilii tum bellicis exhausto, pecuniis egeret, Tigurinis oppigneravit Badam, Bremogartum, Mellingam, Sursejum, oppida cum suo agro: similiter Bernatibus capta ab ipsis et supra dicta Verbigeni pagi loca, certo auri pondere oppigneravit, quæ illi nostra quoque ætate soli possident. Tigurini vero proximo anno in hujus oppignerationis participationem quinque Helvetiorum pagos, Lucernam, Suitiam, Vndervaldiam, Tugium et Glaronam admisere. Vrii vero quia existimabant horum oppidorum possessionem paci cum Austrio factæ adversari, initio noluere pignoris hujus participes esse: sed cum audissent aliorum rationes, qui se quoque pacis servandæ studiosos asserebant, sed bellum suscepisse jussu et imperio Concilii atque Imperatoris, et ex horum voluntate hæc nunc militiæ stipendia et belli præmia possidere, et eadem ab Imperatore, penes quem summa potestas sit, fiduciario jure accepisse non exigua auri vi persoluta: his inquam aliisque rationibus auditis ipsi quoque in participationem hujus oppignerationis venerunt. Postremi omnium admissi sunt Bernates.

BREMOGARTVM ET MELLINGA.

Bremogartum oppidum est ad Rusam fluvium, à quo media sui parte fere peninsulæ modo cingitur, infra Lucernam duobus magnis miliaribus Germanicis situm. Vetera oppidi privilegia testantur id quondam fuisse e numero civitatum Romani imperii, postea tamen Habespurgiis, et qui ex his orti sunt Austriis principibus paruit: quando autem et quo jure in horum potestatem pervenerit, incertum est. Mellinga exiguum oppidulum ad eundem fluvium miliari Germanico infra Bremogartum, semper Habespurgiis paruit. Ambo hæc oppida eodem bello quo et Bada ab Helvetiis capta nomine Imperii, et postea à Sigismundo Imperatore iisdem oppignerata sunt, hac conditione ut illis omnia vetera jura, privilegia, consuetudines, salva maneant, et Helvetiis præstent eadem servitia, quæ antea Habespurgiis et Austriis dominis suis præstiterunt: itaque nunc octo veterum pagorum imperium agnoscunt.

RAPERSVILA.

Rapersvila vero oppidum ad lacum Tigurinum, quondam sedes comitum à Rapersvila, quorum successores Habespurgii deinde in his locis dominati sunt, in Helvetiorum potestatem pervenit anno MCCCCLVIII. Duæ factiones Rapersvilæ erant, Austriorum una, Helvetiorum altera: ex hac Sigismundus dux quosdam captivos Oenipontem abduxerat, alii eo facto territi ad Helvetios confugerunt, cæterum omnes patriæ restituti sunt Helvetiorum intercessione, qui palam præ se ferebant bellum illaturos oppido, ni vincti liberentur, exules restituantur. Accidit autem proximo anno ut Helvetii à Constantiensibus contumeliis affecti bellum illis inferrent, ex eo bello cum pace facta Vrii, Suitii, Vndervaldii, Glaronenses domum redirent, ab Rapersvilensibus transitum per eorum urbem ac commeatum suis militibus petiere, idque opera eorum qui Helveticæ factionis erant facile impetravere: cæterum in oppidum admissi, cum numero ac viribus cives superarent, et major quoque civium pars tota Helvetiorum esset, cives sibi sacramentum dicere coegerunt, itaque ab hoc tempore Rapersvila in horum quatuor pagorum potestate permansit, servata tamen civibus ea quam sub Austriis habuerant libertate.

FRAVV-

FRAVVENFELDVM.

FRavvenfeldum caput Turgeæ regionis, biennio post Rapersvilam septem pagi Helvetiorum cepere bello quod adversus Sigismundum Austrium gessere: belli autem hujus variæ causæ fuere. Conjecerat dux in vincula Cardinalem Cusanum Brixiensem Episcopum, hunc quia non statim jubente Papa Pio (is fuit Æneas Sylvius) dimiserat, à Pontifice excommunicatus est: cum autem hoc fulmine parum moveretur, et ad futurum concilium provocaret, Papa Helvetios illi arma inferre, et ecclesiam tueri jussit, ac quidam pagi Pontificis edicto paruere, non tamen apud omnes id parem authoritatem habuit, sed aliæ quoque belli causæ accessere. Vitodurum oppidum situm in comitatu Kyburgio qui Tigurinorum erat, Austrio tum parebat, in hoc nundinæ quotannis XVI. Octobris, S. Galli die magna vicinæ rusticæ plebis frequentia celebrantur, ad has cum venisset Kyburgia plebs, oppido exclusa est, quod suspicionem vanam concepissent oppidani, Tigurinos nundinarum tempore urbi insidias struere, et de ea occupanda consilia inivisse: cumque Præfectus Tigurinorum peteret, ut portas sibi aperirent, et mercatum liberum suis veteri more concederent, et sponderet nihil damni et periculi oppido imminere, nullam tamen fidem apud eos invenit. Itaque Tigurini suis omnibus interdixere ne commeatum aut ullas alias res venales Vitodurum importarent. Austrius quoque oppido metuens illud præsidio muniit, et hoc quidem factum antecessit Papæ sententiam. At altera belli causa hanc consequuta est. Erant nobilissima familia apud Stirios orti duo fratres Gradleri Vigilius atque Bernhardus, hi ab Austrio domo pulsi et bonis omnibus exuti sunt, dote quoque uxoris Bernhardi, quæ ex Starckenbergia familia erat, intercepta, hi cum diu frustra sua bona à duce repetiissent, et ut se cognitioni juris sisteret impetrare nunquam potuissent, tandem in Helvetiam concessere, et à Tigurinis civitate donati sunt: empto etiam ab illis Eglisovio oppido, bellum Austrio intulere, Tigurinorum auxilio adjuti. Cum autem Austrius novo præsidio Vitodurum muniisset, postquam Tigurinorum copiæ domum rediissent, inter illud et vicinos Kyburgios nova quoque dissidia exorta sunt, ita ut denuo Tigurini vocatis in auxilium cæteris confœderatis copias suas eduxerint et Vitodurum obsederint. Hoc igitur tempore anno MCCCCLX. Diessenhovium oppidum ad Rhenum in Turgea, et Fravvenfeldum, totamque Turgeam Helvetii in suam potestatem redegerunt.

PRAEFECTVRAE IX.

PRæfecturæ communes partim septem, partim plurium pagorum imperio reguntur, sunt autem omnes numero novem, Badensis comitatus, Liberæ provinciæ *im Wagenthal*, Turgea, Sarunetes, Rhegusci, Luganenses, Locarnenses, Mendrisii, Madia vallis. Ex his quatuor postremæ trans Alpes in Italia et Lepontiorum finibus sitæ, Italica lingua utuntur, cæteræ omnes Germanicam linguam in usu habent: et Sarunetes atque Rhegusci in finibus veteris Rætiæ, tres aliæ inter antiquæ Helvetiæ limites sitæ sunt.

BADA ET TVRGEA.

BAdensis igitur comitatus in Helvetiorum potestatem pervenit una cum oppido Aquarum, et Turgea cum Fravvenfeldo: id quomodo et quando factum sit, jam à nobis expositum est. Badæ imperant Tigurum, Lucerna, Vria, Suitia, Vndervaldia, Tugium, Glarona, Berna: hi quoque pagi omnes Berna excepta imperium in Turgea habent. Judicium tamen rerum criminalium seu capitalium ademptum Friderico Austrio tempore Concilii Constantiensis, et Constantiensi urbi tum oppigneratum à Sigismundo Imperatote, mansit penes eam ad annum usque Christi MCCCCXCIX. quo in actione pacis inter Maximilianum Imperatorem et Helvetios, judicium hoc Helvetiis cessit. Itaque septem pagi Turgeæ imperant, cæterum judicia rerum capitalium, provocationes et mulctæ harum causarum, ad decem veteres Helvetiæ pagos pertinent, qui bellum adversus Maximilianum fœdusque Suevicum gessere.

LIBERAE PROVINCIAE.

CÆterum Liberæ provinciæ ad Rusam fluvium (est hæc alia regio à Libera provincia trans Albium montem, quam supra Tigurinis à Sigismundo Imperatore datam scripsimus) eodem tempore quo Bada ab Helvetiis bello captæ sunt. Appellantur autem Liberæ provinciæ castella et vici qui sunt ad sinistram Rusæ fluvii, supra et infra Bremogartum oppidum: ac videtur inde nomen impositum, quod tres vici quorum singuli suam jurisdictionem habuere, ac proprios magistratus seu officiales, nempe Meyenbergum, Richensea, Villa Verbigena, quasi provinciolæ quædam peculiares in unam provinciam conjunctæ sunt. Olim hæc regio appellata fuit comitatus Rore, et hoc nomine nuncupatur ab Henrico V. Imperatore in privilegio quodam cœnobii Murensis: arx autem Rore comitum sedes in oppido Aroviano sita fuit. Quo autem tempore Helvetii jussu Imperatoris et Concilii Fridericum Austrium bello persequuti sunt, Lucernates loca ad Rusam fluvium, et hunc quoque comitatum Rore in potestatem redegerunt: cæterum cum finito bello soli hunc sibi asserere conarentur, opposuere se illis Tigurini, Suitii, Vndervaldii, Tugini et Glaronenses, in conventibus habitis Begkenriedæ, Vndervaldiæ, Suitiæ, et in castris ante Bremogartum, qui ostendebant ita initio belli inter se contendisse pagos, ut quæcunque loca in Verbigenis hoc bello capiantur, ea communi imperio regantur. Etsi autem Lucernates se nihil de hoc pacto legatis suis in mandatis dedisse dicerent, tamen auditis utrinque testimoniis, Bernates arbitri hujus controversiæ delecti, pronunciarunt, hos pagos in participationem hujus præfecturæ admittendos esse: decennio post Vrii quoque sex pagorum voluntate in hujus præfecturæ societatem venere, itaque septem pagi Helvetiæ hodie huic præfecturæ imperant Tigurum, Lucerna, Vria, Suitia, Vndervaldia, Tugium et Glarona. Regio hæc non admodum ampla est, ideoque præfectus quisquis is fuerit, non in ipsa regione habitat, sed cum usus postulaverit, juris dicundi causa aliquoties in anno illuc proficiscitur, ac ple-

 run-

runque cum illuc venerit, in cœnobio Benedictini ordinis Mure, quod satis amplum opulentum et elegans est, habitare solet.

SARVNETES.

SArunetum nomen vetus est inter Rætiæ populos, hodie oppidum et regio Sargans vulgo nuncupatur, quasi dicas Saræ anserem, nam Gansam nostrates anserem nuncupant: quidam à Sanacasa nomen sed perperam deducunt, cum nulla vel antiquæ vel mediæ ætatis scripta ad hoc nomen alludant, contra in multis superioris ætatis diplomatibus oppidum Sarunegans nominatur, quæ appellatio à Sarunetum nomine, quorum Plinius meminit, haud dubie deducta est. Quoniam vero Sarunetum sedes est ad ortum Oeni fluminis, qui populi hodie Engadini appellantur, hi nostri Sarunetes aut Sarunegansii superiorum forte coloni sunt, aut suum nomen non ab illis sed à Sara fluviolo oppidum præterfluente acceperunt. Paruit olim Sarunetum regio comitibus Werdenbergiis, qui propterea Sarunetum comites dicti sunt: ac aliquando regio hæc Austriis principibus, et postea comitibus Toggiis oppignerata est, postea rursus a comitibus Sarunetiis redempta et possessa, donec anno MCCCCLXXXIII. Georgius Werdenbergensium comes eam septem pagis Helvetiorum venderet. Ab his præfecti ordine mittuntur, qui in arce olim comitum domo habitantes, Sarunetibus imperant: sunt autem hi pagi septem veteres, qui et Turgeæ et liberæ provinciæ imperant. Oppidum ipsum Sarunetum quamvis Helvetiis pareat, suis tamen privilegiis fruitur, proprios magistratus sibi creat, qui civibus jus dicunt, et causas civiles cognoscunt.

RHEGVSCI.

RHegusci et ipsi Ræticæ gentis sunt, qui supra lacum Acromum seu Bodamicum utrinque ad Rhenum habitant: cæterum qui dextram Rheni ripam tenent, quo loco est Brigantium vetus oppidum, et Velcuria, nostra ætate Austriis parent: sed ab altera parte Rhineggum et Altstettum oppidula, et vallis qua versus Werdenbergios porrigitur, Helvetiorum imperio subjecta est. Fuit autem hujus regionis imperium quondam penes Austrios: et ab illis, nobilibus Juniis oppigneratum est, tempore vero Constantiensis Concilii, cum Fridericus Austrius à Sigismundo Imperatore proscriptus esset, Fridericus Toggius comes Rheguscos aliaque Austriorum loca ex voluntate Imperatoris occupavit, satisfaciens illis quibus hæc oppignerata fuerant. A Toggio certo auri pondere Rheguscorum regio oppignerata est nobilibus Vlrico et Conrado, Beiereris fratribus: anno deinde MCCCCLX. cum Jacobo Beierero horum hæredi quædam controversiæ cum Abbatiscellanis intercederent, ac ideo vereretur ne adversus eorum vim hæc loca tueri posset, ultro sua jura eis vendidit, et illis hoc pignus resignavit. Manserunt deinde Rhegusci in Abbatiscellanorum potestate triginta proximis annis, cæterum cum Abbati Sangallensi, una cum ejus imperio subditis et civibus S. Galli bellum intulissent, atque cœnobium nuper Rosaci extructum diruissent, Helvetici pagi confœderati Abbati, collectis copiis, et evocatis etiam reliquis confœderatis Abbati suppetias tulerunt, et Abbatiscellanos pacem petentes, tum pecunia, tum Rheguscorum imperio mulctarunt: possessio autem Rheguscorum in sumptus et stipendia belli cessit Helvetiorum pagis Tiguro, Lucernæ, Suitiæ, Glaronæ, hi postea Vrios, Vndervaldios, Tuginos, qui ipsis auxilio venerant, et præterea veteres loci dominos Abbatiscellanos in communionem hujus imperii admisere, itaque nostra ætate octo hi pagi Rheguscis ex ordine præfectos dant, quorum sedes est Rhyneggo vetusto oppidulo sito in finibus Rheguscorum, supra eum locum qua Rhenus lacum Acromum ingreditur.

PRAEFECTVRAE ITALICAE.

SVpersunt adhuc quatuor præfecturæ, quas nostri Transalpinas vocant, quod ultra Alpes in Italia sitæ sint: harum prima est Luganum vel Lucanum oppidum ad lacum quem quidam ab oppido Luganensem alii Gauni lacum vocant, is ad levam habet Larium, Verbanum à dextris in quem sese exonerat. Proxima huic præfectura est Locarnensis, est autem Locarnum amœnum et elegans oppidum ad caput lacus Verbani, munitissima arce quondam ornatum, cui post Mediolanensem primæ partes apud Insubres olim tribuebantur. Medrisiana præfectura tertium locum tenet, quæ ad sinistram lacus Gauni jacet. Postremo est Madia vallis appendix quondam Locarnensium, sicut Mendrisium Luganensium. Pervenerunt hæ quatuor præfecturæ in Helvetiorum potestatem anno MDXIII. ex dono Maximiliani Sfortiæ Mediolanensium ducis. Is enim pulsis Italia Gallis consilio et auctoritate Julii Papæ, opera autem et auxilio Venetorum atque Helvetiorum, honorarium hoc Helvetiis dedit, quatuor præfecturas sitas in proximis finibus Helvetiorum: Rætis item confœderatis vallem Tellinam. Verum triennio post Franciscus Gallorum rex cum Helvetios ad Marignanum vicisset, et pulso Maximiliano rursus Insubrum dominium Gallis vendicasset, pace facta Friburgi, donationem hanc Helvetiis sua auctoritate confirmavit: idem fecere alii qui Gallis in imperio Mediolanensi successere. Mittunt autem in hæc loca præfectos omnes Helvetiorum pagi unis exceptis Abbatiscellanis, hi enim cum Helvetiis primum hæ regiones datæ sunt, nondum in numero pagorum fuere, sed proximo demum anno in eum asciti sunt.

BILITIONVM.

ITalicis præfecturis connumerari forte potest Bilitionum oppidum, quod paret tribus pagis, Vriis, Suitiis, Vndervaldiis. Fuit hoc oppidum comitum Misaucorum, qui eo spoliati à duce Mediolani, cum denuo per insidias oppidum cepissent, vendiderunt illud Vriis et Vndervaldiis: cæterum iisdem artibus quibus Misaucius oppidum duci ademerat, illud Helvetiis quoque ademptum et à duce recuperatum fuit. Ab eo tempore (facta autem sunt hæc circa annum Domini MCCCCXXII). multa bella Helvetii hujus oppidi recuperandi gratia gessere, et demum anno MD. ejus possessionem adepti

adepti sunt: cum enim inter Sfortias et Gallos assidua bella vigerent, cives ut suae quieti et paci consulerent, sese Vriis dedidere: cæterum Galli Insubribus potiti, sæpe id sed frustra ab Vriis et eorum sociis repetiere. Ac demum eo tempore quo Helvetiis traditæ sunt quatuor præfecturæ à Mediolanensibus ducibus, Bilitionis imperium tribus pagis confirmatum est. Dividitur autem Bilitionensis ditio in tres præfecturas, Bilitionum, vallem Palensam, vel Pleniam, et Rivieram, quæ ita administratur à tribus pagis per vices, ut semper singuli pagi unam e tribus præfecturis obtineant: itaque si Vrii præfectum Bilitiono imposuerint, Suitii Palensæ valli, et Vndervaldii Rivieræ imperabunt, ac postea Vrii Rivieram, Vndervaldii Palensam et Suitii Bilitionum præfectum mittent: et quia Rivieræ præfectura exiguos proventus habet, plerumque is qui Bilitiono præfuit, postea Rivieræ quoque præponitur.

DE FOEDERIBVS HELVETIORVM CVM VICINIS REGIBVS ET PRINCIPIBVS.

DEmosthenes oratorum Græciæ non tantum eloquentissimus, sed summa quoque sapientia præditus, et patriæ libertatis inprimis amans, scribit non esse tutam liberis civitatibus nimiam tyrannorum familiaritatem, atque illis, præsertim finitimis, nihil fidei habendum esse, propterea quod omnis rex et tyrannus libertatis inimicus et legibus infestus sit. Recte autem ipsum Atheniensibus et universæ Græciæ consuluisse eventus declaravit. Philippus enim Amyntæ F. cui tum Demosthenes adversabatur, et qui hunc secuti sunt in Macedoniæ regno, Græcorum libertatem, simulata amicitia, et fœderibus pro suo commodo factis, oppresserunt. Quæ cum ita sint credo nonnullos admiraturos majorum nostrorum consilium, qui cum exteris regibus et principibus finitimis tot fœdera fecerunt. Sed hic tenendum est, non omnia ex æquo fœdera reipublicæ perniciosa censeri, sed συμμαχιαν et nimiam familiaritatem: alioqui pacis conservandæ causa necesse est nonnunquam inter vicinos fœdera sanciri, ut certo jure inter se uti, et res mutuo contrahere possint. Hujusmodi autem pacis et amicitiæ fœdera plerunque majores nostri fecerunt: quod si nonnunquam Regi aut Principi alicui se arctius conjunxerunt, id non absque maturo et gravi consilio ab illis factum est, atque ita, ut ex ipsis fœderibus patebit, conditiones conceptæ et initæ sunt, ne facile libertati periculum creari posset. Fecerunt autem fœdera nonnunquam in paucos aliquot annos cum Romanis pontificibus, Sixto IV. Julio II. Leone X. Clemente VII. cum principibus vicinis, Austriis, Sabaudis, Mediolanensibus, Wirtenbergensibus: cum Episcopis Constantiensi, Basiliensi: cum urbibus Vindelicis ad lacum Acronium, cum Suevicis item, et his quæ ad Rhenum sunt: sed nos plerisque horum prætermissis ea duntaxat commemorabimus quæ vel hæreditaria sunt, ac nostra ætate durant, vel saltem aliis diuturniora et celebriora fuerunt, nempe Mediolanensia, Austriaca, Burgundica, Sabaudica, et omnium celeberrima atque recentissima Gallica.

MEDIOLANENSIA FOEDERA.

QVæ fuerit antiquissima conventio et pactum inter Mediolani duces et Helvetios affirmare equidem non possum, cæterum anno MCCCCLXVI. Galeatius dux et Blanca Maria ejus conjunx, fœdus seu potius conventionem et pactum quoddam fecere cum octo Helvetiorum pagis, certis conditionibus, quæ vulgo Capitula Mediolanensia nominantur, in quibus veterum etiam Capitulorum mentio fit, unde constat jam olim Helvetios, et præcipue Vranios qui summas Alpes accolunt, certis conventionibus sociatos fuisse Insubribus: Sed cum illa antiquiora, pene oblivione sepulta sint, summam hujus conventionis, quam ut dixi Galeatius Maria Sfortia fecit, exponam. Primum caput hujus fœderis ad Vrios pertinet, litem illis de Lepontia valle moverat Ordinarius summi templi D. Virginis Mediolani, hoc igitur capite dux concedit liberam ejus vallis possessionem Vriis quoad civilem ejus jurisdictionem, et tum suo juri renuntiat, tum idem ab ordinario se impetraturum spondet. Vicissim Vrii vectigal annuum duci pendant, ac Junio aut Julio mensibus ante medium Augustum illi Mediolanum mittant quatuor accipitres, et arcubalistam seu scorpionem. Controversias de Ecclesiæ reditibus inter Ordinarium et Lepontinos judicent duo ab utraque parte delecti judices, quibus tertius quasi arbiter à duce adjungatur, quem deliget ex aliquo septem pagorum Helvetiæ senatorii ordinis virum. Iidem decernunto quid Princeps, quid Lepontii, Ordinario persolvere debeant, et si præterea controversiæ existant de non solutis censibus eas judicanto. Alterum caput est ut Helvetii VIII. pagorum et quicunque eorum limites inhabitant, et imperio parent, aut eorum inquilini per quadriennium fuerint, veteri libertate fruantur, nempe ut per omnia loca Mediolanensis ducatus ad fossam usque urbis à portoriis et vectigalibus exempti sint. Tertium est de nominibus exigendis. Quartum de controversiis, si quæ fuerint inter ducem et pagos Helvetiorum, aut si forte privati homines ex Helvetiis controversiam cum duce habeant. Quintum de controversiis privatorum. Sextum de libero mercatu, ut liceat Helvetiis res suas, equos, boves, vendere, neque dux vel ipsis venditionem, vel suis emptionem inhibeat. Septimum utrinque amicitia colatur, neque una pars alterius hostibus transitum hospitiumve præbeat.

Quoniam vero post hanc transactionem Mediolanum sæpe Dominos mutavit, capitula aliquoties confirmata atque renovata sunt, ac postremo anno MDLII. Ferdinandus Gonzaga Gubernator Mediolanensis nomine Caroli V. Imperatoris cum Helvetiis hanc conventionem renovavit, similibus fere conditionibus. Prima est de beneficio exemptionis à vectigalibus aliisque oneribus, item de emptione frumenti, ut ea libera sit, at ingravescente annona si modius XIII. libris vendatur, ne quid evehatur vetare licet: verum interea Helvetiis bis mille modii amicitiæ causa vendantur. Eandem rationem servant Helvetii erga Mediolanenses. Altera est de emptione et vectura salis. Tertia confirmantur Helvetiis vetera privilegia, ut libere iter facere, mercimonia exercere tota regione possint, neque literis aut salvo conductu opus habeant, pestis tempore excepto: præterea tantum Mediolani sub porta solvant portorium.

rium. Quarta est, quinam possint frui his privilegiis, et nominatim excluduntur Mediolanenses qui ad Helvetios migrarint. Quinta, ne fraus fiat, sancitur ut qui his privilegiis gaudent, nullam societatem mercaturæ ineant cum his qui illis carent. Sexta conditio est de controversiis componendis, et dijudicandis. Septima si alterius partis rei ad alteram confugiant, causa cognita si sontes judicentur, suo magistratui dedantur, ut ille pœnas sumat. Octava in redditibus, decumis, bonis mobilibus, et immobilibus quæ vel nunc possident Helvetii in ducatu, vel hæreditate illis post obvenerint, eodem jure utantur quo Mediolanenses apud ipsos. Nona, utraque pars liberum tutumque iter per alterius regionem habeat, et utrinque ut hactenus mutua amicitia servetur. Decima, excipiunt Helvetii fœdera sua, et omnes vetustiores tabulas obsignatas, ne quid illis capitibus derogetur. Postrema, tempus hujus conventionis definitur, ut duret quadriennio post obitum Caroli Imperatoris. Etsi vero hactenus varias ob causas conventio hæc inter Sereniss. Hispaniarum regem Mediolani Dominum, et Helvetios nondum est renovata, tamen studiose utrinque veterem amicitiam conservant, et iisdem fere ut olim privilegiis Helvetii hactenus Mediolani fruuntur.

FOEDERA AVSTRIACA
ET BVRGVNDICA.

Qvemadmodum cum nullis aliis principibus quam Austriis sæpius pro libertate sua bella gesserunt Helvetii, ita cum nullis aliis plures conventiones, pacta et fœdera fecerunt: sed illas ut paucorum annorum, et unius aut duorum pagorum conventiones omittimus, et Sigismundi Austrii cum Helvetiis unionem perpetuam et hæreditariam exponemus, quæ deinde à Maximiliano et Carolo V. Ferdinandoque Imperatoribus renovata est. Sigismundus hic Austrius cognomento simplex, filius fuit Friderici, qui Joannem Papam à concilio Constantiensi abduxit, et eo nomine fuit proscriptus, hic graves inimicitias cum Helvetiis exercuit, et multa bella quamvis infeliciter cum illis gessit, ad Vitodurum, Mulhusium, Waldshutum, in Turgea, aliisque locis: quibus bellis Turgea satis ampla et fertilis populosaque provincia ab Helvetiis illi adempta est. Idem cum bello Helvetios superare nequiret, in Galliam profectus, à rege Ludovico auxilium adversus Helvetios petiit, cum autem Gallorum rex se bello Helvetico implicare nollet (erat enim antequam regnum adipisceretur, Helvetiorum robur et virtutem expertus, pugna cum illis juxta mœnia pene urbis Basiliensis commissa) ad Burgundum se contulit, et huic non quidem Helvetiam vendidit, uti Lazius scribit, sed comitatum Ferratensem, aliaque Helvetiis vicina loca octoginta aureorum millibus oppigneravit, ut eum hac occasione cum Helvetiis committeret. Sed hæc oppigneratio præter opinionem longe aliter cecidit. Etenim Hagenbachius Burgundi præfectus gravi tyrannide omnes illos populos premere cœpit, eorum uxoribus ac liberis vim inferre, multos insontes et indemnatos carceribus concludere, et capite quoque multare. Itaque Sigismundus suorum misertus, ac assiduis eorum querelis impulsus, denuo redemit eandem provinciam, persoluto oppignerationis arrhabone: sed non idcirco Burgundus possessione illarum cessit, imo vi semel receptam regionem retinere conabatur. Erant tum Helvetiis quoque inimicitiæ cum Burgundo, cum autem Austrius non minus quam ipsi, Burgundo impar esset, cœptum est agi à viris prudentibus de amicitia et fœdere jungendo, ut adversus communem hostem junctis viribus bellum gererent, et in ea re maximam operam navavit Gallorum rex Ludovicus, qui undique Burgundo clam hostes comparare, et concitare solebat, utebatur autem ad hanc rem conficiendam opera hominis Helvetii, Justi Sillinii, qui Episcopus Sedunensis, et Gratianopolitanus postmodum factus est, hic notus quoque Sigismundo Austrio, et illi non minus quam domi apud suos gratus et acceptus, tandem effecit, ut auctoritate regis Helvetii hæreditariò fœdere cum Austrio jungerentur, cujus hæc summa est. Primum utrinque pacem et amicitiam colant, sic ut libere ac tuto et Austriaci in Helvetiis, et Helvetii apud Austriacos mercimonia aliaque sua negotia agere possint: sin autem aliquæ lites oriantur, eas non bello sed jure persequuntor. Sint autem arbitri Episcopus vel civitas Constantiensis: item Basiliensis Episcopus, vel ejus urbis senatus. Ante cognitionem causæ utraque pars judici caveat literis obsignatis, se sententiæ gratia, quamcunque tandem tulerit, judicem non odio habituros, aut ulla injuria affecturos esse. Causæ leviores de hæreditatibus adeundis, de nominibus exigendis, suo loco ab ordinariis judicibus decidantur. Si Sigismundus Austrius auxilio Helvetiorum egeat, mittant illi militem (si modo salvo honore suo, et antiquis fœderibus id facere queant) eo stipendio quantum ab ipsis Helvetiis militi numeratur: par ratio Austrii erga Helvetios. Helvetii tabulas signatas, diplomata, rationum libros, et quæ sunt hujus generis scripta Austriorum quæ possident, restituant: et si quæ alicui alteri antehac dederint, id indicent: excipiuntur tamen literæ, et libri spectantes ad oppida et arces, quæ nunc in potestate Helvetiorum sunt. Vtrique parti maneant regiones, oppida, castella, arces, vici, pagi, quæcunque occuparunt ac nunc in potestate habent, neque de his quisquam postea alteri litem moveat. Neutra pars alteram e suis regionibus, oppidis, arcibus, injuria ulla affici patiatur. Neutra pars in alterius damnum subditos ejus fœdere sibi jungat, civitate donet, in tutelam recipiat, nisi forte aliquis cum omnibus bonis alio migret, addita exceptione ejus jurisdictionis cui antea obnoxius fuit: si vero talis alteram partem vi persequatur, hunc confestim hi apud quos erit juri sistant, neutra enim pars alterius hostes sciens ac volens domo, hospitio, commeatu, aliisque rebus juvare debet. Dux Austrius transactioni Waldeshuttanæ satisfaciat, et in eo ubi poterint Helvetii auxilio illi sunto. Neutra pars alteram novis portoriis, oneribusve aliis premat. Sigismundo Austrio maneant suæ clientelæ quas jure fiduciario concedit, exceptis clientelis regionum captarum et pignoribus non redemptis. Decennio renovetur hoc fœdus. Si forte violatum fuerit, pars læsa satisfactionem postulet, non bellum suscipiat. Omnia bella et inimicitiæ quæ antehac inter Sigismundum et Helvetios, et majores eorum utrinque fuerunt, hac transactione pacatæ et abolitæ sunt, idque ab utraque parte firmiter servetur. Prima hæc transactio facta est ante bellum Burgundicum anno MCCCCLXXIV. Eodem anno Sigismundus Austrius, Renatus Lotharingius, Episcopi Argentinensis et Basiliensis, urbes Argen-

Argentina, Basilea, Colmaria, Selestadium, Mons Bellicardi, et quædam aliæ cum Helvetiis in annos aliquot fœdus contra vim et tyrannidem Burgundi fecerunt. Cæso autem triennio post Burgundo, Sigismundus Austrius hæreditarium fœdus et primam illam cum Helvetiis transactionem à Gallorum rege factam renovavit, cum his pagis Tiguro, Berna, Lucerna, Vria et Salodoro, libera potestate facta reliquis pagis, ut si voluerint, eodem fœdere comprehendantur. Nihil autem novarum conditionum hic additum est, tantum mutui auxilii forma et ratio clarius exposita. Aliquot annis postea Sigismundus princeps cum liberis legitimis careret, omnem suam ditionem Maximiliano Imp. resignavit, annua tantum pensione sibi reservata: hic quoque ab Helvetiis petebat, ut secum par fœdus inirent: sed quia animi utrinque abalienati erant, et omnia ad bellum spectabant, et Sigismundus quoque in Helvetiorum detrimentum ditione sua cessisse credebatur, noluere Helvetii novo fœdere illigari, præsertim cum omnis illa actio insidiarum plena esset, ut eventus docuit: nam mox Austrii, et qui Suevico fœdere tenebantur, bello Rætos et Helvetios petiere. Cæterum pace inter Maximilianum Imp. et Helvetios facta, anno ab ea duodecimo, qui fuit undecimus supra millesimum quingentesimum, Maximilianus fœdus hoc hæreditarium domus Austriæ cum Helvetiis renovavit, et eodem fœdere Burgundicam domum et Carolum nepotem cujus tutor erat, Helvetiis conjunxit: ex Helvetiis quoque non modo qui priori fœdere tenebantur, sed omnes XII. pagi, et præterea Abbatiscellani, ac Abbas et oppidum S. Galli, hæreditariam hanc pactionem cum Austriaca et Burgundica domo sanxere. In hac autem renovatione expresse ac nominatim sancitur fœdus seu transactio authore Ludovico Gallorum rege facta, et quamvis tantum illo fœdere comprehendantur Bungundia Comitatus, et superiores provinciæ Austriacæ, Tirolensis comitatus, et quæ sunt ultra montem, item Rhenanæ urbes, Waldshuttum, Lauffenburgum, Seconium, Rinfelda, et quæ alia sunt citra eundem montem, tamen simul additur quoque cavendum ne vel cæteræ regiones in fœdere comprehensæ quicquam hostile adversus Helvetios faciant, aut contra Helvetii adversus illas. Prohibentur item contumeliæ et convicia verborum, ne animi, quod antea aliqdando accidit, hac ratione alienentur. Spondet præterea nomine nepotis Caroli se singulis pagis Helvetiæ ducentos aureos honorarii muneris loco in urbe Tigurina quotannis persoluturum, abbati vero S. Galli, itemque oppido, et præterea Abbatiscellanis singulis centenos, quousque Carolus tutela exemptus regionum suarum imperium suscipiat: tum etiam ab ipso fœdus hoc confirmandum esse: id quod factum est. Anno enim MDXLIII. literis ad Helvetios datis fœdus confirmavit, quantum ad domum Burgundicam seu comitatum Burgundiæ spectat. Austriæ enim tum Ferdinandus frater imperabat. Sunt autem Burgundici fœderis conditiones et capita non alia quam Austriaci, nempe ut utrinque libere commeare et quævis commercia exercere possint. Item ne una pars alteri bellum inferat, aut e suis finibus inferri patiatur. Si vero quis alius alterutri parti vim inferre volet, tum hac petente, altera diligentem alterius curam habeat (*ein treu aufsehen haben*) ne contra jus et æquum prematur, etc.

SABAVDICVM FOEDVS.

Sabaudorum, qui veteribus Allobroges fuerunt, Duces antiquitus fœdus et amicitiam cum Bernatibus, Friburgiis et Salodoriis coluerunt multis annis, cæterum cum omnibus pagis Helveticis Carolus demum Philiberti, qui nunc rerum apud Allobroges potitur pater, in annos XXV. fœdus fecit, anno duodecimo supra millesimum quingentesimum. Primum caput est de mutua amicitia conservanda, neutra pars alteram injuria afficiat, neque ulla re alterius hostes juvet. Secundum de controversiis cognoscendis, in his judices utrinque pari numero deligantur, qui in Bipennium urbem convocent partes ambas, et causam cognoscant: quod si sententiæ duæ ferantur paribus suffragiis, arbitrum deligant ex his pagis ad quos causa non spectat. Privatæ causæ decidantur judiciis usitatis cujusque loci. Tertium, tuto liceat utrique parti sua negotia agere in alterius regione, neque novis portoriis oneribusque quisquam prematur. Quartum, si quisquam controversiam adversus ducem habuerit, et se Helvetiorum judicio sistere volet, idque dux renuat, Helvetii fœdere non tenentur ut adversus hunc duci suppetias ferant. Quintum, si Helvetii bello premantur, dux sexcentos aut plures equites illis suo sumptu auxilio mittat, si modo domestico bello non impediatur: vicissim si dux bello domi petatur, ipso postulante Helvetii peditatum illi auxilio mittant, non tamen plures sex millibus, singulis peditibus menstruum stipendium dux persolvat, sex Francos. Si sponte aliqui ultra numerum militum quem ipse petierit, militatum abierint, his nulla stipendia debentur, nisi sponte et liberali manu ea persolvere dux voluerit. Milite Helvetico dux ad navale bellum non utatur, neque ultra mare ducat, sed tantum ad tuendos fines, quos hodie habet, eorum opera illi debetur. Porro ut pax conservari possit, neutra pars extraneorum causas tuendas aut agendas contra alteram suscipiat, quæ ad alterius detrimentum spectent: neque alterius subditos in numerum civium recipiat, nisi qui corpora fortunasque suas ad ipsos transtulerint. Durante hoc fœdere, dux singulis pagis quotannis Bernæ numerat CC. aureos.

Sub finem hujus fœderis, quod annos XXV. duravit, Carolus dux à Francisco rege Galliarum maxima parte sui principatus exutus est, quo bello Bernates, qui Genevensium civium suorum causam tuendam susceperant, sociis Friburgiis et Sedunis, omnia loca Ducatus in Antuatibus et Equestribus occuparunt. Ab eo tempore cum aliquot annos in Pedemontio Carolus V. Imperator, in cujus clientelam Sabaudus se dederat assiduum bellum adversus Gallos gesserit, omnis actio fœderis renovandi intermissa fuit. Superioribus vero annis Philibertus Caroli filius pace facta, et paterno imperio illi restituto à Gallis, novum perpetuumque fœdus cum sex Helvetiorum pagis fecit, Lucerna, Suitia, Vria, Vndervaldia, Tugio et Salodoro anno MDLX. quod à fœdere superiori parum discrepat, nisi quod hic nulla expressa mutui auxilii et συμμαχίας (quod quidem ego meminerim) mentio fit. Post etiam reliqui Helvetii fœdus antiquum et amicitiam similibus conditionibus cum eodem junxerunt.

GALLICA FOEDERA.

Gallorum regum primus cum Helvetiis fœdus fecit, et annua stipendia publice singulis pagis persolvit Ludovicus hujus nominis XI. Hic Ludovicus cum adhuc Delphinus (uti vocant) esset, instructissimas copias Gallorum in Germaniam adduxit, quas Armeniacas vulgo nominant à Comite Armeniacense earum ductore: venit autem in Germaniam in gratiam Eugenii Papæ et Imperatoris Friderici, ut et illius causa Basiliensem Synodum dissiparet, et alterius hostes Helvetios bello persequeretur, atque ab obsidione urbis Tigurinæ avocaret. Helvetii enim justis copiis Tigurum (quod Austriis se fœdere junxerat) obsidebant, alter autem exercitus eorum Farnspergum arcem in Rauracis oppugnabat: ex hoc mille sexcenti milites urbi Basileæ et patribus Synodi auxilio venientes ad Byrsam fluvium, tria aut quatuor millia passuum supra Basileam, cum copiis Delphini congressi tam fortiter pugnarunt, ut quamvis numero superati et cincti hostibus, ad unum fere cæsi sint, tamen ita Delphini exercitum attriverint cæsis circiter sex millibus, ut et clade suorum et hostium ferocia consternatus, mox Galliam repetierit, infectis his rebus quarum causa venerat. Ferunt tum Delphinum superatis hostibus dixisse, se ante minoribus copiis trium horarum spatio tredecim millia hostium profligasse, longeque minori periculo quam nunc integri diei pugna unicum quodammodo manipulum hostium ceciderit: nunquam etiam se cum hoste pertinaciore et robustiore congressum, quare daturum se operam, ne sibi deinceps cum illis pugnandum sit: id autem multo post, regnum adeptus, fecit. Etenim cum Carolum Burgundum odio haberet, neque tamen aperto bello eum petere auderet, quod id antea sibi infeliciter successisset, studuit eum cum Helvetiis committere: ut autem et hoc facilius efficeret, et ad omnes casus Helvetica auxilia parata haberet, fœdus cum illis decem annorum fecit, et pagis annuas pensiones largitus est, septem millia Francorum singulis: bello quoque Burgundico pecuniæ magnam vim Helvetiis suppeditavit, ne ejus inopia bello absistere cogerentur, et de pace agere: et victo Carolo ad Moratum, amplissima munera et publice Helvetiis, et privatim etiam ducibus belli largitus est: Postremo cæso Carolo ne Helvetii Burgundiam jure belli invaderent, multorum animis in Burgundia pronis ad deditionem, pecunia redemit, et eo bello quod post mortem Caroli gessit, in occupandis illius provinciis Helvetico peditatu usus, uberiora quam quisquam ante hac stipendia illis numeravit. Porro filius Ludovici Carolus VIII. anno MCCCCLXXXIII. paternum fœdus cum Helvetiis renovavit, et eorum milite usus est bello quo Franciscum citerioris Britanniæ ducem vicit, potissimum vero bello Neapolitano fortem et fidelem operam militis Helvetii multis in locis expertus est. Qui vero huic in imperio successit Ludovicus XII. cum Mediolanum recuperare vellet, ut Helvetios ab amicitia Ludovici Sfortiæ averteret, fœdus ipse quoque in decennium cum illis conjunxit, quo finito gratias egit Helvetiis et stipendia renunciavit, et annuas pensiones, quas publice et privatim illis persolverat: quo facto multorum militarium hominum animi graviter offensi sunt, quibus auctoribus instigante ubique principes pagorum Cardinale Sedunensi, fœdus inierunt Helvetii cum Julio Papa II. anno decimo supra quingentesimum. Ambiit quidem aliquoties postea Ludovicus novum fœdus, verum Helvetii Pontifici conjuncti id renuerunt, ac anno MDXII. Gallis Mediolano ejectis Maximilianum Sfortiam in paternum imperium restituerunt: et sequenti anno Gallos ingenti prælio ad Novariam profligarunt, et in ipsam Burgundiam copias adversus Gallos duxerunt. Successit Ludovico gener Franciscus Valesius, hic Helvetios in Insubribus ad Marignanum memorabili prælio superavit, et abducto in Galliam Maximiliano Sfortia, imperio Mediolanensi potitus est: cæterum tam splendidam victoriam adeptus, conscius sibi quanti ea Gallis constaret, et quam non incruenta fuisset, nihil prius potiusque habuit, quam cum Helvetiis pacem et amicitiam facere, et eos regno Galliæ firmo stabilique fœdere conjungere. Ac pacis quidem, et mutuæ amicitiæ hæ fuere conditiones et leges capitibus XIII. comprehensæ. Primum, hac conventione omnes inimicitiæ, dissidia, bella, sublata sunto, et omnes controversiæ et querelæ ex hoc bello ortæ: privatæ autem controversiæ, quæ cum belli causis non sunt conjunctæ, dijudicentur juxta capita conventionis inter Mediolani ducem Ludovicum XII. Francorum regem et Helvetios initæ. Secundo, captivi omnes quocunque loco captivi aut venditi fuerint, liberi absque precio dimittantur. Tertio, quicunque milites Helvetici causas aliquas adversus Gallorum regem habuerint, quæ non ex hoc bello ortæ sunt, judicio agere possunt secundum subsequentia capita. Quarto, hoc jure utantur fruantur quoque omnes, qui post capita illa Ludovici regis Helvetiis fœdere conjuncti aut civitate donati fuerint, exceptis his qui extra Helvetiæ limites atque alterius nationis et linguæ quam Germanicæ, neque Helvetiis subjecti sunt. Quinto, mercatoribus et subditis Helvetiorum confirmantur privilegia et immunitates quæ illis à prioribus Galliæ regibus concessæ sunt. Sexto, ut Helvetii benevolentiam et libertatem regiam erga se experiantur, pro sumptibus in obsidione Divionensi et postea in Italia factis, persolvitur illis à Rege magna auri summa certis pensionibus. Septimo, ut pax firmiter utrinque servetur, et amicitia inita duret, si quæ controversiæ exortæ fuerint neutra pars bello causam suam persequatur, sed juxta subscriptam formulam suum jus judicio persequatur. Octavo, neutra pars alterius hostibus prebeat transitum, hospitiumve, neutra pars suos ulli Principi aut Reipublicæ, contra alteram militare patiatur, sed si qui id fecerint, eos domum pro imperio revocent, et pro merito puniant. Nono, utriusque partis mercatores, peregrini, subditi, utrinque libere commeent, negotia sua conficiant, neque contumeliis ullis afficiantur, neque ullis novis portoriis graventur. Decimo, Rex ex sua liberalitate quotannis singulis pagis numerat duo millia Francorum, totidem quoque Valesiis: sed Rætis numerat eadem quæ Ludovicus XII. et præterea bis mille Francorum. Item Abbati S. Galli ejusque subditis ac Toggenburgiis DC. Francos: civitati S. Galli CCCC. Mulhusiis CCCC. Gruerianis DC. Undecimo, Bilitionensibus, Luganensibus, Locarnensibus et Madiæ vallis incolis reservantur et confirmantur vetera eorum privilegia et immunitates, quas in ducatu Mediolanensi hactenus habuere. Duodecimo, de arcibus, Luganensi, Locarnensi, et valle Madia rex Galliarum Helvetiis optionem dat, ut intra anni spacium declarent utrum arces illas et regiones servare malint, an earum loco accipere trecenta millia aureorum

teorum Gallicorum qui sole insigniti sunt: quod si pecuniam accipere maluerint, eodem pacto teneatur vallis Telina et Clavenensis comitatus, ac Ræti instar pagi ratam partem pecuniæ ex trecentis millibus aureorum accipiant. Tertiodecimo, pax hæc et amicitia nulla fraude violetur, sed inter regnum Galliæ et Helvetios æterna perpetuaque esto. Excipit in hac pace rex Galliarum Leonem X. P P. sedemque Romanam, et Imperium Romanum, Reges Hispaniarum, Angliæ, Scotiæ, Navarræ, Daniæ: Duces, Sabaudum, Lotharingum, Geldrum: ducem item et Rempublicam Venetam, Laurentium Medicem, domumque Mediceam et Rempublicam Florentinam, Episcopum Leodiensem, omnesque regi confœderatos. Ab Helvetiis excipiuntur itidem. Leo X. P P. Sedes Romana, Imperator Imperiumque Romanum, Austria domus: Duces, Sabaudus et Wirtembergius: Laurentius Medices, et Medicea familia atque Respublica Florentina, Mareschalkus Burgundiæ, antiqua fœdera, et omnes fœdere et jure civitatis sibi juncti. Exceptionis hæc ratio est, si Rex Galliarum horum alicui bellum in ipsius finibus intulerit, servent illis Helvetii fœdera et conventiones olim cum ipsis initas: sin vero ipsi Galliarum regem domi suæ bello invaserint, non patiantur Helvetii suos stipendia apud illos facere contra Gallum, sed eos revocent, ut VIII. capite sancitur, quod firmiter servabunt. His conditionibus subjicitur formula servanda in controversiis cognoscendis, quam commemorare supervacuum est, cum pleraque similia sint his quæ in capitulis Mediolanensibus, et aliis formulis judiciorum, quas supra commemoravimus, præscribuntur. Tota hæc actio pacis et amicitiæ ab utriusque partis legatis facta et conscripta est in Aventicis Friburgi, anno MDXVI. mense Novembri, die D. Andreæ sacra.

Pace et amicitia his legibus sancita, non conquievit rex Franciscus donec Helvetios arctiori fœdere Galliæ regno uniret, id quod factum est Lucernæ quinto anno post pacem factam: junxerunt autem fœdus cum Gallo omnes Helvetici pagi eorumque fœderis socii uno Tigurinorum pago excepto. Summa confœderationis Gallicæ hæc est. Si quis Regi Galliarum quisquis is fuerit bellum inferat in regno Galliarum, ducatu Mediolanensi, aliisque locis regni Gallici ultra et cis Alpes, poterit ex Helvetiis militem conscribere pro suo arbitrio, non pauciores sex millibus, neque plures sedecim millibus, nisi id permissione magistratuum fiat: deligat autem suo arbitratu tribunos militum, sive capitaneos ex omnibus pagis confœderatis, homines integræ famæ. Capitaneos autem à rege delectos et milites magistratus Helvetiæ non impediant, neque moras aliquas nectant aut impedimenta objiciant, sed permittant liberam profectionem suis militibus intra decimum diem ex quo primo conventu rex militem petierit: permanebunt autem in militia ad finem usque belli si regi visum fuerit, neque ante à suis magistratibus revocabuntur: his omnibus rex usitata stipendia persolvet. Quod si ipsi Helvetiæ bellum inferatur, ac fraude omni seposita militem ideo regi dare non possit, hoc casu Helvetii liberi sunt, ac poterunt cum suos confestim revocare eosque rex exauctorare et dimittere debet. Porro si rex hostibus suis bellum ultro inferre statuerit, idem jus esto milites conscribendi non pauciores sex millibus neque sedecim millibus plures, duces vero deligito viros probos et honestæ familiæ vel famæ, ex Helveticis pagis et eorum sociis confœderatis. Helveticum exercitum rex non dividat, et in diversarum urbium atque arcium præsidia distribuat, neque eo ad bellum navale maritimum utatur, sed in terra illi serviant. De stipendiis militum ita inter partes convenit, ut rex in singulos milites numeret aureos Rhenanos quatuor, et semissem aurei, stipendia autem incipiant procedere quo die primum domo exierint, ac cum trium mensium stipendia illis debentur, etiamsi minori tempore eorum opera utatur, primi autem mensis stipendium in ipsa Helvetia eis numeretur, reliquorum vero idoneis locis prout usus postulaverit. Quod si rex ultra tres menses militem retinere voluerit, singulis mensibus eadem stipendia solvet, ad id usque tempus intra quod commode domum redire queant. Ducibus, signiferis, legatis et reliquis qui ordines ducunt stipendia pro usitata consuetudine et veteri more regum Galliæ numerentur. Si autem bellum Helvetiis illatum fuerit, rex Galliarum suo sumptu illis auxilio mittat CC. cataphractos, et duodecim tormenta bellica cum omni apparatu, sex majora et muralia totidemque mediocria: præterea in sumptus belli singulis trimestri Helvetiis Lugduni numeret pecuniæ certam summam: et si Helvetii id maluerint loco cataphractorum, rex illis bis mille coronatorum pro singulis tribus mensibus numerabit. Si bello exorto alibi emptione salis prohibeantur Helvetii, illud in Gallia emere et evehere poterunt. Si alterutra pars bellum adversus hostes suos gesserit, in conditionibus pacis ineundæ alteram quoque comprehendat: in hujus arbitrio situm est assentiri velit nec ne, quod si pacem respuat, nihilominus altera pars in ejus actione progredi poterit. Neutra pars alterius subditos civitate donet, aut in suam tutelam recipiat. Neutra pars alterius hostibus aut exulibus hospitium, auxilium, defensionemve præbeat, sed eos juxta pacis capita ejiciat, pellat, impediat. Postremo, Rex ad declarandum suum amorem et benevolentiam erga Helvetios, præter duo millia Francorum quæ in pace illis spondit, singulis pagis mille Francos quotannis eodem tempore durante hoc fœdere numerabit. Confœderatis etiam mediam partem communis pensionis quam ante habent numerabit. Excipiuntur à Rege Leo X. PP. Eccesia sedesque Romana, sacrum Rom. imperium, Reges Angliæ, Scotiæ, Daniæ, Duces Sabaudiæ, Lotharingiæ, Holsatiæ, Geldriæ, Respublica Veneta et Florentina, Medicea domus, Marchiones Brandenburgicus et Montferratensis. Helvetii excipiunt Leonem X. P P. sedem Romanam, Imperium Romanum, Rempublicam Florentinam et domum Mediceam, ducem Sabaudiæ, domum Austriacam, fœdera et cives atque confœderatos suos, ducem Wirtenbergicum, atque Octavianum Mariam Sfortiam episcopum Laudæ Pompejæ. Si tamen aliqui horum qui hic excepti sunt, uni parti bellum inferant in suis finibus quos ea nunc habet cis et ultra Alpes, altera pars absque ullo respectu parti læsæ et injuria affectæ auxilium ferat, juxta hujus fœderis pacta. Durare autem debet fœdus hoc vivente Francisco rege, et præterea ab ejus obitu adhuc triennium: atque hæc sunt hujus fœderis capita.

Finito hoc fœdere Henricus Galliarum rex Francisci filius, et successor, novum fœdus cum Helvetiis fecit, iisdem legibus quibus et pater, quod quinquennium post ejus obitum duravit. Cæterum quia Insubres et quædam aliæ provinciæ superiori fœdere comprehensæ, hoc tempore à regno Galliæ avulsæ

 erant

erant, de illis nominatim fœdere exprimitur, Helvetios non teneri, ut militem dent Gallo ad hæc loca recuperanda, verum si alio exercitu ea recuperaverit, et in potestatem redegerit, eodem jure sunto, quo reliquæ regni provinciæ, et ad has tuendas militem danto Helvetii: ad Boloniam autem urbem recuperandam et comitatum Boloniensem in Picardia Gallo militent. Si rex ipse in propria persona bello alicui interesse voluerit, pro suo arbitratu duces et milites in Helvetia quot volet colligere poterit, non pauciores tamen sex millibus. Exercitum Helvetium non licet regi dividere et disjungere si præliandum sit: sed extra prælii aleam in urbium et arcium præsidia disponi potest. Stipendiorum militarium, et auxilii quod rex Helvetiis debet eadem ratio est, quæ et in priori fœdere: cætera quoque capita nihil fere variant. Porro ut tractatus pacis anno XVI. post millesimum quingentesimum firmus maneat, de petitione non solutorum stipendiorum hujusmodi actio instituta est: Petitor rem ad magistratum domi suæ referat, quibus si causam suam probaverit, legatos regios in Helvetiis de suis stipendiis appellet, si autem nulli tum fuerint in Helvetia, magistratus ejus loci ad Regem scribat, et ab eo ut huic satis fiat, petat: quod si Rex æquam satisfactionem obtulerit, ea contentus, Regem non amplius appellet: si vero æquam solutionem detrectaverit, tum actor judices et arbitrum sibi dari petat, et coram his suam causam agat: quod si rex Judices suæ partis non dederit, Helvetii nihilominus in cognitione causæ procedant, et quicquid illi decreverint, utraque pars judicio stato, non minus quam si omnes adfuissent. Mercatores utriusque partis juxta pacis capita nullis novis portoriis, aut vectigalibus graventur: Si inter subditos utriusque partis controversiæ aliquæ oriantur, actor eo loco judicio contendat, in quo reus habitat. Confectum est hoc fœdus Salodori anno MDXLIX. ac eo pagi et confœderati omnes tenentur, exceptis Tigurinis et Bernatibus. Postremo Carolus IX. Henrici F. Francorum rex, denuo fœdus cum Helvetiis pepigit, conditionibus non multum diversis à paterno et avito fœdere, quod nunc quoque post ipsius obitum durat.

LIBRI PRIMI FINIS.

JOSIAS

JOSIAS SIMLERVS

DE REPVBLICA HELVETIORVM.

LIBER SECUNDUS.

QVAE ſint partes Helveticæ reipublicæ, et quas ob cauſas, quibusque conditionibus in unam civitatem certis fœderibus convenerint, quo item ſtudio et labore libertatem ſuam defenderint, et à quibus populis et principibus in ſociorum et amicorum numerum recepti ſint, ſuperiore libro expoſuimus: deinceps ipſam reipublicæ Helveticæ formam et rationem deſcribemus. Quia vero ſinguli populi fœdere juncti, ſuos magiſtratus et leges et peculiarem ſinguli rempublicam habent, et præterea una quædam eſt totius Helvetiæ civitas, et commune totius gentis conſilium, leges item et decreta publica quibus omnes tenentur, primum de univerſa civitate agam, deinde generatim pagorum reſpublicas deſcribam. Porro qui de republica ſcripſere, tres formas conſtituunt, unam quando penes unum aliquem eſt reipublicæ omnis poteſtas et gubernatio, qui ſi volente populo ſecundum leges juſte imperat, Rex nominatur, ſin aliter, tyrannus cenſetur: alteram quando penes paucos optimates imperium eſt: tertiam quando totus populus imperium habet: ita ut ſint tres rerumpublicarum formæ, Regum, Optimatum, et poſtremo populi imperium, quæ tamen vitioſas reipublicæ formas admodum ſimiles habeant, tyrannidem, Oligarchiam quæ paucorum quaſi tyrannis eſt, et populare imperium tumultus et anarchiæ plenum. Rempublicam vero communem totius Helvetiæ ad nullam harum referre poſſumus, verum ut olim Romanorum et Carthaginenſium ampliſſimæ reſpublicæ, et noſtra ætate Veneta, mixtæ nominari poſſunt, quod aliqua ſui parte regiam poteſtatem, alia optimatum imperium exprimerent, et populum quoque non prorſus à gubernaculis removerent: ſic Helvetiorum reſpublica ex Optimatum et populi imperio mixta eſt. Etenim ex his populis quibus tota civitas conſtat, quidam mere Democratico imperio utuntur, ubi totius plebis conſilio ferme omnia aguntur, veluti in his pagis qui nulla habent oppida, uti ſunt Vranii, Suitii, Vndervaldii, Glaronenſes et Abbatiscellani: et par ratio eſt Tuginorum quamvis hi oppidum habeant, alii ab optimatibus reguntur, ut omnes urbes Helvetiæ, Tigurum, Berna, Lucerna, Baſilea, Friburgum, Salodorum, Scaphuſium: ſed cum poteſtas ſumma penes populum ſit à quo magiſtratus eliguntur, mixtæ ſunt hæ reſpublicæ, et aliæ magis Ariſtocraticæ, aliæ plus populares ſunt. Quare cum tota civitas conſtet his populis qui non una eademque reipublicæ forma ſinguli utuntur, non una quoque ſed mixta quædam eſt Politia quæ ex his conficitur. Etſi enim legati qui in publicis conventibus in commune reipublicæ Helveticæ conſulunt, aut jus dicunt, videntur Optimatum politiam conſtituere, tamen cum plerique domi à populo deligantur, et in cauſis paulo majoris momenti non habeant liberam decernendi poteſtatem, ſed omnia ex mandato populi agant, et ad eum de ſingulis referre cogantur, facile apparet, talem ſenatum non plene Ariſtocraticum cenſeri poſſe. Ut autem ſic adminiſtretur communis reſpublica Helvetica, omnino æquiſſimum eſſe videtur, nam libertas qua gaudent et fruuntur Helvetii parta eſt à majoribus noſtris non unius aut paucorum conſilio et opera, ſed populus cum in commune conſuluit, tum etiam ſuo ſumptu, labore, periculo libertatem ſibi aſſeruit, itaque juſtiſſimum eſt ut fructum aliquem ſuorum laborum capiant. Quod autem in populari republica incommodum et periculoſum videtur, ut omnes ſententiam dicant, et non potius optimi quique et prudentiſſimi, id in hac noſtra republica periculo omni caret, nam ad conventus hos plerunque optimi et prudentiſſimi quique ex ſingulis pagis mittuntur, qui etſi non habent plenam decernendi poteſtatem, id enim publicæ libertati grave et periculoſum eſſet, tamen quaſi προβουλοι quidam de graviſſimis rebus ſententias inter ſe conferunt, de quibus deinde ſuffragia domi populus ferat: poſſunt autem facile qui non prorſus ſtupidi aut improbi ſunt, ea videre et probare quæ bene in publicum conſulta ſunt, ſi modo recte proponantur.

BELLI ET PACIS STVDIA.

I. De ſtudio rei bellicæ. II. Helvetii natura militares. III. Neceſſitas bellandi. IV. Legibus jubentur omnes arma habere. V. Exercitia et ludi quibus ad militiam præparantur. VI. Domeſtico bello omnes militant. VII. Vir virum legit, et ſumma eſt conjunctio etiam ignotorum. VIII. Præda non rapiatur niſi parta victoria et deferatur in publicum. IX. Commeatus cura. X. Locis ſacris et muliebri ſexui parcendum. XI. Phalanx Helvetica. XII. Literarum ſtudia. XIII. Scholæ. XIV. Juſtitiæ ſtudium. XV. Æquitas in nominibus exigendis. XVI. De rixis et pugnis dirimendis. XVII. Homicidarum proſcriptio. XVIII. Exteri ab Helvetiis

vetiis opem contra injurias potentum petivere. XIX. Tutissima itinera per Helvetiam. XX. Hospitalitas. XXI. Beneficentia erga egenos. XXII. Publica convivia.

QVoniam vero omnis recta Reipublicæ gubernatio in bellicis muneribus et pacis functionibus cernitur, quantam utriusque rei curam majores nostri habuerint ostendam. Atque bellicæ rei studium cum natura insevisse nostris hominibus videtur, tum ad id excolendum necessitas eos adegit. Regio ipsa montana et multis locis aspera atque difficilis cultu, tum etiam olim magna sui parte silvestris et inculta, hominum genus non modo laboriosum sed asperum durumque alit, atque ideo militiæ optimum.

II. Cæterum uti natura Europa bellicosiores populos et ferociores plèrunque habet Asiaticis, ita in ipsa Europa qui regiones asperas montanas et frigidas incolunt, bellicosiores aliis esse perhibentur. Idque testantur Gothorum, Vandalorum, Hunnorum, Longobardorum, Francorum, et aliarum gentium res gestæ, quæ ex Septentrionis asperrimis regionibus egressæ, cultissimas Europæ provincias vastarunt aut occuparunt, et Romanam potentiam omnibus quondam terribilem contriverunt. Simili modo frigidissimæ alpium regiones uti procerissimas arbores, et armenta præstantissima educant, sic cœli solique natura ferente, homines quoque robustissimos et fortissimos gignunt. Itaque in plerisque regionibus alii sunt milites, alii agricolæ, alii opifices, in Helvetia omnes quodammodo milites nascuntur, neque quisquam est integro corpore et ætate, in quo non militaris quidam spiritus eluceat.

III. Cum autem majorum nostrûm libertatem vicini pene omnes et præsertim Austrii principes continuis bellis opprimere conati sint, per annos prope ducentos, necessitas ipsa militiæ studiosos nostros effecit, dum pro conservanda libertate, pro finibus tuendis, pro uxoribus et liberis, arma quotidie sumere cogerentur. Atque ut Agesilao, cum à Thebanis vulneratus fuisset, dictum est eum dignam suæ disciplinæ mercedem accepisse: ita nobiles illi qui majores nostros agriculturæ et rei pecuariæ studiosos bellare et pugnare coegerunt, ipsi quoque parem disciplinæ suæ mercedem acceperunt, toties prælio victi et ex Helvetia profligati.

IV. Inde factum est ut leges et consuetudines ad exercitia belli accommodata sint. Nam cum apud multas gentes plebi armorum usus interdicatur, contra in Helvetia omnis tam urbana quam rustica plebs, etiam mercenarii et capite censi arma pro facultatum ratione sibi comparare et domi conservare coguntur.

V. Et quia nostra ætate tormentorum quas bombardas a sono et sclopetos nominant, maximus in militia usus est, publice præmia his proposita sunt, qui se in hoc armorum genere exercent, idque non tantum in urbibus, uti in plerisque Germaniæ locis fit, sed in omnibus frequentioribus vicis: quin pueris arcu certantibus, ut ad alia tormenta aptiores sint, itidem præmia proponuntur, ac ab ipsa adolescentia bombardis uti discunt. Ludicra alia exercitia omnia bellicum quid spirant, non enim ad ullos conventus celebriores et festos dies, uti sunt ecclesiarum dedicationes, nuptiæ, et similes, plebs absque tympanis militaribus convenit, et hic honor ingens sponso exhibetur, si quam plurimi non invitati, hastati et bombardarii, aut sponsæ obviam procedant, aut sua pompa, in qua militari gradu incedunt, festum exornent: sæpe etiam pueri octo aut decem annorum, et his juncti adolescentuli paulo adultiores, cum vexillis et tympanis armis instructi militari more incedunt, ac videas alios sclopetos gestare, alios hastis aut halabardis armatos, quibus vix credas animum ad hæc contrectanda aut vires ad gestandum adesse. Atque ita qui nunquam Vegetii aut aliorum præcepta de re militari viderunt nullius imperio, sed sponte et naturali quodam armorum studio à pueritia ad arma gestanda et militarem gradum sese adsuefaciunt. Multis in locis magistratus quotannis, aut certo annorum spatio populum armatum lustrare solet, etiam in altissima pace non minus quam si certo hoste imminente delectus habendus esset. Ac fiunt hæ lustrationes nonnunquam in ecclesiarum seu templorum dedicationibus, alibi in nundinis: plerisque in locis quando subditi in præfecturis sacramentum dant præfecto, armati lustrantur.

De aliis exercitiis quæ ad militarem virtutem præparent, non est quod multis agam, uti sunt cursus, saltus, lapidis projiciendi instar disci veterum ludus, veste certare, lucta, digladiationes et certamina in omni armorum genere, quibus fere singulis quotannis publice præmia proponuntur. Nullam præterea credo gentem esse in Christiano orbe quæ ita se natando exerceat, ut lacus maximos quibus regio abundat, et flumina rapidissima facile natatu superent. In montibus, quoties à rusticis operibus ociantur, venatione assidua se exercent, et modo capreas et rupicapras atque ibices per montes summos et præruptas rupes insectantur, modo cum ursis et lupis, et lincibus atque apris congrediuntur, et honori ducitur si quis ursorum aut luporum capita quos interfecerit postibus præfigat, quin et à magistratibus præmia plerunque accipiunt. Aprorum etiam capita veteri Græcorum consuetudine honoris ergo claris et nobilibus viris, aut regionum præfectis quasi ἀριστεῖον quoddam venationis donantur. Porro ut ad ipsam militiam veniamus, de armis primum, deinde de militum delectu, tum de aliis rebus ad bellum pertinentibus dicemus. Milites igitur Helvetici domi plerunque armis ornantur, nonnunquam etiam ex publicis civitatum armariis, si non bene instructi videantur, armantur. Sunt autem eadem fere arma Helvetiorum quæ et reliquorum Germanorum, sclopeti ut nunc vocant vocabulo ab Italis accepto, recentissimum armorum genus, hastæ fraxineæ prælongæ pedum XVIII. ingentes secures præfixa cuspide ferrea, quas alabardas vocamus, aliæ his minores nulla cuspide præfixa, quibus tantum cæsim hostem ferire licet, prælongi gladii, quos humeris gestantes ambabus manibus in prælio regunt: lateri quoque prælongum ensem accinctum singuli gestant, majores nostri brevioribus longe usi sunt qui ad fœmora dependebant, apti ad punctim feriendum e propinquo hostem: nunc præter ensem singuli pugionem præacutum gestant quadrantali fere juxta manum latitudine, hunc ditiores auro et argento laboriose exornant. Corpus alii lorica alii thorace aliaque armatura è solido chalybe facta muniunt, pauperiores et levis armaturæ milites galea ferrea contenti sunt. Quidam boum aut urorum coria armorum loco habent: nonnulli linea tela multiplicata et undique consuta et foraminata utuntur, tanta enim telæ durities est, si minima foramina junctim filo optime consuantur, ut vix ullis ictibus penetrari queat. Cæterum

terum ut Polybius scribit Romanum militem adornari corolla plumea pennisque tribus puniceis aut nigris erectis, longitudine ferme cubitali, his enim additis reliquæ armaturæ, virum duplo majorem videri quam sit, et pulchrum aspectu hostibusque terribilem fieri: ita nostri milites qui suam operam præ cæteris conspicuam esse cupiunt, plumis partim albis partim alterius et ejusdem fere cum vexillo patrio coloris ornantur. Singuli armis crucem albam rectangulam imponunt, hæc enim omnium Helvetiorum militare signum est. Sui pagi vexilla et signa singuli sequuntur. Tympanis et tubis et tibiis utuntur, ita tamen ut facile discrimen inter Germanorum et Helvetiorum tympanistas animadvertas, quod nostrorum pulsus gravior est et tardior, illorum longe tumultuosior, Vranii tamen in bello sylvestris Vri cornu operoso argento circa labra ornatum inflant, quem Taurum Vraniensem vocant *den Stier von Vry*. Simile vero cornu Vndervaldii quoque in bello secum ferunt. Lucernates æreis cornibus quandoque utuntur, quibus se à Carolo magno donatos jactant, *Harsch-Horner* vocant.

VI. Delectus vero militum hæc est ratio: si bellum patriæ inferatur, et domi geratur, ut Romæ nulla excusatio admittebatur cum Hannibal ad portas esset, sic absque mora sponte tanquam ad commune incendium restinguendum, omnes qui bello utiles sunt, concurrunt. Neque tamen quicquam absque ordine et tumultuose fit, quoniam pacis tempore singuli pagi delectos certosque duces et signiferos horumque optiones constituunt, ut quæcunque necessitas ingruat, semper parati sint.

VII. Sed quia sæpe longius copias educere necesse est, neque omnes educi possunt, ne regio omni præsidio vacua hostibus prædæ sit, itaque tum delectus habetur et plerunque vir virum legit, ac Xenophontis judicio fortissima acies est, quæ ex amicis et sociis congregata est: idem cum sentirent majores nostri, non tantum in delectu hoc spectarunt, ut homines inter se noti et amici conjungerentur in unam aciem, sed legibus quoque sancierunt, ut omnes Helvetii in bello sese totis viribus mutuo juvent, et amore fraterno prosequantur, depositis omnibus si quæ ante habuerint, privatis odiis. Ac apud cæteros Germanorum milites usu receptum est, ut se mutuo fratres nominent, unde etiam veteribus Germani dicti videntur, interim quotidie fere inter se digladiantur et tumultuantur, et plerunque truculenti illi Landsknechti, quorum facies concisa et cicatricibus plena Martem spirare videtur, plura ab amicis et sociis quam ab hostibus vulnera acceperunt: ut jure Cadmæi fratres dici possint. Contra in Helvetiorum castris summa plerunque pax est et tranquillitas, et singuli alios quos tantum Helvetios sciunt, cætera ignotos, non aliter quam fratres complectuntur: acerrimaque odia sincere causa reipublicæ deponunt. Cujus rei memorabile exemplum, quod sæpe à majoribus natu adolescens audivi, commemorare non piget. Erant inter se duo Helvetii jurati hostes, Arnoldus Vndervaldius, qui magnum in militia nomen postea affecutus est, et Zerchintes Tigurinus, ambo viri fortes et bello utiles: cum igitur bello Suevico ambo in castris eisdem essent, à ducibus belli edictum illis fuit ut amicitiam colant, et veterum inimicitiarum belli tempore obliviscantur. Accidit autem forte ut in excursione quadam Arnoldus ab hostibus circumveniretur, id conspicatus Zerchintes, illi cum sociis auxilio venit, eumque præsenti periculo eripuit: cæterum cum sub vesperam in castra rediissent, Arnoldus ad tentorium Zerchintæ accedens eum nominatim evocat, contubernales totius rei ignari, atque existimantes eum hostili animo advenisse, ipsi progrediuntur et Arnoldum pacis indictæ admonent, caveat ne tumultum in castris excitet, ille se amico animo adesse respondet, et quid acciderit commemorat, simulque bellatorem equum, quem illa excursione ceperat, Zerchintæ dono adducit, atque ab eo die mutuam amicitiam firmiter ad obitum usque coluere.

VIII. Atque ut in adjuvando et auxiliando fraternum amorem exegerunt majores nostri atque etiam præstiterunt: ita in partiunda præda idem ab illis observatum est: nam primum capitali pœna ab illis cautum est, ne cui prædandi causa ex acie excedere liceat donec hostes prorsus profligati fuerint: postea ubi prædandi potestas facta est à ducibus, quicquid partum fuerit, id omne confertur in publicum, et viritim distribuitur. Et quia singuli pagi publice etiam inter se fraterna societate devincti sunt, publica quoque præda, uti sunt tormenta bellica, arces et regiones bello captæ, vectigalia et alii reditus, inter ipsos ex æquo dividitur, quamvis nonnulli pagi duplo aut triplo sæpe etiam aliqui quintuplo majores copias aliis educant. Attamen ob rem fortiter gestam, extra ordinem et privatim illis militibus quorum fortitudo singularis et excellens fuit, et publice quoque pagis qui præcipuam operam navarunt præmia dantur.

IX. Quoniam vero commeatus maxima ratio in bello habenda est, lege sancitum fuit à majoribus nostris, uti hi qui Helvetiis annonam, arma aliasve res necessarias venales præbent, et in castra adducunt, ab injuria omni defendantur non aliter ac si Helvetii essent.

X. Perpetua etiam lex est, jam olim à nostris sancita, ut in omni bello nulla vis et injuria locis sacris inferatur, ut parcatur muliebri sexui, nisi si qua mulier arma hostibus subministret, aut ipsa etiam jaciendo lapides aut quovis alio modo damnum det.

XI. Porro quod ad castrametandi rationem, et aciei dispositionem spectat, singula exponere, quæ Helvetiis cum Germanis aliis communia aut peculiaria sint, non est hujus operis, hoc tantum dico, nostra et patrum memoria inter omnem peditatum maximam laudem promeruisse Phalangem Helveticam, quam cum densatis hastis eam aciei formam quam Erinaceum nostri vocant efficit, optime omnium equitatui resistere posse homines militares judicant, et ita esse reipsa compertum est. Nam ad Novariam peditatus Helvetiorum omni prorsus equitum auxilio destitutus, non tantum peditatum Gallorum, sed florentissimas et fortissimas equitum copias fudit et profligavit. Post vero ad Marignanum cum Francisco rege duobus continuatis diebus pugnantes, et tormentorum vi et multitudine superati, quamvis victi, ita densatis ordinibus Mediolanum rediere, ut receptus eorum nihil fugæ simile haberet, neque victores persequi et vestigiis eorum insistere auderent. Nuper quoque bello Gallico quum ad Druidum fanum Pugnatum est, cum equitatus Gallicus atque Germanicus magna vi in phalangem Helveticam impressionem fecisset, et plerosque e primariis centurionibus concidisset, nihilominus tamen tertio aciem suam instaurarunt et ordines conservarunt, ita ut hostium

stium quoque judicio magnam bellicæ fortitudinis laudem eo prælio consecuti sint.

XII. Sed nos hæc hominibus militaribus relinquentes, ad pacis studia quibus à juventute innutriti sunt accedamus: Primum vero literæ quæ principem locum tenent, non ita cultæ fuerunt apud majores nostros, quod ingenue fatendum est, non magis quam apud veteres illos Romanos, quando assidue adhuc cum Æquis et Volscis et Vejentibus aliisque vicinis populis bellum gerebant. Nam ut illi tantum carminibus impolitis majorum suorum fortia facta canebant: ita apud majores nostros victoriæ bello partæ simili carminum genere vernacula lingua celebratæ sunt: notum est carmen quo non ineleganter describitur prælium in quo Leopoldus Austrius ad Sempachum cæsus est, et alia complura hujus generis. Latinæ linguæ artiumque cognitionem rudes et militares homines tantum ad eos pertinere judicabant, qui sacris initiati essent. Nostra autem ætate in omnibus Helvetiæ pagis omnium ordinum viros invenies variarum linguarum et artium peritos. Multi quoque qui linguæ Latinæ usum non habent, nihilominus historias omnis generis, et quæ ad mores et rempublicam, aut ad religionem pertinent, ex veteribus auctoribus Germanice aut Gallice redditis diligenter cognoscunt, et vulgari lingua scriptis libris instructissimas bibliothecas habent.

XIII. Scholæ vetustissimæ in Helvetiis olim fuerunt in Cœnobio S. Galli, et in Curiensi collegio, uti alibi ostendimus, quibus tamen in locis aliquot jam seculis bonarum artium et literarum studia frigent: sed Basileæ à Pio Papa, olim Ænea Sylvio dicto, Academia instituta multos clarissimos doctissimosque viros protulit, quos nominare non necesse est, cum scriptis suis noti et celebres sint: sunt quoque celebres scholæ Tiguri et Bernæ, et alia Lausannæ à Bernatibus instituta. Neque prætereundæ sunt celeberrimæ officinæ typographorum quæ Basileæ et Tiguri et Genevæ sunt instructissimæ, ut nullis aliis per Germaniam cedant.

XIV. De literis dixi, sed præter literas omne virtutis studium et præsertim justitiæ ad pacis functiones pertinet: rempublicam vero nostram summa æquitate constitutam esse, et justitiæ laude claram semper fuisse, ex legibus, fœderibus, institutis et moribus veteribus, plurimis denique factis et exemplis constat. Leges commemorare nolo quia non dissimiles sunt aliarum rerumpublicarum, quæ optime constitutæ sunt legibus, in quibus maleficia et scelera acerrime puniuntur, neque hic ullus personarum respectus habetur. Fœdera ipsa quanta justitiæ cura et studio conscripta sint, capita quæ superiore libro commemoravimus, ostendunt: quorum hic scopus est, ut quisque pacate suo jure frui possit, et omnis vis injusta à singulis communi studio et opera prohibeatur. Hoc ut æquissima ratione fiat, primum in bello suscipiendo summo studio cavetur, ne temere et absque justa causa cuiquam arma inferantur, itaque priusquam arma capiantur, optimi et prudentissimi quique publico consilio causas belli cognoscunt an justæ et legitimæ sint. Deinde in propulsanda injusta vi accurate cavetur, ne ulla fraude dolove utantur, hi qui fœdere tenentur ad suppetias ferendas: itaque per nuncios interpellati, si viis obsessis per literas interpellari non potuerint, nihilominus pro viribus suppetias ferre jubentur.

XV. Præterea quia propter æs alienum sæpe in exigendo graves lites et controversiæ existunt, sic ut nonnunquam ex hujusmodi privatis causis respublicæ ipsæ inter se committantur, fœderibus nostris diligenter cautum est quomodo exigendæ pecuniæ, et pignora capienda, ut neque creditoribus nimia concedatur licentia, neque debitores fraude uti possint. Quæ certamina æris alieni causa in Romana republica exorta sint, quoties plebs iniquitate fœneratorum et potentum oppressa secessionem fecerit, aut novas tabulas postularit, nemo qui historias attigerit ignorat. At majorum nostrorum prudentia et æquabili jure ab illis constituto factum est, ut inter assidua bella, in regione non ita copiosa, nunquam novæ tabulæ postulatæ sint.

XVI. Cum autem homines militares sæpe ira conciti ad arma ruant, et inter hujusmodi frequentes pugnæ existant, quibus falso quidam fortitudinem ali excitarique arbitrantur, cum tales potius sint injurii rixatores quam fortes viri, huic quoque malo majores nostri mederi conati sunt, primum graves multas illis imponentes qui injuriarum auctores fuissent, et alios contumelia aliqua affecissent: sed quia ira non semper reprimi potest, ne aliquo modo erumpat, aliud remedium addiderunt ne ad cædes usque facile progrederentur, quod quivis astantium, qui rixæ alicujus spectatores et testes sunt, eam pro viribus dirimere legibus tenentur, quod si quis his minus paruerit, acerrime à magistratu punitur: noluerunt enim quenquam ita ira superari, ut legum admonitus illis non obtemperet.

XVII. Qui vero cædem aliquam patrarit, etsi magistratuum manus effugerit, nusquam tamen in ullo pagorum locum habet, sed quemcunque suus pagus ob crimen proscripserit, ab aliis quoque finibus arcetur, nisi testibus evicerit se tuendæ vitæ causa cædem fecisse.

XVIII. Porro ea semper fuit æquitas magistratuum in jure dicundo, et puniendis sontibus, ut multi extra Helveticam civitatem ad illorum opem confugerint, aut causas suas ad eorum cognitionem detulerint: videbant enim nemini injuria affecto opem denegari, quando multos à potentibus injuste bonis suis spoliatos vel legationibus missis, vel etiam armis sumptis in integrum restituerunt: sic contra Austrios principes pro Fulachiis civibus Scaphusianorum, pro Gradleris fratribus e Styria Helvetii arma sumpserunt, et principem adegerunt ut vi ereptas possessiones ipsis restitueret. Simili sed graviori in causa pro Renato Lotharingo contra Carolum Burgundum, qui illum omni fere ditione sua spoliarat, feliciter depugnarunt. Sic sæpe bellum illatum est his, qui falso nobilitatis titulo se ornantes mercibus suis mercatores spoliabant: atque non tantum in ipsa Helvetia sed longe extra ejus fines cum aliis urbibus amicis socia arma ad hujusmodi grassatores debellandos junxere.

XIX. Factum est autem hac cura, ut tutissima semper itinera fuerint per omnem Helvetiam, sic ut mercatores opulentissimi iter fecerint faciantque liberi, et suas merces ultro citroque transportent absque ullo stipatorum comitatu, aut commeatu peculiari: quin in proverbium abiit, si quis aurum in baculo à tergo dependens palam gestet, huic licere tuto per Helvetiam iter facere.

XX. Proxima justitiæ est liberalitas, sub qua Hospitalitas comprehenditur, cujus nomine gens Helvetica semper commendata fuit: non adsunt nobis lautitiæ Italorum et Gallorum, quamvis eæ hæ quibusdam locis non desint, at illa patriæ terræ mu-

nera lac, butyrum, mel, liberaliter nostri largiuntur: et quem horum pudeat, quum Abraham tantus patriarcha hæc angelis hospitibus apposuerit? Non desunt tamen nostræ regioni optimæ carnes, feræ et volucres, pisces quoque lacustres et fluviatiles variorum generum: atque ut veteres heroes apud poetas viros optimos carnibus honorabant, ita apud nos cum civibus tum hospitibus frequenter carnes et præsertim ferinæ, optimique pisces inter hospitalitatis munera offeruntur.

XXI. Præcipue tamen nostri homines erga egenos et mendicos benefici sunt, quorum alii hospitium, alii victum aliaque necessaria abunde illis suppeditant, itaque tanta peregrinorum, qui emendicata stipe victitant, apud nos est copia, quanta vix alibi inveniatur: non disputo recte ne faciat magistratus qui tales ferat, hoc eo tantum attigi, ut ostenderem singularem esse gentis in egenos beneficentiam, quæ illos allicit ut frequentes huc confluant.

XXII. Populus vero ipse Helveticus maxime omnium publicis conviviis delectatur, in urbibus quidem opificum collegia, aut civium societates peculiares ædes habent his conventibus destinatas, in agro vero vici fere singuli publicam domum habent, quam quod amicitiæ causa eo conveniant, sociorum domum nuncupant: conveniunt autem sæpe viri, aliquando etiam cum maritis uxores ad eadem convivia vocantur, neque tamen sumptuose illic vivitur aut delicate, uno aut altero carnium ferculo plerunque convivium finitur: sæpe etiam collatis symbolis cœnant, dum quilibet in commune convivium confert quod domi sibi paraturus fuerat. Et quod apud Lacedæmonios lege cautum fuit, ut seniores et magistratus his interessent, quo decore et moderate cuncti agerent, id apud nos sponte fit ex veteri consuetudine, ut sint in eodem cœnaculo omnes tribules, et societatis illius principem locum magistratus et seniores teneant. Rarus est in hujusmodi conviviis musices usus, quod majorem ex mutuis colloquiis, in quibus sæpe de rebus privatis, plurimum de publicis disputant, delectationem percipiant, præsertim vero senioribus commemorantibus res præclare gestas, quibus vel ipsi interfuerunt, vel quas à majoribus suis accepere: sæpe etiam qui voce valent, clara majorum facta decantant. Ac fuit olim majorum nostrorum summa cum in omni re, tum in publicis conviviis moderatio et temperantia, ut rarum esset, et ignominiosum haberetur in tali conventu ebrium videri: at quod dolens scribo, etsi major adhuc sit moderatio in publicis conviviis nostrorum quam apud plerosque alios Germaniæ populos, non tamen prorsus ab his ebrietas exulat, neque tam dedecori est hodie atque olim habebatur. Atque ut Xenophon de Lacedæmoniis ait, quorum rempublicam laudarat, se non audere asserere sua ætate leges Licurgi immotas permanere, Lacedæmonios enim ante frugalitatis studiosos maluisse domi vivere, quam magistratum in aliis urbibus gerere, et pertimuisse olim ne quid auri habere viderentur, nunc vero potentissimos quosque dare operam ut urbibus præsint ne domi cogantur vivere et palam de quæstu gloriari. Et cum majores studuerint potissimum ut digni essent imperio, nunc eos longe magis curare ut imperent: itaque quondam Græcos ultro petiisse a Lacedæmoniis ut sibi imperarent, nunc se invicem rogare et exhortari ut obstent et arceant ne eis denuo imperent. Simile quiddam video de Helvetia dici posse, nam quod negari non potest, illa veterum in victu et vestitu et omni vita frugalitas et temperantia, magna ex parte periit, non est illa continentia et parsimonia quæ olim fuit, cum absque stipendiis exterorum regum et principum omnes suo labore et industria victum sibi compararent: itaque vereor ne illa quoque nobis pereant quæ adhuc supersunt, fortitudo et laus in re militari, in omni vita humanitas et facilitas atque justitiæ et æquitatis studium, ut tandem aliquando illi qui olim tanto studio Helvetiorum amicitiam et societatem appetierunt, mutata voluntate nihil magis quam de illis opprimendis cogitent: id ne eveniat charissimæ patriæ, et Deum precor, ut pro sua bonitate, hæc avertere velit, et omnes quorum interest rogo et exhortor, ut veteres mores, et illam vere Helveticam frugalitatem, continentiam, æquitatem, humanitatem, fidem et constantiam in omnibus actionibus revocare in usum velint.

PVBLICI CONVENTVS
SIVE SENATVS HELVETIAE.

I. Ex quibus constet Senatus Helveticus. II. Quibus de rebus senatus cognoscat. III. Præfecturarum cura et administratio. IV. Per quos senatus haberi possit. V. Quo loco Senatus habeatur. VI. Quo tempore senatus habeatur. VII. Ratio agendi in publicis conventibus. VIII. In privatis.

TRia sunt quæ in omni civitate considerantur, Consilium sive Senatus, Magistratus, et tertio loco Judicia: de duobus hic nobis agendum erit, Senatu et Judiciis: magistratus enim nulli universæ civitati Helveticæ communes sunt, nisi forte in hoc numero habere velimus præfectos per quos publicæ præfecturæ administrantur, qui tamen non à Senatu publico sed domi à singulis pagis deliguntur. Porro Senatus Helveticus non idem est numero, nam aliquando conveniunt præter pagos etiam alii socii et fœderati civitatis Helveticæ, et præcipue ex his S. Galli, Rætorum et Mulhusianorum legati: atque hic est maximus et frequentissimus Senatus, et qui rarius convocatur, ubi de bello aut pace aut aliis rebus agendum est quæ ad omnes confœderatos ex æquo pertinent. Plerunque tamen solum pagorum tredecim legati conveniunt, et de rebus ad civitatem Helveticam spectantibus deliberant, et singuli par jus sententiæ dicendæ habent, et suffragii ferendi: itaque cum, ut sæpe fit, ab aliquo pago bini legati mittuntur, unum tantum suffragium habent, quoniam hæc juxta pagorum numerum æstimantur, non legatorum. Attamen non semper omnes pagi intersunt Senatui, verum ubi agitur de præfecturis quæ à septem aut octo pagis reguntur, aut de aliis rebus quæ tantum ad horum cognitionem spectant, tum septem aut octo solummodo legati in senatum conveniunt, et soli sententiæ dicendæ et suffragii ferendi jus habent: cæterum ubi de præfecturis Italicis agitur quæ duodecim pagorum imperio parent, totidem pagorum legati conveniunt: in his autem rebus quæ ad salutem et utilitatem totius civitatis pertinent, omnium pagorum legati plenum et justum senatum faciunt. Nostra vero ætate postquam Helvetia propter discrepantes de Christiana religione sententias in partes

abiit, peculiares quoque conventus instituti sunt: et frequentissime omnium conveniunt et proprium quendam Senatum habent hi quinque pagi Lucerna, Vrania, Suitia, Vndervaldia, Tugium: hi Romanæ ecclesiæ doctrinam et ceremonias mordicus retinent, et arctissime privata quadam amicitia nescio an etiam fœdere inter se conjuncti sunt, ideoque cum simpliciter pagos quinque nominamus, hos intelligimus, non illos quinque qui primi fœdus fecerunt, sicuti cum tres, aut septem aut octo pagos nominamus, eos numeramus juxta tempus et ordinem quo in fœdus venerunt: hac autem ratione Vrania, Suitia, Vndervaldia, Lucerna et Tigurum, quinque pagi essent. Aliquando etiam cum his quinque Friburgii et Salodorii conveniunt, et hi sese catholicos septem pagos nominant: quando nostra ætate Romanæ religionis sectatores soli catholici nominari volunt. Quamvis autem Glaronæ et Abbatiscellæ multi quoque Romanæ ecclesiæ adhæreant, et in præcipuis vicis eorum missa celebretur, tamen hi non adnumerantur catholicis, quod horum populorum major pars se Reformatis ecclesiis adjunxerit. Postremo quatuor urbes quæ se ab obedientia Romanorum pontificum prorsus subduxerunt Tigurum, Berna, Basilea et Schaphusium, suos peculiares conventus quandoque agunt, quamvis non tam frequenter ut alii.

II. Porro quibus de rebus cognoscat Senatus Helvetiorum, singulatim explicare difficile est, capita tamen earum rerum persequar. Primum et præcipuum belli et pacis arbitrium, idque in plerisque fœderibus sancitum est, ut si alicui pago gravis injuria illata sit quam bello persequendam censeat, de ea prius ad senatum confœderatorum referat, ut illi statuant an justa sit belli causa, ne temere et levibus de causis bella moveantur: deinde si videatur e republica esse ut bellum moveatur, proxima deliberatio est de modo et ratione belli gerendi. Ita mea memoria accidit, uti Christophorus Landenbergius societate cum multis nobilibus inita, Rotevilanos bello lacesseret, illi vero ex fœdere opem ab Helvetiis peterent: cum autem nonnullis videretur copias eorum arbitratu educendas esse, major et sanior pars senatus cognitis dissensionum causis obstitit, videbant enim levi de causa in discrimen ingens conjici Helvetiam universam, quod uti suspicabantur, per latus Landenbergii vicinus princeps Wirtenbergicus impetebatur, cum quo multis annis hactenus amicitiam Helvetii coluerunt, neque hic bello peti poterat, quin multi principes alii partim cognatione aut affinitate, partim fœdere illi juncti, simul provocarentur. Attamen ne Rotevilani se destitutos esse conqueri possent, e singulis pagis quinquaginta delecti milites urbi præsidio missi fuere, sed illi præsidio non usi sunt, verum Scaphusiæ substitit, ac brevi per arbitros tota illa controversia composita est. Vt autem in bello suscipiendo Senatus consulitur, ita pagi non singuli separatim sed communi Senatus Helvetici consilio de pace agunt: sic bello Suevico legati a tota civitate missi Basileæ cum Maximiliano imperatore pacem fecere: sic Senatus Helveticus Friburgum conveniens perpetuam pacem cum Francisco rege et universo regno Galliæ fecit anno MDXVI. Cum pacis actione fœderum ratio conjuncta est: sæpe enim nostra et patrum memoria Helvetii cum vicinis Regibus et principibus publice communi Senatus decreto fœdera fecerunt. In his tamen hactenus hoc servatum, ut si pagus aliquis nollet cum aliquo novo fœdere illigari, id illi liberum esset: sic cum anno XIX. post MD. reliqui pagi omnes cum Francisco Gallorum rege fœdus fecissent, soli Tigurini se illi obstringere noluerunt: postea etiam Bernates fœderi Gallico renunciarunt: similiter Philiberto Allobrogum duce fœdus et amicitiam Helvetiorum ambiente, primum quinque duntaxat pagi et cum his Salodorii se illi conjunxerunt. Secundum caput eorum quæ a toto Senatu statuuntur, est legumlatio: habent quidem singuli pagi peculiares leges et consuetudines, quæ illis salvæ et inviolatæ manent, nihilominus communi consensu multa majores nostri edixerunt et observanda statuerunt. Ex numero publicarum legum et edictorum sunt leges bellicæ quas supra recensuimus: pactum etiam Stantii ab octo pagis conclusum, quod priore libro fœderibus octo pagorum subjunximus, inter publica decreta referri debet. Similiter cum sacerdotes suis immunitatibus et privilegiis abuterentur, publico edicto frenum quoddam illis injectum est, cujus edicti hæc est summa: Quicunque ex civibus aut inquilinis pagorum, sacerdos aut laicus, Austriis principibus a consiliis fuerit, aut eorum cliens et illis jurejurando obstrictus, is nihilominus jurejurando se pago suo obstringat ad ejus commoda et confœderatorum promovenda, et bona fide indicandum ea unde damnum illis accidere possit, atque hoc juramentum primum esto, neque ulla obligatio eos a culpa exemerit, si contra hoc fecerint. Sacerdotes qui apud nos habitant neque cives sunt, nullo peregrino judicio civili aut ecclesiastico adversus quenquam utantur, exceptis matrimonialibus et ecclesiasticis causis: quicunque eorum secus fecerit, illius pagi magistratus in quo habitarit, caveant ne quis illum hospitio, cibo, potu juvet, commercium aliquod cum eo habeat, nemo ex nostris pagis eum in suam tutelam recipiat, donec exteris judiciis renuntiet, et damnum alteri his judiciis datum restituat. Quicunque injuria alteri damnum dederit sive pignora contra jus capiendo seu alia ratione, hujus corpus ac fortunæ obnoxia sunto magistratui, donec alteri satisfecerit. Laicus qui alterum ad judicium peregrinum civile aut ecclesiasticum citant, et illi hac causa damnum fecerit, illi satisfacito. Eo enim loco ubi reus habitat, judicio agendum est. Nemo suam actionem alteri tradat, ut molestiam ita creet suo adversario. Si quis juri civium renunciarit, et deinde alteri damnum dederit, eum ad extera judicia citando, non ante recipiatur in numerum civium, donec huic satisfecerit. Omnes pagi curanto ut tuta sint itinera, quo cives et exteri secure iter facere ac suas res transportare possint, neque quicquam adversus quenquam agatur: si quis secus fecerit, communi consilio et ope huic quem læserit pro viribus et opibus suis satisfacere cogatur. Nemo in ullo pago absque magistratuum consensu ab altero pignora capiat, aut damnum det ejusve causa sit alteri, qui secus fecerit, à suis restituere et satisfacere cogatur. Decretum hoc à sex pagis Tiguro, Lucerna, Vria, Suitia, Vndervaldia, Tugio editum est mense Octobris anno MCCCLXX. Simile est edictum contra Curtisanos, qui ecclesiasticorum officiorum nundinatores sunt, editum: cum enim illi sacerdotibus ab ordinariis locorum delectis sæpe molesti essent, et vacantia beneficia freti bullis pontificiis invaderent, communi consensu tredecim pagorum decretum est anno MDXX. uti tales si pergant suum bullatum jus urgere, in vincula conjician-

ciantur, et ni huic renuntient, aquis submergantur: scilicet ut ita bullæ bullis eluantur. Possem plura edictorum et legum publicarum exempla afferre, verum id non requiri a me arbitror, et hæc ipsa præ aliis commemorare libuit, quod ex his facile perspicitur, majores nostros qui religionis studiosissimi, ecclesiasticum ordinem summo semper in honore habuerunt, nunquam tamen propterea illis ullam potestatem aut licentiam permisisse quæ libertati periculosa esset, et pacem domi turbare posset. Jam vero si legati extra Helvetiam mittendi sint, ad controversiam aliquam dirimendam, ad fœdus faciendum, ad gratulandum, ad cohortandum, aut etiam imperandum, aut postremo ad res repetendas, aut ad bellum indicendum: sive etiam in ipsa Helvetia cum pago aliquo aut civitate per legatos agendum fuerit, de his omnibus Senatus deliberat et decernit quid faciendum, utrum ex singulis pagis legati mittendi sint, an tantum ex aliquot pagis. Ac in fœderibus faciendis singuli legatos mittunt, sicuti quando cum Rege Gallorum Henrico fœdus factum et obsignatum est, non tantum pagi sed socii quoque Helveticæ civitatis legatos suos ad Regem miserunt. Sed in plerisque aliis actionibus certi tantum pagi nominantur, quatuor aut plures etiam, qui omnium nomine legatos mittant: sic omnium Helvetiorum nomine legati e Tiguro, Lucerna, Vria et Glarona confirmationem, suorum privilegiorum in comitiis Augustanis a serenissimo Romanorum Imp. Ferdinando impetrarunt. Est etiam in senatus cura et arbitrio positum, quid cum legationibus Regum et principum et exterarum civitatum, cujusmodi frequenter ad conventus publicos veniunt, agendum, quidve eis respondendum.

III. Postremo provinciarum quæ publico pagorum imperio reguntur Senatus summam curam habet, ut recte administrentur. Et primum quoniam pleræque officia quædam admodum lucrosa habent, ut sunt scribarum, commissariorum, officialium, interpretum, et in Turgea quos vocant Landtammanos, et Landtvveibel, quorum prior nomine X. pagorum judiciis capitalibus præest, alter causas capitales agit, et apparitoribus præest: omnia hæc certis hominibus a Senatu conferuntur, neque præfecto tales uti apparitores alios suo arbitratu deligere licet. Deinde si quæ controversiæ difficiliores in provinciis oriantur, de quibus præfecti nolint sententiam ferre ex suo consilio, hæ ad Senatum referuntur: aut si præfectorum sententia alterutri parti iniqua videatur, ad Senatum provocare licet: et causas quidem Italicarum præfecturarum legati, qui quotannis Junio mense illuc mittuntur, cognoscunt, reliquas qui Badæ conveniunt, et ad hunc conventum ab altero provocare licet, quod hujus sit major authoritas et amplior potestas. Quidam vero negant a conventu legatorum in Italicis præfecturis Badam provocari posse: sed ajunt provocationem fieri ad pagos, ut causæ singulis pagis proponantur. Postremo vectigalium et redituum, item multarum a præfectis ratio coram Senatu reddenda est, et annui reditus singularum præfecturarum inter illos pagos æqua portione distribuuntur, penes quos illius præfecturæ imperium est. Sunt etiam cœnobia quædam in publicis præfecturis, quorum advocatiæ ad Helvetios pertinent. Atque ut summatim dicam, quicquid ad provinciarum communium administrationem spectat, de his cognoscit Senatus, rationes à præfectis exigit, si quis eos accusare volet audit, ac eos si digni videantur punit, aut dignitate privat, et pago qui talem miserit ut alium substituat mandat. Quicquid etiam ad publicam salutem et tranquillitatem Helvetiæ pertinet, in præfecturis et ipsis pagis, horum cognitio et cura penes Senatum est.

IV. Convocandi vero et consulendi Senatus summa auctoritas more majorum est penes Tigurinum pagum, qui veteri privilegio primum locum et ordinem inter omnes pagos tenet, hic ubi publicus conventus habendus est, singulis pagis per literas causam, tempus et locum conveniendi indicat. Si autem uni alicui alteri pago aut pluribus videatur res postulare, ut publicus conventus indicatur et Senatus cogatur, primum de ea re ad pagum Tigurinum referunt, et petunt ut per literas legatos singulorum pagorum evocet: verum ubi festinatione opus est, neque res ullam moram patitur, tum singuli pagi cæteros sibi fœdere junctos ad communem illius causæ deliberationem convocare possunt. Legati etiam exterorum Regum et principum à Tigurino pago jus adeundi Senatum postulant, et quandoque extra ordinem sibi Senatum haberi petunt. At in peculiaribus conventibus alia ratio est, nam quatuor urbes a Tigurinis convocantur: at Senatus quinque aut septem pagorum plerunque per Lucernates cogitur. Sunt etiam peculiares conventus illorum pagorum qui Gallo regi fœdere juncti sunt, hos legatus Regis qui Salodori manet convocat, idque regio sumptu. Similis etiam potestas indicendi conventus si velint, Pontificis et aliorum Regum, qui Helvetiis amici et fœderati sunt legatis, si sumptum facere velint, uti arbitror non denegatur.

V. Locus habendi senatus apud majores nostros nullus fuit certus et perpetuus, nam nullus est ut arbitror ex octo vetustioribus pagis, in quo non aliquando convenerint: frequentes tamen conventus Lucernæ et Tiguri, Bremogartæ item et Badæ habiti sunt. Nostra autem ætate non lege aut decreto ullo sed more et consuetudine receptum est, ut publicus pagorum Senatus Badæ seu ad Aquas Helveticas in ejus oppidi Curia habeatur. Oppidum enim hoc multas commoditates ad publicos conventus illic peragendos habet: primum enim oppidum ipsum ædificiis optime excultum, diversoriis lautissimis refertum est: situs loci amœnus et salubris, vicini deinde fontes calidarum aquarum non tantum voluptatem præbent, sed magnam hominum frequentiam ex diversissimis regionibus huc attrahunt: itaque vicini lucri et quæstus studiosi, omnis generis annonam magna copia advehunt, unde fit ut semper abundet rebus ad victum necessariis. Postremo in medio fere Helvetiæ situm est, ut fere pari itineris spacio extimi quique pagi huc convenire possint, et octo pagorum imperium agnoscit, ut major pars idem parque jus ibidem habeat. Porro peculiares conventus quatuor quidem urbium, Aroviæ oppido Verbigenorum, quod Bernatibus paret, plerunque habentur: quamvis aliquando etiam Basileæ habiti fuerunt, quando de concordia cum Luthero ineunda actum est, idque in gratiam Argentoratensium, qui suos legatos ad hos conventus misere. At pagi qui Catholici nuncupantur, plerunque Lucernæ, aliquando Beckenriedæ in Vraniis, aut Brunnæ Suitiorum conveniunt. Cum autem legatus Gallorum Regis Senatum Helveticum conscribit et militem petit, plerunque Salodorum eos evocat, nonnunquam etiam Lucernam.

VI. Porro senatus legitimus quotannis more majo-

majorum circa Solstitium Badae habetur, et tum praefecti publicarum provinciarum coram senatu rationes reddunt, et provocationes ex singulis provinciis audiuntur. Eodem tempore duodecim pagorum legati Lugani conveniunt, et rationes a quatuor praefectis Italicarum provinciarum exigunt, ac jus dicunt, eorumque causas cognoscunt qui senatum appellaverint: attamen ab hoc senatu ad eum qui Badae habetur, tanquam majoris auctoritatis provocare licet. Indictus autem senatus vel ex decreto publici senatus, ex formula recessuum ut vocant habetur: nam plerunque graviores causae non definiuntur primo conventu, vel quod non liqueat Senatoribus, vel quod non habeant plenam potestatem, itaque alius conventus indicitur communi decreto, et interea legati singuli domi magistratus suos, penes quos summum imperium est, consulunt: vel ex re nata a pago Tigurino aut etiam aliquo alio conventus indicitur si quae gravior causa, quae ad communem rempublicam spectet, inciderit. Etsi autem indictus senatus tantum propter causas publicas habetur, tamen ubi illae finitae fuerint, si qui privati ex provinciis illuc venerint, et suas causas agere voluerint, audiuntur. Peculiares vero conventus certorum pagorum, et qui a Gallorum Regis legato convocantur, nullum certum tempus habent, sed pro re praesenti ex eorum arbitrio penès quos est convocandi Senatus potestas indicuntur.

VII. Ordo agendi in publicis conventibus hic servatur. Ubi constituta dies venerit quo Senatus legitimus aut indictus haberi debet, pridie ejus legatus Tigurini pagi apparitorem publicum, quem subpraefectum Badensem vocant, in singula diversoria mittit sciscitatum quorum pagorum legati venerint, et hic publico nomine legatos salutat et excipit, ac in crastinum in Senatoriam domum seu curiam Badensis oppidi illos convocat. Quod si omnium pagorum legati venerunt, omnes convocantur, et causae communes quae ad universos spectant, tractantur: at si constituta die aliqui, ut plerunque fit, e pagis recentioribus ut Basilienses aut Scaphusiani, aut Salodorii vel Friburgii absint, septem vel octo pagi conveniunt, et causae duntaxat ad hos pertinentes aguntur. Consident autem legati in Senatu juxta pagorum ordinem et numerum, ita ut primum locum teneat Tigurini pagi legatus editiore subsellio mensae assidens, proximum locum Bernas habet, post hunc Lucernas, et deinceps reliqui juxta pagorum ordinem. Vbi consedere tum Tigurini pagi legatus, salutatis aliis et de se ex more pauca praefatus, exponit quid proximo conventu legati in recessibus deliberandum acceperint, plerunque enim conventus his de causis indicuntur: quod si alia fuerit causa Senatus habendi, eandem similiter proponit: addit postea quid de eo capite quod propositum est a magistratu suo in mandatis acceperit: idem faciunt ordine reliqui legati, et suorum magistratuum mandata exponunt. Postquam vero ex ordine singuli senatores quid in mandatis habeant exposuerint, praefectus Badensis, ex quocunque pago is fuerit, sententias ex ordine rogat, primus sententiam dicit Tigurini pagi legatus, et post hunc reliqui, singuli suo loco et ordine: sententiis dictis ab eodem suffragia numerantur, idque juxta pagorum non autem senatorum numerum: nam pagi nonnulli duos legatos mittunt, quibus senatui quidem interesse et sententiam dicere licet, sed unum tantum suffragium habent.

VIII. Et haec quidam agendi ratio est in publicis causis: in privatis autem eadem ratio est sententiae rogandae et suffragii ferendi: sed hi qui causas habent quas coram Senatu agant, primum à Tigurini pagi legato petunt sibi Senatum dari, is diem illis constituit, ac nomina eorum in albo curiae annotat. Caeterum ubi coram senatu causae agendae sunt, alii quidem ipsi causas suas agunt, alii causidicis utuntur, quos vel domo secum adducunt, vel e praesenti copia unum deligunt. Nam quoties Senatus habetur, complures causidici ex proximis pagis et oppidis stipendiariis Helvetiorum illuc confluunt. Disceptantur autem ab his causae non ex Romano jure, et responsis jureconsultorum, sed ex aequo et bono, et legibus atque consuetudinibus singulorum populorum. Scio hanc agendi rationem barbaram a multis judicari, qui existimant tantum jure scripto Romanorum utendum esse, sine quo in gravium et obscurarum controversiarum explicatione, saepe homines etiam prudentes a vero et justo aberrent. Ego vero Romanas leges a prudentissimis viris conscriptas maximi facio, neque earum auctoritatem vel verbulo labefactatam velim, sed controversiarum disceptationi quae hodie in usu est, et judiciis illis nostri temporis, in quibus ex jure civili Romano jus dicitur, nostram agendi et dijudicandi rationem anteponendam dico, et id judicio bonorum et non litigiosorum hominum me probaturum confido. Primum enim negari non potest plerosque causidicorum, non tam justitiae et aequitatis quam juris studiosos, qui singula verba et syllabas legum venantur, et suo arbitratu exponunt, captiunculas aliquas simplicibus struere. Deinde cuncta fere ab his ad privatum commodum referuntur, unde non explicandis sed involvendis et obscurandis controversiis operam dant, ita fit ut lites in multos annos extrahantur, et saepe etiam ad nepotes transmittantur, summa cum molestia utriusque partis, et immenso sumptu, quo nonnunquam integra patrimonia exhauriuntur: unde non immerito quidam pragmaticos hos et causidicos sanguisugas et hirudines appellare solent: qui opes vulgi et ipsum etiam sanguinem exsugant. Quod si in nostris judiciis nonnunquam error aliquis committitur in causis implicatis et obscuris, quae tamen rarius occurrunt, nequaquam tamen tantum damni inde datur, quantum ex litium diuturna illa prorogatione accipitur. Neque tantum nostra agendi ratione sumptus minuuntur, et parcitur populo, sed longe minor est litium et controversiarum numerus, dum sententia cito lata controversia tollitur, et litigantes rursus in gratiam redeunt: cum alibi contra videamus lites quotidie novas oriri, et una nondum decisa plures succrescere.

JVDICIA PVBLICARVM CONTROVERSIARVM.

I. Judices. II. Loca judiciorum. III. Arbitri.

POstquam de Senatu Helvetico scripsi, de judiciis etiam agendum est. Privatae autem controversiae si inter subditos Helvetiorum in communibus praefecturis oriantur, a praefectis et ejus loci judicibus, aut a Senatu Helvetico ad quem provocatio est cognoscuntur: domi vero singulorum pagorum senatores et judices suorum civium contro-

controversias dijudicant: sed praeter haec, sunt alia judicia publicarum controversiarum. Nomino autem publicas controversias illas, quae existunt inter duos pluresve pagos: aut inter privatos homines et pagum aliquem: et quae pagorum, eadem reliquorum quoque confoederatorum ratio est. In talibus igitur controversiis dijudicandis utraque pars ex suorum numero duos judices deligit, hi absolvuntur jurejurando quo suo pago obstricti sunt, et fidem dant se ex jure aequo et bono controversiam cognituros, et daturos operam ut quamprimum haec controversia vel amice componatur, vel jure decidatur.

II. Certa vero loca sunt antiquis foederibus constituta, in quibus haec judicia fiant. Nam septem antiquiores pagi, si qua lis inter ipsos existat, legatos et judices suos mittunt ad Eremitanum coenobium. Glaronensium tamen antiquissimo foedere hoc nominatim sancitur, si controversiam habeant, cum uno aliquo e tribus pagis, cum Vraniis ut Mercham, cum Suitiis ut Bergeram, cum Vndervaldiis Brunnam conveniant, ac tum reliqui pagi causa cognita sententiam ferant. Bernenses et tres pagi Vrii, Suitii, Vndervaldii conveniunt eo loco qui a teda et silva nomen habet, *das Kienholtz*. Tigurini vero et Bernates, Zofingae, Friburgenses et Salodorii si litem habent cum octo pagis aut aliquo illorum, siquidem ipsi actores sint, Zofingae judices conveniunt: si autem rei fuerint, Wilisovium veniunt. Basiliensium, Scaphusianorum et Abbatiscellanorum causae Badae disceptantur: ibidem etiam conventus habetur in controversiis Helvetiorum cum Rotevilanis et Mulhusanis: sed civitatis S. Galli controversiae disceptantur apud Eremitanum coenobium. Raetorum vero Wallenstadii, quod oppidum est ad caput Rivani lacus in Sarunetum praefectura.

III. Cum igitur controversiae aliquae existunt, quae amica transactione, et aliorum pagorum intercessione non potuerunt componi, loco destinato judices et legati pagorum conveniunt, non tantum illorum quorum est controversia, sed aliorum quoque qui his arctiori foedere juncti sunt, hi enim plerunque simul conveniunt ut si fieri possit, amica aliqua transactione litem tollant: atque judicio constituto, ubi utraque pars causam suam egerit, siquidem major numerus judicum sententiam aliquam tulerit et probarit, eorum judicio utrique parti standum est: sin vero, quod plerunque accidit, sententiis variarint, et paria utrinque suffragia fuerint, deligitur quintus judex seu arbiter, quem nostri vocant, *einen Obmann*, sive *einen Gemeinen Mann*, hic non ipse sententiam fert, sed alterutram a judicibus ante latam approbat. Porro arbitrum hunc nonnunquam ipsi judices eligunt, sic tamen ut eum deligant ex pago aliquo Helvetico, neque refert an is sit unus ex his ad quos controversia pertinet: et haec ratio eligendi arbitri praescribitur in foederibus septem vetustiorum pagorum, item in Friburgiorum et Salodoriorum foedere, item Abbatiscellanorum, S. Galli, Mulhusianorum: in Scaphusianorum foedere additur: si judices de arbitro ex aliquo pago deligendo convenire non possint, uti tum e Senatu oppidi S. Galli aliquem deligant: in Rotevilanorum foedere jubentur judices arbitrum deligere e Senatu S. Galli aut Mulhusii. Nonnunquam vero actor causae arbitrum deligit: sic si Bernates causam habuerint adversus tres pagos, aut aliquem illorum, a pagis nominabuntur XVI. viri e quibus Bernates arbitrum deligant: si vero pagi causam agant et litem Bernensibus intendant, arbitrum deligent e minori senatu Bernatum. Si controversia aliqua existat inter Tigurinos et Bernates, actor arbitrum deligit ex senatu alterius partis. Eadem ratione arbiter ab actore deligitur in controversiis Basiliensium cum aliis pagis: itemque in Raetorum causis. Atque haec est ratio judiciorum in controversiis publicis, de qua non dubito multa in utranque partem subtiliter et argute disputari posse, quae aliis excutienda relinquo: ego majorum nostrorum simplicitatem et integritatem admiror, qui judiciis hujusmodi nonnunquam gravissimas controversias composuerunt, et publicam pacem et concordiam studiose conservarunt. Sed illis scilicet ante omnia non privatum aliquod commodum, sed publica totius Helvetiae salus et gloria curae fuit, cui si nunc quoque cuncti ex aequo studeant, neque multae lites exorientur, et si quae existant, non ita difficulter componi poterunt.

DE REBVSPVBLICIS SINGVLORVM PAGORVM ET PRIMVM DE TIGVRINORVM, BASILIENSIVM, ET SCAPHVSIANORVM REPVBLICA.

I. Societates nobilium. II. Civium tribus. III. Publica consilia. IV. Senatus minor. V. Vetus et novum consilium. VI. Consules. VII. Tribuni. VIII. Tredecemviri. IX. Quaestorium consilium. X. Scriba. XI. Judicia publica. XII. Judicia rerum capitalium. XIII. Consistorium. XIV. Qui nam e senatu excludantur. XV. Publica officia. XVI. Schola. XVII. Moneta. XIII. Vigiles. XIX. Incendiorum praefecti. XX. Pauperum cura. XXI. Praefectura.

DEinceps exposita communi administratione totius reipublicae Helveticae, de singulorum pagorum rebuspublicis agendum erit. Videntur autem mihi omnes tredecim pagorum respublicae ad tres formas seu tria genera revocari posse. Etenim sicut tria sunt nomina summorum magistratuum in pagis, ita totidem quoque sunt rerumpublicarum formae, neque tantum nominibus sed rebus ipsis differunt. Quidam igitur publici consilii capita Ammanos vocant, atque hoc magistratu utuntur pagi qui oppidis carent, et vicatim habitant, atque in his summa imperii penes universam plebem est, cujus consilio res majoris momenti definiuntur: in hoc numero sunt Vrania, Suitia, Vndervaldia, Tugium, Glarona, et Abbatiscella. Alii pagi sua oppida habent, penes quae est imperium totius pagi: sed tamen in his duae sunt rerumpublicarum formae, quaedam nanque et praesertim quae vel a Principibus condita, vel eorum imperio subjecta aliquando fuere, a Sculteto (ita vocant suum magistratum) et a senatu qui libera electione ex omni civium numero delectus fuerit, administrantur: et haec forma inter omnes maxime est Aristocratica: ac Berna, Lucerna, Friburgum, Salodorum, hoc modo rempublicam gubernant: quaedam vero oppida sunt in Tribus certas distributa, atque ex his plebis suffragiis tributim magistratus creantur, hi summum magistratum et caput publici consilii *Burgermeister*, Civium ma-

magistrum vocant: hujusmodi reipublicæ forma est Tiguri, Basileæ, Scaphusiæ. De his igitur omnibus ordine agemus, initio ab hoc proximo genere facto.

I. Primum igitur in his oppidis liberis et imperialibus populus omnis in duos ordines divisus est, nobilium atque plebejorum, ac nobiles peculiarem societatem habent, quam Germanice *eine Gesellschafft*, Tiguri *eine Constaffel* nominant. Atque Basileæ quondam propter urbis amplitudinem et magnam multitudinem nobilium, duæ fuere societates nobilium, quæ etiam nonnunquam hostiles inimicitias inter se exercuerunt, penes hos fuit summa auctoritas, atque ex una societate Consul, ex altera Tribunus primæ post consules auctoritatis deligebatur: postea tamen nobilitas à gubernaculis reipublicæ amota est, seu potius ea sponte deseruit. Primum nanque tempore Concilii, quando Ludovicus Galliarum Delphinus, Armeniacorum copias in gratiam Eugenii Papæ et Austrii principis Basileam adduxit, multi nobilium sese illi conjunxerunt, qui omnes postea exilio damnati sunt: et posteri quoque eorum a publicis honoribus exclusi. Postea quando cives communi consensu fœdus fecerunt cum decem Helvetiorum pagis, anno MDI. maxima pars nobilitatis quæ Helvetios oderat, urbe excessit, et in suas arces se recepit, itaque tum eorum auctoritas et potestas multum imminuta est: Quicquid autem residui fuit, id omne amiserunt, anno MDXXIX. tum enim reformatione doctrinæ et ceremoniarum post assiduas Oecolampadii conciones ex Senatus consulto instituta, plerique nobilium huic se opposuere, et quia mutationem religionis impedire non poterant, urbem deseruere. Ab eo igitur tempore manent quidem nobilibus societates ambæ, et possessiones ædium privatarum, et eas etiam quæ publicæ totius societatis fuerunt retinent: duæ autem domus sunt quarum una a gemitu et altera a fonte nomen habet *zum Seüffzer und zum Brunnen*, cæterum nemo ex his in senatum deligitur: etenim cum senatus fere quotidie conveniat, illi autem urbe relicta maximam partem ætatis in arcibus suis agere cœpissent, communi civium consilio a republica administranda quam sponte deseruerunt, exclusi sunt. Veruntamen nobiles familiæ quæ in urbe degunt, et cum aliis civibus reipublicæ curam susceperunt, in primis quatuor civium tribubus censentur, et in his in senatum deliguntur: ideoque etiam Tribus istæ honoris ergo dominorum Tribus, *Herren - Zünffte*, nominantur. Atque ita Basileæ nulla amplius peculiaris nobilium societas est, a civium reliquorum tribubus distincta: sed Tiguri et Scaphusiæ nobiles suam propriam et peculiarem societatem habent: atque Tiguri nobilium societas ad alias tribus hanc prærogativam habet, ut media parte major numerus senatorum ex illa quam e quavis tribu eligatur, ut ita sit ejus sesquialtera ratio ad aliam quamcunque tribum. Attamen in illa societate nobilium aliquod discrimen est, veteres enim atque nobiles familiæ peculiarem societatem habent, qui a minori hypocausto in quod aliquando soli conveniunt, et soli jus conveniendi habent, nominantur, *die Stübler*: sed toti societati adjuncti sunt civium plurimi qui nullum opificium exercent, neque mercaturam faciunt cujus gratia necesse sit ipsos nomen dare certæ tribui, item mercenarii et bajuli fex plebis, atque hi omnes si bellum ingruat, in hac societate quam *Constaffel* vocant, censentur, et stipendia faciunt, iidem quoque suis suffragiis totius societatis magistrum qui senatui interest creare possunt.

II. Præter nobilium societatem plebs universa in his urbibus divisa est in certas tribus, *Zünffte* Germanice nominant, quæ vox forte a conveniendo derivata est *Zammenkumfft*, (quidam tribus, alii curias, nonnulli collegia nominare malunt, nos tribuum nomen a Sleidano et aliis nostri temporis scriptoribus in hanc significatione usurpatum retinebimus) quarum non idem est numerus. Basiliensium nanque civitas in XV. tribus divisa est, e quibus quatuor aliis nobiliores habentur, quas ut diximus dominorum tribus nominant, prima est mercatorum, altera eorum qui auro, argento, stanno fundendo, cudendo laborant: tertia vinariorum, quibus etiam scribæ et cœnobiorum Oeconomi adnumerantur. Quarta est aromatariorum, item eorum qui sericum vendunt, atque omnis generis institorum, er hæc omnium tribuum est populosissima, reliquæ undecim tribus sunt plebejæ omnis generis opificum. Tiguri nunc duodecim sunt tribus, olim vero una plures fuere, quo tempore panni lanei textores plurimi in urbe erant, ita ut peculiarem tum tribum haberent, nunc textores cujuscunque generis cum fullonibus et tinctoribus omnes una tribu continentur. Scaphusiæ autem XI. tantum sunt tribus. Nonnunquam tamen diversi generis opifices in unam tribum conjunguntur, hi sua peculiaria collegia habent, ut apud nos pistores et molitores, chirurgi item ac barbitonsores cum fabris ferri et æris, Basileæ piscatores et navicularii seu Barcarii, sutores et coriarii, sarctores et pelliones: hujusmodi tribus divisæ sunt, et nominantur *gespaltne Zünffte*, quoties enim de opificiis agitur, peculiaria collegia et conventus habent, sed in his quæ ad Rempublicam pertinent, et in electione senatus sive creandis tribuum magistris qui senatui intersint, communi consilio et suffragiis omnia peragunt.

III. Ex his igitur tribubus omnes qui publicis consiliis intersunt, pari numero e singulis deliguntur. Sunt autem præcipuæ auctoritatis duo publica consilia in urbibus singulis, majus quando plures nomine totius plebis conveniunt, et id plerunque tantum in gravioribus negotiis et quæ ad totam Rempublicam pertinent convocatur: minus quod quotidie Rempublicam administrat, et civium controversias cognoscit. Ac Tiguri majus consilium est CC. hominum, Basileæ CCXLIV. Scaphusiæ LXXXVI. minus consilium Tiguri L. hominibus constat, Basileæ LXIV. Scaphusiæ XXVI. etenim e singulis tribubus duodeni in majus consilium assumuntur, nisi quod Tiguri e nobilium societate XVIII. deliguntur. In minus consilium Tiguri singulæ tribus dant ternos homines, quaternos Basileæ, Scaphusiæ duos: his accedunt duo consules in singulis urbibus publici consilii capita, Basileæ præter ea totidem Tribuni, quos una cum consulibus capita nominant: præterea Tiguri nobilium societas senos in minus consilium mittit, cum aliæ tribus tantum ternos dent, et adhuc sex alii liberis suffragiis cooptantur ex quibuscunque tribubus visum fuerit senatui.

IV. Electio autem senatorum (ita enim deinceps eos qui sunt e minori consilio nominabimus) fit ad hunc modum. Tiguri circa solstitium, atque brumam, plerunque una aut altera septimana ante festa Joannis Baptistæ et Joannis Evangelistæ, cives singuli in suis tribubus conveniunt, et eligunt senatorem

torem quem magistrum tribus nominant, *Zunfftmeister*: est autem hoc commune his urbibus, quod tribus binos magistros habent, sed tantum per semestre aut annuum tempus quilibet eorum suo officio fungitur, eo finito alius succedit: plerunque tamen qui ante proximum semestre tribui præfuerat, denuo nisi quid obstet, eligi solet.

V. Atque hoc modo minus consilium in duo dividitur, vetus et novum: veterem enim senatum eos nominamus, qui per medium annum munere suo defuncti sunt: hi etsi quoque convocantur cum senatus habetur, non tamen semper vocantur, et sunt quædam quæ novus tantum senatus transigit. Basileæ etiam majus consilium simili modo dividitur, atque e duodecemviris tribuum sex novo et totidem veteri senatui accensentur. Præter tribuum magistros, ex unaquaque tribu Tiguri singuli, Basileæ bini alii senatores, ab ipso senatu deliguntur: hi quoque una cum his quos extra ordinem Tiguri eligi scripsimus, in duas partes dividuntur, ut media pars veteris, altera sit novi consilii. Atque consilia duo, vetus et novum, Tiguri singulo semestri permutantur, et vetus senatus novum medio anno peracto deligit, Basileæ et Scaphusii integro anno in suo munere permanent: ac apud hos quidem proxima die post Pentecosten, Basileæ autem sabbato præcedente diem vigesimum quartum Junii, qui Joanni Baptistæ sacer est, electio senatus fieri solet. Ac tribuum quidem magistri Tiguri tributim a suis contribulibus deliguntur: sed a majori consilio ducentorum confirmantur: Basileæ confirmatio est penes veterem senatum. Suffragia quoque Tiguri aperta sunt, Scaphusiæ occulta: in singulis enim tribubus certi homines electioni præficiuntur, et ad hos ordine accedentes tribules omnes submissa voce in aurem indicant, quem magistrum tribus esse velint. Convenit autem minus consilium plerunque ter, nonnunquam etiam quater singulis septimanis: atque Tiguri simul iisdem subselliis permixti sedent veteres novique senatores: Basileæ vero veteres senatores nonnunquam cum novis in posterioribus subselliis considere solent: plerunque tamen in aliam aulam consilii capiendi causa secedunt, quicquid autem ab ipsis decretum fuerit, novo senatui addito suffragiorum numero à senatore primæ tribus proponitur, quem propterea Declaratorem *den Oeffner* nominant.

VI. Utrique senatui præest Consul, quem *Burgermeister*, hoc est civium magistrum nostra lingua nominare solemus, hunc majus consilium eligit, Tiguri quidem apertis suffragiis, Scaphusiæ occultis: Basileæ vetus senatus tam consulem quam novum senatum sequentis anni deligit. Ejus potestas Tiguri semestris est, alibi annua, eodemque modo per vices mutantur consules quo et senatores veteris novique consilii.

VII. Consulibus potestate proximi sunt Tribuni, hos nos *Obriste-Meister*, Basilienses *Zunfftmeister* vocant, quo nomine omnes tribuum magistri aliquando nominantur: horum tres sunt Tiguri, duo tantum Basileæ, qui una cum duobus consulibus quatuor urbis capita nominantur.

VIII. Novem alii e senatu Basileæ capitibus adjunguntur, et hoc consilium à numero tredecimvirorum nomen habet, ad hos omnes graviores causæ referuntur, et primi de his deliberant antequam rem universo senatui proponant, ideoque Præconsultores (ita nanque προβυλας apud Aristotelem quidam interpretantur) nominari possent.

IX. Præterea Tiguri peculiare quoddam consilium est, quod nos Quæstorium nominare possumus, præest enim rationibus publicis, et constat viris VIII. præsidet huic Consulum alter qui est e veteri senatu, intersunt præterea semper quæstores duo, et præfectus ærarii ecclesiastici, atque præter hos IV. viri, ex utroque consilio pari numero delecti. Ad hos non tantum rationes ærarii referuntur et omnium sumptuum quos respublica facit, sed sæpenumero gravium negotiorum deliberatio his mandatur à senatu, et quæ consultarint deinde ad Senatum referuntur.

X. Publicis consiliis semper adsunt duo scribæ adjunctis etiam suis vicariis seu adjutoribus, si opus sit. Horum alterum qui primum locum tenet Archigrammatea et civitatis scribam *Stadtschreiber* nominare solemus: alterum nostri et Scaphusiani vocant *Underschreiber*, inferiorem scribam, Basilienses *Rathschreiber*, scribam senatus. Quæstorium consilium peculiarem scribam habet, quem vocamus rationum scribam, *den Rechenschreiber*. Est autem scribarum munus cum honorificum in his urbibus, tum etiam lucrosum, ideoque etiam patritii homines id expetunt: neque facile alicui alteri committitur: vix enim alii sunt quibus leges, et consuetudines, et privilegia atque omnia arcana rerum publicarum notiora sint.

XI. Proximum locum post publica consilia tenent publica judicia. Tiguri duo sunt, unum rerum civilium, *das Stadtgericht*, quod olim in potestate fuit collegii dominarum, cujus abbatissa præsidem sive prætorem judicii, quem vocant *den Schuldheissen*, et ejus assessores eligebat: hodie consilium minus judices eligit. Sunt hi numero VIII. ac suum prætorem habent, et peculiarem scribam atque apparitorem. Hi cognoscunt causas civiles, de ære alieno, locato, commodato, vendito, et ut nostrate lingua dicimus, judicant *um Erb und Eigen*: nulla ab his est provocatio, sed si difficiliores causæ incidant, judices ad senatum remittunt. Alterum deinde judicium est, quod controversias annuorum redituum dijudicat, quod vocamus *das Zinsgericht*, huic semper adest alterius judicii scriba et duo (ni fallor) e minori senatu. Basileæ duo sunt judicia in majori oppido, et tertium in minore. Publicum judicium majus, quod etiam vocant *das Stadtgericht*, decem judicibus constat, qui partim e senatu, partim e plebe in judicum ordinem adsciscuntur. Cognoscit hoc judicium omnes actiones civiles et criminales: sed in civilibus actionibus, de testamentis, contractibus, debita pecunia, et similibus, Prætor urbanus judicio præest.

XII. In causis autem criminalibus Præfectus seu Advocatus imperii jus dicit: ac Triumviri capitales senatorii ordinis, nomine totius senatus, per Accensum *den Obersten-Knecht*, qui cum Causidico judicibus assistit, causam adversus reum peragunt. Fiunt autem judicia hæc loco publico et aperto, ita ut omnibus interesse, spectare, et audire quæ aguntur liceat. Tiguri autem et Scaphusiæ causas capitales senatus novus judicat, atque tum non Consul ut alias, sed Præfectus imperii *der Reichsvogt*, *oder Blutrichter*, judicio præest, et sententias rogat. Verum Præfectum Imperii seu rerum capitalium, senatus quotannis e suo corpore deligit. Judicia capitalia Tiguri clausa curia peraguntur: Scaphusiæ accusatio et defensio aperta curia fiunt, ut omnibus audire liceat, sententiæ autem a senatu omnibus aliis exclu-

sis feruntur. Secundum judicium majoris oppidi Basileæ tantum leviores controversias dijudicat, et quæ summam decem librarum non excedunt. Minoris autem oppidi judicium suum peculiarem Prætorem habet, et omnes actiones præterquam criminales cognoscit.

Scaphusiæ duo sunt judicia, Vrbanum, quod etiam vocatur *das Schuldgericht*, judicium de debitis, nam tantum de contractibus et debitis ac similibus actionibus judicat, et si summa debiti centum aureos excedat, senatus de eo cognoscit. Judicium hoc assessores habet viginti, nempe e singulis tribubus unum, et præterea octo alios e senatu delectos. Alterum judicium vocant *das Vogtgericht, oder Bussengericht*, præfecti aut mulctarum judicium: propterea quod præfectus imperii seu rerum capitalium huic præsideat, et mulctas irroget. Assessores judicii sunt duodecim, e singulis tribubus singuli, is nempe qui primus e sua tribu interest majori consilio. Cognoscunt hi causas criminales minoris momenti, ut sunt leviores injuriæ, et vulgaria convicia: nam de gravioribus injuriis et contumeliis senatus pronuntiat.

XIII. Præter judicia quæ commemoravimus, singulæ urbes peculiare consistorium habent, *ein Chorgericht, oder Ehegericht*, in quo causæ matrimoniales disceptantur. Mutata enim religionis forma, et abjecto imperio episcoporum pontificiæ religionis, cum iniquum videretur deinceps suos homines judicio consistorii episcopalis subjicere, a quo hæreticorum loco haberentur, domi propria consistoria instituere. Constant autem hæc certo numero assessorum, qui ex utroque senatu publicis suffragiis deliguntur, et his adjunguntur aliqui e theologorum aut ministrorum ecclesiæ numero. Verumtamen Scaphusiæ nulli ex ecclesiæ ministris consistorio intersunt, sed e senatu homines literati, et plerunque aliquis legum doctor inter consistorii judices eligitur. Apud hos omnes controversiæ matrimoniales disceptantur, adulteria et scortationes ab his puniuntur, et vitæ ac morum censura his commissa est.

XIV. Porro in omnibus his rebuspublicis: nemini qui illegitimo thoro natus sit, publica munia obire, senatui aut judiciis interesse licet. Verum quidem est neminem sibi suæ nativitatis auctorem esse, et negari non potest spurios sæpe virtute antecellere fratres legitimos, qualis Jephtes commemoratur in sacra historia: sed ad refrenandas vagas libidines, et conservandam dignitatem sacri conjugii, in bene constitutis rebuspublicis nota aliqua quasi afficiuntur illegitimo et vetito concubitu nati. Deinde qui non decennio in urbe habitarit, apud nos in publicum consilium non deligitur. Item extra Helvetiam nati, Scaphusiæ non possunt in minorem senatum adsciscі, sed si annis viginti cives fuerint, in majorem senatum, et in judicum numerum cooptari possunt: apud nos vero in neutro senatu locum habent, neque etiam in judicum numerum admittuntur. Non quod peregrini honoribus indigni sint, sed primum amor quidam singularis erga rempublicam, deinde domesticarum legum et consuetudinum peritia in eo requiritur qui rempublicam administrare debet: horum utroque cives nati et ab ineunte ætate in aliqua republica educati peregrinos superare videntur. Adhæc nihil reipublicæ perniciosius est quam si æmulationes ex ambitu honorum existant, et in factiones erumpant: hoc autem vix caveri potest, quando præteritis civibus, et neglectis atque contemptis veteribus familiis, peregrini homines ad honores et officia publica promoventur. Postremo adulterii convicti, homicidæ, et aliquo crimine infames, communi quodam jure senatu arcentur.

XV. Magistratus et publica officia varii generis sunt in his rebuspublicis, eoque plura quo majores et populosiores urbes fuerint, nos ex his quæ sunt potiora commemorabimus. Primæ igitur dignitatis sunt post consules et tribunos, hi quibus publicæ pecuniæ custodia et administratio commissa est, hos in plerisque Helvetiæ civitatibus nominamus *Seckelmeister*, loculorum aut fiscorum magistros, qui Latine scribunt, Quæstores nominant. Basileæ vocantur Triumviri *Dreyerherren*, qui sanctioris ærarii in quo thesauri urbis reconditi sunt, curam gerunt. Præter hos tamen alii sunt Triumviri, qui vulgo Arcæ præfecti *Ladenherren* nominantur, hi minora vectigalia et reditus annuos reipublicæ administrant: iidem reos capitalium criminum per Accensum accusant, ideoque Triumviros capitales supra nominavimus. His affines apud nos sunt quos vocamus *die Umgelter*, qui vectigalia vini et frumenti administrant, et per certos homines colligunt. Solvitur autem vectigal illius tantum vini quod publice divenditur, et frumenti quod evehitur, aut quod pistores emunt: alioqui vini et frumenti quod singuli cives domi suæ absumunt, nullum vectigal penditur. Præter reipublicæ sive urbis quæstores qui duo sunt, tertius quæstor Tiguri est ærario ecclesiastico præfectus, *der Kloster Obmann*: hic ex singulis cœnobiis certos reditus colligit, si quid inquam superest post tot expensas in ministrorum stipendia, templorum ædificia, pauperum eleemosynam, hoc recondit, ut publica necessitate urgente plebi subveniatur. Atque superioribus annis, quibus inaudita annonæ caritas nostras regiones afflixit, non tantum civitati, sed maximæ parti agri Tigurini frumenta ab hoc quæstore mediocri pretio divendita sunt, magnoque beneficio magistratus omnes suos tum affecit. Proximum genus magistratuum curam habet publicorum ædificiorum, hos Ædiles quidam nominant, Germanice vocamus *Bauherren*, et Basileæ *Lohnherren* à mercede quam publicis operis persolvunt: hi curam gerunt viarum, portarum, turrium, mœnium, pontium, fontium, omniumque publicorum ædificiorum: Præterea tribus aliis senatoribus adjunctis controversias de finibus, de aquis pluviis, de luminaribus et similes, quales inter ædificandum inter vicinos oriuntur, dijudicant: Basileæ tamen Quinqueviri dicti: *die Fünfferherren*, hæc cognoscunt. Est et alterum peculiare genus magistratuum quod annonæ curam gerit, ex hoc numero sunt panum inspectores, qui examinant pondus panum an justum sit: item qui macello et carnium æstimationi præsunt, quorum munus est cavere ne quod pecus morbidum aut grandinosum mactetur, et præterea precium in libras constituere: præterea præfecti lacui qui non tantum piscationem custodiunt, et ne pisces in futura capiantur cavent, sed fori quoque piscarii curam gerunt: his proximi sunt salsamentorum inspectores, et qui curam gerunt fori quo butyrum et casei venduntur. Sunt etiam aliqua officia, quorum nomina annotasse sufficit. Pupillorum et viduarum patroni *Schirmvogte*, et Basileæ *Weissenherren*: Eleemosynæ præfecti: ponderum et mensurarum inspectores: nomophylaces: duumviri aut septemviri quæstionibus præfecti: Deputati rebus ecclesiasti-

ci-

cis et scholis inspiciendis, qui etiam scholarchæ nominantur.

XVI. Præterea sunt in singulis his urbibus scholæ non male institutæ. Basilea quidem celebrem scholam publicam habet, Academiam nunc vocant, institutam a Pio II. P P. qui Æneæ Sylvii nomine notior est, ac donatam omnibus privilegiis, juribus et immunitatibus quibus fruuntur Academiæ Bononiensis, Coloniensis, Heidelbergensis, Erfordiensis, Lipsiensis, et Viennensis. Vixerat Basileæ Æneas Sylvius, quo tempore concilium ibi congregatum fuit, et delectatus amœnitate urbis, salubritate aeris, omnium rerum copia et abundantia, urbem dignam judicavit et commodam, in qua publicum gymnasium bonarum literarum institueretur. Habuit Academia hæc nostra patrumque memoria viros doctissimos, linguarum, philosophiæ, et omnium facultatum interpretes, quos commemorare non est necesse, verum tamen minor plerunque pro urbis amplitudine et doctorum celebritate studiosorum est frequentia, cujus rei causam affert Beatus Rhenanus proventuum tenuitatem, et nimiam gymnasiorum in Germania multitudinem, unde recte judicat præstare pauciora esse et frequentia. Tiguri vero non est publica aliqua Academia, attamen linguæ et bonæ artes et præcipue sacræ literæ tanto studio fide et diligentia hactenus in schola hac explicatæ sunt, ut ejus quoque nomen celebre sit apud sacræ theologiæ studiosos.

XVII. Postremo jus monetæ cudendæ commune est tribus urbibus de quibus agimus, itaque et publicas officinas monetarias singulæ habent, et rei monetariæ præfectos constituunt, quorum officium est curare ut moneta quæ publica urbis nota insignitur, justi sit ponderis et probæ temperaturæ. Habent autem singulæ urbes propriam et peculiarem monetam. Basilienses cum vicinis oppidis Sequanorum et Alsatiæ eandem monetam cudunt, quæ à corvo qui insigne est quorundam nummorum, nomen habet, *Rappenmuntz*. Asses XXV. hujus monetæ faciunt aureum Rhenanum vulgarem, æstimatum sexaginta nummulis cruciatis. Scaphusiani monetam ejusdem temperaturæ et pretii, cum imperii usitata moneta cudunt. Tigurini majores nummos unciales et semunciales quos taleros et semitaleros vocant, juxta Imperii æstimationem cudunt: sed minorem monetam propriam et peculiarem habent, cujus asses XL. faciunt vulgarem Rhenensem aureum. Cudunt et aliam monetam, baziones vulgus nominant, horum XVI. aureum Rhenensem valent.

XVIII. Postremo loco inter publica officia, vigilum et incendiorum præfecti nominari possunt. Sunt autem duo genera vigiliarum, præter illos qui in turribus sacrarum ædium et portarum vigilias agunt: primum perpetui vigiles qui mercedem ex publico accipiunt, et singulis noctibus vigilias agunt, et omnes urbis plateas perambulant, ac singulas noctis horas proclamant. Præter hos cives armati ex singulis tribubus per vices nocturnas vigilias agunt: ac non tam ob hostium metum duplici vigilia cives utuntur, quam ob incendia cavenda, et ut omnia noctu tranquilla et quieta sint.

XIX. Incendiorum præfecti, si quod in urbe incendium oriatur ignis compescendi curam habent, et fabris atque aliis opificibus et reliquæ turbæ quæ ad extinguendum ignem confluit imperant, et prospiciunt ut omnia ordine agantur, ne quod majus damnum detur: præterea cavent ne quis in urbe tumultus oriatur, portas et muros urbis inspiciunt. Ita namque constitutum est, ut incendio exorto cives certi e singulis tribubus delecti portas et mœnia urbis custodiant: præterea tota civitas in certas partes distributa est, ac singulæ partes proprium ducem et peculiare signum habent ad quod armati conveniunt, Consul cum præcipuis senatoribus et publicis ministris se in curiam confert, ut pro rerum statu in publicum consulere possint. Ad ignem vero extinguendum non tantum fabri omnis generis sed multi cives, opificumque famuli confluunt, et mulieres quoque in haurienda et ferenda aqua strenue plerunque laborant. Præterea Tiguri si alicubi in agro extra urbem incendium oriatur, expediti juvenes e singulis tribubus ad hoc quotannis delecti ad extinguendum ignem concurrunt, et his præest incendiorum præfectus e senatorio ordine, qui mittitur tum consulendi et juvandi, tum etiam consolandi causa, si quod damnum acceptum fuerit.

XX. Pauperum magnam rationem haberi tota Helvetia supra diximus. Tiguri et in quibusdam aliis urbibus quotidiana eleemosyna omnibus eo convenientibus distribuitur: panes atque legumina cocta: atque magnus numerus puerorum qui scholas frequentant Tiguri hoc modo alitur, nonnunquam XL. aliquando duplo plures: his et aliis sæpe etiam vestes adduntur: et simili modo eleemosyna in cœnobiis agri Tigurini pauperibus datur. Deinde dominicis et festis diebus eleemosyna a populo colligitur, quam certi homines singulis aut alternis mensibus egenis hominibus in agro et urbe distribuunt. Postremo in omnibus his civitatibus sunt amplissima Xenodochia, in quibus cives ætate confecti et egeni, ægri, pupilli, aliique plures aluntur. His omnibus magistratus plures ministros, et œconomos, atque œconomorum adjutores et inspectores præficit.

XXI. Atque hæc quidem quam hactenus exposuimus, reipublicæ forma est et ratio in ipsis urbibus, sed præterea singulæ urbes vicino agro imperant, et Tigurinorum imperium inter has urbes latissime patet, ac plures et majores præfecturas aliis obtinent, ceterum par ubique ratio est gubernationis. Præfecturæ enim quædam à senatu urbano administrantur, ita scilicet ut præfecti ipsi in urbe maneant et senatorio munere fungantur, nihilominus pagis suis jus dicant: si quæ tamen causæ criminales et capitales fuerint, de his senatus cognoscit. Aliæ vero præfecturæ ampliores sunt, in quas præfecti cum imperio mittuntur, atque hi non tantum civiles causas sed plerunque etiam capitalia crimina judicant, et puniunt. Habent autem singulæ præfecturæ sua privilegia, suas veteres consuetudines, pleræque etiam sua peculiaria judicia, ex suo corpore delectis judicibus: in his omnibus nihil immutant præfecti, sed ipsis sua jura salva et integra relinquunt, judiciis eorum præsident, et juxta leges et consuetudines uniuscujusque præfecturæ jus dicunt. Atque Tigurinorum majores præfecturæ novem numero sunt, Kiburgius comitatus, Groningensis præfectura, Andelfingensis, Grisensecensis, Eglisoviana, Libera provincia, Regenspurgensis, Vadisvillana, et Lausa ad cataractas Rheni. Minores præfecturæ XXII. sunt, quarum aliquæ nonnullas superiorum hominum frequentia et regionis amplitudine fere æquant. Cæterum præter præfecturas Vitodurum et Steina duo amœna oppida Tigurinis parent, pro-

proprios tamen habent magistratus, sed Tigurinorum edictis tenentur, et in bello illis militant, attamen propriis signis utuntur. Basiliensium vero præfecturæ sunt Farnspergum arx supra Rinfeldam in edito monte sita, Wallenburgum oppidulum ad jugum Juræ montis, quod ab excisa rupe nomen habet *der Hauenstein*, Homburgum, Munchenstein postremo et Ramsteina præfectura. Scaphusiani vero Latobrigorum majori parti imperant et in eorum oppida ac pagos præfectos mittunt.

DE REPVBLICA ILLARVM VRBIVM QVAE TRIBVBVS CARENT, VT SVNT BERNA, LVCERNA, FRIBVRGVM, ET SALODORVM.

I. Schultheiss. II. Nullæ tribus. III. Consilia urbis. IV. Electio senatus. V. Magistratus urbani. VI. Qui in senatum non possint deligi. VII. Judicia. VIII. Consistorium. IX. Judicia rerum capitalium. X. Præfectura Bernatum. XI. Lucernatum præfectura. XII. Lex Talionis. XIII. Cornicines. XIV. Moneta. XV. Respublica Friburgensium.

ALterum genus reipublicæ diximus esse in his urbibus quæ non sunt distributæ in certas tribus ex quibus magistratus pari numero deligantur: in his autem urbibus summum magistratum et caput publici consilii vocant *einen Schuldtheissen*. Vox hæc Germanica vetus in Longobardorum legibus usurpatur, et SCVLDAHIS scribitur: videtur autem etymon vocis esse a debito, id enim *Schuld* nostrate lingua vocatur a jubendo, quod scilicet SCVLDAHIS debitoribus imperet ut creditoribus suis satisfaciant: atque hoc sensu in Longobardicis legibus accipitur. *Tit. C de Pignerationibus et debitis: Si homo liber, qui debitor est, alias res non habuerit, nisi cavallos domitos, aut boves junctorios, seu vaccas: tunc ille qui debitum requirit, vadat ad SCVLDAHIS et intimet causam suam, quia debitor ipsius alias res non habet, nisi quæ supra leguntur: tunc SCVLDAHIS tollat boves, etc.* Similiter nomen SCVLDAHIS ponitur, Tit. XX. legum Lutprandi Regis. *Si quis causam habuerit, et SCVLDAHIS suo causam dixerit, et ipse SCVLDAHIS justitiam inter quatuor dies facere neglexerit, (si ambo causatores sub uno SCVLDAHIS sunt) tunc componat ei, qui causam suam reclamaverit ipse SCVLDAHIS sol. VI. et Judici suo sol. VI. Item si homines duo sub uno judice, de duobus tamen SCVLDAHIS causam habuerint etc.* Hinc apparet nomen SCVLDAHIS veteribus significasse judicem qui de debitis pronuntiabat, pignora capiebat, et creditori satis fieri cogebat: non tamen habuit plenam jurisdictionem, sed comitum potestati obnoxius erat. Nomen hoc adhuc in frequenti usu est apud Germanos principes, et vicorum atque oppidorum præfecti sic nuncupantur: apud nos tamen multo est honoratius, et in his oppidis quæ nominavimus eorum SCVLDAHIS summam auctoritatem et potentiam obtinet. Quidam summum magistratum in civitatibus nostris Romana imitatione Consulem vocant, nescio quam bene, alii eos tantum quos civium magistros dicimus, quos autem SCVLDAHIS vocamus, Prætores nominandos censent: nos priores sequimur, et eos qui publico consilio præsunt, Consules nominabimus. Galli quem nos *Schuldtheiss* ipsi Avoerium vocant.

II. Oppida igitur hæc secundi generis de quibus nunc agimus non dividuntur in certas tribus, imo ne id fiat legibus apud eos cautum est: et cum diversa forma sit reipublicæ Tigurinorum et Bernatum, tamen Bernates Tigurinis ex fœdere auxilio sunt ne quis formam reipublicæ tollat et tribus eorum aboleat, rursus Tigurini Bernates juvare debent ne quis in eorum urbe tribus aliquas instituat. Nihilominus tamen opifices in his quoque oppidis sua peculiaria collegia habent, quæ non reipublicæ et magistratuum creandorum, sed opificiorum exercendorum causa instituta sunt, atque hæc nominant *Gesellschafften*, non autem tribus; *Zünffte*.

III. Consilia publica in his urbibus, ut et in superioribus, duo sunt, majus et minus. Majus consilium Bernæ sicut et Tiguri nomen habet ducentorum, quamvis plures sint ducentis: Lucernæ vero tantum centum hominibus majus consilium constat. Minus vero consilium Bernæ est hominum XXVI. Lucernæ per semestre XVIII. senatores rempublicam administrant, et totidem per aliud semestre.

IV. Senatus eligendi hæc ratio Bernæ servatur. Feria tertia quæ præcedit diem Resurrectionis dominicæ, quatuor urbis signiferi ex omni civium numero viros XVI. expertæ fidei et virtutis sibi adjungunt: atque hi XX. viri una cum consule majorem senatum deligunt, itaque Electores à nobis nominari possunt. Inquirunt primum diligenter in vitam et mores singulorum qui e ducentorum numero fuerint, et si quis senatoriam majestatem turpi aliquo facto polluisse videatur, eum loco movent, et postea in horum locum, et eorum qui demortui fuerint, alios suo arbitratu deligunt: eorum tamen electio occulta manet usque ad vesperam diei Resurrectionis, tum enim omnibus qui delecti sunt, tam e majori quam minori consilio apparitores denunciant ut crastina die in curiam conveniant. Prima feria post Resurrectionis festum singuli senatorii ordinis in suis collegiis conveniunt, et eos qui nuper in numerum ducentorum cooptati sunt in curiam deducunt, ubi deinde magistratus singuli eliguntur. Finita autem magistratuum electione cives omnes in suis collegiis publica convivia peragunt, ac a prandio extra urbem in campum prodeunt, et se saltu, cursu, lapide jaciendo, aliisque certaminibus exercent: Consul autem cum XX. electoribus denuo in curia convenit, ac tum minoris consilii senatores ab his deliguntur, et postridie horum electio majori consilio proponitur, atque ita demum ubi approbata fuerit, singuli in suum locum sessum abeunt. Lucernæ quoniam minus consilium semestre tantum imperium habet, bis quotannis electio fit senatorum in majus et minus consilium, si quæ loca vacant, circa solstitium et brumam: eliguntur autem novi senatores a minori consilio quod præterito semestri rempublicam administravit.

V. Consules quorum præcipua dignitas et potestas est, ab utroque consilio suffragiis communibus deliguntur. Lucernæ autem consulare imperium annuum est, Bernæ durat per biennium, sed nihilominus quotannis de consule sententiæ rogantur et denuo eligitur. Post consules præcipua est auctoritas Bernæ quatuor signiferorum, *Venner* sua lingua nominant, hi tantum ex quatuor collegiis deliguntur, fabrorum, coriariorum, qui tamen trifariam distributi

buti sunt, pistorum et laniorum. Dividitur autem urbs Bernensis in quatuor partes, quarum singulæ signiferis singulis commissæ sunt, qui arma singulorum inspiciunt, et curant ea quæ ad rem militarem pertinent. Funguntur autem quadriennio singuli suo munere, quotannis tamen qua die consul eligitur suum munus resignant, et vexilla aliaque officii sui insignia primo apparitori tradunt, a quo in mensa coram consule et senatu deponuntur, et tum utrunque consilium de signiferis suffragium fert: ac si quis horum annos muneris sui absolverit, aut mortem obierit, alius in ejus locum subrogatur, quod quidem fit hac conditione, ut si demortuus sui muneris annos non impleverit, successor ejus illos impleat et ejus sit vicarius, ac postea demum suum quadriennium absolvat. Magna præterea dignitas est Quæstorum sive Tribunorum ærarii in omnibus civitatibus Helvetiæ, qui plerunque nullum præfinitum annorum numerum habent, sed tam diu munere suo funguntur, quamdiu senatus voluerit, et ipsis quoque libuerit. Bernæ duo sunt quæstores, unus qui urbanos reditus et agri Germanici colligit: alter quem Gallicum vocant, ad hunc deferuntur omnes proventus quos civitas in Antuatibus sive agro Sabaudico colligit. Quos modo nominavimus Consules, Signiferi, Quæstores addito præterea uno e numero ducentorum, nominantur Bernæ *die heimlichen Rathe*, arcanum et sanctius consilium: ad hos enim primum referuntur ea quæ arcana sunt, et ad totam rempublicam pertinent. Posteaquam vero magistratus modo nominati ab utroque consilio electi et confirmati fuerint, de reliquis etiam publicis officiis sententiæ rogantur, id quod alibi eadem, alibi vero postera die fit. Quæ vero officia dignitatem nullam habent, ea plerunque a minori consilio conferuntur, ut sunt apparitores, lictores, accensi, tabellarii, vigiles, et alia hujus generis ministeria.

VI. Bernenses in eligendo senatu hoc peculiare habent, quod neminem in minus consilium recipiunt, nisi qui in ipsa urbe natus sit: atque olim etiam Senatorum liberi si extra urbem nati fuissent, non poterant ad paternam dignitatem pervenire: hodie vero si qui præfecturam aliquam administrent, et reipublicæ causa absint, atque liberos ibi suscipiant, perinde habentur atque si in urbe nati fuissent. In majus consilium deliguntur etiam extra urbem nati, si tamen cives sint et in urbe domicilium habeant, atque ex Helvetia aut confœderatis populis orti sint: nemo enim extra Helvetiam natus in numerum ducentorum recipitur, quod Tiguri quoque observari supra diximus. Eodem modo spurii sive illegitimo thoro nati, et aliqua infamiæ nota insignes, senatu arcentur.

VII. Judicia apud Bernates sunt tria, atque omnes judices a signiferis et Quæstoribus eliguntur, et a minori consilio confirmantur. Primum judicium nominatur exterius judicium *das aussere Gericht*: Consul urbis judicio præsidet, sed fere semper ejus vices obit primus apparitor *der Grossweibel*, assessores habet XII. inter hos est signiferorum unus qui postremo electus fuerit, et præterea alius e minori senatu, reliqui decem e majori consilio deliguntur, his omnibus adest scriba et duo apparitores. Judicant hi de debitis, de levioribus injuriis et contumeliis, ut si quis alteri pugnum impegerit, aut ejus famam verbis læserit. Ab hoc judicio provocatio est ad minorem senatum, ab illo ad LX. viros: nominantur autem LX. viri senatores minoris consilii, et præterea viri XXXVI. quos e majori consilio senatores alii sibi adjunxerint. A judicio LX. virorum ad majus consilium provocare licet. Conveniunt autem judices quotidie ad causas cognoscendas præter quam die Martis, quod eo die mercatus seu forum habeatur. Alterum deinde judicium audit provocationes ex agro Sabaudico, et inde nomen habet *das Weltsche Appellatz-Gericht*, judicio præsidet Quæstor Gallicus, qui assessores habet X. duos ex minori et octo ex majori consilio, præterea peculiarem scribam et apparitorem habent. Ab his omnes appellationes ex agro Sabaudico deciduntur: ac quotiescunque partes petierint sibi jus dici, eas audiunt, ordinarie tamen a festo Martini ad mensem usque Martium quotidie jus dicunt. Ab hoc judicio soli Lausanenses in agro Sabaudico exempti sunt, sed singulo quoque biennio judex cum aliquot assessoribus Lausanam venit, et illic eorum provocationes audit.

VIII. Tertium judicium est causarum matrimonialium quod Consistorium vocatur, id octo judices habet, duos e minori senatu, qui alternis mensibus judicio præsident, duos e numero ministrorum ecclesiæ, quatuor e majori consilio: habent etiam scribam et apparitorem. Conveniunt hi ter singulis septimanis, prima, tertia et quinta feria, atque non tantum causas matrimoniales cognoscunt, sed morum quoque censuram agunt, et disciplinam ecclesiasticam exercent. Cæterum consistorii judices, et item exterioris judicii semestri tantum tempore suo munere funguntur, et circa Pascha, atque Michaelis festum sub finem Septembris mutantur.

Lucernates duo habent judicia, horum unum nominatur *das Wochen-Gericht*, singulis enim septimanis judices conveniunt, et de contractibus et debitis judicant. Alterum a numero judicum nomen habet, *das Neuner-Gericht*, judicium novem virorum, hi injurias et convicia puniunt. Consistorium nullum habent Lucernates, Friburgenses, et Salodorii, urbes enim hæ Romani pontificis auctoritatem sequuntur, et judicio episcoporum parent, in quorum consistoriis causas suas matrimoniales disceptant.

IX. Capitis judicium tam Bernæ quam Lucernæ non peculiares aliqui judices exercent, sed quoties de vita alicujus agitur, uterque senatus causam cognoscit, et sententiam fert: atque Consules judicio præsunt et sententias rogant. Ac Bernæ postquam sententia in senatu lata est, mox Consul in trivio pro tribunali sedet assistentibus apparitoribus, ac tum scriba rei confessionem et sententiam in illum latam de scripto recitat, postea Consul carnifici executionem mandat et illi reum tradi jubet. Atque Lucernæ quidem senatus causas capitales singularum præfecturarum dijudicat, et omnes sontes Lucernæ pœnas dant: sed Bernatum præfecturæ propria judicia habent, *Landtgerichte* vocamus, ubi judices ex tota præfectura convocantur, et præsidente præfecto sententiam ferunt: attamen in senatus Bernensis arbitrio positum est horum sententiam mutare aut probare.

X. Habent autem Bernates plurimas præfecturas, latissime enim inter omnes pagos Helvetiorum imperant: harum aliæ Germanicæ, aliæ Gallicæ nominantur quod Gallica sive potius Sabaudica lingua utantur. Ex Germanicis quatuor sunt suburbanæ, quibus totidem urbis signiferi præsunt, et sub

eorum signis singulæ præfecturæ in bellum proficiscuntur. Præter has aliæ sunt XXVII. præfecturæ, nempe Haselia vallis quæ Ammanum quidem habet ex suo corpore, verum hic a senatu Bernensi deligitur, et huic rationem reddit. Vndersea; oppidum hoc nomen habet, quod ad finem lacus positum sit; huic præponitur *Schuldheiss* (ut vocant) ex urbe Bernatum. Simmia vallis superior et inferior, præfectos harum vallium castellanos vocant, sua lingua *Schachtlan*. Frutinga, Sana, Aquilegia, vel ut alii malunt Salinæ, vulgo *Aelen*; hujus præfectum gubernatorem vocant. Laupa, Thunium; hujus par est ratio atque Vnderseæ. Signovium, Trachselvalda ac vallis Emmæ fluvii. Brandisium; hujus loci præfectus a Domino de Brandis eligitur, sed ex civium Bernensium numero. Sumisvalda, hujus præfectum constituunt Teutonici ordinis magistri. Burgodorphum, Pyrenestica: hæ duæ præfecturæ eodem modo quo Vndersea administrantur. Landeshutum, Arbergum, Nidovium, Erlacum, Bippium, Wanga, Arvvanga, Arburgum, Bibersteina, Schenckenbergum, Lentzeburgum. Præter has præfecturas tria libera oppida in pago Verbigeno Bernensium imperium agnoscunt, Zofinga quam quidam Tobinium nominant, Arovium, et Brugæ Helveticæ. Gallicæ præfecturæ VIII. sunt, Aventicum, Minidunum, Ebrodunum, Lausanna, Morges, Nevidunum, Oranum, Zilia cum Vibisco seu Viviaco. Præterea quatuor præfecturæ Bernatibus et Friburgensibus communes sunt, Moratum, Schvarzenburgum, Gransonium, et Chalansum sive Scherlin: his alternatim per quinquennium præfectos constituunt, sic ut præfecto ex una urbe constituto provocationes ad alteram fiant, et ab eadem rationes præfecti examinantur. Postremo cœnobiorum præfecturæ sunt, quarum in Germanico agro Bernates novem possident, e quibus sex civilem quoque jurisdictionem habent, in Gallico agro tres solummodo sunt cœnobiorum præfecturæ.

XI. Lucernates duos tantum habent præfectos qui extra urbem in suis præfecturis habitent, Wikensem et Sempachianum: sed hic nullum jus habet in oppidum Sempachium, tantum lacui et piscationi præfectus est. Reliquas eorum præfecturas senatores urbani administrant: sunt autem istæ Willisovium, vallis Entlibuchia, Rotenburgum, Habspurgum, Berona cum vicino agro, quem vocant Michaelis præfecturam *Chelampt*: Merisuanda, hic vicus id privilegii habet ut ipse sibi præfectum deligat ex senatu Lucernatum, quemcunque voluerit consule excepto: Weggisium, Ebicona, Horba et Krienza. Præterea duæ urbes Surseium et Sempachium in Lucernatum clientela sunt, habent tamen proprium consilium quod causas tam civiles quam criminales judicat, sed princeps consilii *der Schuldheiss*, Surseji jusjurandum dat Lucernatibus, Sempachii non a civibus sed a Senatu Lucernate deligitur, attamen ex civium Sempachianorum numero.

XII. Apud Lucernates vetus lex Talionis aliqua ex parte adhuc viget, etenim qui civem Lucernatem interfecerit, etiamsi justam causam habuerit, quod scilicet provocatus ab altero vim vi repulerit, nihilominus deprehensus capite pœnas luit: si aufugerit, perpetuo exilio damnatur, sed si liberis aut propinquis cæsi hominis satisfecerit, eosque sibi reconciliarit, à senatu reditum in urbem impetrare potest.

XIII. Soli ex Helvetiis Lucernates tubarum loco æreis cornibus incurvis utuntur quæ horrendum sonant, ipsi vocant *Harsch-Horner*. Cornua autem Romani quoque in bello usurparunt, et inde Cornicines dicti sunt. Lucernates dicunt se his virtutis ergo bello Sarracenico a Carolo magno donatos esse, ac Rolandum heroem Carolo charissimum his antea usum fuisse.

XIV. Monetam hæ quoque urbes cudunt, sed Berna, Friburgum et Salodorum peculiari moneta utuntur, cujus asses XLII. et II. trientes aureum Rhenensem faciunt. Præterea cudunt majoris monetæ genus quod quidam Testonem vocant, Gallica ut opinor voce, nostri vocant *einen Dickenpfenning*, horum plurimos Salodorii cudunt, qui tamen decima parte minoris æstimantur Gallicis. Bernates primi cudere monetam quam Baziones vocant, ab insigni ursi, nostri enim ursos *Baren* et *Batzen* vocant, eandem monetam postea aliæ urbes Helveticæ et Suevicæ imitatæ sunt, XVI. pro aureo Rhenense exponuntur. Lucernatum moneta Basiliensi affinis est, semisse tamen vilior, assis enim Lucernas Basiliensis semissis est, et horum quinquaginta Rhenensem aureum faciunt.

XV. Friburgum Aventicorum in partes quatuor, sicut et Berna, dividitur, quarum una a Burgo, altera ab insula seu prato (*in der Aue*) tertia novæ civitatis, quarta a domo hospitali nomen habet: ex his partibus deliguntur qui publicis consiliis præsint. Sunt autem duo, ut in aliis urbibus publica consilia, majus CC. hominum: minus XXIV. Electio fit die dominica quæ proxime festum D. Joannis Baptistæ præcedit. Administrantur autem a minore senatu res urbanæ, ac provocationes subditorum audiuntur, præterquam ex præfecturis Sabaudicis, postremo bello captis. Quæ autem ad totam Rempublicam pertinent, maximique sunt momenti, ad ducentos seu majus consilium referuntur. Consul qui utrique consilio præsidet, ab universo populo deligitur die Joanni Baptistæ sacra, ac fungitur hoc munere biennio. Proximi a Consule sunt quatuor Signiferi, qui quatuor partibus urbis præsunt, hi non sunt ex ordinario numero Senatorum minoris consilii, nihilominus semper intersunt minori consilio nomine totius plebis, ac suum suffragium habent præterquam in appellationibus: quod si proponatur aliquid quod videatur ad majus consilium spectare, totam deliberationem illuc referre possunt, funguntur autem suo munere triennio, et deliguntur ab utroque consilio sicut plerique alii Magistratus. Proxima post hos dignitas est tribuni ærarii, huic thesauri urbis et omnes ejus reditus commissi sunt: hic adjutorem habet scribam urbis, aut ejus vicarium, qui in codice refert quicquid ipse acceperit aut expenderit. Ejusdem est curare publica ædificia. Bis quotannis coram minore consilio rationem reddit, ac triennio suo munere fungitur. Scribæ Friburgi sunt quatuor præcipui: Primus qui urbis scriba nominatur, deinde Senatus scriba, tertius regionis, quartus judicii. Munus quoque primi apparitoris (*des Grossvveibels*) Bernæ et Friburgi, honorificum habetur, hic plerunque Consuli adest, et cum senatus habetur, januæ adstat, partes vocat, suffragia numerat, captivorum curam habet: ac triennium durat ejus munus.

Judiciorum apud Friburgenses hæc est ratio. Primum peculiaris consessus judicum civium causas cognoscit et dijudicat, ideoque Vrbanum judicium voca-

vocatur, *das Stadtgericht*: est præterea horum judicum munus ob aliquod crimen captivos examinare, et quæstionibus subjicere, ac deinde ad Senatum singula referre. Alter consessus judicum rusticorum causas judicat, ac vocatur, *das Landgericht*. In uno quoque judicio sunt duo e minori et octo ex majori consilio: funguntur hi triennio suo munere, et ter singulis septimanis conveniunt: ab eorum sententia ad minus consilium provocare licet. Præterea duodecim judices ex utroque consilio delecti, provocationes præfecturarum quæ postremo bello Sabaudico captæ sunt, audiunt, et de his pronunciant: conveniunt hi singulis mensibus, et ab eorum sententia non licet provocare.

Præfecturarum genera apud Friburgios sicut et in aliis urbibus duo sunt: unum suburbanum, quod administrant Senatores, qui nihilominus in urbe habitant et Senatorium munus obeunt, ac quinque ni fallor tales præfecturas habent: alterum est ubi præfecti cum imperio in præfecturam mittuntur, et illic habitant, hujus generis præfecturas quatuordecim habent Friburgii, et præterea quatuor cum Bernatibus communes. Deliguntur autem præfecti ab utroque consilio postridie divi Joannis Baptistæ, et quinquennio præfecturis suis præsunt, sed singulis annis coram minore consilio rationem reddunt. Exercent autem præfecti etiam capitalium criminum judicia, sed singularum causarum processum, et sententiam Senatui indicant, in cujus arbitrio situm est eandem approbare mutare aut mitigare.

Friburgi vadimonia (*trostungen*) et quæ vernacula lingua vocantur *leistungen* (hoc nomine et relegatio ad certum tempus significatur, et sumptus qui fiunt non soluta ad diem credita pecunia, quorum hæc est ratio: Si debitor ad constitutam diem non solvat, creditor unum duos pluresve famulos cum equis in publicum diversorium mittit, his omnes sumptus debitor suppeditare et solvere cogitur, donec creditori satisfaciat: quidam referunt, hoc jus à Zæringio duce institutum) diligenter observantur, et qui hæc deseruerint aut violarint, carcere, exilio aut pecunia mulctantur, atque certus magistratus, quem Civium magistrum vocant, hæc exigit. Præterea lite exorta si vadimonium ab aliquo ter postuletur, neque is vadem sistat, relegatione punitur: eadem pœna manet illos qui pacem sibi indictam et imperatam violarint: item qui absque justa causa se alterutri dissidentium partium adjunxerint.

Postremo dies illi quibus cum Carolo Burgundo Gransonii et Morati pugnatum est, nempe secunda Martii, et XXII. Junii, festi sunt, et quotannis solenni pompa ac processione omnium ordinum per urbem celebrantur.

DE REPVBLICA PAGORVM QVI VRBIBVS CARENT ET VICATIM HABITANT.

I. Ammann. II. Divisio pagorum in certas partes. III. Electio Senatus. IV. Concilium totius plebis. V. Judicia. VI. Forum matrimoniale. VII. Capitis judicium. VIII. Præfecturæ. IX. Consuetudines. X. Festum Glaronensium ad Navalia.

EXposuimus hactenus duas formas rerumpublicarum quibus urbes Helvetiæ utuntur, restat nunc tertia forma quæ in usu est apud illos pagos qui nulla oppida habent in suis regionibus, sed vicatim habitant, vulgo vocamus *die Länder*: sunt autem sex, Vria, Suitia, Vndervaldia, Tugium, Glarona, Abbatiscella. Tugium quidem oppidum est, et suos urbanos magistratus habet, verum imperium totius pagi non est penes oppidanos, sed qui agrum Tugium inhabitant, *das aussere Ampt*, pari jure cum oppidanis imperant. In omnibus his pagis qui publico ipsorum consilio præsidet vocatur *Ammann*, Galli scribunt *Mann* vocari, sed errant: *Mann* enim virum significat, *Ammann* vero composita vox est ab *Ampt* et *Mann*, atque *Ampt* officium et munus significat, quare *Ammann* idem est atque officii vir, muneri atque officio alicui publico præfectus, sive officialis, itaque Abbates et alii ecclesiarum Prælati suos ministros et officiales qui jus dicunt et reditus cœnobiorum exigunt, et similia munera obeunt, Ammanos quoque vocant.

II. Porro quemadmodum urbes in tribus aut collegia opificum distribuuntur, ita pagi quoque in certas partes distributi sunt. Vriorum enim tota regio in X. partes dividitur, quas ipsi vocant *genossamen*, quasi participationes dicas, forte propterea quod hi publicorum pascuorum et bonorum, item honorum et munerum omnium participes sint, et quod ex his tantum ad annuos conventus vocentur. Suitiorum regio divisa est in partes VI. quas quartas vocant: olim enim tota regio in partes quatuor divisa fuit, aucto autem populi numero nova partitio facta est in sex partes, quæ tamen vetus nomen retinuerunt ut quartæ nihilominus dicerentur. Vndervaldiorum regionem mediam silva querna secat, atque propterea dividuntur in eos qui supra et qui infra silvam habitant, habet autem tota regio nomen ab inferiori parte: Vndervalden enim idem est atque sub silva, unde etiam quidam Subsilvanos nominant, antiquitus enim Stantium præcipuus vicus sub silva ad lacum totius regionis caput fuit, et dicti sunt homines vallis in Stans: nunc cum Vndervaldiorum nomen pro tota regione accipitur, in nostra lingua semper additur, supra et infra silvam *Underwalden ob und nid dem Kernwald*. Tuginorum quoque ut diximus duæ sunt partes, oppidum, et deinde ager vicinus oppido qui tres conventus habet, Montanum, vallem Egeriam sive Aquæ regiæ, et Baram parochiam in campo urbi proximo. Glarona in XV. partes divisa est, quas vocant *Tagwen*, significat hoc nomen operam diurnam, item tantum terræ spacium quantum unius hominis diurna opera coli potest: ac forte sic appellatæ sunt hæ partes, quia singulæ sua opera vias in suo agro muniunt, et publicæ operæ juxta has partes distributæ sunt. Abbatiscellanorum ager dividitur in partes sive ordines XII. ipsi vocant *Roden*: harum sex conjunctæ pago Abbatiscellæ dicuntur interiores, atque olim imperio abbatis S. Galli paruerunt: reliquæ sex exteriores nominantur, positæ extra ditionem abbatis, quondam partim liberæ, partim nobilium jurisdictioni subjectæ.

III. Ex his partibus æquali numero è singulis senatores qui toti regioni consulant deliguntur: atque in plerisque pagis LX. viri consilio intersunt, præter eos qui publicis honoribus functi, senatores deinceps perpetuo manent: apud Tuginos XLV. sunt senatores, IX. e singulis conventibus: oppidum

dum enim duorum conventuum loco censetur: apud Abbatiscellanos vero viri CXLIV. publicum consilium constituunt, e singulis duodenis partibus XII. viris in senatum delectis. Quod si graviores causae sint agendae neque totius plebis consilium convocandum videtur, tum in plerisque consilium duplicatur aut triplicatur, hoc modo: singuli senatores singulos alios, aut binos, si triplicatum consilium habendum sit, secum assumunt, atque senatorum aliquis in templo die Dominica finitis sacris edicere solet, ut die constituta, quam nominat, senatores omnes conveniant in curia illius pagi, et unusquisque alium secum adducat qui ipsi optimus atque prudentissimus videatur, isque ei pareto, sub juramento quo omnes Reipublicae obligati sunt. Porro nemo in senatum deligitur, nemo etiam consilio plebis interesse potest, nisi qui fuerit civis ejus regionis, *ein Landman*, atque facilius est in urbibus jus civitatis assequi, quam in his pagis, non inhumanitate aliqua ipsorum, multos enim inquilinos habent, quos summa benevolentia et humanitate complectuntur, sed quod certo consilio et more majorum, veteribus colonis regionis novos admiscere nolint, ut facilius in eodem statu respublica maneat et mutationes caveantur.

IV. Summa potestas in his pagis est penes concilium totius plebis: conveniunt autem omnes totius regionis cives qui annum aetatis XIV. aut XVI. excesserint. Habentur vero publici conventus vel in praecipuo vico totius regionis, vel in aliquo loco qui in medio regionis situs videtur, ut apud Vranios Botzelingae, qui locus mediae horae itinere ab Altorfo praecipuo eorum vico distat: item apud Glaronenses conventus populi Suandae habetur. Annui vero et stati conventus in omnibus fere pagis habentur proxime Calendas Maji. Apud Suitios, Vndervaldios infra silvam, et Glaronenses et Abbatiscellanos die Dominica quae ultima est Aprili mense. Apud Vrios et Tuginos, prima die dominica mensis Maji: olim tamen Tugini XXIV. Junii, qui dies Joanni Baptistae sacer est, suum conventum habuere. Vndervaldii supra silvam calendis Maji conveniunt. In his conventibus primum deligitur Ammanus ut vocant, qui in plerisque pagis nostra aetate biennio suo munere fungitur: apud majores nostros nullus certus annorum numerus praefinitus fuit, sed saepe iidem Ammani multis annis magistratum hunc gessere. Liberum autem est eligere Ammanum ex omni populo, quicunque virtute et prudentia aliis praestans hoc munere dignissimus videatur, neque ulla ratio habetur in qua parte aut quo vico regionis habitet: attamen in nonnullis pagis, ut Abbatiscellae, Ammanus quamdiu suo munere fungitur, in principem pagum ubi publicum consilium habetur, commigrat. Tugii sunt tres conventus extra urbem, praeterea urbs ipsa duorum conventuum jus habet, ac Ammani ordine per vices ex singulis conventibus deliguntur, qui vero ex conventibus exterioribus delecti fuerint, eo biennio quo magistratum gerunt, in urbe habitant. Ammano delecto eodem conventu deligitur ejus vicarius, quem *Stadthalter* vocant, item Quaestores seu Tribuni aerarii, quos *Seckelmeister* vocant, non autem Carmalingos ut quidam scribunt: praeterea Scribae, Praefecti, qui vel ejus pagi proprias vel cum aliis Helvetiis communes praefecturas regunt, et alii magistratus, et quicunque publica officia administrant. Item publica edicta quotannis totius plebis suffragiis confirmantur aut abrogantur, veluti de alea, de choreis, de compotationibus, de foro rerum venalium, et alia hujus generis. Praeterea quando annuus conventus habetur, senatores eliguntur et confirmantur, non quidem a toto conventu, sed singuli ab hominibus suae partis et quasi tribus in qua habitant. Postremo si alio tempore anni negotia incidant, quae ad statum reipublicae pertinent, extraordinarii et indicti conventus habentur, ut si legati mittendi sint ad publicum conventum Helvetiorum, aut regem aliquem et principem, aut si agatur de foedere ineundo, de pace aut bello, etc.

V. Praeter duo consilia, unum senatorum, alterum totius plebis, plerique pagi arcanum quoddam et sanctius consilium habent paucorum, et praeterea judicia rerum controversarum. Apud Suitios quorum regio universa in VI. partes distributa est, ex unaquaque parte praecipuus senator, et praeterea Ammanus septemvirorum et arcanum dictum consilium constituunt, hi omnes reditus totius regionis et quicquid rursus publico nomine expenditur administrant. Praeterea duo sunt apud eos judicia, quorum unum à numero judicum IX. virorum nomen habet: cui etiam Ammanus praeest, coram hoc graviores causae de haereditatibus, de contumeliis et laesa alicujus fama aliaeque injuriarum actiones disceptantur: alterum septemvirorum vocatur, et huic praeest Ammani vicarius, et hi civiles causas de debitis et contractibus judicant. Similis fere ratio est apud Vranios apud quos VII. viri, inter quos primum locum tenet Ammani vicarius judicant de debitis quae summam LX. librarum non excedunt. Aliud deinde judicium est virorum XV. in quo Ammanus praesidet, et civiles controversias majoris momenti cognoscit. Vndervaldii duo habent publica consilia sive judicia, unum Stantii in subsilvana parte, alterum Sarnae supra silvam: atque utrumque peculiarem suum Ammanum habet. Dicitur autem divisionem regionis hujus factam esse anno MCL. cum inter ipsos controversia de tributo conferendo exorta fuisset, atque cum antea unus conventus fuisset totius regionis, et eodem signo, eodemque sigillo antea uterentur, nempe clavi duplicata, divisione facta singulae partes unam tantum clavem sibi servarunt: ac vexillum antiquum albi et rubri coloris hi qui supra silvam habitant retinuerunt, quod haec major pars esset regionis: alterum vero signum a Pontificibus Romanis duplici clave ornatum hi qui sub silva habitant usurparunt: etenim cum vicus eorum Stantius olim totius regionis caput fuerit, signum quo eo tempore publice utebantur hoc nomine sibi vendicarunt. Tugii urbs ipsa praeter publicum totius regionis consilium proprium senatum habet, et judicia ac magistratus urbanos, Ammani vicarium, Tribunum aerarii, Aedilem, etc. qui civium causas cognoscunt, et publica urbis negotia administrant. Apud Glaronenses duo sunt judicia unum IX. alterum V. virorum, qui a publico conventu totius regionis quotannis deliguntur. Judicant autem Majo tantum et Septembri mensibus, et IX. viri controversias haereditatum cognoscunt, et injuriarum ac laesae famae: Quinqueviri vero de debitis et reddita pecunia judicant, idque ubi priores qui sex diebus resident suum conventum dissolverint. Abbatiscellanorum judicia similiter duo sunt, prius in publico compito residet, et inde nomen habet *das Gassen-Gericht*, judices sunt XXIV. e singulis partibus regionis bini, praeest his publicus apparitor

paritor *der Landtweibel*, ac singulis septimanis quarta feria conveniunt: hi mulctas imponunt, et puniunt eos qui injuriam alteri fecerint: posterius juratum judicium nominatur *das geschworne Gericht*, quoniam dubias controversias et quæ delato jurejurando finiuntur, cognoscunt: sunt autem duodecim judices in hoc consessu. Apud eosdem ex singulis duodecim partibus totius regionis singuli senatores deliguntur, et e majoribus partibus plures, hi observant eos qui publica edicta violarint, deinde ea quæ majori senatui proponenda sunt prius ab illis deliberantur, ideoque Nomophylaces simul et Probuli sive Præconsultores existunt, eorumque munus est perpetuum, vulgo autem apud ipsos vocantur *Land-Thätlicher*.

VI. Consistoria in his pagis nulla sunt, nam primum quatuor pagi ritibus et legibus Romanæ ecclesiæ obediunt, et ideo in causis matrimonialibus et ecclesiasticis non alio foro aut consistorio quam episcopali utuntur, sunt autem in diœcesi Constantiensi. Glaronensium vero multi Romanæ Ecclesiæ adhærent, major tamen pars ejus jugum abjecit, apud hos si controversia matrimonialis in reformata ecclesia oriatur, Tigurum veniunt et illo consistorio utuntur. Abbatiscellanorum quoque major pars reformatis ecclesiis se adjunxit, abolitis Romanæ ecclesiæ ritibus, universi tamen controversias suas matrimoniales ad consistorium Constantiensis episcopi deferunt. Adulteria autem a Senatu domi puniuntur, plerunque honorum amissione, nonnunquam mulcta X. librarum: est autem libra ipsorum talerus. Audio etiam quandoque aliqua ad causas matrimoniales spectantia publico totius regionis conventu definiri, ac nuper sanciviſſe compaternitatem et cognationem spiritualem, quam Canonistæ finxerunt in baptismo contrahi, non impedire matrimonia. Controversia enim hujusmodi apud illos exorta, quum Papa Romanus pecunia accepta tale matrimonium concessisset, populus re cognita statuit, si divitibus pecunia numerata hoc licitum sit, etiam pauperibus absque pecunia fas esse.

VII. Judicia rerum capitalium in omnibus fere his pagis à senatu seu publico consilio, et quidem plerunque duplicato exercentur, præsidente Ammano regionis, aut ejus vicario. Apud Tuginos senatui in judiciis capitalibus, alii adhuc assessores sive judices e singulis conventibus adjunguntur. Habentur autem loco publico sub dio, ubi omnibus spectare, et causam audire, et judicum sententias cognoscere licet.

VIII. Præfecturarum hæc in singulis pagis est ratio: nam de publicis suo loco dicitur. Vrii Lepontinæ valli trans alpes præfectum imponunt, huic additur vicarius ex ipsa valle, et assessores sive judices, cum quibus una tam civiles quam criminales causas judicat, et triennio præfecturam obtinet. Trans easdem alpes Bilitionensibus cum duobus aliis pagis præfectos mittunt, sunt autem præfecturæ tres Bilitionum, Palensa vallis quam Itali Pleniam, vel Breuniam vocant, et Riviera, quibus tres pagi ita imperant, ut semper quilibet pagus aliquam ex his obtineat. Præterea Vrsarii Viberi qui montem Gothardum accolunt, Vriorum imperium agnoscunt, proprium tamen consilium et Ammanum habent, sed qui ab Vriis confirmatur: et quoties causæ capitales aguntur, duo e senatu Vriorum consilio ipsorum intersunt. Peculiare quoque signum habent, *ein Panner*, sed quando Vrii majus signum *das Landpanner* proferunt, suum supprimunt. Suitii quatuor habuere præfecturas, Marchiam, Regionem ad Eremitanæ virginis fanum, Cussenacum, et viculos ad lacum Tigurinum qui villarum nomen habent, *die Höfe oder Ding Hofe*: sed ex his quatuor duæ priores jure quasi municipali donatæ sunt, ac e suo numero magistratus eligunt qui ipsis jus dicant. Verumtamen quotannis quando conventus totius populi Suitensis habetur, pro more legatos illuc mittunt, ac petunt sibi electionem propriorum magistratuum concedi, idque illis ingentis beneficii loco conceditur, hac exceptione addita, ut modeste et obedienter se gerant, alioqui populo Suitensi liberum esse præfectum illis imponere quotiescunque voluerit. Cussenacensium par fuit conditio, sed cum proximis annis exteri homines, qui hoc itinere sal et alias res frequenter vehere solent, conquererentur injuste secum agi et se nimium ab ipsis premi, Suitenses re comperta denuo illis præfectum et novas ordinationes et statuta dedere. Præterea cum Glaronensibus duas præfecturas communes habent, Vaenacum oppidum et castra Rætica, regio hæc vulgo dicitur *Gastal*, ac per vices præfectos dant, et semper uni tantum præfecturæ pagus unus, alter vero alteri imperat. Cum Vriis et Vndervaldiis tres præfecturas trans alpes in Lepontiis communi imperio regunt. Imperium præfecturarum omnium biennium tantum durat, et solum in tribus postremis præfecti habitant, ad alias certo tantum tempore juris dicundi causa proficiscuntur. Toggenburgii Suitensium et Glaronensium non quidem subditi sed cives sunt, et cum his alternatim militant. Tugini oppidani Chamio oppidulo ad lacum Tuginum, item vico S. Andreæ quondam etiam oppido, Hunebergo, Walchevilæ quasi dicas Italorum villæ, Steinhusiæ pago, et alteri qui S. Wolfgangi nomen habet, et præterea aliis quibusdam pagis imperant per præfectos qui in urbe habitant. Glaronenses Werdenbergensibus præfectum dant in singula triennia, quem comitatum emere anno MDXVII. cum Suitiis vero alternatim præfectos mittunt Vaenacum, et in castra Rætica. Toggenburgii ipsorum cives alternatim ut diximus cum ipsis et Suitiis militant. Postremo ex his pagis V. imperium habent in omnes præfecturas quæ communi Helvetiorum imperio parent: sed Abbatiscellani tantum Rheguscorum valli cum VII. pagis præfectum dant.

IX. Consuetudines quædam peculiares horum pagorum, et non omnibus Helvetiis communes istæ sunt ut opinor. Quicunque homicidium perpetraverit, etiam si vim vi repulerit, exulare cogitur, neque senatui ipsum ab exilio revocare licet, sed à publico conventu totius regionis reditum petere et impetrare potest. Deinde non patiuntur agros et fundos cuiquam extra regionem oppignerari: existimant enim se non fore amplius suæ regionis dominos, si plebs exteris ob æs alienum seipsam suaque bona obnoxia faciat. Similiter exteris etiam his qui inquilini regionis facti sunt apud Vrios nulla prædia emere licet, sed tantum domum et hortulum oleribus alendis. Si quis ex ebrietate aliquoties peccarit, non tantum carcere punitur, sed illi vinum interdicitur ad annuum tempus, donec in publico conventu veniam impetret. In conventibus publicis et honoribus mandandis cum de aliquo suffragia rogantur præsens interest, atque parentes, fratres, liberi, pro illo suffragium ferre possunt. Suffragia autem ferunt manu in altum porrecta, quæ certi homines ex

ex superiori loco aestimant, quod si hi dubitent, vel in partes abeunt, vel sub jugo transeunt, cujus hæc est ratio: duo hastam tenent utriusque ejus extremitatibus sub qua suffragium ferentes transeunt, ac alii duo prioribus assistentes transeuntes numerant. Postremo illos dies quibus majores ipsorum insigni aliqua victoria potiti sunt festos habent, et supplicationes agunt. Sic Glaronenses quotannis celebrant memoriam victoriæ, quam olim contra Austrios, prope vicum Navalium nomen habentem, adepti sunt, quem eorum ritum paulo copiosius exponam, ut inde etiam de aliorum festis judicium fiat.

X. Mense igitur Aprili quotannis festum hoc peragitur, feria quarta primæ septimanæ, ni illa Pascha proxime antecedat, tum enim in septimanæ quæ Pascha sequitur, feriam quartam differtur. Dominica præcedente magistratus in templo publice edicit, ut proxima quarta feria ex singulis familiis honestissimus quisque, et præsertim viri conveniant, et processione solenni per loca itinera et vestigia in quibus majores ipsorum periclitati sunt proficiscantur Mulhuseram usque ad fontem, neque antea in vicum Navalium dilabantur: præterea ut dum concio habetur omnes sileant, et eo die in cibo et potu ita se gerant ne quid indecorum committatur, senatum enim animadversurum in eos qui secus fecerint. Postremo ut hoc die omnes per universam regionem Glaronensium ferias agant. Edicitur etiam ne quis equo utatur extra pagum Glaronensem, nisi qui senes et infirmi fuerint, sed his quoque non licet ulterius equo vehi quam Schneisingam. Postquam vero omnes convenere, orbe facto Ammanus regionis in medio astans peregrinos publico nomine amice excipit, et primum omnium legatum Suitensium: nam hi quotannis legatum ad hoc festum celebrandum mittunt, propterea quod XXX. e Suitensibus prælio olim interfuerunt. Similiter Abbates, presbyteros, item vicinos e castris Ræticis, Marchia, Rapersvila, Toggenburgiis salutat, et illis gratias agit quod venerint ad celebrandam solennem processionem, ut Deo omnipotenti, et beatæ Virgini Deiparæ, atque suis patronis fidelibus Fridolino et Hilario laudes et gratias agant pro victoria majoribus suis quondam hoc die concessa. Salutatione finita hoc ordine procedunt, primum omnium vexillum rubrum cum S. Fridolini imagine præfertur: deinde tumba inaurata à quatuor viris deportatur, cui credunt nescio quas reliquias inesse. Hanc sequuntur imagines crucifixi, e vico Glaronensi et Navalium, et vallis Linthæ fluminis, et e proximis templis extra Glaronensem agrum Schennisio, Vesenio et aliis: pone crucifixi imagines eorundem templorum vexilla gestantur. Sacerdotes postea suo more canentes incedunt, primus omnium pastor Glaronensis vici et cum eo Abbas aut aliquis alius ecclesiastici ordinis e peregrinis, et post hunc ordine reliqui. Sacerdotes pontificios sequuntur Evangelicarum ecclesiarum ministri, et deinde senatus Glaronensis, Ammanus primum una cum legato Suitensium, post hunc vicarius, et reliqui deinceps, singuli peregrinum aliquem honoratiorem secum ducentes, extremum agmen mulieres claudunt, quarum magna multitudo plerunque confluit.

Postquam vero ad locum prælii perventum est, lapides illic undecim dispositi sunt, illis in locis in quibus impressionem in hostem fecerunt, undecies enim prælium renovatum fuit: ad singulos lapides vexilla subsistunt, et cuncti procumbentes in genua precantur. Cæterum ad sextum lapidem omnes in orbem coeunt, ac scriba regionis causam et originem hujus processionis de scripto recitat: cujus hæc summa est. Bello exorto inter Leopoldum Austriæ ducem, et Helvetios Tigurinos, Bernates, Salodorios, Lucernates, Urios, Suitios, Undervaldios, Tuginos et Glaronenses, Leopoldum exercitum duxisse Sempachium, ac anno MCCCLXXXVI. die IX. Junii ab Helvetiis victum et cæsum fuisse, atque una cum eo XVI. comites et barones, et nobilium præterea magnum numerum. Postea medio mense Augusto ejusdem anni Tigurinos, Urios, Suitios, et Glaronenses oppidum Vesenam oppugnasse et cepisse, atque Vesenios Helvetiis sacramentum dixisse, et se in perpetuum obligasse. Inducias autem factas esse usque ad initium carnisprivii sequentis anni, quibus finitis et bello renovato Glaronenses præsidium misisse Veseniis, cum autem hi se tutos putarent et Veseniorum juramento fidem haberent, quosdam cives Vesenios conspiratione cum hostibus facta noctu illis portas aperuisse, atque ita plerosque e præsidio Glaronensium ab hostibus cæsos fuisse. Eodem anno Aprili mense, tertia feria Austrios exercitum XV. millium ad Navalia duxisse, et vallum regionis perrupisse, his se opposuisse CCCL. homines e Glaronensibus, et XXX. e Suitiis qui ipsis auxilio venerant, illos hostem aggressos, et auxilio Dei omnipotentis, et beatæ Virginis, atque suorum patronorum Fridolini et Hilarii eosdem vicisse, captis undecim signis primariis, cæsis autem bis mille quingentis, præter eos qui in aquis perierunt. Cæsos etiam esse plerosque Veseniorum qui Glaronenses ante prodiderant. Quapropter ut Deo omnipotenti, et beatæ virgini Deiparæ, ac cœlestibus hierarchis et patronis Fridolino et Hilario ac omnibus divis in perpetuum gratiæ agantur, ac tantum beneficium et auxilium præstitum non tradatur oblivioni, constitutam esse annuam hanc processionem, in ea loca in quibus multa gravia majores ipsorum passi sint, etc.

Lectis hujusmodi literis, eodem loco concio habetur, concionantur autem alternis annis sacerdotes pontificii, et Evangelicus concionator Glaronensis ecclesiæ. Peracta concione et precibus absolutis, eodem ordine et ritu quo cœpere ad singulos lapides procedunt, donec ad undecimum pervenerint, is juxta vicum Navalium Vesenam versus positus est, quo loco postremo cum hoste congressi sunt: tum ad templum Navaliense iter convertunt, ac Evangelici quidem e Glaronensibus domum redeunt, reliqui templum petunt, ibi missa pro his qui in prælio cæsi sunt celebratur, et omnium qui ex Glaronensibus occubuere nomina recitantur. Excipiuntur deinde publico sumptu omnes ecclesiastici ordinis, præterea omnes peregrini qui hujus processionis gratia venere. A prandio sacerdotes tumbam sacram, cum vexillis et crucifixi imaginibus cantu prosequuntur domum usque. Atque hæc Glaronensium pompa est, et annuum festum, ad celebrandam insignem hanc victoriam. Habent alii pagi sua festa quibus victoriam ad Moregartum, et Sempachianam, et quasdam alias celebrant, horum omnium ritus commemorare non necesse arbitror. Neque etiam à me requiri existimo ut pronuntiem quid ego de his ritibus sentiam, de quibus non difficile est piis ex sacris literis pronuntiare. Ut Deo agantur gratiæ ob accepta beneficia, et eadem perpetua memoria celebrentur et ad posteros transmittantur nemo non probat:

bat: sed quod victoria non uni Deo accepta refertur, sed sanctis hominibus qui in cœlo æterna felicitate fruuntur, et quod hi pariter cum Deo invocantur et celebrantur eodem honore, id non video quibus scripturarum testimoniis aut exemplis probari possit.

DE REBVSPVBLICIS CONFOEDERATORVM, AC PRIMVM DE ABBATIA S. GALLI.

POstquam de Pagis XIII. et eorum republica diximus, deinceps eodem ordine de sociis et confœderatis agemus. Inter hos autem primum locum tenent S. Galli Abbas et oppidum. Abbatum S. Galli multis seculis magna fuit potentia, et non contemnendæ opes, ac inter principes Imperii numerantur: Cæterum à quo Imperatore titulum et honorem hunc acceperint mihi incertum est, Stumpfius annotat à Conrado Fabariensi annalium scriptore tradi, Vlricum abbatem ex Altosaxa familia oriundum, Basileæ à Philippo Augusto in principem promotum. Et quamvis nostra ætate non tanta sit abbatum potentia atque olim fuit, magna tamen nihilominus est, et late imperant. Paret illis in Turgea oppidum Wila, ac eo loco palatium et vicarium habet: deinde in superiori Turgea, ager populosus et non contemnendus imperio abbatum subjectus est, incolas vocant *die Gottshaussleute*, homines domus Dei, sive cœnobii, qui in certas regiones (*gegenden*) distributi sunt, quarum hæc sunt nomina nostra lingua: *Roschach*, *Thumbach*, *Gold*, *Underegg*, *Morswyl*, *Tablata*, *Gossowu*, *Waldkilch*, *Romisshorn*, *Summery*, *Müla*, *Hettisschwyl*, *Bernhartszell*, *Lumiswyl*, *Berg*, *Wittenbach*, *Rodmunt*, *Strubenzell*, *Geiserwald*, *Helfensschwyl*, *Bergknecht*, *Zuzwyl*, *Zibervvangen* et *Wiger*. Sunt autem hæc in certas præfecturas distributa, quibus præfecti ab Abbate imponuntur: præterea in plerisque locis suos Ammanos et officiales habent, qui ipsius nomine minorem jurisdictionem exercent: summum judicium quoque ab ipso constitutum est, ad quod ab his minoribus provocationes fiunt, et ubi graviores causæ disceptantur. Præterea officia omnis generis pro more principum constituta sunt. Porro præter jam dictam regionem comitatus Toggenburgiorum Abbatem S. Galli dominum agnoscit, qui etiam præfectum regioni constituit, summum judicem rerum capitalium: interea Toggenburgii cives sunt Suitiorum et Glaronensium, et sua privilegia et immunitates habent, quarum beneficio inter alia libertate religionis fruuntur. Item in præfectura Rheguscorum quæ ad Helvetios spectat, minor jurisdictio in plerisque vicis ad Abbatem pertinet, qui etiam Ammanos suos in his habet.

RESPVBLICA CIVITATIS S. GALLI.

I. Tribus. II. Consilia. III. Consules. IV. Quando senatus habeatur. V. Quando majus consilium habetur. VI. Conventus totius populi. VII. Judicia. VIII. Consistorium. IX. Magistratus sive officia publica. X. Linificii cura. XI. Cavendi incendii rationes.

INter Imperii civitates S. Galli oppidum numeratur Mulhusium etiam et Rotevila, ideoque fere forma reipublicæ utuntur quam primo descripsimus: sed quia cives S. Galli quædam peculiaria habent, eorum rempublicam paucis hic perstringam. Primum igitur omnium oppidum S. Galli in nobilium societatem quam Nottensteiniam vocant, et præterea tribus sex divisa est: inter quas primum et præcipuum locum obtinet textorum tribus, propter linificium: quoniam in oppido linea tela elegantissima texitur, idque maxima copia, quæ postea non tantum per Germaniam sed per Galliam, Italiam, Hispaniam, Bohemiam, Poloniam divenditur, unde magnæ opes civibus et oppido nomen celebre comparatur.

II. Duo consilia haec urbs habet, ut aliæ omnes, majus et minus. Minori intersunt homines XXIV. primum duodecim tribuum magistri: habent autem singulæ tribus tres magistros, qui per annuas vices ordine tribum regunt, sed duo tantum in minus consilium conveniunt, quorum primus in novo, alter in veteri senatu recensetur: tertius magistrorum primus est inter XI. viros qui e singulis tribubus in majus consilium deliguntur. Deliguntur autem tribuum magistri a suis tribubus tacitis suffragiis et a minori consilio confirmantur: atque quotannis bis fit electio senatus et magistratuum, circa solstitium, et post brumam. Præter tribuum magistros novem alii senatores minori consilio intersunt, hi a senatu libera electione tam ex nobilium societate quam e tribubus deliguntur.

III. His additi tres consules efficiunt numerum XXIV. senatorum: sunt enim S. Galli tres consules, primus qui consulatu fungitur, secundus qui vetus consul nominatur, qui proxime consulatu abiit, et tertius qui præest judiciis rerum capitalium, et alibi Advocatus sive præfectus imperii *Reichvogt* nominatur. Consul prima dominica Adventus eligitur, non a senatu, sed a tota universitate civium, occultis suffragiis, *mit der Run*, suffragia colligunt inferior consul et tribuum magistri qui eo anno suo munere functi sunt. Majus consilium constat hominibus LXVI. undeni namque e singulis tribubus in majus consilium deliguntur, atque ita utrunque consilium est XC. hominum. Consulibus et utroque senatu delecto, statuta civitatis in eorum consessu recitantur et de his consul ac novus senatus deliberant, ac postea ordine bini et bini in templum urbis majus quondam D. Laurentio sacrum procedunt, illuc omnes cives conveniunt, ac statutis et legibus recitatis, consul primum in leges jurat, deinde a senatu, et tota universitate civium jusjurandum accipit. Atque hæc fiunt postridie natalis Christi servatoris. Proxima die quæ D. Stephano sacra est, soli tribuum magistri et XI. viri in curiam conveniunt, et eligunt Tribunum quem ipsi vocant, *Underburgermeister*, inferiorem consulem: hujus munus est curare vigilias urbis, et viduis ac pupillis curatores et tutores dare, eorumque rationes inspicere.

IV. Minus consilium singulis septimanis bis ordinarie convocatur, secunda et quarta feria, præterquam annuis nundinis et diebus festis: item quarta feria quæ carnisprivium proxime procedit, quam insanam vocant, *den unsinnigen Donnerstag*, quoniam hac die quondam plebs adversus senatum tumultuata est, ideoque statutum est ne deinceps unquam hac die senatus habeatur. Administrat autem minus consilium res urbanas, et controversias civiles dijudicat,

cat, et de hæreditatibus et testamentis sententiam fert: sed causas capitales, item controversias debitorum, contractuum, injuriarum non cognoscit.

V. Consilium majus legitimum quotannis quinquies habetur, primum proximo die post natalem Christi quando novi magistratus eliguntur et confirmantur: secundo media quadragesima, ac tum Xenodochii præfectus eligitur et confirmatur: tertio feria quinta quæ proxime præcedit diem XXIV. Augusti D. Bartholomæo consecratam et tum præfectus tributorum constituitur, et de tributis agitur: quarto et quinto ante singulas nundinas, quæ post festum Ascensionis dominicæ, et S. Galli diem habentur, ac tum de nundinarum tutela et procuratione deliberatur. Extra hoc tempus quandoque extra ordinem convocatur majus consilium, quando ejusmodi negotia tractanda sunt quæ tantum ad majoris consilii cognitionem pertinent, qualia sunt, judicia rerum capitalium, ac tum Advocatus Imperii consilio præsidet ac sententias rogat: ac fiunt hæc judicia non in publico sed in curia senatoria, clausis ejus ostiis: Advocatum Imperii minor senatus eligit, et illi judicandi munus et potestatem concedit: Provocationes deinde ad majorem senatum factæ: item nemo in civium numerum, aut inquilinorum civitatis recipitur, nisi à majori consilio: sed hoc fit plerunque his temporibus quibus legitimus senatus habetur: sicut et pleræque provocationes tum dijudicantur. Quandoque etiam minus consilium rerum gravium deliberationes ad majus consilium remittit.

VI. Populus universus ter quotannis reipublicæ causa convocatur, primum quando consules deliguntur, secundo proxima die post natalem Servatoris quæ D. Stephano sacrata est, tum enim jusjurandum dant novo consuli, et se obedientiæ magistratuum obstringunt: tertio mense Augusto circa Bartholomæi festum, postea quam tributorum ordinatio constituta fuerit, quæ tum publice in conventu populi recitatur. Præterea statuta et leges civitatis in tres partes distributæ sunt, et singulis his populi conventibus pars una recitatur.

VII. Inter judicia urbis primum est V. virorum: hi autem sunt quinqueviri, Consul, Tribunus, e novis magistris tribuum unus, et duo e novo senatu, ac judicant de credita pecunia, de deposito, de debitis quæ non habent præfinitum certum terminum, de mercede debita, de controversiis ad annonam pertinentibus, de injuriarum actionibus et mulctis. Conveniunt tertia aut quinta feria: ac ab eorum sententia non licet provocare: ipsi tamen obscuriores aut graviores controversias ad minorem senatum remittere possunt. Alterum deinde est urbanum judicium *das Stadt-Gericht* cujus assessores duodecim sunt, ex nobilium societate et tribubus delecti, sic ut unus sit ex undecemviris tribuum, alter e populo: qui judicio præest nominatur *Stadt-Amman*, Prætorem urbanum dicere possumus, ac una cum aliis magistratibus circa festum nativitatis domini deligitur, et a majori senatu confirmatur. Assessores judicii quotannis bis permutantur, ac circa nativitatis festum à majori, circa festum Joannis Baptistæ à minori senatu deliguntur. Ad hoc judicium pertinent omnes controversiæ de debitis, permutationibus, annuis censibus quantumvis magna summa fuerit. Convocantur judices pulsu campanæ, et in curia conveniunt singulis septimanis prima feria nisi sit dies festus, aut utrunque consilium convocetur, tum enim judicum conventus in tertiam feriam differtur. Ab hoc judicio provocatio est ad minorem senatum, modo controversia non sit minoris æstimatione quinque librarum: quodsi is qui appellavit causa ceciderit, judicibus mulctam persolvit.

VIII. Consistorium octo judicibus constat, quorum quatuor sunt ministri ecclesiæ, aut alioqui viri literati, duo præterea e minori, et totidem ex majori senatu: his omnibus nonus præsidet e minori senatu aliquis, hic sententias rogat, et si paria fuerint suffragia, alteri parti accedit et ejus sententiam ratam facit: Fert autem consistorium sententiam de controversiis matrimonialibus, et de divortiis, neque ab ea provocare licet. Verum si difficiles controversiæ incidant, et ubi politicæ causæ cum matrimonialibus conjunguntur, tum vel causam ad senatum remittunt, vel rem differunt atque interea senatum et viros doctos de ea consulunt.

IX. Publica officia ejusdem generis sunt in hac republica ut in aliis, Tribuni ærarii, vectigalium et portoriorum præfecti, Ædiles. Qui vero hæc administrant rationem reddunt primum tribunis, postea minori, et demum majori consilio, idque fit proxime post natalem domini, redditis autem rationibus, tum ab utroque senatu vel novi deliguntur vel veteres confirmantur, ac quod eorum munus sit singulatim de scripto recitatur, ac postea in præsentia senatus jurejurando se obstringunt, ad id fideliter exequendum. Quin etiam ubi plures eidem muneri simul præficiuntur, statuta officii ipsorum scripta ipsis traduntur.

X. Quoniam vero præcipuum quæstum e linificio faciunt, et non tantum plebs urbana, sed maxima pars vicini agri hinc sibi victum parat, diligenter et accurate omnia constituta sunt, et cautum ne qua hic fraus admitti possit. Primum igitur omnium rudis tela mox ut à textore opus absolutum fuerit, a tribus hujus rei peritis et juratis hominibus inspicitur, et prout fuerit bona vel mediocris, tali signo notatur. Quod si mala et vitiosa videatur, ad textorum tribus magistrum et XI. viros remittitur, hi vel pecunia textorem multant, vel telam juxta octonas ulnas in partes dividunt, aut per mediam latitudinem telam integram dissecant, aut si prorsus nullius pretii fuerit, publice eam comburunt. Quotidie autem inspectio et examen hujusmodi fit, et forum lineæ telæ exercetur, certis legibus, ad quas servandas proxenetæ lini, se juramento obstringunt. Postquam tela examinata fuerit et probata, jurati mensores eam metiuntur et signant: mensoribus additi sunt alii ex XI. viris textorum, et mercatoribus mensurarum inspectores. Mensuram lineæ telæ vocant *den Reiff*, ac varia est longitudo telarum, sed integra habet ulnas CXXXIV. neque longiorem esse licet. Aliud deinde examen est telæ opera fullonum jam candidæ, qui hanc inspiciunt vocantur *die weissen schauwer*, hi inspiciunt candorem an satis alba sit, item an in officina fullonis non [illegible] læsa, ac prout fuerit signo notant, aut mulctam irrogant. Certi quoque homines ex mercatoribus et textorum tribu fullonum officinas inspiciunt, an omnia ordine et rite fiant, an lignorum et cineris copiam habeant, ne cuiquam in mora sint: officinarum quoque magistri quotannis gravi juramento obstringuntur. Ea vero tela quæ tinctorum officinis destinatur ab inspectoribus qui a colore nomen habent *blau und schwartz geschauwer*, in partes æquales secatur ab lini sectoribus *Leinwathschneider*, et ab aliis denuo examinatur an ju-

an justam mensuram habeat. Vbi veneto aut nigro colore linum tinctum fuerit, si inspectoribus color probetur, signo notant, et rursus ubi cilindro complanatum fuerit, denuo ab aliis probatur, et sigillum additur: quod si vitium aliquod habeat, vel secatur, vel id si fieri potest emendatur, atque tinctores et complanatores mulctantur. Hæc autem omnia diligenter ab illis observantur, et qui aliquid peccarit graviter mulctatur: urbs enim S. Galli hoc privilegii habet, ut eos qui in lino signando, sigillo addendo, tingendo, complanando, texendo, et similibus fraude et dolo usi fuerint, capitali judicio sistere, et si in asylum aliquod Cæsareum confugerint, inde eximere atque in ipsos animadvertere possit.

XI. Incendiorum cavendorum ratio qua cives S. Galli utuntur, breviter adnotanda est, quoniam ob incendia multa et gravia quæ olim passi sunt, in hoc damno cavendo cæteris diligentiores esse videntur. Singulis noctibus campana per quartam horæ partem pulsatur, quam vocant *die Feurglocke*, quo pulsu singuli admonentur ut domi suæ ignem bene procurent, ne aliquod incendium oriatur. Duo præterea tribuum magistri quotannis quater per totam urbem focos, fornaces, caminos inspiciunt, atque ideo nominantur ignis inspectores *die Feurgeschauer*, iidem simul inspiciunt arma civium, et annonam, an juxta magistratuum edicta instructi sint. Porro si ventus aliquis vehementior persset, aut aliqua tempestas oriatur, noctu præter quotidianos vigilum præfectos, quos nominant *die Wachtbieter*, duo alii constituti sunt, quos vigilum magistros vocant *die Wachtmeister*, hi assumptis binis civibus armatis e singulis tribubus una cum vigilum præfectis per urbis vicos obambulantes excubias agunt ad arcenda incendia, singulis autem noctibus homines XXXII. in turribus, mœniis, et plateis oppidi excubias agunt, et has Tribunus una cum vigilum præfectis distribuit. Quod si incendium aliquod exoriatur, civium alii, prout illorum munus fuerit, portas urbis, turres et mœnia curant, alii in publicis compitis et areis conglobantur, alii ad consulem se conferunt, alii in extinguendo igne occupantur: quatuor vero duces seu capitanei e minori senatu omnium horum curam gerunt, et singulis quid faciendum sit, pro imperio mandant, qui vero his non paruerint, graviter mulctantur. Si proxime extra portas incendium ortum fuerit, certus civium numerus cum suo duce ad id extinguendum porta emittitur, reliqui ad portas et mœnia aliaque constituta loca excubias agunt.

De scholis, de eleemosynæ ratione et pauperum cura nihil hic dicam, hæc enim illis cum aliis urbibus bene constitutis communia sunt, et pie atque prudenter ab illis administrantur. Ministrorum ecclesiæ electionem, ordinationem, et munus, item synodorum rationem, omitto: quoniam politica tantum hoc loco tractamus, alibi forte de his quæ ad ecclesiam et religionem pertinent acturi.

RAETORVM RESPVBLICA.

I. Fœdus superius. II. Landrichter. III. Fœdus Cathedrale. IV. Curiensis respublica. V. Fœdus X. jurisdictionum. VI. Senatus Ratiæ. VII. Judicia caussarum publicarum. VIII. Consuetudines. IX. Præfectura.

NOmen et imperium Rætorum olim late patuit, sed nunc hoc nomine intelligimus alpinos illos populos quos Itali Grisones vocant, nostri *Graupündtner*, qui veterem alpinam Ræætiam juxta fontes Rheni et Oeni fluminum incolunt. Dividuntur autem Ræti alpini in tria fœdera. Primum fœdus, quod superius et Canum fœdus vocatur, habet conventus XIX. Disentisium cœnobium quod in vetustis tabulis Desertina vocatur, huic Ætuatius vicus, Trunum et quædam alia loca conjuncta sunt. Deinde Waltenspurgum dictum Germanis, Burza Rætis. III. Suprasaxum *Obersachs*. IV. vallis Leguntia *Lügnitz*. V. Vals vulgo quasi vallis dicta. VI. Iliantum, *Ylantz*. VII. *Schlowis*. VIII. Liberi supra sylvam, quorum vicus supremus Laax. IX. Thænna: atque hæ jurisdictiones novem Rætis uno nomine vocantur, Pars supra sylvam, *die ob dem Wald*, reliquæ vocantur sub sylva. X. Flemium *Flims*. XI. Trimmis, Trimontium. XII. Stusavia, Savien nostris. XIII. Rætium *Rhätzüntz*: sedes quondam antiquissimæ et nobilissimæ familiæ baronum Rætiensium. XIV. Domliasca vallis ac Tusciana vicus illic celebris. XV. Schopina. XVI. Sessa, *Schamps*. XVII. Speluca *Splugen*. XVIII. Misauci, Masax. XIX. Rogoretum, Rufflee. Singuli conventus summum aliquem annuum magistratum habent, quem plerique eorum Ammanum vocant, hic una cum assessoribus sive judicibus ab eodem conventu delectis controversias dijudicat, et criminibus mulctas imponit.

II. Præter hos unus est totius fœderis præfectus, quem vocant *den Landrichter*, hic quotannis in publicis comitiis omnium conventuum deligitur, et publicis comitiis et judiciis totius fœderis præest. Comitia vero superioris fœderis habentur in pago Trunio primæ jurisdictionis, et illic etiam judicia publica conveniunt, quibus præest præfectus hic publicorum judiciorum, ac assessores habet XV. præterea scribam et apparitorem. Præfectum hunc authoritate superat Rætiensis arcis et jurisdictionis dominus, antiqua quadam, ut arbitror, prærogativa Rætiensis familiæ, quam postea domini ejusdem loci usurparunt, quamvis non eadem familia orti.

III. Secundum fœdus Domus Dei nominatur, *der Gotthauss-Pundt*, Cathedrale fœdus quibusdam, propter episcopatum et collegium Curiensis ecclesiæ: conventus sive communitates XXI. habet, quæ nonnunquam in XI. majores contrahuntur. Vrbs Curia caput hujus fœderis primo loco numeratur, et sola inter XI. communitates non componitur ex duabus minoribus communitatibus, sed sicut eodem oppido et iisdem mœnibus cives continentur, ita etiam omnes unus conventus censentur: reliqui XX. conventus duobus in unum conjunctis X. alios majores conventus faciunt.

IV. Habet autem Curiensis civitas peculiarem Rempublicam, non dissimilem Tigurinæ et aliis ejusdem generis. Nam ab initio cives omnes in quinque tribus distributi sunt, ex singulis tribubus viri XIV. publicis consiliis intersunt, ita utrunque consilium homines LXX. habebit. Ex his e singulis tribubus quinque in minus consilium deliguntur, quibus adduntur quinque magistri tribuum anni superioris, atque ita consessus virorum XXX. conficitur: horum pars media viri XV. senatores vocan-

vocantur, qui Rempublicam administrant. Senatui præsunt duo Consules, quorum annuum per vices est imperium. Senatus vero et magistratus urbis quotannis Novembri mense die D. Martino sacra deliguntur. Porro viri XXX. quorum mentionem fecimus, causas criminales judicant, et huic judicio præsidet Præfectus urbis *der Stadtvogt*, duo autem hoc munere alternis annis funguntur, sicut et consules. Alter deinde est consessus judicum cui præest Prætor urbanus *der Stadtrichter*, ac XV. assessores habet V. tribuum magistros, et X. ex consilio XXX. virorum qui propterea judices vocantur. In hoc judicio controversiæ civiles, et actiones pecuniariæ de debitis solent dijudicari, Provocatio inde est ad minorem senatum. Causas matrimoniales senatus sive minus consilium dijudicat. Secundus conventus Cathedralis fœderis, nomen habet quatuor vicorum *die vier Dorffer*. III. conventus Bergoniensis vocatur. IV. Imum castrum. V. Greifenstein. VI. Bivium sive Stalla. VII. Tinnetio cum Rætia ampla, Reamps et aliis vicis, hic cum Imo castro unam jurisdictionem facit, et præfectus Rætiæ amplæ jus dicit in criminalibus et capitalibus causis. VIII. Vatium superius domus quondam Baronum Vatiensium. Hic conventus cum Bergoniensi conjungitur. IX. Furstenovium. X. Ortensteinum in Domiliasca. XI. Summada. XII. Sutzium; hi duo conventus ambo in superiori Ingadina sunt et unum majorem faciunt. XIII. Ardetiensis. XIV. Scultina. XV. Eremusiensis, qui cum Biviensi et Averensi unum e majoribus conventibus facit. XVI. Bregalia sive Præjulia Bergel, supra portam. XVII. Bregalia infra portam. XVIII. Pesclavium. XIX. Bruseum *Brüsch*: hic conventus cum superiore conjungitur, et unam ex undecim majoribus constituit. XX. Vallis Monasteriensis. XXI. Ad malos, Mals. Singuli conventus proprios magistratus, et judices, suas leges et consuetudines habent quibus libere utuntur.

V. Tertium fœdus X. jurisdictionum nominatur, prima et princeps harum est Davosiana, a Davosio vico nomen habens, in quo curia est hujus fœderis, et omnium jurisdictionum comitia habentur. Secunda est Belfortiensis vel Alvonavana *Alvaniivv*. III. Barponensis seu Corvantiana *Churvvalden*. IV. Pralongana *Languvies*. V. Sancti Petri *Sant Peter in Schansic*. VI. Cœnobiensis in valle Rætica prope fontes Langari *zum Klösterlin im Prättigöuvv*. VII. Castellana vel Jenatiensis in eadem valle. VIII. Acieriensis *Schiers*. Octo hæ jurisdictiones supremum magistratum agnoscunt Archiducem Austriæ. Etenim olim hæc loca paruere Vatiensibus dominis, extincta vero ipsorum familia Toggenburgii comites ipsis successere, et his Amatienses: postea Gaudentius Amatiensis comes moriens anno MCCCCLXXXIX. hæc Archiduci Austriæ reliquit. Imponunt autem Austriæ duces præfectum octo jurisdictionibus, quem hactenus e Rætis selegerunt, is in Rhæticæ vallis castello habitat, a quo septima jurisdictio nomen habet, ac præest judiciis rerum capitalium, et si quæ alia ducis jura sunt, ab hoc administrantur. Verum non idem et par jus habet in singulas jurisdictones, sed quævis sua privilegia et peculiares consuetudines habet, quorum omnium tabulæ in archivo Davosiano conservantur: ipsum Davosium cum Prælongana jurisdictione præ aliis plurimis immunitatibus et privilegiis fruitur. Nona jurisdictio Malansiana vocatur a vico Malans, qui inter Langarum flumen et Rheticonem montem ad Austrum jacet. Decima nomen habet ab oppido quod Germani *Meyenfeld* quidam Majæ villam, alii Lupinum vocant: Postremæ duæ jurisdictiones olim quoque Vatiensium dominorum fuere, et postea Toggenburgensium comitum, ab his pervenere ad Wolfhardum Brandisium, propter uxorem e familia Werdenbergia, ac tum salvo Brandisiorum jure cum aliis octo jurisdictionibus duobus fœderibus Rætorum se conjunxerunt. Postea Ræti non tantum duorum fœderum, verum etiam tertii fœderis has jurisdictiones emerunt, et his præfectum mittunt qui Lupini in arce habitat, et præsidet judiciis criminalibus, capite punit, mulctas exigit, vectigalia et alios reditus publicos colligit. Convenere autem in unum fœdus X. jurisdictiones anno partæ salutis MCCCCXXXVI. his conditionibus legibusque, ut sibi mutuo adsint in omnibus rebus justis et æquis, et se mutuo contra hostes consilio et auxilio juvent, ne cuivis injuria afferatur, sed singuli suum jus obtinere eoque pacifice et tranquille frui possint. Cæterum justis dominis præstentur omnia quæ illis ex officio debentur, ac liberum sit unicuique suis immunitatibus et privilegiis frui, atque ea reliqui illis conservent et eos ab injuria tueantur. Postea eodem anno aut saltem proximo duobus aliis fœderibus se in perpetuum conjunxere, atque ita tria fœdera in unum quasi corpus conjuncta sunt, cujus partes a nobis enumeratæ sunt. Sed in his enumerandis magis locorum situm quam ordinem quem in comitiis servant secuti sumus: in quo tamen variari a quibusdam video: itaque hic duorum fœderum communitates eo ordine quo in Helvetico fœdere ponuntur adscribam. Superioris fœderis conventus sunt Leguntia vallis, Iliantum et in Fovea, Supra saxum, Waltenspurgum, Laxa et Liberi supra sylvam, Flemium, Schevvis, Trimontium, Rhætium, Hetzenbergum et Tusciana, Sessa, Rhinvaldii, Misaucum et Rogoretum, Saphia, Thenna, Schopina, Vallis. Cathedralis autem fœderis conventus hoc ordine ponuntur, Curia, Furstenovv, Pagi quatuor ad Asperum montem pertinentes, Vatium superius, Rætia ampla, Imum castrum, Grifenstein, Bivium sive Stalla, Aversa, Prægalia infra et supra portam, Zuzium, Summada, Pesclavium, Stenzebergum, Scultina, Eremusium, Monasteriensis vallis, Ad malos, Galsa, et Schantza. Decem jurisdictionum audio hunc esse legitimum ordinem, ut prima sit Davosiana, quam proxime sequuntur tres jurisdictiones Ræticæ vallis, deinde Beltfortiensis sive Alvanoviensis, Coriovallensis, Sampetriana, Pralongensis, Malantiensis, Majevillensis. Scio eosdem conventus ab aliis aliter nominari, ubi tamen nulla est diversitas, propterea quod sæpe in eodem conventu plures sunt insignes vici, ubi quidam ab uno, alii ab altero toti communitati nomen imponunt, nos autem illos præcipue nominavimus, qui capita sunt illius conventus.

VI. Fœdera igitur Rætorum sunt tria, quæ conventus L. habent, ex quibus tamen una tantum respublica constituitur, etsi enim plerique conventus proprios magistratus, leges, seu potius consuetudines et judicia rerum civilium et criminalium habent, major tamen potestas est penes senatum trium fœderum. Nomino autem senatum trium fœderum quem ipsi vocant *einen Punds-Tag*, comitia legatorum ex singulis conventibus totius gentis: ac alii quidem conventus singulos, alii binos legatos ad publicum conventum mittunt, attamen si sit ordinarius senatus, Superius fœdus senatores sive legatos XXVIII. mittit,

mittit, Cathedrale XXIII. Decem jurisdictionum XIV. et quamvis plures mittantur, totidem tamen quot numeravi singula fœdera suffragia habent. Nonnunquam etiam concilium totius pene gentis convenit, quod proximis annis factum est: sed id rarius contingit, et summam reipublicæ senatus administrat, sic tamen ut singuli senatores sive legati non suo arbitratu sed ex mandato sui conventus quod scriptum ad senatum deferunt, agant, et ad hunc acta referant, ac eo quod senatus major pars decreverit reliqui tenentur. Est autem senatus Rætici pene par ratio atque Helvetici, et similia tractantur in utroque, quæ ad totius gentis rempublicam pertinent, de pace et bello, de fœderibus, de legationibus, de legibus et edictis, audiuntur appellationes quæ ex communibus præfecturis ad senatum sive comitia totius gentis fiunt. Loca habendi senatus tria sunt, Iliantum in superiori fœdere, Curia in Cathedrali, Davosium in X. Jurisdictionibus: frequentius tamen Curiæ convenit idque nundinarum tempore, quæ habentur ter quotannis, primum mense Januario post diem festum Conversionis Pauli, secundo septimana quæ proxime sequitur dominicam Trinitatis, tertio mense Novembri Martinalibus. Habent et alium senatum quem vocant *einen Beytag*, quando tantum præcipui magistratus, et quasi capita trium fœderum conveniunt: sunt autem hi, Judex provincialis ut vulgo nominatur in superiori fœdere, Consul Curiensis in Cathedrali, Ammanus Davotiensis in decem jurisdictionum fœdere. Quoties igitur causæ publicæ agendæ sunt, quarum tamen causa non placet indici senatum totius Rætiæ, tum hi tres præcipue et præterea aliquot alii ex singulis fœderibus convocantur: sed non habent plenam statuendi potestatem, verum acta ad communitates fœderum separatim referuntur, et quod major horum pars statuerit ratum est. Extrema etiam provocatio est a Senatu ad communitates, et tum causæ in singulis communitatibus proponuntur, et earum sententiæ in scripta relatæ colliguntur.

VII. Judicia etiam publicarum controversiarum apud Rætos non dissimilia sunt Helveticis, si enim inter tria fœdera controversia oriatur, ex singulis fœderibus tres vel quatuor judices deliguntur, qui soluti juramento quo suo fœderi obstricti sunt, causam vel amice componant, vel ex æquo et bono dijudicent: quod si paria fuerint suffragia, arbiter communibus trium fœderum suffragiis deligitur. Si autem duo tantum fœdera litem aliquam habeant, deferant eam ad tertium fœdus, et id judicium utrique parti æquum constituat quo utantur. Si inter duos conventus sive jurisdictiones ejusdem fœderis controversiæ existant, utantur judicio proximi conventus in eodem fœdere. Ubi vero diversorum fœderum conventus inter se contendunt, senatus trium fœderum judices constituit qui causam cognoscant. Quando conventus aliquis aut etiam privati homines controversiam habent aliquam cum ipsis fœderibus, duo vel tres e singulis fœderibus judices deliguntur. Quando duo fœdera adversus unum litem habent, sex judices e duobus fœderibus deliguntur, et totidem ex altero, et si hi causam componere aut decidere non possint, trium fœderum suffragiis arbiter deligitur. Conventus autem juridici primo Ilianti habentur, deinde Curiæ, postea rursus Ilianti, quarto denuo Curiæ, et quinto Davosii.

VIII. Porro Rætorum statuta et consuetudines exponere perlongum foret, quædam tamen hic annotare breviter non ingratum lectori, nec ut opinor inutile erit. Primum igitur communi decreto sancitum est, ne Episcopus Curiensis aut quisquam alius ecclesiastici ordinis civilem magistratum constituat, et præfectum aut Ammanum conventui et judicio alicui præponat, sed populus Rætorum suos magistratus propriis suffragiis creet. Qui autem ab episcopo aliquo officia impetravere, quandiu illi serviunt, comitiis et Senatui interesse non possunt. Ministros ecclesiarum singulæ parochiæ sibi deligunt, et eos officio amovere possunt, et illis stipendium solvunt, quod sane plerisque in locis perexiguum est. Decumas minores nullas solvunt tota Rætia: majores non in agro sed collectis frugibus et vino domi solvunt, ac tantum decimam quintam partem dant. Omnes qui in aliquo conventu habitant, libere in omnibus fluviis et rivis sui conventus piscari possunt: similiter passim venari et aucupari. Per universam Rætiam eodem pondere et mensura tam rerum aridarum quam liquidarum utuntur, pondere inquam et mensura Curiensis oppidi: neque in his quicquam mutare licet Curiensibus absque consensu aliorum fœderum.

IX. Restant nobis præfecturæ Rætorum enumerandæ, quibus tria fœdera ex æquo imperant. Cis alpes igitur prope Curiam Lupino et Melantrio præfectum imponunt, de quo supra diximus. Superatis alpibus infra Prægaliam ad Mairam fluvium Pluriensis præfectura primum occurrit. Est autem Plurium vicus ingens in campis qui alpibus subjacent positus, ad utranque Mairæ ripam, et ad oppidi morem excultus. Eo loco e saxo lebetes torno cavantur ad coquinæ usum, ac dicitur ea saxi natura esse ut venenum injectum ad ignem ebulliat et rejiciat, ideo lebetes hujusmodi per Italiam magna copia distrahuntur. Vicini pagi omnes Plurium conveniunt, illic præfectus jus dicit, hunc Potestatem vocant, et summum ac merum imperium in his locis Rætorum nomine obtinet. Post Plurium sequitur Clavena oppidum et comitatus Clavenensis, quamvis Plurium quoque Clavenensis comitatus pars olim fuerit. Jacet autem Clavena oppidum supra caput Larii, X. P. M. a lacu distans, ut Antoninus quoque in suo Itinerario indicat. Præfectum Clavenensem Commissarium vocant Ræti, et hujus inter alios post Sondriensem summa est auctoritas. Tertium ordine locum obtinet, dignitate tamen et amplitudine reliquis præstans Volturena provincia, quam hodie vallem Telinam nominamus, Plinio Vennonetes dicti videntur: vini præstantissimi copia, et quod longe in Helvetiam, Noricum, Germaniam avehitur nostra ætate celebris. Divisa est autem tota Volturena in sex præfecturas: initio in suprema valle ad Braulium montem sive Juga Rætica Bormium oppidum jacet, prima præfectura, et quæ plura privilegia et immunitates præ aliis habet. Proximum est Tiranum oppidum altera præfecturarum Volturenensium. Tertiæ præfecturæ caput est Telium, a quo vallem Telinam quidam dictam putant: Oppidum hoc in edito ac natura munito loco situm est, et ideo totius provinciæ arx et propugnaculum censetur. Sondrium celeberrimum totius Volturenæ oppidum quartæ præfecturæ sedes est, quæ dignitate ac potestate reliquas omnes præcedit, et qui eam tenet non præfectus, aut Potestas nominatur, sed Capitaneus, nam præter Sondriensem præfecturam, pacem et tranquillitatem totius vallis tuetur, et si quod periculum immineat, Imperatoris munere fungitur:

 Capi-

Capitaneo additus est Vicarius, hic una cum Capitaneo civiles controversias Sondriensis præfecturæ cognoscit: præterea jus dicit in criminalibus et capitalibus causis quæ ex tota valle ad ejus tribunal deferuntur, ac in consilio habet viros doctos et Jurisconsultos, et juxta leges ac statuta Volturenæ vallis sententiam fert, quam tamen in singulis præfecturis hi quos Potestates vocant moderari et mitigare possunt. Præterea in omnibus causis provocare licet ad senatum dominorum Rætorum, vel ad eos quos illi commissarios (ut vocant) judices ordinarint et miserint: aut denique ad communitates, quæ summa penes Rætos Potestas est. Quinta præfectura est Morbeniensis; Sexta vero et ultima Trahonensis. Atque hic quidem Volturenensium præfecturarum ordo est: verum Bormiensis præfectura a plerisque non numeratur in Volturena, et tota vallis in tres partes, Tertzier (tertiarias) vocant, dividitur: harum prima Tiranensem et Teliensem præfecturas complectitur: secunda Sondriensem: tertiam constituunt duæ reliquæ præfecturæ Morbeniensis et Trahonensis. In electione autem præfectorum ordo et fœderum et communitatum servatur, exempli gratia si fœdus superius præfectum Sondriensem dederit ad hoc biennium, dabit alium ad proximum Cathedrale fœdus, et ad tertium biennium decem Jurisdictionum præfectum constituet. In singulis fœderibus communitatum ordo similiter servatur, ac aliquando communitates ipsæ quæ ex ordine præfectum dare debebant, eum solæ eligebant, nunc a senatu Rætico eligitur. Monetam cudunt in Rætia Episcopus et civitas Curiensis: Abbas quoque Disentisius vetera privilegia et jura monetæ cudendæ habet.

VALLESIANORVM
RESPVBLICA.

I. Vallesiæ divisio. II. Episcopus. III. Juris præfectus et senatus. IV. Præfecturæ.

Vallesia tota in duas partes dividitur, superiorem ab ortu Rhodani usque ad Morsiam fluvium, qui infra Sedunum Rhodano miscetur, hanc olim Viberi et Seduni incoluere: et Vallesiam inferiorem à Morsia ad Agaunum, quæ loca Veragri tenuerunt. Superior regio in septem partes distincta est, quas ipsi Desenas et Germanice *Zehnden* nominant: quod nomen unde deductum sit ignoro, nam a Decumis aut denario non potest derivari, cum tantum septem Desenæ sint: amicus quidam meus existimat idem esse quod διοικησις, singulæ enim Desenæ suam διοικησιν sive jurisdictionem habent, singularem rempublicam et peculiaria privilegia: Aliqui putant *Zehnden* nomen a Centenarii nomine deductum esse, atque in legibus Francicis inter officia Comitum numerantur Vicarii et Centenarii: et in quibusdam Germaniæ locis vocantur *Zendgrafen*, qui certæ alicujus diœceseos judiciis præsunt. Nos originem nominis in medio relinquentes, deinceps Desenas Latine non male ut arbitror Conventus nominabimus. Septem igitur sunt Vallesiæ superioris Conventus, Gomesianus, Brigianus, Vespianus, Raronius, Leucianus, Siderianus et Sedunensis. Porro Conventus universi Ecclesias seu Parochias habent XXX. Inferioris Vallesiæ sex sunt Conventus, quos ipsi nominant signa militaria, *Panner*, eo quod singuli propriis vexillis utuntur, Ecclesiæ XXIV.

Veragri sive Vallesiani inferiores diu olim cum Sedunis et Viberis bella gesserunt, et tandem nonaginta tribus abhinc annis victi eorum imperium subierunt: arces munitæ numero sedecim ab his destructæ sunt, quarum rudera hodie cernuntur, neque enim easdem restituere licet, ne libertati eorum inde periculum creetur: Itaque nunc Viberi et Seduni Veragris imperant, et illis præfectos mittunt, qui jus dicant, et rempublicam administrent.

II Princeps vero Regionis est Episcopus Sedunensis, qui Comes et Præfectus Vallesiæ nuncupatur: hunc suffragiis communibus deligunt Canonici Collegii Sedunensis, et legati septem Decumarum superioris Vallesiæ. Tradunt autem Vallesianorum annales Carolum Magnum Imp. Theodolo Episcopo Sedunensi, quod is ab angelo edoctus nescio cujus secreti delicti remissionem sibi indicasset, donasse comitatum et præfecturam Vallesiæ, ipsi ac successoribus, et jus præferendi gladii in signum civilis jurisdictionis, item cætera privilegia principum Imperii concessisse. Etsi autem sunt quædam quæ hanc narrationem suspectam reddant, de quibus in nostra Vallesia disserimus, illud tamen certum est jura hæc quæ diximus, ab aliis Imperatoribus postea Episcopis Sedunensibus concessa et confirmata esse, ac nominatim a Carolo IV. Imp. eademque renovata et aucta per Carolum V. Imp. qui libenter hoc dedit precibus Matthæi Schineri Episcopi et Cardinalis optime de se meriti.

III. Proximum ab Episcopo locum tenet, quem illi regionis Ducem seu Capitaneum, et Gallica voce Balivum, vulgo *des Lands Hauptmann*, nuncupant, hunc juris præfectum nos nominare possemus, quando ad illum causæ civiles deferuntur: præest hic biennio, et ab Episcopo et legatis Decumarum liberis suffragiis deligitur, et deinde publica approbatione singulorum Conventuum confirmatur. Singuli quoque Conventus summum magistratum habent, quem Gomesanii, Raronii et Leucenses Majorem, cæteri Castellanum nominant: hic cum sui Conventus senatu quasvis causas etiam capitales judicat. Præterea Ammanos (quo nomine Helvetici quidam pagi summum magistratum appellant) sed hi apud Vallesios sunt sub imperio Majorum. Ab omnibus conventibus ad senatum Vallesiæ provocare licet. Nomino hic senatum, quem vulgo vocant *den Lands-Rath*: hic more majorum quotannis bis convocatur Majo et Decembri mensibus, quo tempore ex singulis pagis bini et nonnunquam terni legati conveniunt, idque Seduni in Castro Majoriæ. Senatui interest Episcopus, sententias rogat Balivus: ac ab his de republica consilia tractantur, eliguntur gubernatores et qui publica officia administrant, et summum jus dicitur a quo provocare ad aliud tribunal non licet.

Magnæ autoritatis et potentiæ in Vallesia quondam fuere Barones Raronii, horum successores sunt domini de Chiurone qui sunt Mareschalci episcopatus Sedunensis, vicedomini Seduni et Seneschalci Vallesiæ.

Matza qua utuntur contra vim potentiorum, peculiare quoddam Vallesianorum institutum est, cujus ratio copiose a nobis in descriptione Vallesiæ exposita est.

IV. Imperium totius Vallesiæ, ut diximus, est penes Episcopum et septem conventus superioris Val-

lesiæ, inferior regio his paret et in sex conventus sive præfecturas distributa est. Contegium quod vulgo Gundes vocant Seduno proximum est et primum locum obtinet: fuit hæc præfectura aliquandiu Bernensium, sed eam Vallesiani bello Sabaudico anno MDXXXVI. permutatione alterius recepe-runt, id quod in Vallesia nostra adnotavimus, ubi tamen perperam scribitur Aelen, quam Aquilejam quidam vocant, tum datam fuisse Bernensibus, cum certum sit eam multis antea annis a Bernensibus fuisse possessam. Contegio proximum est Ardonium, deinde Sallionium, quarto loco Intramontii sequuntur: quinto Octodorum sive Martiniacum hodie: postremo Agaunum, sive S. Mauritii oppidum, quo loco coeuntibus pene montibus, vallis tota arce et duplici porta ponti Rhodani imposita clauditur. Mœnia et arces horum oppidorum excepto Agauno a Vallesiis dirutæ sunt anno MCCCCLXXV. Cæterum extra ipsam Vallesiam tres præfecturas bello Sabaudico cepere, primam Montei dictam, alteram Ivianum, tertiam vallem alpium nostris *Hochthal*: superioribus tamen annis unam Emanueli Philiberto Sabaudiæ duci restituerunt, alias duas retinent.

BIENNENSIS RES-PVBLICA.

I. Major. II. Societates. III. Magistratus. IV. Subditi.

Bienna vel Bipennium oppidum Bernensibus ut diximus perpetuo fœdere conjunctum est, quod anno MCCCLII. initum fuit. Postea cum Salodoriis anno MCCCLXXXII. similiter fœdus perpetuum fecit: et tertio cum Friburgensibus anno MCCCCVII. atque ita cum tribus pagis Helvetiæ fœdus habet. Episcopum Basiliensem dominum agnoscit in rebus civilibus aut temporalibus, nam quod ecclesiasticam jurisdictionem attinet in diœcesi Lausanensi jacet: sed Papatus jugum, episcopique spirituale imperium dudum excussit, instituta ecclesiæ reformatione juxta sacrarum literarum doctrinam, exemplo Bernatum et Tigurinorum, postea etiam Lausanensi episcopatu a Bernensibus occupato, immunitate ab his donatum est. Basiliensi episcopo sua jura integra manent, is summum magistratum in oppido constituit quem Majorem *den Meyer* vocant, sed hunc ex senatu oppidi deligit: atque hic senatui se jurejurando obligat, et vicissim senatus ipsi jurat. Præest autem judiciis capitalibus atque cum senatu criminales causas cognoscit: mulctarum quæ ternas libras excesserint pars media episcopo cedit: præterea decumas quasdam et alios reditus episcopus habet, verum portoria, vectigalia, et tributa, civium sunt non episcopi, neque enim licet episcopo tributum vel aliquod onus civibus imponere, aut urbem oppignerare: verum episcopo militare debent, non tamen longius ab oppido quam ut eadem die domum reverti possint, quod si ulterius eorum opera uti voluerit, stipendio eam conducat. Recitantur etiam quotannis in conventu civium privilegia urbi data ab Immero Ramsteinio Episcopo anno MCCCLXXXIII. in his omnia privilegia, quibus majus oppidum Basileæ fruitur, Biennensibus conceduntur.

II. Respublica autem Biennensis sic administratur: cives omnes in societates sex distributi sunt, sic tamen ut uni, duabus aut pluribus societatibus liceat se conjungere, ac singulæ societates duos magistros et famulum habent. Publicum consilium ex omni civium numero libera electione creatur, ac minus consilium XXIV. hominibus plerunque constat, majus XXX. Electio senatus quotannis fit sub finem præcedentis anni, et initio novi anni in templo promulgatur: creantur autem Electores aliquot ex utroque consilio, hi in præsentia archigrammatei veteres senatores confirmant, et ubi opus fuerit novos deligunt.

III. Eum qui publico consilio præest civium magistrum vocant, atque hic ab utroque consilio eligitur: hujus prima est auctoritas et potestas post Majorem, ac quoties in senatu de republica deliberatur, et res civiles tractantur, Major et cæteri qui aliquod officium Episcopi administrant, senatu excedunt, et Consul ibi præsidet. Post consulem hæc munera aliquam dignitatem habent, Tribuni ærarii, Signiferi, Ædiles, Judices consistorii: habent item præfectos ecclesiæ, xenodochii, nosodochii, publicæ eleemosynæ etc. Deliguntur autem ab utroque consilio idonei homines ad hæc munera obeunda, solus Signifer ab universo populo creatur, huic non tantum signum urbis commissum est, sed una cum Consule pupillorum defensor est, et ut fidos tutores et curatores habeant prospicit, atque ab his rationem exigit. Senatus ter singulis septimanis convocatur, prima, quinta et sexta feriis: si quis alio tempore senatum haberi velit et causam coram ipso agere, Majori florenum numerat, qui deinde indictum senatum habet. Judicum peculiarem conventum Bienna non habet, sed omnes controversiæ civiles et criminales a senatu dijudicantur:

IV. Biennensium imperio paret vallis S. Immeri dicta, quæ etiam dominium Argue nominatur, ac in plures conventus dividitur, quorum singuli proprium Majorem aut Ammanum habent, qui singulis annis Majo mense et Septembri eliguntur et confirmantur. Verum præfectus huic dominio a Biennensibus non imponitur, sed singuli conventus propria judicia exercent, ac ubi sententiæ diversæ fuerint, causa ad senatum oppidi remittitur: ab eodem nonnunquam assessores aliqui mittuntur qui judiciis paganorum intersint: præterea ab eorum judiciis ad senatum provocare licet. Incolæ vallis sub signis Biennensium militant.

RESPVBLICAE POPVLO-RVM QVI COMMVNI HELVETIORVM IMPERIO REGVNTVR: AC PRIMVM DE OPPIDIS STIPENDIARIIS.

Superiori libro populos qui communi Helvetiorum imperio reguntur distribuimus in oppida stipendiaria V. et præfecturas IX. Oppida hæc suos magistratus propriumque senatum habent: et sicut in aliis urbibus Helvetiæ ita in his quoque duplex est publicum consilium, minus quod fere XII. Senatoribus constat, et majus virorum XL. adnumeratis prioribus XII. Qui publico consilio præest *Schuldtheiss* nominatur, hunc Badæ uterque senatus eligit. Bremogarti VIII. pagi e duobus alterum constituunt, sed tamen e numero civium oppidi: alterum cives ipsi. Frauenfeldi autem a tota plebe deligitur, idque occultis suffragiis *mit der Run*. Tribu-

nos ærarii, ædiles et alios magistratus senatus creat: habent enim hæc oppida publica officia, habent etiam singula peculiare ærarium, et ex his quædam satis locuples pro ipsarum amplitudine et conditione, nam portoria, vectigalia, et tributa ipsorum sunt. Badæ tamen qua frequens est iter ex Germania in Galliam, portorium quidem oppidi est, sed vectigal mercium quæ transportantur, ad Helvetios pertinet. Senatus minor non tantum res urbis procurat sed etiam civibus jus dicit, neque enim aliud peculiare judicium habent: præter quam Fravvenfeldæ. Ac singulæ urbes non tantum jurisdictionem rerum civilium sed criminalium quoque et capitalium habent.

Bremogartum imperat vicis aliquot proximis urbi quos vocant Cellæ præfecturam *das Keller-Ampt*, ac pertinet hæc regio ad Liberæ provinciæ præfecturam quæ Tigurinorum est, sed Bremogartensibus olim oppignerata fuit, Sigismundus autem imperator cum Tigurinis possessionem Liberæ provinciæ tradidisset, simul quoque illis privilegium dedit ut hæc pignora redimere possent, verum Bremogartenses a Tigurinis petierunt ut pro mutua amicitia quæ hactenus inter ambas urbes fuerit, sibi pignus hoc relinquant, idque facile impetravere. Itaque eo tempore Tigurinorum beneficio, datis etiam super hac re literis, in possessione hujus regionis collocati et confirmati sunt anno MCCCCXIX. Summum tamen imperium et animadversionem in capitalium criminum reos Tigurini sibi servarunt: Postea anno MDXXVIII. controversia inter Tigurinos et Bremogartenses orta est de provocationibus ad quem pertineant, quam Pagi VII. ita diremerunt: si qui judicio contendant in his pagis ad Cellæ præfecturam spectantibus, eos primo Bremogartum provocare posse, deinde Tigurum, si Bremogartensium sententia ipsis non probetur: in controversiis autem quæ tantum Bremogarti disceptatæ fuerint, provoationem ad VIII. pagos fieri.

Fravvenfeldum oppidum præter senatum peculiarem, habet consessum judicum, *das Wochen-Gericht*, hi cognoscunt controversias civium et eorum qui extra urbem in pagis proximis ad urbis jurisdictionem pertinent, criminales tamen causas, et hæreditatum ac similes controversias Senatus dijudicat. Judices decreta sua certa mulctæ impositione, et auctione bonorum creditoris exequuntur. Licet autem ab hoc judicio ad VII. pagos Helvetiorum provocare: sed a senatu nulla est provocatio. Præsidet huic judicio nostra ætate permissu senatus Ammanus regionis, olim tamen ante annos circiter centum, urbis apparitor, et postea Advocatus Imperii judicio præsedit. Porro ubi aliquis capite damnandus fuerit, iidem judices suo arbitratu adjungunt sibi duodecim alios, ex urbe aut agro ipsorum, atque hi XXIV. de capite alicujus sententiam ferunt. Atque hoc privilegium civitati dedit Sigismundus Imperator. Itaque oppidum hoc, carcerem et jus sumendi capitalis supplicii antiquitus etiam sub Austriis principibus habuit, atque hodie Helvetii jura eorum conservant et tuentur: et quamvis summa jurisdictio rerum capitalium ad pagos X. pertineat, Fravvenfeldum tamen excipitur, quod tantum VII. pagis subest, salvis suis privilegiis. Præterea quod testamentorum et hæreditatum jura spectat, sunt quædam huic oppido peculiaria a reliqua Turgea. Adhæc Fravvenfeldii cives nomina et debita sua exceptis annuis reditibus tota Turgea secundum jura provincialis judicii exigunt, ac eos qui a judicio banniti fuerint, impune hospitio excipere possunt: ipsi vero ad nullum exterum judicium sive aulæ sit, seu totius provinciæ evocari possunt, sed actor eorum judicio uti debet. Habet etiam cœnobium Augiæ divitis quædam jura in hoc oppido, et cives se sacramento obstringunt, et quondam non exigua eorum pars servi ecclesiastici hujus cœnobii fuere, sed postmodum se ab omnibus servitutis oneribus redemerunt, ac nunc priusquam Augiensi domino sacramentum dicant, literas ab ipso accipiunt, quibus promittit se jura cœnobii sui quæ Fravvenfeldi habet nunquam oppigneraturum, venditurum, alienaturumve esse, ac præterea conservaturum ipsis singula ipsorum privilegia, immunitates, jura et bonas consuetudines. Postremo belli tempore quondam senatus Fravvenfeldi ducem et legatum ac signiferum et cæteros rei militaris præfectos delegit, quos universa Turgea secuta est et illis sacramentum dixit: signum quoque urbis a pontifice Romano sicut omnium Helvetiorum signa imaginibus quibusdam ornatum est: nempe Christi crucifixi imagine, et duabus clavibus decussatim positis: ac ab adversa crucis parte effigie ut volunt faciei Christi linteo impressæ. Verum superioribus annis Turgeæ provinciæ proprii duces et peculiaria signa concessa sunt: interim urbi et his qui ad ejus jurisdictionem pertinent sui duces et signiferi veteraque signa manent.

PRAEFECTVRAE.

QVot sint Helvetiorum præfecturæ et ad quos pagos pertineant, ac qua ratione in eorum potestatem pervenerint, ante a nobis expositum est. Cæterum præfecti à pagis ex ordine mittuntur, et in plerisque pagis hic mos est, ut solum minoris consilii hominibus sive senatoribus hoc munus demandetur, hi tantum biennium præsunt, postea proximi pagi præfectus succedit. Ita vero administrant præfecturas ut secundum leges et consuetudines singulorum populorum jus dicant, verumtamen in præfecturis Cisalpinis præfectus in criminalibus causis non ipse solus jus dicit, sed delecti judices ex tota plerunque provincia, quorum consessum vocamus Provinciale judicium, *Ein Land-Gericht*, causas graviores et præsertim capitales cognoscunt, et sententias ferunt: summum tamen imperium penes præfectum est qui judicio præsidet, et sententiam mitigare potest. Sed in præfecturis Italicis sive transalpinis soli præfecti sententiam de capite alicujus ferunt, possunt quidem viros prudentes in consilium adhibere, verum illi nullum jus habent sententiæ ferendæ. Postremo in senatu Helvetiorum quotannis circa solstitium rationem suæ administrationis reddunt, Cisalpini quidem Badæ: Italici Lugani coram legatis duodecim pagorum qui eodem tempore illuc mittuntur: ac tum appellationes subditorum dijudicantur a senatu Helvetico. Si bellum Helvetiis ab aliquo extero hoste inferatur, omnes præfecturæ militem dant et sub propriis signis Helvetios sequuntur: singulæ tamen se illi pago conjungunt penes quem illo tempore imperium ejus præfecturæ exitit. Sic Bello Burgundico Turgea præfectura Tigurinos secuta est. Quando vero bellum intestinum in Helvetia oritur, præfecturæ cum utrique parti jurejurando obstrictæ sint, non tenentur ut militem dent, nisi id major pars pagorum ipsis imperet.

BADA

BADA SIVE AQUENSIS PRAEFECTURA.

I. Potestas præfecti in oppidum. II. Clingenovium et Cæsaris tribunal. III. Zurzachum.

PRæfectura comitatus Aquensis cæteris splendidior est, propter Helvetiorum senatum qui plerunque Badæ habetur, nam præfectus Aquensis semper interest senatui et sententias ex ordine rogat: si quid vero publico senatus nomine scribitur, signo præfecti plerunque obsignatur: præterea si in Senatu paria suffragia fuerint, ipse arbiter alterutram sententiam probat et controversiam dirimit. Habet autem præfectus nullum jus in oppidum Aquense, sed in comitatum qui in plures pagos et minores jurisdictiones divisus est, in his præfectus suos habet vicarios seu apparitores, qui una cum judicibus ejusdem pagi jurisdictionem ipsius nomine exercent, mulctas impositas exigunt, et ad præfectum referunt: nonnunquam etiam ipsi præfecti hujusmodi judiciis intersunt. Sed cum judicia capitalium criminum habentur, judices XXIV. ex toto comitatu Aquensi conveniunt: deliguntur hi à præfecto, sed moris est ut semel delecti perpetuo hoc munere fungantur, nisi quid obstet, sed si quis moriatur, aut a munere hoc remotus fuerit, præfectus alterum illi surrogat: Judices secundum leges de capite alicujus sententiam ferunt, attamen præfectus penes quem est summa potestas sententiam eorum mitigare potest. Inter officia præfecti præcipuo loco est scriba totius provinciæ, quod munus cum dignius tum etiam eo uberius est, quod hujus opera Helvetii in suis conventibus utantur: proximus ab hoc est quem subpræfectum Badensem vocant, qui summus est apparitorum præfecti.

II. Pertinent etiam ad comitatum et præfecturam Badensem duo oppidula Clingenovium, et alterum vulgo dictum *Kayserstuhl*, ac si dicas Cæsaris sedem aut tribunal: verum his Episcopus Constantiensis præfectos imponit, neque in illis præfectus Aquensis ullam edicendi aut imperandi, vel mulctas exigendi potestatem habet, sed tantum judicia capitalium criminum ad ipsum spectant, et cives horum locorum cum comitatu Badensi Helvetiis militant.

III. Præterea inter utrunque oppidum jacet Zurzachum vicus ingens ad Rhenum fluvium, oppidi in morem excultus, subjectus Episcopo Constantiensi, et ad Clingenoviam præfecturam pertinens, de cujus politia propter loci celebritatem quædam addam. Etenim celeberrimæ nundinæ bis quotannis in hoc loco habentur, ad quas mercatores non tantum ex Helvetia et Germania sed ex Gallia quoque et Italia confluunt, cum tamen nundinæ, quod mirum est, uno die peragantur. Plerique existimant hoc esse forum Tiberii cujus Ptolomæus meminit, et ideo nundinas has antiquissimas esse et ab ipso Tiberio institutas: nomen Zurzachi, quasi Certiaci vici accepisse videtur a M. JUNIO CERTO milite Romano quem illic conditum vetus inscriptio testatur. Jurisdictio hujus pagi ad Clingenoviensem præfectum pertinet, is quotannis mense Januario apparitorem deligit, deinde eos quos senatores vocant, qui octo sunt, sed tamen quatuor anno uno munere suo funguntur, et jurati senatores nominantur, quibus postea quatuor alii succedunt, his adduntur adhuc quatuor judices: hi XII. numero præsidente ipsis præfecto Clingenoviensi controversias dijudicant et alternis septimanis conveniunt: interea si quis petat judices extra ordinem convocari solutis XIII. assibus Lucernatis monetæ id impetrat. Porro episcopi præfectus non edicit aut mulctas imponit majores X. libris: sed si crimen videatur gravius mulctandum, aut etiam capite plectendum, tum præfecti Aquensis apparitor judicium exequitur et reum multat. Verum extra nundinarum tempus capitalium criminum rei primum Clingenovii examinantur, et tum demum confessi et convicti capitalis criminis præfecto Badensi traduntur. Nundinarum autem tempore, hoc est Calendis Septembris, et prima feria septimanæ quæ festos dies Pentecostes sequitur, pridie nundinarum adveniente præfecto Badensi jurisdictio omnis Episcopi cessat, et solus præfectus imperandi et edicendi jus habet, ad finem usque nundinarum. Nam quia magna hominum multitudo ad nundinas confluit, voluere majores nostri illas ex integro sub tutela et procuratione eorum esse, quorum summum imperium et major esset potestas in his locis, hi aliquando fuere Austrii principes domini comitatus Aquensis, hodie sunt VIII. Pagi Helvetiorum. Quod autem vici Zurzachensis curam et administrationem attinet, id procurant viri XVI. quatuor scilicet adhuc aliis additis ad judicum numerum: postremo ad totius plebis conventum referuntur quæ majoris momenti sunt.

TURGEA.

I. Jurisdictionum domini. II. Rinovium. III. Episcopi cella. IV. Arbor felix. V. Diessenhovium. VI. Judicium provinciæ. VII. Judicium capitis.

INter omnes præfecturas Helvetiorum nulla est amplior et populosior quam Turgea, quippe quæ parochias supra L. habet, huic præfectos dant Pagi VII. vetustiores, et ad hos dominium regionis et civilis jurisdictio pertinent, atque si bello petatur Helvetia ab externo hoste, cum his militant: suprema autem jurisdictio causarum criminalium et capitalium X. Pagorum est. Cæterum ecclesiastici ordinis multi, et quam plurimi nobiles passim in vicis Turgeæ inferiorem jurisdictionem obtinent, sic tamen ut ipsi nihilominus præfecto totius regionis subjecti sint: atque hi edicunt et mulctant libræ unius pœna, possunt deinde edicere et mulctas imponere ad decem usque libras, sed media pars mulctarum cedit præfecto, sicut hæc omnia certo jure et ordine constituta sunt, ipsis noto. Omnes autem qui jurisdictionem habent nominantur *Gerichts-Herren*. Ex his ecclesiastici ordinis sunt isti, Episcopus Constantiensis qui suos præfectos in Turgea habet Arbore felice, Tanneggi, Guttingæ, Gottliebæ: Capitulum ecclesiæ Constantiensis, Altenavii jurisdictionem obtinet: cœnobium Augiæ divitis, quod nunc episcopatui unitum, et ut dicitur, incorporatum est, maximos reditus in Turgea et plurimas jurisdictiones habet, Steckboræ, Bernangi, Mannenbachi, Ermatingæ, Tribeltingæ, etc. Multi quoque nobiles hujus cœnobii Vasalli sunt. Eremitani cœnobii Abbas Eschentzi dominus est. S. Galli cœnobium etiam quorundam vicorum jurisdictionem habet: Cœnobia item quæ in ipsa Turgea jacent,

Tobela

Tobela Joannitarum domus, Fischinga Abbatia ordinis Benedictini, Ittinga Carthusianorum domus, Munsterlinga Abbatia virginum Benedictinæ familiæ, et Tennicona Cistertiensium familiæ Abbatia, item Veldbachum, Calchera, S. Catharinæ vallis prope Diessenhovium, et præterea quædam Præpositurae jurisdictionem in unum aut alterum pagum, et quandoque in plures obtinent. Nobilium autem familiarum arces quæ adhuc incoluntur, et veterem jurisdictionem retinent, multæ sunt, quarum eas quæ nunc succurrunt recensebo, cum familiis ad quas pertinent: Wellenbergum et Griesenbergum Vlmii hodie incolunt, Herdera et Burgela Landenbergiorum arces, Wengia Gieliorum, Spiegelbergum Muntpratiorum. Vinfelda Schellenbergii, et ni fallor Gemmingiorum. Ad fines oppidum Comitis Ebersteini, Neuenburgum cum Mammera Tummiorum, Salensteinum et Blideca Halvilii, Clingenbergum Heidenheimeri, Ottlishusa Schenckiorum, Eppishusa Hagenviliorum, Liebenielsa Lanziorum, Clinga vetus Brumsiorum, Nusera Stockerorum, Sonnenberga Gutenfuniorum. Multæ etiam arces dirutæ sunt quarum jurisdictionem maxima ex parte ecclesiasticæ familiæ obtinent, partim etiam nobiles aliarum arcium incolæ, aut cives Turgeæ.

II. Porro non tantum civilium, sed etiam criminalium et capitalium causarum jurisdictionem habet Abbas Rinovianus in oppido Rinovio, quod sane pervetus oppidum esse videtur, quamvis hodie ædificiis parum excultum, et eo loci quondam castra habuisse Romani adversus Allemannos creduntur: illic in Rheni insula cœnobium est Benedictini ordinis unum ex vetustissimis totius Helvetiæ, Abbas merum imperium in oppido habet, verum tamen in criminalibus si quis damnatus fuerit capitalis criminis traditur Præfecto, sive Ammano provinciæ, ac bona damnati a septem pagis Helvetiorum confiscantur. Habent Rinoviani peculiare signum sive vexillum sub quo Helvetiis militant. Præterea oppida quædam Turgeæ Helvetios quidem patronos agnoscunt, sed tamen suas immunitates et ampla privilegia habent, ac propriam jurisdictionem.

III. Episcopi cella oppidum ad confluentes Sitteræ et Turi, jacet quidem in Turgea, et sub suis signis cum Helvetiis militat, sed præfectus nullum in illos imperium habet, neque quicquam illis imperare et edicere potest: paret autem partim Episcopo Constant. partim αυτονομια fruitur. Episcopus præfectum habet in arce oppidi, et omnium mulctarum media pars illi cedit, sed cives oppidi proprium senatum eligunt, et duos qui huic præsint, quos veteres senatores vocant, hi rempublicam cum senatu administrant, et alter horum judiciis rerum capitalium præest, neque licet cuiquam a sententia senatus provocare, neque etiam civem oppidi ad aliud judicium citare. Vectigal vini et alii reditus reipublicæ cedunt. Quando episcopus jusjurandum a civibus exigit, prius jusjurandum dat se ipsorum privilegia et immunitates nulla ex parte imminuere velle.

IV. Arbor felix vetus oppidum ad lacum Acronum, cujus Antoninus quoque Itinerarii auctor meminit, Episcopo quidem Constantiensi paret qui præfectum ibi habet, sed cives præterea Ammanum et senatum deligunt, qui res civiles administrant, habent etiam Helvetii aliquid juris et dominii in hoc oppido, nam arx eorum usibus servit belli tempore, et cives iisdem militant.

V. Diessenhovium oppidum ad Rhenum inter Scaphusiam et Steinam ad Turgeam pertinet, ac præter VII. Pagos veteres penes quos est Turgeæ dominium, Berna et Scaphusium juris et dominii aliquid Diessenhovii habent, sed tamen Diessenhoviani tantum octo Pagis juramento obstringuntur. Oppidi hujus cives privilegiis non paucis fruuntur, et peculiarem senatum habent et Scultetum ut vocant, quinetiam jurisdictio aliquot pagorum in vicinia ad ipsos pertinet, verum omnes in præfectura Turgeæ censentur, et una cum reliquis sub oppidi sui signo Helvetiis militant.

Cæterum præter jurisdictiones ecclesiasticarum familiarum et nobilium, complures sunt pagi quorum integra jurisdictio ad Helvetios pertinet, nominantur autem jurisdictiones comitatus Turgeæ, ac apparitores Præfecti per hos pagos judiciis præsident. Fuerunt autem aliquando diversæ actionum et judiciorum formulæ, et variæ admodum consuetudines, verum septem Pagi Helvetiorum consentientibus et in consilium adhibitis jurisdictionum dominis, communem quandam juris formam per universam Turgeam constituerunt. Porro si quis cum alicujus jurisdictionis domino controversiam habeat, eam ad præfectum provinciæ defert, et ab illo jus petit.

VI. Duplex autem est superioris juris forma in Turgea, aut enim causæ aguntur coram provinciali judicio, aut coram præfecto et ejus assessoribus, hoc vocant *Tagsatzung*, alterum *das Land-Gericht*. Judicium hoc provinciale non tantum ad septem pagos pertinet, qui Turgeæ præfectos imponunt, sed præterea Bernates, et Friburgii ac Salodorii ejus domini sunt, cujus causam primo libro exposuimus. Convenit id aliquando Vitoduri, cum Kiburgius comitatus cum Turgea conjunctum esset: postea prope mœnia Constantiæ, postquam civibus ejus urbis a Sigismundo Imperatore oppigneratum fuit: alias etiam alibi habebatur: sed nunc Fravvenfeldæ tantum habetur, et ab Helvetiis decreto cautum est ne alio transferatur. Judices sunt XII. quos præfectus deligit, et quatuor horum ex oppido Fravvenfeldo, reliquos ex agro Turgeo. Judicio præsidet præfectus nomine X. Pagorum, vel Ammanus regionis, quem iidem Pagi constituunt, vel etiam alius vicarius quem sibi præfectus substituerit. Appellationes ex tota Turgea in hoc provinciali judicio deciduntur, deinde ibidem judicantur pecuniariæ controversiæ quæ ad hoc judicium deferuntur, et jure deferri possunt: item convitia quibus alterius fama et honos læditur, causæ criminales et capitales. Porro de iisdem rebus omnibus Præfectus cum suis assessoribus, qui plerunque sunt Ammanus provinciæ, et Scriba, atque Apparitorum primus, judicat: atque in actoris arbitrio situm est, utro judicio uti malit. Præfectus sua edicta et sententias executioni mandat mulcta pecuniaria decem librarum imposita ni intra dies decem illis satisfiat: provinciale judicium non imponit mulctam pecuniariam suis edictis: sed bannum sive proscriptionem: hoc tantum sub mulcta edicit ne quis in judicio ipse causam agat, non adhibito actore aliquo e numero judicum: item ne quis intra ipsum consessum judicum ingrediatur. Qui præfecti edicta contempserit, accusatus custodia mandatur. Ab utroque judicio ad Helvetios provocare licet, et prout causa fuerit a Pagis VII. vel X. cognoscitur: similiter mulctæ omnes partim cedunt VII. Pagis, partim X. nempe bona capite damnatorum, aut quæ ob noxam capitalem confiscantur, et mulctæ

ctæ criminum quæ cum capitali noxa cohærent: sunt autem hæc omnia certo jure definita, et præfecto notum est quid quibus Pagis cedat. Veluti sunt exempli gratia, atroces injuriæ etiamsi non puniantur capite, item si quis pacem sibi indictam manu violarit: injuriæ quæ alicui in publica et regia via inferuntur, sive vulnerando aliquem, sive spoliando, aut vim inferendo: item si quis sibi usurpet et vendicet privatim publicas vias: terminos aut bona fiduciario jure data transmutet: fidem publicam violet: dominos superiores præfectum aut judicium contumelia afficiat, etc.

VII. Porro quicunque superiori judicio capitalis noxæ rei pronunciati fuerint, ad alios deinde judices accusantur qui capitis sententiam ferunt. Numero hi sunt XXIV. atque aliquando hic mos fuit ut XII. judicibus provincialis judicii totidem alii a præfecto adjungerentur, ex tota provincia ipsius arbitrio delecti: hodie vero plerunque judices Frauenfeldensis oppidi, de capite pronuntiant: idque fit vitandorum sumptuum gratia, qui longe majores essent si judices ex tota provincia convocandi essent. Ab hoc judicio non licet provocare, attamen in arbitrio præfecti positum est, sententiam a judicibus latam mitigare, aut genus supplicii capitalis mutare, vel damnato vitam concedere: aggravare autem judicum sententiam non potest.

SARVNETES.

SArunetum, sive Sanagensium regio quondam comites habuit hujus nominis a quibus Helvetii eam emere: fuerunt autem orti ex Werdenbergensium comitum familia, quæ eadem fuit cum Montfortia, nam hæc in plurimas familias aliquando divisa fuit. Dividitur autem tota regio flumine non magno, quod Saram vocant, in duas partes. Superior habet vicos aliquot, quorum præcipuus est Regatium, ubi judicia ejus partis exercentur: item cœnobium Fabarianum, cujus Abbas quandam in his locis jurisdictionem habet. Videtur autem hæc pars olim ab altera separata fuisse, sic ut Sarunetum nomen ad illos pertineat, qui infra Saram habitant, et a flumine forte nomen habent (alii enim sunt Sarunetes quorum Plinius meminit, ad ortum Oeni fluminis, hodie Ingadini dicti) qui vero supra flumen habitant Reguscis aut Rhucantiis attributos fuisse verisimile est: hi, et proprio judicio, et aliis mensuris, atque ponderibus, quam inferiores utuntur. Sanegaunum vero oppidum non magnum cum arce, in qua præfectus habitat, caput est totius præfecturæ. Oppidum ipsum, sicut et alterum ejusdem præfecturæ ad lacum Rivanum quod *Walhenstatt* vulgo nuncupatur, in antiquis autem diplomatibus Riva, proprium consilium habet, et ejus præsidem Sculteum, quem tamen Helvetii qui imperium præfecturæ obtinent, constituunt. Verum inferior tantum jurisdictio ad hos spectat, quo modo etiam præcipui vici sua judicia habent. Supremum judicium rerum criminalium et capitalium Sanagauni habetur, judices deliguntur ex oppido et tota præfectura, præsidet autem judicio plerunque loco præfecti, is quem Ammanum regionis vocant. Præfectus ipse causam adversus reum agit: habet autem ex officiis scribam et apparitorem. Si capitalium criminum rei teneantur Rivæ, illic judicium habetur, et capitis supplicium de condemnatis sumitur: sed præfectus judicio præest, non Rivensium Scultetus.

RHEGVSCI.

PRæfectus vallis hujus, quæ a Rheno nomen habet, et supra ingressum Rheni in lacum Acromum, ad sinistram ejus ripam jacet, sedem suam habet Rhynecci, oppidulo in inferiori parte vallis sito. Dividitur autem tota præfectura in partes certas quas *Hofe* Villas nominant, quarum hæc sunt nomina Altestettum oppidulum, Marpachium, Bernangum, Taal, ad hanc villa Rhineccum pertinet, Oberrieda. Singulæ villæ propriam jurisdictionem habent, et duos Ammanos, quorum unum Præfectus Helvetiorum, alterum Abbas S. Galli constituit. Mulctarum quæ in his imponuntur pars media Abbati cedit, altera Helvetiis. Altestetti tamen mulctæ trifariam dividuntur, et tertia pars oppidanorum est. Lustenovii qui etiam vicus est Regusccorum inferior jurisdictio ad comites Amilianos pertinet, quanquam sint qui dicant, inferiorem et superiorem jurisdictionem hujus loci spectare ad Austrium principem. Judicia rerum capitalium Helvetiorum sunt, ac præfectus eorum hæc exercet in his villis in quibus crimen capitale commissum est, judices sunt Ammani villarum.

Incolæ hujus vallis culturæ vinearum et nendo lino, quod Sangalli commode vendunt, potissimum student, et inde sibi victum comparant: cives quoque S. Galli multa prædia et vineta hic habent, et non paucos colonos, itaque una cum incolis novum vinum æstimant, et certum precium constituunt, non quo teneatur quis vinum vendere, sed quod domini colonis, et alii itidem his persolvant a quibus vinum hac conditione emerunt ut juxta publicam æstimationem solvant. Instante enim vindemia legati singularum villarum S. Gallum conveniunt, his unus aut alter e consilio S. Galli adjungitur, et communi consilio de precio vini statuunt: si sententiis discrepent et paria fuerint suffragia, is pagus cujus vices tum fuerint arbiter est: singuli enim pagi certis vicibus ex ordine arbitrii jus habent. Precio vini constituto vindemia inchoatur, neque enim antea licet uvas colligere.

BARONES AB ALTO-SAXO.

INtermedio loco inter Regusccorum præfecturam et Werdenbergium comitatum, jacet dominium Baronum ab Altosaxo, etsi autem hi liberi sunt merum habentes imperium, tamen hoc loco prope Reguscos situs ratione ipsorum mentionem facere volui. Est vero Altosaxorum familia vetustissima ac is qui descripsit ludos equestres, quos quidam Torneamenta, alii Trojanos ludos vocant, refert ab Henrico Aucupe Fridericum Baronem Altosaxum ex Suevica nobilitate delectum, qui aliis formam et rationem ludorum præscriberet. Misauci Rætorum populus qui Hisarci in trophæo Augusti nominantur a Plinio, paruere quondam Baronibus Monsaxiis, quos postea Sigismundus Imperator comitum dignitate ornavit, ac Wolffus Baro Monsaxius adversus Obotritos militavit, anno DCCCCXXXV. Dicuntur

autem hi ex Altosaxorum familia oriundi, et vocantur Domini *von Sax zu Monsax*. In Rætia multi nobiles vetustissimæ stirpis esse dicuntur, a primis Rætis qui Tusci fuerunt ut creditur oriundi: ipsi se a Romanis ortos gloriantur: illic olim Altosaxi habitarunt, nam et prope vallem Leguntiam quæ maxime antiqua nobilitate gloriatur, vicus nomen familiæ retinet, *Obersax*, et arx illic fuit a Saxo vel ut quidam malunt a Sacco nomen habens. Mihi itaque verisimile fit, Altosaxorum familiam Ræticam origine esse, ac a veteribus Tuscis qui Romanis antiquiores fuere, una cum aliis multis nobilibus Rætorum familiis originem ducere. Illa etiam regio cui hodie imperant, olim in Rætia censebatur, quando etiam Strabo Rætiæ fines usque ad lacum Acromum extendit. Duas munitissimas arces hæc regio aliquando habuit, Saxiam quæ bello Abbatiscellanorum combusta est: et Forsteggam, quæ longe est recentior: dicitur enim ab Altosaxiis ædificata auctore Abbate S. Galli Vlrico ab Altosaxo, cum eo tempore bellum adversus Montefortios comites gererent. Subjecti sunt arcibus in eadem valle pagi plures Altosaxorum dominio obnoxii, ex his si bellum ingruat Helvetiæ, robustum militem sub suo signo illis auxilio educunt: ac Vlricus, pater Vlrici Philippi qui nunc in his locis imperat, bello adversus Maximilianum Imper. et fœdus Suevicum, strenue Helvetiorum partes defendit, et ab illis virtutis ergo aliquot majoribus tormentis donatus fuit. Sunt autem a multis annis Barones Altosaxi cives Tigurinæ urbis: cæteroquin Helvetii nullum in Altosaxios imperium habent, sed illi suis hominibus libere, absque ulla provocatione ad superiorem aliquem dominum, imperant.

Familia Baronum ab Altosaxo nostra memoria ad unum D. Vlricum Philippum redacta est: verum is eam Dei beneficio denuo auxit, nam e duabus uxoribus quinque filios jam adultos et egregiæ virtutis superstites habet, Albertum, Joannem Theobaldum, Joannem Philippum, Joannem Christophorum, et Joannem Huldricum.

PRAEFECTVRAE ITALICAE.

I. Locarni descriptio. II. Arx Locarnensis. III. Præfecturæ amplitudo. IV. Agri fertilitas. V. Mercatus. VI. Populi ordines. 1. Nobiles. 2. Plebs. VII. Magistratus. 1. Commissarius sive præfectus. 2. Interpres. 3. Procurator fisci. 4. Præfecti vectigalium. 5. Satelles. Locum tenens. 6. Apparitores. 7. Consiliarii. 8. Consiliariorum munus. 9. Procuratores. 10. Cancellarius. 11. Quæstores. 12. Consules. 13. Præfecti annonæ et viarum. 14. Judex rei lignariæ. VIII. Brisagum etc. IX. Exules Locarnenses.

INter præfecturas quatuor Italicas principem locum tenet Luganensis, cujus præfectus Capitaneus nominatur, et omnium præfecturarum imperium habet, si bellum subito in his regionibus oriatur. Proximum locum tenet Locarnensis, priori amplitudine non multo inferior: hujus descriptionem exactam, quam meo rogatu confecit C L. medicus Thaddæus Dunus Locarnensis amicus meus summus, hic adjiciam: etenim ex hac de aliis quoque præfecturis judicium fieri poterit, quamvis enim amplitudine differant, et non par sit politia inter ipsos incolas, forma et ratio, quod tamen Helvetiorum imperium, et præfecti munus attinet ubique fere eadem est ratio.

I. Oppidum hoc Italice Locarno, Latine Locarnum, Germanice vero *Luggaris* appellatur. Sic autem appellatum plerique existimant, quod sit quasi locus carnium, quia ager bonis suavibusque carnibus abundet. In plano situm est, inter radices montis altissimi, et Verbani lacus ripam. Habet ab Oriente lacus initium et caput (Leander Bononiensis perperam Verbani caput ad exitum Ticini ponit) a Meridie lacus ipsius quasi collum gracile, et ultra lacum excelsos montes. Ab Occasu diffunditur in pectus suum, a tergo, quod Septentrionem spectat, montes sunt magni. Orientem versus ad fines agri Bellizonensis, campus est amplissimus, fœni inprimis ferax, per quem Ticinus amnis delabitur. Non procul vero ab oppido inter jam dictum campum et ipsum oppidum, et inter montis radices et Verbani ripam, prædia sunt lætissima, frumenta vinumque simul ferentia. Ad Occasum juxta oppidum agri sunt satis late patentes, et valde fertiles. Hi olim latius patebant, sed à vicino fluvio vastati sunt, et abrepti. Montes vero longo tractu porrecti vitibus optimis ordine pulcherrimo dispositis consiti sunt. Porro oppidi amplitudo e familiarum numero cognosci potest, numerantur enim familiæ plus minus quadringentæ. Oppidum nullum est ad Verbanum situm, quod Locarnum amplitudine vincat. Nobiles quoque habet plures, quam ullum aliud, ideoque primarium et princeps oppidum est. Quanta autem sit loci hujus amœnitas, ex jam posita descriptione satis liquet. Aeris vero temperies, clementia, et salubritas tanta, quantam optare liceat. Austri non nisi refracti et retusi eo perveniunt, propter objectos illis montes. Boreas et ipse sæpe clementior est propter altitudinem montium, oppidum hoc quasi tegentium. Ab Oriente in Occidentem perflatus est liberrimus. Nullæ ibi stagnantes aquæ, nullæ paludes. In summa locus satis amœnus est.

II. Habuit ante annos non ita multos amplissimam et munitissimam arcem, turribus multis insignem et claram, magna fossa circundatam. Sedes quondam fuit Ruscarum comitum præcipua. Galli arcem annis aliquot tenuerunt, ab anno Domini MCCCCXCIX. usque ad annum MDXIII. Comitibus arce quidem privatis, sed non pulsis. In ea palatium erectum est, quod etiamnum integrum et intactum visitur: estque prætorium, hoc est, domus præfecti, in quo tamen habitat ipse quoque interpres, et satelles ambo Helvetii, de quibus infra sermonem habebimus. Portus intra arcis muros est egregius, in quo naves armatæ olim servabantur. Anguli ejus quatuor (est enim quadrangulus) turribus totidem muniti erant. In ambitu murum habebat, bene firmum. Alluebatur tum temporis Verbano, ideo naves e portu in lacum commode exponi poterant. Nunc tanta illic congesta a vicino fluvio, Madia dicto, glareæ vis conspicitur, ut intervallo satis magno a lacu distet. Diruta postea fuit arx tota, præter palatium, ab Helvetiis anno salutis MDXXXI. Fundamenta adhuc extant omnia, et parietes ædium multarum. Non erat talis arx in regionibus illis. Bombardæ majores et minores inerant multæ, et armorum variorum magnus cumulus. De illa Franciscus Guicciardinus lib. V. historiarum nonnulla scribit, quando Helvetiorum millia quin-

quindecim ad eam oppugnandam convenerant. Ejusdem etiam meminit lib. XI. et XII. ad finem.

III. Olim temporibus Ducum Mediolanensium Comitatus unus erat agri totius, cui nunc Locarnensis præfectus imperat (si tamen Brisagum oppidum excipias) una cum eo, cui Madianus præfectus præest. Comites vocabantur Ruscæ, qui nobiles Comenses erant magnæ authoritatis, ita ut urbe Como, vel Novocomo, potiti sint, quam tamen Duci Mediolanensi restituerunt anno MCCCCXVI. Sed Comitatus iste postea divisus fuit, et vallis Madia a Locarnensi ditione sejuncta est. Quo tempore vallis quoque Verzascha, & Gambaronium, de quibus infra, Potestates quosdam sibi eligendi jus facultatemque obtinuerunt. Amplitudo ejus, qui præfecto subjicitur, agri, ex conventuum sive Parochiarum numero colligi potest. Parochias enim computant plures viginti.

IV. Montium Locarnensium radices, et reliqui territorii bona pars, vini, ejusque generosi et optimi feracissima est. In collibus et montibus vites palis alligantur, sub quibus fœnum nihilominus provenit: in planitie arboribus, quos rumpos vocant, maritantur, e quibus palmites bini & bini prælongi mutuo implexi ad extremos oculos colligati, hinc & inde, ab una ad aliam arborem traducuntur: et ubi arbores longius a se invicem absunt, aut palmites breviores, quam ut arborem contingant (quod fere in vineæ latitudine accidit) tum palmitum extrema ex duabus contra se positis arboribus committuntur (virga interdum media) satis alte, ne frumentis, et frugibus aliis, quæ illic sata succrescunt, impedimento sint. Palmites hi uberem et incredibilem uvarum proventum exhibent. Uvæ grandes sunt, et ut plurimum bene maturescunt: unde fit ut pressis, calcatisque illis ingens musti copia exprimatur. Agri in universum non adeo late patent ob lacum, & montes proximos: sunt tamen fœcundissimi tum soli bonitate, tum agricolarum industria, crebraque stercoratione. Cum enim agri non multi sint, oppidum vero satis populosum, summa cura, et quasi in otio excoluntur. Vicecuplum non raro reddunt, bis in anno messis celebratur: mense Junio demetunt triticum optimum, et quam vocant siliginem. Secunda messis est Octobri, milium, panicum, et aliæ fruges e secunda aratione et satione colliguntur. Montes et valles carnium optimarum, hædorum in primis, copiam mittunt et suppeditant: dein perdices, phasianos, aviculas, lepores, capreas, butyrum et caseum abunde suggerunt. Castanearum quoque uberrimum proventum alendis rusticis idoneum. Comedunt illas crudas, recentes siccasque, similiter et coctas, modo elixatas, modo assatas. Ex iis farinam quoque faciunt, et panes pinsunt, farinamque ad alios usus multos adhibent: imo castaneæ nobilium delitiæ sunt. Quamobrem si castanearum proventus felix fuerit, fame et inedia vix laboratur, cum scilicet sint illis,

mitia poma,

Castaneæ molles, et pressi copia lactis.

Adde, et vini. Proveniunt illic ficus optimæ, mala, sive poma multorum generum valde mitia, sic et persica, pira, cerasa, et multi alii fructus non ignobiles, ut pruna multiplicia, malogranata, cydoniaque: olivæ et narancia, et alii fructus non infeliciter illic veniunt. Lacus piscosissimus est, et multa gignit piscium optimorum genera. Mediolanum sæpenumero pisces, in primis truttæ, venum mittuntur. In summa rerum propemodum omnium ad victum humanum necessarium abunde satis illic habetur. Solius frumenti caritate laborant non raro, ob agrorum, sicut commemoratum est, paucitatem. Sal aliunde importatur.

V. Celebratur Locarni altero quoque Jovis die mercatus frequentissimus, et celeberrimus. Naves ex omnibus Verbani lacus oppidis illuc advolant, in quibus hominum multitudo non vulgaris. Conferunt se eo emendi magis, quam vendendi gratia. Confluunt multi e variis ducatus Mediolani oppidis, e vicinis præfecturis Luganensi, et Bellizonensi: item a Mesauciis, et Lepontiis, ut nihil dicam de vallibus et pagis omnibus Locarnensis et Madianæ præfecturæ. Longe lateque si illinc proficiscaris, tam celebrem mercatum vix reperias. Platea ibi est ad lacum capacissima, in qua mercatores tentoria multa et caduca figunt contra tempestatum injuriam.

VI. Universus populus in tres classes distributus est, nimirum in nobiles, cives antiquos, quos illi Burgenses nuncupant, et eos, qui aliunde illuc habitatum concesserunt, quorum tamen plerique annis centum et amplius sedes suas eo in loco fixas habuerunt.

1. Nobilium familiæ, hoc est, cognationes sunt quatuor, Aureliana, Muralta, Magoriana, et præterea Dunorum familia cæteris antiquior. Suas sedes et bona familia hæc habet tum Locarni, tum maxime Sconæ, quod oppidum est Locarno vicinum, et amplitudine illius æmulum, sed non ita populosum, in planitia, et ad lacum situm. Nobiles Duni summo in honore erant Ruscis imperantibus, ab illis amabantur præ cæteris nobilibus, et ad honores et dignitates evehebantur: unde Ruscarum Comitum insignia in fronte ædium nobilium Dunorum Locarni visuntur magnifice depicta.

2. Plebis deinde nomine censentur dominii totius habitatores alii omnes in pagis et vallibus. Et communio societasque omnium simul COMMUNITAS appellatur.

VII. Principio præfectus, qui Commissarius vocatur, a duodecim Helveticorum pagorum rebuspub. altero quoque anno finito modo ex hoc, modo ex illo pago juxta pagorum leges et fœdera electus, Locarnum mittitur.

1. Hic merum imperium habet, summamque potestatem animadvertendi in sontes, quos solus morti (si criminis atrocitas ita postularit) addicit, nisi de more aliquos sibi asciscat viros judicio præstantes, & patriarum legum morumque peritos. Ad jus autem dicendum non admittitur, nisi prius solenni jurejurando populi leges et instituta, quæ statuta, id est, municipalia jura vocant, se servaturum promiserit. Quod ubi præstitit, populus, qui tunc præsens est, solenni publicaque acclamatione illum pro legitimo suo præfecto agnoscit, et obedientiam, fidem, observantiamque interposito juramento promittit.

2. Cæterum quia præfectus Helvetica, populus autem Italica lingua loquitur, præfecto interpres Helveticus ab ipsis dominis electus (a quibus etiam suum accipit stipendium, non a Locarnensibus, ut præfectus) adjungitur. Per hunc interpretem præfectus ad populum et causidicos: populus vicissim et causidici ad illum referunt omnia, hacque ratione causas ille cognoscit et judicat, notariis omnia latine excipientibus. Reipub. rebus, de quibus mox

mox dicam, præfectus se non immiscet, nam penes populum plena potestas est magistratus suos, sive officiales creandi, et de rebus omnibus ad rem pub. pertinentibus constituendi et ordinandi.

3. Eligitur præterea procurator fisci, qui criminales causas urget, et pecuniam fisco, quam Cameram vocant, adjudicatam servat. Creatur et hic a Dominis, sed civium Locarnensium unus ut plurimum. Magistratum is gerit quandiu visum fuerit Dominis.

4. Quarto ab iisdem Dominis præfecti vectigalium constituuntur. Nam quotannis æstate quando legati duodecim illuc veniunt, cum uno, aut pluribus civibus, quibus jus exigendorum vectigalium assignant, certa pecuniæ summa paciscuntur, quam præfecti elapso anno Dominis persolvunt. Hos magistratus quatuor Domini ipsi creant.

Porro præfectus satellitem sibi deligit plerunque conterraneum suum, qui ab ipsius latere non discedit, sed præsto semper adest securi halabardica gladioque armatus. Primus apparitorum est, et sontibus capiendis, custodiendisque in vinculis præest. Quoties autem Domini illuc proficiscuntur, hunc pro ostiario habent, numerantque ei stipendium Domini ipsi, quemadmodum et interpreti.

5. Ab eodem præfecto, seu commissario, vicarius, qui locum tenens dicitur, eligitur, civis scilicet aliquis causis tractandis, jurique dicendo idoneus. Is absente, aut laborante, aut aliter præpedito præfecto, illius nomine et vice pro tribunali sedens causas quaslibet civiles quantumvis graves judicat, ut qui eadem, qua præfectus, authoritate et potestate polleat iis in causis.

6. Apparitores præterea aliquot e populo a Consilio, de quo mox verba fient, eliguntur, qui ad omnia imperata dicto audientes sint. Serviunt autem et obediunt tum præfecto, tum etiam reipublicæ, sive communitati. Atque hi sunt Dominorum et præfecti magistratus, sive officiales.

7. Populus et plebs quæ nunc reliqua est Comitatus illius ex veteri more quotannis Calend. Januarii viros XXI. deligit, quos Consiliarios vocant, quia reipub. a consiliis sunt. Horum XII. ex præcipuo oppido, Locarno scilicet, assumuntur: tres e proximo alio oppido Scona, vel ut aliis placet Ascona: reliqui sex e pagis aliis et vallibus, hoc est e plebe reliqua. Eorum qui Locarni eliguntur sex sunt e nobilitate, quatuor ex antiquorum civium cœtu, et duo ex residuo populi: nonnunquam vero tres, e nobilibus autem tantum quinque. E tribus porro qui e populo Sconensi fiunt, unus de nobilibus Dunis, duo alii de populo universo eliguntur. Quum autem ex plebe sex alios Consiliarios creari dixerim, per plebem Dominii loca ea omnia intelligo, quæ Potestates, sive præfectos alios non habent, præter summum illum præfectum Commissarium. Quod ideo admonendum hic est, propter oppidum Brisagum, vallem Verzascham, et Gambaronium, quæ potestates suos, id est, subpræfectos quosdam, et privata etiam jura obtinent, ut paulo post monstrabitur, et Consiliarios non creant.

8. Consiliariorum autem munus et officium est, videre, curareque diligenter ne quid detrimenti respub. capiat. Præterea sumptus publicos, et stipendia omnia decernere, quæque ad totius reipub. incolumitatem facere videntur disponere et ordinare.

9. Consiliariis Procuratores adjunguntur septem, qui quæ a consilio, sive Consiliariis decreta sunt, sedulo diligenterque curant: dantque operam ut quique suum faciant officium, nihil negligant, omnia exequantur. Sunt etiam Aedilium loco, quoniam ædificia publica procurant.

10. Hi non carent fideli scriba, quem Cancellarium appellant, a quo omnia Consilii acta in tabulas referuntur.

11. Porro autem, quia COMMUNITAS nullam publicam pecuniam reponit, Quæstor ærarius quotannis novus creatur, qui à consiliariis decretam pecuniæ summam colligit et exigit a Consulibus, sive conventibus.

12. Quilibet enim conventus, sive parochia, suum habet Consulem, (vocati autem Consules videntur, quod quique publicis suorum pagorum rebus consulant, sintque patres pagorum quidam) qui veluti minores quæstores sunt. Hi a singulis patribus familias, vel a familiis exigunt debitam pecuniam, quam scilicet Consiliarii præscripserint, et imposuerint illis dinumerandam et solvendam: quam quidem corrasam Quæstori numerant. Modus autem exigendi est, pro cujuslibet familiæ et parochiæ ratione census bonorum, sive juxta æstimationem bonorum, et taxationum numerum. Scit enim quælibet non modo parochia, verum etiam familia, quantumvis minima, quid quantumve debeat pro quaque taxatione.

Una vero taxatio illis est librarum centum Imperialium summa, aureorum videlicet Rhenensium viginti septem tertia unius parte minus. Consules itaque a familiis, quæstor a Consulibus exigit: qui postea suum in primis Dominis Helvetiis annuum censum persolvit: qui et præfecto, et medicis, et ludimagistris, et apparitoribus, et quibuscunque aliis publico stipendio conductis sua stipendia exponit. Adhæc sumptus alios publicos omnes facit: et in summa, quicquid reipub. nomine dandum est, dat. Elapso suo anno, administrationis rationem coram Consilio aut procuratoribus reddit: subductaque ratione accepti et expensi, si plus expendit quam acceperit, successor reddit, sin contra, quod superest successori dinumeratur.

13. Præter jam dictos magistratus hos quoque creant, nimirum duos annonæ præfectos (ut alios quosdam minores officiales prætermittam) et totidem qui viis purgandis, reparandis, sternendisve præsunt. Creantur hi omnes a consilio.

14. Quoniam autem regio propter vicinos montes, et valles sylvis cæduis referta est, in quibus proceræ, speciosæque et pretiosæ arbores, larix in primis (quæ etiam Agaricum gignit selectissimum) et abies, ad ædificia cum primis expetitæ crescunt, ex quibus Locarnenses magnum lucrum faciunt: rei lignariæ mercatores Judicem, sive præfectum eligunt, a quo lites et controversiæ de re lignaria ortæ judicantur. Excisæ enim arbores cæsæ primum in partes aliquot, quas borras vocant, secantur, ut commodius per angustias vallium, perque flexuosos et saxosos torrentes in Verbanum deduci queant, ubi postea in rates dispositæ per totum Verbani tractum, deinde per Ticinum fluvium (qui ut influit in Verbanum ita ex eodem effluit) Mediolanum et Papiam magna copia deducuntur: nec tantum trunci illi arborum, sed etiam tigna, sive trabes, larignæ, longæ et pulchræ. Asseres quoque ex iisdem arboribus absque numero. Lignorum

gnorum item variorum copia pro calcariis, sic et carbonum. Papia rursum per Padum, in quem Ticinus sese exonerat, Cremonam Placentiamque descendunt. Imo si velint, Ferrariam, et Mantuam, et Venetias usque et in Adriaticum mare. Arborum trunci justam suam quandam tum longitudinem, tum crassitiem habent, mercatorum quoque signo notantur, similiter et tigna. Vallis Verzascha, et vallis Madia, aliæque proximæ incredibilem numerum dant, ubi torrentes impense augentur.

VIII. Ad Locarnensem præfecturam pertinet etiam oppidum Brisagum ad Verbani lacus ripam Septentrionalem in finibus totius Helvetici Dominii: quatuor millibus passuum a Canobio distans. Item vallis Verzascha ad Orientem a flumine Verzascha per ipsam descendente nomen habens. Similiter et Gambaronium ad Verbani littus Meridionale. Habent vero loca haec suos subpræfectos, quos Potestates nominant, ad quos civiles duntaxat causas referunt: nam criminales non nisi sub communi præfecto Locarnensi tractant. Imo in causis illis civilibus ad Commissarium provocare licet.

Porro quum subpræfectos illos sibi ipsis præficiant, quos volunt e suis, vallis Verzaschæ et Gambaronii habitatores, Brisagi tamen populus id juris non habet, sed præfectum de Aureliana nobili familia, quæ Locarni est, altero quoque anno sibi eligit quem vult. Horum locorum incolæ pecuniæ nihil contribuunt, suam tamen portionem census Dominorum, et stipendii Commissario debiti conferunt. Suos quoque publicos sumptus ipsi suis in pagis faciunt.

IX. Ex oppido Locarno superius descripto oriundi sunt Locarnenses exules, qui Tiguri, aliisque in locis habitant. Quum enim cives ejus loci aliquot, qui hodie vivunt adhuc omnes, ante annos triginta purioris religionis studio flagrarent, decretaque Pontificia suspecta haberent omnia, primum conquisitis hinc inde libris Evangelicam doctrinam hauserunt ipsi, postea concives suos permultos eandem docuerunt, et duodecim annorum spatio sub anno scilicet MDXLII. usque ad annum MDLIV. factum est, ut graviter illis eam in rem incumbentibus, magnus civium Locarnensium numerus contra omnem persecutionis vim, rejectis Romani Pontificis decretis, unius Evangelii decreta amplecteretur. Quod quum et Dominorum pars maxima, et loci illius cives permulti ferendum non esse ducerent, sequenti anno MDLV. multos in exilium miserunt, familias minimum triginta: eos videlicet omnes, qui a nova religione, sicut illi vocant, ad veterem redire recusabant. Fuerunt autem eo in cœtu viri nobiles et ignobiles, docti et indocti, divites et pauperes, adulti, pueri, et infantes: mariti absque suis uxoribus, uxores absque suis maritis; patres sine liberis suis, liberi sine parentibus. Hi benigne admodum à Tigurinis hospitio suscepti, beneficiisque multis affecti fuerunt, et afficiuntur, ita ut etiam in civium numerum nonnulli relati sint, aliqui quoque publico stipendio ornati. Acceperunt etiam initio a Bernensibus collectam non vulgarem, item a Basiliensibus, et Sabaudiæ urbibus aliquot, quibus pauperes ipsorum annis jam multis fruiti sunt.

FINIS.

EX BENEDICTI JOVII HISTOR. NOVOCOMENS. LIB. I.

A. MCCCCXXII. Cum Philippus Bilitionam, quæ furtive a Germanis capta fuerat, furto item recepisset, Suicii qui olim a Suevia profecti Helvetiorum Gallicæ gentis terram occuparunt, ideoque Helvetii nuper appellari cœpti antiquato Suicii vocabulo, quod vulgo tamen adhuc durat, id ægre ferentes dolorem aliquandiu dissimulaverunt: tum subito tumultu alpes transgressi hominum circiter VIII. M. Bilitionam invaserunt. Quod ubi Philippo renunciatum est, statim Angelum Pergulanum et Franciscum Carmagnolam cum Exercitu in Helvetios misit. Barbari finibus egressi nulla militari disciplina ferebantur; sed gloriæ maximæ ducentes, quo longius primus quisque agrum hostilem ingrederetur, aut primus in hostem ferretur, palantes ex alpibus ruebant. Ubi vero Carmagnolam et Angelum conspexerunt, qui primi ab aliis declinaverant, ad IV. hominum millia sublato clamore in Philippeos delati sunt. Quos proinde exterritos prior adortus est, quod Helvetii ferro icti vesaniam et furorem cum sanguine deposituri essent. Tum equo concitato et denso suorum globo in hostes vadens pugnam utique cruentam, non qualem apud Italos, quæ sine cæde ut plurimum fiebat, inire consuevissent, sibi adesse intellexit. Nam in ea multitudine nullus nisi cadens loco cessit, fuerantque qui media transfixi viscera per hastam hostem peterent; alii cum pugnantes in equis Italos ferire nequirent, equorum poplitibus succisis, collapsos milites occidebant. Quare Pergulanus amoto suo et cæterorum equis, accitisque ad se Placentino et Zenone Justinopolitano Centurionum ductoribus, primus pedestre prælium redintegravit; Carmagnola vero quadrato agmine a lateribus et fronte cum peditatu hostem urgebat. Non sustinuere Helvetii pugnam sed multis cadentibus et plurimis ac pæne omnibus vulneratis pedem referentes, qui erant integri sese in vicinum collem receperunt, quibus cum fixa in terram telorum cuspide deditionem ex gentis more significarent, Angelus primo parcendum esse ratus est; sed cum diversam vidisset Carmagnolæ sententiam, primus item in eos irruit, fusosque et in proximum amnem Ticinum sese præcipitantes insecutus non paucos etiam eorum cecidit. Interfecti sunt ex hostibus circiter duo millia, reliqui, qui prælio errore itineris non interfuerant, comperta suorum clade, retro abierunt. Multi vero et lectissimi milites de Philippeis primo impetu trucidati sunt, equi insuper ad CCCC. suffossi. Cæterum Carmagnola debellatis hostibus pro gloria Alpes transcendit, et usque ad Uraniam proximiorem Italiæ pagum; quod vulgo Torsenum appellatur, pervenit.

Machiavell. in Lib. de arte belli hanc pugnam etiam descripsit, citatur Folardo in tractatu de Columnis Cap. IX. sub operis calcem.

EX

EX EJUSD. BENED. JOV. HISTOR. NOVOCOM.

MCCCCLXIX. Helvetii per menf. Nov. Alpes transgreſſi ſunt, ſuperatoque monte Caraſſo, Bilitiona non procul, direptionibus et incendiis non mediocrem jacturam eorum locorum incolis intulere. Mox ad obſidendam Bilitionam converſi ſunt. Ea re Mediolani nunciata illuc ſtatim profecti ſunt Petrus Franciſcus Vicecomes, Joannes et Baptiſta Anguillariæ Comites, et alii ductores, qui opportuno cum præſidio Bilitionam intraverunt; ſimul Ambroſinus Longhegnanus pedeſtris ductor Exercitus Comum devenit, qui per Larium et Montana Dongi hoſtibus ad Bilitionam deſuper incumberet. Ad hæc Friderico Gonzagæ per nuncios ſignificatum, ut quam primum cum copiis militaribus profectionem in Helvetios pararet. Tantum in ſe apparatum fieri cum hoſtes intellexiſſent, campo quem inſederant, deceſſerunt. At Cichus ejuſque Collegæ, Ducibus ipſis, qui intra Bilitionæ mœnia contrahebantur, ut fugientem hoſtem perſequerentur, mandaverunt. Igitur Itali in Helvetios egreſſi, qui in Leventinam Vallem pervenerant, eorum paucitate contemta, nullo militari ordine procedebant. Quare Helvetii de Montium, quos jam conſcenderant, rupibus Lapides magno fragore devolventes hoſtibus iter intercipere nitebantur. Simul ſublato clamore longe majoris multitudinis ſpeciem fecerunt. Tunc palantes Itali in fugam converſi, ne viſo quidem hoſte, revertebantur. Helvetii conficiendi hoſtis occaſionem nacti fugientes perſequi cœperunt, quos turpiter fuſos, et qua rupibus inviis perfugium quærentes, qua Ticino fluvio præcipitatos ad DCCC. ceciderunt. Girner locus ille appellatur, ubi tunc Itali magno gentis dedecore eam cladem acceperunt. Ferunt Helvetios a Sixto IV. Pontifice Max. et à Ferdinando Neapolis Rege in puerum Ducem evocatos.

EX LUDOVICI CAVITELLI CREMONENS. ANNAL.

A. C. MCCCCXXII. Die quinta Aprilis habuit (Vicecomes) à Suitenſibus Domoſulam et Bilitionam, illosque cum ob id indignati irrupiſſent, ad Ticini amnem et fines ducatus Mediolani repreſſit, Carmagnola et Pergulano ducibus eis exercitu occurrentibus, et utrinque commiſſo certamine die quinta Julii, ex eis occiſis ultra bis M. et ex ſuis cadentibus CCCC.

FINIS.

FRANCISCI GUILLIMANNI HELVETIA.

SIVE

DE REBUS HELVETIORUM

LIBRI QUINQUE.

In quibus gentis illius antiquitas origo mores leges, uno verbo omnes belli pacisque artes historica fide ex antiquis tabulis atque monumentis eruntur, et curioso lectori breviter exponuntur.

AD

CONSULES, PRÆTORES,

QUÆSTORES, TRIBUNOSPLEB., SENATUM,

POPULUMQUE TREDECIM HELVETIORUM CIVITATUM.

ANTIQUA hæc mea visum est vobis consecrare, VIRI ILLUSTRES, viri fortes; sive debui Helvetius, de rebus Helvetiorum, aut rem gratam facere existimavi. Ita enim humanum ingenium est, ut cùm facilè cuncta cætera admiretur, nihil avidiùs, aut lætiùs accipiat, quam de se, & suis. Atque inde ad virtutem non rarò incitamenta. Helvetiorum sanè ea gestorum gloria, ut eos nominis & famæ minime pigere debeat. Nam si vetusta repetamus, Romanos sæpius cecidisse, nec nisi per fraudem circumventos in eorum potestatem venisse; socios verò & fœderatos, ob fortitudinem, quàm subditos Helvetios habere maluisse reperiemus. Sin media, potentissimis regibus & principibus pares bello, aut superiores exstitisse. Si denique postrema putemus, eam de se orbi opinionem præbuere, ut illorum amicitiam & societatem summi terrarum Monarchæ ambierint, & pro beneficio acceperint. De Helvetia, his libellis, pleraque quæ super prisco statu, republica, factis, conversionibus; quæ, ut aliis regionibus, crebræ ipsi, & communes. Civitatum quoque origines, & progressus non omissi: sed procul à fabulis. Additum de municipiis, præfecturis, sociis, fœderatis. Quæ omnia oculis, tanquam in tabula, usurpare, non delectabile solum, sed cum fructu. Historia enim dux vitæ & sapientiæ mater. Et semper pueri, qui sui decoris & laudis, suæ originis ignari. Sed vos hoc quidquid est operæ, æqui bonique consulite, simúlque date crescendi copiam, & quid inde spei sit reliquum prænoscite. Tantum est. Valete, bene rem gerite, & vincite virtute vera, quod fecistis antidhac.

FRANCISCUS GUILLIMANNUS.

SCRIPTORUM VETERUM RECENTIUMQUE DE HELVETIIS TESTIMONIA.

C. Jul. Caesar. *Comment. I.*

HElvetii *reliquos Gallos virtute praecedunt; quòd ferè quotidianis praeliis cum Germanis contendunt, cum, aut suis finibus eos prohibent, aut ipsi in eorum finibus bellum gerunt.* Paulo post vocat, *Homines bellandi cupidos,* quique *pro multitudine hominum & pro gloria belli, atque fortitudine angustos se fines habere arbitrabantur.*

M. Tullius Cicero de Caesare loquens.
Oratione de provinciis coss.

Non sibi solùm cum iis, quos jam armatos contra P. R. videbat, bellandum esse duxit, sed totam Galliam in nostram ditionem esse redigendam. Itaque cum acerrimis nationibus & maximis, Germanorum & Helvetiorum praeliis felicissime decertavit.

C. Cornelius Tacitus. *Lib. I. hist.*

Helvetii Gallica gens, olim armis, virisque, mox memoria nominis clara.

L. Julius Florus. *Lib. III. cap.* 10.

Primus Galliae motus ab Helvetiis coepit, qui Rhodanum inter & Rhenum, sibi non sufficientibus terris, venere sedes petitum, incensis moenibus suis. Hoc sacramentum fuit ne redirent: Sed petito tempore ad deliberandum, quum inter moras Caesar, Rhodani ponte rescisso, abstulisset fugam, statim bellicosissimam gentem sic in suas sedes, quasi greges in stabula pastor, deduxit.

Paulus Orosius. *Lib. VI. cap.* 7.

Helvetiorum animos, fortissimae omnium Gallorum gentis, eâ vel maximè causâ quòd perpetuò penè cum Germanis bello altercabantur, à quibus Rheno tantum flumine dirimuntur, Orgetorix quidam princeps gentis spe totas invadendi Gallias in arma incenderat.

Raphaël Volaterranus. *Lib. VII. Georg.*

Helvetii, quos nunc Suiceros vocant, circa Rheni fontes habitant, agros etiam in Italia possident, circa montem qui S. Gothardi appellatur. Prodiga gens animae & bellacissima; brevi utuntur armatura, pectore tantum, verticeque à parte interiorum lacertorum contecti.

Philippus Comineus. *In Ludovico XI. c.* 11.

Cùm de Joanne Calabriae duce loquutus esset, *Habebat*, inquit, *quingentos Helvetios pedites, qui primi fuerunt, qui in hoc regno* Galliae *visi sunt, quique famam iis, qui posteà secuti sunt, pepererunt. Nam se in omnibus locis fortissimè gesserunt.*

Nicolaus Gillius. *In Annalib. Francorum.*

Ubi de Helvetiorum primo foedere pauca interiecisset. *Ab eo tempore coeperunt Helvetii suis dominiis justè, & aequiter praeesse, multaque eximia & magna praelia fortiter pugnarunt pro defensione suarum terrarum, privilegiorum, juris Ecclesiastici, viduarum, & pupillorum suae ditionis. Unde magnam sunt consecuti toto orbe famam & gloriam: Suntque homines bellicosi, & in armis exerciti, quorum proinde opem, & auxilium exterae nationes saepius quaerunt.* Belforestius *Fideles & fortes regum Galliae compatres* adpellat, in Carolo IX.

Paulus Jovius. *Lib. XI. historiarum.*

Populus Helvetius fide, virtute, & recenti victoria inclytus, specioso decoroque titulo defensor Pontificiae libertatis adpellatus.

Natalis Comes.

Omnium prope militum maximè gloria, observantia, virtute rei militaris praestare putandi sunt Helvetii, quorum ordo tam facilè resarcitur, quàm facilè reliqui milites profligati dissipantur; ac toties aciem instaurant, quoties labefactata hostium virtute fuerit. Alio loco (lib. XXIV. hist.) *Est ea Gallorum natura ut summus sit illorum ardor, formidabilesque sint, praecipuè initio bellorum: sed haec acies facilè retunditur, si virtutem & constantiam adversariorum inveniat. Helvetii contrà resurgunt (ut ita dixerim) vel profligati, cùm facilè aciem instaurent.*

Gasp. Ursinus Velius.

Cùm de aliis nationibus carmine cecinisset, de Helvetiis ita pro fine subjungit:

Intrepido excellens animo, & fulgente securi,
Martius his colophon additur Helvetius.

FRAN.

FRANCISCI GUILLIMANNI
DE REBUS HELVETIORUM LIBRI.

LIBER PRIMUS.

CAPUT I.

Helvetii qui, & in qua Galliæ parte, quid, quantumque tenuerint. Unde dicti, Suitzeri quoque Nominis origo.

Helvetii inter Celtas. Iidem in Lugdunensi. Post in Belgica. Mox in Germania superiori, & demum in Sequanis. Helvetiæ limites. Rheni limitatio, & circa Helvetiam cursus. Item Juræ. Et Rhodani. Montiumque succedentium. Helvetia nunc, quam olim latior. Helvetiæ latitudo, longitudoque. Helvetiorum denominatio. Item Suitzeri nominis origo.

HELVETIAM qui primi tenuerunt, ut ignota origine, ita gentem Gallicam fuisse compertum est. Sed nec quibus rebus præclarè domi, bellique à principio floruerunt, & quanto tempore, est satis pro manifesto. Græcis, deinde Latinis ea cura fuit, publica, juxta privata posteritati per scripturas relinquere. Cæteræ nationes barbaræ ideò habitæ. Sed animi fallor, aut illa maxima caussa fuit Scythis, Gethisque literas, & quidquid veteris memoriæ fuit, ab usque radicibus convellendi, cum bibliothecas, templa, parietes, hostium, hoc est, Latinorum, Græcorumque commendatione, & gloria refertos, & ornatos cernerent; se pari, aut majore virtute, vel penitus obliterari, aut verbis etiam atrocibus pernotari. Gallia autem omnis in partes tres divisa erat: Unam Celtæ (a) quæ intra Garumnam, & Sequanam, Matronamque amnes est, habuère. In iis Helvetii C. Jul. Cæsare imperante. Sed Augustus illo, credo, biennio, quod Gallicis rebus constituendis integrum sumsit, cum Galliam in quatuor partes tribuisset, Celtas propè universos Narbonensi provinciæ adsignasset, Helvetios Lugdunensi (b), quam quartam partem fecerat, & ad Rhenum porrexerat, reliquit. Ita Strabo (c), qui ad medium Tiberii principatum vixit, & scripsit. Nec tenuit. Vespasiani enim tempore, in Belgica eos collocavit Plinius (d). Hunc posteà secutus Ptolomæus (e), cùm eamdem Belgicam provinciam, quæ secundum Rhenum est, in Germaniam superiorem, & inferiorem divisisset, Helvetios in Germania superiore posuit, potissima parte Sequanis attributa. In Sequanis enim Aventicum ponit. Sed quantum ad hanc divisionem utriusque ratio aperta. Nam & Plinius, & idem Ptolemæus cum Helvetiam Belgicæ, aut Germaniæ superiori adscribunt, eam tantum partem intelligunt, quæ propè Rhenum est, quæ postquam Allemanni occuparunt Allemannia dicta, & Ducatus Allemanniæ partem effecit. Ut intelligas Helvetiæ antiquam eam fuisse, licet diversis nominibus, discretionem, quæ Burgundorum, & Allemannorum, ut diximus, temporibus manifestior: cum hæc pars Burgundia Minor diceretur, illa Allemanniæ nomen retineret. Constantini Magni demum Imperio, & liberorum, Sequanorum Maximam Sequani, Rauraci, Helvetii, non sine utriusque gentis nominis interitu, composuère. Hic Eutropii verba de Cæsare loquentis intelligo. *Is*, inquit (f), *primò vicit Helvetios qui nunc Sequani adpellantur*. Ammianus (g) tamen, eodem scilicet tempore, Helvetiam, sanè Aventicensem pagum, Antuates, Pœninas Alpes, & Grajias, hoc est, totum eum tractum, qui in utraque Lemanni, & Rhodani ripa est, in Lugdunensi secunda, quæ posteà Burgundionum regnum fuit, collocavit, cùm cætera Sequanis, ut Eutropius, tradidisset. Duravit quamdiu Romanorum in Gallia imperium fuit. Helvetiorum porrò limites Jul. Cæsare melius nemo circumscripsit. Ita enim de Orgetorige, apud Helvetios, ea tempestate, facile principe, ad capessendum Galliarum imperium populares incitanti edisserit. *Id hoc facilius*, inquit (h), *eis persuasit, quod undique loci natura Helvetii continentur; una ex parte flumine Rheno latissimo, atque altissimo, qui agrum Helvetium à Germanis dividit: altera ex parte monte Jura altissimo, qui est inter Sequanos, & Helvetios: tertia lacu Lemanno & flumine Rhodano qui provinciam nostram ab Helvetiis dividit*. Rhenus ex monte Adula, qui pars orientalis summarum Alpium, sive S. Gotthardi, ortus, primùm Curiam Rhetorum permensus, in lacum descendit, qui eo quidem loco Brigantinus, à Brigantio oppido dextra ejus fluminis ripa, nominatur à Plinio (i), Solino (k), Ammiano (l): Mela (m) Acronum, aut Acronium vocat, qui deinceps Potamicus, usitato nunc nomine. Eum lacum Constantiæ egressus, exiguo confecto spacio, tribus scilicet passuum millibus, alium lacum illabitur, Mela supradictus (n), Venetum; vulgò inferiorem, aut Cellensem vocant, unde propè Stein oppidum Germaniæ exitum trahens Schaffhusiam, mox cataractis majoribus confectis, Solium Cæsaris, Forum Tiberii, & Certiacum devolutus, Confluentiam pervenit, ubi in eum se Arula exonerat, qui eò loci Rauracos Helvetiosque separat. Nam memoratus Rheni cursus primò Vindelicos Germaniæ, Strabone teste (o) populos, ab Helvetiis aut potius Helvetiorum pago Tigurino, [neque enim alias Helvetiæ partes, quam Tigurinas Rhenus alluit,] disiungit (p), tum Vindeliciæ ad fines, aut partes Lintzgoviam, Ammianus Lentiensem pagum vocat, Hegoviam, & Klætgoviam, cujus

B incolas

(a) Commentario I. belli Gallici. (b) Dio lib. LIII. (c) Lib. V. Geog. (d) Lib. III. nat. hist. (e) Lib. III. Cosmog.

(f) Breviarii lib. VI. (g) Lib. XV. hist. (h) Eod. comment. I. (i) Lib. IX. Cap. 19. (k) Cap. 13. (l) Lib. XV. (m) Lib. III. Cap. 2. (n) Eodem loco. (o) Lib. IV. Geog. (p) Lib. XV.

incolas Lacobrigos Cæsar (q) nuncupavit. A Confluentia verò secundum Arulam ascendendo per sex passuum millia, ad Vocetium usque, qui Juræ principium, & pars, qua nempe eum fluvium perstringit, ejusdemque montis summitates, Coloniam usque, & Rhodani claustra infra Genevam si perveneris, Helvetiorum limites contra Rauracos, & Sequanos habebis, totumque Septentrionem. Versus Occidentem Helvetios contra Allobroges, qui in Provincia Romana, dividit Rhodanus, à loco ante dicto, claustris scilicet Rhodani, Clusam nominant, Genevam usque quod ultimum Allobrogum oppidum. Ab eo oppido ducta ad objectos montes linea, per eorum dein culmina, ad eum locum quo rursum coeunt, claustrumque illud Rhodani conficiunt, quod Helvetiis, Germanisque olim am Gand, sive ad saxum, mox corruptè Latinis Agaunum, antiquitùs Tarnadæ, nunc D. Mauritius nominatur, Veragrorum ditionis, primò Centrones, postea Salassos versus Meridiem populos ab Helvetiis separat, laterisque partem meridiani. Ab his tum claustris Agauni altera Rhodani ripa, sive dextra, apices eorum montium qui Sanetsch, Gæmmi, & Grimsel dicuntur, Veragrosque, Sedunos, & Viberos, sive totum Valesianum Episcopatum, & Helvetios disiungunt, ad Tauriscos usque sive Vranienses, qui partem pagi Tigurini constituunt, & deinceps ad montem Breitenvald Glaronensium, qui Episcopatus Curiensem & Constantiensem dividit, Helvetiosque à Lepontinis, Rhætisque, segregant, Meridiemque universum. Denique à monte Breitenvald ad lacum Rivarium, tum verò secundum fl. Sietzium qui ex Rivario propè Vesenium effluit, dum se Limago miscet, & posteà secundum Limagum ad influxum usque fl. Steinen, qui ex Castris in eum labitur, à quo fluvio Steinen, culmina rursum eorum montium qui Sarunetes attingunt, prout sese inflectunt, curvantque versus Rheguscos, usque ad Stat, sivè Stationem primum Helvetiorum ad Rhenum supra lacum vicum, fines, terminosque Helvetiæ versus Orientem concludunt, quibus finibus quoque separantur pagi Tigurini partes, Glarona, Termini, Toggenburgenses, & Abbatiscellani Constantiensis Diœcesis, à Castrensibus, Sarunetibus, Verdenbergensibus, Rheguscis, Rhætis, sive Episcopatus Curiensis. Hos antiquæ Helvetiæ limites nominare possumus. Nam quæ hodie Helvetiorum nomine continentur, latius patent, receptis in Civitatum Helvetiarum, aut Sociorum numerum ex Sequanis Basilea, ex Germania Schaffhusia, & Rottvilla, Rhætis prætereà omnibus, & Valesianis, promotis etiam ultra summas Alpes longè, latèque Pomæriis, & eadem nunc ab Helvetiis, & eorum fœderatis habentur, & incoluntur propè universa. Non contentus Cæsar Helvetiam ita terminasse, mensuram addidit, & in longitudinem passuum millia CCXL. in latitudinem CLXXX. patere, memoriæ mandavit. Quantum ad longitudinem calculatio certa. Nam à Stat, sive statione, ubi Helvetia incipit, ad claustra Rhodani infra Genevam ubi ejus longitudo desinit numerantur milliaria Helvetia triginta, ex quibus unumquodque passuum Italicorum millia octo conficit, quæ si inter se compares, rationem, numerumque exactum reperies. De latitudine paullò res implicatior, tamen si à montis Juræ culmine, ubi Laver, aut la Verriere dicitur, lineam ad cacumen Grimsel unde Arulæ scaturigo, maximaque Helvetiæ latitudo, produces, aut fallor, vel millia à Cæsare notata offendes. Jam Helvetiorum nomen unde fluxerit, primus, ut arbitror, Henricus Glareanus investigavit (r), & nisi mens aberrat reperit. Helvetter enim Celtica lingua dictos quasi Ditis propinquos, sive nobilitatis inde, ut à Deo, sive antiquitatis, ex eodem fonte, insignia capere voluerunt. *Datur, enim*, ut ille ait (s), *hæc venia antiquitati, ut miscendo humana divinis primordia sua augustiora faciat. Galli*, inquit Cæsar (t), *se omnes ab Dite patre prognatos prædicant*. Ita ab eodem Cæsare (u) referuntur inter Celtas Helhutteri populi, quos Ditis custodes, aut satellites interpreteris. Berosus (x), sive quisquis est, cujus exstant antiquitates, Ditem in Galliam colonias duxisse, memoriæ commendavit, de Saturno Babilonio loquens. *Anno ejus*, inquit, *duodecimo Jubal condidit Celtiberos, & paullò post Samothes, qui & Dis, Celtas colonias fundavit, neque quisquam illa ætate isto sapientior fuit*. Suicerorum nomen hodie notius Civitas secunda Suitia indidit. Cùm enim per cruentam illam pugnam, quæ apud Morengart Suitiorum regionis depugnata est, Suevis & Germanis, aliisque nationibus Helvetii innotuissent, nec aliam vocem audiissent, quod unius erat, ad omnes transtulerunt, Suicerosque adpellarunt, quidquid ejus fœderis fuit, aut posteà accessit.

(q) Comment. eodem I.

(r) Notis in Cæs. (s) Livius lib. I. annal. (t) Comment. VI. (u) Comment. VII. quamvis corrupte ibi Heleuteri legantur. (x) Lib. V. antiqu.

CAPUT II.

Qui fuerint quatuor Civitatis Helvetiæ pagi, de quibus Cæsar.

Civitatis descriptio. Pagi descriptio. Glareani de quatuor Helv. pagis opinio. Eadem refutata. Schudi opinio probata. PAGUS TIGURINUS I. Ejus limites. Comprehensi pago Tigurino. Idem in Ducatu Allemannico. Oppida pagi Tigurini. Ratio quare plura Romanis notata in eo oppida. Comitatus ejusdem pagi. PAGUS URBIGENUS II. Ejus limites. Vulgo Votzberg. Ejusdem partes. Urbigenus Burgundiæ. Episcopatus Urbigeni. Ejus oppida. Comitatus. AVENTICENSIS PAG. III. Ejus termini. Et partes. Episcopatus Aventici. Ejusdem oppida. Et comitatus. ANTUATICUS PAGUS IV. Antuatis fines. Ejusdem partes. Et oppida. Omnis Helvetia in duas partes. Quatuor Helvetiæ pagorum ratio. Modus cognoscendi R. provincias.

Omnis Civitas Helvetia, inquit Cæsar (a) *in quatuor pagos divisa est*. Quærendum quid sit Civitas, quid tum Pagus. Illa compositum quoddam est. Quemadmodum igitur alia tota per partes, ita si quid sit Civis cognoverimus, Civitatis notionem eadem opera habebimus. Civitas enim civium quædam multitudo est. Ipsam descripsit Aristoteles (b) *participatione potestatis publicæ judicandi, & decernendi*, quam descriptionem populari statui maximè convenire ait. Is hac ratione civis, qui conciliis publicis interesse, judiciis præesse, magistratus capere potest. Civitas, quæ ex talibus, jure & imperio conjunctis. Nec refert eodem in loco, iisdemve mœnibus, an nullis omnino mœnibus, & locis

(a) Comment. I. (b) In politicis.

& locis diverſis habitetur. Plura enim oppida, pluresque regiones loco ſeparatas, & cultu, hæc ſignificatio complectitur, juris modo, & imperii ſocietate copulentur. Et oppida quidem nihil ad Civitatis rationem facere ex Tacito (c) inter cæteros clarum, qui ſæpè Civitatum Germaniæ mentionem facit, cùm; *nullas in Germania urbes eſſe jam vulgatum*, tradidiſſet, *ne pati quidem inter ſe junctas ſedes*. Hinc commodè idem Ariſtoteles: Civitatem perfectam eſſe ſocietatem, ex multis viciniis conſtantem: vicinitatem verò ex multis familiis junctam ſocietatem, alio loco, definivit. Eadem ratione Civitatis Helvetiæ quatuor pagi, in quibus pagis Oppida duodecim, Vici quadringenti. Sed inde quoque manifeſtum, pagum non eſſe hoc loco *ſocietatem ex pluribus domibus conſtitutam utilitatis gratia*, quemadmodum ab eodem doctore dictum aliàs benè, neque receptaculum, aut perfugium, quæ Tullius Romanorum Rex Græcè nominavit pagos (d), locis montanis, & firmis imprimis collibus conſtituta, quo ſe agreſtes, & coloni ex campis & planis per hoſtiles irruptiones ſubducerent, ſed regionis tractum majorem, minoremve propter fluvium, aut potius quamcunque cujusvis regionis partem. A fluviis hæ regiones dictæ Argovia, Turgovia, Rhingovia, Ilergovia, aliæ ſexcentæ. Hanc verò regionum per partes, hoc eſt, pagos, dividendi rationem à Numa quoque uſurpatam teſtatur Dionyſius (e). *Diviſit*, inquit, *totam regionem in partes, quos pagos nominavit*. Idem tradidit Plutarchus (e e). Atque ita Helvetia omnis in quatuor partes diſtributa erat, quemadmodum antiqua Suevia in centum. Ex his quatuor partibus, ſive pagis, duos tantùm nomine diſtinctè Cæſar expreſſiſſe creditus eſt, Verbigenum & Tigurinum, ſed qui per doctiorum diſſenſiones non difficultatis minus habent, quàm reliqui duo obſcuritatis. Glareanus qui noſtris hominibus, exteriſque primus in antiquitatis Gallicæ Germanicæque inveſtigatione præluxit facem, cùm pagum à Græco πηγὴν, & Dorice παγὰν declinaſſet, ſecundum quatuor Helvetiæ celebriora flumina Taurum, Limagum, Urſam, & Arulam, ita quatuor Helvetiorum conſtituit pagos, hujus tantùm incertus Urbigenus vel Verbigenus à fluvio Dur, quem Taurum nos nominavimus, an ab antiquo oppido Urba traxerit nomen. Sed ejus ratio ex ipſa pagi recta finitione refutata. Ubi enim centum in Suevia præcipuæ nobilitatis flumina, quibus totidem pagos terminet? Si omnes rivos, & torrentes pagis inſigniat, numerum, puto, conficiat, ſed pariter in Helvetia plures ut rivi, ita pagi. Aliter ergo tribuendi Helvetiorum pagi, qua in tributione maximè mihi Ægidii Schudi ratio probatur, qui in Tigurinum, Urbigenum, Aventicenſem, & Antuatem quatuor partes totam Helvetiam diviſit, de quibus proinde ſingillatim, & eo ſervato ordine agemus.

PAGUS TIGURINUS. I

Atque Tigurinum pagum eum eſſe qui habetur hodie, mihi pro certo eſt, attendenti ad Tauriſcos, quorum caput Tauregum, vel Tigurum, ut poſteà declarabimus, à quo Tigurinos formavit Cæſar. Ejus limites, ut fuère olim verſus Orientem, ante nominatum latus, a Breitenvald Glaronenſium, ad Stad Vicum, juxta Acronium, ubique Rhætos attingens. Verſus Septentrionem à vico prædicto Rhenus, lacusque Confluentiam usque, qui eum à Germania ſejungunt. Dein contra Rauracos & Occidentem primò Arula, usque ad influxum Limagi, deinde Limagus ad monaſterium usque Vettingam propè Badam, quæ pagi Urbigeni eſt. Quo ex loco relicto Limago montium illi apices pro terminis ſunt, qui è regione ejusdem monaſterii, ad Lortzam fluvium infra Frauenthal monaſterium Tuginorum, & poſteà inter Artam, & Cuſſenacum Suitiorum vicos, extenduntur, donec extremum illud cornu, quod inter Gerſaviam, & Veggiſneſt, magnumque lacum alluit, conficiunt, tum verò, lacu trajecto, ad eum usque locum qui Treib dicitur Uraniorum, rurſum ea montium culmina qui Uraniam & Silvaniam, Angelbergamque Silvaniorum ſegregant Geſtinum usque in receſſibus Uraniorum, qui Limagus, montesque Tigurinum, & Urbigenum pagos dividunt, contrà Occidentem. Denique à Geſtino illæ montium ſummitates, ad Breitenvald nuncupatum primò, qui Silvanios, & Glaronenſes, à Rhætis ſeparant, Tigurinum pagum contrà Meridiem concludunt. Totus hic tractus Conſtantienſis diœceſis eſt, complecturque Tigurinos, Tuginos, Uranios, Glaronenſes, Abbatiſcellanos, itemque S. Gallum, Rupertivillam, Terminos, Toggenburgenſes, & eam regionem univerſam, quæ circa Podamicum eſt, & Rhenum, antiquumque Turgeu retinuit nomen. Multa Tigurinorum ſive totius hujus pagi incolarum præclara geſta, de quibus alibi. Ultimis temporibus Ducatus Sueviæ, ſive Allemanniæ partem compoſuit, Præfecturamque Imperii peculiarem, quæ à loco præcipuo Tigurina dicta. Tigurum enim, & Tugium, Uraniamque, & Glaronam fuiſſe pagi Tigurini, & Allemanniæ Ducatus oſtendunt Inſtrumenta Ludovici Germaniæ Regis, Caroli M. ex Ludovico Pio nepotis, quorum uno Turegum, & Uraniam Hildegardi filiæ donat, cujus hoc initium *H. Ludovicus divina favente clementia Rex*. &c. *Curtim noſtram Turegum in Ducatu Allemannico, in pago Turgaugenſi, & pagellum Uraniæ*, &c. *monaſterium noſtrum tradimus, quod ſitum eſt in eodem vico Turego*, &c. *dilectiſſimæ filiæ noſtræ Hildegardæ*, &c. *Data XII. Kal. Auguſti, anno, Chriſto propitio* (f), *XXI. regni Domini H. Ludovici Sereniſſimi Regis, in Orientali Francia*. Alio quo Camum, è regione Tugii juxta lacum, eidem Hildegardi tribuit, his verbis, *Curtim noſtram, quæ vocatur Chama, in Ducatu Allemannico, in pago Turgaugenſi*, &c. regni ejus 26. indict. 6. (g). Exſtat etiam Inſtrumentum Henrici IV. quo controverſiam inter Geronem abbatem Eremi, & Suitios compoſuit, in quo Suitios in Ducatu Allemanniæ conſtituit. *Datum Baſileæ VI. Idus Martii, anno Domini* 1114. *regni ejus* 14. *Imperii* 3. Idem probat aliud factum à Cunrado Rege, *Straſburgi*, 8. *Idus Julii, Anno Domini* 1144. *regni* 6. Glaronam denique in Ducatu eodem includi omnia Inſtrumenta, monaſterii Seckingæ confirmant. *Clarona in Ducatu Alamannico*. In hoc pago oppida ab antiquitate celebrata, Thuricum, ſive Tigurum, Arbor felix, Gaunodurum, ſive Conſtantia, Vitodurum, Rhinouium, Prætorium ſive tribunal Cæſaris, locaque alia, de quibus poſteà ſingillatim, uti Fines, Forum Tiberii, Certiacum. Neque mirum huic pago plura ſignata Romanis ſcriptoribus oppida quàm aliorum nemini. Frequentiora enim iis locis contra Germanos, Allemannosque Romanorum præſidia, caſtraque fuerunt. Barbaris nam-

(c) Libello de Germania. (d) Dionyſ. antiq. lib. II. (e) Eodem. (e e) In Numa.

(f) A. D. N. DCCCLXII. (g) A. D. N. DCCCLVIII.

que nationibus primi Tigurini prædæ, & direptioni, primæ in eos irruptiones. Fines, Arbor felix, Constantia Allemannicis nata temporibus. Forum Tiberii auctorem prodidit. Solium Cæsaris non nisi à Cæsarum uno. Comitatus in eo inter cæteros longè celeberrimi Kiburgensis, & Toggenburgensis.

PAGUS URBIGENUS II.

Secundus pagus fuit, quem Cæsar, Gallos vincere, quàm nominare peritior, corruptè Verbigenum, aut, ut alia exemplaria habent Urbigenum, ad hodiernum nomen Ærgeu, propiore notatione, vocavit. Is contra Tigurinum limites jam dictos habet. Ab influxu verò Limagi in Arulam ad Vocetium se porrigit, sequiturque ejus montis apices, ad ortum usque Siggeris, quo amplexu Rauracos, ab Helvetiis dividit. Siggeris inde fluxum secutus, eò, dum in sinistrum Arulæ se præcipitat, inter Salodorum, & oppidum Vietilsbach, tum verò metam habet Arulam usque Munsingam, deinceps objectos montes ad Meridiem, eorumque summitates inter Vilisovium, & Entlibuoch, ad Brunicum usque Silvaniorum, & posteà Angelbergam, ad eos denique montes qui Uraniorum sunt, qui quidem tractus ab ortu Siggeris, ad eosdem Uraniorum montes Urbigenum ab Aventico separat, & Occidente. Hujus pagi, ut partes diversæ, ita nomina. Circa Burgdorff oppidum, & Salodorum, in Burgenden, sive in montibus, & Burgenthal vocatur, nisi potiùs à Burgis, hoc est, arcibus, & castellis, quæ iis partib. frequentissimæ, ut & nobilitas olim præcipua. Propè Emmatiam fl. Emmenthal, sive vallis ejusdem fl. A Vietelsbach Oltam usque Buchsgovia, ab arce Buchsen, & simpliciter Govia, Geu. Circa monasterium Muri, Vagenthal, & libera Præfectura, itemque Rusthal, sive vallis ursæ. Apud Silvanios infra silvam Surichogovia à flumine Surina. Regio verò universa Burgundiæ, non Allemanniæ attributa, quod ex variis literarum monimentis perspectum. Privilegium quidem ab Henrico IV. Angelbergæ datum, planum facit id monasterium in Burgundia, & Episcopatu Constantiensi esse, Comitatuque Surich, cujus principium. *Henricus divina favente clementia quartus Romanorum Imperator, August.* &c. *Quod regulare quoddam Monasterium situm est, in provincia scilicet Burgundiæ, in Episcopatu Constantiensi, in pago Suricovve, in Comitatu Suric quod ad Sanctam Mariam nuncupatum est, cognomine autem Engelberg* &c. *Anno Domini* 1126. *Imp. 6. Data Argentinæ* 5. *Kal. Januarii. Dominica, Luna* 8. Aliud privilegium Muri ab eodem Henrico quarto, sive ut plerique numerant quinto, datum, ostendit idem monasterium in Burgundia esse, in Episcopatu Constantiensi, in Comitatu Rore. *Henricus, divina favente clementia, Romanorum Imperator Augustus* &c. *Quod in Regno nostro regulare quoddam Monasterium situm est, in provincia scilicet Burgundiæ, in Episcopatu Constantiensi, in pago Argovve dicto, in Comitatu Rore, quod Mure nuncupatum est,* &c. *Data* 4. *nonas Martii, Indictione* 7. *anno Dominicæ Incarnationis* 114. *regnante Henrico quinto Romanorum Rege, anno* 8. *Imperante* 3. Habuit Urbigenus pagus proprium Episcopum, cujus Vindonissæ Cathedra, qua de re, ubi super ea quondam urbe agemus plura. Ejus sunt oppida Aquæ Helvetiæ, Bremgarte, Tobinium antiqua. Comitatus Lentzburgiorum, Aquensium, Habsburgiorum.

AVENTICENSIS PAGUS III.

Ita pleraque Ecclesiæ Lausanensis acta, & Instrumenta vocant eum, quem, tertio loco, inter Helvetios constituo, à capitali urbe Aventico sumtō nomine. Contra Urbigenum ejus jam terminos posuimus. Versus meridiem separant Valesiani montes ab ea gente, secundum fluviorum derivamenta; his in Arulam, aut Sanam, aliis in Lemannum decidentibus. Tum verò montes illi, qui à Castro S. Dionysii, se Minnidurum inter, & Losannam Jurasium usque inflectunt, Antuatesque ab eo secludunt. A Septentrione ejusdem Juræ summitates, ad ortum usque Siggeris prænominati, Aventicos a Sequanis, Rauracorumque parte dividunt. Hujus, ut ceterorum, plures partes per varia nomina. Antiquum & ingenitum vocabulum solùm circa Friburgum retinuit, ubi Aventici ruinæ, regionis, ut totius olim Helvetiæ, capitis. Unde non immeritò quidam de Friburgo cecinisse Glareanum existimavere:

Gentis Aventinæ decus, & suprema potestas.

Regio Uchtland nominata, non autem Nuchtland, ut perperam, nec sine injuria antiqui & veri nominis quidam hactenus scripsere, Rhenano credo adulati, qui Nuithones nobis, si Dis placet, ex Suevia in eas partes transtulit. Sanè non solùm regio tota Uchtland, sed etiam lacus, quem hodie a vicino oppido Moratensem vocant, in antiquis Instrumentis Uchter see, sive lacus Aventicus nominatur, sicuti postea dicemus. Sed pars hujus pagi superior in plures valles tributa, unde hæc Haslerthal, Sibenthal, Sanerthal; ab altero latere Vatteverthal, latinè vallem transversam nominant, Valendis, quæ vallis Angina etiam dicta. Quæ verò Neocomo, sive Neoburgo Salodorum usque sunt, Salgeu antiquitùs adpellabantur, sive Salengeu, quorum oppidum Salodorum Salensium. Habuerunt etiam Aventici, aut Aventicenses suum Episcopum, qui Aventicorum Episcopus in Conciliis nuncupatur, ut jam disputabimus. Oppida antiqua Aventicum, Salodorum, Paterniacum, Minnidurum, Pyrenesca, Ebrodunum, Urba, Noidenolex, Bramagus vicus. Comitatus Neocomensis, Strasbergensis, Arbergensis, Rotundomontanus, Grueriensis. Sed Comites de Glana præcipuæ nobilitatis, utpote ab antiquis Burgundiæ Regibus. Ex iis quondam Geuelinum præfectum huic toti pago reperio a Carolo Magno, qui Paterniaci tumultu militari occisus, & sepultus est, quòd proditionis Vasconicæ insimularetur.

ANTUATICUS PAGUS IV.

Quartum pagum Antuates habuere, utroque Lemanni latere. Complectitur is Alpes, & valles omnes a S. Mauritio Genevam usque ultimum Allobrogum oppidum, & Rhodanum, qui apud eam urbem lacu egreditur. Versus Orientem, & Aventicos, limites jam collocavimus. A Meridie montes eos habet, qui Salassos, & Centrones, Allobrogumque partem ab iis dividunt. Versus Occidentem demum Allobrogicum oppidum Genevam, & Rhodanum, usque dum Juram attingit, qui Allobroges; tum ipsum Juram, qui Sequanos ab iis separat. Hujus pagi etiam meminit Cæsar (i), ubi in Antuatibus cohortes duas hiemandi gratia collocasse Galbam memoriæ tradidit. Ejus pars quæ dextro Rhodani, qua exitum ducit, Lemannique latere postquam ducta eo Romana equitum colonia, Equestris dicta, incolæ Equestres, alteram quoque ripam sive sinistram complexi quæ nunc quoque Chablais dicitur, quod caballus etiam equum significat. Amedeus III. Sabaudiæ Comes in Ducatum erexit

(h) A. D. N. Iocclxxx. (i) Comment. III.

erexit (k) adjuncta Augusta Salassorum. Altera pars sive superior antiquum nomen retinet, Vaat. Ejus sunt oppida antiqua Lausunum, aut ut alia exemplaria habent, Lausodunum, nunc Losanna, Bibiscum, Alæ, Penne, quam Neapolin, aut novam Civitatem vocant, ad caput Lemanni, Calarona, Dina, & Nevidunum, sive Civitas Equestrium, Comitatus Lausanensis. Hæc antiqua Helvetiæ in quatuor pagos divisio; posteà, omnis in duas partes, uti ante notavimus, Helvetia distributa, unam Allemanni, quæ Allemannia, & in Ducatu ejus gentis ad Ursam usque, & pagi Tigurini terminos ante positos: cetera Burgundi tenuere, & Burgundiam minorem dixere. Sed quatuor Helvetiorum pagos de quibus hactenus egimus, ita se habuisse, ut putavimus, ex Episcopatuum in Helvetia divisione mihi credibile admodum videtur. Duæ enim in Helvetia Episcopales sedes, duo Episcopi: Alteri Aventicum, alteri Vindonissa habebatur. Utrique autem duo pagi attributi: Hic Tigurinum, & Urbigenum, ille Aventicensem, & Antuates complectebatur. Sed ut quoque sedes mutaverint Jurisdictio tamen in iisdem pagis integra, & immota propè permansit. Aventicenses enim, & Antuates Lausanensi: Urbigeni, & Tigurini Constantiensi Episcopo paruere (l). Quo magis miror homines doctissimos ad tam varia hisce de pagis prolapsos esse, cùm nulla ferè alia ratio sit, qua Romanarum provinciarum divisionem antiquam adsequi possimus, quam ex diœcesibus, & Episcopatibus. Ita namque Sequanorum Maximam cognoscimus ex Episcopatibus qui Archiepiscopo Vesontino parent. Similiter Germaniam superiorem, ex iis qui Archiepiscopum Maguntinum pro supremo agnoscunt. Eadem prope ceterorum ratio. Nam id in antiquitus constitutis Episcopatibus observatum cum studio, ut Archiepiscoporum in Ecclesiasticis, quæ Præsidum Provinciarum in secularibus & politicis jurisdictio, & auctoritas esset, ostendere, opinor, & confirmare operosum non esset, si id institutam materiam desiderare arbitrarer. Idem, ab eodem, & per idem ferè tempus præstitum. Constantinus (m) fuit, cui meritò cognomentum Magni datum. Illi libertas, & auctoritas Christianæ pietatis, & reipublicæ accepta referenda. Ille orbem terrarum in certas veluti classes disparavit, & ut divina humanis, Ecclesiastica secularibus responderent, quantum potuit sapientissimè, & piissimè, constituit.

(k) A. D. N. clɔcccxli. (l) Paucis exceptis ut Bienna, & quæ circa eam, quæ ad Basiliensem Episcopatum translata sicuti Buchsgovia, à Sigeri, Oltam usque Salodorensis ditionis. (m) Eusebius in ejus vita. Zosimus lib. II. hist. Onuph. de Comit. R. Baronius tomo III. Annalium.

CAPUT III.

Quæ fuerint XII. opida, quæ incendisse Helvetios tradidit Cæsar.

Caussa incendii. AVENTICUM I. *Aventicum Helvetiorum caput. In ea Romana colonia. Aventicum ab Allemannis vastum. Vivelsburg. Aventici populi, & Episcopi Aventicorum. Marius Episcopus Aventico Losannam sedem transtulit. Dea Aventiæ cultus, & delubrum. Lacus Aventicus. Aventicum sub Bernatibus. Ejus amplitudo antiqua.* VINDONISSA II. *Ejus antiquitas. Caussa cur tot Aureliani Imp. ubique nummi. Præsidium in ea R. Ejusdem situs & commoditas. Vindonissa ab Allemannis vastata. Constantius Cæsar reparavit. Vindonissa ex urbe in castrum. Episcopalis cathedra Vindonissa Constantiam translata, & quare. Urbigenum, sive Vindonissensium privilegium. Vindonissa dignitas & quidquid ejus fuit ad Habsburgios Comites delata. Altenburg ubi Vindonissa. Altenburgensium Comit. origo qui postea Habsburgii ex nova arce. Liberæ Præfecturæ origo & unde Habsburgiæ domus in Helvetia prima incrementa. Habsburgi Ratpoto conditor & unde nomen. Austriacorum principum & Impp. & Hispaniæ Regum derivamenta. Multa Vindonissæ & Altenburgi antiq. monimenta* THURICUM AUT TIGURUM III. TUGIUM IV. SALODORUM. V. VITODURUM. VI. *Vitodurum ab Allemannis eversum primò, mox a Constantio Cæs. restitutum. Error eorum qui Vitodurum pro Constantia acceperunt, aut contra. Vitoduri novi origo.* AQUÆ HELVETIÆ VII. GAVNOD. VIII. *Gaunoduri etymologia. De Gaunoduro opiniones. Eadem refutata. Gaunodurum Constantia a reparatore. Cathedralis facta, & quando. Prima in Helvetia S. Martini ædes & unde. Constantiæ urbs.* NOIDENOLEX IX. EBRODUNUM X. *Errata in Ebroduno. Ebroduni præfectus fabrum R. & qua ex caussa.* LAUSODUNUM XI. NEVIDUNUM XII. *Ratio opinionis hic de duodecim opidis.*

PAGIS constitutis qui probabiliter visi sunt, etiam oppida illa duodecim quæramus, quæ incendisse Helvetios in Galliam abituros memoriæ commendavit Cæsar (a). *Ubi, inquit, jam se ad eam rem, discessum scilicet, paratos esse arbitrati sunt, opida sua omnia numero ad duodecim, vicos ad quadringentos, reliqua privata ædificia incendunt, frumentum omne præter quod secum portaturi erant, comburunt, ut domum reditionis spe sublata paratiores ad omnia pericula subeunda essent.* Certum igitur ex hodiernis Helvetiæ oppidis, quæ ultra septuaginta numerantur, Helvetio bello antiquius esse nullum. Sed ut illa quæ tenebant duodecim incenderint, probabile tamen non ita esse vasta, & in flammas, cineresque redacta, ut non aliquid multumve superfuerit, ex quo fuisse, esseque oppida, aut talium rudera, & ruinas constaret, qualia turres, mœnia, propugnacula, alia, quæ vel ignis non attigerit, vel in nihilum dare nequiverit, ut eadem postea repetere jussis, & recolere, multa antiquitatis, & priscæ habitationis monimenta remanserint, quæ instauratis licet ædificiis, ætatem tamen, ut prius culta, habitataque fuisse declararent. Sed eadem a nobis post tot rursum, tantasque vastationum, & incendiorum acerbitates, quæ barbaricis evenere temporibus, jam nec agnosci possunt, nec indicari. Et crediderim non eadem quæ prius omnia redhabitata, sed ut nemus, locus, fluvius, aut collis suasit, & persuasit nova oppida condita. Multa quoque eorum quæ nunc inter prisca, & antiqua putantur, à Romanis postea contra Germanos, & Barbaros excitata, aut propter amœnitatem, aut commoditatem frequentari cœpta, celebritatem ab antiquitate nacta sunt. Ne tamen nihil dicamus, sed a capite potius principium eruamus.

AVENTICUM I.

Præterquam adfirmant probæ fidei scriptores, traditione antiquissimum, & ex antiquis primum, aut

(a) Commentario primo.

aut unum. Et feruntur Verſus Gottfridi (b) Viterbienſis, quibus jam Brenni tempore Romanis cladibus noti (c) celebrem eam fuiſſe urbem & a Germanis everſam adnotatur in hanc ſententiam,* nam corrupte alibi legas.

Sede Biſuntinus fuerat tunc Rex Siguinus,
Cujus erat Sena (d) fluvius, Rhodanusque marinus,
Primaque pars Araris, Allobrogusque ſinus.
Cum loquor Allobrogos fluvium perpende (e) Labruam:
Quæ fuit urbs quondam grandis velut altera Troja,
Nomen Avenza (f) fuit, quæ peritura ruit.
Illa ſuperborum viguit feritate virorum:
Marte Suevorum periit primatus eorum:
Decidit armorum cultus, & omne forum.

Poſteà

Uxor erat Brenni Siguini filia Regis,
Cujus ab auxiliis Dux Gallica regna ſubegit.
Sequana, cum Ligeri, Brennica ſigna vehit.

Quæ licet parum fundamenti habeant, utpotè absque claſſico teſte, & jurato ſcriptore, tamen de Aventico nemini dubium unquam fuit, non, ut diximus, antiquiſſimum eſſe, & ex duodecim illis unum. In priſtinam dein dignitatem revenit, & Helvetiorum caput eſſe meruit; auctor Cornelius Tacitus (g), qui centum circiter poſt Cæſarem annis vixit; de bello quod Cæcina Helvetiis, Galbæ, contra Vitellium, partes tuentibus, attulit: *Cumque direptis*, inquit, *omnibus, Aventicum gentis caput, juſto agmine, peteretur, miſſi qui dederent Civitatem, & deditio accepta*. Poſtea Romanorum coloniam accepit, qua de re ſuo loco. Plerique ad ultimum everſam volunt Aventicum, illa communi Romani Imperii, & Galliarum ſtrage quæ Valentiniano III. & Martiano Impp. accidit (h). Ego multò antè vaſtatam, & deſtructam arbitror, & Conſtantii potius Cæſaris tempore, quo tempore Allemanni usque in Lingones & Aeduos graſſati ſunt (i). Id mihi ex Ammiano fit probabile, qui illa tempeſtate hoc eſt ſub Conſtantio Conſtantii nepote jam deſertam fuiſſe (k) memoratum reliquit (l). *Secundam*, inquit, *Lugdunenſem Rhotomagi, & Turini Mediolanum oſtendunt, & Tricaſini, Alpes Grajæ, & Peninæ. Exceptis obſcurioribus, habent & Aventicum, deſertam quidem civitatem, ſed non ignobilem quondam, ut ædificia ſemiruta nunc quoque demonſtrant*. Nec poſteà reſurgere potuit, aut aliquid priſci decoris recuperare. Vivilo Comes ex ruderibus, ſupra eum collem ubi urbis Capitolium fuerat caſtrum formavit (m) quod Vivelsburg nominavit, quod nomen nunc quoque apud Germanos retinet, nam Galli Avenzam, ab antiquo Aventico nominant. Ceteras demum ruinas in hanc quæ hodie videtur formam, Burcardus Lauſanenſis Epiſcopus ſub Henrico IV. Imp. collegit (n). Ab Aventico verò incolæ Aventici Plinio dicti, & ab ipſis Epiſcopi Aventicorum, quod nomen etiam poſtquam vaſtum Aventicum, & novum Vivelsburg conditum uſurparunt. Ita ſubſcripſit Superius, concilio Arvernenſi, ſub Theodeberto Francorum Rege anno II. ejus regni, VIII. Novemb. *Superius Epiſcopus Aventicorum* (o). Ita Marius in concilio Matiſconenſi quod Guntramus Aureliani, & Burgundiæ Rex haberi juſſit XXIV. an. Regni ſui. *Marius Epiſcopus Aventicorum*. Hunc Marium eſſe volunt qui genere, & opibus florens, utpotè ex antiquo Burgundionum Regum ſanguine, primus Loſannæ ſedem collocavit, juſſu, & auctoritate Bildeberti Auſtraſiæ, & Burgundiæ Regis, qui Guntramo ſucceſſit, primo anno Regni ejus Burgundici (p), quique eam urbem Cathedralem eſſe voluerit, reditibus ex patrimonio, privilegiis à regibus adauxerit (q), qua factum ratione ſit, ut Aventicorum nomen, quod per Epiſcopos celebrabatur, propè interierit; ipſi ſe Lauſanenſes Epiſcopos, & Comites nominavère. Aventicum tamen ſemper Epiſcoporum fuit, & in eo Officiales, & præfectos habuère, itemque Vicarios Generales & quidquid eorum toto Aventicenſi pago, Juriſdictionis, & muneris fuit. Antoninus ait (r), Aventicum diſtare Minniduro paſſ. millia 22. & Pyreneſca 28. quod ita eſt; nam Minniduro Aventicum numerantur milliaria Helvetia, ſive Ger. 3. Aventico Pyreneſcam 4. Liber Provinciarum ſub Theodoſio, ut volunt editus Aventicum vocat Helvetiorum Civitatem. *Civitas Helvetiorum, id eſt, Aventicum*, non propter urbis tunc quidem amplitudinem, aut florem, quæ, ut hactenus demonſtravimus jam diruta, & deſerta erat, ſed propter Epiſcopos, qui Aventici, & Aventicorum ut ſuprà vidimus ſe nominabant. Suprà Aventicum quatuor ſcilicet paſſuum millibus colliculus adſurgit, in quo celebris, totâ Helvetiâ, (ut inſcriptiones plurimæ, hoc in loco poſitæ, & conſecratæ oſtendunt) Deæ Aventiæ cultus fuit, & delubrum, in quem locum frequentes fierent undiquaque peregrinationes, ut votum à Tigurinis perſolutum, & in ſaxo literis notatum adhuc manifeſtum facit. Poſteà Viller, & Munchuiller à monachis ibidem poſitis nominatus, nos Villariam vocamus. Lacus qui nunc Moratenſis dicitur, ab oppido Murato, dextro ejus latere, ſex paſſuum millibus infra Aventicum, olim Aventicus dicebatur, uſitato etiam ultimis temporibus nomine, ſicuti ex antiquo fœdere conſtat, quod præfecti Auſtriaci, nomine Alberti, & Othonis Auſtriacorum Principum, Urbesque Argoviæ, Turgoviæ, Sundgoviæ, Briſgoviæ, cum Baſilea, Tiguro, Conſtantia, S. Gallo, Berna, Friburgo, Salodoro, Comitibusque à Nidou, Kiburg, & Furſtenberg ſancierè (ſ). In Bernatum denique poteſtatem, ut Loſanna, ita Aventicum venit bello ultimo Sabaudico (t), quæ urbs, & quanta fuerit ejus amplitudo hinc puta, quòd ducenta frumenti, & leguminum onera ex decumis quæ in mœniorum antiquorum ambitu ſunt, quotannis colligantur. Antiquitatis priſca, & effœta admodum facies. Præter numos omnis generis infinitæ ſunt inſcriptiones Romanæ, quarum nonnullas his in antiquitatibus repræſentavimus. Oſtenditur etiam marmorea columna in campo latiſſimo, pedes triginta alta, quæ in medio urbis fuiſſe dicitur, idoli baſis. Sed de Aventico ſatis, ingrediamur ad cætera.

(b) Fuit is ſecretarius Friderici I. & Henrici ejus f. Imp. vixitque anno 1150. (c) A. V. C. ccclxv. Liv. annali. V. (d) Ita vocat Sequanam, quæ nunc Seine quoque. (e) Quaſi Allobroges ſint dicti à la Broja. Broja, quem nonnulli Brolium nominant, notus pagi Aventicenſis fluvius, utpote qui ipſam Aventicum antiquam interfluxerit. (f) Aventicum Avenza nunc quoque Gallis, & Romana barbara lingua. (g) Lib. 1. hiſt. (h) A. D. N. ccccliı. (i) A. D. N. ccxiv. (k) A. D. N. cccl. (l) Lib. XV. hiſt. (m) Circa A. D. N. Dcv. (n) A. D. N. MLxxvı.

(o) A. D. N. Dxxxvııı. (p) A. D. N. DLxxxvı. (q) A. D. N. Dxcvııı. (r) In Itinerario. (ſ) A. D. N. Mcccxxxııı. (t) A. D. N. Mdxxxvı.

VINDONISSA II.

Vindonissæ ætatem præterquàm quòd etiam à Tacito in historia (u) memoratur, & Antonino in itinere, multa testantur, quæ passim eruuntur monimenta, & inscriptiones, urnæ sepulchrales, numi aurei, argentei, æreì. Sed argentei Aureliani præcipuè Imperatoris, per totam Helvetiam plurimi. Cur ita percrebuerint caussam videtur insinuasse Zosimus (x), his de eo Imp. verbis. *Novam monetam publice distribuit, cùm plebem quidquid haberet adulterinæ monetæ tradere jussisset commerciis, hoc modo, ab omni confusione vindicatis.* Vindonissæ est etiam statua Mercurii propè integra. Præsidiis posteà Romanis legionis XXI. hac in urbe sedes ordinaria, ut alibi dicetur, unde quoque ejus magnitudo clara. Oportet enim non parvam fuisse, in qua legio una pro præsidio consisteret. Loco ubere, & oportuno, angulum utriusque confluentis Ursæ, & Arulæ complebat, ponte uno, hinc in Sequanos, & Rauracos, (cujus quidem commoditate remansit oppidum Bruck ab eo nominatum, Vindonissæ suburbium:) altero in Germaniam, recto versum Badam itinere, (in cujus loco navicula nunc trajiciendi caussa utuntur) mittebat. In eam omnis generis mercimonia ex tribus Helvetiæ præcipuis fluminibus, Arula, Ursa, Limago qui etiam paulò infrà Ursam in eundem Arulam descendit, partibusque devehi poterant Tigurino, Urbigeno, & Aventico. Nec à Rheno magna distantia. A Confluentia nempè, adverso Arula, passuum millia vix septem, ut mirum mihi omninò videatur, cum totius Helvetiæ commodissima fuerit antiquum decus recipere ne forma, aut frequentia aliqua potuisse. Hodierno enim die vix paucula quæ vicum efficiunt ædes, nomen antiquum Vindisch. Mœniorum, ruderum, ruinarum nullæ omninò solo super reliquiæ, quæ urbem fuisse demonstrent, excepto Altenburgo, & Habsburgo. Si verò ruas adhuc mœniorum rudera & fundamenta longè, lateque reperias, sola concamerata, fornices; Ossium verò humanorum compages per campos, & tota vicinia passim, credo, ex illo quod Constantius Cæsar propè eam urbem contra Allemannos prælium habuit. Et fortè hujus cladis memoria ita barbarorum animos efferavit, ut adeò in urbem sævirent, nec eius superesse monimentum vellent. Nam prima ejus vastatio Allemannis etiam, ut opinio, debita, cùm non solùm ipsam, sed Fines, Vitodurum, Aventicum, & quidquid præterea in Helvetia, Sequanisque firmitudinis ad Lingones usq; everterunt (y). Constantius Cæsar suprà memoratus cùm in Vindonissæ campis eam gentem felici prælio devicisset, & ultra Rhenum pulsasset, reparasse creditur, sicuti de Vitoduro certum, ex inscriptione, quæ ad illud oppidum referetur. Sed ab hac vastatione non jam urbs, licet reparata, sed castrum adpellatur in lib. Prov. *Castrum Vindonissense* cùm populi vicini Vindones, & Episcopi Vindonum, aut Vindonissensium ab antiquo oppido dicerentur, sicuti in libro Conciliorum videre licet. Sigismundus Burgundiæ Rex concilium Epaoni celebravit tempore Symmachi Papæ & Aviti qui posteà Archiepiscopus Viennensis, quo in concilio interfuit *Bubulcus* (z) *Episcopus Civitatis, & Castri Vindonissensis* (aa). Hildebertus verò Francorum Rex, & Regina Huldrada conjux, V. Aurelianum peregerunt XXVIII. Octobris cui *Grammatius Episcopus Vindonissensis* subscripsit (bb). C. Hildebertus demum Austrasiæ, & Allemanniæ Rex, cùm mortuo patruo Guntramo, ut antè quoque notavimus, Burgundiæ Regnum occupasset, sedem Episcopalem transtulit Vindonissà, Constantiam (cc), eam maximè ob caussam, ut Episcopi præsentia, zelo, & virtutibus, Allemanni, qui utroque Rheni latere Ulmam usque adhuc infideles plerique, & idolis dediti, sicuti ex vita S. Columbani, & S. Galli alibi ostendemus, converterentur citiùs, frequentatione præterea, exemplis, monitis. Sed ut hæc translatio fuerit facta, tamen receptum Urbigenis, ne cogerentur, juris ergò, Constantiam proficisci, sed Episcopus teneretur potius Vindonissam venire, aut Vicarium cum potestate mittere, qui jus apud eos in Ecclesiasticis redderet. Unde acta Murensia. *Cùm Abbas Murensis benedicitur, notam faciat Episcopo Constitutionem hujus loci. Populus enim iste, vadit ad condictum Episcopi, quo & cæteri ejus pagi convicanei vadunt, scilicet ad Vindonissam, ibique jus Ecclesiasticum audiet, & judicium sustinebit, sicuti constitutum est omni Sanctæ Ecclesiæ &c.* Denique sensim quidquid antiquæ dignitatis & auctoritatis Vidonissæ fuit, Comites, Altenburgenses occupavère, cum castri Vindonissensis dominium ad se transtulissent; ædificataque eo in loco, nova arce, sub antiquo Castri titulo, quod Altenburg ideò nominàrunt, Altenburgenses sese Comites, & Vindonissæ dominos nuncupavère. Ipsi ex antiqua Helvetiorum stirpe, mox sub Burgundis, abolito Romanorum Imperio clari, tùm verò ob virtutem Francis, qui Burgundiæ reges exsciderunt, in precio habiti, maximas opes sibi compararunt, adeo ut Guntramus Comes Altenburgensis qui sub Arnolpho Imp. vixit (dd) cognomentum Divitis repererit. Sicuti ex annalibus Monasterii Muri videre licet, quod Rapoto hujus Guntrami nepos, & Ita ejus uxor Caroli Lotharingiæ Ducis filia ædificàrunt (ee). Cùm vero post mortem Arnolphi, & ejus filii Ludovici, ultimi Francorum, ut quorumdam arbitratio est, originis, & regiæ stirpis Germania superior, maximeque Helvetia ob Rodolphum, qui se Regem in Burgundia minore coronandum paulò antè curaverat, bellumque cum Arnolpho gesserat (ff), & post eum, Rodolfum ejus filium, qui cum Burcardo Sueviæ duce in discordia erat (gg), in maximo metu, turbisq; versaretur, Vallis Ursæ adcolæ vulgò Rustaler, qui Ursæ sinistram, è conspectu Bremgarte, habitant, Cuntzelinum Guntrami filium deprecati sunt (hh), ut tutorem se defensoremque eorum gereret salvis nempe, sua libertate, & privilegiis, quod cum annuisset, tunc, & posteà, ad hodiernum usque diem, Præfecturæ liberæ ea regio nomen accepit. Acta Muri. *Rogarunt Conzelinum comitem de Altenburg, filium Guntrami divitis ut esset defensor suarum rerum.* Hæc prima incrementa apud Helvetios domus Altenburgensis sive Vindonissensis, nam Habsburgi nulla hactenus mentio. Rapoto supra memoratus Cunzelini filius, cùm hac ratione non exiguas opum progressiones adeptus esset, primùm novæ arcis fundamenta posuit (ii) in colliculo, paullò suprà Altenburg, cui nomen inde fecit, quòd fortè, eo in loco, accipi-

 trem,

(u) Lib. IV. [x] Lib. I. hist. [y] A. D. N. ccxciv. [z] Sunt qui credunt primum in Hel. hunc fuisse Episcopatum, jam inde à S. Beato Apostoli Petri discipulo, quem præcipuè in hoc pago Christum nunciasse, traditum in ejus vita, in quo vita defunctus est. (aa) A. D. N. DXV.

(bb) A. D. N. DLII. (cc) A. D. N. DXCVII. (dd) A. D. N. DCCCXCV. (ee) A. D. N. DCCCCXCI. (ff) A. D. N. DCCCCXI. (gg) A. D. N. DCCCCXXXVIII. (hh) A. D. N. DCCCCXVIII. (ii) A. D. N. DCCCCLXXXI.

rem, tamquàm ex specula, quae gererentur advertentem, conspexisset, Habsburgumque vocavit, quasi accipitris, qui Germanis Habch, aut Habich, ab eo ostento, arcem. Ab Habsburgo deinceps Comites se ab Habsburg, relicto, vel antiquato Altenburg, nominavère, hacque ex origine locoque orti, ductiq; per Rudolphum Habsburgi Comitem (kk), primum ejus nominis, & familiae Imperatorem, Austriaci Duces, Imperatoresque, Hispaniaeque Reges, & orbis Monarchae. Antoninus ceterùm ait (ll), Vindonissam distare à Finibus, passuum millia 35. à Vitoduro 23. ab Augusta (mm) 28. Infinita his locis repeniuntur, ut principio etiam meminimus, lapidum, & saxorum frusta, in quibus tres, quatuor, plures literas Romanas legas. Inter reliquias arcis Altenburg adhuc adspicitur haec scriptio inter duas saxi partes.

L. VEGNATIO.
POL. MAXIMO. DO.
FOR. LOR. MIL. LEG.
XI. G. P. F. GUSORIUS (nn).
ANN. XLVIII. STIP. XX.
H. S. E. (oo)
G. ROSCIUS OMPHA.
LUS. HER. FAC. CUR.

Rusticus non multis ante annis (pp), cum, eo in loco, domum aedificaret, plurimas ejusmodi inscriptiones rupit, & muro inclusit, sicuti adhuc partim videre licet. Nunc Kunigsfeld, sive Campus regis quòd, eo in loco, Albertus I. Imp. Rodolphi fil. à Joanne ex fratre nepote, & conjuratis confossus interierit (qq), monasterium, dum religio stetit, nobilissimum ab Elisabetha Alberti conjuge, & posteà Agnete fil. conditum, & Austriacorum Principum sepultura celebratum, medium urbis antiquae Vindonissae obtinere creditur, ex ruinis ejus fabricatum, ut ex libello fundationis apparet.

THURICUM AUT TIGURUM III.

De eo ubi tredecim Civitates Helvetias scribemus.

TUGIUM IV.

De eodem illo quoque in ordine.

SOLODORUM V.

Ejus pariter eo in loco locuples tractatio.

VITODURUM VI.

Vitoduri quoque meminit Antoninus, & nomen hoc solidè Celticum, forma Romana. Oppidum ex primis incensis, ut cetera reparatum, Allemanni, sub Diocletiano, & Maximiano Impp. funditus everterunt, ut Aventicum. At hoc, ut alia, per Aurelium Proculum Procuratorem in Helvetia instaurandum curàrunt Romani Caess. Constantius & Galerius, Aventicum in ruinis reliquerunt, non alia de caussa quàm quòd Allemannis, & barbaris vicinius, & in quo primo offenderent; illud in Helvetiae quasi meditullio remotius, nec satis magno contra eas gentes praesidio. Hujus Vitoduri restitutionis testis haec inscriptio (rr).

IMP. CAES. G. AURE. VAL. DIOCLETIANUS AUG. PONT. MAX. SAR. MAX. PERS. MAX. TRIB. POT. XI. IMP. X. COS. V. P. P. ET. IMP. CAES. M. AUR. VAL. MAXSIMIANUS. AUG. PONT. MAX. SAR. MAX. PERS. MAX. TRIB. POT. X. IMP. IX. COS. IIII. P. P. ET. IMPP. FL. VAL. CONSTANTIUS. ET. GAL. VAL. MAXIMIANUS. FILII. CAESS. MURUM. VITUDUREN. A. SOLO. INSTAURARUNT. CURANTE. AURELIO. PROCULO. V. C. PR. PROV. MAX. SEQ.

Qua inscriptione, quia pro parte Constantiae legitur ex lapide, nam pars altera fracta, aut jam quidem inde asportata (ff), quidam eam urbem, Vitodurum esse probare conati sunt. Et fortassè aliquid obtinuissent nisi magis Vitodur, aut Vinterthurn, ut hodie vocamus, ad antiquum nomen responderet, & verò ab illis diversus omninò abiret Antoninus, qui Vitodurum inter Fines, & Vindonissam collocavit, & rursum Vindonissam medio inter Vitodurum, & Augustam (tt) itinere, quae omnia in Vinterthurn convenire, & ab utroque situ Constantiam procul abesse nemini est dubium, nisi qui horum omnium cognitionem nullam habet. Credibile postea (uu) rursum periisse, cum ceteris, Hunnorum aut Allemannorum ultima rabie. Verum sub Carolinis, aut anteà, Francorum regibus, coli & ut oppidum frequentari, aliquo honore, coepit. Nam propè Vitodurum sub Arnolpho Imp. superatum fuisse Rodolphum Burgundiae regem à Burcardo Sueviae Duce memoravit Hermannus Contractus Comes Veringensis (xx). Ibidem viguere (†) Comites Vitudurenses, ex Kiburgiorum Stemmate, ubi ex insignibus utriusque familiae fides, quae solùm coloribus differunt. Nunc vicus est satis amplus, vulgò vetus Vitodurum, in colliculo situm, ubi adhuc non paucae antiquae culturae exempla. In ejus colliculi pede aedificarunt Comites palatium, aut arcem, habitaruntque, ex cujus frequentia posteà cum tempore natum oppidum hodiernum Vitodurum novum (yy). Sed idem opidum maximè habitari colique incoepit ab eo tempore (zz), quo Kiburgiorum, qui antè Vitoduranos, haereditatem Habsburgii adivèrunt. Rudolphus quidem Imp. primus non solùm opidum auxit aedificiis, sed etiam privilegiis, permansitque in Austriacorum potestate dum Sigismundus Archidux Tigurinis traderet (aaa).

AQUÆ HELVETIÆ VII.

Aquas Helvetias [ita antiquo nomine voco opidum quod Badam Urbigeni pagi nunc nominamus] ex antiquis fuisse inde perspectum quòd Vitellii tyrannide haud multis post Christum natum annis jam vetustate dilaberentur moenia, qua de re alibi.

GAUNODURUM VIII.

Sed Gaunodurum inter Helvetiae oppida Ptol. retulit (bbb). Cujus aetas ex eo mihi clarior quòd utraque nominis pars mera Helvetia sive Celtica, Gaunum, & durum: hocque pro turre: illud praeruptum saxum, aut collem significat. Sed quo loco, & quod fuerit disputatio est. Quidam Zurzachum esse voluère; alii oppidum Stein Rheni, nonnulli denique Constantiam. Sed Zurzachum non esse suum proprium nomen Romanum Certiacum arguit. Neque Stein, cum in Germania sit, altera Rheni ripa, Gaunodurum in Helvetia. Unde, mea quoq; sententia, Gaunodurum antiquum illud oppidum Helvetiorum fuit, quod posteà ab instauratore Constantia nomen accepit. Quis enim in dubium vocet,

(kk) A. D. N. Mcclxx. (ll) In Itinere. (mm) Rauracorum. (nn) Gemina, Piae, Felicis. (oo) Hic situs est. (pp) A. D. N. MDxxxv. (qq) A. D. N. Mcccix. (rr) A. D. N. cccxv. facta.

(ff) Interius in S. Blasii capella legebatur utraque pars uti repraesentavimus an. 1520. (tt) Rauracorum. (uu) A. D.N. cccclii. [xx] In chronicis. (†) A. D. N. Dccccxix. [yy] A. D. N. Mcclxiv. [zz] A. D. N. Mclxxviii. [aaa] A. D. N. Mccccclxvii. [bbb] Lib. III. Cosm.

vocet, eo in loco, ubi nunc eſt, urbem præcipuam fuiſſe quam Ptolemæus præterire noluerit, loco nempè totius Helvetiæ amœniſſimo? Et frequenter aut plerumque ubi magnorum fluminum ex lacubus egreſſiones oppida, illa occaſione frequentiora, teſtantur inter Helvetia Tigurum, Luceria, Geneva. Facta Epiſcopi cathedralis, ut diximus, cùm Allemanni tandem, & vix ad Chriſti cultum ſe comparâſſent Childeberti auſpiciis XIII. anno regni ejus Franciæ Orientalis & Allemanniæ, primo verò regni Burgundiæ, Maximo, vel ut alii ſcribunt, Maxentio primo Conſtantiæ Epiſcopo & Vindoniſſenſium ultimo. Ei ſucceſſit Urſinus qui Vindoniſſæ ſedem S. Martini, ut hæc inſcriptio ſemibarbara oſtendit muro templi indita,

I N O N O R E S T I
M A R T I N I E C P I
U R S I N U S E B
E L U P U S E T D E
T I B A L D U S ✠ L I N
C U L F U S F E C I T.

primus in Helvetia fabricandam curavit, ejus præcipuè viri labores, quos in convertendis aliquot Helvetiorum partibus, veluti Suitia & Urania, habuerat, hoc pacto celebriores ſollenniores fore ratus, operam ſuam præſtante Theobaldo Comite. Tum verò ut, hac quoque ratione, Vindoniſſa, quamvis ſede Epiſcopali privata, nihilominùs frequentaretur, & aliquid dignitatis retineret. Urſino ſuffectus Gaudentius, quo regente in Helvetiam & Conſtantiam venit S. Gallus, ut ſcribit Valafredus. Conſtantia vocatur Urbs in diplomate Caroli Magni, hoc eſt, magnum opidum, & ex principibus. Cujus initium & finis: *Karolus gratia Dei Rex Francorum & Langabardorum, & patritius Romanorum,* &c. *Omnibus,* &c. *Eccleſia Sanctæ Mariæ Vrbis Conſtantiæ,* &c. *Data VIII. Idus Martias anno XII. regni noſtri. Actum Vormatiæ Civitate* (ccc). Sed quamvis illo in loco Urbs, ut vidimus, dicatur, tamen exiguus erat, eo adhuc tempore, & poſteà, ejus circuitus; quantùm ad mœnia, teſtatur Inſtrumentum Ludovici Germaniæ Regis, Caroli nepotis, datum Monachis S. Galli, quo Inſtrumento, templum S. Stephani, quod nunc propè media in Urbe, extrà muros ponitur. Ejus quoque principium: *H. Ludovicus, divina favente gratia,* Rex &c. *Eccleſia S. Stephani extra muros civitatis Conſtantiæ conſtructa,* &c. *Data XI. Kal. Auguſti. Anno Chriſto propitio XXII. regni Domini H. Ludovici glorioſiſſimi Regis in Orientali Francia. Indict. II. Actum H. Luma palatio regio* (ddd).

NOIDENOLEX IX.

Ea in libro Provinciarum inter quinque Sequanorum Civitates ponitur una, ſed quæ fuerit, ut aliàs plerumque, obſcurum, & pariter controverſum. Alii namque Neapolim eſſe voluère, ſive Novam Civitatem ad caput Lemanni: alii Donum, aut Lauſannam, in hac aut illa Lemanni ejuſdem ripa. Ego nihil horum arbitror, & Neocomum, ſive Neoburgum opidum, Comitatus cognominis, conſtanter adfirmo. Nam illa omnia opida apud Antuates, & ſuis nominibus, hoc eſt, antiquis, nota, ſiquidem Loſanna Lauſunum, Neapolis Penne dicitur Antonino. Donum quoque ſuum nomen habet, ſive Dina Plinii ſit, ſive Nevidunum, ut aliàs videbimus. Noidenolex verò pagi Aventici eſt. Additur enim, *Noidenolex Aventicus* vulgato ea tempeſtate loquendi more, ut *Auguſta Vindelicus, Lutetia Pariſius, Mediolanum Santonus,* quo etiam viri eruditione clari (eee) uſi ſunt, ne quis barbarum, cum B. Rhenano (fff) arbitretur. Hinc quoque intelligas illam partem, quæ ultra eum lacum eſt, qui ab opido nomen Neocomenſis accipit, ſecundùm Juram, Aventicorum fuiſſe, ad eum uſque locum. Nam quæ Salodorum uſque ſunt Salenſes, ut alibi diximus, habuère, & ipſi pagi Aventicenſis, quamvis alio nomine. Poſteà Burgundiæ Minoris fuiſſe teſtantur Inſtrumenta Angelbergæ apud Silvanios, in quibus Bienna oppidum, Noidenolegem infra, *in Burgundia* ponitur.

EBRODUNUM X.

Ebroduni vulgò Iverdum ad caput laci, eo loco ab illo nominati, ſunt qui facere mentionem arbitrati ſunt Plinium (ggg), ſed quos nominis ſimilitudine deceptos arbitror. Non enim hoc, de quo nobis ſermo, ſed Galliæ Narbonenſis, nunc quidem in Delphinatu, Ambrum vocant, memoravit is ſcriptor, ſicuti & Ptolem. (hhh), qui Caturgidorum opidum facit: & auctor Itinerarii, qui Alpium Maritimarum metropolin ponit Ebrodunum, Epiſcopali ſede celebrem. Non tamen carere annis hoc noſtrum probabiliſſimum. Liber Noticiarum conſtituit in eo præfectum claſſis Barcariorum his verbis: *In Provincia maxima Sequanorum Præfectus claſſis Barcariorum Ebroduni Sabaudiæ* (iii). Curabant enim, eo in loco, Romani Impp. parari abietes navigationibus, quas per utrumque lacum Ebrodunenſem, & Biennenſem, in Tilam, & Arulam, tùm verò in Rhenum, & deinceps in Oceanum deferendas mandabant. Juraſſum enim eximiæ pulcritudinis abietibus abundare, etiam notavit Plinius. Et ſuperioribus annis venère vel ex Batavia, qui ex illa ſilva, quæ à latere Tobinii eſt, vulgò Bonuald, pinus & abietes emerent, ut & paullò antè, ex Liguria, quas eâdem via ſcilicet Arula Rhenoque deportarent. Fuit & Calaronæ in hunc uſum præfectus Fabrum, qui compactas in rates pinus per Lemannum, & deinceps Rhodanum, Arelatum, tùm Maſſiliam in Mediterraneum devehendas curabat. In eo libello ubi R. Provinciæ recenſentur Ebrodunum inter caſtra ponitur. Erant multa rudera mœniorum, & turrium ſuper quibus Petrus Sabaudiæ Comes X. arcem conſtituiſſe dicitur (kkk), contra Zæringorum poſteros. Præterfluit oppidum Tila. Diſtat Paterniaco paſſ. mill.

LAUSODUNUM XI.

Ita reperio in antiquis ſcriptis illam urbem notatam, quam Antoninus Lauſunum vocat, vulgò Loſannam, Antuatium Juranorum caput; Unde mihi ejus antiquitatis memoria. In Ptolemæo valdè fallor, aut illud fuit opidum, quod librariorum incuria, aut ſcriptoris ignorantia, quod in eo frequens, Diaſannium adpellatur, corruptè nempè, pro Lauſannum. Ejus meminit, ut diximus, Antoninus, dicitque diſtare ab Equeſtribus trajiciendo lacum 20. paſſ. mill. & ab Urba 18. Eò Cathedralis ſedes per Marium Aventico tranſlata urbi celebritatem attulit. Concilio Cabillonenſi in Burgundia celebrato 25. Octob. (lll) ſub Clodoveo II.

D Franco-

(ccc) A. D. N. Mcclxxix. (ddd) A. D. N. Dccclv.

(eee) Scaliger Notis in Auſonium. (fff) Libro de Germ. (ggg) Lib. III. hiſt. nat. (hhh) Lib. II. Coſmog. (iii) Lib. XVI. cap. 19. (kkk) A. D. N. Mcclvi. (lll) A. D. N. Dclvii.

rum rege, interfuit *Anicius Episcopus Lausanensis*. Burcardus Episcopus Lausanensis fuit Henrici IV. Imp. Signifer, sive Lanceam sacram prætulit, interfectus in Turingia in obsidione urbis Gleiche (m m).

NEVIDUNUM XII.

Ejus antiquitatem satis probat colonia R. eò deducta, qua de re ubi de coloniis.

Sed hæc duodecim fuisse illa antiquissima, ut nihil certi constituere possim, præter illa quæ adduximus testimonia, inde colligere est, quòd non multis post Cæsarem annis frequentata rursum reperiantur pleraque, quasi Helvetii subitò eadem, cum domum rediissent, redhabitare, & innovare cœperint. Nam non à Romanis, sed ipsis Helvetiis reparata, aut ædificata ostendunt Celtica nomina, quibus plerumque insigniuntur, & in *durum*, aut *dunum* desinunt, quorum alterum turrem, alterum collem, aut locum eminentem significare Celticè, doctissimi viri adnotàrunt (n n n). Sunt verò præter hæc XII. alia plura antiqua oppida & loca in Helvetia, partim ab Helvetiis condita, partim à Romanis ut discretio nominis satis ostendit, his Romanum aut à conditoribus, aut à loci qualitate, sonantibus: illis Celticum suum genuinum præ se ferentibus, de quibus paucis hoc capite seq.

[m m m] A. D. N. MIxxxix. [n n n] Turneb. adverf.

CAPUT IV.

De aliis locis, & oppidis in Helvetia ab antiquitate notis.

FINES. Finium etymi ratio. SOLIUM CÆSARIS. Nominis origo. FORUM TIBERII. Caussa constituendi fori. Cur pauca tot oppidorum veterum vestigia. CERTIACUM. Aliud Certiaci nomen antiquum. Ach idem quod aqua. RUPERTIVILLA. TOBINIUM. PYRENESCA. PATERNIACUM. Marius Episcopus Aventicorum primus Paterniaci restaurator. ROTUNDUS MONS. Ejus situs. BRAMAGUS. MINNIDURUM. Berchtoldus Zaeringus Minnduri reparator. URBA. PENNE, VIVISCUM. DINA.

EA sunt Arbor Felix, Fines, Solium Cæsaris, Forum Tiberii, Certiacum, Confluentia, Tobinium, Luceria, Ruperti villa, Paterniacum, Pyrenesca, Bremgarte, Burgum ad Rhenum, Minnidurum, Rotundus mons, Urba, Viviscum, Bramagus, Penne, Dina, Calarona, Alæ. Sed de Arbore felici, Burgo, Confluentia, Bremgarte, Calarona, Alis, ubi de præsidiis sermo erit: Luceria alio libro tractabitur, cetera persequamur.

FINES.

Finium meminit Antoninus, aitque abesse à Vitoduro 12. pass. mill. ab Arbore Felice 20. Fines verò sive ad Fines ideò locum dictum volunt, quòd ibi Rhætia Provincia finiret, cujus nempè esset ultimum oppidum. Nam Helvetiæ partem, sive pagi Tigurini Rhætiæ adjunxisse Romanos, ex Ptolemæi delineatione clarum est, & posteà videbimus. Nam ab alio latere manet adhuc nomen Terminus Helvetiorum vulgò die Marck, ad Rivarium, quòd eò usque Rhæti colonias promovissent. Fines verò est dirutum oppidum dextra Tauri, in colliculo situm. Liber conditionis Augiæ vulgò Rhinau ostendit Constantium Cæsarem Fines constituisse. Reperiuntur hinc inde in vinetis adhuc numi R. & rudera passim & murorum ruinæ perspiciuntur, aliàs vix nomine loci, & pauculis ædibus, aut villis notum; Pfin nominant.

SOLIUM CÆSARIS.

Ita vocat Glareanus, quod Rhenanus, & alii Tribunal, aut Prætorium Cæsaris, nunc Kaiserstuol, oppidum ad Rhenum nominant. Nomen datum creditur quòd Tiberius, in eo loco, jus, non solùm militibus, sed etiam vicinis regionibus redderet, illo tempore, quo cum Rhætis & Vindelicis bellum gravissimum gessit. Quamvis enim suis legibus, & magistratibus uterentur Fœderati, quales Helvetii, honori tamen Cæsaribus datum crediderim, si præsentes essent, ut si quæ controversa essent, eorum arbitratu deciderentur. Accedit quòd non procul inde Sequani & Rauraci, qui Principem absque dubio sequerentur, & apud eum caussas suas agerent, præsertim si in loco aliquo vicino constitisset, moramque poneret. Sicuti fecisse isto credibile est. Neque enim nisi lento duello collidere Rhætos, suis montibus securos poterat, quamvis aliter tradidisse visus sit Strabo (a) unaque æstate bellum Rhæticum patratum. Sed de eo suo loco.

FORUM TIBERII.

Ejusdem belli Rhætici occasione natum oppidum quatuor infrà Tribunal Cæsaris pass. millib. quod Ptolemæus (b) Forum Tiberii nominavit, Helvetiisque tribuit. Inter alias Fori significationes, pro loco negociationis ponitur, ut Forum Flaminium, Forum Julium, ab eorum nominibus, qui ea fora constituenda curàrunt, quod etiam in locis privatis, in vicis, in agris fieri antiquitùs mos obtinuit (c). Hæc posteà fora incolarum numero aucta, tectis frequentata, oppidorum formas acceperunt, Forique nomen, & jus pristinum, aut retinuèrunt, aut meliori permutàrunt. Cum igitur belligeraret contra Germanos, Rhætosque Tiberius, hoc in loco forum posuit, non solum propter militum commoditatem, sed etiam vicinorum populorum, & eam maximè ob caussam, ne asperis in regionibus, quales videbantur esse Rhætorum, aliquid deesset commeatuum, aut armorum. Hujus oppidi supra Zurzachum quondam politi, præter plurima rudera, nihil jam quidem superest. Reperiuntur frequenter numi omnis generis. Nundinæ quæ ab eo tempore, & deinceps ad nostra tempora celebres, Certiacum in proximum vicum translatæ, de quo jam dicam, si prius adjunxero, caussam videri, cur tot antiqua oppida, & urbes funditùs perierint, ut præter aliquot murorum ruinas nihil eorum appareat, quod paucas domos ex saxis, & lapidibus construerent, solùm mœnia, turres, & munimenta ea ex materia ducerent; ædes, & habitamenta ex cratibus & limo compingerent, ut adhuc in quibusdam Augustæ Vindelicorum, & Basileæ videre licet, quæ proindè, injecto igne facilè solverentur, & in nihil redirent.

CERTIACUM.

Certiacum vicum infrà Forum, ejusdem ruinæ celebravere, ex quibus subcrevit, & nobilitatus est, auctore maximè Certo quodam Viennensi milite, qui fortè in oppido antiquo aliquid muneris defungebatur,

[a] Lib. IV. [b] Lib. III. Geomograph. [c] Festo auctore.

gebatur, cujus memoriam in hac inſcriptione ejus hæredes conſecrarunt.

M. IUNIO. M. F. VOLT. CERTO.
DOMO. VIEN. VETERAN.
MIL. LEG. XIII. GEMINÆ.
CERTUS. ET. AMIANTUS.
PIL. HÆREDES. FECER.

Ita, ſuperioribus annis (d), Certiaci legebatur, nam pars ejus lapidis jam fracta, & perdita. Hæc quidem quantum ad reſtauratorem nomenque feruntur: qua ſuper re, ut nihil novi producam, tamen aliud vocabulum hujus loci, in antiquis monimentis reperi. Nam in Martyrologio R. antiquo, & probæ fidei, ubi S. Verenæ memoria eſt, eam apud Aquas Duras depoſitam legitur. Verenam Certiaci eſſe, ſive Zurzachii ſepultam nemini dubium. Unde ſubit mihi lubido exiſtimandi, *Duras Aquas* verum & antiquum hoc in vico locoque nomen eſſe. Nam Ach, unde Zurzach, aquam Germanis ſignificaſſe infinita apud eos vocabula ab aquis ſumta confirmant Utznach, Fuoſſach, Steinach, Schuartzach, & Ach in Germania inferiore quod à Granio quodam Aquisgranum. Jam verò T. vel D. elementa apud eosdem in Z mutari Turegum, Tugium, Tobinium, Tabernæ, oppida, Tira fl. teſtantur. Zurzach igitur Duræ aquæ. Et adfinitas literarum T. & D. nota ex manuſcriptis antiq. & doctiſſimi in ſuis lucubrationibus adnotarunt (e). Et fieri poteſt, ut quæ Duræ aquæ primò, poſt nomen à Certo hoc reſtauratore acciperent. Locus à prima origine frequentatus, & monaſterium Benedictinorum inter prima ibidem conditum. Carolus Craſſus Imp. Richenovio, ſive Augiæ Majori, dono dedit, cum ibi ſepulturam ſuam elegiſſet, ut ex inſtrumento patet, dato *Pridie Idus Octobris Indict. 14. Imperii primo, ex Podanna palatio* (f). Nundinæ, quæ ante apud Forum Tiberii, Certiaci nunc bis in anno maximo concurſu ex tota Helvetia, Suevia, Briſiacis, Sequanis, & Rauracis peraguntur.

RUPERTIVILLA.

Ita vocandum cenſeo quod Rapersvil dicitur oppidum inter utrumque lacum ſuperiorem & inferiorem Thuricenſem in prominente cornu, ad inſtar peninſulæ conditum, loco formaque eleganti & amœno. Ejus de origine nihil certi quidem habetur, ſed habitum cultumque antiquis præter loci commoditatem perſuadet mihi lapis in aræ ſpeciem formatus cum his paucis literis

C. OCT. PROVIN.
S. (g)
L. D. D. D. (h)

repertus haud procul inde; nunc Jonæ in proximo vico oſtenditur. Rupertus demum Dux militum Ludovici regis, & Sueviæ, cujus amplæ ſecundum eum lacum poſſeſſiones erant, ut ex fundatione Collegii Lucernatis perſpectum, eo in loco arcem aut domum amœnitate ſitus delectatus, conſtituit, quæ ab eo nomen accepit. Poſteà Comites habuere, qui inde nominati celebratique jam ſub Othone primo; ut teſtantur Acta Eremi. Sanè ſub Othone tertio floruit magna virtutis & doctrinæ fama apud Eremum Virandus Comes Raperſvillenſis tertius poſt S. Eberardum Abbas. Sed hoc de oppido, & Comitibus multa eſſent quæ dici poſſent.

TOBINIUM.

Nunc Zofhag vocant, oppidum propè fl. Altacum vel Viggerum, cujus antiquitatem etſi nulla probent Romana aut vetuſtatis inſignia, tamen inde colligas non parum dignitatis habuiſſe, quòd tempore jam Caroli Craſſi Imp. cudendæ monetæ licentiam, auctoritatemque haberet, oppidumque eſſet, cùm Tigurum non niſi vicus eſſet & exiguo in honore, niſi quantum monialium attulit monaſterium. Id autem manifeſtum eſt ex Privilegio quod idem Carolus Abbatiſſæ Berthæ Sorori ſuæ dedit (i) cudendæ Turegi monetæ, quo in Privilegio uſus Tobinienſis numi expreſsè memoratur, recipiturque. Sunt qui oppidum habuiſſe ferant Comites à Spitzenberg, quorum adhuc inſignibus utitur. Comites à Froburg Canonicorum Collegium condiderunt.

PYRENESCA.

Ejus nihil omninò præter nomen quod antiquitatem oleat Antoninus meminit. Dicit enim diſtare ab Aventico 28. paſſuum mill. quod ita ſe habet. Nunc Biren nominant opidum dextra Arulæ ripa, decem ſuprà Salodorum paſſ. mill. ut idem Ant. tradidit. Comites Nidovii tenuere. Nunc Bernates habent.

PATERNIACUM.

Iſtud Romanum nomen eſt. Paterni autem, an Paterii plures, ejusdemne familiæ, & gentis obſcurum. Diverſimodè ſcriptos reperio in Codd. Juſt., & apud Xiphilinum & Dionem eadem varietate. Apud nos eorum memoria per duas inſcriptiones, una ſumta ex Jura, ubi Pierreport, quaſi porta rupis, quòd ibi mons ſciſſus, & perruptus magno labore, ſumtuque, perviusque ex Helvetia in Sequanos factus Paterni II viri Coloniæ Aventici curâ, Marci, & Lucii Antoninorum (k) Impp. auſpiciis.

NUMINI AUGUS
TORUM.
VIA. FACTA. PER.
..... V.. R.... IUM. PATERNUM
IIVIRUM. COL. HELVET.

Reliquorum fabulas, & nugas, carmina etiam, ſi Dis placet, iſtis ex literis compacta quid attinet dicere? Sunt namque qui hoc pacto, prodiderunt:

Numinis Augusti via facta per ardua montis,
Feliciter Petram ſcindens in margine fontis.

Alii in hunc modum, paullò ſcilicet acutius:

Nmus Augusti via facta per ardua montis
Fecit iter findens petram in margine fontis.

Quid quòd eò proceſſit ingeniorum libido, ut Julio Cæſari hanc quoque viam attribuerint? quem primò ſatis conſtat numquam Auguſtum vocatum, nec eò perveniſſe. Sed hæc mittamus. Alia cernitur his conſignata literis Villariæ.

GENIO.
PAGI. TIGOR.
P. GRACCIUS
PATERNUS
CUR. COL. ET.
SCRIBONIA.
LUCANA.
V. FEC.

D 2 Utrum

[d] A. D. N. MDxxv. [e] T. & D. in z. mutatio, crebra Germanis. Scaliger in Conjectan. & in Feſtum Turneb. adv. [f] A. D. N. Dccclxxxi. [g] Statuit. [h] Locus. Datus. Decreto. Decurionum.

(i) A. D. N. Dccclxxxiii. (k) Imperium ſimul adierunt anno Domini 162 geſſeruntque per annos 9. Intrà quod tempus oportet hoc regium opus factum, ut nugas, quæ de Cæſare Julio dicuntur, mittamus, quaſi nihil præclari, niſi ab ipſo, patratum fuerit.

Utrum verò II. vir, an Curator hic, an ille, Paterniacum de se nominaverit incertum est. Oppidum eversum, ut cetera in Helvetia, Marius Aventicorum Episcopus condito ibi templo reparavit, & in pristinum decus restituit, sicuti Acta Lausanensis Ecclesiæ demonstrant 8. *Kal. Julii. Indict.* 5. *Episcopatus an.* 14. *regnante Guntramo Burgundiæ rege* (l). Sed Bertha posteà Rudolfi Burgundiæ regis vidua maximam claritudinem addidit, cùm non solum monasterium, eo in loco, nobilissimum, & locupletissimum condidit (m), sed in eo etiam sepulturam sibi, & posteris elegit, Majolo primo præside constituto, cui & oppidum subiecit, cum consensu & voluntate liberorum Cunradi Burgundiæ regis & Burcardi Episcopi Lausanensis. Oppidum suprà Aventicum 8. pass. millib. ad Brolii qui vulgo Broja f. dextram.

ROTVNDVS MONS.

Neminem hujus oppidi, quod viderim, ex antiquis mentionem habuisse satis miror, cùm magnæ ætatis esse constet, & turris illa quæ in pede collis, antiquæ architecturæ, & omnia prisca confirmet. Nomen ipsum Romanæ Civitatis. Longe lateque ejus pomæria patuisse traditum fama, & nonnulla in subjectis campis rudera probant, numi etiam Romani inde lecti, situ mirabili & admodum eleganti, colle in rotundum apicem, veluti coronam, omni ex parte adsurgente, ex quo tamquàm ex specula oppido parent longe lateque omnia. Petrus Comes Sabaudiæ, illo Friderici II. interregno (n), occupavit, turribusque binis rotundæ formæ & pulcerrimæ munivit, & decoravit. Sedes ex eadem familia Comitibus post genitis, ad bellum usque Burgundicum (o), quo bello primùm turris illa quadrata ad radicem oppidi, post longam obsidionem capta, & incensa, posteà quoque urbs in potestatem venit. Friburgenses tenent locum totius Helvetiæ nobilissimum.

BRAMAGVS.

Vulgò Bromasim parœcia oppidi RU, paullò infrà situs Vicus nunc, oppidum olim fuisse nonnulli (p) voluère, quod Ru usque se porrexerit, parsque ejus fuerit, unà cùm arce quondam nominatissima, sed jam olim à Comitibus Sabaudiæ eversa, quòd latrones occupassent, unde toti subjectæ regioni grassabundi dominarentur. Et mihi relatum nonnulla Bramagi vetustatis monimenta notari. Sanè ejus meminit in Itinere Antoninus, aitque distare à Vivisco pass. millib. 19. & à Minniduro 2. licet quamtùm ad Viviscum error potiùs librariorum esse possit, cùm non sint ultrà pass. millia 10. Distat Friburgo p. m. 20.

MINNIDVRVM.

Nunc Milidunum, Milden, & Modunum, oppidum & arx ad Brolium, qui non procul inde ex Jura oritur. Præter notionem nominis Celtici etiam Antoninus memoravit, scripsitque abesse à Bramago 2. pass. mill. ab Aventico 22. Cùm barbari evertissent vastassentque, qui ex oppido remanserat vicum primus Berchtoldus Zæringus ejus nominis & stirpis ultimus mœnibus cinxit, & in oppidum restituit (q). Post ejus mortem cùm Sabaudiæ Comites occupassent arcem addiderunt.

(l) A. D. N. Dxcv. (m) A. D. N. Dcccclxii. (n) A. D. N. Mcclxi. (o) A. D. N. Mcccclxxv. (p) Paradinus chr. Sab. (q) A. D. N. Mcxc.

VRBA.

Aut, ut alii scribunt Orba; in magna eam antiquitatis opinione fuisse, indicium facit, quòd dubitatum sit, Urbigenone pago fecerit nomen; Comitiis etiam regum celebrata (r). Nam ibi convenere, & de repub. agitarunt (s) Carolus Crassus Ludovici quondam Germaniæ Regis filius, & Ludovicus Carolomanusque Ludovici Balbi Francorum regis filii nothi, cùm ille in Italiam ad capessendum Rom. Imp. proficisceretur: hi, coronato contra regni Francici dignitatem Bosone Provinciæ rege, bellum cogitarent. Jam ante (t) Theudelindæ, Theodorici Burgundiæ regis sororis, aula & palatio memorabilis, Aimone (u), & Rheginone (x) auctoribus. Oppidum situm ad Tilam qui non longè inde ex Jurasso erumpit. Multi in eo omnis generis R. numi reperiuntur, & antiquæ murorum ruinæ, turris verò adhuc visitur mirandi operis. Urbam ait Antoninus distare Losanna 18. pass. mill. & ab Arica nunc Pontarlino 24. Suprà Ebrodunum 8. pass. mill.

PENNE.

Quis sit hic locus aut oppidum perobscurum. Ego quidem eò ducor ut credam Novam Civitatem esse, vel Neapolin ad Caput Lemanni, dextra ejus ripa, quòd non aliud reperio, cui magis Antonini calculatio conveniat. Ponit enim medio inter Tarnadam sive S. Mauritium & Viviscum itinere. Ab hocque abesse passuum millib. 9. ab illa 13. quæ si perpendas non in alium locum, quàm huic quadrare reperies. Oppidum exiguum, & malè sanum, ob Lemanni uligines, parumque frequentatum.

VIVISCVM.

Aut ut alibi legitur Bibiscum, vulgata has literas B. & V. mutandi ratione (y), hoc paullò elegantius Antuatium Ripanorum (z) ad eundem Lemannum oppidum, latere dextro, de quo sæpius memoratus Antoninus. Situm 18. pass. mill. suprà Losannam, & 44. suprà Genevam. Ejus quoque meminit Lambertus Schafnaburg, in itinere Henrici IV. Imp. in Italiam, aitque in eum locum obviam ei venisse (aa) Amedeum Sabaudiæ Comitem cum matre ejus Adelasia. Quamvis corrupte ibi *Civis* pro *Vivis* legatur.

DINA.

Ab altero Lemanni latere, ferè ex conspectu Losannæ, est oppidum Donum, quod Dinam Plinii quidam arbitrati sunt, Bodiontiorum caput. Alii Equestris Coloniæ Civitatem rati, Nevidunum esse dixerunt, qua de re, ubi de coloniis. Ego enim in priorum sententiam pedibus eo, Donumque Dinam existimo. Bodiontii populi illi qui illo Laci latere, Fauciniam quoque vallem complectuntur, inter Equestres etiam nominati quorum vocabulum adhuc retinent. Erunt credo plura & oppida & loca in Helvetia antiqua, sed quæ vel per Romanorum incuriam, aut superiorum temporum negligentiam, nullis literarum monimentis tradita, vel in ruinis ignota & incomperta jacent, aut in diversa abiere.

CAPUT V.

(r) Aimo Lib. V. cap. 40. hist. Franc. (s) A. D. N. Dccclxxix. (t) A. D. N. DCxviii. (u) Lib. IV. Cap. 1. (x) Lib. II. chron. (y) Scalig. in Festum. (z) Ita vocati videntur quoque Romanis, ut ex inscriptione Nevidunì posita claret, quod nomen nunc quoque retinent, & inde vinum nobilissimum Ripanum, aut Ripense. (aa) A. D. N. Mlxxv.

CAPUT V.

De republica Helvetiorum, Gallorumque antiqua, utque libertate prope omnes exciderint.

His igitur in medio relictis de priſca Helvetiorum uti & Gallorum repub. tum quæ ante Jul. Cæſaris ætatem ab Helvetiis geſta, ex antiquis & probis ſcriptoribus, quantum lectione meditationeque conſequi poſſumus, licet ut eruamus. Illud prius, hoc poſterius. Qui de rerum publicarum adminiſtratione, Politica Græci dicunt, nobis præcepta inſtitutionesque reliquerunt ſapientiſſimi homines, tres earum ſpecies ferme probaverunt, totidem in vitio poſuerunt. Unam in qua Reges, alteram in qua Optimates, tertiam quam legibus & æquitate populus adminiſtraret. Regibus tyrannos: Optimatibus paucorum factiones: populo plebis libidinem oppoſuerunt. Regum prima & antiquiſſima memoria eſt. *Principio rerum*, inquit Juſtinus, *gentium nationumque imperium penes Reges erat, quos ad faſtigium hujus majeſtatis non ambitio popularis, ſed ſpectata inter bonos moderatio provehebat*. Gallorum, & ita Helvetiorum imperium ab antiquitate, ut aliarum gentium, ſub regibus fuit. Vetuſtiſſimi poſt diluvium reges, Samothes, tum Magus ejus filius, qui urbes condere & opida primus incepit, quæ ab eo nomine proinde deſinebant pleraque. Hunc Drys ſecutus, qui ut Cecrops poſtea apud Græcos, Numa apud Romanos, homines à terreſtrium & militarium ſtudio ad cœleſtium & ſuperorum Philoſophiæque meditationem tranſtulit, Druydumque ſectas inſtituit; tum Celtes, à quo Celtæ omnes Occidentales nominati Græcis, & in Gallia tertiam partem occupavere; aliiqui deinceps regnum tenuere, quorum quia incertis auctoribus tradita memoria, in iis commemorandis longior non ero. Poſtea liberæ reſpublicæ, quibus omnibus Rex ſive Princeps per ſuffragium in annum electus rerum totiusque Galliæ potiebatur, ea ratione & circuitu ut per vices ad unamquamque earum ordine ea dignitas & imperium rediret. Ita Celtilum totius Galliæ habenas rexiſſe tradidit ſummus auctor Jul. Cæſ. *Simili*, inquit, *ratione ibi Vercingetorich, Celtili filius, ſumma potentiæ adoleſcens, cujus pater principatum Galliæ totius obtinuerat, & ob eam cauſſam, quod regnum appetebat* (a), *ab Civitate erat interfectus*. Principatum eundem multis ante ſeculis eodem modo & illa Civitatum vicitate habuiſſe Ambigatum Biturigem tradidit Livius (b). *Priſco*, ait, *Tarquinio Romæ regnante, Celtarum, quæ pars Galliæ tertia, penes Bituriges ſumma imperii fuit. Ii regem Celtico dabant. Ambigatus is fuit, virtute fortunaque cum ſua tum publica præpollens*. Sed præter hunc generalem, qui toti Galliæ præerat, alii erant gubernatores & principes, & una quæque reſpublica Ducem habebat ſuum, à populo nominatum, qui per annum aut ad certum tempus ſummæ rerum præficiebatur, nec ex ſua ſententia, ſed ex Equitum & Druydum decretis, qui in republ. duo præcipui ordines, imperabat; quos regnum habuiſſe, aut principatum in ſua republ. obtinuiſſe ſcriptores boni tradidere, qui tamen tantum à regia majeſtate aliis gentibus uſurpata abfuerunt, quantum reges ab optimatibus diſparantur. Cæſar. de Orgetorige Helvetio diſſerens: *In eo*, inquit (c), *itinere perſuadet Caſtigo Catamantaledis filio Sequano, cujus pater regnum in Sequanis multos annos obtinuerat, & à S. P. Q. R. amicus adpellatus fuerat, ut regnum in ſua Civitate occuparet, quod pater ante habuerat. Itemque Dumnorigi Æduo, fratri Divitiaci qui eo tempore principatum in Civitate ſua obtinebat, ac maxime plebi acceptus erat, ut idem conaretur, perſuadet*. Eadem, alio loco (d), clarius: *Legati*, inquit, *ad eum*, Cæſarem, *principes Æduorum veniunt, oratum, ut maxime neceſſario tempore Civitati ſubveniat, ſummo eſſe in periculo rem, quod cum ſinguli magiſtratus antiquitus creari, atque regiam poteſtatem annum obtinere conſueſcant, duo magiſtratum gerant*. Alibi Adiantonium apud Aquitanos pariter ſummum magiſtratum geſſiſſe ſcriptum reliquit: *Similiter*, inquit (e) *apud Aquitanos Adiantonius ſummam imperii adverſus Romanos tenebat cum devotis, quos Soldurios* (f) *vocant Aquitani*. Idem apud Allobroges in more fuiſſe prius memoraverat (g): *Erant apud Cæſarem ex equitum numero Allobroges duo Roſcillus & Aegus Abducili filii, qui principatum in Civitate multos annos obtinuerant*. Ex quibus ſatis manifeſtum eſt quod tradidimus, Regem unum toti Galliæ præfuiſſe, ſuos vero principes & reges, qui ſummum videlicet magiſtratum gererent Civitates & reſpublicas habuiſſe: quod etiam tradidit Strabo (h), de Gallis diſſerens: *Pleraque eorum*, inquit, *reſpublicæ ab optimatibus gubernabantur. Antiquitus unum quot annis principem, itemque unum belli Ducem multitudo deligebat*. Interea non deerant plerisque in civitatibus potentes, factioſi, divites, qui populum tantiſper ducerent, plerumque ſeducerent. Quæ ſi omnia ad Helvetiorum hodiernam reipublicæ adminiſtrationem compares, ſi conſulum noſtrorum, ſive Sculteторum, Prætorum, Burgimagiſtrorum, & Ammanorum electionem, dignitatem, officium, auctoritatem, condicionem perpendas, haud magnam opinor differentiam offendas. Soli enim Helvetii, qui, ut antiquam Celtarum dignitatem, libertatem retinent, ita pari prope eam reipubl. gubernamento, & temperatione conſervant & tuentur. Regni porro affectati quod ſupplicium apud Helvetios antiquitus fuerit, declaravit ſæpius memoratus Orgetorich (i), qui ejus apud populares ſuſpectus, ideoque in vincula conjectus, cum ſe cauſæ dictioni familiarium, clientum, obæratorumque ope, quos ad decem millia coegerat, eripuiſſet, & Civitas ob eam cauſam incitata, armis jus ſuum exſequi conaretur, multitudinemque ex agris magiſtratus cogerent, *ne igni cremaretur, quas damnatum pœnas ſequi oportebat*, inquit Cæſar (k), mortem ſibi conſcivit. Atque hæc reipublicæ ratio ad Romanorum ſervitutem perduravit. Illi primo Prætores mox præſides dedere, & demum qui ſummum poſt Imperatores Imperium haberet Prætorio Galliarum Præfectum.

Principium ruinæ Galliarum per Sequanorum & Æduorum diſſenſiones venit. Helvetios quorumdam inter eos ambitus, opumque & regnandi libido, quorum facile Princeps Orgetorich, deceptos,

E   & in

(a) Hoc eſt, perpetuum ipſe Galliæ imperium obtinere, tum ad ſuos transferre. (b) Lib. V. annal.

(c) Comment. I. (d) Comment. VII. (e) Com. IIII. (f) Soldner uſitato quoque nunc vocabulo, pro mercenario milite. (g) Comment. III. (h) Lib. IV. Geog. (i) Magnæ viro opes, inde illi nomen Celticum Horreich. (k) Commen. I.

& in transversum actos prope perdidit (l): quem proinde nollem habere hodie imitatores, qui illud nempe quod superest decoris & gloriæ, dignitatisque nunc quoque in extremum discrimen adducant, aut evertant funditus, quando sunt qui dum cupidini suo morigentur cœlum terramque immiscere non dubitant, quod de suis olim, hoc est, Romanis, conquestus est sapientissimus Romanorum M. Varro. De Gallorum vero, Sequanorumque & Æduorum factionibus & discidiis luculente, ut cetera, summus & Imperator & scriptor Cæsar Julius. *In Gallia*, inquit (m), *non solum in omnibus Civitatibus atque pagis, sed pene etiam in singulis domibus factiones sunt earumque factionum sunt principes qui summam auctoritatem eorum judicio habere existimantur, quorum ad arbitrium judiciumque summa omnium rerum conciliorumque redeat, idque ejus rei causa antiquitus institutum videtur, ne quis ex plebe contra potentiorem auxilii egeret. Suos enim opprimi quisque & circumveniri non patitur, neque aliter si faciat ullam inter suos habet auctoritatem. Hæc eadem ratio est in summa totius Galliæ. Namque omnes Civitates in duas partes divisæ sunt: Cum Cæsar in Galliam venit alterius factionis principes erant Ædui; alterius Sequani. Ii cum per se minus valerent, quod summa auctoritas antiquitus erat in Æduis, magnaque erat eorum clientela, Germanos atque Ariovistum sibi adjunxerant, eosque ad se magnis jacturis pollicitationibusque perduxerant. Prœliis vero pluribus factis secundis, atque omni nobilitate Æduorum interfecta, tantum potentia antecesserant, ut magnam partem clientium ab Æduis ad se transducerent obsidesque ab eis principum filios acciperent, & publice jurare cogerent, nihil se contra Sequanos consilii inituros, & partem finitimi agri per vim occupatam possiderent, Galliæque totius principatum obtinerent.* Sed postea, quod alio loco (n) refert, pejus victoribus Sequanis, quam victis Æduis accidit, *propterea quod Ariovistus in eorum finibus consedisset, tertiamque partem agri Sequani* (o), *qui esset optimus totius Galliæ, occupavisset*, & decedere tertia alia parte Sequanos eosdem jussisset, ut in ea Harudum (p) XXIV. millia, qui Rhenum transierant collocaret. Hac cum ratione aut potius necessitate Cæsaris & Romanorum cum auxilium duæ illæ civitates Æduorum & Sequanorum implorassent, Ariovistum quidem Gallia expulerunt, sed in Germanorum locum Romanos haud paullo æquiores receperunt. Deinde vero nulla satis idonea caussa, imo undique captata, non solum Galliæ universæ, sed etiam Germaniæ, & Britanniæ bellum intulit Cæsar, nulla habita amicorum, fœderatorumve ratione, adeo ut de eo hostibus dedendo cogitasse Senatum memoria consignarit Tranquillus (q). *Nec deinde*, inquit, *belli occasione, ne injusti quidem, ac periculosi abstinuit, tam fœderatis, quam infestis, ac feris gentibus ultro lacessitis. Adeo ut Senatus quondam legatos ad explorandum statum Galliarum mittendos decreverit, ac nonnulli dedendum eum hostibus censuerunt.* Denique Romanæ in Gallia Helvetiaque tyrannidis Franci, Burgundiones, Allemannique finem modumque posuere (r).

(l) Ex summa opinor, libertate Servitus & plurima & atrocissima Plato Pol. 8. (m) Com. VI. (n) Com. I. (o) Nempe Sundgeu, & utraque Elsatia inferior, ad usque Vogesum. (p) Harter in Brisacis. (q) In Julio Cæs. (r) A. D. N. CCCCVII.

CAPUT VI.

De rebus gestis Helvetiorum ad bellum Cimbricum adfectum; de Gessatis pauca.

Gallorum antiquæ migrationes, & res gestæ. Helvetii primi in Italiam transierunt. Helvetii Gessatæ Polybii. Bojorum in Italia sedes. Gessatarum fortitudo. Gessatas Romam occupasse sponteque Romanis restituere. Helvetiorum contra Germaniam gesta. Helvetiorum bellum cum Cassio R. Cos.

SEd age, jam progrediamur ulterius, & quæ tandem Senatus populique auspiciis apud Helvetios gesta sint, haud multis disquiramus. Hæc sint solatia, his rerum orbisque conversionibus & discidiis animum cogitationemque ad prisca tempora convertere, ut enim ait ille (a):

Nullum est jam dictum, quod non dictum sit prius.

Ita recte concluserimus:

Nullum esse jam factum, quod non factum prius.

An certiora reperturi, & minori opera? illorum exemplo qui in densissimas tenebras inciderunt, quibus in tenebris cum primo nihil omnino videant, sensim tamen clarescere magis, magisque sensu penitrare existimant. Fabulas quibus posterioris ætatis scriptores, qui gratiæ, an precio scribebant multa, fingebant pleraque, præcipue laborarunt, & nostra patrumque memoria viri eruditione celebrati, dum gentis suæ, aut quam celebrare sumserant, commendationem laudemque undique aucupantur pro adfirmatis usi sunt, nihil moror. Hoc tantum meo labore relicturus quod scriptoribus antiqua fide & auctoritate traditum compererò, & rationi, judicioque consentaneum, cetera procul habiturus. Nec mihi patria aut mei veritate antiquiores umquam fuerunt, cujus sanctissimum numen violari tam multis non mirabitur, qui mores hujus seculi pensiculate cum animo putaverit, apud quos historica fides malevolentia existimatur, vanitas pro laude accipitur. Suntque Scriptores qui dum dicant, quæ, & qualia dicant, susque deque habent. Sed tamen Gallorum toto orbe terrarum expeditiones nemo adeo mentis aberrat, qui veterum monimentis celeberrimas decantari neget, in Italiam, Germaniam, Hispaniam, Græciam, Asiam, Thraciam, Pannoniam, Daciam. Italicæ transitionis initium caussaque ab Helvetiis venit. Horum civis, Eliconi viro fuit nomen, *fabrilem ob artem Romæ commoratus, ficum siccam, & uvam, oleique, ac vini promissa, remeans* cum secum tulisset, *Alpibus coercitis, e tam inexsuperabili munimento Galliis superfundendi sese Italiæ* primam præbuit occasionem, auctore Plinio (b). Eidem adsentitur Livius (c), de Gallis loquens. *Eam gentem*, inquit, *traditur fama dulcedine frugum, maximeque vini nova tum voluptate captam Alpes transisse, agrosque ab Etruscis ante cultos possedisse.* Ante omnes eadem tradiderat optimus & integræ fidei Polybius, ubi de Tyrrhenis verba facit. *Cum iis*, inquit, *ob vicinitatem loci frequenter versabantur Galli. Hi specie ac fecunditate regionis illecti exiguam quamdam*

(a) Terentius in Adelphis. (b) Lib. XII. hist. natur. (c) Lib. V. Annal.

dam nacti occasionem exercitum comparant, factoque in Thyrrenos impetu finibus expellunt, campos ipsi deinceps tenent. Acciderunt hæc tempore Tarquinii Prisci V. Romanorum Regis, quo tempore ita opibus virisque floruit Gallia, ut Ambigato regi coloniarum deducendarum consilium capere necesse fuerit, *cum multitudinem regere aliter posse desideret*. Bello-voiso igitur, Sigo-voisoque (d) nepotibus in sedes, quas Dii dedissent auguriis, abire jussis, huic Harcinios saltus, illi Italiam paullo lætiorem sortes ostendere, qui *Biturigibus*, *Arvernis*, *Senonibus*, *Æduis*, *Ambartis*, *Carnutibus*, *Aulercis* & Helvetiis profectionis, & itineris auctoribus & ducibus excitis, ingentibus peditum, equitumque copiis Taurino saltu, & inviis Alpibus transcensis, Tuscisque haud procul Ticino, fugatis, Insubrium agrum, Insubribus Æduorum pago cognominem, occupavit, Mediolanumque, sumto à Santonum Mediolano (e) nomine, & alias urbes condidit. Hos secuti Cænomanni, Elitovio duce, qui Brixiam, Veronamque posuerunt: tum Boii, Lingonesque, qui Pado trajecto, pulsisque hac etiam ex parte Etruscis, Vmbrisque ad Apenninum usque castra promoverunt. Denique iterum Senones, Brenno duce, qui Romam Romanosque ad internecionem propè exstinxere, marique superato, Græciam vastavere, sedes in Asia alii, alii in Thracia, & Pannonia, plerique alibi posuerunt, ob spoliatum scilicet Apollinis templum diris ejus numinis agitati, ut est apud Athenæum (f), Pausaniam (g), Livium (h), Appianum (i), Justinum (k), Guidam (l), Clitophorum (m), Polybium (n), alios. Sed quæ præterea cum Romanis in Italia bella gesserint Galli in summam contulit idem Polybius (o), satisque compertum est, Gallorum nomine nihil tetrius, nihil horribilius semper fuisse Romanis, exterisque nationibus. Vnde Orosius (p) quoque: *Quotiescumque* inquit, *Galli exarserunt contra Romanos, scilicet totis viribus suis ita Roma detrita est, ut sub præsenti nunc concussione Gothorum, magis debeant meminisse Gallorum*. Atque hi omnes Celtæ, sive Galli, non Germani, ut vult Lazius (q), obtorto collo, & renitentibus historicis in suam sententiam traductis, an coactis. Quibus omnibus populis, & expeditionibus adfuisse Helvetios, tamquam Alpium vicinos, & earum peritissimos non levis conjectura est. Quin Helvetios fuisse, quos Gessatas Polybius vocat, plerique docti existimant. Neque enim alii Gallorum juxta Alpes Rhenumque & Rhodanum habitant, quam Helvetii, nec Insubribus, & Italiæ alii viciniores. Illam vero Gessatarum sedem fuisse clarum ex eodem scriptore (r), ubi de agro Piceno Senonibus Gallis ademto, & postea, lege agraria, referente C. Flaminio, cum consulatum gererent M. Lepidus, & M. Poplicius Malleolus (s) Romanis diviso, verba facit. *Quæ res*, agrorum divisio, *caussa*, inquit, *exstitit, ut novum statim bellum suscitatum fuerit. Namque plerique ex Gallis præcipue Boii qui proximi Romanis erant*, (inter Padum, & Apenninum habitabant, ubi nunc Ducatus Ferrariensis, eodem Polybio teste (t), & Strabone] (u) *eam rem gravissime indignabantur, rati Romanos, non jam amplius de principatu, & gloria, sed de præda, & interitu suorum certaturos. Quapropter maximæ illæ gentes Bojorum & Insubrium inter se consentientes, confestim ad eos Gallos mittunt, qui trans Alpes ad Rhodanum habitant, & propterea, quod mercenariam militiam obeunt, Gessatæ vocantur* (x). *Nam id ea significat dictio*. Paullo post: *Galli autem Gessatæ, coacto circa Rhodanum exercitu, cum ingenti multitudine hominum, superatis tandem Alpibus, in campos qui sunt juxta Padum descenderunt*. Alio loco, cum frustra Galli multis cladibus attriti pacem Romanos postulassent, his verbis, Gessatarum nova auxilia advocasse scribit: *Quamobrem, desperata pace, quasi extremum periculum subituri, iterato exercitum comparare, conductisque triginta millibus Gessatarum, quos cis Rhenum habitare, supra memoravimus, omnes in armis instructos, paratosque habere, Romanorum adventum præstolari*. Ex quibus satis manifestum arbitror, id quod diximus, Gessatas circa Rhodanum, Rhenumque & Alpes habitasse, nec alios quam Helvetios eadem loca habere, aut habuisse. De Gessatarum vero, præter ceteros Gallos, in præliis fortitudine, & cultu idem pauca complectitur. Polybius *Boii*, inquit, *& Insubres, eos requirebant, qui & subligaculis, & scutis securiores essent: Gessatæ vero ob magnitudinem animi, & incredibilem gloriæ cupiditatem, hujusmodi abjectis, nudi tantum cum armis, ante omnes stabant, rati per eum modum aptiores sese, & magis expeditos ad bellum fore*. Quæ ea arma fuerint declarat, longos scilicet & graves enses, obtusa cuspide. Sane Helvetios ad patrum usque memoriam nudos prope pugnasse, sola casside contentos, aut summum lorica ferreis fibulis contexta, non nostri solum scriptores, sed exteri (y) prodidere. Gladiis vero illis gravibus, & magnis etiamnum utuntur. Eosdem Gessatas fuisse qui Romam occuparint, Romanos ceciderint, ex ea oratione, quam legati eorundem Bojorum, & Insubrium apud Gessatarum duces Congolitanum, & Arnestum habuerunt, colligi potest, cum eos ad bellum contra Romanos incitarent: *Res gestas*, inquit (z), *majorum suorum in memoriam revocant. Eos non solum fudisse prælio olim Romanos, verum etiam post prælium, incredibili celeritate, urbem Romam cepisse. Dehinc, rebus omnibus, quibus ea urbs refertissima erat, potitos, cum in ea, mensibus septem imperassent, sponte restituto Romanis imperio, integris omnibus fortunis suis, in patriam feliciter revertisse*. Et hæc sunt paullo veriora, quam ea quæ tradidere latini auctores, qui nobis nescio quem Camillum, tamquam Deum ex machina, ab exsilio revocant, cujus ductu, & virtute Galli Roma, Italiaque pulsi sint. Concludit narrationem de bello Gallico Polybius (aa). *Hic*, inquit, *tandem belli Gallici finis fuit, quo nullum usquam in hunc diem, vel obstinatione animorum, vel militum audacia, vel atrocitate præliorum, vel multitudine interfectorum, vel numero copiarum majus, aut audivimus, aut legimus*. Sed hæc de bellis cum Romanis, & Gessatis.

Germaniam versus, sive cum Sigovoeso sive suapte potentia, & armorum firmitudine, quamtum valuo-

(d) Celtica nomina quasi orbis peritum & victoriæ prudentem interpreteris. (e) Ita recte correxit Livium doctiss. Glareanus. Sunt enim fabulæ quæ de sue illa lanata feruntur. (f) Lib. V. Deipnosoph. (g) In Phocide. (h) Lib. V. annal. &c. (i) In Pannonia. (k) Hist. Lib. XXIV. & XXV. (l) Lib. I. rerum Gallatarum. (m) Libro IV. hist. (n) Lib. IV. (o) Lib. II. (p) Lib. VII. (q) Lib. migrationum. (r) Polyb. Hist. Lib. II. (s) A. V. C. DXXI.

(t) Eodem libro. (u) Lib. IV. Geog. (x) Vulgo Geissel vocant. Quamvis credam Gessatas potius à Gessis lanceæ genere dictos, quo utebantur: aut quod se omnes socios, hoc est Gesell, apellarent. Sicuti nunc sese germani, fratres, nominant. (y) Volaterranus; Guicciardinus; Jovius; alii. (z) Polyb. Lib. II. (aa) eodem libro.

valuerint Helvetii, testis est Tacitus (bb) qui Helvetiorum terminos ad Mœnum usque protulit. *Inter Hercyniam silvam*, inquit, *Rhenumque & Mœnum amnes Helvetii, ulteriora Boii, utraque Gallica gens tenuere*. Quæ regio desita, post Gallicam expeditionem. Eremus Helvetiorum tamen nomen tenuit, Ptolemæo teste (cc). *Ac fuit antea tempus*, inquit Cæsar Julius (dd), *cum Germanos Galli virtute superarent, & ultro bella inferrent, ac propter hominum multitudinem agrique inopiam trans Rhenum colonias mitterent. Quantulum enim amnis obstabat*, addit apposite Tacitus (ee), *quo minus ut quæque gens evaluerat, occuparet, permutaretque sedes, promiscuas adhuc, & nulla regnorum potentia divisas?* Strabo (ff), cum Helvetiorum tres gentes essent, duas præliis, bellisque periisse memoriæ mandavit. Certe assidua cum Germanis bella gessisse, atque inde præcipuam inter Gallos militiæ laudem sibi comparasse auctor sæpius memoratus Cæsar (gg). *Qua de caussa*, inquit, *Helvetii quoque reliquos Gallos virtute præcedunt, quod fere quotidianis præliis cum Germanis contendunt, cum aut suis finibus eos prohibent, aut ipsi in eorum finibus bellum gerunt*. Duravit ea armorum & nominis gloria ad Cimbrorum in Galliam adventum (hh), quos cum viderent opibus per latrocinia comparatis florentiores, se & ipsi in prædationibus dediderunt. Strabo (ii): *Helvetios ajunt, quamquam essent auri divites, tamen latrociniis se dedisse, cum viderent Cimbrorum opes*. Alio loco (kk) apertius. *Idem*, Possidonius, *perhibet Bojos quondam Hercyniam Silvam incoluisse, ac Cimbros, cum ad ea loca se contulissent, ab iis repulsos, ad Istrum, & Scordiscos Gallos descendisse; inde ad Teuristas, & Tauriscos, ipsos quoque Gallos, tum ad Helvetios, auri divites, ceterum pacatos. Hos cum viderent suis majores opes latrociniis Cimbrorum partas, maximè Tigurinos, & Tuginos animum ad prædas adjecisse, ac Cimbris Italiam petentibus socios se adjunxisse*. Ita Strabo ex Possidonio. Discessione igitur facta ex Civitate Helvetiorum, cum Cimbri per Galliam, Hispaniamque longe, & late vagarentur, Tigurini, & Tugini recta qua in Italiam iter est, copias duxerunt, Cassiumque consulem in Allobrogum finibus cum suis prælio interfecerunt (ll). Livius (mm): *Lucius Cassius*, inquit, *consul à Tigurinis Gallis, pago Helvetiorum, qui à Civitate secesserant, in finibus Allobrogum cum exercitu cæsus est. Milites qui ex ea clade superaverant, obsidibus datis, & dimidia rerum omnium parte, ut incolumes dimitterentur cum hostibus pacti sunt*. Distinctius eadem Paullus Orosius (nn). *Iisdem*, inquit, *belli Jugurthini temporibus L. Cassius consul in Gallia Tigurinos usque ad Oceanum persecutus, rursumque ab eisdem insidiis circumventus, occisus est. L. quoque Piso vir consularis legatus Cassii consulis interfectus. Q. Publius alter legatus ne residua exercitus portio deleretur, obsides, & dimidiam rerum omnium partem Tigurinis, turpissimo fœdere, dedit*. Jul. Cæsar (oo) eadem de clade: *Cæsar*, inquit, *quod memoria tenebat L. Cassium Cos. occisum, exercitumque ab Helvetiis pulsum, & sub jugum missum, concedendum non putabat*. Et postea de Tigurinis cæsis: *Hic pagus unus cum domo exisset, patrum nostrorum memoria, L. Cassium interfecerat, & ejus exercitum sub jugum miserat*. Item, *qua in re Cæsar non solum publicas sed etiam privatas injurias ultus est, quod ejus Soceri L. Pisonis avum L. Pisonem legatum Tigurini, eodem prælio, quo Cassium, interfecerant*. Ex his, opinor, satis apertum est Helvetios solos, non Cimbros, L. Cassium cecidisse, ejusque exercitum subjugasse, ut frustra sit Cornel. Tacitus (pp) qui Cassium à Cimbris profligatum scribit post Carbonem, ante Scaurum, cum id potius de Silano intelligendum sit, ut suo loco, ostendemus. Atque hæc fere sunt quæ de Helvetiorum gestis, quamtum antiquorum memoria suppeditat, pervestigare potui, ad Julium usque Cæsarem.

(bb) Libello de morib. German. (cc) Ptolem. Lib. IV. (dd) Comment. VI. (ee) Eodem libello de Mor. germ. (ff) Lib. IV. Geogr. (gg) Commentario I. (hh) Anno V. C. DCXLII. (ii) Lib. IV. (kk) Libro VII. (ll) Anno V. C. DCXLVI. (mm) Epitome LXV. (nn) Lib. V. cap. XV. (oo) Comment. I.

(pp) Libello de Germania.

CAPUT VII.

Bellum Helvetium cum Julio Cæsare.

Orgetorigis acta, & consilia. Helvetii totius Galliæ potentissimi. Helvetii abituri oppida sua incendunt. Ejus incendii causa. Eorum belli socii. Cæsaris apparamenta contra Helvetios. Helvetii ad Cæsarem mittunt petendi transitus causa per Allobroges & Provinciam. Cæsar iter Helvetiis negavit per provinciam. Aliam viam per Sequanos aggrediuntur. Æduorum contra Helvetios ad Cæsarem oratio. Itemque aliorum querelæ. Tigurinorum Strages. Ex inopinato. Legatorum Helvetiorum ad Cæsarem oratio post cladem Tigurinorum. Helvetiorum animi magnitudo. Cæsaris equitatus ab Helvetiis prælio victus. Prælium Cæsaris cum Helvetiis. Helvetii se recipiunt. Prælium octo ad minimum, horarum diei. Pro castris & impedimentis acriter pugnant. Eadem impedimenta, & castra amittunt. Dedicionem demum faciunt, commeatuum inopia adducti. Helvetii in fines suos remissi, & oppida sua restituere jussi. Causa remissionis. Boii soli in Gallia locati. Summa eorum qui Helvetia exierant, & vicinia. Numerus eorum qui domum redierunt. Lætitia ex clade Helvetiorum per Galliam. Status Helvetiæ ante hanc expeditionem florentissimus.

QUies inde per annos quadraginta Helvetios habuerat. Tot enim sunt à V. Marii consulatu (a), quo Cimbri in Italia victi, & Helvetii in patriam redierunt, ad M. Val. Messalam, & M. Pub. Pisonem Coss. (b) quo anno Helvetiorum nova conjuratio facta, & de capessendis Galliis consilia inita, Orgetorigis apud populares opulentia & nobilitate clarissimi præcipue suasu, & auctoritate. Sed tota hac de re quem potius exaudiemus quam Cæsarem ipsum, Helvetiorum gloriæ, & fortitudinis prædicatorem non minorem, quam gloriosum victorem, cujus, ut de hoc bello, ita de aliis, quæ in Gallia gessit, scripta, & commentarii, eo majoris sunt fidei, & integritatis, quo neque invidi, & æmuli, quibus semper abundavit Cæsar, quæ carperent, aut damnarent, reperire potuerunt. Ille igitur ita disserit (c). *Apud Helvetios longe nobilissimus, & ditissimus fuit Orgetorich. Is M. Messala, & M. Pisone Coss. regni cupiditate inductus, conjurationem nobilitatis fecit, & civitati persuasit, ut de finibus suis, cum omnibus copiis exirent, perfacile esse, cum virtute omnibus præstarent, totius Galliæ imperio potiri. Id*

(a) Anno V. C. DCII. (b) Anno V. C. DCXLII. (c) Comment. I. belli gall.

quod facilius eis persuasit, quod undique loci natura Helvetii continentur, una ex parte flumine Rheno, latissimo, atque altissimo, qui agrum Helvetium à Germanis dividit: altera ex parte monte Jura altissimo, qui est inter Sequanos, & Helvetios: tertia lacu Lemanno, & flumine Rhodano, qui Provinciam nostram ab Helvetiis dividit. His rebus fiebat, ut & minus late vagarentur, & minus facile finitimis bellum inferre possent, qua de caussa homines bellandi cupidi magno dolore adficiebantur, pro multitudine enim hominum, & pro gloria belli, atque fortitudine angustos se fines habere arbitrabantur. His rebus adducti, & auctoritate Orgetorigis permoti, constituerunt ea quæ ad proficiscendum pertinent comparare, jumentorum, & carrorum quam maximum numerum coemere, sementes quam maximas facere, ut in itinere frumenti copia suppeteret, cum proximis civitatibus pacem, & amicitiam confirmare. Ad eas res conficiendas biennium sibi satis esse duxerunt: in tertium annum profectionem lege confirmant, ad eas res conficiendas Orgetorich deligitur. Is sibi legationem ad Civitates suscepit. In eo itinere persuadet Castigo Catamantaledis filio Sequano, cujus pater regnum in Sequanis multos annos obtinuerat, & à S. P. Q. R. amicus adpellatus erat, ut regnum in civitate sua occuparet, quod pater ante habuerat. Itemque Dumnorigi Æduo fratri Divitiaci, qui eo tempore principatum in civitate sua obtinebat, ac maxime plebi acceptus erat, ut idem conaretur, persuadet, eique filiam suam in matrimonium dat. Perfacile factu esse illis probat, conata perficere, propterea quod ipse suæ civitatis imperium obtenturus esset. Non esse dubium quin totius Galliæ plurimum Helvetii possent; se, suis copiis, suoque exercitu, illis regna conciliaturum confirmat. Hac oratione adducti, inter se fidem, & jusjurandum dant, & regno occupato per tres potentissimos ac firmissimos populos totius Galliæ sese potiri posse sperant. Postea, cum Orgetoriei necem, caussamque mortis narrasset: *Post ejus mortem*, inquit, *nihilominus Helvetii, id quod constituerant, facere conantur, ut è finibus suis exeant. Ubi jam se ad eam rem paratos esse arbitrati sunt, oppida sua omnia, numero ad duodecim, vicos ad quadringentos, reliqua privata ædificia, incendunt, frumentum omne præter quod secum portaturi erant, comburunt, ut domum reditionis spe sublata, paratiores ad omnia pericula subeunda essent. Trium mensium molita cibaria sibi quemque domo efferre jubent. Persuadent Rauracis*, Basiliensibus, Rhinfeldensibus, vicinis, *& Tulingis*, Stuolingensibus, *& Lacobrigis*, Klætgeuveris, *finitimis ut eodem usi consilio, oppidis suis, vicisque exustis, una cum iis proficiscerentur. Bojosque qui trans Rhenum incoluerant, & in agrum Noricum transierant, Noricamque oppugnarant, receptos ad se, socios sibi adsciscunt. Erant omnino itinera duo, quibus itineribus, domo exire possent.* (d) *Unum per Sequanos angustum & difficile, quo vix singuli* (e) *carri ducerentur. Mons autem altissimus impendebat, ut facile perpauci prohibere* (f) *possent. Alterum per provinciam nostram multo facilius atque expeditius propterea quod inter fines Helvetiorum, & Allobrogum, qui nuper* (g) *populo R. pacati erant Rhodanus fluit, isque nonnullis locis vado transitur. Extremum oppidum Allobrogum est, proximumque Helvetiorum finibus Geneva, ex eo oppido pons ad Helvetios pertinet. Allobrogibus sese vel persuasuros, quod nondum bono animo in populum R. viderentur, existimabant, vel vi coacturos, ut per suos fines eos ire paterentur. Omnibus rebus ad profectionem comparatis diem dicunt, qua die ad ripam Rhodani omnes conveniant. Is dies erat. A. D. V. Kal. Aprilis L. Pisone, A. Gabinio coss.* (h). Anno superiore C. Julius Cæsar Galliam Cisalpinam, cum Illyrio, lege Vatinia, mox etiam Comatam per Senatum acceperat, veritis patribus, ne, si ipsi negassent, populus & hanc daret, auctore Suetonio (i). Is auditis quæ apud Helvetios agitabantur quam maximis itineribus ab urbe in Galliam ulteriorem, & ad Genevam pervenit, pontem rescidit, militem collegit, alia, quæ ad prohibendos eos facerent, paravit. Helvetii legatos ad eum mittunt, transitum per provinciam rogant, à maleficio temperaturos promittunt. Cæsar quia necdum ad resistendum, si vim molirentur, satis paratus erat, deliberationis nomine tempus capit, diem quo revertantur ponit. Interea murum fossamque à Lemanno ad Jurassum perducit, turres, castella statuit. Sed ipsum eadem disserentem audiamus disertim, ut omnia, & pluribus. *Cæsar cùm id nunciatum esset eos per Provinciam nostram iter facere conari, maturat ab Vrbe proficisci, & quam maximis itineribus potest, in Galliam ulteriorem contendit, & ad Genevam pervenit. Provinciæ toti quam maximum potest militum numerum imperat. Erat omnino in Gallia ulteriore legio una. Pontem qui erat ad Genevam jubet rescindi. Vbi de ejus adventu Helvetii certiores facti sunt legatos ad eum mittunt nobilissimos Civitatis, cujus legationis Nameius, & Verodoctius principem locum obtinebant, qui dicerent sibi esse in animo, sine ullo maleficio, iter per Provinciam facere, propterea quod aliud iter haberent nullum, rogare, ut ejus voluntate id sibi facere liceat. Cæsar quod memoria tenebat L. Cassium consulem occisum, exercitumque ejus ab Helvetiis pulsum, & sub jugum missum, concedendum non putabat: neque homines, inimico animo, data facultate per Provinciam itineris faciundi, temperaturos ab injuria, & maleficio existimabat, tamen, ut spatium intercedere posset, dum milites quos imperarat, convenirent, legatis respondit, diem se ad deliberandum sumturum, si quid vellent ad Idus Aprilis reverterentur. Interea ea legione quam secum habebat, militibusque qui ex Provincia convenerant, à lacu Lemanno quem flumen Rhodanum influit ad montem Juram, qui fines Sequanorum ab Helvetiis dividit, millia passuum decem & novem murum in altitudinem pedum sedecim, fossamque perducit. Eo opere perfecto præsidia disponit, castella communit, quo facilius, si, se invito, transire conarentur, prohiberi possent.* Dio ista paucioribus, sed ad Cæsaris consilia clarius: *Cæsar, ponte rescisso, alia etiam quæ ad transitum eos prohibendos facerent, parabat. Ad eum Helvetii legatos mittunt, rogantes, ut sibi, ejus voluntate, liceret transire, promittentes se sine ullo maleficio per agrum Romanorum iter facturos: Quamquam ipsis*

(d) Profecturi in Galliam & Santones proximo quoque itinere. Nam alias plures viæ & itinera, quæ ex Helvetia in Italiam, Raurac. ducunt. (e) Hodie quoque non satis expeditum versus Pontem Aurelianum, Pontarlinum. (f) In hunc usum arx contra Helvetios prope pagum S. Crucis, qui supra montem Juræ situs, ftetit, Burgundico bello in censa; & nunc quoque altera arx Juræ aut claustrum validum ex Helvetia in Burgundiæ Comitatum seu Sequanos tendentibus. Ferunt & Juniam arcem & oppidum Helvetiis quandoque continendis in eodem monte Jura à Cæsare conditam, vulgo Joigne.

(g) Non admodum nuper. Nam anni jam LXIII. quo Quintus Maximus, qui ex Victoria Allobrogicus, eam gentem debellarat. Anno V. C. DCXXXII. Eosdem ante annos XX. C. Marius ab impetu Cimbrorum defenderat. Sed hæc, credo, intelligenda de conjuratione Catilinæ, ad quam Allobroges invitati pacem & amicitiam Rom. ante posuerant. (h) Anno V. C. DCXCV. Ante Christum natum LVII. (i) Cap. XXII.

ipsis minimè fidem haberet Cæsar, neque concessurus erat, ut aliquo progrederentur, tamen quia nondum satis paratus erat, deliberaturum se, cum suis legatis, de eorum postulatis respondit, diemque ipsis constituit, qua responsum acciperent, nonnullam quoque eis spem obtinendi transitus ostendit. Interea opportunissima quæque loca, fossis ductis, murisque communiit, ut iter ipsis obstrueret. Pergit Cæsar. *Ubi ea dies quam constituerat cum legatis venit, & legati ad eum reverterunt, negat se more & exemplo populi R. posse iter ulli per provinciam dare, & si vim facere conentur, probibiturum ostendit. Helvetii, ea spe dejecti, navibus junctis, ratibusque compluribus factis, alii vadis Rhodani, qua minima fluminis altitudo erat, nonnunquam interdiu, sæpius noctu, si perrumpere possent, conati, operis munitione, & militum concursu, & telis repulsi, hoc conatu destiterunt. Relinquebatur una per Sequanos via, qua Sequanis invitis propter angustias ire non poterant. His cum sua sponte persuadere non possent, legatos ad Dumnorigem Æduum mittunt, ut, eo deprecatore, à Sequanis hoc impetrarent. Dumnorich gratia & largitione apud Sequanos plurimum poterat, & Helvetiis erat amicus, quod ex ea civitate Orgetorigis filiam in matrimonium duxerat, & cupiditate regni adductus, novis rebus studebat, & quamplurimas civitates suo sibi beneficio habere obstrictas volebat; Itaque rem suscepit, & à Sequanis impetrat, ut per fines suos Helvetios ire patiantur, obsidesque uti inter sese dent, perficit: Sequani ne itinere Helvetios prohibeant: Helvetii ut sine maleficio, & injuria transeant. Cæsari nunciatur Helvetiis esse in animo per agrum Sequanorum, & Æduorum iter in Santonum* (k) *fines facere, qui non longe à Tolosatium finibus absunt, quæ Civitas est in Provincia. Id si fieret, intelligebat magno cum provinciæ periculo futurum, ut homines bellicosos Populi R. inimicos, locis patentibus, maximeque frumentariis finitimos haberet. Ob eas res ei munitioni quam fecerat T. Labienum legatum præfecit: Ipse in Italiam magnis itineribus contendit, duasque ibi legiones conscribit, & tres quæ circum Aquilejam biemabant ex hibernis educit, & qua proximum erat iter, per Alpes in ulteriorem Galliam, cum his quinque legionibus ire contendit. Ab Ocello quod est citerioris provinciæ extremum in fines Vocontiorum* (l) *ulterioris provinciæ die septimo pervenit. Inde in Allobrogum fines, ab Allobrogibus in Sebusianos* (m) *exercitum ducit. Hi sunt extra Provinciam trans Rhodanum primi. Helvetii jam per angustias, & fines Sequanorum suas copias transduxerant, & in Æduorum fines pervenerant, eorumque agros populabantur. Ædui cum se suaque ab his defendere non possent, legatum ad Cæsarem mittunt rogatum auxilium, ita se omni tempore* (n) *de Populo R. meritos esse, ut pæne in conspectu exercitus nostri agri vastari, liberi eorum in servitutem abduci, oppida expugnari non debuerint. Eodem tempore quo Ædui, Ambarri quoque* (o) *necessarii, & consanguinei Æduorum Cæsarem certiorem faciunt sese, deploratis agris, non facile ab oppidis vim hostium probibere: Item Allobroges qui trans Rhodanum vicos, possessionesque habebant, fuga se ad Cæsarem recipiunt, & demonstrant sibi præter agri solum nihil esse reliqui. Quibus rebus adductus Cæsar non expectandum sibi constituit, dum, omnibus fortunis sociorum consumtis, in Santones Helvetii pervenirent.* Dio Sequanos quoque legatos misisse qui conquererentur de Helvetiis tradidit, ex quo alia quoque secreta habe. *Barbari*, inquit, *cum ad tempus exspectassent, postquam nihil horum, de quibus convenerat præstari sibi audiunt, iter ingressi, primum per Allobroges, eo quo instituerant, contenderunt; post, cum ad munitiones pervenere, in Sequanos conversi sunt, per eos, & Æduos iter facientes, transitum ipsis, quod se ab omni maleficio temperaturos pollicerentur, haud gravatim concedentibus; verum, cum pactis non starent, sed eorum regionem popularentur, Sequani, & Ædui legatos ad Cæsarem mittunt, rogatum auxilium, petuntque ne in conspectu ejus sibi pereundum sit. Et quamvis eorum oratio* (p) *cum re ipsa parum conveniret, tamen id quod petebant impetraverunt. Cæsar enim veritus ne ad Tolosam Helvetii proficiscerentur, statuit potius junctis sibi Sequanis & Æduis eis resistere, quam, si cum Helvetiis hi conspirassent, quod haud dubie futurum erat, bellum adversus omnes simul suscipere.* Ita Dio: nos jam cum Cæsare ad bellum tendamus. *Flumen*, inquit, *est Ar-ar* (q), *quod per fines Æduorum & Sequanorum in Rhodanum influit, incredibili lenitate, ita ut oculis in utram partem fluat judicari non possit. Id Helvetii ratibus, & lintribus junctis transibant. Ubi per exploratores Cæsar certior factus est, tres jam copiarum partes Helvetios id flumen transduxisse, quartam vero partem citra flumen Ararim reliquam esse, de tertia vigilia, cum legionibus tribus, è castris profectus ad eam partem pervenit, quæ nondum flumen transierat, eos impeditos & inopinatos aggressus, magnam partem eorum concidit, reliqui se fugæ mandarunt, atque in proximas silvas abdiderunt. Is pagus appellatur Tigurinus.* Hactenus Cæsar & in hunc modum: aliter Plutarchus (r) de Tigurinis & hac strage. *Horum*, inquit, *Tigurinos non ipse, sed legatus ejus Labienus ad Ararim amnem oppressit.* Cui credemus? Sanè Cæsari, utpote qui eodem tempore in Sebusianis Arari propinquior esset, Labienum apud Genevam reliquisset. Narrationem prosequitur Cæsar. *Hoc prælio facto reliquas copias Helvetiorum ut consequi posset, pontem in Arare faciendum curat, atque ita exercitum transducit. Helvetii repentino ejus adventu commoti, cum id quod ipsi diebus xx. ægerrimè confecerant, ut flumen transirent; illum uno die fecisse intelligerent, legatos ad eum mittunt. Cujus legationis Divico Princeps fuit, qui bello* (s) *Cassiano Dux Helvetiorum fuerat. Is ita cum Cæsare egit. Si pacem Populus R. cum Helvetiis faceret, in eam partem ituros, atque ibi futuros Helvetios, ubi eos Cæsar constituisset, atque esse voluisset, sin bello persequi perseveraret, reminisceretur & veteris incommodi Populi R. & pristinæ virtutis Helvetiorum. Quod improviso unum pagum adortus esset, cum ii qui flumen transissent suis auxilium ferre non possent, ne ob eam rem, aut suæ magnopere virtuti tribueret, aut ipsos despiceret. Se ita à patribus, majoribusque suis didicisse, ut magis virtute, quam dolo contenderent. Quare ne committeret, ut is locus ubi constitissent, ex calamitate Populi R. & internecione exercitus* (t), *nomen caperet, aut memoriam proderet.* His cum Cæsar ea quæ ad rem pertinere videbantur respondisset, pacemque se cum iis facturum dixisset, si obsi-

(k) Nomen adhuc retinet Sainctes. (l) Vocontii populi Delphinatus, qui in Episcopatu Diensi & Vasionensi. (m) Bressa nunc vocatur & Bressani. (n) Hæc oratio, si perpendas parum probabilis ut postea patebit. (o) Sunt qui Borbonienses dicunt, alii Nivernenses, & Berri hodie Franciæ regio. Ego eam regionem crediderim, quæ dicitur Pays d' Ombres.

(p) Ex his intelligas Helvetios falso accusatos & Cæsarem Bellum captasse. (q) Ita scribendum Celtice. Ar-ar fluvio nomen ab ea lenitate & pigritia; Saonam nunc vocant; Ammianus Sangonam ab illa nobili martyrum Christianorum ad illud flumen cæde. (r) In Cæsare. (s) Ante Annos XLIX. Veteranus miles. (t) Arguit insidiis & fraude non virtute & fortitudine circumventos Tigurinos: ut ante bello Cassiano apud Allobroges.

si obsides sibi ab eis darentur, uti ea quæ pollicebantur facturos intelligat, si Æduis de injuriis, quas ipsis, sociisque eorum intulissent, item si Allobrogibus satisfaciant. Divico respondit. Ita Helvetios à majoribus suis institutos esse, ut obsides accipere, non dare consueverint, ejus rei Populum R. esse testem. Hoc responso dato discessit. Dio scripsit Helvetios non tam ægrè tulisse imperatos obsides, quàm dictorum fidem sibi non haberi. Helvetios, inquit, transeuntes Ararim flumen adortus novissimos in ipso fluminis transitu concidit, qui vero progressi jam erant, eos repentina & celerrima insecutione, cladeque suorum ita exterruit, ut cum Cæsare agere de regione aliqua, quam ipsis adsignaret, cuperent. Id tamen frustra fuit. Cum enim obsides ab eis peterentur indignati, non tam, quod obsides dare se indignum existimarent; quam quod fides sibi non haberetur, pactionum nullam posthac rationem habuerunt. Pergit Cæsar. Postero die castra ex eo loco movent. Idem Cæsar facit, equitatumque omnem ad numerum quatuor millium, quem ex omni provincia, & Æduis atque eorum Sociis coactum habebat, præmittit, qui videant, quas in partes hostes iter faciant, qui cupidius novissimum agmen insecuti, alieno loco, cum equitatu Helvetiorum prælium committunt, & pauci de nostris cadunt. Quo prælio sublati Helvetii quod quingentis equitibus tantam multitudinem equitum pepulerant, audacius subsistere, nonnunquam ex novissimo agmine prælio nostros lacessere cœperunt. Cæsar suos & prælio continebat, ac satis habebat in præsentia hostem rapinis populationibusque prohibere. Ita dies circiter quindecim iter fecerunt, uti inter novissimum hostium agmen, & nostrum primum, non amplius quinis, aut senis millibus passuum interesset. Postea ab exploratoribus certior factus, hostes sub montem consedisse, millia passuum ab ipsis castris octo, qualis esset natura montis, & qualis in circuitu adscensus qui cognoscerent misit: Renunciatum est, facilem esse. De tertia vigilia T. Labienum legatum propere cum duabus legionibus, & iisdem ducibus, qui iter cognoverant, summum jugum montis adscendere jubet, quid sui consilii sit, ostendit. Ipse de quarta vigilia, eodem itinere, quo hostes ierant, ad eos contendit, equitatumque omnem ante mittit, suas copias in proximum collem subducit, aciem instruit. Labienus, ut erat ei præceptum à Cæsare, ne prælium committeret, nisi ipsius copiæ prope hostium castra visæ essent, ut undique uno tempore in hostes impetus fieret, monte occupato nostros exspectabat, prælioque abstinebat. Postridie rei frumentariæ prospecturus. Cæsar iter ab Helvetiis avertit ac Bibracte (u) ire contendit. Ea res per fugitivos L. Æmilii decurionis equitum Gallorum hostibus renunciatur. Helvetii, seu quod timore perterritos Romanos discedere à se existimarent, eo magis, quod pridie, superioribus locis occupatis, prælium non commisissent: sive eo quod re frumentaria intercludi posse confiderent, commutato consilio, atque itinere converso, nostros à novissimo agmine insequi, ac lacessere cœperunt. Postquam id animadvertit, copias suas Cæsar in proximum collem subducit, equitatumque, qui sustineret hostium impetum misit. Ipse interim in colle medio triplicem aciem instruxit legionum quatuor veteranorum, ita uti supra se in summo jugo duas legiones, quas in Gallia citeriore proximè conscripserat, & omnia auxilia collocarit, ac totum montem hominibus compleri. Interea sarcinas in unum locum conferri, & eum ab iis, qui in superiori acie constiterant, muniri jussit. Helvetii cum omnibus suis carris secuti, impedimenta in unum locum contulerunt. Ipsi confertissima acie, rejecto nostro equitatu, phalange (x) facta, sub primam nostram aciem successerunt. Cæsar primum suo, deinde omnium è conspectu remotis equis, ut æquato omnium periculo, spem fugæ tolleret, cohortatus suos prælium commisit. Milites, è loco superiore pilis missis, facile hostium phalangem perfregerunt: ea disjecta, gladiis districtis, in eos impetum fecerunt. Gallis magno ad pugnam erat impedimento, quod pluribus eorum scutis uno ictu pilorum transfixis, & colligatis, cum ferrum se inflexisset, neque evellere, neque sinistra impedita satis commode pugnare poterant, multi ut diu jactato brachio præoptarent, scutum manu emittere, & nudo corpore pugnare. Tandem vulneribus defessi, & pedem referre, & quod mons suberat circiter octo passuum millibus, eo se recipere cœperunt. Capto monte, & succedentibus nostris, Boji, & Tulingi, qui hominum millibus circiter xv. agmen hostium claudebant, & novissimis præsidio erant, ex itinere nostros, latere aperto, aggressi circumvenire, & id conspicati Helvetii qui in montem se receperant, rursus instare, & prælium redintegrare cœperunt. Romani conversa signa tripartito intulerant, prima ac secunda acies ut victis ac submotis resisteret, tertia ut venientes sustineret. Ita ancipiti prælio, diu ac acriter pugnatum est. Diutius cum nostrorum impetum sustinere non possent, alteri se, ut cœperant, in montem receperunt, alteri ad impedimenta, & carros suos se contulerunt. Nam hoc toto prælio, cum ab hora septima ad vesperum pugnatum sit, aversum hostem videre nemo potuit, ad multam noctem etiam ad impedimenta pugnatum est, propterea quod pro vallo, carros objecerant, & è loco superiore in nostros venientes tela conjiciebant, & nonnulli inter carros rotasque mataras (y) ac tragulas subjiciebant, nostrosque vulnerabant, Plutarchus non solum à fœminis, sed etiam à pueris, pro vallo illo, aut carragine pugnatum tradit. Postquam, inquit, pepulit longinqua & acri pugna armatos, plurimum laboris habuit ad plaustra & vallum, ubi non viri modo eum substitere, præliatique sunt, sed & pueri, fœminæque usque ad mortem defendentes se concisi sunt. Addit Cæsar. Diu cum esset pugnatum, impedimentis, castrisque nostri potiti sunt. Ibi Orgetorigis filia, atque unus è filiis captus est. Ex eo prælio circiter millia hominum CXXX. superfuerunt, eaque tota nocte continenter ierunt, in nullam partem noctis itinere intermisso, in fines Lingonum die IV. pervenerunt, cum & propter vulnera militum & propter sepulturam occisorum nostri triduum commorati eos sequi non possent. Cæsar ad Lingones literas nunciosque misit, ne eos frumento, neve alia re juvarent, qui si juvissent se eodem loco illos quo Helvetios habiturum. Ipse triduo intermisso, cum omnibus copiis eos sequi cœpit. Helvetii omnium rerum inopia adducti, legatos ad eum de deditione miserunt, qui cum eum in itinere convenissent seque ad pedes projecissent, suppliciterque locuti flentes pacem petissent, atque eos, in eo loco, quo tum essent suum adventum exspectare jussisset, paruerunt. Eo postquam Cæsar pervenit obsides, arma, servos qui ad eos perfugissent, poposcit. Dum ea conquiruntur & conferuntur nocte intermissa, circiter millia hominum VI. ejus pagi, qui Verbigenus appellatur, sive timore perterriti, ne armis traditis supplicio adficerentur, sive spe salutis inducti, quod in tanta multitudine deditorum, suam fugam aut occultari, aut omnino ignorari posse

(u) Tunc Æduorum caput. Postea ab Augusto Augustodunum, nunc ab eo nomine Augstum.

(x) Invictam ac prope impenetrabilem Helvetiorum phalangem, Germani & rebelles Galli, superioribus annis, in Gallia non semel experti sunt. Anno 1562. & sequen.

(y) Ita scribo, sunt autem mataræ gladii oblongi, ex rotundo acuminati ad perforandas loricas idonei, earum meminit & Livius lib. 7.

posse existimarent, prima nocte ex castris Helvetiorum egressi, ad Rhenum, finesque Germanorum contendunt. Quod ubi Cæsar rescivit, quorum per fines ierant, his uti conquirerent & reducerent, si sibi purgati esse vellent, imperavit. Reductos in hostium numero (z) *habuit, reliquos omnes obsidibus, armis, perfugis traditis, in deditionem accepit. Helvetios, Tulingos, Lacobrigos* (aa) *in fines suos, unde erant profecti, reverti jussit, & quod omnibus frugibus amissis, domi nihil erat, quo famem tolerarent; Allobrogibus imperavit, ut his frumenti copiam facerent. Ipsos opida, vicosque quos incenderant, restituere jussit. Id ea maxime ratione fecit, quod noluit eum locum, unde Helvetii discesserant, vacare, ne propter bonitatem agrorum Germani, qui trans Rhenum incolunt, è suis finibus, in Helvetiorum fines transirent, & finitimi Galliæ provinciæ, Allobrogibusque essent. Bojos petentibus Æduis, quod egregia virtute erant cogniti, ut in finibus suis collocarent, permisit; quibus illi agros dederunt, eosque postea in parem juris, libertatisque conditionem, atque ipsi erant, acceperunt. In castris Helvetiorum tabulæ repertæ sunt literis Græcis* (bb) *confectæ, & ad Cæsarem perlatæ, quibus in tabulis nominatim ratio confecta erat, qui numerus domo exisset, eorum qui arma ferre possent, & item separatim pueri, senes, mulieresque quarum omnium rerum summa erat capitum Helvetiorum CCLXIII. Milli. Tulingorum XXXVI. Lacobrigorum XIV. Rauracorum XXIII. Bojorum XXXII. Ex his qui arma ferre possent, ad millia XCII. Summa omnium fuerant ad millia CCCLXIIX. Eorum qui domum redierunt, censu habito, ut Cæsar imperaverat, repertus est numerus millium* C. *&* X. Hactenus Cæsar.

Ægidius Schudi Glaronensis, ut generis nobilitate ita prisca fide & pietate, tum antiquitatis peritia olim præstantissimus, eorum qui domum redierunt numerum ita, deductis Bojis, conclusit. Helvetiorum 86500. Tulingorum 11500. Lacobrigorum 4600. Rauracorum 7400. Atque hic Finis fuit belli Helvetii, adparatu magno & glorioso, exitu haud perinde felici. Quanta autem lætitia hanc Cæsaris victoriam acceperint reliquæ Galliarum Civitates, aut accipere simularint persequitur, his verbis, Cæsar. *Bello Helvetiorum confecto, totius fere Galliæ legati Principes civitatum ad Cæsarem gratulatum convenerunt, intelligere sese; tametsi, pro veteribus* (cc) *Helvetiorum injuriis, Populus R. ab eis pœnas bello repetisset, tamen eam rem non minus ex usu terræ Galliæ, quam Populi R. accidisse, propterea quod eo consilio, florentissimis rebus, domos suas Helvetii reliquissent ut toti Galliæ bellum inferrent, imperioque potirentur, locumque domicilio, ex magna copia, deligerent, quem ex omni Gallia opportunissimum, ac fructuosissimum judicassent, reliquasque Civitates stipendiarias haberent.* At verò quanti hæc Helvetiorum clades ipsis omnibus constiterit Gallis, Galliæ postea universæ expertæ sunt, quum victis semel & debellatis, qui Galliæ principatum obtinebant Helvetiis, nullo prope negotio in victoris potestatem omnes ceteræ civitates sunt redactæ, neque agris solum, sed legibus & libertate penitus exspoliatæ, ut aliquantò præstabilius fuerit Helvetiis Gallis reliquas Galliæ Civitates tributarias esse, quam Romanis & Italis cum ignominia & dedecore in perpetuum servire.

(z) Hoc est interfecit, mitiore locutione crudelitatem suam temperans. (aa) Rauracorum non hic meminit. An omnes interfecti an Librariorum potius incuria omissi?
(bb) Græcis literis, non græce. (cc) Bello Cimbrico factis.

CAPUT VIII.

De Helvetiorum cum Romanis fœdere, statuque & conditione fœderatorum & sociorum Populi R.

Provinciæ R. aliæ vectigales, aliæ immunes & liberæ. Vectigalium condicio. Item liberarum. Et fœderatarum. Fœderum tria genera. Helvetii Romanorum fœderati. Ciceronis verba explicata. Fœderatorum P. R. conditio. Galli civitate donati. Helvetii à Vindice. Omnis orbis R. Civitate donatus. Quare Helvetios in fœderatorum numerum susceperit Cæsar.

Regionum nationumque quæ orbe Romano continebantur aliæ vectigales & servitute adfectæ erant: aliæ immunes & liberæ, aut libertate donatæ. Vectigales Plinius (a), & alii recensuerunt. Eæ tributa & vectigalia pependerunt, magistratuique Romano paruerunt, diverso plerumque modo & ratione. Immunes & liberæ nihil omnino debuerunt, sed suæ Reipublicæ dignitatem retinuerunt, majestatem solum Romani nominis & Imperii venerati. Tertium quoddam genus fecerunt fœderatæ & sociæ, quæ cetera quidem liberæ, & suis legibus & institutis agebant, ceterum ex fœdere & societate Romano P. obligabantur non secus ac Reges ac Principes, qui Helvetiorum hodie fœdere utuntur, *si parva licet componere magnis*, quotannis auri & argenti, præter quas debent fœderis alias conditiones, pensiones ipsis tactitare solent. Fœdera vero in triplici discrimine (b) erant. Vnum cum bello victis dicebantur leges. Ubi enim omnia, ei qui armis plus poterat, debita erant, quæ ex iis habere victos, quibus multari eos vellet, ipsius jus atque arbitrium fuit. Alterum cum pares bello, æquo fædere in pacem atque amicitiam veniebant. Tunc enim repetebantur, reddebanturque per conventionem res, & si quarum turbata possessio erat, eæ, aut ex formula juris antiqui, aut ex partis utriusque commodo componebantur. Tertium genus erat, cum qui hostes numquam fuerant ad amicitiam, sociali fœdere, inter se jungendam coibant. Quæ Helvetiis bello victis conditio fuerit intelligere perobscurum esset nisi Cicero, oratione pro Cornel. Balbo, tertio post Helvetium bellum anno habita, submonuisset. *At enim*, inquit (c), *quædam fædera exstant ut Germanorum, Insubrium, Helvetiorum, Japidum, nonnullorum item ex Gallia barbarorum, quorum in fæderibus exceptum est, ne quis eorum à nobis civis recipiatur*. Quæ de fœdere Helvetiorum cum Romanis verba, non nisi ad hæc tempora, bellumque referenda arbitror. Quæso enim quæ alia, si non ista? Bello Cassiano milites R. qui prælio superfuerant, *obsidibus* (d) *datis, & dimidia rerum omnium parte, ut incolumes dimitterentur pacti sunt*. Si hoc fœdus est, quoties dissolutum? Aut quis cladem Cæpionianam, cui ne similem quidem Punicis temporibus acceperunt Romani post illatam nescit? Sed nec fœderis ulla cum Cimbris, sociisve eorum umquam mentio, nec ulla hactenus à Cæsare, aut Helvetiis facta fœderis mentio, toto præterito bello. Restat igitur ut hoc nunc cum Cæsare Romanisque fœdus initum fit

(a) Lib. III. Hist. (b) Ex Livii Lib. XXXIV.
(c) Fabricius in Vita Ciceronis. (d) Livii Epitome.

sit (e). Quod eo vero exceptum ait Cicero *ne quis eorum Civis recipiatur* non frustra fuit. Tulit enim C. Jul. Cæsar cos. anno primo belli socialis, quinque & triginta ante Helvetium annis legem celeberrimam, multoque sanguine quæsitam & impetratam, qua cum fœdere sociis Civitatem, hoc est, honorum petendorum, ac suffragii in Comitiis ferendi jus, quod Civitatis R. habebatur optimum, impertiebatur, quam legem in quibusdam postea fœderibus, ut in hoc Helvetiorum, exceptam intelligimus. Ejus in eadem Ciceronis oratione mentio. *Lege Julia*, inquit, *qua Civitas sociis & Latinis data est, magna contentio Heracliensium & Neapolitanorum fuit, cum magna pars in iis civitatibus juris sui libertatem civitati anteferret.* Quid igitur? nempe ex hoc fœdere aliquid Populo R. debuerunt Helvetii, cetera liberi persliterunt, suam remp., leges suas, suos magistratus retinuerunt, exiguam Populi R. præterea rationem habuerunt, quod ex Livio (f) prope cognoscimus, qui ita de L. Posthumii cos. insolentia erga Prænestinos fœderatos disputat. *Ante hunc Consulem nemo unquam Sociis in ulla re oneri, aut sumtui fuit. Ideo Magistratus mulis, tabernaculisque & omni alio instrumento militari ornabantur, ne quid tale imperarent Sociis. Privata hospitia habebant, ea benigne comiterque colebant, domusque eorum Romæ hospitibus patebant, apud quos diverti ipsis mos esset. Legati qui repente aliquo mitterentur singula jumenta per oppida, iter qua faciendum erat, imperabant, aliam impensam socii in magistratus R. non faciebant.* Fœderatas autem Civitates liberas fuisse, suisque legibus usas, remp. in sua potestate habuisse argumento est, quod civibus R. exsilii causa permitterentur. Sed etiam jus Civitatis & petendorum honorum consecuti sunt Galli & Helvetii. An ab Augusto cum Gallicas res constitueret, aliisque libertatem, & jus Civitatis daret, aliis adimeret, auctore Suetonio (g) & Dione (h) Claudius sane Imper. non solum Gallis Civitatem, sed suffragii jus, & Senatorii ordinis concessit, primum Æduis. *Datum id fœderi antiquo, & quia soli Gallorum fraternitatis nomen cum P. R. usurpant*, inquit Tacitus (i). Galba vero omnes, qui à Vindice steterant, civitate donavit, in quibus non solum Ædui, Sequani, Rauraci, Helvetii, sed Galliæ propè universæ, Lingonibus, Treviris, nonnullisque aliis, qui contrarias partes fovissent, exceptis, qui tamen postea ab Othone Imp. obtinuerunt. Tacitus (k): *Galliæ super memoriam Vindicis obligatæ recenti dono Civitatis, & in posterum tributi levamento.* Posteà: *Nec deerat pars Galliarum, quæ Rhenum accolit, easdem (l) partes secuta, ac tum acerrima instigatrix adversus Galbinianos, hoc enim nomen fastidito Vindice indiderant. Igitur Sequanis, Æduisque, ac deinde prout opulentia Civitatibus erat; infensi (m), expugnationes Urbium, populationes agrorum, raptus Penatium, hauserant animo, secundum Avaritiam, & Arrogantiam, præcipua validiorum vitia, contumacia Gallorum irritati, qui remissam sibi à Galba quartam Tributorum partem, & publice* (CIVITATE) *donatos in Ignominiam exercitus jactabant.* Et Helvetios Vindicem Galbamque secutos, ex eo quod Vitelliani Galbæ hostes iis bellum intulerunt satis manifestum est, de quo (n) suo loco. Aventicos sane Civitate a Galba donatos etiam

(e) Anno V. C. DCLXII. (f) Lib. XLII. (g) In Augusto. (h) Lib. LIV. (i) Lib. XI. Annal. (k) Lib. I. Histor. (l) Vindicis scilicet. (m) Qui Vitellium sequebantur. (n) Lib. II. cap. 2.

Plinius memoravit. *Vocontiorum*, inquit, *Civitatis fœderatæ duo capita Vasco, & Lucus Augusti. Oppida verò ignobilia* XIX. *sicuti* XXIV. *Nemausiensibus attributa. Adiecit* FORMVLAE *Galba Imp. ex Inalpinis Avanticos & Ebrodunnios*, legunt alii Bodiontios, *quorum oppidum Dina*; quibus adsentior, Dinamque Donum ad Lemanum, Bodiontios, populos qui circa illum lacum sunt interpretatus sum suprà. Aventicorum sedes notior est. Antoninus demum Pius (o) Imp. legem tulit, qua liberos omnes Monarchiæ R. finibus comprehensos Civitate donavit. Ea lex his concepta verbis fuit (p). IN ORBE ROMANO QVI SVNT, CIVES SINT ROMANI. Qua ratione, non socii modo & fœderati, sed provinciæ omnes & subjectæ Romano nomini Civitates, hoc est, ut Justinianus Imp. interpretatur, *nobilitatem, sive jus annulorum, & natalium restitutionem, sive ingenuitatem*, consecutæ sunt. Quam quidem legem *in subsequentibus omnibus, & eis qui emergere posteà possent* casibus valere idem Justinianus voluit. Quod autem Helvetios ad amicitiam & societatem recipere, quam servitute & tributis opprimere maluit Cæsar, quantum inde commodi periculique crearetur, ea qua fuit prudentia, consideravit. Homines enim fortissimos & libertatis jurisque retinentissimos, eo statu, qui servis abjectisque deberetur acturos nequaquam existimavit, potius, quos hostium loco habuerant, Germanos excituros majoreque detrimento & copiis, facta nova conjuratione provincias Romanorum repetituros. Accedebat quod veluti speculam Populi R. & propugnaculum, quod de Martio Narbone colonia dixit Cicero (q), infestis nationibus oppositum: qui scilicet Germanorum pericula à P. R. copiis, armisque propulsarent, Helvetiorum amicitiam intelligebat: Quantum enim animis virisque possent, suo periculo cognoverat Cæsar, cognoverant ante miserabili suorum internecione Romani. Nihil igitur potius habuit aut existimavit, quam eos habere pacatos & amicos, quorum *nomine metuque Italia omnis*, ut ait Sallustius (r) *contremuerat*. Roma, præter Cæsarem, qui idem orbem terrarum imperio complexus est, eis reprimendis & devincendis petere, aut sperare potuit neminem.

(o) Alii Caracallam fuisse tradunt, male. (p) In Authenticis. (q) Pro Balbo oratione. (r) Fine Jugurthini.

CAPUT IX.

Coloniæ Romanæ in Helvetia quæ, a quibus & quando ductæ, ratioque linguæ apud Aventicos & Antuates mutatæ.

Duæ Coloniæ in Helvetia R. EQVESTRIS. *Equestris à Cæsare ducta. Coloniarum ratio duplex. Eademque* MILITARIS. *Ubi fuerit colonia Eq. quæstio. Prima opinio de Neviduno. Eaque refutata. Altera opinio, eaque probata. Nevidumi Præfectus Fabrûm, & quæ de caussa.* AVENTICVM *R. colonia. Vespasianus Aventicæ ductor coloniæ. Sabinus Vespasiani Imp. pater apud Helvetios fœnus exercuit, & ibidem mortuus est. Multæ Aventici inscriptiones Ve-*

spasiam facta. Romana lingua in Aventicis & Equestribus unde. Franci multimode lingua R. studiosi, non absque sua corruptione. Vocabula, modique loquendi Germanolatini. Et inde aliquot leges Salicæ explicatæ.

DUctæ postea in Helvetiam Romanorum Coloniæ. Duas reperio, Equestrem & Aventicum, quibus auctoribus, quo tempore, tantumdem ex scriptoribus priscæ auctoritatis & fidei liquet. Equestris tamen prope dixerim ex epigrammate, quis conditor fuerit. Illud sic habet:

C. PLINIO. M. F. COR.
FAVSTO.
AED. PL. IIVIRO COL.
IVL. EP. FLAMINI.
C. PLINIVS. FAVSTVS.
VIVVS P. C.

ex quibus COLONIAM IVLIAM EQVESTREM non nisi à Julio Cæsare ductam, dictamque adfirmo. Tulit nomen patris Octavianus. Sed quas duxit Augustæ sunt adpellatæ, ut in Rauracis, novis Colonis additis, *Augusta Rauracorum*: in Rhætis prima *Augusta Vindelicorum*: apud Salassos *Augusta Prætoria*. Coloniæ aliæ erant civium Romanorum: aliæ quæ militares proprie nominatæ. Ad has milites veterani, qui etiam cives, periculis bellisque defuncti, tamquam ad tranquillitatem, laborumque præmia, cum signis & aquilis, ac primis ordinibus & tribunis deducebantur. Hinc illæ apud Lucanum (a) querelæ:

Conferet exsanguis quo se post bella Senectus,
Quæ sedes erit emeritis, quæ rura dabuntur,
Quæ noster veteranus aret, quæ mœnia fessis?

& illa Hygini: *finitis amplioribus bellorum operibus, augendæ reipublicæ causa, Illustres Romanos viros urbes constituisse, quas aut victoribus Populi R. civibus, aut emeritis militibus adsignarent.* Julianæ Coloniæ, præter Capuam, quam primo consulatu duxit, militares omnes. Militaris ergo & Julia Equestris, eorum scilicet, qui post bella civilia, emeritaque stipendia, ad agrorum cultum & quietem translati sunt. Multas autem urbes per Italiam & extra eam refecisse Cæsarem, partim novas condidisse, Colonias vero plures finitis bellis constituisse, testatur Dio (b). Illustre proinde quis Equestris conditor & qualis ipsa: ubi fuerit tenebrosum. Plinius (c) Helvetiis tribuit, & in Belgica collocavit, uti Helvetios. In Sequanis Ptolemæus (d), sed ipsos inter Belgas. Liber Provinciarum, in eadem quidem Provincia, sed urbem Equestrium addidit Nevidunum: *In Provincia*, inquit, *maxima Sequanorum Civitas Equestrium, hoc est, Nevidunum:* eadem perplexitudine. Sunt namque qui Nevidunum dicunt esse Donum illa Lemanni ripa, adducti ea maxime ratione, quod pars illa laci nunc quoque Equestris adpellatur, vulgo Chablais à Caballo, incolæ verò Equestres. Sed in eo, credo, decipiuntur, quod utraque Lemanni ripa tenuisse Equestres, ignorare videntur. Ita autem rem esse, etiam hodie notum. Quidquid enim Losanna Genevam versus Equestribus addicitur, nec se Losannam ultra extendunt Antuates, excipiente Colonia Equestrium, quod ex hodierno, ut diximus, quoque nomine Vaat & quo usque se extendit, clarum. Ptolemæum si consideres, adparebit Lemanno Rhodanoque Belgicam terminasse, & Equestres secundum Juram collocasse: qua etiam ratione quidam moti Neocomum sive Neoburgum civitatem Equestrium esse existimarunt. Quapropter, quæ altera sententia est, Nevidunum Equestrium civitatem, ego quidem illud oppidum esse dico, quod Nejum Gallica sive Romana lingua vocatur, major enim nominis similitudo. Nam & Germani hoc oppidum adhuc Nevis dicunt, & clarior antiquitatis species. Multa enim hoc laci latere, & hac præcipue prope Nejum parte, Romana monimenta reperiuntur & inscriptiones Genevam usque, veluti Copeti, Versutii, Prangini, quæ sunt oppida & loca inter Nevidunum & Genevam, & in ipso Neviduno plurimæ, quas nos alibi, hinc inde, hoc opere pro materia inseruimus plerasque. Sed oppidum ipsum mihi considera & ad Donum compara, Nejum quidem adflictæ ætatis, Donum nuperum adfirmabis, quamvis quidam Dinam Plinii, Bodiontiorum caput, ut ante notavimus, probabiliter esse existimarint, quod ipsum magis nostram conjecturam confirmat, volentibus quidem Dinam esse Donum, Nejum vero Nevidunum. Adde quod credibile sit Cæsarem suam coloniam in loco optimo, uberrimo, amœnissimo collocasse, at nullus toto Antuatium pago, Nevidunensi, ad eum usque locum, qui etiam nunc Coloniæ nomen retinet, melior, pinguior, voluptabilior, vini optimi, frumentique juxta feracissimo, omnium fructuum abundantissimo. Accedit quod hoc pacto, contra Helvetios ipsos, Germanosque si in Galliam, aut Provinciam R. rursum cogitarent, hanc, illo in loco, Coloniam obstaculo fore Cæsar animadvertebat, Allobrogibusque qui è conspectu, solo interlabente Rhodano, munimento & præsidio: quæ omnia in Donum altera Lemanni ripa sive sinistra, aut parum aut nullo modo conveniunt, præter quod Doni nulla Romanæ antiquitatis vestigia. Est autem Nevidunum oppidum ad dextram Lemanni 28. passuum millibus infra Losannam & 16. supra Genevam. Erat vero Neviduni inter alia officia, quæ in coloniis usurpata postea ostendemus, Præfectus Fabrum, quod eo in loco abietes & pinus, ut supra in Eboduno vidimus, ex Jura sumtas, in navigationum usum parandas curarent, quæ secundo Rhodano, in Mediterraneum deducerentur. Unde ista adhuc ibidem est inscriptio inter alias.

D. IVL. L. F. VOL. RIPANO.
CAPITONI. BASSIANO.
EQVO. PVBLICO. HONORATO.
PRAEFECTO. FABRVM.
TRIB. MIL. COH. I. GAL.
L. IVL. BROCCHVS
VALER. BASSVS.
FILIO.

Equestres etiam hoc monimentum M. Antonio Philosopho Imperat. dedicarunt, anno post Christum natum CLXIII.

IMP. CAES.
M. AVRELIO. ANTONINO.
PIO. FELICI. AVG.
PONT. MAX.
TRIBVNICIAE POT. XVI.
COS. III.
CIVITAS
EQVESTRIVM.

(a) Lib. I. Pharsal. (b) Lib. XLIII. (c) Lib. IV. cap. 17. (d) Lib. IV.

Sed

Sed de Neviduno Equestribusque satis. Aventici locus notior, auctor obscurior. Aventicum Romanam fuisse coloniam ex hoc illustri monimento satis claret.

| | | | | | | | | | LEGATO | | | | |
FLAVIAE. FIRMAE. ET LEGATO. IMP. NERVAE. TRAIANI. CAESARIS. AVG. GERMANICI. DACICI. LEG. VI. FIRMAE. SODALI. FLAVIALI. PRAETORI. AERARI. MILITARIS. LEGATO. IMP. NERVAE. TRAIANI. CAESARIS. AVG. GERMANICI. DACICI. PROVINCIAE. LVGDVNENSIS. CONSVLI. LEGATO. IMP. NERVAE. TRAIANI. CAESARIS. AVG. GERMANICI. DACICI. AD. CENSVS ACCIPIENDOS. COLONIA. PIA. FLAVIA. CONSTANS. EMERITA. AVENTICVM. HELVETIORVM. FOEDERATA. PATRONO (e).

Insignes prorsus vetustatis reliquiae! Sed ó injuria temporis, an hominum insignior, quae nobis talis tantique Patroni nomen inviderit! Ex hac autem inscriptione satis apertum arbitror, nam aliae supersunt, quae Coloniae Helvetiorum faciunt mentionem, fuisse Aventicum eam Helvetiorum Coloniam, ut nemo dubitare postea recte queat. Sed quis duxerit, illud vero est, quod minus in promtu. Vt enim, sicuti de Julia Equestri diximus, nomen plerumque coloniis reliquerint suum ductores, & Aventicum Flavia nominata sit, plures hujus familiae Principes, dubitationem ferunt, quam non nisi conjectura expedias. Vespasianus (f) primus in Flaviam familiam imperium orbis terrarum contulit. Successerunt Titus & Domitianus filii. Suetonius (g). *Rebellione trium Principum, & caede, incertum diu & quasi vagum imperium suscepit, firmavitque tandem gens Flavia, obscura illa quidem, ac sine ullis majorum imaginibus, sed tamen reipublicae nequaquam poenitenda.* Sed etiam posteriores Principes Constantii, Valentiniani, Justiniani, ceteri ad Tiberium II. Flavii nominati (h). Ex his coloniae Ductorem Aventici capiamus oportet. Vetustior illa, quam ut Constantii, aut Valentiniani, & ceteri deduxerint. Certum ex supra memorata inscriptione quae Trajani imperio facta: Restat ut Vespasianus, aut liberi. Vespasianum adseruerim civili & Judaico bellis patratis. Argumenta sunt, quod constanti fama celebratur ipsum sive Titum, Aventicensem pagum, dum Judaicum bellum ingenti studio comparat, Colonis conscriptis, poenè exhausisse, regionique nomen Vchtlandiae, quasi vacuae & solitariae fecisse. Quamvis hoc nomen antiquius esse, mihi nullum dubium sit, ut Aventici, quod Romanis scriptoribus inde formatum. Credibile igitur rebus imperii compositis, *stabilita prope adjicta, & nutante republica*, emerito militi & veterano, superiorum Imp. exemplo, sedes has destinasse, coloniamque militarem Aventicum duxisse, quae incolarum inopia laboraret, desideratis, diuturno bello, aut longinquiore terrarum spacio abiuntis, vel praesidio relictis, quos Judaicae expeditioni socios, commilitonesque habuisset. Tertiae sane legionis (i) milites, quae Gallica nominatur, quod ex Gallis confecta esset, in Syria hiberna habuisse, & pro Vespasiano contra Vitellium fecisse, posteaque victoriae & imperii caussam eidem conciliasse, testatur ex Dione Xiphilinus. Accedit parentis Sabini memoria, qui foenus apud Helvetios exercuerit, ibique diem, Suetonio auctore, obierit, quem non alibi agitasse, functumque esse crediderim, quam Aventici quae Helvetiorum caput esset, opulentiaque & magnitudine, tum convenarum frequentia ex Gallia, Italia, Sequanis, Rauracis, nulli Galliarum post esset. Si inscriptiones requiras, nec illae Aventici nullae, in quibus Vespasiani nomen legas, factum meritumque per aetatem & literarum fugam, non intelligas: Vna sic habet.

IMP. CAESARI. VESPASIANO.
AVG. PONTIF. MAX. TR. POT. III.
IMP. VIII. COS. III. DESIG. IIII. P.P. (k).
| | | | | | | | | | | | | |

quae satis cognitum faciunt, cui, & quando Aventicum deducta sit. Et licet negari non possit Romanorum colonias Provincialibus maximo oneri & detrimento fuisse, iis tamen potissimum id accidisse arbitror, qui ob delicta finibus pellebantur,

Et penitus toto divisos orbe Britanos

ut conqueritur ille, petere cogebantur, aut certe agrorum parte multabantur. Quod si regio aliqua vacaret, aut infrequentior esset, (quod usuvenit Helvetiae, post bellum illud cum Caesare, & postea rursum plurimis interfectis & venditis illo quod Caecina Helvetiis intulit (l), aut denique in Syriam, ut diximus, transportatis) quae à Romanis occuparetur, eos non tantum damni & molestiae, quamtum defensionis & dignitatis vel vicinis, vel iis ipsis quibus immiscebantur attulisse mihi persuadeo. Sed hinc quoque ratio & caussa linguae Celticae in pago Aventicensi praecipue & apud Equestres desitae, sive Germanica eadem fuerit, sive diversa, Romanaeque introductae. Cum enim tractus ille totus Romanis civibus, moribusque coleretur, fieri non potuit quin etiam linguae commercium esset, Gallicaque vel relicta, vel usu & consuetudine depravata, Romana, quae & elegantior & facilior esset, imbueretur. Ea enim exteros plerosque consuetudo semper tenuit, Gallos sane & Germanos, Romanum cultum, sonumque propere imitandi, quod in Francis multimode ostendere possim, (ut nihil dicam Romanos id maxime enixos, ut non minus Imperium, quam leges, linguamque suam quam longissime propagarent) qui cum Galliam totam, ex Germania profecti, in eaque nati, & educti occupassent, ita Germanica vocabula, latina norma, regulaque inflexerunt, ut qui hodie leges Salicas, Ribuariasque Germanus legat, centesimam partem non intelligat. Ex hoc fonte *mannire*, **Mannen**, monere, *mallum*, **Maal**, convivium. Unde illa juris formula *mannire ad mallum* quod erat ad caussae dictionem, vel in jus vocare. Mos enim fuit Francis, ut actor judicibus convivium pararet, ad usque causae decisionem, qui deinde sum- tus

(e) Legebatur in Angulo templi Aventici adhuc anno 1536. sed inde, ut templum, ita ipsum corruptum. (f) Imperium init Anno D. N. LXXI. occiso Vitellio. (g) In Vespasiano. (h) Glandorpius in Onomastico.

(i) Eandem apud Equestres egisse, aut potius ex ipsis & ceteris Helvetis completam fuisse videtur. Testimonio est inscriptio illa facta Capitoni Balliano qui Tribunus fuit cohortis unius ex hac legione, & apud Nevidunum egit.
(k) Facta haec inscriptio Anno D. Nativ. LXXII. (l) Tacitus Lib. 1. hist.

tus reum sequebatur. Et lex illa ex Salicis. *Si mannitus fuerit ad secundum mallum ad tertium, quartum, quintum, qui ad sextum venire distulerit, pro uno quoque mallo* XV. *solidos culp. judicib. si ille, qui eum mannit, cum tribus Rachinburgiis, in aracho conjuret, quod legitimum mannitum habuerit.* Vbi etiam *Rachinburgii* sunt **Rechtbürgen**, sponsores litis. in *Aracho*, **am Rechten**, coram judicum concilio. Eadem ratione, *placitum*, à Germanico **Platz**, conventum nominaverunt. *Scaram* **Schar** cuneum, vel turmam qua voce etiam usus Aimo monachus. *Morgengibum* **Morgengab**, dotem. *Schonejum*, pulchrum, **Schön**. *Adgnauin repræsentare* **auf Gnad und Ungnad stellen**. In alia lege *Mundiburdium* explicatur. *Si quis ingenuam puellam, vel mulierem quæ in verbo regis, vel Ecclesiastica est, sine parentum voluntate de Mundiburdio abstulerit.* Hoc est, tutela, unde **Münder** id est, tutor, quæ dictio pupillis propria, ad omnes deinceps tutelas translata est, ut in literis privilegiisque monasteriorum & Collegiorum videre licet, quæ in suum Mundiburde, aut Mundiburdium accipere reges & Imperatores dicuntur. Ejusdem generis est *Wergeltum* multa pro sanguine fuso. *Nuingeltum* pœna furti, qua fur novies tenebatur restituere rem per fraudem aversam. *Fredum* sive *fredam*, quod nunc **Freffel** dicimus, multam temeritate aut violentia acceptam vocabant, ut alia leg. Sal. *Si quis servum fugientem ad Ecclesiam vi abstraxerit, & injuriam Ecclesiæ fecerit, componat* XXXVII. *solidos ad Ecclesiam: & pro fredo solvat in fisco* IX. *Sol. quod contra legem fecerit, & Ecclesiæ honorem non impenderit.* Illa prisca Francorum pietas & religio fuit. At nunc *ô tempora, ô mores!* Sexcenta sunt alia, quæ in Latinum morem detorta & coacta illam, qua Aventicensis pagus, Equestres, Gallique utuntur linguam pepererunt. Id quod etiam Othoni Frising. (m) visum: *videtur*, inquit, *mihi Francos, qui in Galliis morantur, à Romanis linguam eorum, qua usque hodie utuntur, adcommodasse. Nam alii qui circa Rhenum ac in Germania remanserunt Teutonica lingua utuntur.* Sed & nostri homines Germanico modo docti & educti, etiam ignavissimi quique, & omni humaniori cultu expertes, si in Galliam militatum abierint, tantum non statim linguam Gallicam imbibunt, sed etiam mores, & primo corruptissimos citius quam necesse aut bonum sit. Nescio enim quam facilis sit ex Germanico in quemcumque sermonem transitus & declinatio, regressus vero asperrimus. Sed de lingua Gallica antiqua, sive Celtica dabitur, ut spero, alias dicendi locus, quando tam multos eadem de re disseruisse, nihildum satis constituisse intelligo.

(m) Lib. IV. cap. 32. Chronic.

CAPUT X.

De coloniis, & republica coloniarum in genere, de Helvetiis in specie.

Quid sint coloniæ. Causæ deducendarum coloniarum. Coloniarum deductiones. Earum duo genera. Coloniæ suos magistratus, legesque habuerunt. Decuriones, coloniarum Senatores. Vnde nominati. Magistratus coloniarum: Duumviri in coloniis iidem qui Romæ coss. Colonias tributa dedisse. Nonnullas vacationem habuisse. Aliaque privilegia. Omnia hæc in Aventico & Equestri servata. Curatores.

Colonias duas Romanas in Helvetiam ductas, & quibus auctoribus, ut opinor, vidimus. Sed incidit statim dubitare, quæ ratio statusque coloniarum R. fuerit. Ea paucis, quæ ad nostrum institutum attineant, deinceps exsequar. *Colonias* scripsit Agellius (a), *fuisse civitates, ex civitate R. quodammodo propagatas, ejusque effigies parvas & simulacra quædam videri.* Earum ducendarum mos cum civitate ipsa natus, celebrari, nisi ultimis prope ruentis imperii temporibus numquam desiit. Hujus instituti sex potissimum redduntur causæ. Una ad populos, quos Romani vicissent, armis, melius coercendos: altera hostium incursionibus, earum quasi objectu, reprimendis: tertia stirpis augendæ & propagandæ causa: quarta plebis urbanæ exhauriendæ: quinta seditionibus, per partium divulsionem, abolendis: sexta & ultima, ut præmiis milites, qui toties vitam pro republica in discrimine habuerant, adficerentur. Sed militares coloniæ quam diu respublica salva & sui juris fuit, nullæ, aut paucæ: qui eam armis oppresserunt militibus conciliandis, partim remunerandis instituerunt, Sulla, Julius Cæsar, Tresviri, & reliqui deinceps qui principium in repub. tenuerunt. Neque extra Italiam ante C. Gracchum, qui Carthaginem in Africa duxit ulla, quod in legibus ejus inter perniciosissima recensuit Paterculus. Imperatoribus contrarium visum, Provinciæque omnes coloniis frequentari cœptæ. Deductæ verò antiquitus per Curatores Agrarios, vel Triumviros, vel V viros, vel VII viros, vel X viros, etiam per XX viros, qui quidem IIIviri, vel Xviri, &c. agris dandis, adsignandis, vel coloniæ deducendæ nominati. IIIvirûm apud Scriptores præcipua mentio. Modus quoque jugerum in capita tribuendorum legibus antiquis præfiniebatur. Sed Impp. arbitrium, in servitutem abjecta rep. deinde fuit. Nec coloniarum ratio una. Aliæ enim civium R. aliæ Latinæ, aut juris Latini adpellatæ: discriminis auctor locuples inter ceteros Livius ubi de Aquileia loquitur. *Illud agitabant*, inquit, *ut colonia Aquilejam deduceretur, nec satis constabat, utrum latinam an civium Romanorum deduci placeret, postremo latinam potius deducendam patres censuerunt.* Illæ jure privato civium R. & Quiritium utebantur: hæ minime (b). Illis jus privatæ libertatis, connubiorum, patrium, legitimi dominii, testamentorum, tutelarum & cetera, quæ juris Romanæ civitatis propria fuerunt: his solum suffragii jus idque magistratus permissu, & si in latina, aut juris latini civitate magistratu functi essent, cives Romani ut essent, permissum, alias Romanæ civitatis penitus expertibus. Ex Cicerone, præter ceteros, manifestum, qui T. Matrinium Spoletinum, ex colonia latina, civitate esse donatum, pro Balbo dixit, non utique donandum, si habuisset. Habuerunt enim coloniæ suas leges, suum Senatum, suos Magistratus (c), leges quidem, aut à Populo R. acceptas, aut à se repertas, easque à Romanis quidem legibus disparatas, Romanis tamen Triumviris conditas, aut approbatas.

(a) Libro XVI. cap. 13. (b) Institutionibus Justinianeis. (c) Contrarium adferere videtur Agellius loco supra notato.

probatas. Quæ enim legatis, decreto Senatus, ordinandis Provinciis, potestas, eadem curatoribus coloniis constituendis. Senatores in coloniis, ut municipiis, Decuriones vocabantur. Unde in priscis monimentis passim. DEC. COL. Decurio coloniæ: dicti Pomponio teste (d), *quod initio, cum coloniæ deducerentur, decima pars eorum, qui ducerentur, consilii publici gratia, conscribi solita sit*, atque iis legendis, census, ut Romæ, notatus. Numerus eorum incertus, pro amplitudine coloniæ major, minorve fuit. In colonia Capua centum Decuriones fuisse Cicero tradidit (e). Magistratus præcipui IIviri, IIIviri, VIviri, censores, ædiles & quæstores, tum qui sacris præerant sacerdotes, flamines & Pontifices. IIviri sane in coloniis iidem qui Romæ consules, qui proinde etiam prætexta utebantur, & ex Decurionum numero legebantur. Unde Pomponius (f). *Is qui non sit Decurio IIviratu, vel aliis honoribus fungi non potest*. Iidem IIviri jure dicundo nominati, ut in antiquis lapidibus: IIvir. I. D. Censores, censui agendo instituti. Tributa enim pependisse, militemque dedisse colonias nullum dubium. Habuerunt tamen aliquæ militiæ vacationem; docet Livius. *Diis*, inquit, *rite placatis, delectum habebant consules acrius intentiusque, quam prioribus annis quisquam meminerat habitum. Nam & belli terror duplicatus novi hostis in Italiam adventu, & minus juventutis erat, unde scriberent milites. Itaque colonos, etiam maritimos, qui sacrosanctam vacationem dicebantur habere, dare milites cogebant, quibus recusantibus, edixere in diem certam, ut quo quisque jure vacationem haberet, ad Senatum deferret*. Alias quoque aliis majora privilegia immunitatesque habuisse suadet Cicero (g). *Quæ colonia*, inquit, *est in Italia tam bono jure, quæ per hos annos tam commoda vacatione usa sit omnium rerum, quam Mamertina Civitas per triennium?* Præter Magistratus fuit Patronus coloniæ, Romuli instituto, qui, ut plebeis tutores patricios, ita coloniis, & sociis P. R. quos quidem ex civibus vellent patronos legendi potestatem fecit, quorum opera in urbe, si quæ essent, quod interesset, uterentur (h). Quæ omnia servata esse, habuisseque coloniam Aventicum, & Equestrem, suum scilicet senatum, cui præessent IIviri, suos censores, quæstores, ædiles, flamines, Curatores & Patronos sine controversia est, consideranti eundem fere deducendarum, ductarumque coloniarum modum, rationemque fuisse. Sed ea ipsa nominatim exemplis ostendere quis satis possit, hac in bonorum scriptorum, monumentorumque vastitate? Pauca tamen producam, quæ reliquorum forte adsensum præbeant. Curatorum primo coloniæ Aventicensis aliquæ nobis inscriptiones memoriam conservarunt T. Januarii Floriani, & P. Domitii Didymi Villarsæ: hæc eorum declaratio ostenditur.

DEAE. AVENTIAE.
ET. GENIO. INCOLAR.
T. IANVARIVS.
FLORIANVS.
ET. P. DOMITIVS.
DIDYMVS.
CVRATORES. COL.
EX STIPE. ANNVA.

T. Tertii Severi alumni & Curatoris coloniæ epigramma aliud exstat ibidem loci, benevolentiæ, & gratitudinis vicariæ plenum.

DEAE. AVENTIAE.
T. TERTIVS.
SEVERVS.
CVR. COLON.
IDEMQVE. AL.
CVI.INCOLAE
AVENTICENS.
PRIM. OMNIVM.
OB. EIVS. ERGA.
SE. MERITA.
TABVLAM. ARG.
P. L (i). POSVER.
DONVM. D. S.P (k).
EX. VCC. L.D.D.D. (l)

Superius scripturam Paterno Curatori coloniæ factam collocavimus. Duumvirum vero quos eosdem quos Romæ consules in coloniis diximus, præter duas suprà etiam positas, una ex Pirreport descripta, altera Equestris coloniæ, etiam hanc licet mancam nuper Agauni exscripsimus, in ruinis chori veteris templi beatorum Martyrum.

::· VIPANSIO. COR.
::: V: FILIO SEVERO.
IIVIRO FLAMINI
IVLIADECVMINA
MARITO.

Alia reperitur Neviduni, sed in fragmentis, in qua nempe Duumviri nomen tamen legas.

::::: ANTABRO :::::
:: :: VAC. R. CONVENT.
HELVETIC. IIVIRO
IVLIAE GELL. MARCEL.
CORNELIA. F.

Sed hæc in arce Prangina haud procul à Neviduno integra adhuc cernitur.

C. IVL. C.F. VOLT.
SEMATO
IIVIRO. ITERVM.
FLAMINI. AVG.
L. IVL. CAPITO. AMICO.
OPTIMO.

Triumviros ærarii curam habuisse, & ejusdem præfectos egisse, cognosci potest, ex fragmento hoc, juxta Genevam.

::. RICCIO. T. FIL.
:::: POL. FRONTONI.
IIIVIRO AERARI.
::::F EX TESTAMENT.

Sevirum Valerium hunc fuisse in colonia Equestri ostendit hæc Versutii opido 6. p. m. supra Genevam.

D. VALERIO ASIATICI LIBERT
SISSI IIIIII COL. EQ.

(d) Lib. 1. Pand. (e) Agraria II. (f) Eodem libro. (g) contra Verrem. (h) Dionys. in antiq.

(i) Publico loco. (k) De sumtu publico. (l) Locus datus decreto decurionum.

Sissi oppidum est quatuor infra Genevam leucis vulgo Seissel dextra Rhodani, nam quæ de IVviris Aug. postea. Et sane infinita sunt apud nostrates, licet parum integra Romana epigrammata, sed ea nec persequi est animus, & ea quæ protuli satis esse arbitror ad ea, quæ de coloniis institueram. Nuno vero Aventicum militarem vacationem habuisse, nisi quantum sponte vellet, ex eo mihi indubium, quod Emerita inscribitur, unde & alia privilegia & immunitates auguro, ut enim Emeriti illi milites, qui labore, excubiis, vigiliis, & munere omni castrensi expertes sunt, ita Aventicum emeritam coloniam adfirmarim, hoc est, omnis tributi & militiæ onere liberam, nihilque nisi ex fœdere, additur enim Fœderata, populo Rom. debentem. Hæc de coloniis Helvetiis ex lectione non indiligenti, veterumque monimentorum accurata inspectione mihi jam quidem in mentem venerunt, quæ referre in literis volui, ut postea mirari desinant qui Helvetiorum nobilitatis originem scrutantur, eamque intelligunt non aliunde esse.

CAPUT XI.

Quæ Romanorum in Helvetia præsidia, quibus locis, & a quo tempore.

Præsidia Romana circa Rhenum. Constantius Cæsar multa & in Helvetiis & Galliis vastata reparavit. Limitaneorum militum deductio principium ruinæ Imp. R. VARTENSEE. Rhineck op. Vartenberg in Rauracis. ARBOR FELIX. BURGUM. RHINOVIUM. CONFLUENTIA. AQUAE HELVETIAE. VINDONISSA. BREMGARTAE. ALAE. CALORONA.

SEd cum deinceps Germani barbaræque nationes Helvetiam, Galliasque omnes maxime infestarent, illæ aut Romanis subjectæ, aut amicitia & fœdere devinctæ essent, illis præsidia præbuerunt arcesque & castra versus hostium irruptiones constituerunt. *Præsidium*, auctore Varrone (a), *dictum*, *quia* milites *extra castra præsidebant in loco aliquo*, *quo tutior regio esset*. Multa fuisse secundum Rhenum præsidia quibus Galliæ contra Germanorum irruptiones defenderentur, ex scriptoribus antiquis & iis quæ supersunt locorum, ubi ea agitari solita, vestigiis, satis adfirmatum est. Drusus (b) quidem qui primus Germanicus adpellatus, cognomen Senatus decreto ex provincia obtinuit, ripas Rheni plurimis castellis, ea præsidiorum munimenta, obsedit. Jul. Floro teste (c). *Præterea*, inquit, *in tutelam provinciarum præsidia*, *atque custodias ubique disposuit*. *Per Mosam flumen*, *per Albim*, *per Visurgim*. *Per Rheni quidem ripam quinquaginta amplius castella direxit*. Ea postea partim seditionibus militaribus (d), partim barbarorum (e) impressionibus diruta & incensa, Trajanus fortissimus Impp. reparavit primus, imperiique fines porrexit. *Romani*, inquit Eutropius (f) de eo, *imperii*, *quod post Augustum defensum magis fuerat*, *quam nobiliter ampliatum*, *fines longe lateque diffudit*, *urbes trans Rhenum in Germania reparavit*. Valeriani rursus imperio eversa, Posthumus Galliarum præses, tum Lollianus, non solum restituerunt, sed etiam nova condiderunt. Trebellius (g): *Et Lollianus quidem nonnihil reipubl. profuit*. *Nam plerasque Galliæ Civitates*, *nonnulla etiam castra Posthumus per septem annos in solo barbarico ædificarat*, *quæ interfecto Posthumo*, *subita irruptione Germanorum*, *& direpta sunt*, *& incensa*, *in statum veterem reformavit*. Aurelianus in restituendis Galliis non se inertem præbuit. Probi vero in reparandis antiquis novisque castellis & propugnaculis ædificandis præcipua opera fuit. De quo ita Vopiscus (h). *Urbes Romanis & castra in solo barbarico posuit*, *atque illic milites collocavit*. *Agros & horrea & domos & annonam Transrhenanis omnibus fecit*, iis videlicet quos in excubiis collocavit. Tempore Diocletiani, cum barbari rursus, sumtis animis, in Gallias invasissent, primo in eos Maximianus Augustus immissus, dein Constantius Chlorus Cæsar, qui non solum præclara contra easdem Germaniæ & Allemanniæ gentes facinora perpetravit, sed etiam urbes castra munimenta toto Rheno restauranda curavit. Nam eum quidem in Helvetia Vitodurum dirutum restituisse, ante ostendimus, & Constantiam de suo nomine reparasse, memoriæ traditum, aliaque plurima, aut nova condidisse, aut vetera resuscitasse adducor auctoritate orationeque Eumenii, hoc tempore ad Præsidem Galliæ habita (i). *Nam quid ego*, inquit, *alarum & cohortium castra percenseam*, *toto Rheni & Istri & Euphratis limite restituta?* *quot ubique muri*, *vix repertis veterum fundamentorum vestigiis*, *excitantur*, &c. Constantini, qui ob merita Magni, Constantii filii, non minora contra Allemannos gesta. *Milites vero Romanos oblitos*, ut ait Orator, *deliciarum Circi maximi*, *Pompejani theatri*, *& nobilium lavacrorum Rheno Danubioque prætendit*, *ac limitis ejus agere excubias jussit*. Omnia cum benivolentibus & propitiis Romani Imperii custodibus, ac tutoribus. Sed ubi eosdem præsidiarios & limitaneos milites, sive imperii fiducia, sive ita in fatis erat, stationibus & excubiis deduxit, limitesque nudos & incustoditos reliquit, non solum barbaris nationibus novum iter aperuit, sed veluti ad provinciarum R. ruinas & excidium invitavit, adeoque Romano Imperio finem acceleravit, ut cum de eo, sicuti de aliis Christianis Impp. multa Zosimus mendaciter, pleraque acerbe, hoc tamen verissime tradidisse putetur (k). *Fecit & aliud quoddam* (l) inquit, *Constantinus*, *quod in ditionem Populi R. liberum barbaris aditum præbuit*. *Nam cum Imperium R. extremis in limitibus ubique Diocletiani providentia*, *quemadmodum à nobis supra dictum est*, *oppidis & castellis*, *atque burgis inclusum esset*, *omnesque copiæ militares in iis domicilium haberent*, *fieri non poterat*, *ut barbari transirent*, *ubique copiis hostium repellendorum causa occurrentibus: Hanc præsidiorum munitionem Constantinus abolevit*, *majoremque militum partem de limitibus submotam in oppidis nullius opis egentibus collocavit: à barbaris vexatos præsidio nudavit: tranquillas & quietas urbes militum peste gravavit*, *quæ jam complures ad solitudinem redactæ sunt*, *milites ipsos theatris & voluptatibus addictos emollivit*, *denique simpliciter ut dicam*, *rerum hactenus peremtium internecioni principium & semina præbuit*. Hactenus Zosimus. Constantino quidem vivo, pleraque tuta, ubi excessit vivis, Galliæ statim Allemannis pro præda fuere. Marcel-

(a) Lib. IV. de Ling. Lat. (b) Dio Lib. LV. (c) Lib. IV. cap. ult. (d) Tacitus Lib. IV. hist. (e) Cattorum sub Domitiano. (f) Breviar. VIII.

(g) In Lolliano. (h) In ejus vita. (i) Pro restitutione Scholarum Menianarum. (k) Lib. II. hist. (l) Desunt in hodiernis exemplaribus ubi talia tractavit.

Marcellino teste (m). Julianus posteà multis victoriis provinciam & plerasque Galliæ civitates recuperavit & confirmavit, castella & oppida restauravit. Nam de Tabernis (n), unde reliquorum duco argumentum, ita tradidit idem Marcellinus: *Conversus hinc Julianus ad reparandas Tres tabernas, munimentum ita nominatum, haud ita dudum obstinatione subversum hostili, quo ædificato constabat, ad intima Galliarum, ut consueverant adire, Germanos arceri, & opus spe celerius consummavit, & victum defensoribus ibi locandis, ex barbaricis messibus, non sine discriminis metu collectum, militis manu condidit in usus anni totius*. Valentinianus verò, qui paullò post imperium obtinuit, exemplum Drusi secutus, à Rheni origine, ad ipsum Oceanum castella & munimina ducere cœpit. Marcellinus (o) sæpius memoratus auctor. *At Valentinianus*, inquit, *magna animo concipiens & utilia, Rhenum omnem à Rhætiarum exordio, ad usque fretalem Oceanum magnis molibus communibat, castra extollens altius & castella, turresque assiduas per habiles locos, & opportunos qua Galliarum extenditur longitudo, nonnunquam etiam ultra flumen, ædificiis positis, subradens barbarorum fines.* Alio loco (p) Roboris apud Basileam castelli ab eo conditi meminit. *Secuto*, inquit, *post hæc anno Gratiano adscito in trabeæ societatem, Equitio consule, Valentiniano post vastatos aliquos Allemanniæ pagos munimentum ædificanti prope Basileam, quod appellant adcolæ Robur, adfertur Præfecti relatio Probi, docentis Illyrici clades.* Et postea. *Ideo autem Valentinianus etiam merito timebatur quod & exercitus auxit valido supplemento, & utrobique Rhenum celsioribus castris munivit atque castellis, ne latere usquam hostis ad nostram se proripiens possit.* De præsidiis Rheno impositis à Valentiniano mentionem retulit etiam Zosimus (q). *Transrhenani*, inquit, *barbari, qui quamdiu Julianus superstes erat, nomen Romanum metuebant, & satis habebant, si nemo quid eis in solo suo quiescentibus exhiberet molestiæ, morte Juliani nunciata, suis continuo sedibus egressi ad gerendum contra Romanos bellum sese parabant. Quo Valentinianus animadverso, copias, & pedestres, & equestres, & armaturæ levis, uti par erat, disponebat, situque ad Rhenum oppida necessario præsidio communibat.* Sed hæc finis Castellorum & Limitum. Nam Gratianus Imp. cum Allemannorum apud Colmariam ingentem stragem dedisset, qui superfuerant cladi in militiæ ordines conscripsit, partim cis Rhenum transtulit, & qui propter eum fluvium sunt agros partivit: ut alias pluribus ostendemus (r). Constantinum tamen, qui sub Honorio in Britannia tyrannidem invasit, & postea in Galliam trajecit, Rhenum contra barbarorum irruptiones & Alpes præsidiis firmasse scripsit idem Zosimus (s). *Propter has*, inquit, *causas præsidiarios in his locis*, Alpibus, *Constantinus collocavit, ne isti*, barbari, *liberum in Galliam aditum haberent, Rhenum quoque præsidio munivit idoneo, quod à Juliani principis temporibus neglectum fuerat.* Josephus (t) suo tempore ccc. hominum millibus Gallias custoditas mandavit scripto. Alii XXV. fuisse legiones memoriæ tradiderunt. Quod si legioni VI. peditum millia, equites DCLVI. tribuamus, non ultra hominum centum quinquaginta millia reperiemus. Sed credibile est eos qui numero Josephi deesse possunt, extra legionum ordines fuisse, quibus tantum cives, aut civitate donati includebantur. Franci demum Hunni & Allemanni, quæ Vandali & eorum socii sarta & integra reliquerant castra & opida funditus everterunt, & quidquid Romanæ memoriæ aut firmitudinis fuit, prodentibus etiam præsidia & opida Romanis militibus. Unde Procopius (u). *Romanorum interea milites alii, qui in Gallia finibus erant custodiarum gratia constituti, cum neque Romam redire jam possent, nec ad hostes*, Gothos qui Italiam tenebant, *ut Arrianos, concedere, sese cum signis, & locum insuper, quem pro Romanis servabant, Arboricbis*. (Francorum gens erat) *Germanisque* Allemannis *prodidere*. Cum verò plurima, ut vidimus, secundum Rhenum, & contra barbarorum impressiones, diversis locis castra & propugnacula à Romanis condita & excitata fuerint in Helvetio solo, unius Arboris felicis ad Acronium, Vindonissæ ad Ursam, Castellique Aquarum ad Limagum & denique Calaronæ ad Lemannum mentionem scriptorum antiquorum monimentis distincte tantum consignatam reperio. Igitur quod fieri necesse est, ubi non liquet & deficiunt scriptores, cetera, ut alias sæpius, conjecturis aucupabimur.

VARTENSEE.

Illa mihi arx prima occurrit Romani cultus & operæ, nobilissimorum Blarerorum antiqua sedes. Eam fuisse primam ad lacum speculam, unde illi nomen, & contra Vindelicos objectos præsidium, loco munito & turribus triplicique vallo fossaque quondam distinctum. E regione ultra Rhenum Brigantium, Vindelicorum opidum, priscis scriptoribus (x) notum à quo lacus Brigantinus & vicini Brigantii, ad ingressum Rheni; supra adsurgit Rhinecum antiquum opidum, & Rheguscorum, qui inter Rhætos, illiusque gentis caput, &, nisi fallor Romanis quoque habitatum. Nam peropportuna hæc tria loca non solum continendis Rhætis, sed & præcipue Vindelicis, Suevis, Allemannis. Quamtum ad Vartensee pertinet, ejusdem usus Romanæque pariter structuræ arx alia quondam in Rauracis Vartenberg nominata, in monte, qui Pratis latis (ita *Bratelematten* cum nobilissimo & eruditissimo D. Joan. Jacobo *Vom Staal*, Equite aurato, adpello) imminet, & in Rhenum porrigitur. Erant verò tres hoc nomine conjunctæ arces, exiguo inter se spatio, ut adhuc ostendunt rudera, unis cinctæ mœnibus, regioni claustrum & ex alto custodia, late patentibus Rheno Rauracis & Brisiacis. Sane consideranti ejus situm (y), & ex iis quæ supersunt, amplitudinem, facile persuaderet fuisse Valentiniani I. munimentum, prope Basileam conditum, nisi magis placeret eorum opinio qui Rhinfeldam esse arbitrantur decem supra Basileam passuum millibus, quod munimentum Germani Gallique Romanum Burgum vocarunt & brevius Romburg aut potius Raubburg propter prædas, ex Allemannia eo comportatas, quod non intelligens Ammianus (z) ut raro Romani Italique Germana vocabula bene aut intelligunt aut exprimunt, Robur adcolas vocasse scripsit. Vartensee ad lacum sequitur

ARBOR FELIX.

Præsidii in ea Romani meminit supra memoratus Ammianus (aa) cum Gratiani in Pannoniam ex Helvetia

(m) Lib. XVI. (n) Vulgo Zaberen in Elsatia. (o) Lib. XXVIII. hist. (p) Lib. XXX. (q) Lib. IV. hist. (r) Lib. II. (s) Lib. VI. hist. (t) In Antiq. Jud.

(u) Lib. I. (x) Straboni, Solino, Melæ, Ptolemæo, Ammiano. (y) De quo supra. (z) Lib. XXX. hist. (aa) Lib. XXXI. hist.

ex Helvetia describit iter. *Dispositis*, inquit, *quæ pro temporum captu, per Gallicas res nationesque poscebant, Gratianus exinde digressus per castra, quibus Arboris felicis nomen est, ad opitulandum oppressæ parti porrectis itineribus ire tendebat*. Liber notitiarum, non multo post editus, ostendit in ea fuisse tribunum cohortis Herculiæ ex Pannonia. Oppidi origo Romana, & quidam Constantio (bb) Constantini filio attribuunt, victoriæ contra Allemannos feliciter partæ (cc) tropæum, & inde contra rebelles præsidium, sive ob rerum abundantiam & copiam ita nominasse. Nam arbores eas dictas felices quæ uberes & fructuosæ vulgo notum, & præclari eruditione viri in suis commentariis retulere (dd). Sed ut nihil certi adferam, multo antiquior mihi videtur, sive ea quæ à Julio Cæsare & L. Munatio Planco ad Constantium usque contra Germanos Rhætosque perpetua serie illis in partibus gesta sunt, sive Antonini Itinerarium quod ante Constantium fertur confectum, consideres. In eo enim Arboris Felicis, non ut nuperi mentio, aitque distare viginti passuum millibus ab uno quoque opido Brigantio & Finibus, quod ita se habet. Nunc Arbonam vocant. Et inde Valafredus Rapertusque superiorem pagi Tigurini partem, usque ad Abbatiscellanos, pagum Arbonensem nominavere.

BVRGVM.

Ubi Rhenus Venetum lacum sive inferiorem egressus; non procul inde nostra ripa vicus est, quem Burgum nominant, in colliculo situm: eo in loco fuisse R. præsidium contra Hegovienses inde mihi persuadeo, quod multa ibi R. monimenta, & murorum ingentes ruinæ toto ejus collis circuitu, & deinceps ad vicum usque Eschentz in agris & pratis, veluti fornices subterranei, sola concamerata, numi, tegulæ varii coloris perspiciuntur & passim eruuntur. In ipso templo quod in ipsis, & ex illis castri ruderibus, etiam hæc, licet per lituras tota legi non possit, Cajo Cæsari facta inscriptio videtur.

IMP. CAES. CAIVS. PONT.
MAX. TRIB. P. P. ::
:::: P. P. PROC. ::::
:::::::: ND ::::::::: S.
:::::::::: SC ::::::::::

Nec scio quæ ejus principis, aut monstri merita esse potuerint, aut in nostrates, aut in illud præsidium, nisi patris Germanici memoria, & quia Gallis Helvetiisque jam à puero notus. Unde Suetonius (ee) de eo. *Sic Imperium adeptus populum R. vel ut ita dicam hominum genus voti compotem fecit, exoptatissimus princeps maximæ parti provincialium ac militum, quod infantem plerique cognoverant, sed & universæ plebi urbanæ, ob memoriam Germanici patris*. In eodem exitu efficit Rhenus insulam quæ quondam insula Rheni, postea S. Otmari ob exilium ejus sancti viri, eo loco tolerati, nunc *im Verd* nominatur, eam pons continenti conjungebat, mittebatque in Germaniam, sicuti ex vallis, qui flumine minuente perspiciuntur, adparet; usque eo se Castrum hoc extendisse putatur, qui postea incensus à Germanis, & burgum vastatum inferius paullo repositus, ejusque commoditate & ex ruinis Castri Romani Stein oppidum ædificatum, quod ipsi è conspectu altera ripa situm est. Sunt qui hoc Burgum Gaunodurum antiquum de quo Ptolom. esse credidere, non alia ratione ducti, quam nominis Stein & Gaun, quod, ut alibi notatum, etiam lapidem, aut præruptum Saxum rupemve significat: sed de Gaunoduro nos aliti.

RHINOVIVM.

Nulla quidem ibi Romana monimenta, sed antiquitatis indicium magnum, situ mirabili. Rhenus enim ubi cataractas majores perlapsus est, adeo tortuoso fluxu volvitur & in tot mœandros, ut duas quidem peninsulas constituat, unam solo Germanico, alteram Tigurino, sibi mutuo ita conjunctas, ut solus fluvius dividat. Germanica antiquo nomine Suevia vocatur. In contraposita opidum Rhinovium, antiquum & fractum, & paullo infra Augia Rheni monasterium toto Rheno à continenti separatum, nisi quamtum ponte ex opido nectitur. Sunt tamen & in Suevia antiquæ fossæ, valli, murorumque reliquiæ, quod argumentum facit, à Germanis, Allemannis, Suevis firmatam & contra Romanos qui Rhinovium tenebant, munitam fuisse, illo maxime tempore, quo duobus exercitibus validissimis eas gentes Julianus aggressus est (ff); quare perculsos refert Ammianus (gg), plerosque in Rheni insulas perfugisse, eas vallo & cæsis immensis arborum truncis sæpiisse. Reperiuntur vicinis prope Rhinovium campis etiam numi, hominum vero & equorum ossa passim, & quandoque fossæ oppletæ, quod indicat moras ibi & castra Julianum aut Barbetionem ducem habuisse, aut Allemannos cecidisse, & ultra Rhenum sepulisse. Augiæ antiquissimum monasterium, & ibi Fundanus Hibernus monachus jam sub Carolo M. sepultus (hh) non sine sanctitatis fama.

CONFLVENTIA.

Vicus est, eo ubi Arula Rheno conjungitur loco, nomen Romanum. Ipsi talia vocabula indere soliti, ubi fluminum confluxus, corrupte Cobolens. Ita in Germania secunda, opidum ea de caussa nominatum, ubi se Mosella in Rhenum præcipitat. Hic contra Harcinios credibile est habuisse Romanos stationem, nam è regione altera sive dextra ripa opidum Valdshuot, sive custodia silvæ, in loco satis munito & edito, sæpe enim Allemanni ex Harcinia in Romanos hac aut illa ripa per insidias irrumpebant, qua ratione factum ut ubique vigilias agitarent. Ejus hoc nomine meminit vita S. Verenæ. Hæc, nisi fallor, fuerunt Romana præsidia nostra ripa, sive Helvetia, contra Germanorum irruptionem. Nam præterea in opidis secundum Rhenum ut Constantiæ, Solio Cæsaris, Foro Tiberii militares excubiæ erant, & plerumque in iis tribuni, sicuti ex inscriptionibus videre est. Non solum vero secundum Rhenum & in Helvetiæ Germaniæque limitibus R. Præsidia erant, sed etiam in mediterraneis & secundum Limagum Ursamque & juxta illum quidem

AQVÆ HELVETIÆ

aut Castellum Aquarum præsidium habuit, non tamen Romanorum militum, sed Helvetiorum, stipendiis Romanis, auctore Tacito (ii): *Rapuerant*, inquit de legione Vindonissa verba faciens, *pecuniam missam in*

(bb) Ammianus Lib. XV. (cc) A. D. N. CCCLV. (dd) Brodæus in miscell. & Turneb. in Advers. (ee) in ejus vita.

(ff) Anno D. Nat. CCCLVII. (gg) Lib. XVI. (hh) Anno D. Nat. DCCCL. (ii) Lib. I. hist.

in stipendium Castelli, quod olim Helvetii suis militibus, & stipendiis tuebantur. Addidit, *olim*, quod suo tempore, sub Trajano Imp. desiisset aut castrum, vastum bello, quod Cæcina Helvetiis fecit, aut præsidium. Nunc Badam vocant à thermis quæ paullo ulterius opidum oriuntur, Helvetiarum Civitatum annuis conventibus etiam, præter salubrium aquarum usum, celebre. Ab aquis vero incolæ Aquenses nominati, ex inscriptione quæ Vettingæ, alio loco hujus voluminis collocata. Et ob hanc balnearum frequentiam pars illa quæ Inferior Bada à situ vocatur, jam Vitellii imperio (k) in municipium excreverat, & ab ejus militibus direpta est, teste eodem Tacito. *Direptus*, inquit, *longa pace, in modum municipii extructus locus, amœno salubrium aquarum usu frequens.* Castellum vero, eo ubi nunc est oppidum & quondam arx firmissima loco, ejus antiquitatis erat, ut muri vetustate dilaberentur, quæ causa fuit cur Helvetii obsidionem in eo Vitellianorum tolerare non ausi fuerint, sed se potius in apertum impares, licet & parum firmi commiserint, cæsique fusi & fugati sint. Ut alias videbimus. Jam de

VINDONISSA.

Ex eodem Tacito (l), apertum est, præsidio munitam, & legionum hibernis habitam. Ubi rebellionem Civilis Batavi, & tumultum scribit: *Cohortium*, inquit, *alarum, legionum hiberna subversa cremataque, iis tantum relictis, quæ Moguntiaci & Vindonissæ sita sunt.* Nec paucorum militum, sed unius legionis, quæ à loco Vindonissa, à numero una & vicesima nuncupabatur. Idem: *Atque interim una & vicesima legio Vindonissa: Sextilius Felix cum auxiliariis cohortibus per Rhætiam irrupere.* De Vindonissa dictum alibi. Sed primam apud Ursam fuisse militum custodiam arbitror eo in opido quod

BREMGARTE

vocatur, indeque nomen ductum, quasi prima guardia, decem scilicet supra Vindonissam passuum millibus. Nam si loci situm, firmitudinem, ubertatem, amœnitatem spectes, nullum dubium erit, quin Romano cultu fuerit paratum. Illud flumen Ursa, ut circino circumductum, pene totum cingit, adsurgente sensim eo in colliculum, qui qua planiciem ducit, fossa clauditur & præcipitio, ejus regionis cui liberæ præfecturæ nomen caput. Fuerunt & apud Antuates cohortium & legionum hiberna, de quibus meminit Cæsar (m). Unde & illa Poetæ scribentis eos qui Cæsarem ad bellum civile secuti,

Deseruere cavo tentoria fixa Lemanno (n).

Sed quibus fuerint locis non satis exploratum est. Ego opidum illud quod

ALÆ

vocatur, unum ex iis fuisse crediderim, indeque nomen ab equitum alis, quæ ibidem consistebant; opido quoque duæ Romanæ, pro insignibus, aquilæ, in eam formam, qua ad vexilla utuntur. Pagum vero opido vicinum Juoerno nominatum adcolis, commemorabili ruina proximi montis, cum terra moveret, superioribus annis (o) oppressum, cum ducentarum amplius ædium, villarumque strage hominum vero numero maximo, sed incomperto, nomen ab hibernis servare apud me certum habetur. Equitatui vero in Antuatibus versus Veragros, & summas Alpes non alia regio aut patentior, aut ad pascua copiosior, quam quæ circum Alas. Vicum eum qui

CALORONA

Antiquis dictus, nunc Clerolle, inter Vivifcum & Losannam nundinis & hominum frequentia adhuc celebris, præsidium habuisse paulo certius est, si libro Noticiarum fides. In eo enim tribunum & cohortem locat. *In provincia*, inquit, *maxima Sequanorum Tribunus cohortis primæ Flaviæ Calarona Sabaudiæ.* Ex qua quidem memoria, Sabaudiæ nomen, quod nonnulli à Sabatiis Ligurum gente, alii aliunde trahunt, jam tum notum, & eas partes occupasse, & deinceps ad Aventicensem pagum deductum esse, ex illa quam supra in Ebroduno posuimus inscriptione, satis animadversum est. Alia fuerunt apud Veragros & Rauracos Romana præsidia, de quibus ubi de utraque gente plura. Nam quæ deinceps secundum Lemannum Rhodanumque sunt apud Antuates, prope Equestres & Equestrium colonia occupavere.

CAPUT XII.

De præfectis, & præfecturis in Helvetia R. sive Procuratoribus.

Præfecturæ finitio. Provinciarum divisio. Gallia universa Cæsari Augusto attributa, excepta Narbonensi. In eas præfecti, pro prætoribus missi. Curatores Cæsaris in omnibus provinciis. Procuratorum aut Curatorum officium. Eorum jus & potestas per Claudium Cæs. ampliata. Gladii accinctu potestas in vitam concessa. In quibusdam Provinciis non alii quam Curatores, pro præfectis. Procuratores in Helvetia. Duo in Helvetia Procuratores, aut Præfecti.

FUerunt quoque in Helvetia Præfecti, aut Procuratores Romani, quos in disquisitionem vocemus, & quæ eorum ratio fuerit, investigemus oportet. *Præfectura*, inquit Festus, *ea appellabantur in Italia, in quibus & jus dicebatur, & nundinæ agebantur; & erat quædam earum respublica, neque tamen suos magistratus habebant, sed legibus præfecti mittebantur quotannis, qui jus dicerent.* Hæc præfecturarum R. ratio fuit, dum respublica R. Ubi ea mutavit, & in unius potestatem venit, præfecturarum quoque ut aliorum officiorum mutatio facta. Augustus quidem cum deponere Imperium simulasset, hoc primo consecutus est, ut ei confirmaretur. Sed ut sic quoque popularis animi aliquam sibi opinionem pararet, provincias se omnes gubernaturum negavit, sed quæ periculis vicinæ & hostibus, aut per se turbulentæ: pacatiores & quæ militibus non egerent populo & Senatui relicturum. Principis hæc astutia fuit. Unde Dio (a): *Id faciebat sub hac maxime ratione, ut cum Senatus tuto bonis Imperii perfrueretur, ipse periculis & laboribus objectus videretur: at sub eo prætextu eum vere inermem imbellemque efficiebat, & ad se solum arma, militesque transferebat.* Ita provinciarum divisio facta, ut aliæ Cæsaris aliæ Senatus, & P. Romani essent (b). Cæsaris inter ceteras Galliæ primo universæ, Narbonensem postea populo

(k) A. Dom. Nat. LXX. (l) Lib. IV. hist. (m) Comment. III. (n) Lucan. Lib. I. Pharf. (o) Anno Dom. Nat. MDXXCIV.

(a) Dio Lib. LIII. hist. (b) Strabo hæc pluribus Lib. IV.

populo reddidit. In eas præfecti missi, qui pro prætoribus, & eorum loco illas administrarent. Nec solum singulis provinciis præfectos constituit, sed etiam urbibus, plerumque ex equitum numero & ex iis qui tribuni militum fuissent, aut Senatores essent. Dio: *At Equitum Imperator eos qui tribuni militum aut in Senatu essent, aliisve rebus præstarent, partim ad mœniorum Romæ, partim ad aliarum urbium tutelam constituit.* Curatores vero sive procuratores, in suis & Populi provinciis præfecit, cujus illi ordinis & officii declarat idem Dio (c): *Imperator*, inquit, *etiam Curatores, sic ii vocantur qui publicos reditus colligunt, certasque impensas faciunt, in omnes provincias suas, & P. R. ex equitibus alios, aliot ex libertis mittit.* Tacitus de Agricola (d): *Utrumque avum habuit procuratorem Cæsaris, quæ Equestris nobilitas est.* Et primo Curatorum hoc munus fuit, reditus scilicet & tributa, aliaque quæ ad fiscum, colligere aut erogare, cetera plane privati erant, nec alia iis, quàm in servitia, pecunias Impp. familiares potestas. Notum ex Tacito eodem (e): *Procurator*, inquit, *Asiæ Lucilius Capito, accusante provincia caussam dixit, magna cum adseveratione principis* Tiberii, *non se jus, nisi in servitia & pecunias familiares dedisse quod si vim prætoris usurpasset, manibusque militum usus foret, spreta in eo mandata sua, audirent socios.* Jus tamen etiam inter privatos dixisse, auctor Dio (f), ubi de eodem Capitone sermo. *Capitonem Asiæ Curatorem in Senatum introducit* Tiberius, *objiciensque inter alia crimina, quibus se imperatorem tulisset, militibus usum fuisse, in exsilium misit. Neque enim iis qui pecuniis tractandis Imperatoris erant constituti, præter definitorum redituum exactionem, & controversiarum in foro secundum leges, privatorum modo, disceptationem quidquam concessum erat.* Demum Claudius eorum jus, & potestatem ampliavit, utque in provinciis eorum decreta proinde rata essent, ac si ipse statuisset imperavit. Suetonius (g), *ut rata essent quæ Procuratores sui in judicando statuerent à Senatu precario exegit.* Tacitus (h): *Eodem anno sæpius audita vox Principis, parem vim habendam è procuratoribus suis judicatarum, ac si ipse statuisset. Ac ne fortuito prolapsus videretur, Senatus quoque consulto cautum plenius, quam antea & uberius.* Ita non solum in re pecuniaria, & quæ fisci propria essent, sed etiam in crimine & caussa capitis jus exercere cœperunt, Præsidum exemplo, qui deinde pro discrimine & nota, apud Jureconsultos Procuratores (i), vice præsidis dicti, aut cum potestate. Ea potestas cum accinctu gladii permittebatur. *Neque enim*, inquit Dio, *ulli proconsuli, aut proprætori, præfectove licebat gladio se accingere: quo ipso licentia necandi militis adimebatur. Nam & Senatoribus, & equitibus, quibus alterum conceditur, alterum quoque adest.* Imo quibusdam provinciis, quæ videlicet minutiores essent, non alii, quam procuratores pro præfectis, suadere videtur Tacitus qui etiam eorumdem quasdam recenset (k). *Duæ Mauritaniæ*, inquit, *Rhætia, Noricum, Thracia, & quæ aliæ procuratoribus cohibentur.* Quæ Helvetiæ ratio fuerit ex scriptoribus priscis haut proinde certum. Quosdam tamen in Helvetia procuratores fuisse, qui & tributi, sive censuum curam haberent, & caussas simul capitis cognoscerent, seu de Romanis militibus, aut hominibus, non de Helvetiis, qui liberi, & suæ potestatis, judicarent, inscriptiones ostendunt & Martyrum gesta. Donati cujusdam tempore Augusti memoria in fragmine lapidis Villariæ relicta est.

DONATO CAES. AVG.
SALVIANO EXACTORI
TRIBVTORVM IN HELV.
COMMVNIS VICARIVS.

Aurelii Proculi maximæ Sequanorum, in qua Helvetiæ pars, ut diximus procuratoris, cui Vitoduri restitutio commendata fuerit, mentionem ex epigrammate pariter superius intulimus. Duos vero in Helvetia Procuratores fuisse arbitror. Unum, qui idem Rhætiæ, & Tauriacis, sive pago Tigurino præfuerit, alterum qui in reliqua Helvetia potestatem & jurisdictionem habuerit. Argumentum sumo ex martyrio Thebæorum militum, qui eodem tempore, duabus his Helvetiæ partibus, sub diversis præfectis sive procuratoribus mortem obiisse dicuntur (l). Namque Ursus & Victor cum sociis Salodori sub Hirtaco: Eodem tempore Felix, Regula & Exsuperantius Tauregi, quæ Tigurini pagi caput, sub Decio præfecto aut procuratore corona martyrii donati sunt. In Gallia reliqua pro provinciarum amplitudine & dignitate præsides aut pariter Procuratores fuere. In Narbonensem, quia populo recepta, Prætores missi. Alius Lugduni, Treveris, alibi, ceteris in provinciis & urbibus. Nam cum antea toti Galliæ, & pluribus provinciis singuli mitterentur prætores, aut proconsules, Augusti instituto singulis provinciis singulos præficere mos obtinuit. Dio: *Recensui*, inquit, *Provincias hoc modo, quoniam nunc earum quævis suum habet peculiarem præfectum, cum antiquitus binis, vel ternis singuli præfuerint.* Constantinus M. (m) ut orbem terrarum nova forma distribuit, ita quoque officiorum mutationem induxit.

(c) Eodem libro. (d) In ejusdem vita. (e) Lib. IV. Annal. (f) Lib. LVIII. (g) In Claudio. (h) Lib. XII. Annal. (i) Lib. II. Cap. de pœnis. Lib. III. Cap. ubi causs. fisc. alibi. (k) Lib. I. hist.

(l) A. Dom. Nat. CCLXXXVIII. (m) Zosimus Lib. II. Onuph. de comitiis R.

CAPUT XIII.

De moribus & consuetudinibus Gallorum, & ita Helvetiorum antiquis, tum eorum cum Germanis accurata comparatio.

Duo hominum ordines in Gallia Druydes & equites, & utriusque munus. Morum differentia Gallorum à reliquis nationibus. Antiqui Germani Gallique similes. Germanorum nomen unde ductum. Gallorum & Germanorum quoad mores comparatio. Herculem fuisse in Germania. Carmina in præliis, & inde auguramenta Germanorum. Itemque Gallorum. Herculem quoque in Gallia fuisse. Habitus Germanorum. Gallorum. Germanorum armatura. Itemque Gallorum. Germanorum reges, & eorum potestas. Gallorum. Germanorum magistratuum auctoritas. Gallorum. Germanicæ fortitudinis incitamenta. Germanorum feminarum virtus. Itemque Gallorum. Crudelitas Romanorum. Miserabilis clades. De Germanorum auspiciis, & Gallorum. Germanorum conventus. Gallorum. Nobilitas Germanorum antiqua. Gallorum. Germanorum hospitalitas. Et Gallorum. De ebrietate & rixis utriusque gentis. De eorum ædificamentis. De victu & potu. De vestitu & cultu. De Gallorum ingenio. Alia ejus gentis propria. De ornatu in vestibus. De capillorum studio. Barbarus Gallorum mos. Gallos mercede externis militasse. Gallos etiam literarum, & liberalium

ralium artium studiosos fuisse. Alia ex Tacito de Germanis, quæ nunc quoque Helvetiis ad modum propria, & familiaria.

IN omni Gallia, inquit Cæsar (a), eorum hominum qui in aliquo sunt numero genera sunt duo: ,Druides alteri, alteri equites, hi militaria, illi divina procurant & humana, ,plebs pæne servorum habetur loco: in reliquis vitæ institutis hoc fere à reliquis differunt, quod suos liberos nisi cum adoleverint, ut munus militiæ adimplere possint, palam ad se adire non patiuntur, filiumque in puerili ætate in publico, in conspectu patris assistere turpe ducunt. Viri quantas pecunias ab uxoribus dotis nomine receperunt, tantas ex suis bonis, æstimatione facta, cum dotibus communicant. Hujus omnis pecuniæ conjunctim ratio habetur, fructusque servantur. Vter eorum vita superaverit, ad eum pars utriusque cum fructibus superiorum temporum pervenit. Viri in uxores, sicuti in liberos, vitæ necisque habent potestatem (b), & cum pater familias illustriori loco natus decessit, ejus propinqui conveniunt, & de morte si res in suspicionem venit, de uxoribus in servilem modum quæstionem habent, & si compertum est, igni, atque omnibus tormentis excruciatas interficiunt. Funera sunt pro cultu Gallorum magnifica (c), & sumtuosa omniaque quæ vivis cordi fuisse arbitrantur in ignem inferunt, etiam animalia, ac paullo supra hanc memoriam servi ac clientes, quos ab eis dilectos esse constabat, justis funebribus confectis una cremabantur. Quæ Civitates commodius suam remp. administrare existimantur habent legibus sancitum, si quis quid de repub. a finitimis rumore, aut fama accepit, uti ad magistratum deferat, neve cum quo alio communicet, quod sæpe homines temerarios atque imperitos falsis rumoribus terreri atque ad facinus impelli, & de summis rebus consilium capere cognitum est. Magistratus quæ visa sunt occultant, quæque esse ex usu judicaverint, multitudini produnt. De republica nisi per concilium loqui non licet. Alibi quamtum ad hunc morem pæne contrarium tradidit. Est hoc, *inquit*, Gallicæ consuetudinis, uti & viatores, etiam invitos, consistere cogant, & quid quisque eorum de quacumque re audiverit aut cognoverit quærant, & mercatores in opidis vulgus circumsistat, . quibusque ex regionibus veniant, quasque ibi res cognoverint pronunciare cogant. His rebus, atque auditionibus permoti, de summis sæpe rebus consilia ineunt, quorum eos è vestigio pœnitere necesse est, cum incertis rumoribus serviant, & plerique ad voluntatem eorum ficta respondeant. Germani multum ab hac consuetudine differunt. „ Hæc Cæsar. Strabo (d) vero iisdem prope moribus institutisque egisse Gallos Germanosque memoriæ consignavit, de Gallis differens. , Sed quales, *inquit*, diximus superioribus temporibus, tales eos fuisse intelligimus ex Germanorum adhuc durantibus consuetudinibus. Nam & natura & vitæ institutis gentes hæ invicem similes sunt & cognatæ confinem habitantes regionem Rheno divisam, & pleraque inter se similia habentem. „ Alio loco (e) eadem expressius tradidit, ubi & Germanorum nomen ab hac morum communione ductum adserit. , Statim ergo, *ait*, trans Rhenum post Celticæ populos Orientem versus sita loca Germani incolunt à Gallis parum differentes si feritatis, corporum magnitudinis, & fulvi coloris excellentiam spectes, sed & forma & moribus & victu adsimiles sunt Gallorum, de quibus diximus. Itaque recte mihi videntur Romani hoc nomen eis indidisse, cum eos fratres esse Gallorum vellent ostendere., Sed inde quoque migrationes faciliores fuisse ex Gallia in Germaniam & vice versa idem arbitratus est Strabo (f). , Iisdem, inquit, de caussis migrationes etiam facilius iis acciderunt, cum gregatim ac ex omni collecta multitudine exercitus ferrentur, imo potius cum omni familia migrarent quoties ab aliis validioribus pellebantur., Sed non erit injucundum, credo, Gallorum hos Germanorumque mores inter se paucis ex scriptoribus comparasse, quando qui Helvetiam nunc tenent populi ex Gallis & Germanis mixti sunt, adeoque utriusque gentis mores fere adhuc retinent. Cornelium Tacitum qui de Germania cum cura scripsit, ubi Germanorum mores proponemus, sequemur auctorem, Gallorum ex variis educemus. Et quod primo tradit Cæsar in Deorum cultu & sacrificiis differre, alio loco ostendemus non ita esse. Incipit vero Tacitus de Germanis disputans: „ Fuisse & apud eos Herculem memorant, primumque omnium virorum fortiss. ituri in prælia canunt. Sunt illis hæc quoque carmina, quorum relatu, quem barditum vocant, accendunt animos futuræque pugnæ fortunam ipso cantu augurantur; terrent enim trepidantque prout sonuit acies. Nec tam vocis ille, quam virtutis concentus videtur, affectatur præcipue asperitas soni, & fractum murmur, objectis ad os scutis, quo plenior, & gravior vox repercussu intumescat. De Gallis Livius (g) contra Annibalem pugnantibus. „ Galli, inquit, occursant in ripam, cum variis ululatibus cantuque moris sui quatientes scuta super capita, vibrantque tela. „ Polybius (h) scribens prælium L. Æmilii contra Gallos. „ Terribilis erat classicorum sonitus, cum quibus simul omnis Gallorum multitudo tantum clamorem ululatumque attollebat, ut incredibilis vociferatio audiretur, nec tubæ solum militesque verum etiam circumstantia omnia loca vocem emittere viderentur. „ Diodorus Siculus (i): Instructam aciem præire consueverunt, & ad singulare certamen fortissimos hostium provocare, arma ut hostem terreant quatientes. Cum quis strenue in acie pugnavit, tum majorum, tum suas laudes, ac virtutes decantant. „ Alio loco: Adspectu sunt terribiles, voce gravi & aspera, sermone vtuntur brevi ac subobscuro. „ Herculem in Gallia fuisse, præter Lucianum (k), Diodorus (l), Appianus (m), Ammianus (n), alii tradiderunt. Tacitus de Germanorum habitu: „ Habitus corporum, quamquam in tanto hominum numero idem omnibus, truces & cærulei oculi, rutilæ comæ, magna corpora & tantum ad impetum valida: laborum, atque operum non eadem patientia, minimeque æstum sitimque tolerare; frigora, atque inediam cœlo soloque adsueverunt. „ Polybius (o) de Gallo-

(a) Commentario VI. (b) Frustra ergo magnus ille legum conditor Justinianus, qui id Romanis proprium adserit. (c) Idem de Germanis Tacitus, & de aliis nationibus alii scriptores. (d) Lib. IV. geogr.

(e) Lib. VII. (f) Lib. IV. (g) Lib. XXI. (h) Lib. II. [i] Lib. VI. Biblioth. [k] In Dialog. [l] Lib. VI. [m] In Celtico. [n] Lib. XV. hist. [o] Lib. II.

Gallorum robore & proceritate: „ Hominum vero tanta copia, ea proceritas ac pulcritudo corporum, tantum in bellicis rebus robur & fortitudo, ut facilius sit, id ex eorum rebus gestis quam ex cujusquam oratione credere. Livius (p) de eadem gente: „ Procera corpora, promissæ & rutilatæ comæ, vasta scuta, prælongi gladii. „ Cæsar (q): Nam plerumque omnibus Gallis, præ magnitudine corporum suorum, brevitas nostra contemtui est. „ Polybius idem de impetu Gallorum, & rursum mollitia: „ Hi (tribuni) quod ex superioribus pugnis animadverterant Gallorum gentem, primo impetu acerrime dimicare, mox vero labascere, atque confringi. „ Alio loco: „ Galli ira potius, atque impetu moventur, quam ratione. „ Livius (r) notans Annibalis iter, ex Insubria, per Etruriam: Hispanos & Afros, *inquit*, & omne quod veterani erat robur exercitus, admixtis ipsorum impedimentis, necubi consistere coactis necessaria ad usus deessent primo ire jussit, sequi Gallos, ut id agminis medium esset, novissimos ire equites, Magonem inde cum expeditis Numidis cogere agmen, maxime Gallos, si tædio laboris, longæque viæ, ut est mollis ad talia ea gens, dilaberentur, aut subsisterent cohibentem. „ Eadem iisdem prope verbis tradiderat Polybius (s), unde exscripsit & transtulit: Post alios (Afros & Hispanos) Gallos collocavit, novissime equites posuit, quibus præfecit Magonem fratrem, ob id maxime, ut Gallos, si tædio laboris, ut sunt molles, & effeminati, referrent gradum, præsidio equitum cohiberent. Dio (t): Quin etiam quæ contra ferocem animum, & temerarium impetum Gallorum opponeretur, prudentia Cæsaris reperta est. „ Et ipse Cæsar: „ Nam, ut ad bella suscipienda Gallorum alacer ac promtus est animus, sic mollis, ac minime resistens ad calamitates perferendas mens eorum est. „ Livius (u) de Gallis: Gens est, cui natura corpora animosque magna magis, quam firma dederit. Eo in certamen omne plus terroris quam virium ferunt. „ Orosius (x): Quarta die rursus productæ in campum acies, usque ad meridiem pæne pari pugnavere discrimine. Post ubi incalescente sole fluxa Gallorum corpora in modum nivium distabuerunt, usque in noctem cædes potius, quam pugna protracta est. „ Tacitus de Germanorum armatura: „ Rari gladiis aut majoribus lanceis utuntur, hastas vel ipsorum vocabulo frameas (y) gerunt, angusto & brevi ferro, sed ita acri & ad usum habili, ut eodem telo prout ratio poscit, vel comminus vel eminus pugnent. Et eques quidem scuto frameaque contentus est, pedites & missilia spargunt, pluraque singuli atque in immensum vibrant, nudi aut sagulo leves. Nulla cultus jactatio, scuta tantum lectissimis coloribus distinguunt: paucis loricæ, vix uni alterive cassis, aut galea.

Paullo ab his diversa de Gallis Strabo (z). „ Armatura illis pro corporum proportione gladius longus ad dextrum (a) dependens latus, scutum longum, lanceæ pro proportione, & mataræ, tragulæ genus, nonnulli etiam arcubus utuntur & fundis. Habent & lignum pili forma, quod non amento, sed manu torquetur, longius etiam atque sagitta. „ Eadem distinctius Diodorus: Scutum ferunt Galli ad staturam hominis longum, proque libito cujusque ornatum; quidam in scutis animalium formas æreas paullum eminentes gestant, & ad ornatum & ad tutelam corporis fabricatas, ærea galea caput muniunt, paullum eminentiore, in qua aut cornua impressa sunt, aut avium aut quadripedum effigies sculptæ. Thorace ferreo utuntur: quidam armis à natura datis nudi pugnant. Pro ensibus ferreas Spathas habent oblongas, ærea catena à dextro latere dependentes. Jaculis insuper bellant, quæ illi lanceas (b) vocant, ancipiti ferro, cubiti, aut amplius longitudinis, paullo minus palmis duabus lato. Enses haut minores sunt quam apud ceteros venabula, ac venabula sunt mucrone, quam sit Ensibus, minore. Hos tum rectos habent, tum incurvos, non solum ad cædendum corpora, sed etiam ad perforandum aptos. „ Nudos etiam pugnasse Gallos meminit Polybius (c): „ Terribilis etiam præcedentium nudorum hominum aspectus. Magna enim & nuda corpora, & bellici quidam motus sub clypeis miraculo simul & formidini erant. Alibi (d): Harum gentium adspectus specie ipsa ac novitate rei terribilis videbatur. Galli supra umbilicum nudi pugnabant. Hispani lineis purpura prætextis ac candidissimis tunicis præliabantur. „ Tacitus quales Germanorum fuerint reges & quæ eorum potestas: „ Reges ex nobilitate, duces ex virtute sumunt. Nec regibus infinita aut libera potestas. Et duces exemplo potius, quam imperio, si promti, si conspicui, si ante aciem agant, admiratione præsunt. „ Strabo de Gallis: „ Pleræque earum respublicæ ab optimatibus gubernantur. Antiquitus unum quotannis principem itemque unum belli ducem multitudo deligebat. „ Tacitus de magistratuum apud Germanos auctoritate. „ Ceterum neque animadvertere neque vincire, neque verberare quidem, nisi sacerdotibus permissum, non quasi in pœnam, nec jussu ducis, sed velut Deo imperante. „ Cæsar de Druydibus, qui Gallorum Sacerdotes. „ De omnibus controversiis publicis privatisque constituunt, & si quod est admissum facinus, si cædes facta, si de hæreditate, de finibus, controversia est, iidem decernunt, præmia pœnasque constituunt. „ Eadem Strabo & Diodorus tradidere. Tacitus de eadem Germanorum gente: „ Quod præcipuum fortitudinis incitamentum est, non casus nec fortuita conglobatio turmam aut cuneum facit, sed familiæ & propinquitates & in proximo pignora. Vnde feminarum ululatus audiri, unde vagitus infantium. Hi cuique sanctissimi testes, hi maximi laudatores. Ad matres, ad conjuges vulnera ferunt, nec illæ numerare, aut exsugere plagas pavent, ciboque, & hortamina pugnantibus gestant. Memoriæ proditum est quasdam acies inclinatas jam & labantes à feminis restitutas, constantia precum & objectu pectorum & monstrata cominus captivitate, quam longe impatientius feminarum suarum nomine timent, adeo ut efficacius obligentur animi Civitatum quibus inter obsides puellæ quoque nobiles imperantur. Inesse quin etiam sanctum aliquid & providum putant, nec aut consilia earum aspernantur, aut responsa negligunt. „ De Gallicarum mulierum Ambronum virtute & ferocia Plutarchus (e) graviter, eo loco, ubi prælium quod cum illa gente Marius Cos. habuit narrat. „ Multi horum *Ambronum, quibus immixti Tugini Helvetii, ut ex Strabone* (f) *manifestum*, in ripa rivi sese impellentes cæsi, flumenque cruore & cadaveribus repleverunt. Eos qui transmiserant Romani frontem convertere non ausos in hostes

[p] Lib. XXX. [q] Comment. II. [r] Lib. XXII. [s] Lib. XXX. 8. [t] Lib. XXXVIII. [u] Lib. V. [x] Lib. V. Cap 16. [y] Pfriem; quod in eam formam essent, uti quidam nunc quoque utuntur. [z] Lib. IV. [a] milites Romanos latere dextro gladio accinctos fuisse Polyb. auct. & testis lib. VI.

[b] Videtur describere, quas hodie alabardas vocamus. Tales sunt adhuc nostrorum Helvetiorum. [c] Lib. II. [d] Lib. III. (e) In Mario. (f) Lib. IV.

,hostes usque in castra & plaustra effusos conciderunt. ,Ibi occurrentes cum gladiis & securibus feminæ ,horrendo & truci stridore juxta in fugientes & se-,quentes incurrebant: in hos, ut hostes, in illos, ut ,proditores: quæ intermixtæ pugnantibus, nudis ma-,nibus scuta Romanorum detrahebant ac gladios pre-,hendebant, vulneraque ac corporum dissectiones per-,petiebantur, ad extremum animis invictæ „. Orosius (g) de mulierum constantia hac in pugna, sic quoque memoravit. „ Mulieres, inquit, eorum (Ambronum) ,constantiore animo quam si vicissent consuluerunt con-,sulem, ut si inviolata virginitate, virginibus sacris ac ,diis serviendum esset, vitam sibi reservarent. Itaque ,cum petita non impetrassent, parvulis suis ad saxa ,collisis, cunctæ sese ferro ac suspendio peremerunt. „ Vbi vero prælium illud ultimum narrasset, quo Cimbri & eorum socii Galli internicione interfecti sunt, addit. , Mulieres graviorem pæne excitavere pugnam, ,quæ plaustris in modum castrorum circum instructis, ,ipsæ autem desuper propugnantes, diu repulere Roma-,nos. Sed cum ab his novo cædis genere terrerentur; ,abscissis enim cum crine verticibus, inhonesto satis ,vulnere, turpes reliquebantur; ferrum, quod in ho-,stes sumserant, in se, suosque verterunt. Namque ,aliæ concursu mutuo jugulatæ; aliæ apprehensis invi-,cem faucibus strangulatæ; aliæ funibus per equorum ,crura consertis, ipsisque continuo equis exstimulatis, ,postquam suas iisdem funibus, quibus equorum crura ,nexuerant, indidere cervices, protractæ atque exa-,nimatæ sunt; aliæ laqueo de subrectis plaustrorum te-,monibus pependerunt. Inventa est etiam quædam, ,quæ duos filios, trajectis per colla eorum laqueis, ad ,suos pedes vinxerit, & cum seipsam suspendio mori-,turam demisisset secum traxerit occidendos.

De mulierum apud Gallos opinione, & prudentia idem Plutarchus auctor (h). , Celtæ, *inquit*, ante-,quam Alpes transgressi Italiæ eam obtinerent partem ,quam nunc incolunt, à gravi & implacabili discordia ,in bellum inciderunt civile. Mulieres autem inter me-,dia arma progressæ, cognitis controversiis, tam dex-,tre eas, & inculpate dijudicaverunt, ut admirabilis ,earum ex arbitrio amicitia omnium cum omnibus ,per urbes singulasque familias exstiterit. Itaque in po-,sterum à Celtis mos servatus est, ut consultationibus ,de bello, & pace mulieres suas adhiberent, & lites ,cum sociis ortas earum opera disceptarent., Quare etiam in suo fœdere quod cum Annibale icerunt, scripserunt: SI CELTAE HABERENT QVO NOMINE CARTHAGINIENSES ACCVSARENT IVDICIVM FORE CARTHAGINIENSIVM DVCVM AC PRAEFECTORVM IN HISPANIA: SI VERO CARTHAGINIENSES CELTIS ALIQVID OBIICERENT CAVSSAE COGNITIONEM FVTVRAM PENES CELTARVM MVLIERES. Tacitus de Germanis: Auspicia sortesque ut ,qui maxime observant., Diodorus de Gallis: ,Utun-,tur insuper divinatoribus, qui apud eos cum & au-,guriis & sacrificiis futura prædicant, plurimi æsti-,mantur, omni eis obtemperante plebe. , Tacitus de Germanorum conventibus: ,Coeunt, nisi quid for-,tuitum & subitum inciderit certis diebus cum aut in-,choatur luna aut impletur. Nam agendis rebus hoc ,auspicatissimum credunt initium. Nec dierum nume-,rum ut nos sed noctium computant. Sic constituunt, ,sic condicunt, nox ducere diem videtur. Considunt ,armati. Silentium per sacerdotes, quibus tum & co-,ercendi jus est, imperatur. , Cæsar de Druidibus penes quos rerum judicatio & arbitrium: ,Ii certo anni ,tempore in finibus Carnutum, quæ regio totius Gal-,liæ media habetur, considunt, in loco consecrato, ,huc omnes undique qui controversias habent, conve-,niunt, eorumque judiciis decretisque parent. Alio loco, ubi etiam caussam reddit quare nox ante diem præfuerit Gallis: Galli, inquit, se omnes ab Dite pa-,tre prognatos prædicant, idque ab Druidibus prodi-,tum dicunt ob eam caussam spatia omnis temporis ,non numero dierum sed noctium finiunt, & dies na-,tales & mensium & annorum initia sic observant, ut ,noctem dies subsequatur. Tacitus nobilitatis Germanorum rationem faciens: ,Gradus quin etiam & ,ipse comitatus habet, judicio ejus quem sectantur, ,magnaque & comitum æmulatio, quibus primus ,apud principem suum locus, & principum cui pluri-,mi & acerrimi comites. Hæc dignitas hæ vires, ma-,gno semper electorum juvenum globo circumdari, ,in pace decus, in bello præsidium. Nec solum in sua ,gente cuique, sed apud finitimas quoque civitates id ,nomen, ea gloria est, si numero ac virtute comitatûs ,emineat. Expetuntur enim legationibus & muneribus ,ornantur, & ipsa plerumque fama bella profligant., Polybius (i) de Gallis. Amicitiis comparandis ma-,ximum quisque studium adhibebat. Quippe is maxi-,me pollens inter eos putabatur, qui quamplurimis ,colebatur. Tacitus de Germanis: Cum ventum in ,aciem, turpe principi virtute vinci, turpe comitatui ,virtutem principis non adæquare. Jam vero infame ,in omnem vitam ac probrosum superstitem principi ,suo ex acie recessisse. Illum defendere, tueri, sua ,quoque fortia facta gloriæ illius adsignare præcipuum ,sacramentum., Cæsar, ubi Soldurioriorum apud Gallos mentionem intulit (k): ,Alia ex parte opidi A-,diantuannus qui summam imperii tenebat, cum DCC. ,devotis, quos illi Soldurios (l) adpellant, quorum ,hæc est condicio, ut omnibus in vita commodis, una ,cum his fruantur, quorum se amicitiæ dediderint, si ,quid iis per vim accidat, aut eundem casum una fe-,rant, aut sibi mortem consciscant; neque adhuc ho-,minum memoria repertus est quisquam, qui eo inter-,fecto, cujus se amicitiæ devovisset, mori recusaret, ,eruptionem facere conatus, &c., Horum meminit etiam Athenæus (m) qui etiam melius ad hodiernum nomen Silodunos nominat. Cæsar de Germanorum hospitalitate: Hospites violare fas non putant, qui ,quaque de causa ad eos perveniunt, ab injuria prohi-,bent, sanctosque habent, iis omnium domus patent, ,victusque communicatur. Diodorus de Gallis. Ho-,spites, inquit, ad epulas vocant, qui sint, qua caussa ,venerint, post cœnam rogantes. Tacitus de ebrietate, & rixis Germanorum: Diem noctemque conti-,nuare potando nullum probrum. Crebræ ut inter vi-,nolentos rixæ, raro conviciis, sæpius cæde & vulne-,ribus transiguntur. Eadem de Gallis Polybius tradidit: ,Orta inter eos seditio pro divisione prædæ usque ,eo processit, ut non solum prædæ verum etiam im-,perii magnam partem perdiderint, quod frequenter ,accidere Gallis consuevit ob immoderatas eorum cra-,pulas atque ebrietates. Diodorus: Consueverunt ,quoque Galli sumto cibo ad verborum, prout casus ,intulit, concertationem venire, surgentesque ex pro-,vocatione certare invicem, nulla habita vitæ cura. Germanorum ædificamenta his verbis consignavit Tacitus:

(g) Lib. V. cap. 16. (h) Libello de virtutibus mulierum.

(i) Lib. II. (k) Comment. III. (l) Mansit nomen Soldner, licet virtus obleverit. (m) Lib. IV. Deipnosoph. & Alexander Lib. I. cap. 26. Genial.

Tacitus: , Vicos locant non in nostrum morem, con- , nexis & cohærentibus ædificiis. Ne cæmentorum , quidem apud illos aut tegularum usus. Materia utun- , tur informi & citra speciem aut delectationem., Gallorum Polybius: , Villas habitabant nullis sæptas mœ- , nibus, adparatuum prorsus omnium expertes erant., Itemque Strabo: Domos ex tabulis & cratibus con- , stituunt rotundas, magno composito fastigio. Quæ fuerit Germanorum potio & victus his quoque verbis notavit Tacitus: Potui humor ex ordeo aut frumen- , to, in quandam similitudinem vini corruptus. Proxi- , mi ripæ & vinum mercantur. Cibi simplices; agre- , stia poma, recens fera, aut lac concretum. Sine ad- , paratu, sine blandimentis expellunt famem: adversus , sitim non eadem temperantia. Si indulseris ebrietati , suggerendo quantum concupiscunt, haud minus faci- , le vitiis quam armis vincentur. Diodorus Gallorum victum his pariter connumeravit: Denique tanta est , aeris frigiditas, ut neque vinum ea regio neque oleum , producat. Quare coacti homines potum sibi ex or- , deo comparent, quem Zythum adpellant, aqua et- , iam, qua lavant favum mellis (n), utuntur. Vino , præter modum adeo delectantur, ut à mercatoribus , importatum purum bibant, nimioque potu ebrii aut , in somnum incidant aut in insaniam., Strabo eadem de gente: Cibus plerumque cum lacte est, & omnis , generis carnibus maxime suillis, cum recentibus tum , salitis. Diodorus alibi: , Juxta eos ignes fiunt, in , queis ollæ sunt & verua plena carnibus. Viros bonos , melioribus carnibus honorant, quemadmodum Poeta , (o) Ajaci scribit impensum ab optimatibus honorem, , quando singulari certamine Hectorem vicit., Tacitus de Germanis: , Lauti cibum capiunt, separatæ singu- ,, lis sedes, & sua cuique mensa., Strabo de Gallis: , Sedentes in toris cibum capiuunt., Diodorus tamen non in toris aut sedibus adcubuisse Gallos sed humi prodidit. , Cænant, inquit, sedendo omnes, non in , sedibus sed in solo, super luporum aut canum stratis , pellibus, ministrant eis pueri juniores ætate tenera. De vestitu & cultu Germanico Tacitus: tegumen , omnibus sagum, fibula, aut si desit, spina, consertum. Cetera intecti totos dies juxta focum atque , ignem agunt. Locupletissimi veste distinguuntur, non , fluitante, sicuti Sarmatæ, aut Parthi sed stricta & sin- , gulos (p) artus exprimente. Gerunt & ferarum pel- , les: proximi ripæ negligenter, ut quibus nullus per , commercium cultus, ulteriores exquisitius. Diodorus de Gallis: , Vestes intonsas ad terrorem & varii co- , loris gerunt quas illi braccas (q) vocant. Sagula ge- , stant, virgata (r): & Virgilius, virgatis lucent Sagu- , lis. Jam quæ præterea de Gallorum ingenio addit Strabo, eadem in Germanos convenere. , Universa , hæc, *inquit*, natio, quæ Gallica nunc sive Galatica , vocatur, bellicosa est & ferox & ad pugnam prompta, , ceterum ingenio simplici ac nulla malignitate devincto. , Itaque irritati ad pugnam confertim & palam coeunt, , idque incircumspecte, quo fit ut facile circumvenian- , tur, si quis calliditate bellica uti velit adversus eos; , facile enim quando & ubi volet, & quacunque cauſ- , sa objecta, eos lacessitos ad prælium conserendum , elicuerit, nulla præter vim & audaciam re instructos. , Violentiam partim à corporum mole habent partim , à multitudine. Ac facile coeunt magno numero, , ob simplicitatem & libertatem, semper indignatio-

(n) Hydromeli: Mett. (o) Homerus Iliad. VII. Ath. Lib. I. (p) Talis vestitus Helvetiorum paucis ante annis, nunc quoque apud paucos seniores. Nam de luxu ex Gallia transportato nihil attinet memorare. (q) Vnde Gallia Braccata, Germani Bruoch. (r) De voce virga Scaliger in Conjectaneis.

, nem suscipientes pro vicinis injuria se adfectos putan- , tibus. Sed hæc demonstrasse sufficiat & contulisse. Satis enim inde apertum est haut multum inter utriusque gentis Gallorum & Germanorum mores antiquitus discriminis fuisse, ut recte Strabo contra Cæsarem eosdem existimarit. Nunc pauculæ quædam quæ Gallorum propria & singularia videntur subjiciamus. De ornatu ejus gentis addit Strabo: , Simplicitati eorum , & ferociæ multum adest stoliditatis ac arrogantiæ & , ornatus studii. Gestant enim aureos circum colla , torques & circum brachia ac manus cum brachio com- , missuram brachialia, & qui honores gerunt ii vestes , tinctas atque auro variegatas usurpant. Ob hanc le- , vitatem & intolerabiles sunt ubi vincunt, ubi vincun- , tur plane consternati. *Et Diodorus!* Hoc modo lique- , facto auro puroque educto ad ornatum corporis mu- , lieres virique utuntur. Etenim & manuum articulos , & brachia armillis aureis exornant. Circa collum in- , super grandes torques gestant ex solido auro & in di- , gitis annulos, thoraces etiam auro exornant,. De comarum studio exquisite idem scriptor. Sunt Gala- , tæ, *inquit*, molles atque albi corpore oblongo. Comas , quamvis habeant natura rufas studio tamen augent na- , turæ colorem. Calamistro capillos inflectunt à fron- , te illos ad cervicem rejicientes, ut Satyris adspectu , puerisque adpareant persimiles. Capillos efficiunt arte , crassiores, ut nihil different ab equorum jubis. Barbam , quidam radunt, nonnulli nutriunt parce. Nobiles , genas quidem radunt, barbam vero adeo crescere si- , nunt, ut operiant corpora, quo accidit, ut cum , edunt repleantur cibo, cum vero bibunt veluti per , canalem potus videatur inferri. *VIRGILIVS* (s):

Aurea Cæsaries ollis, atque aurea vestis,
Virgatis lucent sagulis, tum candida colla
Auro innectuntur.

Barbari cujusdam Gallorum moris plurimi probatorum scriptorum meminere. , Habent, *inquit Strabo*, , eorum etiam ingenia barbaricum quoddam & inusita- , tum, quod plerisque Septentrionalibus gentibus coimi- , tatur, quod cum à pugna redeunt, capita hostium de , collis equorum suspendunt, & spectaculi gratia ante , portas oppidorum affigunt. Capita autem illustrium , virorum cedrino inungentes peregrinis ostentant, neque , reddere dignantur si quis tantundem auri pondus pro iis , redimendis offerret. Id etiam Cæsar tradidit & Diodorus. , Capita, *inquit*, hostium in acie cadentium: , abscissa equorum alligant collo: hostium spolia sangui- , ne perfusa famulis tradunt in foribus domorum cum , cantu & hymnis affigenda, quemadmodum feras so- , lent venatu captas (t). Nobilium capita aromatibus , uncta in thecis condunt summa diligentia, ostendentes , & hospitibus nulloque precio ea vel parentibus vel aliis , reddunt. Tradunt enim rideri nonnullos, quod pro , capite tantumdem pensi auri, barbaram magnificen- , tiam ostentantes, nequaquam velint accipere. Non , enim bellicæ virtutis insignia non vendere nobile est, , sed cum mortuis pugnare ferum habetur atque agreste. Gallos præterea mercede militiam fecisse, in Italia, Græcia, Asia, Ægypto, multi proditum reliquere, Polybius, (u), Livius (x), Josephus (y), Pausanias (z), Athenæus (a). Justinus quidem (b): , Quamquam *inquit* Gallorum, ea , tempestate, tantæ fœcunditatis juventus fuit, ut omnem , Asiam velut examine aliquo implerent: denique neque re- ges

(s) Lib. VIII. Aeneid. (t) Hic mos adhuc maxime frequentatur apud Helvetios ad limina suffigendi ferarum capita, ungues, ut antiquitus etiam apud Græcos. Non. Dionys. (u) Lib. III. (x) Lib. V. 23. 28. alibi. (y) In Antiquit. (z) Lib. I. Græciæ. (a) Lib. III. (b) Lib. XXIII.

„reges Orientis sine mercenario Gallorum exercitu ulla „bella gesserint, neque pulsi regno ad alios quam Gal„los confugerint. *Alio loco* (c): Tantus terror Gallici „nominis, sive armorum invicta felicitas erat, ut alter „neque majestatem suam tutam neque alter amissam re„cuperare se posse sine Gallica virtute arbitrarentur. „Itaque in auxilium à rege Bithyniae invocati, regnum „cum eo parta victoria diviserunt, eamque regionem „Gallograeciam cognominaverunt.

Literas etiam & liberales disciplinas amplexos Gallos idem mandavit scripto Strabo (d). „Iidem, *inquit*, „sibi facile persuaderi sinunt, ut utilia amplectantur. „Itaque disciplinae etiam & literis se dediderunt., Fuisse in more positum ut quotannis juvenes in Graeciam mitterentur Philosophiae & artium caussa tradidit Philostratus (e). Unde forte acciderit, ut ea frequentia fuerit apud Gallos Graecae literaturae, adeo ut illa lingua contractus, publicas juxta cum privatis tabulas confecerint, Strabone & Caesare auctoribus, non aliter atque in Germania ante Carolum M. cuncta latinis literis monimenta consignabantur. Finem faciam si paucula ex saepius memorato numquam tacendo Tacito de Germanorum moribus differenti adhuc in medio conjecero, quae Helvetiis adeo propria, ut de ea tantum gente scripsisse videatur. „De minoribus, *inquit* „*Tacitus*, rebus principes consultant, de majoribus „omnes. Ita tamen ut ea quoque quorum penes ple„bem arbitrium est, apud principes pertractentur. Coe„unt, nisi quid fortuitum & subitum fuerit certis die„bus. — Illud ex libertate vitium, quod non simul, „nec jussi conveniunt, sed & alter & tertius dies cun„tatione coeuntium absumitur, ut turbae placuit. Con„sidunt armati. — Mox Rex, vel Princeps, prout ae„tas cuique, prout nobilitas, prout decus bellorum, „prout facundia est, audiuntur, auctoritate suadendi „magis quam jubendi potestate. — Licet apud conci„lium accusare quoque & discrimen capitis intendere. „Distinctio poenarum ex delicto. Proditores & transfu„gas (f) arboribus suspendunt. Ignavos, & imbelles, „& corpore infames, coeno & palude, injecta insuper „crate, mergunt. Diversitas supplicii illuc respicit tam„quam scelera ostendi oporteat, dum puniuntur, flagi„tia abscondi. Sed & levioribus delictis pro modo poe„narum, equorum, pecorumque numero convicti mul„tantur, pars regi vel Civitati, pars ipsi qui vindicatur, „vel propinquis ejus exsolvitur (g). Eliguntur in iis„dem conciliis & principes qui jura per pagos vicos„que reddunt. Centeni, singulis ex plebe comites, „consilium simul & auctoritas adsunt. Nihil autem „neque publicae, neque privatae rei, nisi armati (h), „agunt. — Si Civitas in qua orti sunt longa pace & „otio torpeat, plerique nobilium adolescentium petunt „ultro eas nationes, quae tum bellum aliquod gerunt, „quia & ingrata genti quies, & facilius inter ancipitia „clarescunt, magnumque comitatum non nisi vi, bel„loque tueantur. — Quoties bella non ineunt, non „multum venatibus, plus per otium transigunt, dediti „somno ciboque. Fortissimus quisque ac bellicosissi„mus nihil agens, delegata domus & penatium & agro„rum cura feminis senibusque & infirmissimo cuique „ex familia. Ipsi hebent, mira diversitate naturae, „cum iidem homines sic ament inertiam & oderint „quietem. Mos est (i) Civitatibus ultro ac viritim con„ferre principibus vel armentorum vel frugum, quod „pro honore acceptum, etiam necessitatibus subvenit. „Gaudent praecipue finitimarum gentium donis, quae „non modo à singulis sed publice mittuntur electi equi, „magna arma, phalerae, torquesque. Jam & pecuniam „accipere docuimus (k). Colunt discreti ac diversi, „ut fons, ut campus, ut nemus placuit. — Numerum „liberorum finire, aut quemque ex agnatis necare fla„gitium, *imo capitale* habetur, plusque ibi mores va„lent quam alibi bonae leges. In omni domo nudi ac „sordidi in hos artus in haec corpora, quae miramur „excrescunt. Sua quemque mater uberibus alit, nec „ancillis aut nutricibus delegantur. Dominum ac ser„vum nullis educationis deliciis agnoscas. Inter eadem „pecora, in eadem humo degunt, donec aetas separat „ingenuos, virtus agnoscat. Sera juvenum venus eo„que inexhausta pubertas. Nec virgines festinantur. „Eadem juventa, similis proceritas, pares, validique „miscentur (l). Heredes, successoresque sui cuique li„beri, & nullum testamentum: ut plurimum, si libe„ri non sunt, proximi gradus in possessione, fratres, pa„trui, avunculi. Quanto plus propinquorum, quo „major adfinium numerus, tanto gratior senectus. Nec „ulla orbitatis precia. Suscipere tam inimicitias seu pa„tris, seu propinqui, quam amicitias necesse est. Nec „implacabiles durant. Luitur enim etiam homicidium „certo armentorum, ac pecorum numero (m), reci„pitque satisfactionem universa domus. Utiliter in pub„licum, quia periculosiores sunt inimicitiae juxta liber„tatem. Convictibus & hospitiis non alia gens effu„sius indulget. Quemcumque mortalium arcere tecto „nefas habetur, pro fortuna quisque adparatis epulis „excipit. Cum defecerit, qui modo hospes fuerat, mon„strator hospitii, & comes proximam domum, non in„vitati adeunt. Nec interest, pari humanitate accipiun„tur. Notum, ignotumque, quantum ad jus hospitii, „nemo discernit. Abeunti si quid poposceris, conce„dere moris: & poscendi invicem eadem facilitas. Gau„dent muneribus. Sed nec data imputant, nec acceptis „obligantur. Victus inter hospites comis. Statim è som„no, quem plerumque in diem extrahunt, lavantur, „lauti cibunt capiunt, tum ad negotia, nec minus sae„pe ad convivia procedunt armati (n). Sed & de re„conciliandis invicem inimicis, & jungendis adfinitati„bus, & adsciscendis principibus, de pace denique, ac „bello plerumque in conviviis consultant (o), tamquam „nullo magis tempore, aut ad simplices cogitationes „pateat animus, aut ad magnas incalescat. Gens non „astuta, nec callida: Aperit adhuc secreta pectoris, li„centia loci (p). Ergo detecta & nuda omnium „mens, postera die retractatur. Et sua utriusque tem„poris ratio est. Deliberant, dum fingere nesciunt: Con„stituunt, dum errare non possunt. Genus spectaculo„rum unum, atque in omni caetu idem. Nudi juvenes, „quibus id ludicrum est inter gladios se atque infestas „frameas saltu jaciunt. Exercitatio artem paravit: ars „decorem, non in quaestum tamen, aut mercedem: „Quamvis audacis lascivie precium est voluptas spectan„tium. Aleam, quod mirere, sobrii inter seria exer„cent (q), tanta lucrandi, perdendive temeritate, ut „cum omnia defecerunt, extremo, ac novissimo jactu „de libertate, ac de corpore contendant. Ea est in re „prava pervicacia, ipsi fidem vocant. Funerum nulla ambitio:

(c) Lib. XXV. (d) Lib. IV. (e) In Phavor. (f) Fures etiam & ejus generis. (g) Nunc pecuniariae fere poenae, sunt Consuli, aut Ammanno. Prout pagi, vel praefecturae magnitudo. (h) Hoc est gladio accincti. (i) Ineunte praesertim anno.

(k) Sero sane Helvetii, & non nisi post Burgundicum bellum adfectum 1476. ut mirum videri possit, adeo altas radices jam quidem fecisse. (l) Ut plerumque. Nam apud ditiores labascit; & praecipitat laudabilis mos. (m) Saepius certa pecuniae summa, (n) Hoc est, gladio cincti, ut ante notavimus. (o) Vide Junii emblema XXXIV. (p) Nescio an melius, quod alia exempla habent licentia joci. (q) At non eam jam solam, sed quodvis ejus generis.

, bitio: sepulchrum cæspes erigit. Monumentorum , arduum & operosum honorem, ut gravem defunctis , aspernantur. Lamenta ac lacrimas cito: dolorem ac , tristitiam tarde ponunt. Feminis lugere honestum est, , viris meminisse. Hactenus de Germanis Tacitus, præter illa, quæ ante comparavimus, quæ adeo nostris hominibus, ut dixi, præsertim earum Civitatum, quæ per vicos colunt, certa innata & solita sunt, ut per singula ostendisse nec necesse sit, nec clarius possim, adeoque indubitatum est, quidquid antiquitatis & prisci moris gloriæ & libertatis Germanorum Gallorumque superest, id apud Helvetios, aut nullibi reperiri.

CAPUT XIV.

De Diis gentilibus in Gallia Helvetiaque, eorum cultu & religione, Druidumque disciplina & sectis.

Gallorum Dii. Dii in Helvetia culti, sive suis institutis, aut Romanorum consuetudine, quorum sunt dedicationes. Hermesbuchel prope Salodorum. Dea Aventia tota Helvetia celeberrima. Non licuisse Romam vero nomine exprimere. Mos antiquus, laudabilis, & memorabilis expianda idololatriæ. Imperatoribus R. aras, & statuas statutas deorum cœlestium in more. Lugduni, Augusti templum, & ara omnibus Gallis nobilissima. Tria sacrificulorum genera. Poetarum apud Gallos auctoritas. Druydum disciplina, potestas, nomenque. Sacrorum interdictio antiquis Gallis pœne gravissima. Druydum privilegia. Metempsychosis pythagorica Druydibus probata, & qua ex causa. Druydum impietas. Nullum sine Druide sacrificium. Druida aboliti.

NUnc videamus quos coluerint Helvetii deos, nondum Christiana pietate imbuti, & quibus præcipue locis. *Natio est, omnium Gallorum,* inquit Cæsar (a), *admodum dedita religionibus. Deum maxime Mercurium colunt. Hujus sunt plurima simulacra. Hunc omnium inventorem artium ferunt, hunc viarum, atque itinerum ducem, hunc ad quæstus pecuniæ, mercaturasque habere vim maximam arbitrantur. Post hunc Apollinem, & Martem, & Iovem, & Minervam. De his eamdem fere quam reliquæ gentes habent opinionem. Apollinem morbos depellere, Minervam operum atque ædificiorum initia transdere, Iovem imperium cœlestium tenere, Martem bella gerere.* Teutatem quoque & Hesum, & Taramim antiquissimos fuisse Gallis deos Lucani testimonium est scribentis eas quæ Cæsarem sunt secutæ gentes:

> *Et quibus immitis placatur sanguine diro*
> *Teutates, horrensque feris altaribus Hesus,*
> *Et Tharanis Scythicæ non mitior ara Dianæ* (b).

Sed Teutatem eumdem cum Mercurio existimavit Alexander (c), & Hesum Martem, Taramim Palladem ego arbitror apud illam gentem fuisse. Omnes vero hos deos in honore, & cultu Helvetiis fuisse, præter alios, partim inscriptiones, iis diis factæ, partim loca, quæ nomina eorum adhuc retinent testantur. Jovi quidem hæc dedicatio Paterniaci.

IOVI. O...M.
GENIO. LOCI.
FORTVNAE.
REDVCI. D. AP
PIVS. AVGVS
TVS DEDIC.

Fuit & reperta dedicatio facta DEO INVICTO. Saxum quadratum, aræ forma, Aquis, his literis (d).

DEO. INVICTO.
TIB. CASSIVS.
SANCTVS.
ET TIB. SANCTE
IVS VALENS.
L.

Apollinis vero aliæ superant, & ostenduntur, sed hæc Aventici clara (e).

NVMINIB. AVG.
ET. GENIO. COL. HEL.
APOLLINI. SACR.
Q. POSTVM. HYGINVS
ET. POSTVM. HERMES.
LIB. MEDICIS. ET. PROFESSORIBVS.
D. S. D.

Jam Mercurii, præter ejus statuam, quæ integra etiamnum ostenditur Vindonissæ, memoriam occupat adhuc locus extra Salodorum, porta Occidentali, qui Hermes buchel quasi Mercurii collis, nuncupatur, ubi ferro, flammisque quondam, & mille tormentis sanctissimi martyres Victor & Ursus, cum sociis fuere excruciati (f). Mercurium etiam apud Germanos & Saxones in veneratione fuisse testatur Hermisuul, columnam Mercurii interpreteris, cui videlicet idolum innitebatur, Eresburgi, bello, quod cum illa gente habuit, à Carolo M. eversa (g), ut mirum videri possit, quod de Germanis Cæsar prodidit: *Deorum numero eos solos ducunt, quos cernunt & quorum opibus aperte juvantur, solem & Vulcanum & Lunam. Reliquos ne fama quidem acceperunt.* Cornelius sane Tacitus qui de Germanis paullo plura, & forte certiora perscripsit, utpote quæ non solum à patre habere potuit, sed ipse investigare & perquirere, non paucis annis sub Vespasiano procurator Galliæ Belgicæ, longe à Cæsare diversa hac super re tradidit, & non solum Mercurium præcipue apud Germanos cultum, sed alios quoque Deos, memoriæ mandavit. *Deorum,* inquit, *maxime Mercurium colunt, cui certis diebus humanis quoque hostiis litare fas habent. Herculem, ac Martem concessis animalibus placant, pars Suevorum & Isidi sacrificat.* Isidem apud Helvetios cultam; temploque Vettingæ prope Aquas honoratam, hæc dedicatio pro testimonio est.

DEAE. ISIDI. TEMPLVM. A. SOLO.
T. ANVSIVS. MAGIANVS.
DE SUO POSVIT. VIR. AQVENSIS.
AD. CVIVS. TEMPLI. ORNAMENTA
ALPINIA. ALPINVLA. CONIVNX.
ET. PEREGRINA. FIL. DEDERVNT. L. D. D. (h) VICANORVM.

Herculis quidem in Augia majore Veneti laci statua antiquæ artis & cultus admirationi diu spectantibus fuit. Eam Maximilianus Cæsar demum inde transportandam Oenipontem curavit (i). Sed longe celeberrimæ & singularis venerationis, utpote proprii numinis DEA AVENTIA apud Helvetios fuit, ad quam non solum ex Aventicis omnibus, sed etiam ex Tauriacis, sive Tigurino pago, ut inscriptiones ibi relictæ declarant, concursus fieret & omnibus Helvetiæ partibus: Earum aliquas ei deæ consecratas, suprà ubi de Coloniis egimus, in medio explicavimus. Sed quæ ipsa fuerit, aut ejus ratio, numenque sit, difficile adfirmare. Ego eamdem fuisse ejus deæ opinionem, quæ apud Romanos Romæ, arbitror. Romam cultam pro dea una cum Venere genitrice templa, & aris

(a) Comm. VI. (b) Lib. I. Phar. (c) Lib. VI. cap. 4. Genial. (d) Illud Vldaricus Comes à monte forti Tetnacum inde transportavit ann. 1564.

(e) In muro templi indita. (f) Ita solebant Christianos, apud aras, delubra, loca his frequentata impietatibus. (g) Aimo Lib. IV. cap. 69. (h) Locus decreto datus. (i) A. D. N. MDX.

aras habuisse Prudentius manifestavit his versibus (k).

Jamque domo egrediens, ut publica festa, diesque,
Et ludos stupuit, celsa & Capitolia vidit,
Laurigerosque Deum templis adstare ministros,
Ac sacram resonare viam mugitibus, ante
Delubrum Romæ, colitur nam sanguine & ipsa,
More deæ, nomenque loci, ceu numen habetur,
Atque urbis, Venerisque pari se culmine tollunt
Templa, simul geminis adolentur tura deabus.

Nec hujus deæ Romæ nomen sine piaculo, periculoque capitis effari licuit, auctor ex Varrone Servius in illo Virgilii *Romanosque suo de nomine dicet*. *Perite,* inquit, *non ait Romam, sed Romanos. Vrbis enim illius verum nomen nemo vel in sacris enunciat. Denique tribunus pl. quidam, ut ait Varro, hoc nomen ausus enunciare in crucem levatus est.* In eamdem sententiam Macrobius (l). Caussas hujus secreti narravit Plutarchus, in quæstionibus Romanis (m). Ita tutelare Aventiorum, & totius Helvetiæ numen hujus deæ Aventiæ, incomperto alio nomine, cultum fuisse mihi sane persuadeo. Locus ubi deæ templum, & cerimoniæ, in colliculo fuit, supra Aventicum, ubi postea Monachorum collegium conditum, & nomen Munchvvyler, quasi Monachorum villam dicas, nos alibi Villariam vocavimus, & de eo antea in Aventico. In more enim fuisse positum, ut ubi dæmonum templa & culturæ celebriores fuissent, expiatis ritè impietatis reliquiis, ibidem pro delubris, Ecclesiæ; pro idolis, sanctorum & martyrum reliquiæ: pro sacrificulis, monachi, aut sanctitate & moribus præclari viri constituerentur, ex Eunapio Sardiano manifestum est, qui ubi Serapidis Alexandriæ templi longè nobilissimi exscidium deplorat, quod à Bessarione abbate multo ante prævisum, & prædictum, demum tempore Theodosii M. contigit, quo tempore idololatria funditus è medio sublata est (n), Ruffino teste (o) & Theodoreto (p), in eam consuetudinem, ut homo ethnicus & improbus, qui tamen nostro hoc miserabili ævo sectatores & laudatores nactus est, acerbissime & calumniosissime invehitur. Vbi illud Serapidis delubrum constiterat, templum collocarat Theophilus Episcopus Alexandrinus, tit. S. Joannis Baptistæ, additis ex Thebaide monachis. Sed id quoque in Helvetia conservatum, ut ubi idololatriæ majus exercitium fuisset, frequentiorque Dei Opt. Max. contemtus & injuria, ibidem sacræ ædes, Collegia, & monasteria Christiana conderentur; quæ Aventici & Paterniaci fuerunt, nunc Salodori, Vettingæ, Muri juxta Vindonissam, in Augia Majore, Veneti lacus & aliis Helvetiæ locis clarissima frequentantur, testimonium reddere possunt. Atque antiquorum deorum, & primorum, veluti gentium cultura hæc fuit: postea ex hominibus, Imperatoribus, inquam, Romanis in illud deorum concilium admissi, interque divos relati, templa & aras, flamines & sodales etiam promeruere. Augusto quidem Lugduni templum, & ara omnibus Galliarum gentibus nobilissima, de qua Strabo (q). *Lugdunum,* inquit, *sub colle conditum, ubi Arar in Rhodanum incidit, Romani obtinent. Post Narbonem hac urbs maxime omnium Gallicarum hominum frequentia pollet. Præfecti enim Romanorum eo utuntur emporio, monetamque ibi tam auream, quam argenteam cudunt, & templum ab omnibus, communi sententia, Gallis decretum Cæsari Augusto hac in urbe ad concursum fluviorum positum, aram habet memorabilem, cum inscriptione gentium LX. & imagine singulorum.* Item Livius (r): *Ara Cæsari ad confluentem Araris & Rhodani dedicata.* Apud eam aram dies festos agitare solitos Gallos, meminit Dio (s), de Druso verba faciens. *Hic,* ait, *cum Sugambri, eorumque socii, propter absentiam Augusti, ac quia videbant Gallos jugum servitutis gravatim ferre, bellum movissent, Gallorum primoribus, sub prætextu ejus festi, quod hodie* (t) *etiam Lugduni ad aram Augusti celebratur, evocatis, motum subditorum præoccupavit.* Ludos etiam ibidem habitos & certamina Græcæ & Latinæ literaturæ auctor Suetonius de Caligula: (u) *Edidit & peregre spectacula, in Sicilia Syracusis hasticos ludos, & in Gallia Lugduni miscellos* (x), *sed & certamen quoque Græcæ latinæque facundiæ. Quo certamine ferunt victoribus præmia victos contulisse, eorumdem & laudes componere coactos. Eos autem qui maximè displicuissent, scripta sua spongia, linguave delere jussos, nisi ferulis objurgari, aut flumine proximo mergi maluissent*, unde illud Satyrici, ex interpretum sententia:

Aut Lugdunensem Rhetor dicturus ad aram (y).

His vero sive ludis sive festis præfuisse ex singulis gentibus certos qui IIIIII viri Augustales dicerentur, plura non solum apud Helvetios, sed in reliqua Gallia epigrammata testantur. Villariæ loco sæpius memorato.

D. M.
L. CAMILLIVS.
FAVSTVS.
IIIIII VIR. AVG.
VIV. FECIT.
IN. ANNO. LXX.
VIXIT. ANNIS.
LXXXXI.

OTACILIAE FA
VENTINAE VXO
RI M. OTACILIVS
IIIIII VIR AVG.
B SAVIVA

Lugduni vero, præter alia, hoc ostenditur ad portam Ecclesiæ S. Joannis.

D. M.
CALVISIAE. VRBICAE. ET.
MEMORIAE. SANCTISSIMAE.
P. POMPONIVS. GEMELLINVS
IIIIII VIR. AVG. LVGVD.
CONIVGI. CHARISSIMAE.
ET. INCOMPARABILI.
POSVIT.

Fuisse præterea flamines, sacerdotes, & ejus generis, ex superius allatis inscriptionibus facile quivis perspicere potest. Antiquitus qui sacris deorum præerant apud Gallos, Trium ordinum homines fuere, Druidæ, Bardi, & quos Vates Strabo (z), Eubages Ammianus (a), Saronidas Diodorus (b) vocavit. Bardi quidem fortia virorum illustrium facta heroicis composita versibus cum dulcibus lyræ modulis cantitare solebant. Unde Lucanus (c):

Vos quoque qui fortes animas, belloque peremtas,
Laudibus in longum vates demittitis ævum,
Plurima securi fudistis carmina Bardi.

De horum in bellis auctoritate Diodorus. *Poeta,* inquit, *tanti apud eos,* Gallos, *fiunt, ut cum instructa acie exercitus eductis ensibus jactisque jaculis propinquant, non solum amici sed hostes quoque eorum interventu à pugna conquiescant.*

H Ita

(k) Lib. contra Simmach. (l) In Saturnal. (m) Quæst. LXI. (n) A. D. N. CCCLXXXIX. (o) Hist. Trip. Lib. IX. (p) In vita Ædesii Philosophi. (q) Lib. IV. (r) Lib. CXXXVII. A. V. C. DCCXLIII.

(s) Lib. LIV. (t) Sub Severo Imp. quo hæc scripta. (u) In vita ejus cap. 20. (x) De hac voce doctiss. Torrentius in suis comm. (y) Juvenal. Satyr. I. (z) Lib. IV. Geog. (a) Lib. XV. hist. (b) Lib. VI. Biblioth. (c) Lib. I. Pharsal.

Ita apud agreſtiores barbaros ira cedit ſapientiæ, Mars reveretur Muſas. Eubages ſacrificare rerumque arcana & naturæ ſublimia pandere conabantur. *Inter hos*, inquit Ammianus (d), *Druides ingeniis celſiores, ut auctoritas Pythagoræ ſtatuit, ſodalitiis adſtricti conſortiiſque, quæſtionibus occultarum rerum altarumque erecti ſunt, & deſpectantes humana pronunciant animos immortales.* Eadem tradiderat Strabo, & ante utrumque Jul. Cæſar. Strabo quidem: *Druidæ præter hanc*, naturæ ſcilicet & cœleſtium, *Philoſophiam etiam de moribus diſputant. De horum juſtitia ſumma eſt omnium opinio. Itaque & publica iis & privata judicia committuntur, & aliquando cauſſis bellorum diſceptandis jam acie congreſſuros compoſuerunt, maxime judicia de cæde iis commiſſa ſunt, cumque horum multus eſt proventus agrorum quoque fertilitatem conſequi putant. Tum hi tum alii*, Eubages & Bardi, *animam interitus expertem ſtatuunt & mundum. Aliquando tamen ignem & aquam ſuperatura.* Multo luculentius & pluribus Cæſar (e). *In omni Gallia*, iuquit, *eorum hominum, qui in aliquo ſunt numero atque honore, genera ſunt duo. De his duobus generibus alterum eſt Druidum, alterum equitum. Illi rebus divinis interſunt, ſacrificia publica ac privata procurant, religiones interpretantur. Ad hos magnus adoleſcentum numerus diſciplinæ cauſſa concurrit, magnoque ii ſunt apud eos honore. Nam fere de omnibus controverſiis publicis privatiſque conſtituunt, & ſi quod eſt admiſſum facinus, ſi de hæreditate, de finibus controverſia eſt, iidem decernunt. Præmia pœnaſque conſtituunt. Si quis aut privatus aut populus eorum decreto non ſtetit, ſacrificiis interdicunt. Hæc pœna apud eos eſt graviſſima. Quibus ita eſt interdictum, ii numero impiorum ac ſceleratorum habentur, ab iis omnes decedunt, aditum eorum ſermonemque defugiunt, ne quid ex contagione incommodi accipiant, neque iis petentibus jus redditur, neque honos ullus communicatur. His autem omnibus Druidibus præeſt unus, qui ſummam inter eos habet auctoritatem. Hoc mortuo, ſi quis ex reliquis excellit dignitate, ſuccedit. At ſi ſunt plures pares, ſuffragio Druidum adlegitur, nonnunquam etiam de principatu armis contendunt. Ii certo anni tempore in finibus Carnutum, quæ regio totius Galliæ media habetur conſidunt in loco conſecrato. Huc omnes undique qui controverſias habent conveniunt, eorumque judiciis decretiſque parent. Diſciplina in Britannia reperta atque inde in Galliam tranſlata eſſe exiſtimatur, & nunc qui diligentius eam rem cognoſcere volunt, plerumque illo, diſcendi cauſa proficiſcuntur. Druides à bello abeſſe conſueverunt, neque tributa una cum reliquis pendunt. Militiæ vacationem, atque omnium rerum habent immunitatem. Tantis excitati præmiis & ſua ſponte, multi in diſciplinam conveniunt, & à propinquis parentibusque mittuntur. Magnum ibi num. verſ. ediſcere dicuntur. Itaque nonnulli annos vicenos in diſciplina permanent, neque fas eſſe exiſtimant ea literis mandare, cum fere in rebus publicis privatiſque rationibus Græcis literis utantur. Id mihi duabus de cauſſis inſtituiſſe videntur, quod neque in vulgus diſciplinam efferri velint: neque eos qui diſcunt literis confiſos minus memoriæ ſtudere, quod fere plerique accidit, ut præſidio literarum diligentiam in perdiſcendo ac memoriam remittant. In primis hoc volunt perſuadere: Non interire animas, ſed ab aliis poſt mortem tranſire ad alios, atque hoc maxime ad virtutem excitari putant, metu mortis neglecto. Multa præterea de ſideribus, atque eorum motu, de mundi ac terrarum magnitudine, de rerum natura, de deorum immortalium vi ac poteſtate diſputant, & juventuti tranſdunt.* Hactenus Cæſar. Hac quoque ſuper re eleganter & docte Lucanus:

> *Et vos barbaricos ritus moremque ſiniſtrum*
> *Sacrorum Druidæ poſitis repetiſtis ab armis,*
> *Solis noſſe deos, & cœli numina vobis,*
> *Aut ſolis neſcire datum: nemora alta remotis*
> *Incolitis lucis. Vobis auctoribus umbræ*
> *Non tacitis Erebi ſedes Ditiſque profundi*
> *Pallida regna petunt: regit idem ſpiritus artus*
> *Orbe alio. Longæ canitis ſi cognita vitæ,*
> *Mors media eſt. Certe populi, quos deſpicit Arctos,*
> *Felices errore ſuo, quos ille timorum*
> *Maximus haud urget, leti metus, inde ruendi*
> *In ferrum mens prona viris, animæque capaces*
> *Mortis, & ignavum eſt rediture parcere vitæ.*

Diodorus: *Increbuit apud eos Pythagoræ ſententia, quæ dixit, animas hominum eſſe immortales, rurſuſque eas defunctis corporibus poſt certum tempus in alia corpora eſſe reverſuras. Ob hanc cauſſam in defunctorum pyras, epiſtolas ſcriptas quidam conjiciunt, tamquam eas mortui ſint lecturi* (f). Quam vero Druidum impia pietas fuerit, apertum abinde, quod humanis victimis plerumque litarent. Vnde ſuperius *immitem Theutatem* vocavit Lucanus, *horrentem Heſum, aram Tharanis non mitiorem ara Scythicæ Dianæ*. Dianam enim Tauricam hominum ſacrificiis coli ſolitam, peregrinorum maxime plures tradidere Strabo (g), Ovidius (h), Lucianus (i), alii. Cæſar: *Natio eſt omnium Gallorum admodum dedita religionibus, atque ob eam cauſſam qui ſunt affecti gravioribus morbis, quique in prœliis periculiſque verſantur, aut pro victimis immolant homines, aut ſe immolaturos vovent, adminiſtriſque ad ea ſacrificia Druidibus utuntur, quod pro vita hominis, niſi vita hominis reddatur, non poſſe deorum immortalium numen placari arbitrantur, publiceque ejus generis habent inſtituta ſacrificia. Alii immani magnitudine ſimulacra habent, quorum contexta viminibus membra vivis hominibus complent, quibus ſuccenſis circumventi flamma exanimantur homines. Supplicia eorum, qui in furto aut latrocinio aut aliqua noxa ſint comprehenſi gratiora diis immortalibus eſſe arbitrantur. Sed cum ejus generis copia defecit, etiam ad innocentium ſupplicia deſcendunt.* Horum ſacrificiorum explicate mentionem fecit etiam Diodorus. *Vtuntur*, inquit, *inſuper & divinatoribus, qui apud eos, cum & auguriis & ſacrificiis futura prædicant plurimi æſtimantur, omni eis obtemperante plebe. Cum vero de rebus magnis conſultant mirabilem incredibilemque ſervant conſuetudinem. Jugulant enim ante hominem, quo decidente tum ex caſu, tum ex membrorum laceratione, tum etiam ex ſanguinis fluxu, ex quadam antiqua rerum obſervatione norunt futura. Eſt apud eos moris nullum abſque Philoſopho ſacrificium facere. Exiſtimant enim per divinæ naturæ conſcios ſacra fieri oportere, tanquam Dei propinquos, horum interceſſione bona ab diis cenſent petenda.* Et Strabo. *Homines*, inquit, *ſacris devotos gladio tergum percutientes, ex ejus palpitatione futura ariolabantur. Sacris ſemper aderant Druidæ. Quin & aliæ hominum immolationes feruntur. Quoſdam enim ſagittis configebant, aut in crucem agebant, ac fæni coloſſo extructo ſigno pecudes, & omnis generis beſtias, ac homines immolabant.* Claudius demum hanc Druidarum impietatem & ſacrilegia penitus ſuſtulit; auctor Suetonius (k). *Druidarum*, inquit, *religionem apud Gallos diræ immanitatis, & tantum civibus ſub Auguſto interdictam, penitus abolevit.* Plinius (l) Druidas ſub Tiberio prohibitos & ſublatos memoriæ mandavit, cui adſentiri videtur Strabo qui ſub Tiberio ſcripſit. *Romani eos* (Druidas) *& ab his* (hominum immolationibus), *deduxerunt & à ſacrificandi & divinandi ritibus, qui noſtris repugnabant.* At ſane quæcumque fuerint hæ abolitiones, aut prohibitiones ſatis compertum eſt Druidas, eorumque diſciplinas, & divinamenta ad Diocletianum uſque & ultima tempora viguiſſe. Neronis quidem imperio certum ex Tacito (m): *Druidæ*, inquit, *circum preces diras ſublatis ad cœlum manibus fundentes, novitate adſpectus perculere militum animos.* Itemque ſub Veſpaſiano, cujus Imperii primordiis

(d) Lib. eodem XV.

(e) Comment. VI.

(f) De Druidib. plura Alexander lib. III. IV. VI. Genialium.

(g) Lib. V.

(h) Lib. de Ponto.

(i) Dialog. Phitia.

(k) In Claudio cap. 25.

(l) Lib. III. cap. 1.

(m) Lib. XIV. Annal.

mordiis conflagrarat capitolium. Idem Tacitus de eodem incendio disserens locupletissimus auctor (n): *Captam olim à Gallis urbem sed integra Jovis sede mansisse imperium. Fatali nunc igne signum cœlestis iræ datum, & possessionem rerum humanarum Transalpinis gentibus portendi, superstitione vana, Druidæ canebant.* Alex. Severo optimo principum ad bellum Britannicum eunti mulier Drujas exclamavit Gallico sermone, *vadas, nec victoriam speres, nec militi tuo credas*, teste Lampridio (o). Gallicanas quoque Druidas consuluisse Aurelianum Imp. meminit Fl. Vopiscus (p). Diocletiano denique Imperium prædictum & promissum à Druide, cum aprum interemisset idem Vopiscus testatus est (q). Ut omnino clarum sit has Druidum sectas non nisi sub Constantino M. qui idem orbem pariter inveteratis erroribus & sacrificandi sceleribus perpurgavit, esse desisse.

(n) Lib. IV. hist. (o) In ejus Imper. vita. (p) In ejus Vita. (q) In Numeriano.

CAPUT XV.

De conversione Helvetiorum ad fidem Christianam, & qui primi, aut sanctitate præcipui in Helvetia ejus religionis viri.

Petrus Apostolus primus Helvetios convertit. Beatus in Helvetia à Petro Apost. constitutus Episcopus & doctor. Beatus in Helv. mortuus. Beatus Luceriam translatus. Incertum qui post Beatum in Helvetia præfuerint. S. Lucius Angliæ rex. Sigismundus rex Burg. Et Guntrannus Franciæ & Burgund. Rodolphus Burg. rex ex posteriore stirpe. S. Fridolinus. S. Severinus. S. Columbanus & ejus discipuli. Allemanni & pars Helvetiorum adhuc sub Justiniano Imp. idololatræ. Victi ab illis prælio Tolbiaco, & libertate spoliati. S. Romanus & S. Lupicinus. Loca Jurensia quæ fuerint. S. Eugendus. S. Pirminius. S. Fundanus. SS. Episcopi in Helvetia plures. S. Uldaricus. S. Cunradus. Tota Helvetia Thebæorum martyrum sanguine consecrata. S. Mauritius protector Helvetiæ. S. Florentinus & Hilarius. Beatus Nicolaus Eremita.

DE diis in Gallia Helvetiaque cultis hactenus pauca pro instituto disputavimus, jam qui primi contra has impietates disseruerint, Christumque unicum humani generis vindicem, & doctorem auctoremque Helvetiis annunciaverint, operæ precium facturum credo, si breviter exposuero. In eo ferme conveniunt scriptores BEATVM fuisse Anglum Sacerdotem, qui primus apud Helvetios publice Christi mentionem habuerit, missum à Petro Apostolorum principe Roma in eam regionem. Sed mihi attentius ista perquirenti videtur aliud initium fuisse ipsumque adeo PETRVM fuisse, qui ut alias nationes ita Helvetios de fide, & vera religione primus docuerit, peregrinatione illa quam ad orbis ultimos Britannos suscepit. Britannis Evangelium annunciasse memoriæ tradidit Simon (a) cui Metaphrastis cognomentum. Et credibile est, illa quam Claudius Cæsar contra illam gentem expeditionem habuit (b), comitem se Apostolum addidisse maxime orbis agnoscendi, cui universalis cura & imperium relictum & piscationis pelagi profunditatem perquirendi gratia, cum jam superioris anni initio, ejusdemque Imperatoris II. ex Suria in Italiam appulisset, Cathedræque culmen & principatum ROMAE fixisset. In illa vero Britannae Insula multos sibi PETRVM Socios & discipulos parasse crediderim, quos variis postea gentibus & nationibus dederit, aut reliquerit Apostolos & Episcopos. Omnes namque Ecclesias Italiæ, Galliæ, Hispaniæ, Africæ, Siciliæ & vicinarum insularum à Petro, & ejusdem discipulis conditas & propagatas esse, testatus est Innocentius. Ex iis Beatum Helvetia obtinuit, & ejus socium Achatem. Beato antequam sacris Christianis initiaretur, Suetonius fuit nomen. Multæ pietatis & sanctimoniæ, miraculisque clarus diu apud Helvetios præcipue pago Aventico & Urbigeno Apostoli Christi munere defunctus est. Ultimo se in solitudinem recepit, apud Interlacenses pagi Urbigeni locum nactus, cum inde draconem sævissimum & nocentissimum crucis signaculo expulisset, eam quam tenuerat rupem & speluncam pro tecto usurpavit, ibique longa ætate confectus vitam deposuit, sub initium Imperii Trajani, quo etiam tempore (c) Joannes Apostolus & Evangelista, ultimus Apostolorum, mortuus, sive translatus est, Helvetiis ab omni antiquitate cultu & veneratione longe celeberrimus. Ejus demum Beati sacræ reliquiæ, ubi religio mutavit, patrum memoria inde Luceriam translatæ, non minore in honore sunt, quamquam & ejus memoria apud Interlacus Catholicis non omnino obliteravit. Ibidem & Achates mortuus & sepultus est. De quibus dicerem plura, nisi præstitisset piissime & doctissime R. P. Petrus Canisius è Societ. Jesu Theologus (d), cui Helvetios suum Apostolum aliosque patronos merito acceptos referre fas est. Quos Beatus in Helvetia reliquerit successores & discipulos, quique post eum Christianæ religioni præcipue incubuerint, non ita exploratum est. Nam & sævissimæ deinde in Gallia, sub Antoninis, Aureliano, & denique Maximiano persecutiones fuerunt, & eodem tempore Christianorum Scriptis, & omnibus primæ & antiquæ veræ pietatis instrumentis incensis eorum pariter memoria apud homines prope exstincta est. Postquam vero persecutionum procellæ deferbuerunt, Constantinique Imperio fides confirmata est, Helvetia viris sanctitate & miraculis conspicuis numquam caruit. Imo etiam reges & principes inter Divos consecravit. Et Lucius quidem qui primus Britanniæ Regum Christianismum amplexus, tempore (e) Eleutherii PP. sub Antonino Vero & Lucio fratre AA. in Rhætia & pago Tigurino strenuum se Evangelii præconem, cum hac de caussa regno abiisset, gessit, & apud eas gentes vita solutus est, aut potius martyrio adfectus. Postea Sigismundus (f) & Guntrannus (g) reges, hic quidem ex stirpe Francorum, ille origine Burgundus, miraculis frequentibus in Helvetia claruerunt, eorumque etiam in Romana Ecclesia memoria memorabilis (h). Exeadem Burgundionum stirpe regum posteriorum magnis virtutibus effulsit Rudolphus II. qui Paterniaci sepultus est (i). Ante hos tres sub Clodoveo primo regum Francorum Christiano Fridolinus gente Hybernus, stirpe regia, in Helvetia diu versatus, Christi nomen fidemque multis rebus divinitus patratis adseruerat, Glaronensemque regionem & viciniam partim converterat, partim in fide suscepta confirmaverat. Severinus apud Agaunenses & Antuates, eodem tempore, in magna virtutis fama. Nam & Clodoveum à diutina infirmitate liberavit, & in Gallia in castro Nantonis, cum ante discessum suum prædixisset, cum miraculis sepultus est (k). C. Hildebertus rex, memor beneficii quod in patrem contulerat, basilicam magnificam

H 2

(a) In Petri vita. (b) Dio Lib. LX. Suetonius. Ann. U. Cond. DCCXCV. Anno Dom. Nat. XLIV.

(c) Anno Dom. Nat. XCIX. circiter. (d) Scripsit historiam Thebaicam, Beatum Fridolinum, & Itam comitissam. (e) Anno Dom. Nat. CLXXVII. (f) A. Dom. Nat. DXV. (g) An. Dom. Nat. DXCVII. (h) M. R. Guntranni 28 Martii, Sigismundi Kal. Ma. natales agit. (i) Anno Dom. Nat. DCCCCXXXV. (k) Obiit Anno Dom. Nat. DXIV.

ficam ibidem aedificavit, & Sancti reliquias praecipuo honore prosecutus est (l). Postea Columbanus & ipse Hybernus pulsus Luxovio à Theodorico Rege, fraude Brunechildis, cum discipulis se in Helvetiam recepit (m) diuque apud Helvetios, qui nec dum idolorum penitus exuerunt cultum, Tauriaci praesertim, sive pagi Tigurini incolae, Christi fidem & divinitatem comprobavit, daemonumque fraudes & improbitatem detexit, Tucconiae primo qui in capite laci Tigurini vicus, unde ab idololatris pulsus, Arbonae & toto eo Acronii latere, Valafredo teste. Demum in Italiam profecturus Gallum magni magistri magnum discipulum reliquit, qui Magnum & Othmarum, aliosque plures vita & factis memorabiles successores habuit, quorum proinde celebritas & memoria clarior est, quam à me pluribus verbis lucem accipiat, & alio loco alia adjiciemus. Hoc autem tempore (n), hoc est, sub Justiniano Imp. Allemannos, quorum Tauriacus pagus possessio erat, idololatras fuisse, testatur Agathias, qui ejus Imperatoris res gestas & quae eo tempore evenerunt, scripto mandavit, qui ubi de ea gente sermo: *Huic genti* (Allemannorum) *legitima quaedam*, inquit, *& patria instituta sunt. Siquidem in rebus publicis administrandis, & magistratibus Francorum sectantur politiam & leges: in his tamen quae ad Deum & religionem spectant, ab his longe dissentiunt. Nimirum qui Arbores quasdam adorent, propitientque nec secus & fluminum* (o) *aquas, collesque & saltus, quibus perinde religiose equos & boves, & infinita hujusmodi pecora, desectis cervicibus immolant. Sed cum Francis* (p) *assidua conversatio maximum his in modum conducit, & ornamenti plurimum adfert*. De hac Allemannorum religione an impietate illa Claudiani praestabilis poetae capienda, cum Stiliconis in Galliam adventu inter cetera effectum ait (q):

> *Vt procul Hercinia per longa silentia silva*
> *Venari tuto liceat, lucosque vetusta*
> *Religione truces & robora, numinis instar*
> *Barbarici, nostrae feriant impune bipennes.*

Ea super re multo ante utrumque Scriptorem Cornelius Tacitus (r), de Suevis, ex quibus Allemanni, verba faciens: *Vetustissimos*, inquit, *se nobilissimosque Suevorum Semnones memorant. Fides antiquitatis religione firmatur. Stato tempore in silvam auguriis patrum & prisca formidine sacram omnes ejusdem sanguinis populi legationibus coeunt, caesoque publice homine celebrant barbari ritus horrenda primordia. Est & alia luco reverentia. Nemo nisi vinculo ligatus ingreditur, ut minor & potestatem numinis prae se ferens, si forte prolapsus est, attolli & insurgere haud licitum, per humum evolvuntur. Eoque omnis superstitio respicit, tamquam inde initia gentis, ibi regnator omnium Deus, cetera subjecta atque parentia.* His quoque sacrilegiis deditos fuisse ante Clodoveum Francos, auctor locuples Gregorius Turonensis (s) Episc. *Sed haec*, inquit, *generatio fanaticis semper cultibus visa est obsequium praebuisse, nec prorsus agnovere Deum, sibique silvarum atque aquarum, avium bestiarumque & aliorum quoque elementorum finxere formas, ipsasque ut Deum colere, eisque sacrificia delibare consueti*. Quo magis nos devinctos obligatosque merito tenere debemus iis viris, qui vitae integritate & innocentia conspicui, Zeloque divino & nostrae salutis amore incensi, tantis laboribus periculisque antiquatis & condemnatis his nefariis religionibus ad veram & sinceram pietatis & fidei viam & rationem vel invitos pertraxere. Romani & Lupicini Abbatum sanctitas adeo in confesso est, ut dies festos & natales (t) in ECCLESIA ROMANA etiam meruerint. De iis enim ita scriptum: *In territorio Lugdunensi locis Jurensibus depositio S. Romani Abbatis, qui primus illic eremiticam vitam duxit, & multis virtutibus & miraculis clarus plurimorum extitit pater monachorum*. Postea: *In territorio Lugdunensi S. Lupicini Abbatis cujus vita sanctitatis & miraculorum gloria fuit illustris*. Fratres hos fuisse constat ex Gregorio Turonensi, qui eorum res gestas complexus est. Sed quae loca illa fuerint Jurensia, in quae concesserunt eremiticam vitam ducturi, à nemine adhuc satis explicatum est. Vnde factum est, ut alii *locis virentibus* scripserint, Vsuardus, Ado, Beda; alii *locis Lorensibus*, ut idem Gregorius (u). Mihi nullum dubium est quin *locis Jurensibus* in Martyrologio R. recte adnotatum sit. Ea loca esse dico, quae postea à S. Claudio, qui relicto Archiepiscopatu Bisuntino eo concesserat (x) Abbatisque munus obtinuerat, ibique vita defunctus est, nomen & monasterium S. Claudii sortita sunt, in Comitatu Burgundiae, frequentia hominum & peregrinationibus, non ex Helvetia solum, sed Gallia universa etiam nunc longe celeberrima. Nam de Eugendo horum discipulo & ibidem Abbate, ita quoque scriptum (y): *In territorio Lugdunensi, monasterio Jurensium, S. Eugendi Abbatis, cujus vita virtutibus & miraculis plena refulsit*. Et ex ejusdem Eugendi vita ab ejus discipulo scripta qui Agauni monachum transegit (z), satis clarum est, non esse alium locum quam eum quem dixi D. Claudii, cum non procul à Geneva sive Gebenna in territorio Lugdunensi constituatur. Denique quis melius ipso Gregorio dissignavit. *Porro*, inquit, *Lorensis eremus* (scribo Jurensis) *inter Allemanniam & Burgundiam sita Aventicae adjacet Civitati*. Haec ego de locis Jurensibus pluribus quatenus doctissimos viros Molanum Baroniumque (a) nihil hac super re certi constituere potuisse reperio. Floruerunt hi sancti patres omnes Chilperici Francorum regis tempore (b), qui monasterium Jurense primus reditibus & necessitatibus ad sustentationem fratrum, quos iis regionibus collegerant, locupletavit, procurante non sine miraculo eodem Lupicino, teste supra memorato Greg. Pirminius sub Martello Majore Franciae Majorem Augiam perpurgavit, ibidemque monasterium condidit (c), cum ante Fungi in Helvetia ad Tosam f. ubi adhuc ejus viget memoria, Fons S. Pirminii, diu egisset, variaque per Helvetiam miracula edidisset. Eodem tempore aut non multo post, celebris in Helvetia quoque viguit S. Fundanus, qui Rhinovii sepultus est. Multi alii fuerunt in monasteriis, praesertim Agauni, sive D. Mauritii & S. Galli, sanctitate & moribus viri egregii, nec defuerunt in Helvetia Episcopi toto orbe noti, & commendati Protasius, Superius, Marius, Aventicorum: Bubulcus, Grammatius, Maxentius, Vindonissenses: Domitianus, Maximus, Genevenses: Rusticus, Theodolus, Octodurenses: Asimo, Puritius, Curienses & alii plurimi, quos enumerare nihil attinet. Vltarici tamen Comitis Kiburgii in Helvetia nati & educti, postea Augustae Vindelicorum Episcopi, memoriam praeterire non potui, sicuti nec Conradi Constantiensis. Jam (d) tota Helvetia Thebaeorum martyrum sanguine irrigata & consecrata est. Ejus proinde legionis Dux Mauritius merito ubique Friburgi, Salodori, Luceriae, alibi, praecipuo in honore est, interque Helvetiorum patronos & tutelares Divos primum & potissimum locum sibi vindicare potest. Celebrant praeterea Sedunenses Florentinum & Hilarium martyres, qui a Vandalis cruciamenta multa pertulerunt, & post linguae abscissionem, quae confessionis instrumentum erat, gladio (e) percussi sunt. Superiori demum seculo protulit Helvetia apud Silvanios Nicolaum Eremitam, cujus vitae integritudinem & continentiam summa animorum contentione admirari & obstupescere magis convenit, quam ingeniorum culpa deterere. Satis enim constat annos viginti nullo humano cibo transegisse, solo SS. Eucharistiae sacramento quintodecimo quoque die sumto contentum (f). Passim ejus circumferuntur acta, oracula, & admonita, quibus si obedire, quam quorumdam novitates amplecti, non pauci Helvetiorum praeoptassent, non ea animorum religionumque dissensiones essent, & Helvetia nihil clarius, nihil formidabilius sustineret orbis.

FRANCISCI

(l) Surius Tom. I. (m) A. D. N. DCXVI. (n) DXXX. (o) Quondam Graeci Romanique Nymphas Najades, Dryades, Oreades. (p) Qui jam post Clodoveum magnam ex parte Christiani. (q) Panegyr. I. in Stiliconem. (r) Lib. de moribus German. (s) Lib. II. hist. Franc. cap. 10. (t) M. R. prid. Kal. Mart.

(u) Lib. I. De vita patrum. (x) A. D. N. DCXXX. (y) M. R. Kal. Jan. (z) Surius Tomo I. (a) In utriusque martyrologio. (b) A. Dom. Nat. DLXV. (c) A. Dom. Nat. DCCXXIV. (d) Anno D. Nat. CCLXXXVI. (e) A. D. N. CCCCXII. (f) Obiit A. D. Nat. MCCCCLXXXVII. 21. Martii, aetatis anno LXX.

FRANCISCI GUILLIMANNI
DE REBUS HELVETIORUM
LIBER SECUNDUS.

CAPUT I.

De rebus gestis in Helvetia & circa eam C. Jul. Cæsaris & Augusti tempore, reliquorumque ejus familiæ Impp. Bello Rhætico & Vindelico, aliisque Germanicis.

Gallia a Cæsare subacta & in provinciam redacta. Galliæ stipendium. Successores Cæsaris in Gallia. Plancus primus cum Rhætis bellavit. Provinciarum R. inter triumviros divisio I. Divisio II. Divisio III. Augustus Gallias composuit. Lolliana clades. Bellum Rhæticum. Rhætiæ situs. Crudelitas Rhætorum. Drusus contra Rhætos. Et postea Tiberius. Rhæti victi. Ex natali solo deducti. Rhætiæ limites. Walenstad. Tertia. Quarta. Quinta. Castra. Bellum Vindelicum. Lindaugia. Drusi & Tiberii gesta contra Germanos.

CAI. JUL. CÆSAR. IMP. I. P. R. (a).

CAJUS Jul. Cæsar, qui postea republica oppressa Imperium R. unius arbitrio subjecit per novem annos res in Gallia gessit. Primus (b) in Helvetio & Germanico bello consumtus: Decimum in Pompejum M. & ejus factionem contulit, Galliis subactis, eisque & Britanniæ tributo imposito, qua de re Vellejus (c): *Gallia ductu, auspiciisque Cæsaris infracta, pæne idem, quod totus orbis, ignavum conferunt stipendium.* Et Suetonius (d): *Omnem Galliam quæ à saltu Pyrenæo & monte Gebenna, flumine Rheno & Rhodano continetur, patetque circuitu ad bis & tricies centum millia passuum, præter socias & bene meritas civitates in provinciæ formam redegit, eique in singulos annos stipendii nomen imposuit.* Quadringenties sestertium fuisse hoc nomen, sive aureorum nostratium decies centena millia auctor Eutropius (e). Cæsari in Galliæ administratione L. Domitius Ænobardus successor à Senatu datus (f). Sed patrato civili bello Galliam Cisalpinam, sive Togatam D. Bruto; Transalpinam, sive Comatam L. Munatio Planco regendas idem Cæsar Dictator tradidit (g). Plancus, Cæsare jam interfecto, Hirtio & Pansa coss. Senatus decreto, ad confluentem Rhodani & Araris Lugudunum: ad Rhenum Rauricam (h) colonias deduxit. Bellum eadem occasione primus cum Rhætis, qui Helvetiam & Sequanos Rauracosque (i) vexabant, gessit, & de eisdem IV. Kal. Jan. eodem anno & Coss. triumphavit. Testis horum, præter tabulas Capitolinas triumphales & Dionem (k), inscriptio quæ Cajetæ esse traditur ab iis, qui has antiquitatis reliquias collegerunt, in hæc verba.

L. MVNATIVS. L. F. L. N. L. PRON. PLANCVS.
COS. CENS. IMP. ITER.
VIIVIR. EPVL. TRIVMPH. EX. RHETIS.
AEDEM SATVRNI. F. DE MANVBIIS.
AGROS. DIVISIT. IN. ITALIA. BENEVENTI.
IN GALLIA. COLONIAS. DEDVXIT. LVGV
DVNVM ET RAVRICAM.

De hujus Planci triumpho, ut & M. Lepidi qui Galliam Narbonensem administraverat, ita Vellejus. *Lepidus IIIvir Paullum fratrem proscripsit. Planco non defuit gratia ad impetrandum, ut frater ejus Plancus Plotius proscriberetur; eoque inter jocos militares, qui currum Lepidi, Planciique secuti erant, inter exsecrationem civium usurpabant hunc versum.*

De Germanis (l) non de Gallis duo triumphant Consules. Erant autem consules designati, & sequenti anno iniere.

IIIVIRI. (m)

Sed eodem anno IIIviri reipub. constituendæ M. Lepidus, Octavianus Cæsar & M. Antonius in proximum quinquennium creati, cum, quam componere debebant, per vim invasissent, Romanas inter se provincias (n) ita diviserunt, ut Lepidus Narbonensem cum Hispaniis: Cæsar Africam Siciliamque & Sardiniam insulas sortiretur: Antonius utramque Galliam quæ cis & ultra Alpes. *Hæc*, inquit Dio, (o) *ita sortiebantur, ut & ipsi validissimas provincias haberent, & aliis opinionem de se præberent, quasi non omnia appeterent.* Fusis dein & oppressis Romanæ libertatis vindicibus Bruto & Cassio Pharsalia pugna Antonius & Cæsar, jam Lepido clariores, qui bello non interfuisset, statim imperium rursum diviserunt (p). Et Cæsari quidem Hispania & Numidia: Antonio Galliæ & Africa adsignatæ sunt, ea quidem condicione, ut si ægre ferret Lepidus, Africam ipse obtineret. Hæ vero tantum provinciæ in hanc formam divisæ, quod Siciliam & Sardiniam Sextus Pompejus occupasset, ceteræ non-dum

I

(a) Imperavit an. IV. menses 2. dies 15. (b) A. V. C. DXCV. (c) Vol. II. (d) In Jul. Cæs. (e) Breviario VI. (f) A. V. C. Iↄ ccıv. (g) A. V. C. Iↄ ccx.

(h) Augst. supra Basileam. (i) Præteritis bellis attritos. (k) Lib. XLVI. (l) Adlusio ad nomen Germani quod etiam fratrem uterinum significat. (m) Imperarunt an. XII. simul. (n) Appianus Lib. IV. civilium. (o) Lib. XLVI. (p) A. V. C. DCCXI.

dum pacatæ essent (q). Utramque Galliam Antonius per Q. Fusidium Calenum rexit. Orta postea inter dominantes simultate, quod ad suas partes traducere Pompejum niteretur Antonius, inde Cæsarem opprimere: Cæsar Gallias in potestatem redigere conatus, frustra fuit Caleno superstite, ubi morbo absumptus est, nullo labore in se transtulit. Hinc bellum apertum (r). Sed Fulviæ Antonii conjugis interitu, sive concitaverat, mox exstinctum, & nova distributione Cæsari Sardinia, Dalmatia, Hispaniaque & Gallia, Antonio reliquæ omnes trans Jonium mare regiones adscriptæ sunt: Lepido Africam, Pompejo Siciliam tenentibus. Galliam Cæsar M. Agrippæ consuli regendam dedit. Primus is post C. Jul. Cæsarem Rhenum transiit, & cum Germanis bellum gessit, triumphique honorem promeruit, Dione teste (s). Sed Pompejo denique apud Siciliam oppresso, exutoque Lepido, Antonio Actiaco prælio profligato, post interfecto, Octavianus Cæsar qui primus Augustus cognominatus, *cuncta discordiis civilibus fessa nomine Principis sub imperium accepit* (t).

OCTAVIANVS CÆS. AVG. IMP. II. P. R. (u)

Agrippæ in Galliæ administratione, de qua scilicet mihi præcipuus sermo, quis successerit non æque compertum est. Cajum Carinatem existimo. Is Morinos, aliosque rebellionis socios domuit, Suevosque Rhenum transgressos, profligavit, ac de utrisque una cum Octaviano Cæsare, cujus auspiciis rem gesserat, triumphavit (x). Carinati Nonius Gallus suffectus, qui Treveros rebelles compescuit (y): Germanos, quos socios adjunxerant, propulsavit. Tum ipse Augustus in Britanniam exemplo patris trajecturus, cum in Gallia Britannos oratores pacem deprecantes obvios habuisset, componendis Gallicis rebus, *quæ, quia subactis illis statim bella civilia subsecuta fuerant, etiamnum fluctuabant*, animum adjecit, *Gallorumque agendo censu, vitaque & repub. formanda aliquod temporis extraxit* (z). Eodem tempore M. Varro Salassos (aa) domuit, certam argenti summam imperavit, Augustam Prætoriam (bb) Romanis militibus constituit, tribus millibus, eo, ubi castra habuerat, deductis. M. Vicinius quoque de Germanis, qui in eorum regiones commercii gratia profectos Romanos obtruncaverant, pœnas exegit: Augustoque, re præclare gesta, Imperatoris nomen comparavit. Triumphi eam ob rem aliasque à Senatu decreti, quos repudiavit (cc). Cum rursum Germani Gallias infestarent, ipsæ inter se tumultuarentur, Agrippa secundo Galliæ cum imperio præfectus, Germanos expulit, motus sedavit, triumphum his de rebus obtinuit, nec peregit (dd). Sed neque sic satis Germani compressi dum ipsum Augustum urbe extraherent. Sugambri enim Usipetæ & Tencteri (ee), primo quosdam Romanorum in territorio suo deprehensos in crucem egerunt, deinde Rheno transmisso in Galliis prædando grassati sunt: Equitatum R. contra se missum per insidias circumvenerunt, & à fugientibus R. ad Lollium usque præfectum præter opinionem pertracti, ipsum quoque vicerunt. Vnde Paterculus (ff). *Sed dum hæc in parte imperii omnia geruntur prosperrime, accepta in Germania clades sub legato M. Lollio homine in omnia pecuniæ, quam recti faciendi cupidiore, & inter summam vitiorum dissimulationem vitiosissimo, amissaque legionis V. aquila vocavit ab urbe in Gallias Cæsarem.* Belli adparatu & Augusti præsentia perspecta, Germani regressi, pacem datis obsidibus agitarunt. Eodem anno P. Sillius Vennonetes & Camunos (gg), gentes Alpinas, quæ arma contra Romanos sumserant, domuit & subegit. Postea in omnes Rhætos omnibus viribus pugnatum: qua de re ita Dio (hh): *Rhæti inter Noricum & Galliam ad Alpes Italiæ finitimas, quas Tridentinas nominant, sedes suas habent. Hi vicinam Galliam,* Helvetios (ii), Rauracos, Sequanos, *frequenter populati, ex Italiæ finibus prædas egerant, Romanosque & eorum socios iter per ipsorum terras facientes infestaverant. Id quidem consuetudine jam receptum erat, ut in eos qui nullo fœdere essent conjuncti, ita statuerent, sed præter hoc, omnes masculos quos comprehendissent, etiam in utero matrum agentes, quod certis divinationibus pervestigabant, interficerent. Ea propter Augustus principio Drusum contra eos cum exercitu misit, isque Rhætos apud Alpes Tridentinas sibi obviam factos prælio aggressus, haud magno certamine fudit, ejusque victoriæ ergo Prætorios honores adeptus est. Dein cum ab Italia rejecti nihilominus Gallias urgerent, Tiberium quoque contra eosdem misit* (kk). *Itaque Drusus & Tiberius multis locis in Rhætiam irrumpentes, legatorum opera, ac ipse etiam Tiberius per lacum* Acronium sive Constantiensem, *navigiis subvectus, exterruerunt ea re barbaros, dissipatosque aggressi haud difficulter, multis exiguis præliis dispersas eorum copias deleverunt, reliquosque infirmiores deinde ac animis collapsos in suam potestatem redegerunt. Quia vero populosa erat gens Rhætorum, videbanturque bellum retentaturi, maximam ejus & ætate validissimam partem inde abduxerunt, iis relictis, qui & colendæ ei regioni sufficerent, & ad rebellandum non satis virium haberent.* Hactenus Dio. Sunt qui putarunt Rhætos, his verbis credo, *validissimam gentem inde abduxerunt*, ex montibus esse deductos, & in Helvetia pago Tigurino collocatos. Nam cum summa Alpium tenerent antiquitus, tempore M. Antonini quo Ptolemæus (ll) tabulas conscripsit satis constat magnam Helvetiæ partem occupasse Rhætos. Ducta enim linea ab utroque Rheni anterioris & Danubii capite, eaque ratione Rhætiæ Occidentalis limite cum Ptolemæo constituto, Abbatiscellanos omnes & totam D. Galli provinciam, tum Tauriacorum non contemnendam partem, Constantiamque includi manifestum erit. Hujus Rhætici belli reliquiæ supersunt Tertia; Quarta; Quinta; propter lacum Rivarium, vulgo *Walenstatterſee*, & ipsum quoque nomen *Walenstatt* Italorum opidum, aut potius statio. (*Walen* enim cum prope omnes Germani, qui alia quam Germanica utuntur lingua, tum præcipue Italos nominant.) Tamquam iis locis præsidia, aut tertiam, quartam, quintam,

(q) Dio Lib. XLVIII. (r) A. V. C. DCCXIII. Appianus Lib. V. (s) Lib. XLVIII. & L. (t) A. V. C. DCCXXII. Tacitus Lib. I. Annal. (u) Imperavit solus Annos XLIII. mens. 11. d. 18. (x) A. V. C. DCCXXIV. Dio Lib. LI. (y) A. V. C. DCCXXVI. (z) A. V. C. DCCXXVIII. (aa) Augstthaler. (bb) Strabo Lib. IV. (cc) A. V. C. DCCXXXIV. Dio Lib. LIV. (dd) A. V. C. DCCXXXVII. (ee) Hollandi, Geldrenses, Clevenses.

(ff) Vol. II. (gg) Veltliner & Camunier. (hh) Eodem Lib. LIV (ii) Vt ex Strabone constat. (kk) A. V. C. DCCXXXVIII. (ll) Ptol. Lib. III.

quintam, custodias contra Rhætorum irruptiones collocarit Tiberius. Nisi potius, quæ aliorum opinio est, Rhæti ipsi iis locis, aut deducti, aut prædabundi, stationes ceperint. Sane eadem regione nota Castra, credo Romanorum, vulgo Gasteren, ubi videlicet ea habuerit, & metatus sit Cæsar, contra illas Alpium gentes, nimis locorum fiducia insolentes. Rhæticum bellum porro excepere Vindelici, & ipsi adsiduis prædationibus, tum propinquitate, veluti contagio, arma victorum in se transferentes. Contra eos terrestri & navali pariter prælio Tiberius decertavit, insulaque quæ in lacu, pro receptaculo usus est, Strabone teste (mm). Quidam eam esse existimarunt quæ Augia major, aut vulgo Richenau. Ego potius esse crediderim Lindaugiam, adversum Brigantium, quæ nunc ponte cum continente conjungitur. Nam & Rhætos Vindelicosque (nn) ab altera ripa prospicit, & bello gerendo contra eas gentes adcommodatior est. Vindelicum Norici, ac postremum Pannonii in se transduxere. Sed de Rhætis & Vindelicis ita Paterculus (oo): *Reversum inde*, ex Armenia, *Neronem Cæsar haud mediocris belli molem experiri statuit, adjutore operis dato fratre ipsius Druso Claudio, quem intra Cæsaris penates enixa erat Livia. Quippe uterque, divisis partibus, Rhætos Vindelicosque aggressi, multis urbium & castellorum oppugnationibus, nec non directa quoque acie feliciter functi, gentes locis tutissimas, aditu difficillimas, numero frequentes, feritate truces, majore periculo, quam damno Romani exercitus, plurimo cum earum sanguine, perdomuerunt.* Atque hujus belli metu & periculo Aug. integrum biennium istuc in Gallia transegit, multas in ea, & Hispania colonias fundavit. Tiberio cum triumphus, tot rebus gestis, decretus esset, ipse ne ageret, obstitit, triumphalia ornamenta concessit. Hoc vero ellogium Senatus consulto consecravit (pp).

IMP. CAESARI. D. F. AVGVSTO. PONT. MAX. IMP. XIIII. TRIBVNIC. POTEST. XVIII. S. P. Q. R. QVOD. EIVS. DVCTV. AVSPICIISQVE. GENTES ALPINAE OMNES SUB IMPERIVM POPVLI R. SVNT REDACTAE. GENTES. ALPINAE. DEVICTAE. TRIVMPILINI. CAMVNI. VENNONES. VENNONETES. HISARCI. BREVNI. NAVNES. IOCVNATES. VINDELICORUM. GENTES QVATVOR. CONSVANETES. VIRVCINATES. LICATES. CATENATES. ABISONTES. RHVGVSCI. SVANETEI. COLLVCONES. BRIXENTES. LEPONTII. VIBERI. NANTVATES. SEDVNI. VERAGRI. SALASSI. ACITAVONES, MEDVLLI. VCENI. CATVRIGES. BRIGIANI. SONTIONTII. EBRODVNTII. NEMALONI. EDENNATES. ESVBIANI. VEAMINI. CALLICAE. TRIVLATII. ECTINI. VARGVNNI. EGVITVRI. NEMENTVRI. ORATELLI. VERVSII. VELAVNI. SVETRI.

In Rhætia Tertia legio, quæ Italica nominata, contra barbaros posita. Atque hæc fere sunt, quæ ad Helvetiam, & circa eam Augusti Imperio. Cetera in Germania & contra gentes Rheno ulteriori inferiorique adfines gesta. Dio quæ Drusus perfecerit his paucis complexus est. *Hic*, inquit, *cum Sugambri, eorumque auxiliarii propter absentiam Augusti, ac quia Gallos jugum servitutis gravatim ferre scirent, bellum movissent, Gallorum primoribus sub prætextu ejus festi, quod hodie etiam Lugduni ad aram Augusti celebratur, evocatis, motum subditorum præoccupavit. Inde Germanis intentus quando Rhenum transirent, eos repulit, atque ipse deinde in Vsipetarum regionem, secundam insulam Batavorum,* Hollandiam, *atque inde in Sugambrorum terram* (qq) *progressus magnam agri partem vastavit. Postea secundo Rheno in Oceanum devectus Frisios subegit, ac per paludem* Drusianam ab illo nominatam, *in Caucorum fines*, sive Frisiam Occidentalem, *digressus est, unde Romam discessit* (rr). *Ac quamquam Prætoriis ornamentis insignitus, præturam tamen Fabio, & Ælio coss. iniit* (ss). *Mox ad bellum reversus, Rhenum transiit, Vsipetas subjugavit, Lupiæque fluminis ripis ponte junctis in Sugambros irrupit, perque eos in Cheruscorum regionem*, Frisios Orientales, *usque ad Visurgim processit, multisque aliis rebus gestis triumphalibus ornamentis decoratus est, & ut ovans Vrbem iniret, actaque prætura, cum proconsulari potestate esset, obtinuit. Imperatoris nomen, quo à militibus adfectus erat, Augustus non permisit.* Sequenti anno ipse quoque Augustus in Galliam profectus, cum in Lugdunensi provincia plerumque agitaret, Tiberium contra Germanos ultra Rhenum misit, qui barbaros ad conditiones compulit. Drusus in Cattorum fines ingressus, obvia quæque subegit, usque ad Suevos penetravit. Inde in Cheruscos, converso itinere, Visurgim transgressus, omnia populando ad Albim castra perduxit, nec multo post defunctus est. Xiphilinus (tt) ista de Druso in Epitome: *Drusus Tiberii frater missus contra Celtas* (uu) *qui trans Rhenum incolunt, captis rebus omnibus, quæ factæ essent obviam, usque ad Albim fl. est progressus, qui à Vandalorum montibus in eum Oceanum, qui ad Septentrionem spectat, maximus influit. Ibi quædam mulier inusitata magnitudine fertur ei occurrisse, atque ita dixisse. Quo pergis, Druse cupide & inexplebilis? Non enim potes hæc omnia ex fatis videre, quamobrem recede. Nam tibi jam adest exitus vitæ & rerum tuarum omnium.* Mortuo Druso Tiberius triumphavit (xx). Hæc eadem, more aulico, extulit Paterculus (yy) paullo gloriosius. *Perlustrata*, inquit, *armis tota Germania, victæ gentes pæne nominibus incognitæ, receptæ Caucorum nationes, omnis eorum juventus, infinita numero, immensa corporibus, situ locorum tutissima, traditis armis, una cum ducibus suis, septa fulgenti armatoque nostrorum militum agmine, ante Imperatoris procubuit pedes. Denique quod numquam antea spe conceptum, nedum opere tentatum erat, ad quadringentesimum milliarium à Rheno, usque ad flumen Albis,*

(mm) Lib. VII. (nn) Vindelici jam quoque Vinda & Lica noti. (oo) Vol. II. (pp) Plinius Lib. IV.

[qq] Guicciard. Frisia. [rr] A. V. C. DCCXLII. [ss] A. V. C. DCCXLIII. [tt] Lib. IV. [uu] Celtarum nomine omnes Germaniæ & Galliæ gentes inclusæ Græcis scriptoribus. (xx) A. V. C. DCCXLIV. [yy] Vol. II.

bin, qui Semnonum Hermundurorumque fines præterfluit, Romanus cum signis productus exercitus (zzz). Sed hactenus prospera. Nam Variana posteà clades quanti Romanis constiterit, præter Dionem, idem Paterculus memoravit, & solus scriptorum veterum exacte perscripsit, tum Augusti dolor & mæstitudo comprobavit, qui nuncio ejus accepto vestem laceravit, Germanos Gallosque Roma metu expulit, ludos fieri solitos omisit, caputque ad parietes sæpius collidens: *Vare redde legiones*; sæpius ingeminavit (aaa). Neque postea Helvetiis, bellum aut periculum, sicuti nec aliis nationibus, Augusto superstite fuit. Ubi vita defunctus est (bbb), & imperii summam tenuit

CLAVDIVS TIBERIVS NERO IMP. III. P. R. (ccc)

Cum non solum barbaræ nationes, sed etiam exercitus R. in Germania & Pannonia rebellassent, rebus pro tempore compositis, Drusum veteranos misisse in Rhætiam *specie defendendæ ob imminentes Suevos provinciæ* memoriæ commendavit Cornelius Tacitus (ddd) qui cetera, quæ contra Germanos gesta sub Tiberio, scriptis exsecutus est.

C. IVL. CALIGVLA IMP. IV. P. R. (eee)

Tiberio successit (fff) monstrum hominis, Drusi Germanici optimi & innocentissimi Principis filius, qui exhaustis opibus Urbanis, cum in Galliam, prætentu belli Germanici profectus esset, provinciam florentissimam, & longa pace uberrimam expilavit, bonisque omnibus evertit. Nam maximum sub ejus Imperio crimen, *esse divitem* (ggg).

TI. CLAVDIVS IMP. V. P. R. (hhh)

Qui post imperavit, non solum Galba duce Cattos toties rebelles, & Domitio Corbulone, ceteros Germanos domuit & continuit, sed etiam secundus à Julio Cæsare in Britanniam penetravit (iii), rebusque feliciter gestis, aliquoties Imperator salutatus, cognomentum Britannici, aliosque titulos obtinuit.

CLAVD. NERO IMP. VI. P. R. (kkk)

Illi suffectus artibus maternis, ultimus familiæ Cæsarum, qui Imperium male partum turpius perdidit, nominato, auctoritate & persuasu Julii Vindicis Galli, Sulpicio Galba Imperatore; qua de re paucis sequenti capite.

(zz) Inde eorum populorum, qui inter Suevos Tacito collocati, nota sedes. (aaa) A. V. Cond. DCCLXI. A. Dom. nat. XII. (bbb) A. D. nat. XV. Dio Lib. LVII. (ccc) Imp. ann. XXII. mens. 6. d. 26. (ddd) Lib. I. Annalium. (eee) Imp. ann. III. mens. 10. d. 9. (fff) A. D. N. XXXVIII. (ggg) Dio Lib. LIX. (hhh) Imp. Ann. XIII. m. 8. d. 20. A. D. N. XLII. (iii) A. D. N. XLIV. Dio Lib. LX. (kkk) Imp. Ann. XIII. m. 7. d. 27. A. Dom. Nat. LV.

CAPUT II.

Bellum Sequanicum Vindicis, tum Galbinianum, & Helvetiæ prima notabilis vastatio & clades. Nonnullorum Impp. gesta.

Vindicis laudes. Galliæ suasu & auctoritate Vindicis à Nerone defecerunt. Vind. Bellum & Cædes. Rufi integritas & constantia. Galbæ in Vindicianos liberalitas. Helvetiorum origo cladis, & causa. Aventicum Helvetiorum metropolis. Vitellii acerbitas erga deditos. Cur Flavii in Imperium adsumti. Rebelliones in Gallia, & Germania sub Vesp. Trajani laudes. Hadriani diligentia & industria.

C. Julius Vindex (a) natione Gallus, patre Senatorii ordinis, gente ex antiquis Gallorum regibus, magnis & animi & corporis viribus & virtutibus, militiæ sciens, ad omne præclarum facinus inperterritus. Is cum ea quæ à Nerone contra imperii decus gerebantur perspexisset, & indies turpiora vulgarentur, concione Gallorum, qui gravissimas exactiones tolerabant, advocata, cum multa super Imperatoris probris, & sceleribus disseruisset, non solum, ut à Nerone deficerent impulit, sed Sergium Sulpicium Galbam Imperatorem legerent, persuasit. Præerat tum Hispaniis Galba, Gallis jam olim per bella Germanica cognitus, justitiæ laude, & fortitudinis, tum triumphalibus ornamentis ea tempestate clarus. Eum sæpius cum Vindex admonuisset *humano generi adsertorem ducemque se accommodaret*, tandem, *conditionem reciperet partim metu, partim spe*, impetravit (b).

SERG. SVLP. GALBA IMP. VII. P. R. (c)

At vero Virginius Rufus qui Germaniæ præerat, motu Galliarum audito, continuo contra Vindicem exercitum ducere cœpit, & primo Vesontionem, quæ recipere negaret, obsedit. Nec abfuit obsessis Vindex, castra & ipse ad urbem in conspectum hostium posuit. Postea convenire colloquio ducibus placuit, dictus locus: remoti arbitri. Et denique suspicione conjurationis contra Neronem uterque adligatus, Vindex ad suos ex conventu festinato discessit, & veluti in hostes moturus copias eduxit. Quod cum Virginiani animadvertissent injussi & inopinati in obvios, imparatos & parum constantes irruunt, magnamque partem, sine labore, periculoque concidunt, ipso etiam Vindice interfecto, præda & impedimentis ditissimis potiuntur. Casum Vindicis primo ægre ferre Rufus, post in laudem vertit, & pro Epitaphio esse testamento jussit hoc versiculo (d):

Hic situs est Rufus, pulso qui Vindice quondam
Imperium adseruit, non sibi, sed patriæ.

Sane indubitatum à militibus Rufum Imperatorem adpellatum esse, sed nec precibus, aut minis adduci potuit, ut Imperium caperet, sive non militum hoc munus, sed Senatus P. Q. R. esse existimavit, sive animo forti & excelso, quæ alii per omne nefas exoptant, repudiavit, aut fortunæ inconstantiam extimuit, magisque Imperio dignus, quam Imperator videri voluit. Galbæ à Senatu confirmato subito suas legiones tradidit. Galba Æduis, Sequanis & omnibus

(a) Xiphilinus in Nerone. (b) Sueton. in Galba. A. D. Nat. LXIX. (c) Imp. mens. VII. d. 7. (d) Plinius Lib. X. Epist. Dio in Nerva.

omnibus qui à Vindice fecerant quartam tributorum partem remisit in perpetuum, publiceque civitate donavit, nec multo post interfectus est (e), Othone Salvio, cujus fraude, & perfidia occiderat, Prætorianis militibus Romæ Imperatore subl ecto: à Germanicis, Aulo Vitellio.

M. SALVIVS OTHO VIII. IMP. P. R. (f) *AVL. VITELLIVS IX. IMP. P. R.* (g)

Ceterum hæc tuendi Vindicis primo, tum Galbæ ratio & studium non solum Gallis plerisque sed maxime Helvetiis postea, bello quod Vitellius contra eumdem Galbam Imp. suscepit, exitio & ruinæ fuit. Auctor Tacitus, (h) qui de Alieno Cæcina *animi bellique juxta immodico*, qui ad Vitellii partes transierat, differens, ita hoc bellum Helvetium narravit. *Irritaverant turbidum ingenium Helvetii, Gallica gens, olim armis virisque, mox memoria nominis clara. De cæde Galbæ ignari, & Vitellii Imperium abnuentes. Initium bello fuit avaritia, & festinatio unæ & vicesimæ Legionis. Rapuerant pecuniam missam in stipendium castelli, quod olim Helvetii suis militibus ac stipendiis tuebantur. Ægre id passi Helvetii, interceptis epistolis, quæ nomine Germanici exercitus ad Pannonicas legiones ferebantur, centurionem, & quosdam militum in custodia retinebant. Cæcina belli avidus, proximam quamque culpam, antequam pœniteret, ultum ibat. Mota properè castra. Vastati agri. Direptus, longa pace, in modum municipii extructus locus, amœno salubrium aquarum usu frequens* (i). *Missi ad Rhætica auxilia nuncii, ut versos in legionem Helvetios à tergo aggrederentur. Illi, ante discrimen feroces, in periculo pavidi, quanquam, primo tumultu, Claudium Severum ducem legerant, non arma noscere, non ordines sequi, non in unum consulere. Exitiosum adversus veteranos prælium: intuta obsidio, dilapsis vetustate* (k) *mœnibus. Hinc Cæcina cum valido exercitu: inde Rhæticæ alæ, cohortesque & ipsorum Rhætorum juventus sueta armis, & more militiæ exercita. Vndique populatio, & cædes. Ipsi in medio vagi, abjectis armis, magna pars saucii, aut palantes, in montem Vocetium* (l) *perfugere. Ac statim immissa cohorte Thracum depulsi & consectantibus Germanis Rhætisque per silvas, atque in ipsis latebris trucidati. Multa hominum millia cæsa, multa sub corona venundata. Cumque direptis omnibus, Aventicum gentis caput justo agmine peteretur, missi qui dederent Civitatem: & deditio accepta. In Julium Alpinum è principibus, ut concitorem belli, Cæcina animadvertit, ceteros veniæ, vel sævitiæ Vitellii reliquit. Haud facile dictu est legati Helvetiorum minus placabilem Imperatorem, an militem invenerint. Civitatis exscidium poscunt, tela ac manus in ora legatorum intentant. Ne Vitellius quidem minis ac verbis temperabat. Cum Claudius Cossus unus ex legatis, notæ facundiæ, sed dicendi artem apta trepidatione occultans, atque eo validior, militis animum mitigavit. Ut est mos vulgo, mutabili subitis, & tam prono in misericordiam, quam immodicum sævitia fuerat. Effusis lacrymis, & meliora constantius postulando, impunitatem, salutemque Civitati impetravere* (m). Atque hic primus fuit, qui certe literis antiqua fide & auctoritate proditus sit memorabilis casus, & Helvetiæ calamitas. Nam quam Brenno attribuunt, ut supra ex Gottfrido Viterbiensi vidimus, non ea procul à fabulis. Nec graviorem ab ulla memoria, præter quam Atila (n) toti terrarum orbi communem attulit, Helvetii toleravere. Vitellii vita, aut sævitia brevis fuit, Vespasiano obtinente.

FL. VESPASIANVS. IMP. X. P. R. (o).

Hunc bonum Principem *ab Augusti morte, post annos VI. & L. Romana respublica exsanguis sævitia tyrannorum quasi fato quodam, ne penitus rueret, adsecuta est*, rectissimo Victoris judicio (p). Maximus bello, utpote, qui in Germaniam, Britanniamque Legatus missus tricies cum hoste conflixit, duas validissimas gentes, superque oppida xx. & insulam Vectim Britanniæ proximam, in deditionem redegerit: pace melior. *Legibus* enim *æquissimis monendo, quodque vehementius est, vitæ specie, vitiorum plura abolevit, per omnes terras, qua jus Romanum est, urbes cultu egregio renovavit. Mille gentes composuit, cum ducentas ægerrime reperisset, exstinctis sævitia tyrannorum plerisque* (q). Istum sanè Imperatorem Helvetia semper Patronum, patremque existimavit, sive odio Vitellii, aut quia ita de gente meritus, & de eo ante quædam adnotavimus.

TITVS VESPASIANVS XI. IMP. P. R. (r).

Hic quoque Germaniæ notus, & Helvetiæ; de eo ita Suetonius (s). *Tribunus militum & in Germania, & Britannia meruit, summa industria, nec minore modestia & fama, sicuti adparet ex imaginum ejus multitudine ac titulis per utramque provinciam.* Sane nuper Agauni inscriptionem ipsi factam reperimus, sed quæ, præter nomen, & paucos characteres vix aliquid certi demonstrabat. Idem Aul. Cæcinam conjurationis manifestum confodi jussit, quo facto non solum proprias injurias, sed etiam Helvetiorum ultus est.

T. FLAVIVS DOMITIANVS. IMP. XII. P. R. (t).

Is multa virtutis simulatione, nec patri similis, fratris etiam acerrimus obtrectator fuit, adeo ut pleraque quæ ille probasse visus, verterit in contrarium. Bellum unum contra Cattos suscepit, confecitque præter alterum civile cum L. Antonio, superioris Germaniæ præside. Qui rerum causas, momentaque perpendunt sollertius, nullùm in dubium vertunt, Deum Opt. Max. orbis terrarum imperium Vespasianis, nihil tale cogitantibus contulisse, propter acerrimam vindictam Unigeniti sui, orbis conditoris, & liberatoris in Judaica gente factam. Cujus gentis Strages, funera, exscidia qui legere, aut cognoscere volet præter Tacitum (u), Josephum (x) & ipsum Judæum (y) oculatum, probumque testem habebit. Sed, quod dicere omiseram sub Vespasiano patre, in Germania primum Claudius Civilis turbavit, ingentique manu Batavorum,

(e) A. D. nat. LXX. (f) Imp. mens. 3. d. 5. (g) Imp. mens. 8. d. 5. (h) Lib. I. hist. (i) Bada inferior ubi scilicet thermæ. Rhæti tunc in propinquo, Bada enim ad castra vix 24. p. m. (k) Castri scilicet eo ubi nunc opidum loco. Nam thermarum municipium jam direptum. (l) Botzberg quæ Juræ prima pars. (m) Eodem anno LXX.

(n) A. D. Nat. CCCCL. (o) Imp. Ann. IX m. 6. A. d. nat. LXXI. (p) In Vespas. (q) Sueton. Vesp. c IV. (r) Imp. an. II. m. 2. d. 20. A. D. N. LXXX. (s) In Tito. (t) Imp. an. XV. dies 5. A. D. nat. LXXXII. (u) Lib. V. hist. (x) Libris de bello Judaico. (y) Egesipp. de Excidio Hieros.

rum, sociorumque facta, legiones R. oppugnare, munimenta exscindere cœpit (z). Accessit postea Classicus, alæ Treverorum præfectus. Ipse regia Gallorum stirpe, bello paceque clarus: Denique Julius Sabinus Lingon Rheno à Vitellio præpositus, *qui super insitam vanitatem falsæ stirpis gloria incendebatur: proavum suam Divo Julio per Gallias bellanti corpore & adulterio placuisse.* Hi divisis inter se muneribus, libertatis titulo, mox alia ausuri, in Romanos impetum fecerunt, cohortium, alarum, legionum hiberna omnia subverterunt cremaruntque, iis solum relictis quæ Maguntiaci, & Vindonissæ (aa) sita sunt. Sabinus etiam se Cæsarem salutari jussit, magnamque & inconditam popularium turbam in Sequanos rapuit, *conterminam civitatem, & Romanis fidam. Nec Sequani detrectavere certamen. Fortuna melioribus adfuit. Fusi Lingones. Sabinus festinatum temere prælium, pari formidine, deseruit. Sequanorum prospera acie belli impetus stetit* (bb). Ceteras rebelliones Petilius Cerealis multis præliis compescuit, in quorum uno tanta Romanorum, barbarorumque cæsa multitudo, ut mortuorum cadavera præfluentis (Mosæ) cursum obstruxerint.

M. COCCEIVS NERVA. IMP. XIII. P. R. (cc)
NERVA TRAIANVS IMP. XIV. (dd)

Optimus Imperatorum antiquitatis judicio existimatus. *Imperium apud Agrippinam nobilem Galliæ Coloniam suscepit, habens diligentiam in re militari, in civilibus lenitatem, in sublevandis civitatibus largitionem. Cumque duo sint quæ ab egregiis principibus exspectentur, sanctitas domi, in armis fortitudo, utrobique prudentia, tantus erat in eo maximarum rerum modus, ut quasi quodam temperamento virtutis miscuisse videretur* (ee). Trajani apud Helvetios multa memoria. Eo sane anno quo Imperium iniit (ff) marmorea illi columna apud Castellum Aquarum erecta (gg) cum hac inscriptione:

IMP. CAESARI.
DIVI. NERVAE. F.
NERVAE. TRAIA
NO. AVG. GERM.
PONT. MAX. TRIB.
POT. COS. II. P. P. DES.
III. M. P. LXXXV.

Hanc columnam patrum memoria (hh) in agris suburbanis oppidi Aquensis repertam Ægidius Schudi Glaronensis tum ejus Comitatus Præfectus, antiquitatis observantissimus, in arcem transtulit, & ante arcis pontem collocavit.

P. AELIVS HADRIANVS IMP. XV.
P. R. (ii)

Immensi iste *laboris, quippe qui provincias omnes pedibus circumierit, agmen comitantium prævertens,* caloris, & frigoris juxta patientissimus, *qui etiam Alpinas, & Gallicas nives, & Ægypti ardores capite intecto pertulerit. Profectus in Gallias, omnes caussariis liberalitatibus sublevavit. Socias Civitates, atque tributarias, & subditos mirifice juvit, multas earum invisit, & quas nullus ante se Imperatorum viderat, atque omnibus aliquid opis, & auxilii tulit. In primis arces omnes ubique contemplatus consideravit, quarum alias in loca magis opportuna transtulit, alias penitus subvertit, omniaque illa simpliciter, non dico quo pacto generalia, & communia in exercitibus se haberent, sed arma, machinas, fossas, vallum, & mœnia, alia, privatim uniuscujusque, & eorum qui in ordine militabant, & eas ducebant vitas, stativa, hiberna ipse intueri, & exquirere voluit. Multa per licentiam in solutiorem morem lapsa, & quæ fabricata fuerant, correxit, & emendavit: alia destruxit, & sustulit* (kk). Ejus cum alia monimenta, tum in Helvetiorum finibus Pons Ælius (ll) in comitatu Burgundiæ quem Pontarlinum vulgo nominamus, itinere illo cujus exstant adhuc vestigia, quod quondam Agrippa Galliæ præfectus ex Lugdunensi Provincia, & Æduis, in Sequanos Rauracosque, & Rhenum perpetuis stratis perduxit.

T. AVR. ANTONINVS. PIVS. IMP.
XVI. P. R. (mm)

Tantæ bonitatis fuit, ut haut dubie sine exemplo vixerit, quamvis eum Numæ contulerit ætas sua, cum orbem terræ nullo bello per annos XXIII. auctoritate sola rexerit. Adeo trementibus eum, atque amantibus cunctis regibus, nationibusque, & populis, ut parentem, seu patronum magis, quam dominum, imperatoremve putarent, omnesque, uno ore, in cœlestium morem, propitium optantes, de controversiis inter se judicem poscerent (nn). Bellum quidem cum Germanis gessit, sed per legatos (oo).

(z) Tacitus Lib. IV. & V. hist. (aa) Vindisch in Ergovia. (bb) Xiphilinus in Vespas. (cc) Imp. an. I. m. 4. An. Dom. Nat. XCVII. (dd) Imp. an. XIX. m. 6. d. 15. (ee) Victoris Epitome. (ff) A. D. N. XCIX. (gg) Quod millia passuum 85. iter aperuisset. Ejus itineris adhuc vestigia, qua Badà Aroviam itur, per querneam silvam. (hh) A. D. N. M. D. XXXIV. (ii) Imp. An. XX. m. 10. d. 29. A. D. Nat. CXVIII.

(kk) Vict. Epit. Dio Cassius Adriano. Spartianus Adriano. (ll) Gollulius in suis memoriis. (mm) Imp. an. XXII. m. 7. d. 24. A. D. Nat. CXXXIX. (nn) Vict. Epit. (oo) Jul. Capit. Pio.

CAPUT III.

De Allemannis, eorum origine, rebus gestis, & contra eosdem R. Impp. bellis.

Allemanni unde dicti, & qui. Gentium rebellione, & turbæ. Antonini Philosophi labores, & victoriæ. Allemanni à Caracalla domiti. Jocus in Caracallam. Sagittarii maxime olim Germanis infesti. Maximini gesta in Germania. Galliæ status Impp. Treboniano, Valeriano cum Gallienis. Probi in Gallia facta. Allemanni ab eo contriti. Maximiani gesta in Gallia, & Germania. Thebææ leg. martyrium. Barbari sive Franci in Galliam translati. Barbarorum inter se bella. Allemanni rursum Helvetiam & Galliam invadunt. Pugna Vindonissensis in Ergovia. Romani Imperii limites per Constantium Cæs. restituti. Itemque urbes & castella. Germani nominis origo. Item Allemanni.

Mihi antiquitates Helvetiorum pervestiganti animus non est Imperatorum gesta singulorum in medio promere, sed eorum tantum qui res Helvetias attigerunt, aut de quibus nostratibus memoria. Alia aliorum opera sit, hanc patriæ, & benemeritis Principibus dabimus. Sed totiens adversus Allemannos bella Imperatoribus pugnata, numquam depugnata, animadvertenti, incidit plerumque dubi-

dubitatio quando tandem Allemannorum nomen percrebuerit, & in literis à Scriptoribus R. conlatum ſit. Quando ſane, & quibus, certo adfirmare perdifficile, cetera ſic habentur. Aſinius Quadratus, qui Agathia teſte, res Germanorum cum cura ſcripſit, Allemannorum non unam gentem eſſe, ſed ex multis confectam, promiſcuamque memoriæ mandavit (a), idque ex ipſo nomine intelligi voluit, quaſi Allemanni ſint **Allerleymann**, omnis generis homines. *Allemanni*, inquit, Agathias, *ſi Aſinio Quadrato viro Italicenſi fides præſtanda eſt, adventicii ſunt, & ex varia hominum colluvione conflati, quod ſane eorum cognomento præfertur*. Vnde mihi non abs re futurum videtur inquirere, quando præcipue plurimæ Germaniæ gentes uno veluti fœdere, animoque conjunctæ in Romanos fines invaſerint, indeque Allemannorum originem ducere. Id vero potiſſimum accidiſſe reperio, cum

M. AVR. ANTONINVS. VERVS. PHILOS. IMP. XVII. P. R. (b)

Rerum ſummam conſecutus eſt. Tunc enim omnes prope barbarorum nationes, tamquam ſigno ſublato, ab omni parte impetum fecere, Romanoque Imperio exſcidium, & ruinam minatæ ſunt. Auctor Capitolinus: *Gentes*, inquit (c), *omnes ab Illyrici limite, uſque Italiam conſpiraverant, ut Marcomanni, Nariſci, Hermunduri & Quadi, Suevi, Sarmatæ, Latringes & Burri. Hi aliique; tum Victovalis, Soſibes, Sicobotes, Rhoxolani, Baſtarnæ, Alani, Peucini, Coſtoboci. Imminebat & Britannicum bellum, & Parthicum.* Alio loco. *Contra Germanos res feliciter geſſit. Speciale ipſe bellum Marcomannicum, ſed quantum nulla unquam memoria fuit, tum virtute, tum etiam felicitate tranſegit, & eo quidem tempore quo peſtilentia gravis multa hominum millia, & popularium, & militum interemerat. Pannonias ergo Marcomannis, Sarmatis, Vandalis, ſimul etiam Quadis exſtinctis, ſervitio liberavit.* Poſtea. *Magno igitur labore, etiam ſuo, gentes aſperrimas vicit, militibus ſeſe invitantibus, ducentibus etiam exercitum legatis, & præfectis prætorio, acceptique in deditionem Marcomannos plurimis in Italiam traductis.* Deinde. *Res etiam in Sequanis* (d) *turbatas cenſura, & auctoritate repreſſit.* Eodem tempore Cattos qui Galliam, Rhætiamque irruperant Aufidius Victorinus præliis aliquot fregit. Helvius Pertinax, qui poſtea imperium attigit, *Rhætiam, & Noricum ab hoſtibus vindicavit* (e). In eamdem ſententiam Dio (f). *Eodem tempore Germani qui trans Rhenum incolunt venere uſque in Italiam, attulereque Romanis maxima & graviſſima incommoda, quibus Marcus occurrit, Pompejano & Pertinace legatis exercitus factus, quo in bello optime ſe geſſit Pertinax.* De hujus magni ducis, & Philoſophi bellis paucis Eutropius (g). *Contra Germanos, eo Principe, res feliciter geſtæ ſunt. Bellum unum geſſit Marcomannicum ſed quantum nulla memoria fuit, adeo ut Punicis conferatur.* Deinde: *Ingenti labore, & moderatione, cum apud Carnuntum* (h) *jugi triennio perſeveraret, bellum Marcomannicum confecit, quod cum his Quadi, Vandali, Sarmatæ, Suevi, atque omnis barbaries commoverat.* Hæc geſta & orta ſub Antonino Philoſopho. Nec poſtea quies, aut finis fuit. Philoſophum in Imperio ſecutus

(a) Lib. I. (b) Imp. an. X I X. d. 11. A. D. N. CLXII. (c) In Antonino Ph. (d) Sequani quorum pars magna Helvetii Philoſopho compoſiti, unde ejus illa apud Equeſtres memoria, & in Juraſſo perrupto. (e) Idem Capitol. Pertinace. (f) In Epitome. (g) Breviario VIII. (h) Pannoniæ eſt oppidum.

M. AVR. ANTONINVS COMMODVS IMP. XIIX. P. R. (i)

Quo Imperante Claudius Albinus multas barbaras in Gallia gentes edomuit, ſed Commodus optimi patris peſſimus heres. Eum ſecuti

HELVIVS. PERTINAX. IMP. XIX. P. R. (k)

M. DIDIVS. SALVIVS. IVLIANVS. XX. IMP. P. R. (l)

C. PESCENNIVS. NIGER. IMP. XXI. P. R. (m)

L. SEPTIMIVS. SEVERVS. IMP. XXII. (n)

Hic ſe ita Severum, & terribilem barbaris nationibus exhibuit, ut eo quidem adminiſtrante, nihil auſæ fuerint; adeo imperium R. firmavit, ut ejus morientis hæc fuerit audita vox: *Turbatam rempub. ubique accepi, pacatam etiam Britannis relinquo. Senex, & pedibus æger firmum imperium Antoninis meis relinquens, ſi boni: infirmum ſi mali* (o).

L. SEPTIMIVS. ANT. SEVER. CARACALLA IMP: XXIII. P. R. (p)

Vaticinium verum fuiſſe filius hic Caracalla prodidit. Cujus luxu & improbitate, non ſolum in ejus perniciem domeſtici animati: ſed aliæ inſuper gentes, Germaniæ præcipue Imperium adflixere (q). Idem tamen apud Rhætiam non paucos barbaros interemit. Allemannos hos fuiſſe titulus, quo ſe Allemannicum adpellavit, teſtimonium reddere poteſt, de quo ita Spartianus Jocum Pertinacis in eum narrans. *Non abs re*, inquit (r), *eſt, etiam Satyricum quoddam in eum addere. Nam cum Germanici, & Parthici, & Arabici, & Allemannici nomen adſcriberet, (nam Allemannorum gentem devicerat) Helvius Pertinax, Pertinacis filius, dicitur joco dixiſſe, adde, ſi placet, etiam Geticus Maximus; quod Getam occiderat fratrem.* Hæc prima eſt quam literis Romanis reperio, Allemannorum diſtincta notatio. Poſtea promiſcue nunc Germani, modo Allemanni, parvo diſcrimine vocati ſunt, & frequentius Germani. Nam adhuc ſub Probo Imp. (s) Allemannos dictos eſſe Germanos Vopiſcus tradidit (t). Illud tandem obtinuit, & Allemannorum nominis præcipua nobilitas & celebritas fuit.

M. OPILIVS. MACRINVS IMP. XXIV. P. R. (u)

M. AVR. ANTON. VARIVS. ALAGABALVS IMP. XXV. P. R. (x)

Ejus inſcriptio nominis Salodori oſtenditur ſecundo Imperii anno, quam ſuo loco, ante oculos objiciemus. Sub eo Germani Gallias diripuerunt, exercitus ripas inſidentes oppugnarunt, per vicos, & urbes,

(i) Imperavit an. XIV. m. 8. d. 16. A. D. N. CLXXXI. (k) Imp. m. 2. d. 25. A. D. N. CXCIII. (l) Imp. m. 6. d. 5. (m) Imp. an. I. (n) Imp. an. XVII. m. 8. d. 3. A. D. N. CXCIV. (o) Spartianus Severo. (p) Imp. an. V. menſ. 8. A. D. N. CCXIII. (q) Herodianus Lib. IV. (r) In Caracalla. (s) A. D. N. CCLXXVII. (t) In vita Proculi. (u) Imp. an. I. m. 2. (x) A. D. N. CCXIX. Imp. an. III. m. 9. A. D. N. CCXX.

urbes magnis copiis discurrerunt, hostilia omnia exercuerunt (y), dum in eos

M. AVR. SEVER. ALEXANDER. IMP. XXVI. P. R. (z)

Ab Alagabalo adoptatus moveret, copiasque educeret, in quibus Mauri equites, Sagittariorumque magna vis, quos ex Oriente collectos contra Germanos maxime pararat, *quod hujusmodi milites præcipue Germanos infestant, quum & Mauri longius jacula intorqueant, sintque faciles ad incursus recursusque utpote leves, atque expediti: & sagittarii nuda Germanorum capita, prægrandiaque illa corpora facile eminus, veluti signum aliquod contingant*, ait Herodianus (a). Sed cum bellum parum procederet, tumultu militari, sive fraude Maximini, qui imperium arripuit prope Maguntiam, in vico Sicila notat Lampridius (b), interfectus est.

C. IVL. MAXIMINVS. IMP. XXVII. P. R. (c)

Rheno trajecto, ingentem Germaniæ vastitatem attulit, vicos incendit, greges abegit, prædas fecit, plurimos interemit, cœpit innumeros, & nisi Germani se in silvas & paludes conjecissent, omnem Germaniam subegisset, & provinciam fecisset, de quibus omnibus ita ad S. P. Q. R. perscripsit. *Non possumus tantum loqui, quantum fecimus. per* CCCC. *millia Germanorum vicos incendimus, greges abduximus, captivos abstraximus, armatos occidimus, in palude pugnavimus.* Sunt qui paludem hanc, lacum Constantiensem fuisse crediderunt (d). Nam paludem etiam alii Scriptores (e) appellarunt. Contenti de hinc Allemanni, sed nec diu, nec valide.

M. ANT. GORDIANVS. IMP. XXIIX. P. R. (f)

BALBINVS. ET PVPIENVS. IMPP. XXIX. P. R. (g)

M. ANT. GORDIANVS. II. IMP. XXX. P. R. (h)

M. IVL. PHILIPPVS. CVM. PHILIPPO. F. (i) IMPP. XXXI. P. R.

C. MESSIVS. Q. TRAIAN. DECIVS. (k). IMP. XXXII. P. R.

Multos hic habuisset laudatores, si à Christianorum cruciatibus manus temperasset. Id autem maxime in odium Philipporum fecisse creditus est, qui eam pietatem profiteri videbantur. Cetera domi bellique artibus egregiis instructus. *Civiles in Gallia motus sedavit.* Contra Gotthos in Pannonia pugnavit, periitque (l).

C. VIBIVS. TREBONIANVS. IMP. XXXIII. P. R. (m)

P. AVR. VAL. VALERIANVS CVM GALLIENIS IMP. XXXIV. P. R. (n)

Sub his imperantibus non provincias solum vicinas omnes, Rhætias, Noricum, Gallias, vastarunt & diripuerunt Allemanni, aliique barbari, sed in Italiam etiam & Hispaniam penetrarunt. Auctores, Eusebius (o), Eutropius (p), Pollio (q): Tum vero varii in Imperio tyranni orbem Romanum distraxerunt. Gallias quidem Posthumi, Lolliani, Victorini, Marii, Tetrici tenuerunt. Ipsæ sub Posthumo tutæ, & pace florentes, submotis longe Germaniæ gentibus. Vbi fraude Lolliani interfectus est, pleræque Galliæ Civitates, nonnulla etiam castra, quæ barbarico solo posuerat Posthumus, irruptione Allemannorum direpta & incensa: Reformavit tamen Lollianus; sed nec ipse vitalis, cæsus à militibus in labore nimium ferre nequeuntibus. Gallienum tamen pacem Galliæ aliqua parte comparasse, inito cum Germanorum principibus fœdere, memoriæ tradidit Zosimus (r). *Gallienus*, inquit, *videns Germanicas gentes ceteris infestiores esse, quæ accolas Rheni, Celticas nationes acrius vexarent, hanc partem sibi propugnandam ab hostibus sumsit. Aliis, qui per Italiam, Illyricum, Græciamque prædis agendis intenti essent, duces, cum eorum locorum exercitibus bellum facere jussit. Ac ipse quidem Rheni trajectus custodiens, quantum præstare poterat, interdum transitu hostes arcet, interdum trajicientibus suos instructos objicit. Sed quod cum ingenti multitudine perexiguas ipse copias habens, bellum gereret, in angustum jam coacta res ipsius erant, cum inito fœdere cum quodam de Germanicæ gentis principibus ex aliqua parte periculum minuisse visus fuit. Nam ceteros ille barbaros arcebat, quo minus Rhenum continenter transirent, & irruentibus obstabat.*

M. AVR. FLAVIVS CLAVDIVS IMP. XXXV. P. R. (s)

Quadraginta millia Allemannorum apud Benacum in Italiæ finibus interfecisse dicitur. Teste Eusebio (t). Au. Victor (u) numerum non addidit, tantum: *adversum aciem Allemannorum haud procul à lacu Benaci dimicans tantam multitudinem fudit, ut ægre pars dimidia superfuerit.* Ab eodem morituro probatus, & sublectus

L. DOMIT. AVR. VAL. AVRELIANVS IMP. XXXVI. P. R. (x)

Qui continuo Tetricum in Gallia regnantem in deditionem accepit, cum seditionibus & turbis militaribus fatigatus toties ingeminaret

Eripe me his, invicte, malis (y).

Gallias restituit. *Vindelicos obsidione barbarica liberavit* (z). Fuisse Allemannos qui oppugnarent Zosimus (a) ostendit: *Imperator*, inquit de eo, *intellecto Allemannos cum finitimis sibi nationibus, Italiam incursionibus vexare decrevisse, non ab re de Roma, vicinisque urbi locis solicitus, satis magno Pannoniæ relicto præsidio, versus Italiam perrexit, & in extremis ad Istrum partibus conserto prælio multa barbarorum millia delevit* (b). Quin tamen Marcomanni ab uno latere; dum alterum defendit, in Italiam irrumperent, omniaque circa Medio-

(y) Herod. Lib. VI. (z) Imp. an. XIII. m. 7. d. 17. A. D. N. CCXXIII. (a) Lib. sup. cit. & Lib. VII. (b) In Alexan. (c) Imp. an. II. A. D. N. CCXXXVI. (d) Parum hoc certum. (e) In iis Strabo. (f) Imp. m. 1. d. 7. (g) Imp. an. I. (h) Imp. an. VI. A. D. N. CCXXXIX. (i) Imp. an. V. A. D. N. CCXLV. (k) Imp. an. II. A. D. N. CCL. (l) Vict. Epit. Pompon. Decio. (m) Imp. an. I. mens. 6. A. D. N. CCLIII. (n) Imp. an. VII. m. 6. A. D. N. CCLIV.

(o) In chron. (p) Brev. IX. (q) In Gallienis. (r) Lib. I. hist. (s) Imp. an. I. m. 10. A. D. N. CCLXIX. (t) In Chron. (u) In Epit. (x) Imp. an. IV. m. 11. d. 7. A. D. N. CCLXXI. (y) Virg. VI. Aeneid. (z) Vopisc. Aurelian. (a) Lib. I. hist. (b) Non procul ab Vlma Sueviæ urbe. Idem Imp. Genevam barbaris eversam restituisse dicitur, & Aureliam nuncupasse.

ea Mediolanum evastarent, obsistere, aut cavere non potuit. Quo tempore ita Romae trepidatum, ut, ultimo refugio, libri Sibyllini jam prope aboliti consulerentur. Idem tamen triumphavit, & inter ceteros, *Gotthi, Alani, Roxolani, Sarmatae, Franci, Suevi, Vandali, Germani, religatis manibus, captivi praecesserunt.* Aureliano interfecto (c) cum per septem menses Imperatorem nullum terrarum habuisset orbis, quae eo tempore gesserint Allemanni, notum ex illa quam Cornificius consul, orationem habuit, cum de Imperatore legendo ad Senatum R. relatum esset. Ait enim: *Referimus ad vos P. C. quod saepe retulimus. Imperator est deligendus. Exercitus, sine Principe, recte diutius stare non potest. Simul quia cogit necessitas. Nam limitem trans Rhenum Germani rupisse dicuntur, occupasse urbes validas, nobiles, divites, & potentes.* Lectus

M. CLAUDIUS TACITUS. XXXVII. P. R. IMP. (d)

M. ANNIUS CLAUDIUS FLORIANUS IMP. XXXVIII. P. R. (e)

M. AUREL. VAL. PROBUS. XXXIX. IMP. P. R. (f)

Statim ut Imperium adiit, *cum ingenti exercitu Gallias petiit* (g) *quae omnes, occiso Posthumo turbatae fuerant: interfecto Aureliano à Germanis possessae. Tanta autem illic praelia feliciter gessit, ut à barbaris sexaginta per Gallias nobilissimas reciperet civitates, praedam deinde omnem, quae illis, praeter divitias, etiam efferebantur ad gloriam. Et cum tam in nostra ripa, imo per omnes Gallias securi vagarentur, caesis prope quadringentis millibus, qui Romanum occupaverant solum, reliquias ultra Nicrum* (h) *fluvium, & Albam* (i) *removit, tantum his praeda barbarica tulit, quantum ipsi Romanis abstulerant.* Pugnare non cessavit, regulos in deditionem accepit, agros colerent, arma ponerent, imperavit. Ex Germania tirones scripsit, quos militiae ordinibus insertos per provincias divisit. Res in Gallia restituit. *Rhaetias sic pacatas reliquit, ut illic ne suspicionem quidem ullius terroris relinqueret.* Quibus de rebus ita ad Senatum literas dedit. *Ago diis immortalibus gratias P. C. quia vestra in me judicia comprobarunt. Subacta est omnis quae tenditur late Germania. Novem reges gentium diversarum ad meos pedes, imo ad vestros supplices, stratique jacuerunt. Omnes jam barbari vobis arant, vobis jam serunt, & contra interiores gentes vobis militant. Supplicationes igitur vestro more decernite. Nam & quadringenta millia hostium caesa sunt, & sedecim millia armatorum nobis oblata, & septuaginta urbes nobilissimae captivitate hostium vindicatae sunt, & omnes penitus Galliae liberatae.* Paullo post. *Arantur Gallicana rura barbaris bobus, & juga Germanica captiva nostris praebent colla cultoribus.* Postremo. *Volueramus P. C. Germaniae novum Praesidem facere sed hoc ad pleniora vota distulimus.* Contra Francos, Burgundios, Vandalos pugnasse Probum Zosimus (k) scripsit: *Acres,* inquit, *pugnas commisit, primum contra Legiones* (l) *Germanicam gentem, quos cum vicisset, ac ducem eorum Semnonem cum filio vivum in potestatem redegisset, supplices factos in fidem recepit, & captivis, omnique praeda recuperata, quam habebant, certa quadam stipulatos dimisit, ipso quoque Semnone, cum filio, reddito. Alterum contra Francos praelium pugnavit, quibus opera ducum strenue victis ipse cum Burgundionum, Vandilorumque copiis dimicavit.* Sub Aureliano & Probo Gallias invaserant imperii nomine, Bonosus, Dux Rhaetici limitis, & Proculus, de quo ita Vopiscus (m): *Nonnihil* inquit, *Gallis profuit. Nam Allemannos, qui tum adhuc Germani dicebantur, non sine gloria splendore contrivit, numquam aliter, quam latrocinandi pugnans modo.*

M. AUR. CARUS. MANL. AUREL. IMP. XL. P. R. (n)

M. AUR. CARINUS. ET. M. AUR. ROMUL. NUMERIANUS. IMPP. XLI. P. R. (o)

Sed hujus Carini, qui Occidenti praeerat, cum Orientem teneret frater Numerianus, multis Galli injuriis exacerbati, non solum tumultu Bagaudarum nomine facto, ducibus Amando & Aeliano defecerunt, sed alias insuper ultra Rhenum gentes excitarunt. Quamobrem Diocletianus qui, interfecto Numeriano, Orientis imperium acceperat, cum tot occurrere hostibus, caeso pariter Carino, posse diffideret, Maximianum Herculium primo Caesarem nominavit X. Martii. Tum vero imperii consortem adsumsit, Imperatorem salutavit, & occidenti praefecit, Galerio, & Constantio etiam postea Caesaribus subiectis.

C. AUR. VAL. DIOCLETIANUS. ET. M. AUREL. MAXIMIANUS IMPP. XLII. P. R. (p)

FL. VALER. CONSTANTIUS CHLORUS ET C. GALERIUS VALERIUS MAXIMIANUS NOBILISSIMI CAESARES. (q)

Maximianus Imp. primo quidem superatis Alpibus, cum Agaunum venisset vota concepit, sacrificia Jovi Poenino obtulit, omnem exercitum lustravit, quibus sacrificiis cum interesse, aut frui nollet Thebaea legio, quam paullo ante Diocletianus ex Thebaide, ubi praesidium agitaret deduxerat, Duce Mauritio, & in occidentem miserat, primo decumari, pristino militiae more revocato, postea, cum in suscepta fide Christi perduraret, integram interfici mandavit; pauci inde elapsi sunt. Tum in Amandum, & Aelianum profectus, in deditionem utrumque accepit, Gallos agrestes exarmavit, agrorum cultui pristino reddidit, tum vero Allemannos ultra Rhenum progressus multis praeliis fregit, regionem eorum, ferro, flammaque vastavit, tropaea in media Germania constituit, barbaras nationes, praesertim Francorum, deditas, & subactas in Galliam, quae multis locis, propter frequentes irruptiones hostium, haut perinde cultae erant, transtulit, agrisque consignavit. Unde Panegyristes: *Quid loquar intimas Franciae nationes, jam, non de iis locis, quae olim Romani invaserant, sed à propriis ab origine sui sedibus, atque ab ultimis barbariae litoribus avulsas, ut in desertis Galliae regionibus collocatae, etiam pacem Romani Imperii cultu juvarent, & arma delectu.* Qui fuerint agri, & loci in quibus Franci collocati, alibi ostendit: *Tuo, Maximiane*

(c) A. D. N. CCLXXVI. (d) Imp. m. 6. d. 20. (e) Imp. mens. 1. d. 20. (f) Imp. an. V. A. D. N. CC LXXVII. (g) Vopisc. Probo. (h) Necker qui prope Rotvillam fluit. (i) Alb. fl. ex Harcinia & S. Blasio inter Valtshut & Lauffenberg Rheno influit. Sed hoc loco accipienda ea regio quae inter Nicrum & Danubium sita, etiam nunc Alb, vel Alp dicitur (quod idem esse Strabo lib. 4. testatur) & Ulmam usque fere protenditur. Frustra hoc loco quidam Albim repusuere ignari rerum locorumque. (k) Lib. 1. hist. (l) Alii Scriptores Logios vocant inter Saxones populos.

(m) In Proculo. (n) Imp. an. I. A. D. N. CCLXXXII. (o) Imp. an. I. m. 6. A. D. N. CCLXXXIII. (p) Imp. an. XVIII. m. 10. d. 8. (q) Ausonii quartum post annum, & cum Au. regnarunt an. XIII. m. 1. d. 20.

miam Augustæ, nutu, Nerviorum, & Treverorum arva jacentia latus postliminio, & receptus in leges Francus excolit. Pax ita aliquanta R. provinciis fuit, commissis inter se barbaris nationibus. Unde Belgicus ille Orator. *Furit*, inquit, *in viscera sua gens effrena Maurorum: Gotthi Burgundios penitus exscindunt: pro victis rursus armantur Allemanni: Itemque Tervingi pars alia Gotthorum, adjuncta manu Taifalorum, adversum Vandalos, Gepidasque concurrunt.* Postea, *Burgundiones Allemannorum agros occupavere, sed sua quoque clade quæsitas Allemanni terras amisere, quas repetunt.* Nec tamen ista nisi ad præsentiam Maximiani, ubi procul esse notuit subito arma in Romanos contulere Allemanni (r): Rhætiam, Helvetiam, Rauracos, Sequanos pervastarunt, urbes & castella funditus everterunt, vicos incenderunt, ferro & occidione passim grassati sunt, in Lingones usque promoverunt. Obvius cum exercitu Cæsar Constantius fa- ctus, pulsus, fugatus, & fusus (s). Ipse saucius, occlusis oppidi Lingonum portis, resti ex mœnibus submisso attractus, vix hostium manus evasit. Collecto tamen animo, & copiis: quæ dies profugum viderat, eadem hostium victorem accepit. Vix enim horis quinque delapsis, suos pro victoria, & præda: Gallos pro salute, & libertate cohortatus, talem in hostes incautos, & præterita victoria securos impetum fecit, ut, Sexaginta millibus contrucidatis, reliquos in fugam conjecerit. Qui cum se pariter collegissent, inque Vindonissæ campis in Helvetia consedissent, aliosque ex Germania convocassent, secundo prælio sic rursum afflixit, ut ne reliquiæ quidem Allemannorum in Helvetia, aut Gallia remanserint, omnibus qui hostili essent animo ultra Rhenum profligatis. Hinc illa Oratoris exclamatio: *Quid memorem Lingonicam victoriam, & Imperatoris vulnere gloriosam? Quid Vindonissæ campos hostium strage completos, & adhuc ossibus opertos?* Ita exiguo tempore Constantius, duobus præliis feliciter patratis, non solum Galliarum, & utriusque Germaniæ limites restituit, sed etiam quæ vastarant castra, & castella Allemanni, toto Rheno Danubioque reparavit, ut ante partim ostendimus. Indicat Æduus panegyristes. *Toto*, inquit, *terrarum orbe, non modo qua Romanus limes virtute vestra recepto, sed etiam hostilis, edomito, cum toties proculcata esset Allemannia, toties obstricta Sarmatia, Virtungi, Quadi, Carpi toties profligati, submittente se Gottho, pace petenda, supplicante per munera Persarum rege, urebat animum una illa tanti imperii contumelia, quod Britannia adhuc in potestate Carausii esset.* Item. *Partho ultra Tigrim redacto, Dacia restituta, porrectis usque Danubii caput Germaniæ Rhætiæque limitibus.* Verus, & antiquus Rhætiæ primæ terminus Danubii fons, Ptolemæo teste (t). Eumenius quoque (u). *Nam quid ego*, inquit, *alarum, & cohortium castra percenseam, toto Rheni, & Istri, & Euphratis limite restituta? quot ubique muri, vix repertis veterum fundamentorum vestigiis excitantur?* Paullo post: *Nunc demum juvat orbem spectare depictum, cum in eo nihil videmus alienum.* Atque hunc ortum, hæc gesta Allemannis nomine, genteque promiscuis fuisse putaverim, cum Germani, iidem nationis universæ, modo Allemanni, sumto novo vocabulo, passim ab integris scriptoribus nominentur. Et quamvis nominis derivatio Quadrati certa esse possit; virtutis tamen origine potius existimaverim. Ut enim primi qui Rhenum trajecerunt, Gallosque sedibus expulerunt, Germani, hoc est, plane viri, re fortiter gesta, nomen invenerunt, auctore Tacito (x) ita qui Romanorum servitutem potentiamque ultra ferre non potuerunt Allemannos, hoc est, omnes viros dictos credibile judicaro. In quam sententiam venisse etiam Gottfridus Viterbiensis (y) videtur, his versibus.

Rhenus ab antiquis describitur esse Lemannus,
Indeque nonnulli dictos referunt Alemannos;
Sed vox æquivoca nomina falsa parat.
Illud ego nomen alia video ratione.
Quidquid prisca sonent, quod sentio, litera promet
Lector ab hinc capiet quæ magis apta sonent:
Alle sonat totum: man, vir. Si Theutona lingua
Hæc duo conjungat, totum vir litera signat.
L. geminata satis nomina clara facit.

Nam quod Otho Frisingensis (z) Allemannos à Lemanno fluvio quem eum esse dicit qui ex lacu Tigurino egressus in Rhenum exoneratur, Limagum nunc potius vocant, frustra est, ex mei animi arbitrio. Allemannorum porro cultum, & armaturam his paucis Agathias (*) notat. *Plerisque*, inquit, *bello detecta sunt capita, perpauci casside operti, armis decernunt, sed pectore nudato, & tergis ad infimos renes, amiculo præterea lineo, partim è corio succincti, & tibias contegunt.*

(r) A. D. N. CCXCIV. (s) Eutrop. Breviar. IX. (t) Lib. III. Cosmog. (u) Oratione ad Præsidem Galliæ pro restituendis Menianis scholis.

(x) Libello de morib. German. (y) Parte IX. (z) Lib. I. gest. Frid. I. cap. 8. (*) Lib. II.

CAPUT IV.

Constantini Magni præclara facta, & liberorum. Lentiense bellum juxta Acronium, & Juliani Cæs. insignes victoriæ.

C. AVR. VAL. FLAVIVS CONSTANTINVS IMP. I. P. R. CHRISTIAN. IN OCCIDENT. (a)

Constantini contra Allemannos victoria. R. Imperii divisio inter Constantini liberos. Constantius in Rauracis contra Allemannos. Pacem & fœdus cum iis fecit. Bellum Lentiense. Arbetio ab Lentiensibus fugatus. Et ipsi ab Arintheo. Allemanni prædabundi Lugdunum usque pervenere. Barbetio ab Allemannis Helvetia, Castrisque ejectus, fusus, fugatus. Allemannorum conjuratio. Prælium Argentoratense. Cæsorum hostium numerus. Julianus Allemanniam vastavit. Pacem petentibus dedit. Supplices suscepit. Julianus Imperator & Augustus in Rauracis salutatus. Julianus in Francos. Vadomarius rex Allemannus captus per insidias. Summa gestorum Juliani in Gallia. Julianus divinitus interfectus.

CONstantio Cæs. Eboraci in Britannia mortuo, cum jam ante Diocletianus, & Maximianus imperio abiissent, ille Orientis, hic Occidentis, Constantinus, qui postea, cùm primus Imperatorum Christianam pietatem cepisset, confirmassetque meritis suis Maximus dictus est, regnare in Occidente co-

(a) Imp. an. XXX. A. D. N. CCCVII.

te cœpit feliciter. Is primo contra Francos bella habuit, quos prœliis aliquot fractos, eorum reges etiam bestiis pro munere objecit, contra vero Bructeros, Cheruscos, Vargiones, Tubantes Allemannorum gentes eam victoriam consecutus est, ut dixerit Nazarius panegyristes, unum hoc bellum, si debitis laudibus immorari liceret, diem integrum absumturum, quo factum modo ut quietem ab his hostibus toto prope imperio habuerit. Constantini liberi primum ex parte à vera pietate discesserunt, tum vero paternam virtutem minime consecuti sunt. Ille barbaris subjugandis fortitudinis exempla reliquerat: Hi suo se sanguine commacularunt. Constantinus major natu, cum Constante minore Hispanias, Galliam, Italiam, Africam, Illyricum, Græciam provincias testamento acceperunt (b). Orientis imperium Constantius, & ejus caput Constantinopolim, cum Thracia & Ægypto. Nec longa fuit concordia fratrum. Orta inter Constantinum, & Constantem de Italia controversia, Constantino apud Aquileiam interfecto, Constans, cujus fraude perierat, totius Occidentis imperium adiit (c).

FLAVIVS CONSTANS IMP. II. P. R. IN. OCCID. (d)

Ipsum aliquamdiu firmum, quamdiu scilicet virtuti locum fecit; Ubi se indignis amoribus adligavit, venationibus & luxuriæ tradidit, ansam simul Magnentio Comiti ipsius occidendi, & imperii per vim occupandi obtulit. Magnentius statim Decentium, & Desiderium fratres Cæsares nuncupavit (e): Huic Hispaniarum regna: illi Gallias imperio administrandas dedit. Imperii vero summam sibi reliquit. Bellavit Decentius cum Allemannis improspere. *Chonodamarius* ait Ammianus (f), *rex Alemannorum, & Decentium Cæsarem superavit, æquo Marte congressus, & civitates multas claras vastavit & opulentas*. Magnentius vero cum Constantio, qui jam solus legitimus orbis R. arbiter, congressus in Pannonia primo superatus est, tum secundo prope Ticinum victoriam adeptus multis post prœliis fractus, dilabente paullatim exercitu, seipsum Lugduni interemit (g). Primo sane prœlio vires Imperii concidisse, auctor Aurelius Victor (h). *Constantius*, inquit, *cum Magnentio in Pannonia apud Mursam dimicans, vicit, in quo bello, pæne nunquam amplius Romanæ consumtæ sunt vires, totiusque imperii fortuna pessumdata*. Magnentiano bello confecto, Occidentis totius, cum Oriente compos factus

FL. CONSTANTIVS II. IMP. III. P. R. (i)

In Gaudemadum & Vadomarium fratres, Allemannorum reges, qui crebris excursibus, & libertate civilis præteriti belli, Galliam, Helvetiam, Sequanos, Rauracos populabantur, arma vertit. Copiis primo vere eductis, in Rauracis, Rheni ripas insedit, ne flumen navium compage conjungeret, hostium accidentibus telis, in morem grandinis, prohibitus est. Cum ea ratione quid potissimum in hostes moliretur dubitat, ex indice forte vadosum, certo loco flumen agnoscit. Vnde facile in hostes irrumpere licuisset, nisi præcipui militiæ ordines ex Allemannorum gente popularibus pepercissent; & reges, mutato consilio, veniam delictorum quæsivissent, quam Imperator, advocata militum concione, haut gravatim certis condicionibus dedit, & fœdere icto munivit. Inde Mediolanum in hiberna discessit. Nec multo post Lentiensibus (k) bellum indixit, eadem caussa (l). In Rhætia, Campis Caninis, cum substitisset, Arbetionem M. Eq. cum copiarum parte præmisit, qui Brigantii laci ripas sublegens, hostes eliceret, sed dum speculatorum, quos miserat, adventum negligit, paulloque incuriosius agit, repente ab hostibus per insidias circumventus, vix fuga & noctis beneficio elapsus est, plurimis interfectis, in quibus tribuni decem. Id successus animos hostium sustulit jamque Romanorum munimenta, & castra oppugnare adausi, exscidium ferro, voce vultuque, minabantur, donec Arintheo, Seniunchoque Comitibus, & Bappone duce cum selecta Promotorum manu erumpentibus, in fugam fœdissimam conjicerentur. Re in hunc feliciter modum restituta, Mediolanum Imperator, ut instituerat rediit, apud nostrates illi monimentum hoc positum.

IMP. CAES. VAL.
CONSTANTIO PIO
FEL. INVICTO. AVG.
DIVI CONSTANT. PII. AVG.
FILIO. FOR. CL. VAL. BONO.
REIPVBLICAE NATO.

Dum vero Mediolani Orthodoxis exagitandis, tempus ponit, non minus frequentibus nunciis concutitur, Allemanorum reges Francorumque omnibus posthabitis, nemine contra nitente, ad internicionem vastare universa. Itaque animi anxius, cum nec hostibus immittere se, nec florentissimas provincias prædæ relinquere, aut perdere, pari vecordia, recusat, Julianum patruelem Achaja accire, Cæsaremque nominatum Galliæ præficere constituit, & VIII. Idum Novemb. eodem anno perfecit. Julianus Cæsar, exiguo comitatu, Kal. Decemb. Mediolano egressus est, rectaque Taurinos pervenit (m) ubi Coloniam Agrippinam, quod hactenus de industria fuerat silentio oppressum, pertinaci barbarorum obsidione occupatam, & eversam accepit. Inde Viennam discessit, illicque aliquamdiu deliberationis nomine moratus, peteretne Francos & Belgium; Allemannos, recta acie, per Decempagos invadere potius existimavit (n). Motis igitur Vesontione castris, ubi opperiri se copias jusserat, inde humecto & nubilo die profectus, cum aeris & nebularum intemperies pœne aspectum subducerent, hostes ex insidiis duas prope delessent legiones, gnaritudine locorum, & habilitate, nisi clamore attoniti socii auxilia præsto contulissent. Quod monimento Juliano in posterum fuit, insidias & hostium fraudes undiquaque cavendi. Cum vero audisset Argentoratum, Breucomagum, Tabernas, Salisonam, Nemetas, Vangi-

(b) A. D. N. CCCXXXVII. Zosim. Lib. II. Eutrop. Breviar. X. (c) An. D. N. CCCXL. (d) Imp. solus an. IX. m. 9. d. 9. (e) Tyrannidem tenuit an. III. m. 6. dies aliquot. A. D. N. CCCL. (f) Libro XVI. hist. (g) A. D. N. CCCLIII. (h) In Epitome. (i) Imp. an. VIII. A. D. N. CCCLIII. Ammianus Lib. XIV.

(k) Lintzgevver ad lacum Constantiensem. A. D. N. CCCLV. (l) Ammian. Lib. XV. (m) Zosimus Lib. III. (n) A. D. N. CCCLVI. Ammian. Lib. XVI.

Vangiones, Maguntiacum (o), barbaros occupasse, eorum territoria incolere, primo Breucomagum in potestatem redegit, tum cum hostibus ubique occurrentibus congressus, partim cecidit, partim in alteram ripam profligavit, quibus ita compositis ad Agrippinenses liberandos discessit, Francisque pacem petentibus, urbeque quam occuparant, reddita, in deditionem suscepit, & in Senonum (p) opidum demum in hiberna discessit. Vix opidum tenuerat, & per municipia copias diviserat, cum barbari, ejus capiendi confidentia undique Cæsarem insedere, nec nisi post tricesimum diem cum frustra omnia tentassent, obsidium reliquere (q). Exacta sic hieme, quia licentius & ferocius agebant, insultabantque Allemanni, eos omni ex parte aggredi, & in angustias concludere decrevit. Missus Barbetio M. Ped. ex Italia, cum XXV. millibus, qui secundum Rauracos impetum faceret, Julianus cetera copiis cingeret. Sed dum ea consilia agitantur, inter utriusque exercitus castra fraude læti barbari, Lugdunum usque penitravere, ægreque ab urbis mœnibus repulsi, omnia subjecta diripuere. Quod cum comperisset Cæsar aliquot equitum turmis itinera, quibus itineribus erant redituri Allemanni, obsedit, palantesque & præda plenos impune cecidit. Quibus gestis, & præsentia duorum fortissimorum exercituum territi hostes, alii in Rheni insulas, plerique in ulteriorem ripam transiere, omnesque aditus, cæsis immensi roboris arboribus, interclusere. At Julianus, cum æstate adulta, vadari flumen Rhenum intellexisset, Bainobaudem Cornutorum tribunum, cum expedita velitum turba, ut barbaros urgerent, emisit, qui trajecto qua brevia dabant fluvio, tum clipeis subjectis enati, opera memorabili insulam (r) occuparunt, remque fortiter gesserunt, cæsis nullo discrimine, aut sexu hostibus, & tota insula ejectis.

His ita feliciter transactis, cum restituendis opidis, & castellis paullo ante eversis, animum applicuisset Cæsar, & jam Tres Tabernas eduxisset, præsidio, & commeatu in annum munisset, Allemanni Barbetionem qui ad Rheni superiora, in Rauracis & Helvetia castra habebat, præcipiti impetu, vallo, munimentisque ejecerunt, fugientemque Augustam (s) usque Rauricam persecuti sunt: præda, & omnibus impedimentis occupatis. Inde nova inter barbaros conjuratio: Convenerunt Chonodomarius & Vestralpus, tum Urius, & cum Suomario & Serapione Hortarius, omnes reges, maximisque quamtum fieri potuit, copiis factis, misso ad Cæsarem nuncio, terris abscederet, virtute sibi quæsitis & bello, prope Argentoratum consedere. Julianus nihil territus exercitum primo mane Tabernis eduxit: declinante meridie in hostium conspectum venere. Ibi cum quiescere, projecto in noctem aggere, Cæsar maluisset, prælium & pugnam milites præoptavere. Itaque ordinibus, pro loco & tempore compositis, Cæsariani equites primo fusi & fugati; pedites hostium impetum excepere, Cornutis maxime, & Braccatis militiæ peritis, & longo usu firmatis, contra innitentibus. Ibi veluti torrente ad rupem colliso barbarorum furor & impotentia stetit, donec, sole decumbente, deficerent, plurimis cæsis, nec paucioribus flumine Rheno suffocatis, ceteri fuga per tenebras dilaberentur, Chonodomario solo retracto. Julianus consensu omnium Augustus, & Imperator salutatus. De hoc prælio, & Juliano Victor (t). *Iste*, inquit, *in campis Argentoratensibus, apud Gallias, cum paucis militibus, infinitas hostium copias delevit. Stabant acervi montium similes: fluebat cruor fluminum modo, captus rex nobilis Chonodomarius, fusi omnes optimates, redditus limes Romanæ possessioni.* Quantæ autem fuerint hæ deletæ copiæ solus, puto, in numerato habuit Zosimus (u), favorene hujus apostatæ, an ex vero? *Quum nunciassent*, inquit, *exploratores propter urbem Argentoratum, quæ ad Rheni ripam sita est, infinitam barbarorum multitudinem transjecisse, simul atque rem cognovit, cum copiis opere tumultuario collectis, progressus est, & conserta cum hoste pugna, tropæum longe amplissimum statuit, sexaginta millibus hominum in ipso prælio deletis, & aliis totidem in Rhenum præcipitatis atque in flumine exstinctis.* De Argentorato, ex vico, per eumdem, credo, Julianum, aut certe Valentinianum I. qui successit, in opidi formam restituto, & hac pugna paucis etiam meminit Ausonius (x), his versibus:

> *Transieram celerem nebuloso flumine Navam,*
> *Addita miratus veteri nova mœnia vico,*
> *Æquavit Latias ubi quondam Gallia Cannas,*
> *Infletæque jacent inopes super arva catervæ.*

Adeo insignem victoriam consecutus Julianus ad Tres tabernas regressus est (y), prædam, & captivos in Mediomatrices dimisit. Inde Maguntiacum profectus ponte fluvium trajecit, & in Allemannos ferro, flamaque grassatus est. Ultimo pacem imploravere, & veniam. Data in mensem decimum. Ejus fiducia tres reges Allemannorum qui bello præterito auxilia hostibus suppeditarant, supplices & trepidi ad Imperatoris genua accidere, conceptisque, ritu patrio, verbis, nihil moturos juravere. Imperator rursus ad hiberna Parisios, pace in hanc rationem ad tempus firmata, profectus est, & ne quid per otium transmitteret, tributis recensendis animum occupavit. Vix hibernis finitis (z), in Francos qui Salii dicuntur movit nihilque adhuc timentes, veluti fulminis turbo, percussit: ab oppressis quæ voluit impetravit. Cumque Germaniæ inferiora composuisset, castella & munimenta eversa refecisset, Rhenum rursus transiit, supplicemque regem Suomarium (a) habuit, qui veniam ea lege meruit, si captivis redditis maleficio abstineret, alimenta exercitui administraret. Omnia promte expleta. Post Hortarii regionem petivit. Missi Nectica tribunus scutariorum, & Charito, qui captivum abducerent, cumque pariter captivos remissurum, commeatus largiturum, excisa reparaturum adjurasset, dimissus est. Imperator ex Germania in alteram ripam regressus est (b). Verum omni ex parte attentus, ne præteritorum recordatione, aut suopte ingenio erumperent barbari, novosque motus concirent, quod de fide quorumdam jam dubitaret, Hariobaudem spectatæ virtutis & fidei tribunum, ad Hortarium regem, specie legationis, dimisit, qui postea quæ agitarentur, per

(o) Strasburg: Brevcmag vicus: Zabern: Sels: Spirer: Wormser: Mentz. (p) Hodie Lutetiam aut Parisios vocant. (q) A. D. N. CCCLVII. (r) Sunt qui hanc insulam esse eam credidere, quæ infra Schafhusium est, ego potius Seckingam affirmarim. In Rauracis enim ista, ubi tum Julianus. (s) Augst supra Basileam.

(t) In Juliano. (u) Lib. III. (x) In sua Mosella. (y) Ammian. Lib. XVII. (z) An. D. N. CCCLVIII. (a) Tenebat is Palatinatum inferiorem, ut Hortarius superiorem. (b) A. D. N. CCCLIX.

per barbarici sermonis notitiam investigaret (c). Ipse temporis interea quod esset, reparandis opidis, castellis, horreisque novis construendis, in quæ annonam ex Britannia, & aliis locis, devectam inferret, absumsit. Cum intellecta ab Hariobaude percepisset, exercitum Maguntiacum duxit, ponteque navibus colligato, in hostium finibus improvisus adparuit, rapinisque & incendiis inimicos exercuit, cædeque, & vastatione ad regionem cui Capellatii, vel Palas (d) nomen est, pervenit, ibique castra posuit, & Macrianum Hariobaldumque fratres, qui regnum non procul obtinebant, in deditionem suscepit. Hos rex & ipse Vadomarius secutus est, cujus erat domicilium contra Rauracos (e). Is Constantii Imperatoris literis & commendatione, antiquaque clientela notus, non tam culpæ alicujus adfinis, quam deprecator pro Urio, Ursicino, & Versalpo regibus advenit. Cum etiam legatos, qui pacem exorarent, misissent; omnibus data. Sicque hiberna petita. At vero Constantius Augustus, cum res in Gallia gestas audisset (f), sive invidia, & æmulatione, aut, quia sic flagitarent rebelles Sarmatæ & Quadi, sibi Julianus mitteret Celtas & Petulantes strenuissimos militiæ ordines & exercitus robur, imperasset, ægerrime accepere milites, concitatisque postea animis, separationem copiarum abnuerunt, utque rebellionis pœnam effugerent, Julianum, qui nihil umquam aliud ambiverat, ex palatio extractum Augustum & Imperatorem magnis clamoribus adpellaverunt, temereque arrepto ex Cornicularii cervice torque, caput ejus pro diademate obvelaverunt. Ipse renitenti similis, cum se quæ tamdiu depetierat adsecutum intelligeret, commemoratis pro tempore in militum corona suis factis, eorumdemque voluntate, & animis collaudatis, ad Constantium Augustum, ut quæ acta essent adprobaret, legatos destinavit. Cum hæc ita in Rauracis ubi tum agebat, abiissent, in Francorum regiones expedivit, captisque plurimis, & occisis, pacem pro arbitrio orantibus dedit, præsidiisque Rhenani limitis exploratis, & correctis, in Rauracos rediit, locisque recuperatis quæ Allemanni tenebant, ut sua, iisque pleniore cura firmatis, per Vesontionem & Sequanos, Viennæ hiematurus abscessit. Ubi, dum firmandis consiliis in futurum (g) dies impendit, & noctes, & apertone peteret Marte Constantium, an ad concordiam omnibus alliceret modis hæsitabundus subdubitat, gravis nuncius animum perculit, Vadomarium regem à quo nil timebatur in Rhætias propinquas (h) invasisse, in prædisque & rapinis impune versari. Ita consiliis ad tempus positis, de ulciscendo hoste unice solicitus, Libinonem Comitem cum Petulantibus & Celtis qui Allemanno occurrerent, propere expedivit. Hostem Libino apud Sanctionem (i) adsecutus. Nulla mora pugnam init, primusque interfectus est, animumque morte comperta hostibus adauxit, validiusque irruentibus Romani cæsi & fugati. Fama fuit Vadomarium regem Constantii literis solicitatum, his Julianum rebellionibus in Galliis distineret, promisso furtum auxilio & opibus, quibus bellum duceret. Sed Julianus cum sibi belli moras spe & voluntate longiores interjici animadverteret timeretque ne Vadomarii exemplum ceteri Allemannorum principes sequerentur, regem insidiis præoccupare tentavit, misso quasi ad amicum nulliusque rebellionis compertum Philagrio Notario cum mandatis, Allemanno literas ne redderet, nisi Rhenum trajecisset. Vadomarius sive nihil hostile timeret, sive eadem arte luderet, innocentemque confidentia profiteretur, ad ulteriorem ripam in Rauracis invitatus à Notario accessit, moxque convivio lauto acceptus, dum incautius agit, re inopinata vinculis se oneratum perspicit, indeque in Hispanias transportatus est. Hoc facto ex animi sententia elatior Julianus, nihil remittentibus curis, barbaros summis viribus opprimere, ne in posterum resurgerent, constituit; trajectoque per noctem Rheno, ne rumore hostes in montium & silvarum remotiora & secreta dilaberentur, ferro, cæde, flammaque cuncta complevit. Postremo pacem obsecrantes, & firmam quietem pollicitos, data obsidum multitudine, in deditionem suscepit. Tum vero sic rebus per Galliam compositis, hostibus omnibus ultra Rhenum submotis, Romani imperii finibus restitutis, & novis præsidiis auctis & confirmatis, pace undique comparata, defectionem publice professus, cum paucis animi sui sententiam apud milites explicuisset, ad Daciam & Pannonias præoccupandas profectus est, Sallustio Præfecto prætorio Galliarum constituto. In Thraciam cum venisset, certum de morte Constantii nuncium accepit. Febri is & mœrore contra Julianum bellum parans acerrimum in Cilicia contabuerat IV. Non Oct. Ita rerum solus arbiter triumphabundus

(c) Ammian. Lib. XVIII. (d) Nunc Pfaltz vel Palatinatum dicimus. (e) In Brisgau & circa Harciniam. (f) A. D. N. CCCLX. Ammian. Lib. XX. (g) Ammian. Lib. XXI. (h) Helvetiam & Tauriacorum pagum. (i) Seckingen esse putant quod ita est.

FL. CLAVD. IVLIANVS IMP. IV. P. R. (k)

Constantinopolim ingressus est. Tum ad bellum Persicum quod cœperat Constantius, se accinxit. Persecutionem interim in Christianos, ejurata religione, quam hactenus & toto illo tempore, quod in Gallis transegit, præ se tulerat, novam & incognitam molitus. Commissa demum cum Persis pugna, quem Nazareum & Gallileum per contemptum & ignominiam vocitabat DEVM, & justum ultorem cum esset expertus, telo divinitus transverberatus occubuit VI. Kal. Julii (l). Electus militari voto ordinis Domesticorum

FLAV. IOVIANVS IMP. V. P. R. (m)

Joviano bono magis, quam strenuo Principi, successit V. Kal. Martii,

FLAV. VALENTINIANVS. I. IMP. VI. P. R. (a)

(k) Imp. An. I. m. 7. d. 20. A. D. N. CCCLXI. Amm. Lib. XXII. XXIII. XXIV. (l) A. D. N. CCCLXII. (m) A. D. N. CCCLXIII. Imp. m. 7. d. 22. (a) Imp. an. XI. m. 10. d. 8. A. D. N. CCCLXIV. Ammian. Lib. XXVI.

CAPUT V.

De Valentiniani I. & Gratiani F. Impp. fortiter gestis, & sequentium Impp. Quando primum Allemanni Helvetiæ partem occuparunt.

Allemannicæ rebellionis causa. Allemanni in Helvetiam,

tiam, & viciniam. Jovinus Allemannos pluribus prœliis vicit. Saxones, & Franci. Valentinianus contra Allemannos Rhenum trajecit. Allemanni victi. Valentiniani cura & magnitudo animi. Valentinianus Rhenum munit. Barbaros inter se committit. Burgundiones instigatu Imp. contra Allemannos. Theodosius M. Eq. Allemannos pluriens vicit. Valentiniani contra Allemannos eosdem, consilia, & gesta. Valentinianus juventutem Rhenanam, in qua Helvetii, ordinibus adscripsit. Lentienses in Helvetiam, Rauracos, & Sequanos solita levitate. Prœlium Argentuariense, prope Colmariam in Elsatia. Allemanni in Helvetiam & Rauracos à Gratiano Imp. traducti. Eorumdem in Helvetia sedes. Helvetii pro Theodosio contra Eugenium, & quare.

EOdem tempore, veluti classicum insonantibus quatuor orbis cardinibus, ita undique barbaræ gentes proximos sibi limites persultabant. Allemannis quidem, ut inde mihi, ut hactenus, principium ducatur, parva rebellionis causa fuit. Legatis eorum ad Comitatum missis, dona, ex consuetudine dari solita, leviora fuere, quam ab novo Principe speraverant. Hinc iræ & indignatio, & projecta in medium munera per contemtum, indignum judicantibus petere aut exspectare quæ vi consequi possent. Accessit Ursatii officiorum Mag. in eosdam asperitas sæva & agrestis. Igitur regressi in majora & tristiora apud populares omnia auxere. Justum ea causa bellum furentibus, & cæcis cupidine & iracundia, in Rhætiam primo, Helvetiamque, & Rauracos impetum dedere, & præda, & vastatione impune satiati sunt. Daglaipho quidem in præsens occurreret hostibus mandatum, moxque cum copiis Imperator subsecutus apud Senonas hiemem habuit. Neque ideo quievere Allemanni. Ineunte enim Januario (b) concreta glacie, flumina patrio more transvecti etiam licentius quam antea extra limites grassati sunt. Obvii Carietto & Severianus Comites male accepti, ille etiam morte interfectus est.

Tertius Jovinus Mag. Equ. multis secundis successibus rem prolapsam restituit (c), terque prælio diversis locis & copiis congressus, egregiam victoriam reportavit, feliciterque defunctus Parisios lætus & ovans regressus est; & postea Consul præmii & honoris loco dissignatus. Interea (d) Saxones & Franci Germaniæ inferiora agitabant, quibus reprimendis dum Valentinianus incumbit, Rado regulus Allemannorum Maguntiacum invasit & præsidiis vacuam prædatus est. Dum Viticabius Vadomarii filius juvenis ferox & inquietus in Rauracis & Helvetia paria meditatur, forte à domestico trucidatus est. Et ejus morte paullo excursiones acquievere. Sed Valentinianus gentem toties rebellem tantisque Romanorum & sociorum cladibus & ruinis claram subjugare & funditus evertere cogitans, quam maximis copiis ex Illyrico Italiaque concitis, Rhenum cum Gratiano F. trajecit, diebusque aliquot emensis, cum qui resisteret appareret nemo, sata tectaque corrupit & incendit. Apud Solicinium (e) castris positis demum nuncius fertur certus de hostibus: & copiæ statim instructæ; varie deinde dimicatum, non sine Romanorum cæde & Imperatoris periculo. Tandem hostes fusos montium, & silvarum latebræ excepe-runt, Imperator Treveros, milites in hiberna abiere. Proximo vere (f) cum obsides pacis hostes dedissent, ne milites obtorpescerent, id quoque ad imperii decus & firmamentum tum provinciarum & Sociorum tutelam arbitratus, magno animo & opera utibili Rhenum omnem à Rhætiarum exordio ad Oceanum magnis munire molibus instituit, castra & munimenta antiqua altius extulit, ne uspiam latere hostes possent, novas turres & propugnacula, locis oportunis, condidit, quamtum Galliæ porrigitur longitudo cuncta firmavit, etiam ultra Rhenum operibus supra Nicrum castra præsidiaque collocavit & hostium agros præstinxit. Idem quoque secundum Danubium contra Quados ceterosque barbaros fieri mandavit. Sed cum neque sic compescerentur Allemannorum gentes, Macriani præcipue regis sollicitatu & persuasionibus adeoque magis magisque intumescerent, barbaras inter se nationes committere decrevit (g). Muneribus itaque & promissis Burgundionum animos corrumpens, hominum bellicosorum, quique immensæ turbæ viribus adfluerent, proindeque finitimis omnibus metuendi essent, ut Allemannos vicinos ab uno latere invaderent, se alterum occupaturum, literis instigavit. Paruere Burgundi, catervasque lectissimas misere, quæ cum ad Rhenum consedissent Romano militi, exstruendis munitionibus intento, nec armis militaribus accincto, maximo fuere terrori. Illo in loco, cum moras aliquamdiu traxissent, nec Imperatoris promissa, aut copiæ apparerent, se irrisos rati, captivis interfectis, ad suos rediere. Hanc tamen occasionem Burgundici apud proximas gentes tumultus, haut quaquam negligendam putavit Theodosius Mag. Eq. ejus qui postea magna laude imperavit pater. Allemannos enim per Rhætias & Helvetiam metu Burgundionum palantes, pluribus locis & congressibus cecidit, captivos in Italiam transportavit, & sede ad Padum jussu Principis adsignata, ad agrorum cultum compulit. Neque cessavit Valentinianus. Sed cum Macrianum regem, aperto Marte, domare nequiret, quin adultis viribus valentior resurgeret, ad dolos alios convertit, cognitoque per transfugas, ubi opprimi posset, Severum pedestrium ducem cum expedita manu Rhenum navibus trajicere mandavit (h), ipse quoque per nocturnas tenebras, relictis in altera ripa impedimentis, enavit. Et regem quidem Macrianum re subita oppressisset, nisi milites solita pervicatia mandatorum negligentes per rapinas & incendia immotuissent, eademque opera regis transfugio viam aperuissent. Imperator cum ad quinquagesimum lapidem hostiles agros inflamasset, voti falsus intemperantia militari, Treveros mœstus se abdidit, captaque in contrarium sententia Allemannorum reges Fraomarium, Hortarium, & Bitheridem, in Comitatum accitos, militum certis ordinibus præfecit & honoribus devinxit, quamvis Hortarium proditionis convictum, & cum Mariano convenire postea literis deprehensum, flamma interfecerit. Inde muniendis Rheni ripis perseveravit. Dumque apud Basiliam munimentum ædificat (i), Robur vulgo incolis dictum, Illyricæ cladis nuncium accepit, cui cum succurrere nihil potius existimaret, ingruente jam hieme prohibitus, hostibus præterea per Allemanniam nondum pacatis, in

(b) A. D. N. CCCLXV. (c) Ammian. Lib. XXVII. (d) A. D. N. CCCLXVI. (e) Sultz op. infra Rotuillam sinistra Nicri ripa.

(f) A. D. N. CCCLXVII. Ammian. Lib. XXVIII. (g) An. D. N. CCCLXX. (h) Marcell. Lib. XXIX. (i) Ammian. Lib. XXX. hujus monumenti alibi declarata sententia.

in ſequentem annum diſtulit. Poſtea Macrianus ad colloquium invitatus, haut reſutavit, magnoque faſtu & Satellitio, murmureque circumſonantium clipeorum in medium profectus, non perinde invitus fœderis oblatas condiciones accepit, & quoad fuit, conſtanter & cum fide ſervavit. Juventutem poſtea Rhenanam, in qua nulla dubitatione Helvetii, ordinibus adſcripſiſſe Valentinianum, & hac quoque parte Galliæ conſuluiſſe, auctorem habemus Zoſimum (k). *Valentinianus*, inquit, *Imp. rebus Germanicis recte conſtitutis, in futurum quoque tempus ſecuritati Celticarum nationum proſpicere ſe debere arbitratus eſt. Quapropter maxima juvenum multitudine, tum de barbaris Rheni adcolis, tum de ſubjectarum Romano Imp. gentium agricolis collecta, numerisque militaribus adſcripta ſic eos in bellicis rebus exercuit, ut horum militum exercitationis & experientiæ metu, totos novem annos nemo Transrhenanorum ſubjecta Romanis opida vexarit.* Hæc Zoſimus, quamquis annorum numerus parum conſtet. Pubeſcente vere, relicto in Gallia Gratiano, quem Auguſtum ſalutaverat, militari arbitrio & conſenſu Valentinianus Treveris movit, Illyricumque iter nulla mora corripuit, Carnutumque paucis diebus pervenit, ubi cum Quadorum legati in conſiſtorium admiſſi, paullo ferocius quam ſupplices decebat eſſent prolocuti, ita efferbuit ut ſuffocatis vitalibus paullo poſt morte deceſſerit (l). 15. Kal. Decemb. relictis in Occidente

FL. GRATIANO ET FL. VALENTINIANO II. IMPP. VII. P. R. F. F. (m).

Mors Valentiniani inſignium calamitatum, quæ poſtea orbem R. concuſſerunt adeoque oppreſſerunt, principium fuit. In Oriente quidem Alani, Hunni, Gotthique in Occidente Allemanni Lentienſes arma primi in manus ſumſere, Rhætiis Helvetiæque finitimi. Hi fœdere poſthabito, cum per anni tempus Rhenus concreviſſet, in ripas ulteriores evaſerunt, Celtasque & Petulantes propulerunt, mox ad ſua ſe prædis onuſti receperunt. Ubi vero audivere magnam exercitus partem Gratiani, in Illyricum contra barbaros Valenti Imp. auxilio abiiſſe, tum vero animis armisque exſultare cœperunt, veluti voti compotiti & rerum domini (n). Collectis igitur omnium pagorum incolis ad quadraginta bellatorum millia, alii ſeptuaginta fuiſſe prodiderunt, rerumque ſucceſſu & opibus inflati Rhenum proruperunt, & in Elſatiam prope Argentuariam (o) caſtra metati ſunt. Gratianus revocatis quantocyus cohortibus, aliisque quas in Gallia retinuerat conjunctis, Narmienum parti copiarum præfecit: partem alium Mallobaudi Domeſticorum Comiti commiſit. Jamque copiæ inſtructæ in pugnam ruiſſent, niſi Ducum diſcordantia contineret: hoc, in hoſtes ruendum: illo, trahendum bellum, dum deferveſceret barbarus tumor; tutius aſſerente. Mallobaudes tandem obtinuit, & in hoſtes commota ſigna, eaque virtute pugnatum (p), ut ex tanto numero vix quinque millia evaſerint, quæ tamen plus poſtea laboris quam integri diſcriminis attuliſſe crediti ſunt. Cum enim in montes (q) proximos ſe conjeciſſent, fruſtra imperatorem diu habuerunt. Demum inſiſtente exercitu, cum nullus ſaluti locus ſupereſſe videretur, ſupplices deditionem fecere, & in militiam allecti ſunt. *Lentienſes*, inquit Ammianus (r) *intentum Gratianum jugulis ſuis omni perſeverandi ſtudio contemplantes, poſt deditionem quam ſupplici prece impetravere, oblata, ut præceptum eſt, juventute valida, noſtris tirocinus permiſcenda, ad genitales terras innoxii abire permiſſi ſunt.* Partem crediderim domos rediiſſe. Nam quin ex hac, aut alia Allemannorum gente in Helvetiam & Rauracos traduxerit, agrisque conſignatis terram colere, riparum curam tenere, vacua complere juſſerit Gratianus, illa, quam apud eumdem Imp. orationem habuit Auſonius Burdegalenſis, negari non poteſt. *Voca* inquit (s) *Germanicum, deditione gentilium: Allemannicum, traductione captorum: Vincendo & ignoſcendo, Sarmaticum.* Nec enim alio quam hoc tempore, neque alia in loca hæc traductio facta. Sæpe alias in Helvetiam Rauracos, Sequanos, Galliamque prope totam barbari ex Germania impreſſiones fecere, urbes, opida, caſtella, diripuere, vaſtavere; tamen hactenus ſemper, aut virtute Imperatorum repulſi, aut ſuapte in Germaniam ultra Rhenum regreſſi, numquam in Helvetia aut Gallia ſuperiore fixas ſedes collocare potuerunt, quod ex enarratis huc usque Impp. factis, & bellis manifeſtum eſt. Atque ita prima fuit Helvetiæ, ut libertatis ita agrorum imminutio, Allemannis ſub tributo totum prope Tigurinum pagum à Rheno ad Urſam occupantibus. Quamvis non ignorem magnam ejus jam pagi partem Rhætiæ primæ attributam, & proinde in provinciæ formam, ut illa, redactam. Gratiano interfecto

FL. VALENTINIANVS II. IMP. VIII. P. R. (t)

legitimus Italiam tenuit. Maximus vero, cujus inſidus optimus & ſanctiſſimus adoleſcens interemtus fuerat Gallias per aliquot annos habuit. Quo apud Aquileiam vita (u) & imperio ſpoliato Eugenius pariter tyrannus favore Arbogaſtis Comitis Valentiniano etiam Lugduni per fraudem ſuffocato Imperium Occidentis invaſit (x). Sed non multo poſt & ipſe interfectus.

FL. THEODOSIVS. MAGNVS. IMP. IX. P. R. (y)

cum jam aliquot annos Orienti præfuiſſet, in utroque orbe rerum ſummam conſecutus eſt. Nec multo poſt vita & imperio functus relictis in Oriente Arcadio, in Occidente Honorio filiis Impp. utroque ſub Fl. Stilicone utriusque militiæ duce. Annales Helvetiorum referunt (z), Helvetios à Theodoſio quidem contra Eugenium tyrannum, cui cetera in Gallia parebant, ſponte ſtetiſſe, eam maxime ob cauſſam, quod ejus vilitatem aſpernarentur, utpote, ex officiorum notario factione Arbogaſtis in Imperium adſumti, tum etiam impietatem reſpuerent quod ſub eo gentilium & idolorum reſtituerentur paſſim cultus & cerimoniæ. Ad id vero inductos & perſuaſos concionibus & hortamentis cujusdam monachi, qui ea de cauſſa ex Italia in Helvetiam deſcen-

(k) Lib. III. (l) A. D. N. CCCLXXV. (m) Imperarunt ſimul an. VII. m. 9. A. D. N. CCCLXXVI. (n) A. D. N. CCCLXXVIII. (o) Horburg prope Colmariam. (p) A. D. N. CCCLXXIX. (q) Juraſſum, Vogeſum, Alpes Rhæticas.

(r) Lib. XXXI. (s) Pro gratiarum actione Coſ. (t) Imp. an. VIII. m. 8. d. 28. A. D. N. CCCLXXXIII. (u) A. D. N. CCCLXXXVI. (x) A. D. N. CCCXCIV. (y) Imp in occidente menſ. 7. (z) Nicolao Schradino teſte qui bellum Suevicum ſcripſit carmine.

descenderat; qui cum se denique cum Theodosio omnibus copiis conjunxissent, praecipuam victoriae caussam eidem Imperatori praebuerint, unde ab illo & posteris ejus privilegia multa acceperint & immunitates, in primis vero ut suis legibus & modo vivere possent. Omnis exactionis & vectigalis expertes (*). Quidquid ejus sit, privilegiis his diu uti aut frui non potuerunt, barbaris undique opprimentibus, Romanumque nomen, ut leges, radicitus exstirpantibus; ut jam videbimus.

(*) Vide Baronium Tomo IV. Annal.

CAPUT VI.

Barbarorum undique irruptiones, & Galliae & Helvetiae ruina, tum Burgundionum in hac sedes.

Stilico barbaros compressit. Stiliconis ambitu, & scelere Imperium R. perditum, tantum instar in uno. Roma orbis domina ab Alarico capta. Crocus Vandalus cum maximo omnium gentium Comitatu in Galliam, & Hispaniam penetravit. Galliae vastatio miserabilis. Peccata caussa vastationis. Galliarum flagitia & deinceps orbis R. totius. Salviani querella memorabilis de sui temporis moribus, quam lege, & rubesce, & stupesce, nostra ob flagitia, Dei misericordiam. Gallos tot barbarorum oppressionibus & suppliciis non meliores factos. Burgundiones Helvetiam occuparunt. Ideo ea Burgundia Minor dicta.

FL. HONORIUS IMP. X. P. R. (a)

DEfuncto statim Theodosio Suevi Rhaetias, Franci Belgium, Britanniam Scoti & Saxones tentavere. Fl. Stilico Comes compressit hos gentium motus fortiter, & provincias feliciter restituit (b). Auctor Claudianus eorum temporum poeta princeps panegyri quam ad Honorium Imp. cecinit, ubi his Imperatorem adloquitur, de Stilicone memorans:

Hunc tamen inprimis populos lenire feroces
Et Rhenum pacare jubes. Volat ille citatis
Vectus equis, nullaque latus stipante caterva.
Aspera nubiferas qua Rhaetia porrigit Alpes
Pergit, & hostiles (tanta est fiducia) ripas
Incomitatus adit, totum properare per amnem
Attonitos reges humili cervice videres.
Ante ducem nostrum flavi sparsere Sugambri
Caesariem, pavidoque orantes murmure Franci
Procubuere solo: Iuratur Honorius absens,
Imploratque tuum supplex Alemannia nomen.
Bastarnae venere truces, venit adcola Silvae
Bructerus Harciniae, latisque paludibus exit
Cimbrus, & ingentes Albim liquere Cherusci.
Accipit ille preces varias, tardeque rogatus
Annuit, & magno pacem pro munere donat.
Nobilitant veteres Germanica foedera Drusos
Marte sub ancipiti sed multis cladibus emta.
Quis victum meminit sola formidine Rhenum?
Quod longis alii bellis potuere mereri
Hoc tibi dat Stiliconis iter.

Eadem clarius, illa quam ipsi Stiliconi laudationem dixit (c).

Miramur rabidis hostem succumbere bellis,
Quum solo terrore ruant? non classica Francis
Intulimus; jacuere tamen: non Marte Suevos
Contudimus queis jura damus. Quis credere possit?
Ante tubam nobis audax Germania servit.
Cedant, Druse, tui, cedant, Trajane, labores:
Vestra manus quidquid dubio discrimine gessit,
Transcurrens egit Stilico totidemque diebus
Edomuit Rhenum, quot vos potuistis ab annis.
Quem ferro; alloquiis: quem vos cum milite; solus (d).
Impiger à primo descendens fluminis ortu
Ad bifidos tractus & juncta paludibus ora (e)
Flumineum perstrinxit iter: ducis impetus undas
Vincebat celeres & pax à fronte profecta
Cum Rheni crescebat aquis. Ingentia quondam
Nomina, crinigero flaventes vertice reges (f),
Qui nec principibus donis precibusque vocati
Paruerant, jussi properant, segnique verentur
Offendisse mora, transvecti lintribus amnem,
Occursant ubicumque velis. Nec fama fefellit
Justitiae, videre pium, videre fidelem.
Quem veniens timuit, rediens Germanus amavit.
Illi terribiles quibus otia vendere semper
Mos erat, & faeda requiem mercede pacisci (g),
Natis obsidibus pacem tam supplice vultu,
Captivoque rogant, quam si post tergore vincti
Tarpejas pressis subeant cervicibus arces.
Omne quod Oceanum fontesque interjacet Istri
Vnius incursu tremuit. Sine caede subactus
Servitio Boreas, exarmatique Triones.
Tempore tam parvo tot praelia sanguine nullo
Perficis, & Luna nuper nascente profectus,
Ante redis, quam plena fuit: Rhenumque minacem,
Cornibus infractis (h), adeo mitescere cogis,
Vt Salius (i) jam rura colat, flexosque Sugamber
In falcem curvet gladios geminasque viator
Quum videat ripas (k), quae sit Romana requirat.
Ut jam trans fluvium, non indignante Caico,
Pascat Belga pecus, mediumque ingressa per Albim
Gallica Francorum montes armenta pererrent.
Ut procul Harciniae per vasta silentia silvae
Venari tuto liceat, lucosque vetusta
Relligione truces, (l) & robora numinis instar
Barbarici, nostrae feriant impune bipennes.
Vltro quin etiam devota mente tuentur,
Victorique favent, quoties sociare catervas
Oravit, jungique tuis Alemannia signis?
Non doluit contemta tamen spretoque recessit
Auxilio, laudata fides. Provincia missos
Expellet citius fasces, quam Francia (m) reges,
Quos dederis, acie (n) nec jam pulsare rebelles;
Sed vinclis punire licet. Sub judice nostro
Regia Romanus disquirit crimina carcer.

Alio loco (o), super hac Stiliconis nobili expeditione.

Vllane

(a) Imp. an. XXVIII. m. 2. A. D. N. CCCXCV. (b) IV. Consulatus ejus. (c) Paneg. I.

(d) Ita lego, & distinguo. Male vulgata, ut & superiora. (e) Duo enim Rheni ostia de quibus Tacitus, alii. (f) Ista de Francis, quorum reges ab antiquitate criniger, ad Petrum usque Lombardum; sunt qui, cirrigero, malint legere. (g) In eadem sententia, & verbis Herodianus Lib. hist. VI. (h) Numquam fractis. Nec enim Rhaeti umquam satis domiti apud quos ejus fluminis ortus. (i) Franci Salii dicti. (k) Duae Rheni ripae, altera sinistra, sive Romana, quae in Gallia: altera barbara quae in Germania. (l) Haec super re lib. I. cap. ult. (m) Transrhenana sive antiqua. (n) Ita lego & interpretor, bello & exercitu praeliisque. Male haec omnia in vulgatis, & corrupte. (o) Libello de bello Getico.

Ullane posteritas credet? Germania quondam
Illa ferox populis, quæ vix instantibus olim
Principibus tota potuit cum mole teneri;
Jam sese placidam præbet Stiliconis habenis,
Ut nec præsidiis nudato limite tentet
Expositum calcare solum, nec transeat amnem (p)
Incustoditam metuens contingere ripam.

Et sane quam diu huic Comiti fides & in Imperatorem suum amor & constantia fuit, Occidentis imperium, (de eo mihi sermocinatio, Orientale eadem caussa perdidit) forte & imperterritum. Ubi semel purpuræ auram imbibit, deque regno filio Eucherio parando cogitare cœpit, non solum provincias omnes efferatissimis nationibus prædæ ludibrioque exposuit, sed etiam exitium sibi filioque acceleravit. Orosius sincerus & inculpatus, ut vita, ita scriptis, in pauca hujus rei tragœdiam contulit (q): *Interea Comes Stilicho Vandalorum imbellis, avaræ, perfidæ, & dolosæ gentis genere editus, parvi pendens quod sub Imperatore imperabat, Eucherium filium suum, sicuti à plerisque traditur, jam inde Christianorum persecutionem à puero privatoque meditantem, in imperio quoquo modo substituere nitebatur. Quamobrem Alaricum cunctamque Gothorum gentem pro pace optima & quibuscumque sedibus suppliciter & simpliciter orantem occulto fœdere fovens, publice autem & belli & pacis copia negata ad terendam terrendamque rempublicam reservavit. Præterea gentes alias copiis viribusque intolerabiles, quibus nunc Galliarum Hispaniarumque provinciæ premuntur, hoc est, Alanorum, Suevorum, Vandalorum, ipsoque simul motu impulsorum Burgundionum, ultro in arma sollicitans, deterso semel R. nominis metu, suscitavit, eas interim Rheni ripas quatere & pulsare Gallias voluit, sperans miser sub hac necessitatis circumstantia, quia & extorquere imperium genero (r) posset in filium, & gentes barbaras tam facile comprimi, quam commoveri valerent. Itaque ubi imperatori Honorio exercituique R. hæc tantorum scelerum scena patefacta est, commoto justissime exercitu occisus est Stilicho (s), qui ut unum puerum purpura indueret totius humani generis sanguinem dedit. Occisus est & Eucherius (t), qui ad conciliandum sibi favorem paganorum restitutione templorum & eversione Ecclesiarum imbuturum se regni primordia minabatur:* In eandem Stiliconis perfidiam Urbem pecunia emungentis, ut Alaricum haberet ad omnia paratum, juste exclamavit D. Hieronymus. *Quis hoc credet? quæ digno sermone historiæ comprehendent? Romam in gremio suo, non pro gloria sed pro salute pugnare? imo ne pugnare quidem. Sed auro, & cuncta supellectili vitam redimere? Quod non vitio Principum, qui vel religiosissimi sunt, sed scelere semibarbari proditoris factum, qui nostris contra nos opibus armavit inermes.* Et Rutilius haut malus auctor (u):

Quo magis est facinus diri Stiliconis acerbum,
Proditor arcani qui fuit imperii.
Romano generi dum nititur esse superstes,
Crudelis summis miscuit ima furor.
Dumque timet quidquid se fecerat ipse timeri,
Immisit Latiæ barbara tela neci.
Visceribus nudis armatum condidit hostem,
Illatæ cladis liberiore dolo.
Ipsa satellitibus pellitis Roma patebat,
Et captiva prius quam caperetur erat.

Alaricus igitur cum suis Gotthis Italiam universam subegit & misere laniavit, Romamque orbis dominam, cum tot secula in summo flore & dignitate stetisset, post longam obsidionem denique in potestatem redegit. IX. Kal. Septemb. (x) Crocus vero Vandalorum Rex, sive monitus Gotthorum exemplo, sive à Stilicone solicitatus, aut sua sponte, adsumtis ex Sarmatia Quadis, Alanis ex Pannonia, per Germaniæ mediterranea late vagatus, non paucioribus partim metu direptionis aut cædis, partim prædæ libidine sociis adjunctis, in quibus Marcomanni, Heruli, Turcilingui, Allemanni, Saxones, & proximi Rheno Burgundiones, flumine trajecto, pridie Kalend. Januarii (y), Arcadio VI. & Probo Coss. auctore Prospero (z), horum malorum inspectore & locupletissimo teste, in Galliam impetum fecit, longeque per Germaniam primam, & Belgicam secundam victoriam exercuit. Maguntiacum multis hominum millibus interfectis evertit, Vangiones, Nemetes, Argentoratum, Rauricam diripuit, per Helvetiam, & Valesiam cæde prædaque cuncta complevit (a); totaque Gallia incendii modo grassatus, demum in Hispaniam cum copiis impune penitravit (b). Hanc Occidentis vastitatem & ruinam descripsit & deploravit D. Hieronymus (c). *Præsentium*, inquit, *miseriarum pauca percurram. Quod rari huc usque residemus non nostri meriti sed Domini misericordiæ est. Innumerabiles & ferocissimæ nationes universas Gallias occuparunt. Quidquid inter alpes & Pyrenæum est, quod Oceano & Rhodano includitur, Quadus, Vandalus, Sarmata, Alani, Gepides, Heruli, Saxones, Burgundiones, Allemanni, & hostes Pannonii vastarunt. Moguntiacum capta atque subversa est, & in Ecclesia multa hominum millia trucidata: Vangiones longa obsidione deleti: Rhemorum urbs præpotens, Ambiani, Atrebates, extremique hominum Morini, Tornacus, Nemete, Argentoratus, translati in Germaniam. Aquitania, Novemque populorum, Lugdunensis & Narbonensis provinciæ, præter paucas urbes populata sunt cuncta. Non possum absque lacrimis Tolosæ facere mentionem, quæ ut huc usque non rueret, sancti Episcopi Exsuperii merita præstiterunt. Ipsæ Hispaniæ jam jamque perituræ quotidie contremiscunt.* Et Salvianus Massiliensis Episcopus (d): *Excogitata est*, inquit, *in perniciem nostram ac dedecus gens ignavissima, quæ de loco in locum pergens (e), de orbe in orbem transiens, universa vastaret. Ac primo de solo patrio effusa in Germaniam primam, nomine barbaram natione Romanam (f), post cujus exitium primum arsit regio Belgarum, deinde opes Aquitanorum.* Pacatus vero (g): *Unde igitur*, inquit, *exordiar, nisi à tuis Gallia malis, quas illa pestis insederat? Haut injuria tibi vindicas privilegium miseriarum.* Meruisse vero peccatis Gallias adeoque orbem R. & suis sceleribus tradi prædæ pœnæque & supplicio barbaris sanctissimi supra memorati Ecclesiæ Doctores Hieronymus, & Salvianus prodidere. *Nostris*, inquit D. Hieronym. (h) *peccatis barbari fortes sunt, nostris vitiis Romanus superatur exercitus.* Posteà: *Infelices nos, qui tantum displicemus Deo, ut per rabiem barbaro-*

(p) Rhenum. (q) Lib. VII. (r) Honorio Imp. cui desponsata Maria Stilicon. filia tum ejus soror Thermantia, sed utraque obiit priusquam marito jungeretur. (s) A. D. N. CCCCVIII. (t) A. D. N. CCCCIX. anno scilicet sequenti. (u) Itinerario II.

(x) An. D. N. CCCCX. Sigebert. Chron. Aimo Lib III. (y) A. D. N. CCCCVI. (z) In chron. Cassiod. in Chron. Zosimus Lib. VI. (a) Archiva Sedunensis Ecclesiæ. (b) A. D. N. CCCCIX. Prosp. & Cass. (c) Epistola data ad Ageruchiam anno 407. (d) Lib. VI. de vero Judicio. (e) Vandalorum nomen explicat. (f) Propter frequentiam in ea Coloniarum R. & præsidiorum. (g) Grat. ad Theod. Jun. (h) Epist. III.

barbarorum illius in nos ira deserviat. Quam fuerint Galliarum mores diſſoluti, vitiis omnibus corrupti, Salvianus qui eadem ſemper ante oculos habebat, perpetuam flendi & lacrimarum cauſſam pluribus perſcripſit. De Aquitanis enim loquens (i): *In omnibus*, inquit, *Galliis ſicuti divitiis Aquitani primi fuere, ſic vitiis. Nunquam enim improbior voluptas, nunquam inquinatior vita, nunquam corruptior diſciplina. Hanc pro muneribus ſacris dederunt Domino retributionem, ut in quantum eos beneficiis ſuis ille ad ſe illexerat ad propitiandum, in tantum illi flagitiis ſuis laboraverint ad exacerbandum.* Sed hæc multo flebilius & in genere, prioribus libris. *Ipſa*, inquit (k), *Eccleſia Dei, quæ in omnibus debet eſſe placatrix Dei, quid eſt aliud quam exacerbatrix Dei? aut præter pauciſſimos quoſdam, qui mala fugiunt, quid eſt aliud omnis cœtus Chriſtianorum, quam ſentina vitiorum? Quotum enim quemque invenies in Eccleſia aut non ebrioſum, aut non helluonem, aut adulterum, aut fornicatorem, aut raptorem, aut ganeum, aut latronem, aut homicidam. Et quod his omnibus pejus eſt, præter hæc, cuncta ſine fine? Interrogo enim Chriſtianorum omnium conſcientiam ex his, vel flagitiis, vel ſceleribus, quæ nunc dicimus, quotus quiſque hominum non aliquid eſt eorum? aut quotus quiſque non totum? Facilius quippe invenies qui totum ſit, quam qui nihil. Et quod diximus, nihil, nimis fortaſſe gravis videatur eſſe cenſura, plus multo dicam. Facilius invenies reos malorum omnium quam non omnium. Facilius majorum criminum, quam minorum, id eſt, facilius qui & majora crimina cum minoribus, quam qui minora tantum, ſine majoribus perpetrarit. In hanc enim probroſitatem morum prope omnis Eccleſiæ plebs redacta eſt ut in cuncto populo Chriſtiano genus quoddam ſanctitatis ſit, minus eſſe vitioſum.* Addit ille plura, tamquam alter Hieremias peccata populi deplorans, ſtiloque lugubri in memoriam revocans. Idem firmiter adſeverat adeo excreviſſe magiſtratuum iniquitate, Romano in imperio pauperum & viduarum oppreſſionem & contemtum, ut optabiliores ſint viſi barbari, imo plures eos prævenerint, ad ipſos fugiendo. Ait enim: *Interea vaſtantur pauperes, viduæ gemunt, orphani proculcantur, ut multi eorum & non obſcuris natalibus orti & liberaliter inſtituti, ad hoſtes fugiant, ne perſecutionis publicæ adflictione moriantur: quærentes ſcilicet apud barbaros Romanam humanitatem, qui apud Romanos barbaram immanitatem ferre non poſſunt.* Tu cetera lege, quæ vir diſertiſſimus, & pientiſſimus octo libris, hoc argumento, hoc barbarico tempore, hac ex cauſa complexus eſt, & ad noſtros mores, flagitiaque compara, & miraberis, ut interea bellis, diſcidiis, erroribus, fame, peſte plectamur, nos jam pridem Turcis, Tartaris, & ſiquid ſævius aut barbarius aliud eſt, prædam non eſſe. Certe unius Principis divina virtute & victoriis hactenus noſtra ſalus ſtetit. Lugebat hæc eadem jam decennali ſpacio S. Proſper Aquitanici (m).

- - - - Heu, cæde decenni
Vandalicis gladiis ſternimur, & Geticis.
Non caſtella petris, non oppida montibus altis
Impoſita, aut urbes amnibus æquoreis
Barbarici ſuperare dolos atque arma furoris
Evaluere omnes. Ultima pertulimus.

At hoc maximo omnium dolore, ſuprà dictum optimum Salvianum habuit, quod cum faterentur Galli illa ſibi ob ſua contra divinam Majeſtatem præcipue commiſſa à barbaris inferri; non moribus ſolum obſecundarent priſtinis, ſed in deteriora etiam prolaberentur. Cum enim eorum tunc temporis ſcelera in medio oppoſuiſſet, urgere inſtitit (n). *An forte falſum eſt, & odioſe potius quam vere iſta dicuntur? Non oratoria probatione, qua uti alii in cauſis ſolent utar, ut producam quoſcumque ad probandum, aut paucos, aut extraneos, aut minus idoneos teſtes: ipſos interrogemus, à quibus acta ſunt. Falſum ſit quod diximus, ſi negarint. Fatentur enim & quidem, quod eſt gravius, ſic fatentur, ut in ipſa confeſſione non doleant. Idem enim nunc eſt animus in fatentibus, qui in agentibus fuit. Sicut tunc non puduit flagitia committere, ſic nunc omnino non pœnitet flagitia feciſſe.* Hæc vera ergo vaſtationis Galliarum urbium, & opidorum & R. Imperii ruinæ cauſa, ſceleribus & peccatis expiandis. Alii aliam (o) retulere, ſed quæ politica & humani judicii, nulla Dei juſtitia imbuti; Crocum quemdem Vandalorum regem, ex matre quæſiſſe quid faciendo Magni conſequeretur nomen, illam reſpondiſſe: *Si fili famoſus eſſe in orbe cupis, magnarum ædificia adium à majoribus exſtructa deſtrue, egregiaſque urbes deſtruens eorum incolas gladio exſtingue. Neque enim meliora prioribus potes condere habitacula aut bellando nominis tui gloriam amplius propagare.* Hoc rerum gentiumque tumultu & ruina cum Burgundi, qui ultra, ſed proxime Rhenum agitabant impulſi eſſent, & in Galliam transjeciſſent, non, ut aliæ gentes cæde aut incendiis vaſtationeque debacchati ſunt, ſed quem proxime cœperant agrum, Sequanorum & Æduorum, tum vero Helvetiæ eam partem, quæ Urſa & Rhodano Juraque includitur, occuparunt, Burgundiamque Minorem habita regionis Sequanorum & Æduorum ratione à ſe nominarunt, quod nomen ad Imperium usque Friderici II. perduravit. Sunt (p) qui eodem tempore agrum Aventicenſem Nuithones inſediſſe memoriæ tradiderint, quod quam verum ſit jam non diſputo, & ante hujus nominis mentionem fecimus. Nuithones inter Suevorum gentes recenſet Cornelius Tacitus (q). Regnum vero inſtituerunt Burgundiones, quod à Francis primo, excidit Burgundionum regum ſtirpe antiqua, everſum, poſtea reparatum, & in Germaniam, magnam partem, translatum, poſtremo in plurimas partes ſciſſum & diviſum eſt. De quibus omnibus pluribus agam, ſi prius quæ priſci ſcriptores de Burgundionibus memorata reliquerint, propoſuero.

(i) Lib. VI. (k) Lib. III. (l) Lib. V. (m) In Prologo De provid. Dei.

(n) Eodem Lib. V. (o) Aimo Lib. III. hiſtoriarum. (p) B. Rhenanus in ſua Germania. (q) Lib. de Germ.

CAPUT VII.

De Burgundionum origine, & progreſſu, converſioneque.

Burgundionum ſedes antiqua. Vnde dicti. Secunda eorum ſedes. Burgundi Rom. ſoboles. Pulſi à Gotthis apud Allemannos ſedes collocavere. De Gotthis. Gotthicæ gentes. Burgundiones in Palatinatu Rheni inferiore, qua maxime Franconiam ſpectat. Bellum inter Burgundos & Allemannos. Burgundionum ad Chriſtum converſio miraculoſa.

PAuca quæ de Burgundionibus certo & bona fide tradita. Plinius (a) inter Germanos numerat, Vandalorum gentem. Tenuere Vandali quæ inter Vistulam & Oderam fluvios loca interjacent, ubi scilicet hodie Pomerania, Prussia, Polonia. Ptolemæus (b) Burgundos contra Sarmatios montes juxta Vistulam posuit. Hæc Burgundionum prima & antiquissima sedes ubi Polonia Minor inter Moraviam, Daciam, & Hungariam superiorem. Burgundos Drusus & Tiberius Cæsares postea, domita ulteriore Germania, secundum Albim habitare jusserunt, ex mea sententia. Sic annuere videtur Isidorus (c): *Burgundiones*, inquit, *quondam à Romanis subacta ulteriore Germania, per castrorum limites positi à Tiberio Cæsare, in magnam coaluerunt gentem, atque ita nomen ex locis sumserunt, quia crebra per limites habitacula constituta, Burgos vulgo vocant.* In eandem sententiam supplementum Eutropianum (d). Ad Albim idem Drusus Romana præsidia collocavit, ut supra ubi de præsidiis actum perspeximus. Ex hac vero per castra & habitacula communione cum Romanis factum est ut Burgundionum posteri Romanos se stirpe & origine jactitarint, non aliter atque Ædui & Batavi Romanorum fratres præ se ferebant. Ammianus (e) ubi de literis Valentiniani Imp. ad Burgundios missis meminit: *Gratanter*, inquit, *ratione gemina Principis sunt acceptæ literæ, prima, quod jam inde temporibus priscis sobolem se esse Romanam Burgundii sciunt, dein quod Salinarum Finiumque caussa Alemannis sæpe jurgabant.* Primus qui postea bellum cum iis gesserit de quo mentio fit, Probus imp. fuit. Sed cum adhuc in sua sede cum Vandalis. Zosimus testis, ut in Probo supra cap. III. vidimus. Ab illis sedibus pulsos per Gotthos, Allemanni in vicinos & suos recepere, tempore Maximiani, & Diocletiani, Mamertino auctore, qui cum multa de concordia utriusque Imperatoris dictasset, labores susceptos narrasset, famem annona, pestilentiam salubritate ipsis ad imperium evectis mutatas adfirmasset, tum vero opportune ad imperii pacem bella inter barbaros concitata commemorat. *Ruit*, inquit (f), *in viscera sua gens effrena Maurorum; Gotthi Burgundios penitus exscindunt: rursum pro victis armantur Allemanni.* Gotthi jam Antonini Caracallæ imperio noti, *eos enim tumultuariis præliis dum ad Orientem transit devicerat*, (g) ut refert Spartianus (h). D. Hieronymus Gotthos ab eruditis antiquitus Getas esse nominatos testatus est (i). Gethas trans Æmum apud Danubium sedes habuisse prodidit Diodorus (k). Itemque Xiphilinus (l). Claudianus plerumque Gethas vocat, quos Ecclesiastici scriptores Γοτθους dicunt, *quos Alexander Magnus evitandos pronunciavit, Pyrrhus exhorruit, Cæsar declinavit.* Orosio teste (m). De Gothorum gentibus Procopius (n): *Gotthicæ gentes multæ quidem & aliæ fuere prius, quam nunc. Omnium autem maximæ & potissimæ Gotthi & Vandali, Visigotthi & Gepedes. Jam dudum & Sarmatæ & Melanchræni appellati. Sunt qui Gethicas gentes vocent. Qui omnes nominibus quidem inter se differunt, cetera conveniunt. Nam & albi sunt omnes corpore, flavi coma, proceri quoque & aspectu probo, legibus quoque eisdem utuntur.* Quæ vero fuerit Burgundionum ultima hæc, secundum Rhenum, altera parte, sive in Germania, statio & sedes unus dissignavit Ammianus (o) satis clare, Bellum Juliani Cæsaris contra Allemannos edisserens: *Postque*, inquit, *sæpimenta fragilium penatium inflammata & obtruncatam hominum multitudinem visosque cadentes multos aliosque supplicantes cum ventum esset ad regionem cui Capellatium vel Palas (p) nomen est, ubi terminales lapides Allemannorum & Burgundionum confinia distinguebant, castra sunt posita.* Ex quibus apparet Burgundos secundum Mœnum versus Vitenbergensem Ducatum & Palatinatum tenuisse inter Sueviam & Turingiam, eam regionem scilicet, quam cum Franci post eorum discessum occupassent, Franciam aut Franconiam nominarunt, cum Allemanni cetera quæ propter Acromum totamque Harciniam & Rheni superiora, occuparent. Id quod satis expressisse videtur etiam Procopius (q), de Gethico bello. *Post hos*, inquit, *in Orientem solem sunt Toringi barbari qui Cæsaris permissu, sedes has tenuere, & ab his Burgundiones haut procul ad Notum ventum vergentes inhabitant: tum Suevi, deinceps & Allemanni gens valida, liberi omnes & jam diu hæc incolunt loca.* Easdem gentes, certis locis, conjunxit Jornandes (r) de Marcomiro Gotthorum rege verba faciens, ut in Suevos impetum dederit. *Regio*, inquit, *illa Suevorum ab Oriente Bojarios habet, ab Occidente Francos, à Meridie Burgundiones, à Septentrione Toringos, quibus Suevis tunc juncti aderant Allemanni, ipsique Alpes omnino erectas & rigentes habent, unde nonnulla fluenta Danubium influunt nimio cum sono vergentia.* Subolescente vero latius longiusque Burgundionum multitudine, cum quam acceperant, fines ultra, ad Rhenum usque scilicet, protenderent, Allemannique qui beneficium fecerant, pellerentur, bellum inter utramque gentem coortum, quod non nisi alterius partis, aut potius utriusque emigratione nova finitum est. Auctor idem Belgicus Orator, quoad bellum: *Burgundiones*, inquit, *Allemannorum agros occupavere; sed sua quoque clade quæsitas Allemanni terras amisere, quas repetunt.* Sed magis exasperavit utramque nationem Valentinianus Imp. concitatis, promisso auxilio & favore, contra Allemannos Burgundiorum animis, super qua re in hunc modum Ammianus (s). *Valentinianus*, inquit, *versando sententias multiformes anxia sollicitudine stringebatur, reputans multa, & circumspiciens quibus commentis Allemannorum & Macriani regis frangeret fastus, sine fine modoque rem Romanam confundentes. Immanis enim natio abinde ab incunabulis primis varietate casuum imminuta ita sæpius adolescit, ut fuisse longis seculis æstimetur intacta, deditque consilia alia post alia Imperatori probanti Burgundios in eorum excitari perniciem, bellicosos & turbæ immensæ virib. adfluentes, ideoque metuendos finitimis universis, scribebatque frequenter ad eorum reges per taciturnos quosdam & fidos, ut eisdem tempore præstituto, supervenirent. Pollicitus ipse quoque transito cum agminibus Rheno, occurrere pavidis, pondus armorum vitantibus insperatum.* Vandalorum demum adventu, Rheno trajecto, proximas Sequanorum, Æduorum, Helvetiorum insedere, sicuti diximus regiones. De eorum conversione ad Christum ita tradidit Socrates (t), sub Valen. III., Rem plane commemorabi- „lem, *inquit*, eodem ferme tempore gestam comme- „morabo. Est gens quædam barbara, locum trans

(a) Lib. IV. (b) Tabul. IV. (c) De verb. signif. (d) Lib. XII. (e) Lib. XXVIII. (f) Oratione die natali dicta. (g) A. D. N. CCX. (h) In vita ejus. (i) Comment. in Genesin. (k) Lib. VI. (l) In Domitiano. (m) Lib. I. (n) Lib. III. bell. Vandal.

(o) Lib. XXVIII. (p) Pfalz. (q) Lib. I. (r) Lib. I. rerum Geth. (s) Lib. XXVIII. (t) Lib. VII. Cap. 30.

„Rhenum fluvium incolens, quos vulgo Burgundiones vocant. Isti vitam à Rep. gerenda remotam „perpetuo degunt, sunt autem fabri lignarii omnes, „& ex ea arte mercedem, qua sustentant vitam, acquirunt. Hunnorum gens crebro in eorum fines „invasionem faciens agros depopulata est', & complures eorum non raro trucidavit. Itaque illi non „ad hominem ullum auxilii petendi causa confugiunt, „sed Dei alicujus potestati se totos permittere in animos inducunt. Ac cum mente complecterentur, „Romanorum Deum, illis qui eum metuunt & reverentur, firmum adferre præsidium, omnes communi consensu ad credendum in Christum se contulerunt: atque ad civitatem quamdam Galliæ profecti postulant ab Episcopo, ut Christianorum Baptismo donentur. Is cum illis septem dies præscripsisset ad jejunandum, eosque in fide erudiisset, „octavo die lavacro baptismatis tinxit, & cum pace „dimisit. Illi vero animo fidenti contra tyrannos „gradiuntur: nec spes eos fefellit. Quippe Uptaro „Hunnorum rege, nocte, cum se nimio cibo ingurgitasset, medio disrupto; Burgundiones Hunnos duce carentes adorti, pauci cum permultis, tria enim millia contra decem impetum faciunt, commisso prælio, victoriam consequuntur. Ex illo tempore gens „ea Christianam religionem ardenti studio excoluit.„ Hactenus Socrates. Quæ quam vera sint haut perinde certum & exploratum habeo (u). Multa contra nituntur. Nam primo satis constat ex supra dictis Burgundiones una cum Vandalis VI. Arcadii consulatu in Galliam venisse, ut sub Valentiniano III. fieri non potuerit. Deinde vero jam sub Honorio Imp. cujus res gestas persequitur Orosius Christianos fuisse, & in Gallia tenuisse, idem scriptor inculpatæ fidei, ut qui pleraque visa & perspecta narravit, testatus est (x). „Providentia Dei, *inquit*, omnes „Burgundiones Christiani modo facti, Catholica fide, „nostris clericis, quibus obedirent, receptis, blande, „mansuete, innocenterque vivunt. Non quasi cum „subjectis Gallis, sed vere cum fratribus Christianis.„ Imo jam antequam in Galliam transirent sub Anastasio videlicet pontifice (y) Christianæ pietatis cognitionem habuisse, ex ea quam is pontifex dedit ad Germaniæ & Burgundiæ Episcopos, Epistola, probabile videri potest. Et hæc de Burgundionum ad Christum conversione. Nam juris Italici fuisse, quod Paullum Jureconsultum tradidisse, eo credo libro (y), ubi de hujusmodi conditionis hominibus memoriam habet, voluit Paradinus (*), nemo ignorat falsum esse, nisi qui Paulli scripta, & Paradini alucinationes adhuc minus intellectas & perspectas habet. Quid enim leges aut jura, ubi vi & armis disceptatio erat?

(u) In eadem sententia, aut errore Sigebertus. (x) Lib. VII. hist. (y) A. D. N. CCCCI. (z) Lib. L. Pand. (*) Libello de antiq. statu Burgund.

CAPUT VIII.

De regibus Burgundionum, & quando Burgundia in Francorum potestatem redacta.

Burgundi in Gallia Romanorum fœderati. Burgundia in tetrarchias. Clotildis & Clodovei amoris principium. Gundegisili contra fratrem consilia. Gundebaldus Burgundionum legislator. Sigismundus filium fraude noverca interficiendum curavit. Ejus ob hoc facinus pœnitentia & dolor. Sigismundus S. Mauritii ædem condidit. Sigismundi integritas, & ad Deum preces. Prælio cum suis victus. Et cum Siglaudo, & Gundebaldo filiis interfectus frustra deprecante Avito viro sanctissimo & vindictam promittente. Sigismundus inter Sanctos miraculis declaratus. S. Sigismundus Pragam Boemiæ translatus. Vindicta in Clodomirum. Clodomirus interfectus. Clodomiri filii à patruis crudeliter trucidati. Theodoricus primus Francorum Burgundiæ rex.

QUi fuerint Burgundionibus reges cum Rhenum ultra agitarent, & quid præclare patraverint etiam perobscurum. Imperatum regibus ex Ammiano (a) notum. Eos enim omnes Hendinos (b) cognominatos, sicuti summos Sacerdotes Sinistas, prodidit memoriæ. Non sane quod perpetuam & hereditariam potestatem haberent, aut exercerent, ut non facile regno abire cogerentur, si videlicet male gesta respubl. si prælium adversum, si alimenta negasset seges; adeo dignitas potius fuit, quam imperium. Nam reges in Sequanis primum regia auctoritate constituisse post videbimus. Antiquissimi cum ultra Rhenum essent reges, seu potius duces,

HVNIMVNDVS.
TORISMVNDVS.
VALDRICVS.
SIGMVNDVS.
BERMVNDVS.
VALMIRVS.
VVINDERICVS.
GANSERVS.
ATHANARICVS.

Athanaricus duxit uxorem Blisindam (c), sive Belesindam Marcomiri Francorum ducis filiam, ex qua filios duos habuisse dicitur, Gaudiselum & Gundiochum. Parenti successit populi arbitrio Gaudiselus, eoque duce, & auctore ex Germania in Galliam, Rheno trajecto, cum Vandalis, ut supra vidimus, immigratum, & sedes in Sequanis, Æduis & Helvetiis captæ (d). Et facile aliquandiu tenuerunt, tot tyrannis, gentibus, populis, Galliam aut tenentibus, aut lacerantibus, cum Constantinus, Gerontius, Maximus, Imperium sibi in ea vindicarent, hinc Aquitaniam & Narbonensem Gotthi, Franci Belgicam, aut occupassent, aut occupare niterentur. Sed ubi Constantius Comes primo tyrannos ex Gallia sustulit, Vandalorum reliquias penitus exhausit, Gotthos toties rebelles pacavit (e): demum in Burgundiones qui soli superesse videbantur, arma & signa convertit (f), quos, cum deditionem ante conflictum fecissent, non solum iisdem in sedibus confirmavit, sed in fœdus & amicitiam adsumsit (g), eoque propensius, quod Christiani omnes essent, barbarosque

(a) Lib. XXVIII. (b) Forte Handtrafen. (c) A. D. N. CCCLXXXVI. Franci tunc adhuc in Hollandia, Frisia, Gueldria, antiqua sede. (d) A. D. N. CCCCVI. (e) A. D. N. CCCCXII. (f) CCCCXIV. (g) CCCCXV. Sig. Lib. XI. de Occid. reg.

barosque aliorum populorum mores penitus exuissent, pacate & pie, ut ex Orosio, qui eodem tempore vivebat & illa scribebat, supra vidimus, cum Gallis Romanisque agitarent, nam non malos ingenio fuisse, sed candidi & simplicis animi, pluribus locis ostendit Sidonius (h) qui etiam tunc temporis vivebat. Confirmatis sedibus Burgundiones, quod vererentur, ne per ducum factiones, quibus hactenus, ut regibus, usi fuerunt respublica periclitaretur, more aliarum gentium regem nominare constituerunt. Gaudiselus fuit Athanarico natus.

GAVDISELVS REX BVRGVNDIONVM PRIMVS IN GALLIA (i).

Multæ is virtutis & pietatis, eoque rege maxima fecerunt opes Burgundionum incrementa. Habuit uxorem Theudelindam alii Seudelinbam vocant, quæ prima corpus S. Victoris Thebæi Salodoro Genevam transtulit, ibique Basilicam ejus nominis magnificam condidit. Usus in omnibus consilio Domitiani Genevensis & Rustici Octodurensis Episcoporum, qua de re, suo loco. Reliquit filios duos Gundicarium, quem nonnulli Gundiochum nominant & Sigmundum.

GVNDICARIVS REX BVRGVND. II. (k)

Magno & bellicoso animo, sed quæ illi, gentique suæ excidii & interitionis prope causa fuit. Nam cum paucos annos per quietem & pacem ad exemplum patris transmisisset, sive Francorum solicitatu, qui in Belgio progrediebantur, vel suapte, quæ res secundas comitatur, insolentia, arma arripuit, Provinciam, Allobroges, Massiliam usque pervasit, inde conversus in Belgium usque excurrit, prædam ingentem fecit, fines regni longe lateque propagavit. Aetius tandem (l) Comes Galliæ cum imperio à Valentiniano III. præfectus variis præliis attritum ad pacem repetendam adegit, radicitus gentem excisurus, nisi Gotthi in Aquitania, Armorici in Gallia rebellarent, & indies majores gentium barbarorumque motus undique concitarentur. Pollebat Aetius Allemannorum copiis & opibus, quibus & reliquis barbaris timendus erat, qua factum ratione crediderim, ut non parvam Allemanni, qui alteram Helvetiæ partem occupabant, illi, qua potiebantur Burgundi, ut hostili & rebelli vastitatem attulerint. Gundicarius occubuit (m) prælio quod Aetius cum Attila Catalaunicis campis iniit, quo etiam Theodoricus Gotthorum Rex interfectus est, & centum octoginta hominum millia, cum paullo ante Sigmundus, qui Sequanis præerat, dum eidem Hunnorum genti occurrere & contra niti conatur apud Basileam cecidisset. Gundicario superfuerunt filii duo Gundericus quem Jornandes Gunderiacum vocat, & Hilpericus.

GVNDERICVS REX BVRGVND. III. (n)

Hujus, uti nec fratris magna est memoria, nisi quod Theodorico Gothorum regi auxilio adcurrisse, contra Riciarum, Suevorum regem, ex Gallæcia in Galliam erumpentem, memoriæ commendatum est, idque rogatu Aviti, qui post Valentinianum Occidentis imperium acceperat (o), eorumque opibus non solum Riciarium Gallia pulsum, sed etiam morte adfectum, Suevos in Hispania debellatos, Gallæcia, Lusitaniaque pervastatis, institutoque pro Riciario Aciulfo rege. Gundericus reliquit filios quatuor, Gaudebaldum, Hilpericum, Guotmarum & Gaudegisilum, quem alii Odesillum nominant.

GVNDEBALDVS, HILPERICVS, GVOTMARVS, GVNDEGISELVS, BVRGVNDIAE TETRARCHÆ. (p)

Ita in partes regnum paternum divisum, sed nec æqualiter nec animis contentis, quare in partes bifariam secessère. Gaudegiselus fratrum minimus Gundebaldo majori se conjunxit: eos per vim hereditate excludere conati reliqui, juventa, tum Allemannorum auxiliis, proxime quos regni partes sortiti erant, feroces, prælium apud Augustodunum inierunt. Victus Gundebaldus, se ad tam certos amicos in tam fidas tutasque latebras contulit, abjectis insignibus regiis, ut cum nulla fugæ indicia extarent, cæsus in acie creditus sit. Proinde cum, veluti confecto bello, rebus securis & lætis, Transrhenana auxilia domum rediissent, victores Viennæ agitarent, ita derepente Gundebaldus ex latebris erupit, eamque urbem obsidio sic circumvallavit, ut nec fugiendi spes nec auxilii fiducia esse potuerit (q). Primo tumultu captum Hilpericum securi percussit, uxorem reginam, lapide ad collum colligato, in profluentem præcipitavit, Threnam filiam seu Mucutumum, ut alii nominant, claustro virginali inclusit, sola Clothilde, quæ minor esset, & pulcritudine omnes mortales fœminas superatura videbatur, conservata, unde ejus & totius regni Burgundici ruina, & exscidium postea derivavit. •Gundemarus, re adflicta & in extrema spe se è turri defendens subjectis ignibus vivus exustus est. Ita rerum potitus Gundebaldus, Gaudegisilo tantum Burgundiam Minorem sive Helvetiam tenente.

GVNDEBALDVS. SOLVS BVRG. REX IV. (r)

Nec multo post (s) etiam C. (t) Ludovicus apud Francos regnum adivit, qui cum regni sui principio legatos ad Gundebaldum pro pace in Burgundiam misisset, eadem opera de egregia Clothildis pulchritudine moribusque nuncium accepit. Sed ut ea evenerint præstat ex Aimone scribere, qui omnium locupletissime nec ineleganter tradidit. ,Miserat, ,*inquit* (u), idem Princeps (Ludovicus) legatos ad ,Gundebaldum Burgundionum regem ferendæ pacis ,gratia: qui dum palatio immorantur Clothildem ,puellam contemplati, inquirunt quæ sit: dictum eis ,est, neptem regis esse, ex fratre progenitam, quæ, ,inquiunt, orbata parentibus, nunc stipe alitur regia. Regressi itaque legati nunciant perfecta esse ,pro quibus ierant: inter cetera dicunt vidisse se ,puellam adeo forma venustam, ut cuilibet potentissimo regi

(h) In Epistolis. (i) A.D.N. CCCCXVIII. Reg. an. XIV. (k) A. D. N. CCCCXXXI. Reg. an. XIX. (l) CCCCXXXV. Prosper Chronico: Sig. Lib. XII. (m) CCCCLI. Sig. Lib. XIII. (n) Regn. an. XXII.

(o) CCCCLVI. (p) CCCCLXXIII. (q) Turon. Greg. Hist. Franc. Lib. II. (r) CCCCLXXIX. Reg. an. XXX. (s) CCCCLXXXIV. (t) Ita scribendum separatim. Nam illud C Cunig sive regem significat, ut C. Lotarius, &c. alias Clodoveus nominatur. (u) Lib. I. capp. 13. 14. hist. Franc.

„mo regi nuptui poſſit tradi, quam, inquiunt, regia „manantem è ſtirpe, patre ejus hac vita carente patruus ab ineunte nutrit ætate. Hoc audito, Rex „Clodoveus amore capitur puellæ, ſperans ſe ex hac „occaſione regnum Burgundiæ arripere poſſe. Dirigit è veſtigio quemdam ſibi familiariſſimum nomine Aurelianum, qui munera puellæ a ſe miſſa perferens ſpeciem ejus diligentius contemplaretur. Huic „imperat, ut puellam adeat, de nuptiis voluntatem „regis edicat, & quid animi illa ſuper hac re habeat „agnoſcat. Ille præcepto parens Burgundiæ partes „ingreditur, palatio adpropinquans ſocios ſilvis ſe „abdere juſſit, ipſe habitu mendici circumamictus „ad aulam properat, & ut futuræ ſibi dominæ colloqui poſſit, explorat. Tunc forte illa ad Eccleſiam proceſſerat Domino vota ſuarum ſolutura precum, erat quippe dies dominica. Aurelianus inter „ceteros pauperes præ foribus ſtans egreſſum ejus opperiebatur. Expletis miſſarum ſolenniis egreditur „puella, egenis, ut ei mos erat, eleemoſynam largitura. Accedit Aurelianus, ut mendicus ſtipem poſtulaturus. Cumque illa aureum illi porrigeret, ipſe „apprehenſam manum ejus, pallio ſupra brachium „reducto, nudam ori ſuo oſculaturus admovit. Illa „pudore puellari rubore perfuſa domum repetit. „Mittit continuo puellam, quæ inventum, ut putabat, mendicum ad ſe deduceret, quem coram poſitum taliter adloquitur. Quid tibi, ô homo, viſum, ut eleemoſynam accepturus manum meam veſte denudans oſculareris? Cui ille interrogata omittens tale dedit reſponſum: Dominus meus Rex „Francorum, audita generoſitatis tuæ excellentia, deſiderat te habere conjugem. Ecce anulus ejus, & „cetera ornamenta ſponſalia. Illa ubi de tori copula audivit legato in hæc verba reſpondit: Non eſt „fas Chriſtianæ mulieri paganum ſortiri maritum. „Sed ſi hoc cunctorum proordinavit conditor DEVS, „ut ille per me creatorem agnoſcat ſuum, petita „non abnuo, quinimo omnipotentis fiat Domini juſſio. Illo dicente, regem ejus deſiderio per omnia „aſſenſum præbiturum, rogat illa ut ſecretum apud „ſe hoc verbum teneat, ne patruus aliquo illud pacto ſentiſcat. Qui fidem dans ſe id nulla proferre „ratione regreditur ad regem quem proſpero nuncio „reddidit alacrem. Iterato igitur Clodoveus eumdem „Aurelianum ad regem dirigit Gundebaldum, ut „ſponſam requirat ſuam nuptiali fœdere ſibi copulandam. Qui regem adiens Burgundionum, mandata ei depromit regis Francorum. Ille ſe neſcire „fatetur quæ ejus ſit ſponſa: nec ſe ulla poſſe dare reſponſa. Sed tibi, inquit, cavendum ne publica affectus contumelia ex hac pellaris aula, qui noſtra veniſti exploratum regna. Cui legatus: Hæc, „inquam, mandat dominus tuus, Rex noſter Clodoveus. Si vis mihi Clothildem meam reddere ſponſam, locum deſigna, quo eam recepturus adveniam. At ipſe miratus quod neptem ſuam peteret „Clodoveus, convocatis regni primoribus conſilium „cum eis habuit, quid eſſet facturus. Qui Francorum veriti animoſitatem, ne in Burgundiam pararent expeditionem, ſi eorum regi memorata non „traderetur puella, talia ſuo principi dedere conſilia. „Requirat, inquiunt, dominus noſter quid puellæ deſideret animus, & utrum eidem regis Francorum „delatus fuerit anulus. Quod ſi eſt ut hæc illa velit, & forte jam ſponſalia munera ſuſcepit, reniti „non poteris, quin potius legatis eam tradere maturabis. Burgundiones namque omnes plus conſiliis, „quam armis ſuam tutantur rempublicam. Inquiſita „puella fatetur ſupra memorata ſe ſuſcepiſſe dona, „regisque copulam mente velle cupida. Gundebaldus, licet invitus, Clodovei eam tradidit legatis, „nihil ei de ſuis tribuens theſauris. Suſceptam ergo „ſæpodictus Aurelianus Clothilden deducere feſtinabat „ad regem, quæ finibus appropinquans regni ſui patrui imperat Francis qui ſecum erant, ut prædam „capiant, incendiaque villarum in regno Burgundiæ „faciant. Nec mora, illi haut ſecus ac juſſi fuerant, „perficiunt injectoque circumjacentibus villis incendio, averſaque præda, Burgundia egrediuntur, Francorum repetentes ſolum. Hoc illa cernens, dixiſſe „fertur. Gratias tibi, inquit, ſumme DEVS refero, „quod initium vindictæ paternæ necis conſpicio.„ Nuptiæ Sueſſionis peractæ (x). Hæc Aimo, quæ pluribus adſcripſi quia & memorabilia multa; & his nuptiis faces accenſæ quibus non ſolum Burgundia ſæpius conflagravit, ſed ipſa Burgundionum regum ſtirps antiqua penitus in nihilum converſa eſt. Gundebaldus vero, ſive omnia ſibi tuta Francorum adfinitate putaret, ſive fœdus Odoacer Italiæ Rex illuſiſſet, ſuperatis cum ſuis Burgundionibus Alpibus, maximam eorum manum in Liguriam, Inſubriam, & Æmiliam immiſit, quæ eas provincias effuſe populata (y); dum Odoacer Theodorico contra niti conatur, & ne Italia pellatur omnibus viribus incumbit, captivos omnis generis plurimos fecit, victorque præda & opibus auctus in Burgundiam rediit. Ubi vero Theodoricus totius Italiæ potitus eſt, ejusque fama & gloria totum orbem claritudine pervaſit, nihil prius habuit quam ut ejus amicitiam, & poſtea adfinitatem conſequeretur. Itaque in ejus gratiam captivos omnes Epiphanio Ticinenſi Epiſcopo, qui eam ob cauſam ex Italia in Burgundiam venerat, condonavit ad numerum 6000. tum demum filio Sigismundo Amalabergam Theodorici ex ſorore Amalefreda neptem collocavit (z). Gaudegiſelus vero qui Minori Burgundiæ imperabat, ſive fratris inſolentiam pati non poſſet, ſive minus ex æquo ſecum agi exiſtimaret, animis exulceratis, ut fratrem Gundebaldum everteret, clam ad Clodoveum legatos miſit, cum promiſſis regnum ſe cum eo diviſurum, perpetuumque ſoluturum tributum, ſi ſuas in opprimendo fratre opes & vires communicaſſet. Conditionem ſuſcepit animo lubente Clodoveus, non iis de cauſis tantum, ſed etiam quod indies, vindicem ſe ſoceri & adfinium præſtaret tandem, ab uxore exagitaretur, & vero quia favere Alarico Gotthorum regi videretur Burgundus, quem pro inimico bello perſequi cogitabat Francus. Statim igitur exercitum deſtinavit Clodoveus (a). Qua re cognita Gundebaldus pactarum inſidiarum prorſus inſcius ad Gaudegiſelum miſit, obſecratum, ut ſibi adverſus Clodoveum hoſtiliter in ſe irruentem adeſſet, & ſecum commune regnum à communis hoſtis impetu tutaretur. Reſponſum per ſimulationem benignum, & ut petierat accepit. Cum autem tres exercitus ad Divionem, quo obviam usque Franco adierant, Burgundi conveniſſent, Godegiſelus ad hoſtem tranſiit, conjunctisque copiis, re inopina, perculſum Gundebaldum facile profligavit, regnoque toto Franci potiuntur, ſola

(x) A. D. N. CCCCLXXXVII. (y) CCCCXC. Paul. Diaconus Lib. XVI. Parad. de antiq. ſtatu. (z) CCCCXCV. (a) A. D. N. CCCCXCIX.

la Avenione, quo in loco se Gundebaldus incluserat, tenente & resistente, sed nec diu nec satis valide. Itaque deditionem paullo post facere coactus, ingentique auri suma, Acedii amici liberalitate, Clodoveo persoluta, promisso etiam in posterum tributo annuo, & quæ ultra Ararim, nunc ducatum Burgundiæ vocamus, sunt, in potestate Francorum relictis, Gundebaldus regno restitutus est, Gaudegiselo in partem æqualem admisso (b). At, hoc facto, non tam placatus, quam ira & furore novo correptus Gundebaldus omnem in fratrem effudit belli tempestatem, Viennæque inclusum artissime circumsedit (c). Captam proditione urbem ferro cædeque complevit, fratrem & quidquid cum eo militum aut principum fuit, interemit, victoriam crudelissime exercuit, quam tamen postea Aviti præcipue Viennensis Episcopi Catholici auctoritate paullum repressit (d). Sunt auctores qui Gundebaldum tum demum post devictum fratrem leges Burgundis dedisse, rempublicam constituisse tradiderint. Id autem fecisse ut tyranni nomen moremque effugeret, convocatis & in concilium admissis Principibus & Comitibus Burgundorum Romanorumque. Ita eos vocabant, qui illas Galliarum partes tenebant, antequam ipsi, Rheno trajecto, eas invaderent & de se nominarent. Unde illa verba Principio ejus institutionum: *Itaque primum habito consilio Comitum Procerumque nostrorum studemus ordinare:* Deinde: *Sciant itaque optimates, Comites, consiliarii, Domestici, & Majores domus nostræ, & consiliarii; & Burgundiones quoque & Romani Civitatum & pagorum Comites.* Fuerunt vero qui has leges condiderunt Comites (e) triginta, quorum nomina cum antiquitatis & ipsorum jactura neglecta: *Nomina autem triginta Comitum qui hanc manibus constitutionem subscribentes roboraverunt, brevitati studentes omittam.* Præerant judiciis ex Comitibus in certum numerum electi, & ea quidem ratione ut alter judicum esset ex incolis, sive Romanus; alter Burgundus, sive advena, nec liceret alterutro absente sententiam ferre. Ait enim: *Nullam caussam absente altero judice vel Romanus comes, vel Burgundio judicare præsumat.* Non aliter vero quam præscriberent leges judicare, aut decernere fas erat judicibus, non solum in ceteris omnibus rebus, sed etiam iis quæ ad fiscum regium pertinere videbantur: *Nec fiscus noster aliquid amplius præsumat, quam quod de solutione multæ legibus legitur constitutum.* Quod si quis judex esset, qui ab omni fraude alienus, per legum aut ignorantiam, aut negligentiam, aliter quam comandarent illæ, decrevisset, pecunia damnabatur. *Si quis sane judicum tam barbarus, id est, non incola sed advena & ex Germania vel regionibus aliis extra Romanorum ditionem profectus, quam Romanus, per simplicitatem aut negligentiam præventus, ut forsitan ea quæ in lege continentur non judicarit, & à corruptione alienus est, triginta solidos solvat.* Si denique aliquid controversum esset, aut nondum legibus sancitum, & determinatum rex adeundus erat, ipse constituebat. *Si quid vero est quod legibus nostris non tenetur insertum, hoc tantum ad nos referre præcipimus judicantes.* Earum legum aliquot summam si subiunxero, non abs re antiquitatis facturum me arbitror, & rem forte gratam iis qui his veterum monimentis delectantur.

Datur potestas parentibus relinquendi & distribuendi liberis quæ munificentia & benignitate Principis acceperunt, quod ante non licebat.

Si possessiones inter liberos diviserit pater, partemque sibi servarit, & aliam duxerit uxorem, ejus tantum portionis & partis ex ea nati liberi participes fient.

Qui à Principe aut ejus propinquis aliquid benignitatis acceperint, ejus erigant & conservent titulos, ut & ipsi & eorum liberi se regi obligatos sentiant, & inde confiteantur (f).

Qui subditum, aut servum regis occiderit, non aliter quam sanguinis effusione, punietur.

Quod si defendendo se contra vim interfecerit, pecunia luet: pro cæde nobilis solidos aureos LXX. pro cive L. pro mechanico XXXVII cum dimidio dependet.

Quisquis mancipium solicitaverit, equum, equam, bovem, vaccam, furto averterit, Romanus sive incola, aut Burgundus, moriatur. Ablata restituantur, aut eorum æstimatio, pro servo solidi XXV. pro equo bono X. pro mediocri V. pro bove II. pro vacca I.

Si servus furatus sit, moriatur. Dominus furti æstimationem solvat.

Si non sit mancipium CCC. flagelli ictibus puniatur, Dominus æstimationem præstet.

Qui equi campanellam furatus sit, equi æstimationem luat.

Qui homini libero pugnum impegerit, fuste aut pede percusserit, pro uno quoque ictu solidum exsolvet, pro violentia, (*fredum, aut fredum in legibus vocat, hoc est,* Frevel.) sex.

Qui mancipio; mediam partem, uti & pro violentia.

Qui hominis liberi capillos involaverit una manu sol. II: utraque, sol. IV. puniatur. Pro violentia VI. damnetur.

Mancipium qui homini libero pugnum infregerit, pro uno quoque ictu centum flagelli plagas accipiet.

Homo liber qui servo fugitivo literas commendatitias dederit, manum amittet, Servus CCC. flagelli ictus tolerabit & pariter manu deminuetur.

Vulnus vultui illatum triplo (*trigeldum nominat*) æstimabitur eo quod vestibus absconditur.

Omnis Burgundio qui in domo alterius quæ-

(b) Greg. Lib. II. Aimo. Lib. I. Sig. Lib. XVI. (c) A. D. N. DIII. (d) Greg. eodem Lib II. cap. 33. (e) Comes antiquitus idem qui judex (Unde legibus Ripuariis cap. 55. & 90. Si quis judicem fiscalem, quem Comitem vocant, interfecerit;) qui & gravio vel graphio P. Diacono lib. V.

(f) Hinc origo armorum & insignium à dominiis & arcibus.

quæstionem moverit, earum ædium domino solid. VI. exsolvet, pro violentia XII.

Pro raptu filiæ non violatæ, sed parentibus restitutæ, raptor secuplo (*sexgeltum legibus hac pœna dicitur*) multabitur.

Homo liber qui in suspicionem venerit conjurationis contra Principem ipse & XII. ex ejus propinquis sese jurejurando coram judicum consessu (*in aracko*,) purgabunt.

Qui pro debito pejeraverit, novies litis æstimatione damnabitur. *Nuingeltum appellat*.

Maritus bona uxoris absque liberis decedentis non habebit, sicuti nec illa mariti.

Monialis parentum hereditatem adire poterit. Si fratrem habuerit tertiam tantum partem sibi illa vindicabit. Sed hæ monialium hereditates ipsis vita defunctis ad earum propinquos redeunt.

Hæc pauca de Gaudebaldi legibus. Ex quibus eorum temporum mores & æquitatem intelligas, adeoque non tam huic regi defuisse artem & scientiam juste & pie gubernandi quam animum, & voluntatem. Quod iis omnibus usuvenire solet, qui ambitione, ira, & odio obcæcati humana divinaque nullo in discrimine ponunt, dum cupiditati & regnandi libidini morigerentur, quæ plerumque nisi morte & tristi exitio modum aut finem non agnoscit. Quod sane Gundebaldo accidit. Franci enim cognita non solum Gundegilili nece, sed etiam eorum Francorum, quos ad quinque millia illi præsidio reliquerant internicione, majore ira justioreque ut videbatur, quam antea caussa, in Burgundiam exercitum duxerunt, tanto omnium ardore tantaque minarum mole, ut ultima desperatio Burgundum ceperit, nullo ultra fallendi loco relicto (g). Ad Ostrogotthos in Italiam fuga elapsus est prius quam copiis hostium circumvallaretur; nec multo post mœrore & ægritudine in exilio distabuit. Tunc Proceres Burgundi Ludovico regi & Clothildi commendarunt Sigismundum Gundebaldi filium, egregia virtute & pietate juvenem, cui regis liberalitate Burgundia Cisararica sive Sequani & Helvetii permissi, uti & fratri Gundemaro, quem ita amore fraterno complexus est, ut quamvis ipse solus regnum paternum à Franco accepisset, eum tamen regem vocari non ægre habuerit.

SIGISMVNDVS BVRG. REX. V. (h)

Duxerat, ut ante monuimus, Amalabergam Theodorici Italiæ regis neptem (i), ex qua Sigericum progenuit. Ei mortuæ aliam induxit nec opibus nec nobilitate parem, quæ res Sigerici adolescentis magnanimi animum non parum offendit, eo quidem magis, quod eam eo genere & facultatibus maternis ornamentis & mundo excoli & insolescere pati non posset. Quapropter cum matris laudandæ & ejus deprimendæ finem non daret, adeo novercales stimulos in suam perniciem concitavit, ut ea adolescentem appetiti regni insimulante pater uxori deditus ad quiescentem filium duos suorum intromiserit, qui laqueo cervici injecto Spiritum intercluderent (k). Aimo gladio occubuisse scripsit. Ea finis fuit & liberæ nimis linguæ & incauti in matrem amoris, principium vero extremi doloris, quo parens re fraudeque comperta de ejus morte & cæde adfectus est. Ita enim indoluit, ut ab eo tempore nullam lætitiæ partem attigerit; sed in orationibus, gemitibus, sacris ædificiis in honorem DEI & SS. Martyrum condendis, si qua ratione DEVM, quem tantopere offendisse non ignorabat, propitium & remissum parare posset, finem aut modum nullum fecerit. Accesserunt denique Franci, qui ejus facti titulo, cum Burgundiæ magnopere inhiarent, tum Clothildis hortatu pœnas ab eo gravissimas repetiverunt, quas tamen eo animo & satisfaciendi desiderio pertulit Sigismundus, ut in gratiam cum DEO rediisse & in præcipuum honoris gradum collocatum miracula apud ejus tumulum edita satis demonstraverint. Hac de re operæ est precium Aimonem (l) audire, qui cum rationem, qua Clothildis filios ad exscindendam Burgundiæ regum Stirpem vehementissime incitaverat, edisseruisset, Regesque ea motos validissimum exercitum in Burgundiam duxisse confirmasset, ita de Sigismundo orationem orditur: „Tunc temporis Sigismundus Basilicam S S. Mauritii „sociorumque ejus magnis exstruebat impensis, in „loco nuncupato Agauno. Circa eumdem quippe lo„cum magnanimitatem suæ ostendit devotionis; dum „esset vir optimæ mentis & sanctarum locupletator „Ecclesiarum. Nam & prædiorum illi loco contu„lit copiam & clericorum ordinem psallentium con„stituens sanctæ legionis martyres propitios sibi ad„scivit. Meminerat enim se conjugis persuasionibus „deceptum unicum amisisse filium. Quem dum illa „odio prosequitur novercali in tantum exosum fece„rat patri, ut felle commotus juberet eum puniri „gladio. Nec multo post facti pœnitentia ductus se„cum ipse reputans quid sceleris admiserit, ad sepul„cra Sanctorum recurrens sæpe humique prostratus „eos erga se clementissimos fore eflagitans rogabat, „ut si quid minus perfectum divinæque majestati ad„versum in suis reperiretur actibus, id eorum inter„ventu justus judex in hoc sæculo potius, quam in „futuro puniret examine. Quam petitionem ad ef„fectum juxta votum pervenisse constat. Audiens „quippe exercitum advenire Francorum, instruit & „ipse copiosam suorum manum atque adversus eos „pugnaturus aciem dirigit (m). Congressione igitur „facta, Francis acriter præliantibus, victi Burgundio„nes fugæ præsidio se committunt. Sigismundus ve„ro cum tutelam SS. Agaunensium martyrum citato „expeteret cursu à Clodomiro Francorum rege, qui „eum persequebatur captus, atque Aurelianis perdu„ctus carceri est mancipatus. Tunc beatus Avitus „qui in territorio ejusdem urbis Abbatis fungebatur „officio, rogare Clodomirum cœpit, ne tam excel„lentis nobilitatis insignisque bonitatis virum neci tra„deret. Quod ille audire detrectans, eum in villa, „cui Calumpnia nomen est, perduci, ac ibidem cum „filiis capite cæsum in puteum projici jussit (n), „de quo postmodum sublatus, atque ad Basilicam „SS. Agaunensium devectus martyrum, cum digno honore

(g) A. D. N. DIX. (h) Imp. an. XII. (i) Otho Frisingensis filiam fuisse scribit chron. Lib. V. c. 1.

(k) A. D. N. DXV. (l) Lib. II. Cap. 3. 4. (m) A. D. N. DXVIII. (n) A. D. N. DXXI.

,honore est sepultus. Quem sanctorum collegio ,Christum dominum adnumerasse, ideo non ambi- ,guum habetur, quod febricitantes quique si pro re- ,medio animæ ipsius salutare fideliter fecerunt offer- ,re sacrificium, continuo ab infirmitatis suæ liberan- ,tur incommodo,,. Hactenus Aimo. Sigismundus fatetur literis fundationis hoc se pro sepulchro beatorum martyrum monasterium constituisse de Consilio LX. Episcoporum, & totidem Comitum, consensu vero & auctoritate Lotarii Francorum regis & ejus fratrum. Testes adfuerunt & subscripserunt quatuor Episcopi, Maximus Genevensis, Theodorus Sedunensis, Victor Gratiopolitanus, & Viventiolus Lugdunensis. Comites vero Vindemarus, Fredemundus, Gandolphus, Benedictus, Agano, Bonifacius, Theudemundus, Fredeboldus, alii. Celebravit Concilium Epaonense. D. Sigismundi corpus præcipuo in honore fuit Agauni ad Caroli IV. Imp. ætatem (o). Is ex Italia per S. Mauritium in Germaniam rediens inde Bohemiam adsportavit magna pompa, filiumque, qui postea magna laude & reipublicæ Christianæ bono imperavit, Sigismundum in Divi honorem & memoriam nominavit. Auctor Joan. Dubravius Episcopus; de Carolo ex Italia reduce mentionem faciens: *Ex hoc*, inquit (p), *itinere Agaunum divertit. Vbi præter reliquias D. Mauritii, corpus insuper Sigismundi Burgundiæ regis multis inclitum miraculis jacere cognovit. Ibi instat oppidanos pro illo poscere, tanquam populari suo, propter linguæ Vandalicæ* (q) *commercium, nec desistit incepto, quam illud impetrat, secumque Pragam cum maxima omnium veneratione adportat.* Burgundi Proceres collectis animis & viribus, cum captum & abductum Sigismundum comperissent Guotmarum fratrem ejus regem nominarunt.

GVOTMARVS REX BVRG. VI. ET VLT (r).

Clodomirus Francus habita contra Burgundos victoria in Sigismundum eorum regem crudelitate haut diu lætatus est, statimque vindicta ab Avito prædicta non in eum solum, sed ejus etiam stirpem redundavit. Cum enim contra Guotmarum regem rursum copias produxisset, dum incautius pugnat, & interfectus & capite ejus conto præfixo ludibrium etiam hostibus fuit, quam pugnam ita Aimo sæpe memoratus retulit (s). *Auctor vero necis ejus* (Sigismundi) *non diu lætatus est in hoc facto. Nam sequenti anno* (t), *idem Clodomirus, commoto exercitu, partes Burgundiæ devastaturus aggreditur. Cui occurrit frater ejus defuncti, ac fraternæ cædis avidus vindex pugnam cum eo non dubitavit conferre: Sed Burgundiones, more sibi solito, animositatem Francorum non ferentes, hostibus terga nudarunt. Rex vero Clodomirus juventa alacrior, armis munitus & ipso præsentis certaminis prospero successu animatus, dum audacius, quam debuit hostes insequitur, pernicitate equi, cui insederat, vectus, agmen inimicum, sui nimium negligens, antecessit. Quem illi à suis desertum à se vero circumventum conspicati, telis eminus urgere cœperunt, confossisque lateribus interemerunt.* Non tamen multo post (u) Lotarius & Hildebertus, super insitam regnorum amplificandi cupiditatem, etiam fratris mortem ulturi, Burgundiæ bellum intulerunt, Guotmarumque Augustoduni obsessum in eas angustias compulerunt, ut urbs quidem deditionem fecerit, ipse vero in Hispaniam, tum Africam profugerit, ubi exsul mortuus est. Franci inter se regnum diviserunt. Sed non eatenus ultio Sigismundi stetit. Prælio occiderat Clodomirus, partem accipere oportebat Clothildis, quæ tot cladium & cædium primam præbuerat caussam. Itaque cum ab ea Clodomiri filios enutriri sollertius Hildebertus & Lotarius accepissent, & eorum etiam regni partem occuparent, duos quidem Theodobaldum & Guntharum præsente & inspectante cum gemitu & lacrimis Clothilde reges contrucidarunt (x), Clodoaldum etiam pari modo tractaturi, (is tertius filiorum erat,) nisi secreta amicorum manus subduxisset, quibus in hanc sævitiam è medio sublatis, regnum etiam Clodomiri per partes tributum obtinuerunt, & ne Theodoricus Metensium rex, frater ex patre tertius, ægre ferret, aut contra aliquid moliretur, illi Burgundiam eam quam tenuerat Gaudemarus, hoc est Sequanos & Helvetiam quæ ejus regno proxima erant, concesserunt. Primus is Francorum, excisa antiqua & legitima Burgundorum regum subole & stirpe Burgundiæ regnum nomenque usurpavit. De quo pauca alia subjungam, ut & de ceteris Francorum gentis, qui Burgundis imperarunt, si prius quædam de origine & progressibus Francorum in medium conjecero.

(o) A. D. N. MCCCLVI. (p) Lib. XXII. hist. Boemicæ. (q) Imo quia Vandalorum, quorum reliquiæ Boemi, Burgundiones pars, & cum illis in Galliam transierunt. (r) A. D. N. DXIX. Regnavit an. VIII. (s) Eod. Lib. II. cap. 4. (t) A. D. N. DXXII. (u) A. D. N. DXXVI.

(x) Aimo Lib. II. Cap. 12. A. D. N. DXXXI.

CAPUT IX.

De Francis, eorum origine, & progressionibus, donec Galliæ totius imperium obtinuerunt.

Franci pyratæ. A Saxonibus edocti. Constantii Cæs. contra Francos gesta. Franci se Juliano permisere: & ab eo in Ordines adscripti sunt. Franci in Germania Franciam Orientalem constituere. Franci pro Romanis contra Vandalos. Franci in Galliam, & in ea eorum gesta crudelia. Franci primum regem elegerunt. Meroveus primus sedem firmam in Gallia fixit, unde ceteri Merovingi. Summa gestorum Clodovei.

FRancorum nomen recentius est, gens vetusta. Illud Valeriani & Gallieni imperio aut non multo ante notum, & Romanis monimentis inditum, quo tempore (a) Celticos & Francicos Postumo, qui tyrannidem in Gallia cœperat, adfuisse, contra Aureolum & Claudium Gallieni duces Trebellius Pollio (b) memoriæ mandavit, & deinceps Franci rebus gestis celebres & ubique fama nominati. Eorum antiqua sedes in Oceani litoribus inter Caucos, Frisos, & Saxones, & Sugambros (c). Imo ipsi Franci non alii quam antiqui Sugambri Augusti imperio jam celebrati. Atque hinc illæ de Sugambria & Trojanis fabulæ Sugambrorum, uti & Suevorum, qui alterum tunc ad Album latus colebant. Non exiguam partem in Galliam transtulit Tiberius, cum

(a) A. D. N. CCLX. (b) In Gallienis. (c) Vbi hodie Westvallorum pars. Seegemper, pugnatores lacenses, lingua Germanica.

cum nisi divisis & disjunctis eorum viribus continere eos posse diffideret. Suetonius de eo (d): *Suevos & Sugambros dedentes se in Galliam traduxit & in proximis Rheno agris collocavit.* Vnde Lyricorum rex ad Augustum (e):

Te cæde gaudentes Sugambri
Compositis venerantur armis.

Hanc vero Sugambros aut Francos traducendi rationem & alii Imperatores secuti. Nam Probus Imp. iisdem sedes destinavit, cum petiissent, & Maximianus, & Constantius, & Julianus. Sed sub eodem Probo sedibus quas adsignasset, parum contenti, piraticam exercere cœperunt, Hispaniamque, Europam, & Africam circumvecti totum pæne orbem prædationibus exhauserunt, opibusque salvis ad sua redierunt. Zosimus auctor (f). *Itidem cum Franci*, inquit, *ad Imperatorem* (Probum) *accessissent, & ab eo sedes obtinuissent, pars eorum quadam defectionem molita, magnamque navium copiam nacta totam Græciam conturbavit. In Siciliam quoque delata, & urbem Syracusanam adorta magnam in ea cædem edidit. Tandem cum & in Africam adpulisset ac rejecta fuisset, adductis Karthagine copiis, nihilominus domum redire nullum passa detrimentum potuit.* Hujus piraticæ artem à Saxonibus vicinis accepisse videntur Franci. Saxones in ea nominati. Sidonius ad Lampridium, qui Burdigalam profecturus, ad Theodoricum regem legatus, scribit:

Isthic Saxona cærulum videbis,
Adsuetum ante salo, solum timere.

Et panegyri ad Avitum, cum alias gentes quæ imperium vastabant recensuisset:

Quin & Aremoricus Piratam Saxona tractus
Sperabat (g) cui pelle salum sulcare Britannum
Ludus & assueto glaucum mare findere lembo.

Postea:

Saxonis incursus cessat, Cattosque palustri
Adligat Albis aqua.

Cum vero alias Romanis subditas gentes & regiones infestare solerent Franci, tum maxime Insulam Batavorum, & inde Galliam. Eam Ins. primus Cæsar Julius ita descripsit (h). *Mosa profluit ex monte Vogeso, qui est in finibus Lingonum, & parte quadam Rheni recepta quæ appellatur Wahalis, insulam efficit Batavorum neque longius ab ea millibus passuum LXXX. in Oceanum influit.* Bataviæ liberatæ laus Constantio Cæsari data. Panegyristes: *Multa ille Francorum millia qui Bataviam aliasque cis Rhenum terras invaserant interfecit, depulit, abduxit.* Alius Encomiastes ad Constantium Constantii F. *Terram Batavorum sub ipso quondam alumno suo à diversis Francorum regibus occupatam omni hoste purgavit, nec contentus vicisse ipsos in Romanas transtulit nationes, ut non solum arma sed etiam feritatem ponere cogerentur.* De qua quidem translatione superius dictum, ubi Constantii facinora. Sed neque licet eorum pars bona Nerviorum & Treverorum agros obtinuisset, propterea quievere reliqui, quin non solum Bataviam subjugarent, sed etiam plerasque ad Rhenum & in Gallia reliqua urbes R. oppugnarent & expugnarent. Zosimus (i): *Ex Pannonia Constantius (k) in Italiam rediit. Cum autem videret omnes Romanis ubique subditas Provincias barbaricis incursionibus interceptas, Francos & Allemannos & Saxones jam quadraginta sitas in Rhenum urbes cepisse, prorsum easdem devastasse, cives & incolas infinitæ multitudinis cum innumerabili spoliorum copia secum abduxisse, &c.* Repulit acriter, & Romanas urbes & provincias vindicavit Julianus, de cujus cum his gentibus bellis satis multa supra commemoravimus. Et, credo, Franci quiescere potuissent, nisi etiam ex suis sedibus in quas se, Gallia relicta, receperant, Saxonum Quadorumque adventu & impulsu rejicerentur. Eos tamen idem Julianus sibi supplices factos non solum suscepit, sed etiam in militiæ ordines conscripsit, Zosimo teste (l), qui cum Juliani multa præclare facta recensuisset, terroremque maximum barbaris incussum adseruisset, ait: „Omnes jam „propemodum in iis locis barbari spem omnem „abjecerant, tantumque non ad internicionem perituras existimabant suorum reliquias; cum Saxones „omnium eas regiones incolentium barbarorum & „animis & corporum viribus & laborum in præliis „tolerantia fortissimi habiti, Quados nationis suæ „partem in solum ab Romanis occupatum emittunt. „At finitimis Francis eos transitu prohibentibus, qui „metuerent ne justam Cæsari caussam præberent se „rursus invadendi, navibus constructis Rheno prætervecti parentem Francorum imperio regionem, in „Romani juris solum contenderunt, & adpulsis in Bataviam navibus, quam divisus Rhenus insulam efficit, quavis insula fluminea majorem (m), Saliorum „nationem Francorum à parte profectam, & vi Saxonum in hanc Insulam suis è finibus rejectam, „expulerunt. Hæc insula prius Romanis parens in „universum, à Saliis hoc tempore possidebatur. Cæsar, ea re cognita, Quados ille vicissim quidem aggrediebatur, sed jusso prius exercitu cum Quadis „acriter pugnare, Saliorum neminem occidere, nec „prohibere quo minus in Romanorum fines illi transirent, quod non ut hostes Romanam regionem peterent, sed per vim & coactionem à Quadis pellerentur. Hac animadversa Cæsaris humanitate Salii partim ex insula, cum rege suo, Romanum in „solum trajiciebant, partim ad limites, inita fuga, se „conferebant (n). Omnes Cæsari supplices facti, „sponte sua, se cum rebus ejus fidei permittebant.„ Post pauca. „His rebus ita constitutis, & Salios „Cæsar, & Quadorum partem, & quosdam incolentes insulam Batauniam (o) legionibus adscripsit, „quorum ordines nostro quoque tempore superstites „esse videntur.„ Ita Zosimus. Ordines illi inter Auxilia Palatina, in quibus etiam Batavi Seniores, Saliis vicini. Franci sive supra memorata Romanorum in se humanitate & benignitate adducti, sive tantum terræ occuparent, quantum necesse videbatur, paullulum substitere, ab injuriis & prædationibus manus abstinentes, sed eatenus, ut cum à Gallia temperarent in Germania tamen progressiones non exiguas facerent, adeoque ad Mœnum usque sedes moverent (p), Turingiam sive Cattorum regionem, & quæ ab ipsis Francia Orientalis dicta, insederent, Marcomiro & Sunnone ducibus. Unde, suo tempore, recte eos D. Hieronimus (q) inter Saxones & Allemannos collocavit: *Inter Saxones*, inquit,

(d) In Tiberio. (e) Ode XIV. Lib. IV. (f) Lib. I. hist. (g) Sperare, pro timere. Figura poetic. (h) Comm. IV. (i) Lib. III. (k) Constantini M. filius.

(l) Eod. lib. (m) Ex his satis Francorum à nobis facta descriptio sedis confirmata. (n) A. D. N. CCCLVIII. (o) Corrupte. Scribo Bataviam. (p) A. D. N. CCCLXXXVI. Sig. Chr. (q) In vita Hilarionis.

quit, & *Allemannos, gens non tam lata quam valida, apud historicos Germania, nunc vero Francia vocatur.* Erant enim Franci ad Rhenum & Mœnum, Saxones Albim à tergo obsidebant, ab altero Mœni latere Allemanni, & Burgundiones; qua adfinitate factum, ut Athanaricus Burgundionum Rex, quod ante tetigimus, Blisindam Marcomiri Franci filiam sibi matrimonio adjungeret. Brevis vero hæc fuit populi inquieti & ad omnia mobilis pax & tranquillitas. Cum enim Maximum tyrannum in Italiam contra Valentinianum Iuniorem maximas ex Gallia totoque Occidente copias traduxisse comperissent (r), subito in Galliam trajecerunt, obvia quæque vastarunt, Quintinum & Heraclium quos Maximus in Gallia reliquerat duces, prope Treverim prælio, cum omnibus copiis prope deleverunt. Arbogastes demum militiæ Comes ex Francorum gente, interfecto apud Aquileiam Maximo (s), à Valentiniano cum imperio in Galliam missus, cum pleraque, quæ in tumultu erant, composuisset, etiam Francos auctoritate sua pacavit, datisque obsidibus volentes ad pacem transtulit. Cum sub initio imperii Honorii rursum movissent, Stilico magister militiæ ad officium quoque coegit (t), unde illa quæ superius etiam intexuimus de Stilicone Claudiani.

> *Ante ducem nostrum flavi sparsere Sugambri*
> *Cæsariem, pavidoque orantes murmure Franci*
> *Procubuere solo.* - - - -

Alio loco. - - - *Rhenumque minacem*

> *Cornibus infractis adeo mitescere cogis,*
> *Vt Salius jam rura colat, flexosque Sugamber*
> *In falcem curvet gladios.* - - -

Paullo ante. - - - *Ingentia quondam*

> *Nomina, crinigero flaventes vertice reges,*
> *Qui nec principibus donis precibusque vocati*
> *Paruerant, jussi properant segnique verentur*
> *Offendisse mora.* - - - - -

Quæ de Francis, & eorum præcipue regibus intelligenda esse paullo post aperiemus, cum morem Francorum regibus fuisse ostendemus capillos alere. Fidem quidem & amicitiam hac quidem vice ita servarunt Franci, ut Vandalis & eorum sociis in Galliam irrumpentibus opponere se non dubitaverint (u), quamvis multitudine victi facile sedibus suis se continuerint, nec tamen ita ut non multo post (x) Vandalos persecuti sint, eorumque rege Godegiselo interfecto ultra viginti millia ceciderint, totam Vandalorum gentem exstirpaturi, nisi Alani succurrissent, qua clade perculsi Vandali in Hispaniam transeundi & Galliam relinquendi demum consilia susceperunt. Franci re fortiter gesta ut hac quoque parte amicitiam, qua devinctos se Romanis probare cupiebant, plenius ostenderent, relicta Gallia ultra Rhenum ad suas sedes repetiverunt (y). Ibique tamdiu agitarunt dum Constantium Comitem & supremum Honorii in Gallia ducem Burgundionibus sedes indulsisse & amicitiam cum iis stabiliisse, in suum maxime contemtum acciperent & interpretarentur. Tunc enim animis vehementissime perturbati Rhenum transierunt, obvia quæque vastarunt, Treverim provinciæ caput ceperunt, captamque cum diripuissent, subdito incendio combusserunt, in omnis generis homines ferro flamma & omnibus cruciatibus grassati. „Nam, *ut scripsit Salvianus* (z), quos hostis in excidio non peremit, eos post excidium calamitas obruit. Siquidem alios impressa altius vulnera lentis mortibus enecarunt, alios ambustos hostium flammis gravis pœna cruciavit, quidam interierunt fame, quidam nuditate, alii tabescentes, alii rigentes. Jacueruntque passim utriusque sexus cadavera nuda lacera, civium oculos infestantia, ab avibus canibusque dilaniata. Eos demum Castinus Domesticorum comes, Constantio ad consulatum gerendum evocato, domuit, & receptis urbibus ultra Rhenum propulsavit. Mortuo Marcomiro (a) Franci demum in aliarum gentium morem regem sibi præfecere Pharamundum Marcomiro natum. Primus is rex, omnium Francorum suffragiis & voluntate imperare cœpit, cum hactenus ducibus belli uterentur quos scilicet Scriptores Romani Græcique etiam reges nominabant; non alia tamen quam in bello auctoritate, apud Franciæ gentem defuncti. Huic Clodio successit (b) cognomento Comatus, propter insignem comarum elegantiam & amplitudinem. Is cum aliquandiu in Toringia habuisset arcem Diesburgum, missis in Galliam exploratoribus, cui adeo Franci inclinaverant & tam diu, omnia turbata accepit, bellumque esse inter Romanos duces Bonifacium, Castinum, tum Mavortium, & Gallionem. Occasionem negligendam haut ratus copias ex Germania transportavit, Romanos resistentes obtrivit „Tornacum obtinuit (c), & inde usque ad urbem Cameracum properavit, ubi pauco tempore residens Romanos si quos ibi invenit, peremit, & exinde ad Somenam (d) fluvium perveniens omnia occupavit.„ Hunc consecutus Meroveus (e); qui eo facilius, quæ occuparat pater tenuit, quod Atilæ & Hunorum cum quingentorum hominum millium multitudine adventu territi Romani, & omnes in Occidente reges, fœdere se potius obligare contra communem hostem, flagellum enim Dei se venditabat, quam mutuis in se bellis hostibus prædæ & ludibrio esse existimarent. Adfuit igitur Meroveus Romanorum duci Aetio campis Catalaunicis, dextrumque cornu eo in prælio, una cum filio Hilderico tutatus est (f). Interfecto Aetio, cæsoque pariter Valentiniano cum omnia in summa perturbatione versarentur, Occidens sine capite, sine rectore esset, Meroveus Senonum urbem, sive Parisios & Aurelianum, totamque eam Galliæ partem, quam Franciam deinceps auctores nominavere occupavit (g), primusque firmam in Gallia sedem Francis defixit, in cujus proinde memoriam & famam ceteri qui successerunt reges, ad Carolinos usque Merovingi nominati. Post Meroveum regnavit Hildericus (h), quem cum regno expulissent propter morum insolentiam & luxum Franci, Ægidium Romanum ducem sibi cum imperio præesse jusserant (i). Sed qui in Meroveo animi improbitatem ferre non poterant, eo minus Romani tyrannidem tolerare potuerunt.

(r) A. D. N. CCCLXXXVIII. (s) A. D. N. CCCLXXXIX. (t) A. D. N. CCCXCV. (u) A. D. N. CCCCVI. (x) A. D. N. CCCCIX. (y) A. D. N. CCCCXIV.

(z) Lib. III. (a) A. D. N. CCCCXIX. (b) ccccxxx. (c) A. D. N. ccccxlv. Sigebertus. (d) La Somme, Cæsari Samaris. (e) A. D. N. ccccxlviii. (f) A. D. N. ccccli. (g) A. D. N. ccccliv. (h) A. D. N. cccclviii. (i) A. D. N. cccclxi.

runt. Revocatus, opera præcipue Viridomari principis apud Francos viri & Meroveo amici, rex, primum contra Ægidium prælium habuit (k) vicitque, Coloniam & ceteras Belgicæ urbes in potestatem redegit (l), reliquumque tempus fortiter & cum laude transmisit, quodque caput est Clodoveum ex se natum successorem regemque Francis reliquit (m). Qui non solum, cæso qui supererat duce Siagrio, Romanorum imperium in Gallia finivit, Burgundos tributarios fecit, Visigothos, qui Narbonensem & Aquitaniam tenebant, domuit, sed debellatis præcipue & in extremam servitutem adactis, prælio Tolbiaco, Allemannis, Galliæ totius imperium Francis in perpetuum confirmavit, de quo prælio pauca mihi dicenda sunt, tum quæ deinceps Helvetiæ fuerit conditio & status. Sed hæc fuerunt quæ de Francorum origine & rebus gestis dum Galliam occuparent mihi in præsens adducenda putavi. Nam de illis sexcenta plena volumina, quæ qui volet per me, non apud me legere & videre licebit.

(k) A.D.N. ccccLxix. (l) A.D.N. ccccLxxv. (m) A.D.N. ccccLxxxiv.

CAPUT X.

Allemannorum prælio Tolbiaco clades, antiquæ libertatis & dignitatis spoliatio, alia.

Prælium Tolbiacum. Oratio Clodovei. Clodovei in victos crudelitas. Literæ Theodorici pro Allemannis. Allemannia servitute adfecta.

GAlliam, ut diximus, gentes ex Germania plures occupavere, sed principatum Visigotthi, Burgundiones, tum Franci & Allemanni tenuere. Omnes primo, dum exterminando Romanorum imperio omnibus opibus enituntur, sedesque pro regione & populorum multitudine diversas sortiuntur, quieti inter se & pacifici. Post, dum omnia metuunt, sive animi libidine & ampliorum cupiditate, arma commisere. Sed Visigotthi, Burgundionesque ut viribus impares, ita facile fortioribus cesserunt, aut potius principatum posuere. Allemannorum & Francorum majora momenta fuere. Hi demum, ut contra Allemannos victoriam, sic quoque totius Galliæ imperium divinitus pugna Tolbiacensi depugnata obtinuere. Confecerant Allemanni quam maximas utraque Rheni ripa copias, ingentique adparatu in Germaniam inferiorem, quam Franci à principio occuparant, contenderant, Coloniam quæ earum partium caput tunc temporis, obsessuri. Illis instructa acie prope Tolbiacum obvius factus Clodoveus Francorum rex, primo cum equitatu repulsus est, maxima suorum cæde: Jamque in eo erat, ut vinceretur, nisi Christi nomen potentiamque, quam toties Clothildis conjux Christianis imbuta moribus prædicaverat, in memoriam revocasset, votoque se novo sacra nostræ religionis suscepturum, si vinceret, obligasset. Quod & evenit. Conversis enim velut fortitudine cœlitus inspirata militum animis ita in Allemannos irruperunt, ut sustinere non potuerint, cæsi & fugati sint. Qua de re Aimo (a): „Rege in infidelitate permanente tandem commovetur exercitus, bellumque à Francis & Allemannis totis regnorum viribus excitur. Tunc rex Clodoveus, signo suis dato, bellum adgredi imperat: sed inter præliandum suos graviter hostium mucrone sterni conspiciens in hanc vocem prorupit: CHRISTE, inquit, potentissime DEUS, quem Clothildis conjux mea colit pura mente, tropæum meæ tibi voveo fidei, si tribuas his ex hostibus triumphum victoriæ. His peroratis Allemannos invadit timor, Francos accendit virtutis ardor. Igitur hostes terga vertentes victoriam Clodoveo relinquunt, ac demum regem suum gladio cæsum conspicientes jure tributario Francis se fore servituros libentissime spondent.„ Hactenus Aimo. Sed non contentus victoria ea, aut deditione, tributove Clodoveus, Allemannorum fines pervasit, ferro flammaque omnia vastavit, superstites & captos extrema servitute adfecit, laudem, decus, gloriam quam tot annis, bellis, rebusque fortiter gestis Allemanni occupaverant, & inprimis libertatem funditus exstinxit, aut in Francos transtulit, crudelem se & insatiabilem præbuit, adeo ut non pauci metu & sævitia victoris, superatis Alpibus in Italiam ad Theodoricum Gotthorum regem confugerint, & ab iis quos hostium loco habuerant, opemque & auxilium deprecati sint. Pro adflictis & fugitivis scripsit in hanc sententiam Theodoricus, eo quidem confidentius quod Clodovei sororem in matrimonio habebat. „Tuæ de Allemannis victoriæ gratulor, eamque mihi tecum statuo communem. Tuam enim virtutem, meam existimo felicitatem quandoquidem ita postulat necessitudinis jus, meumque de animi tui magnitudine judicium excellens, & qui omnia superat, meus in te singularis amor. Hostium Duces auctoresque amentiæ pœnas dedere. Scelus eorum cruore piatum est. Tuæ summæ prudentiæ est ita præterita agnoscere, ut futuris prospicias. Magnificus triumphus ac te dignus est, multitudinem insontem, cui fortuna belli ac numen pepercit, tibi supplicare, teque illi salutem ac incolumitatem concedere: ut secundum superos nullus sit, cui plus se acceptum referre ipsi prædicent. Tu quoque ceteras admirabiles virtutes tuas hac clementiæ palma ac condonandæ vitæ laude cumulare studeas, qua una re, quam proxime potes ad Deum optimum maximum accedere, ut te & sibi natum & regnare seculum nostrum lætetur, glorieturque se cum veterum felicitate certare. Gentis Allemannorum ante nobilissimæ reliquiis ignosce, quæ, ut calamitosorum fata sunt, vano metu perculsæ in meum hominis tibi conjunctissimi sinum se contulere, errorемque hunc misericordia dignum judices, eosque pace tua perfrui ac finibus suis uti, ac quas à libertate majestatis tuæ proficisci par tibi videbitur, legibus parere jubeas. Spondeo nihil eos in posterum, nisi pia erga te & grata beneficii tui recordatione acturos cogitaturosque. Sin quid secus agitarent, non magis tibi salutis eorum conditori, quam mihi voluntatis eorum sponsori, & quasi vadi hostes forent, & qui deprecatoris munere fungor, ultoris partes, vicemque susciperem. Integros florentesque vicisti; quæ gloria accedat, si persequi exsangues & confectos in animum inducere magnitudo tua posset? Nihil pro popularibus, nihil pro adfectibus meis deprecor: Sum tantum tui, gloriæque tuæ memor. Nec quid-

(a) Lib. I. Cap. 15.

„ quidquam persuadere tibi studerem, nisi prius mihi „ probassem, id & laudi & gloriæ tuæ conducturum. „ Ita amice & benevole Theodoricus, sed his non tam Allemannis libertatem, aut aliquid priscæ dignitatis recuperavit, quam persecutionis finem & servitutis initium fecit. Tota Allemannia partim fisco, partim belli ducibus, & quorum operam præcipuam expertus præterito bello fuerat Clodoveus, adsignata. Omnibus etiam non magnis ejus partibus, quo magis in officio continerentur, Comites dati, qui vero cunctis in universum præesset Dux nominatus, qui quandoque Dux Allemanniæ, quandoque Sueviæ, propterea quod maxima inter Allemannos Suevorum pars, à Scriptoribus & instrumentis dicitur. Curialis sedes Allemanniæ Rancuillæ posita. Ibi qui judiciis præessent Comites XVI. constituti. Quod ex rebus gestis S. Fridolini, qui hoc tempore & Clodovei regno in Helvetia magna sanctitatis & miraculorum fama agitabat, ut suo loco pluribus ostendemus, manifestum est. Nec postea Allemannorum fama aut gloria fuit.

CAPUT XI.

Helvetiæ status & condicio post prælium Tolbiacum. De servitute & manumissione, lege Salica; tum nobilitate & aliis.

Allemannica Helvetia in servitutem redacta. Servitutis tria genera. Allemannorum condicio & servitus. Manumissiones antiquæ de officio proconf. De manumissis vindicta. Manumissiones lege Salica. Nobilitas prisca & vera. Valvassores qui. Clientum, & Vasallorum differentiæ. Heribannum quid. Banni significatus. Nobilium privilegia. Nobilitas maxima in Helvetia.

QUis Helvetiæ totius postea status & condicio fuerit, dicere non difficile est. Nam illa pars quem habuerant Burgundi, ubi defecerunt eorum reges, eam, qua sub ipsis usa fuerat, etiam sub Francorum regibus rationem & libertatem obtinuit: quam possederant Allemanni servitute una cum ipsis adfecta est. Et fere hæc divisio Helvetiæ permansit, dum in ea Francorum imperium fuit, (licet Gallia omnis varie, ut fuerunt regum liberi, distributa esset) ut scilicet Tauriacus, sive Tigurinus pagus, & quæ ad Ursam usque Helvetiorum sunt, Allemanniæ ducibus parerent, cetera Rectores peculiares haberent, qui Rectores Minoris Burgundiæ, nonnumquam Duces Transjurani, Franciæ Scriptoribus nominantur. Servitutis autem ex Stoicorum sententia tria genera (a). Una quoties non est potestas vivendi ut velis, ut si homo carcere contineatur: altera cum quis dominio alieno contra naturam subjicitur: tertia quam serviunt mercenarii, obærati, addicti, clientes. Allemannis secunda conditio obtigit. Ita enim victi & subjugati, ut præter quam manu captis & bello servatis, quæ servorum descriptio & mancipiorum est, nihil libertatis aut dignitatis reliquum manserit, qui proinde non solum omnibus bonis & possessionibus exciderint, sed etiam in perpetuo vitæ discrimine fuerint, quamvis eas servitutis leges & jura paullo post pietas & mores Christiana imbuti mansuetudine aliquamtum temperaverint. Quamvis igitur venire, distrahi, cædi, & aliis modis servilibus tractari non conveniret, tamen ita sui potestate exuti erant; ut nihil omnino, nisi domini voluntate agere, moliri possent, non alio migrare, emere, vendere (b). Et si quid accessionis aut emolumenti facerent, in rem domini vertebatur, nullo illis aut perexiguo usu, quippe qui nec testamenta condere nec legare, aut legata obtinere, inscio domino, umquam valerent. Non pauci tamen aut precio, aut opera, aut Principum beneficio, & dominorum in libertatem vocabantur. Manumissionis, & libertatis antiquitus certæ formulae Romanis erant. Namque ea inter legis actiones recensebatur. Vnde Marcianus: *Apud legatum proconsulis nemo manumittere potest, omnino enim non est apud eum legis actio. Manumitti igitur servus dicebatur, cum dominus ejus aut caput ejusdem servi, aut aliud membrum tenens, dicebat: HVNC HOMINEM LIBERVM ESSE VOLO; & emittebat eum è manu:* Prætor autem vindicta, hoc est, virga, ejusdem servi capiti imposita ita dicebat: *DICO EVM LIBERVM ESSE MORE QVIRITIVM.* Inde conversus ad lictorem addebat: *Secundum tuam caussam, sicuti dixi, ecce tibi vindicta.* Tum lictor accepta à prætore vindicta, aut virgula, caput servi, percutiebat, faciem palma tergumque verberabat (c). Quibus actis, nomen manumissi in acta referebatur, adjecta causa manumissionis. Hæc apud priscos ratio erat in iis quae apud prætorem, sollenni more, libertate donabantur. Addit Cajus: *Non est omnino necesse pro tribunali manumittere. Itaque plerique in transitu manumitti solent. Cum aut lavandi, aut gestandi, aut ludorum caussa prodierit prætor.* Postea neglectæ hæ ceremoniæ, itemque verba illa sollennia & à lictoribus servi in libertate positi. Hermogenianus (d): *Manumissio per lictores hodie, domino tacente, expediri solet, & verba sollennia licet non dicantur, ut dicta accipiuntur.* Alias simpliciter, his verbis, liberum te esse jubeo, aut liber esto, aut abito quo voles, vel nihil te moror, utebantur. Plautus (e): *Liberum te ego jussi abire?* Alibi: *Mea quidem caussa liber esto, atque abito quo voles.* Alia in comedia idem lepidissimus poetarum: *In hunc diem nihil te moror, abi quo lubet.* Legibus Salicis etiam certa in manumissionibus observatio fuit, præsertim si publice & à Principe fierent. Tunc enim, qui libertatem consecuturus erat numum manu, quasi precium, porrigebat Principi, quem cum excussisset, pro eleemosina in pauperes erogabatur. Id intelligo ex literis manumissionis Joannis Schudi Glaronensis, quarum literarum exemplum ego, cum aliæ mihi suppeditent, eo libentius interseram, quod Ægidio Schudi Glaronensi ex eadem nobilissima & antiquissima familia tantum debent antiquitatis amatores, quamtum alteri nemini. Eæ igitur sic habent. *In Nomine sancta & individuæ Trinitatis. H. Ludovicus Divina favente gratia Rex. Noverint omnes fideles nostri præsentes scilicet & futuri, quia nos rogatu Parucharti (f) dilecti Comitis nostri, quemdam proprium servum nostrum Johan nominatum, in præ-*

sentia

(a) Diog. Laert. Lib. VII.

(b) Id maxime cognoscitur ex mancipiis qui adhuc sunt in Helvetia, maxime eodem pago Tigurino. (c) Boet. in Top. Fest. Lib. XI. Val. Prob. Notis. Donatus Adelph. Sig. Lib. I. de Lud. c. 13. (d) In l. man. ff. de manumissis vind. (e) Menech. Act. V. Sticho. (f) Burcardi.

ſentia fidelium noſtrorum, per excuſſionem denarii de manu illius, juxta legem Salicam, in eleemoſinam noſtram, liberum dimiſimus, & ab omni jugo ſervitutis abſolvimus, ejus quoque abſolutionem, hoc ſcripto, firmavimus, quam in omni tempore firmam, inviolabilemque manſuram eſſe volumus. Præcipientes ergo jubemus, ut ſicuti reliqui manumiſſi, qui per hujuſmodi titulum abſolutionis à Regibus vel Imperatoribus Francorum noſcuntur eſſe relaxati ingenui, ita deinceps memoratus Johan, bene ingenuus atque ſecurus exiſtat. Et ut iſtius ingenuitatis pagina firma ſtabiliſque conſiſtat, Annulo noſtro eam conſignare juſſimus.

Ernuſtus Cancellarius ad vicem Theotmari Archicapellani recognovit.

Data II. kl. *Jun. Anno Incarnationis Domini* *LↃ CCCCVI. Indict.* VIII. *Anno Regni Domini H. Ludovici* VII. *Actum in Rotuvila feliciter. Amen.*

Ex his patet id quod diximus libertatem à Principibus Francis per excuſſionem denarii dari, idque in concilio procerum & publice, & plerumque rogatu & favore eorum qui apud Principem multum poſſent: Hoc autem modo ſervitute, lege Salica, ſoluti LIBERAE CONDICIONIS homines dicebantur. Hinc alius quidam ex eadem familia ita Inſtrumentum orditur. *Noverint omnes præſentes, & futuri: Quod ego Henricus, dictus Schude, vir Glaronenſis,* LIBERAE CONDICIONIS, *una cum filiis meis Joanne, & Rodolpho villico* (g), *&c. Datum Glaronæ in domo Plebani: Anno Incarnationis Domini M. CC. XX. Kal. Junii feria ſecunda; Indict. VIII.* Sed jam liberi & ab omni ſervitutis onere vindicati bona ea & poſſeſſiones, quas eatenus pro Domino habuerant, reſtituebant domino, aut emebant, aut beneficii nomine, & feudi accipiebant, vel denique conducebant, cuſtodumque prædiorum munere fungebantur. Quod ſi feudum à Principe, vel Duce, vel Comite, vel Marchione acciperent, eadem opera nobilitatem conſequebantur, & inter nobiles referebantur. Idem privilegium obtinebant qui à majore, aut minore Valuaſſore feudo donabantur; ſi modo ii longam annorum ſeriem numerare poſſent, qua feudum, onusque militiæ ei adnexum in familia ſua reſediſſet, quæ certa & antiqua nobilium definitio (h). Nobilis enim ex genere, & vita militari æſtimabatur. Proprie Valuaſores majores dicuntur, qui à Principe, aut jam dictis poteſtatibus feuda impetrant. Minores, qui etiam Valuaſini, ad Valuaſorum majorum differentiam. Cum feudo nomen mutabant, nec liberti ſed vaſalli (i) dicebantur. Vocabulum ſumtum ab antiquis Germanorum moribus. Hoc enim nomine Comitatus, & Comites ſignificare volebant, *Geſellen.* Vnde & Geſſatarum nomen alii deduxerunt. Tacitus de Germanis (k). *Gradus quin etiam & ipſe comitatus habet, judicio ejus quem ſectantur. Magnaque & comitum æmulatio, quibus primus apud principem ſuum locus, & principum, cui plurimi & acerrimi Comites. Hæc dignitas, hæ vires, magno ſemper electorum juvenum globo circumdari: in pace decus, in bello præſidium.* Fruſtra vero ſunt qui eamdem clientis & vaſalli rationem eſſe putarunt, quamvis non negem in quibuſdam inter ſe convenire. Nam clientibus onus militiæ nullum eſt adnexum. Vaſallorum condicio eſt, ut cum electus edicitur, in militiam eant, vel vicarium mittant, vel certum cenſum belli & domini præſidio inferant, quod Heribannum antiqui Germani, ſive Franci nuncuparunt, ab voce heer, quæ exercitum notat. Bannum generale nomen, quo ſignificatur edictum, ſive citatio. Heribannum, citatio ad delectum. Vtroque nomine etiam pœna notatur, edicto non obtemperantis. Clientes prædia ſua pleno jure poſſident: Vaſalli prædia feudalia tantum uſuſfructus jure perpetui, vel temporarii (l): Proprietas eſt dominorum, à quibus acceperunt, beneficii nomine. Vſumfructum hoc loco voco cum Oberto, quod alii interpretantur utile dominium, propterea quod Vaſallus rei in feudum datæ utilem, non directam vindicationem habet. Clientes denique dabant ſe in patronorum fidem, & ab eis ferebant ſportulam, aut cœnam rectam: Vaſalli vel ultro nobis fidem ſuam offerunt: Vel nos collatis in eos prædiis noſtris fidem eorum legimus & ſequimur, à nobis præterea ferunt nihil (m). Alia ſunt, quæ narrare nihil attinet. Nobilibus vero ſolis arma ferendi, gladium accingendi, inſignia coloribus diſtinguendi poteſtas permiſſa, ceteris nequaquam (n). Fridericus primus Imperator mercatoribus qui negotiandi gratia iter haberent, gladios permiſit, ſed nec ut accingerent, ſed ephippio equi adligarent, aut carro injicerent, ruſticis & aliis omnibus prohibuit. Ait enim (o): *Si quis ruſticus arma vel lanceam portaverit, vel gladium, judex in cujus poteſtate repertus fuerit, vel arma tollat, vel viginti ſolidos pro ipſis recipiat. Mercator negotiandi cauſa per provinciam pertranſiens gladium ſuum ſuæ ſellæ alliget, vel ſuper vehiculum ſuum ponat, non ut quem lædat innocentem, ſed ut à prædone ſe defendat.* Cum vero nobilitatis ea ratio eſſet, evenire ſolebat, ut nobiles ipſi prædia ſua, vel feuda aliis ex plebe & vulgo indulgerent, qui progreſſione facta, eoque titulo, etiam nobilitatem ſibi vindicabant. Quo ex fonte infinita nobilium profluxit multitudo. Nulla vero natio, aut regio plures nobiles aut præſtantiores Helvetia protulit, de quibus, ſi ex animo tractandi occaſio ſit, facile oſtendam, quidquid veræ, & antiquæ nobilitatis in Sequanis & Germania eſt, Helvetios ſuppeditaſſe, & inde venire. His ita conſtitutis, jam ad Francorum reges redeamus, & qui Helvetiæ cum imperio præfuerint, Burgundionibus pulſis, aut exſtinctis inquiramus.

(g) Villici vocantur in Inſtr. quos Meyer Germanice nominabant. (h) Conſt. feud. Lib. II. tit. X. (i) Vaſalli quos vaſſos & leudos Aimo ſæpius vocat. (k) Libello de eadem gente.

(l) Lib. III. de feudis. (m) Vaſallorum enim ſacramentum defendere, tueri, ſua fortia facta gloriæ principis adſignare. (n) Tacitus. (o) Lib. V. Conſtitut.

CAPUT XII.

De Francorum Regibus, qui in Burgundia, & Helvetia imperarunt.

Leutherius, primus Allemanniæ dux: de quo recta ſub Francis memoria. Mummolus I. inter duces Ultrajuranos. Theodefridus II. Dux Vltrajuranus. Vadelmarus III. Dux Helvetiæ. Hildeberti geſta in Italia. Prothadius IV. Dux Vltrajuranus. S. Columbanus in Galliam profectus. Erpo V. Dux Transjuranus. Arnobertus VI. Dux Vltrajuranus. Dagoberti laus. S. Leodegarii martyrium. Pipini geſta. Regum Franciæ degeneratio prima. Rerum & regnorum diviſio. Cum Carolo Craſſo Carolinorum, Francorumque vigor genuinus extinctus.

THEODORICUS PRIMUS EX FRANCORUM STIRPE BURGUNDIAE REX. (a)

Theodoricus primus filiorum Clodovei Metensium & Allemanniæ rex cum eo quo diximus modo Burgundiam Minorem & Cisaraicam sive Sequanos consecutus est, tum vero quod Sigismundi regis Burgundiæ filiam uxorem haberet, qui proinde regnum Burgundiæ sibi vindicare videbatur: quam illi Lotharius & Hildebertus fratres eo facilius reliquerunt, quod regno Clodomiri inter se diviso magnam suis opibus accessionem fecerant. Fuit vero Theodoricus princeps fortis & magnanimus, qui multa contra Danos & Toringos præclare gessit (b). Primus idem regum exterorum Jus Civile Justiniani paullo ante evulgatum suscepit, & custodiendum curavit (c). Edictum datum Augustoduni in Burgundia. Eum alii Franciæ & orbis reges secuti.

THEODEBERTUS REX METENS. SIVE AUSTRASIAE ET BURG. II. (d)

Theodebertus successit patri Theodorico, *qui mansuetus cunctisque modestus justitiæ quoque cultor fuit egregius* (e). Eum cum patrui Hildebertus & Lotharius regno pellere conati essent (f), insita regnorum producendi libidine, prudentia & humanitate non solum pacavit, sed etiam arctius sibi devinxit. Unam in Italiam expeditionem cum suis Allemannis & Burgundis habuit (g), ducibus Buccelino & Amingo, solicitatu maxime & munere Gotthorum, quos gravi bello Bellisarius, tum Narses Justiniani Imp. auspiciis insequebantur. Nam Provinciam, quam hactenus tenuerant Gotthi, si auxilio contra Romanorum duces esset, Theodeberto obtulerunt (h). Ipse in Italiam cum maximo equitatu profectus, Alpes, Liguricam, Insubriam, Venetiam, & quidquid in eis provinciis Romanæ ditionis, sibi subjecit & tributarium fecit, Buccellinum ad pervadendam Siciliam, & quæ præterea in Italia obsisterent reliquit, victor cum spoliis in Burgundiam rediit. Bucellinus, Thyrreno transfretato, Siciliæ magnam partem in potestatem redegit, ex subjugatarum gentium spoliis munera & dona amplissima Theodeberto misit (i). Theodebertus cum semel miraculo & precibus S. Germani ex letali valetudine restitutus fuisset, multis gloriose gestis, Mauroque (qui primus discipulorum S. Benedicti in Galliam se transtulit, plura monasteria condidit, unde ingens toto Occidente sanctissimorum virorum numerus demanavit,) liberaliter, & regie suscepto & habito, vita exstinctus est.

THEODEBALDUS AUSTRASIAE. ET BURGUND. REX. III. (k)

Regnum statim mortuo patre adiit (l). Hunc curis externis abstinuisse tradit Æmilius. Ad eum sane Justinianus Imp. Leontium legatum destinavit, secum adversus Totilam societatem iniret, & Italia manum contineret. Respondit Theodebaldus fœdere se Gotthico teneri, quo minus ejus necessitatem amplecteretur: quæ in Italia teneret non Romanis eripuisse, sed Totilæ. Earum proinde causæ cognitionem judicibus permittere paratum esse, deque ea re legatos Constantinopolim missurum (m).

Nec multo post, cum Gotthis debellatis & in Italia subjectis contra Francos arma Narsetem moturum nullum dubium esset, Leutherum, & Buldinum Allemanniæ duces, cum ejus gentis amplo exercitu, in Italiam misit, qui Insubria, Æmilia, Venetia pervagata, adjunctis Gotthorum reliquiis, cum in Campaniam progressi essent, commisso cum Narsete prælio, victi & deleti sunt, & quidquid Franci in Italia habuerant, eadem clade amissum. Theodebaldus paralysi occubuit (n). Cum non essent liberi Lotharium Suessionum regem magnum patruum heredem nominavit, qui paullo post etiam mortuo sine herede Hildeberto fratre, totius Galliæ, & Burgundiæ Imperio potitus est.

LOTHARIUS FRANCIAE, ET BURGUNDIAE REX IV.

Multæ in eo virtutes, sed præter bella externa quæ cum Saxonibus acerrima fuere etiam domesticis adfectus est. Chrannus nothus filius fuit qui male administratæ Aquitaniæ causa ad patrem delatus, pro venia quam omnibus votis ab eo expetere debebat, bellum intulit, adjunctis non paucis rebellibus. Belli exitum felicem Lotharius precibus & justa Dei vindicta potius quam copiis & exercitu habuit. Chrannus ex prælio profugus cum se in casam recepisset fortuitam, igne injecto consumtus est. Rex cum Ecclesias multas locupletasset, præsertim Turonensem, mortem obiit, relictis filiis quatuor; Heriberto Parisii, Sigeberto Mediomatrices & Allemanni, Hilperico Suessiones, Guntranno Aurelianum & Burgundia accidere. Qua quidem divisione primi Helvetiæ limites repetiti, Sigeberto Allemanniam & Helvetiæ eam partem quæ ad Ursam est obtinente, reliqua sive Burgundiam Minorem Guntranno (o).

SIGEBERTUS AUSTRASIAE ET ALLEMANNICAE HELV. REX. V. [p]

GUNTRANNUS AURELIANI ET BURGUNDIAE REX. V. (q)

Sigebertus contra Hunnos feliciter pugnavit (r), qui trajecto Rheno in Galliam irruperant. Sed ei adeo cum Hilperico fratre male conveniebat, ut quasvis mutuo se opprimendi quærerent occasiones. Guntrannus medium se præbebat, pacemque qua poterat conciliabat, optimus & sapientissimus princeps, in uno parum commendatus quod meretriciis incubare pellecebris, quam matrimonio legitimo conjungi proposuerit. Is Mummolum (s) primo patricium Burgundiæ & Helvetiæ præfecit, qui Saxones ex Italia, ubi a Theodeberto quondam rege sedes acceperant, in

(a) Regnavit in Burgundia annos XI. Greg. Lib. III. Aimo. Lib. II. (b) A. D. N. DXXXI. (c) A. D. N. DXXXV. (d) Regnavit An. XIII. (e) Aimo Lib. II. cap. 15. (f) A. D. N. DXXXVII. (g) A. D. N. DXLI. (h) Procopius Lib. II. Id. Aimo cap. 21. Paull. Aemil. Hildeberto. Gillius, & Titius in chronicis. Sig. Lib. XIX. reg. occid. Parad. in Annal. Burg. (i) Celebravit etiam concilium Arvernense in quo adfuit Superius Aventicorum Episcop. an. 538. 8. Novemb. (k) Reg. A. VIII. (l) A. D. N. DL.

(m) A. D. N. DLII. Agathias. Blandus. Sigonius. Paradinus. (n) A. D. N. DLVIII. (o) Aimo Lib. III. cap. 1. (p) Regnavit an. 15. A. D. N. DLXV. (q) Regnavit an. XXXIII. (r) A. D. N. DLXVII. (s) Primus Mummolus quem inter Duces Ultrajuranos, sive Burgundiæ minoris, reperio.

in Burgundiam & Helvetiam prædabundi descendentes sæpius profligavit & repulit, postea transitum in Germaniam muneribus captus concessit, quo in itinere, etsi rapinis temperaverint, ita tamen æris laminis in auri pulchritudinem & pondus formatis homines illuserant, ut *hac de re multi mercatores, ad inopia malum se devolutos fero doluerint* (t). Sigebertus Brunechildem Athanagildi Visigotthorum regis filiam duxit (u), de qua postea tot tragica facinora, quot de ea auctores. Bellum dein (x) secundum cum Hunnis & Avaris, qui fœdus ante juratum neglexerant gessit, à quibus Franci per incantamenta, phantasmatis inusitata forma & multitudine comparentibus, in fugam conversi, fœdus denique novum cum eadem barbara gente diu duraturum percussit (y), tum in fratrem arma convertit, qui dum ipse in Germania res gerit, Rhemorum ejus opidum invaserat, cetera vastaverat, quem profligatum, & multis præliis fractum, dum Parisios regiam Hilperici urbem, nobili triumpho, una cum Brunehilde uxore invehitur (z), perspectaque in se civium benevolentia, quam in fratrem propensiore, eum non fortunis solum sed vita etiam evertere cogitat, immissis a Fredegonde Hilperici conjuge percussoribus, confossus occubuit. Brunechildis, re cognita, raptim filium Hildebertum in Austrasiam secreto emisit, quam ob rem indignatus Hilpericus eam Rhotomagum relegavit, mundo muliebri, & omnibus regiis ornamentis spoliatam. Austrasii acceptum ex tanto periculo Hildebertum regem alacres salutarunt.

HILDEBERTVS AVSTRASIAE, ET ALLEMANNIAE REX VI.

Guntrannus, interfecto quoque per Fredegondis uxoris insidias Hilperico, quem Neronem, & Herodem sui temporis vocavit (a) ea tempestate (b) degens Gregorius Turoni Episcopus, tutor Lotharii Hilperici filii datus, regni Franciæ administrationem suscepit & ne Hildebertus Austrasius aliquid contra moliretur, eum, cum liberis careret, heredem, & successorem nuncupavit. Post Mummolum Patricium, Dux Burgundiæ Minoris sive Ultrajuranus constitutus Theodefredus. Longobardi eodem tempore in Burgundiam & Helvetiam, superatis Pœninis Alpibus, delapsi prædas fecerunt, quos Theodefridus persecutus, non solum Helvetia expulit, sed etiam adjunctis Hildeberti copiis, quem Mauricius Imperator contra eamdem gentem jam ante multis præmiis & promissis solicitaverat, pœne Insubria dejecit, paucis in arces & munitiora loca receptis. Theodefrido successor in Minori Burgundia, sive Helvetia Vadelmarus. Aliquot post annis (c) decessit Guntrannus Rex, multa sanctitatis fama. Genevensem Ecclesiam jam ante à Burgundis regibus auctam, locupletavit, Maurianensem condidit; omnibus vero Ecclesiis, & monasteriis liberalem se & pium ostendit (d). Multa sub eo fuerunt cœlo terraque miracula & portenta, eorum temporum insignia, quibus nihil tristius, nihil abominabilius, sive reges sive regum principes & duces consideres, nulla umquam memoria protulit. De quibus Gregorius (e) eorum temporum scriptor, & oculatus testis, Aimo (f) alii plerique.

HILDEBERTVS AVSTRASIAE, ALLEMANNIAE, ET BVRG. REX. VI. (g)

Utriusque regni principium fuit contra Fredegondem & Lotharium ejus filium bellum; non jam patris, sed etiam patrui ultor, Gundoaldo & Vintrione ducibus. Apud Suessiones ingenti prælio profligatur, amissis xx. millibus fortissimorum militum, quo in prælio non fœminam Fredegonda, sed strenuissimi cujusque ducis partes implevit, in prima enim acie consistendo, monendo, rogando, promittendo, & ultimo filiolum ab uberibus raptum ostentando, & ne ejus salutem proderent, omnibus precibus contendendo, evicit, ut sub Landerico, reginæ adultero, Franci animati victoriam reportarent, Austrasiumque pellerent. Nec sic tamen animum posuit Hildebertus, consilium armaque mutavit & Francia relicta in Italiam rursum contulit (h) ducibus ex tota nobilitate xx. electis, inter quos Andealdus & Olo & Cedinus principes. Primo impetu Langobardos qui Alpium claustra obsederant dejecit, Bilitionoque (i) castro expulit, ubi tamen Olonem iaculo trajectum amisit: inde Mediolanum protectus, prope urbem castra posuit, quo in loco, cum frustra Græci Imperatoris auxilia, & promissa expectasset, oppugnandis quæ resistere videbantur animum adplicavit, Insubriam totam, Ticino excepto, ubi se Langobardorum rex clauserat, in potestatem redegit. In Tridentino agro castella pluria evertit, prædam ingentem fecit, totam haut dubie Langobardorum gentem subacturus nisi per anni tempus, resolutis visceribus, magna pars exercitus deperiisset, qua strage Italia post tertium mensem redire in Burgundiam coactus est. Leutherio in Ducatu Allemanniæ successit Leudefridus (k), sed conjurationis idem compertus, cum effugisset, suffectus est Uncelinus. Hildebertus, una cum uxore eadem die in lecto mortuus (l) repertus est non sine veneni suspicione, & fraude Brunechildis aviæ anno ætatis xxv. reliquit filios duos Theodebertum & Theodoricum. Illi regnum paternum sive Austrasia: huic regnum Guntranni, sive Burgundia evenere.

THEODEBERTVS AVSTRASIAE, ET ALLEMANN. REX. VII.

THEODORICVS BVRGVNDIAE. REX. VII.

In eos Fredegonda superiorum annorum victoria ferocior, non solum ipsa exercitum duxit (m), sed etiam Hunnos, & Avaros concitavit. Et hos quidem Brunechildis pecunia pacavit: inter utrumque vero Francorum exercitum cædes & occisio ingens facta, victi Austrasiani: Burgundia Cisatarica recepta. Mox (n), defuncta Fredegonda, Theodebertus & Theodoricus fratres in Lotharium instinctu Brunechildis, & memoria superiorum cladium exercitum contulere, tantaque strage Clotarianos adfecerunt,

(t) Aimo Lib. III. cap. 7. (u) A. D. N. DLXIX. (x) A. D. N. DLXXVII. (y) A. D. N. DLXXVIII. (z) A. D. N. DLXXVIIII. (a) Lib. V. hist. Franc. (b) A. D. N DLXXXVIII. (c) A. D. N. DXCVII. (d) Aimo Lib. III. cap. 79. & 81.

(e) Lib. III. IV. V. (f) Lib. III. (g) Regnavit solus an. IV. A. D. N. DLXXXXVIII. (h) A. D. N. DXCIX. Aimo Lib. III. cap. 83. (i) Bellitz: Bilitioni antiquitas inde. (k) Idem Lib. eod. c. 77. (l) A. D. N. DC. (m) A. D. N. DCI. (n) A. D. N. DCIV.

erunt, ut xxx. millibus amissis pacis quas vellent conditiones Lotharius accipere sit coactus, quas proinde servare non potuit, aut noluit. Eodem anno *in lacu Dunensi in quem Arula flumen influit aqua fervens adeo ebullivit ut multitudinem piscium decoctam ad littus projiceret* (o).

His ita constitutis, Brunechildis, insita crudelitate, sive quia feminæ imperium haut perinde gratum habere videbantur, præcipuos Theodeberti principes Quintrionem, Calenum, Gillium, alios magni nominis interficiendos curavit, quam ob rem in omnium odium incurrit, adeo ut Austrasia à nepote, de voluntate procerum pulsa sit, quæ proinde ad Theodoricum profecta alterum nepotem instigare non cessavit, dum fratrem bello invaderet. Ejusdem favore Prothadius Dux Ultrajuranus post Vandelmarum constitutus ob stupri scilicet quam habere dicebatur consuetudinem (p). Belli inter fratres finis morte Prothadii, qui non minus lacessebat, fuit. Eum Uncelinus Allemanniæ dux cum aliis regni primoribus fraude interemit (q). Theodoricus paratas contra fratrem copias in Lotharium Stampis res novas molientem convertit, majoremque quam antea cladem attulit. Eodem tempore (r) D. Columbanus cum aliquot discipulis ex Hibernia in Galliam transiit, primoque in regno Theodeberti aliquamdiu egit, post in regnum Theodorici se contulit. Mox ad arma recurrere fratres (s), nihil omittente Brunechilde quod inter eos discordiam concire posset; convenere in Alsatia exercitus. Sed cum Theodebertum se fortiorem videret Theodoricus, adnitentibus etiam utriusque regni primoribus in quas frater voluit conditiones convenit. Eæ fuerunt ut *Alisatio & Sugitensi comitatibus* (t) quæ regni Burgundiæ partes fuerant, decederet, tum etiam Turonensi & Campanensi abstineret. Hujus belli cladem tamen non minimam experta Helvetia, qua de re Aimo (u). *His diebus Allemanni Veneticorum fines ingressi* (Venetes populi ad lacum Acromi inferiorem, qui etiam Venetus (x)) *Vltrajuranos, Cambaleno & Herpino ducibus, sibi obsistere conatos acie superant, ac usque ad refugia montium persecuti, prosternunt. De hinc, nullo inquietante, Juranum saltum* (y) *pervagantur, cædibus, ac incendiis cuncta, per quæ transibant replentes, captivisque quam plurimis abductis, cum spoliis & ingenti præda redierunt ad propria.* Ea præcipua causa fuit cur pacta conventa inter fratres parum constarent. Nam hujus injuriæ memor Theodoricus in fratrem haut multo post movit (z), obviumque in agro Tulensi factum profligavit, secundoque apud Tolbiacum prælio profugum, sed auxilio Saxonum novo victorem fratris exercitum exspectare ausum vicit, & fudit, qui cum se Coloniam recepisset, à civibus perfidiose interfectus est. Theodoricus ejus regno potitus, cujus filiam excellentis pulchritudinis (filios Theodeberti tres Brunechildis plusquam avito odio crudeliter interfecerat) cum sibi copulare vellet, reprehenderet & improbaret Brunechildis, dissentio eam ob rem suborta esset, nota & usitata aviæ arte, porrecto in poculum veneno, Theodoricus pariter è medio sublatus est (a). Brunechildis, his patratis, Sigebertum Theodorici filium nothum regem substituere conata frustra fuit, omnibus crudelitate & superbia intolerabilis. Itaque cum præcipui Austrasiæ ad Lotharium ex genuina legitimaque Francorum stirpe solum superstitem defecissent, Varnarius etiam dux in eandem sententiam plerosque Burgundiæ proceres traduxisset, denique Brunechildis cum Theodorici liberis Lothario prodita est (b). Abducta etiam per Erponem regalium equorum præpositum Theudelina, alii Theudelindam vocant, Theodorici soror *ex villa regia Vrba* (c) Ducatus Ultrajurani. Liberi, recepto Meroveo & Hildeberto qui fuga evasit, Sigebertus & Corbus interfecti. Brunechildis caudæ equi alligata & rapta tot scelerum & crudelitatum, si vera sunt quæ Scriptores de ea plerique tradiderunt, pœnas exsolvit. Lotharius solus totius Galliæ, Allemanniæ, Burgundiæ monarcha.

LOTARIVS FRANCIÆ ALLEMANN. BVRGVND. REX VIII. (d)

Is subito (e) *Varnarium, cujus instantia regnum Burgundiæ fuerat adeptus, majorem domus in eo constituit regno, dato ei sacramento, ne illo quo viveret tempore successorem acciperet. Austrasiis vero Rhadonem quendam probabilis vitæ virum eodem honoris gradu donatum præfecit. Vltrajuranis quoque Erponem genere Francum patricium instituit. Qui dum quæ pacis sunt diligeret malorum deprimens nugacitatem ab ipsis Pagensibus instinctu Alethei patricii, & Leudemundi Episcopi Sedunensis interfectus est,* quem Episcopum conjurationis contra se manifestum, Lotharius commemorabili exemplo non alia pœna adfecit, quam ne ex diœcesi pedem efferre liceret. Aletheus damnatus capitis. Erat is ex regia Burgundorum stirpe, proindeque ad imperata pervicacior. Erponi successit in Helvetia Arnobertus Dux, Varnario vero defuncto cum Lotarius Burgundiæ utriusque proceres Trecis convocasset (f), ut quem sibi Rectorem præfici vellent, scrutaretur. *Illis*, inquit Aimo (g), *dicentibus nullius præter Dei & regis se velle pati dominium: rex gratanter verba eorum suscipiens, desiderio quoque satisfecit.* Itaque omnis Burgundia nullis aliis gubernatoribus subjecta, solum regem cui obediret deinceps habuit, nec vivo Lotario præsidem alium agnovit. Sed non multo post (h) decessit magnum suis desiderium relinquens. Fuit laborum patientissimus, *literis eruditus, timoris Dei plenus, pauperibus necessaria tribuens, Ecclesiarum Domini, atque Sacerdotum utilitati consulens.* Successit Dagobertus filius, quem antea Austrasiæ, Elsatiæ & Allemanniæ præfecerat sub Arnulpho Metensium Episcopo, & Pipino ductoribus.

DAGOBERTVS FRANC. ALLEMANN. BVRGVND. REX IX. (i)

Hic ob sua, credo, merita Magnus, qui ut primum regnum paternum adiit, *in Burgundiam eo proposito intentione profectus est* (k), *ut oppressis & calumniam sustinentibus justitiam exercendo subveniret. Ex cujus adventu fiducia bonis, maximeque pauperibus orta: Seditiosos vero atque rapinis intentos formido gravi incesserat, & quædam mentium consternatio. Adeo strenuus & efficax*

N

(o) Aimo Lib. III. cap. 86. (p) Aimo Lib. III. cap. 91. A. D. N. Iↄcx. (q) A. D. N. Iↄcxii. (r) A. D. N. Iↄlxiv. (s) A. D. N. Iↄcxv. (t) Elsas & Sungau. Aimo eod. Lib. cap. 96. (u) cap. 97. (x) Vt alias dictum. (y) Burgundiam Minorem. (z) A. D. N. Iↄcxvii. (a) A. D. N. Iↄcxviii.

(b) Aimo Lib. IV. c. 1. (c) Orbach. (d) Imperavit solus an. XIV. (e) Aimo Lib. eod. cap. 6. (f) A. D. N Iↄcxxx. (g) Eod. Lib. cap. 15. (h) Iↄcxxxi. (i) Regnavit an. xiv. (k) Eod. Lib. cap. 19.

cax in administrando apparebat regno, ut circumpositæ nationes ejus vererentur nomen, suaque auxilia in subjiciendis exteris sponderent gentibus fide promtissima. Judæos qui Christum profiteri nollent omnibus suis provinciis expulit (l). Saracenos in Hispania, missa in eos Burgundiæ nobilitate, debellavit, Vascones eodem milite Burgundo compescuit. Nec ullus regum fuit qui Burgundis majorem honorem habuerit, aut eorum opera pluries usus sit. Sigebertum ex Ragnetrude concubina conceptum Austrasiæ Allemanniæque præfecit (m), ut contra Sclavos idololatras provincias tueretur. Primus fuit regum qui ex regni & coronæ patrimonio Ecclesias & Episcopatus locupletavit, multisque præclare gestis profluvio vita egressus est. Reliquit cum jam memorato Sigeberto, Clodoveum ex Nantilde regina legitimum, cui regnum Franciæ tradidit.

CLODOVEVS II. QVI ET HLVDOVICVS PRIMVS FRANCIAE, ET BVRGVNDIAE REX X. (n)

SIGEBERTVS AVSTRAS. ET ALLEMANNIAE REX X. (o)

Burgundiæ Palatio præfectus Flaucatus qui provinciam strenue & juste administrare aggressus, Vilibaldum Ultrajuranum patricium habuit adversarium, *qui generis nobilitate, & opum affluentia sese extollens despectui ducebat illi subjici, aut ejus parere præceptis* (p). Eum cum ad novum regem Cabillonem evocasset Flaucatus, accessit invidioso comitatu, ubi etiam insidiis periisset, nisi Amalberti fratris insignis opera fuisset. Sed cum secundo literis Clodovei ipsius regis Augustodunum veniret mandata accepisset, in itinere immissa per Flaucatum manu tandem Vilibaldus interemtus est. Nec multo post (p) periit etiam febre Flaucatus. Sigebertus moriens reliquit filium Dagobertum sub tutela Grimoaldi, Pipini quondam filii Austrasiæ Palatii præfecti. Is puerum perfidiose tonsum in Scotiam relegavit, & filium Hildebertum regem Austrasiæ salutavit (r). Quod non ferendum ratus Clodoveus contra eum Erchembaldum, alii Erchinvaldum vocarunt, M. Eq. misit, qui & Hildebertum prælio interfecit, & Grimoaldum vinculis perpetuis Parisiis inclusit. Hilpericus Clodovei filiorum medius Austrasiæ rex datus (s). Clodoveus reliquit filios tres Lotarium qui Franciam, Hilpericum qui quam tenebat Austrasiam & Allemanniam, & Theodoricum qui Burgundiam sortiti sunt.

HILPERICVS AVSTRASIÆ ET ALLEMANNIÆ REX XI. (t)

THEODORICVS BVRGVNDIÆ REX XI. (u)

Lothario Franciæ rege Erchembaldo Ebroinus M. Equit. sive Palatio præfectus quorumdam factionibus substitutus est. Is mortuo post quartum (x) annum rege, in ejus locum Theodoricum fratrem, licet Hilpericus ætate præcederet, per vim Franciæ regem nominavit. Non enim dubitabat, quin si Hilpericus in regnum induceretur ipse Magisterio excideret, & in suum locum collocaretur Ufhoaldus, qui apud Austrasios in eadem dignitate agitabat. Sed ut Theodoricus luxu & sævitia eodem prope quo adiit regnum tempore, pulsus & monasterio D. Dionysii inclusus est: ita etiam Ebroinus Luxovium relegatus, & Hilpericus rex Austrasiæ in Franciam vocatus est.

HILPERICVS FRANCIÆ, AVSTRAS. BVRG. REX XII.

Lenis an levis quidquid fuit temporis consumsit, nulla potiore cura: extremo moribus ad crudelitatem propensioribus. Unde odium & ejus cædes (y), Bodillone auctore, quem virum insignem & nobilem flagris cædendum palo colligarat quondam, frustra contra tendentibus & conclamantibus regni principibus. Theodoricus ex monasterio ad coronam resumtus (z). Sed cui M. Equitum Leudesius Erchembaldi filius adjunctus, auctoritate maxime, & suffragio S. Leodegarii Augustoduni Episcopi, & ejus fratris Gerini.

THEODORICVS FRANCIÆ, AVSTRAS. BVRGVNDIÆ REX. XIII.

Ebroinus, tempore captato, dum Leudesianorum favor defervesceret, Luxovio erumpens, facta conjuratorum manu, vires resumsit, insidiatores suos oppressit, super Theodoricum regem irruit (a), thesauros ejus & Ecclesiarum diripuit, Leudesium M. Eq. interemit, Clodoveum quendam Lotarii fingens filium in regem extulit, ad ejus sacramentum quos potuit pœnis, minis, blandimentis impulit. Leodegarium Episcopum in vincula conjecit, Gerinum ejus fratrem lapidibus obruit. Postea in gratiam cum Theodorico rediit. Synodum coegit, in ea Episcopos multos sede privavit, alios irrevocabili exilio damnavit, S. Leodegarium demum post famem, & triennalis carceris squalorem, post oculorum evulsionem, post plantarum concisionem, post labiorum, & linguæ deminutionem, capite avulso, vita privavit (b). Inde in Pipinum Crassum qui Ufhoaldo M. Eq. in Austrasia successerat, & Martinum qui Allemanniam dux regebat, arma convertit (c) eosque in agro Laudunensi fudit & fugavit. Martinum ad se vocatum in colloquio contra fidem etiam interemit, nec ipse multo post tot scelerum pendens pœnas ab Ermenfrido noctu in lecto confossus est (d). Illi Bercarius successit. Sed eo primo à Pipino victo, tum à suis interfecto, utriusque regni Pipinus Magister nominatus (e). Is non solum Franciam bellis civilibus adflictam, & superiorum Magistrorum Eq. ambitu in multas partes divisam restituit & conjunxit, sed barbaras etiam nationes temporum licentia insolentiores, Saxones præcipue & Suevos Bavarosque multis præliis attrivit, Franciamque florentem domi, foris formidabilem effecit. Theodorico mortuo successit (f) Clodoveus III. filius quatuor annorum rex, tum Hildebertus frater septendecim: postea Dagobertus II. filius, qui annos

(l) A. D. N. Dcxxxix. (m) A. D. N. Dcxl. (n) Regnavit an. xvii. (o) Regnavit an. x. (p) Aimo Lib. eodem cap. 39. (q) A. D. N. Dcli. (r) A. D. N. Dclvi. (s) A.D. N. Dclxii. (t) Regnavit an. XVI. (u) Regnavit an. xxxi. (x) A. D. N. Dclxvi.

[y] A. D. N. Dclxxix. [z] A. D. N. Dclxxx. [a] A. D. N. Dclxxxii. [b] A. D. N. Dclxxxv. [c] A. D. N. Dclxxxvii. [d] A. D. N. Dclxxxvii. [e] A. D. N. Dcxci. [f] A. D. N. Dcxciii.

IV. regnavit, cui Hilpericus II. suffectus qui V. & Theodoricus qui XV. postremo Hilpericus stupidus ultimus Merovingorum. Sed hæc eadem regni vocabula: omni vi dominandi in Magistris Equitum sita. Ad id fastigium conscenderant regibus socordiæ, Luxuriæque sese mancipantibus, ac illa magni Clodovei indole exolescente, quamtum primi regum gloria & finium propagatione ducebantur, tantum his ultimis in curarum remissione & voluptatum illecebris felicitatis consistere arbitrantibus. Qua de re ita Eginhardus Caroli Magni Notarius (g): *Gens Merovingorum, de qua Franci reges creare sibi soliti erant, usque ad Hilpericum regem, qui jussu Stephani Rom. Pontif. depositus & detonsus in monasterium detrusus est, durasse putatur. Quæ licet finita illo videri possit, tamen jam dudum nullius vigoris erat, nec quidquam in se clarum præter inane regis vocabulum præferebat. Nam & opes & potentia regni penes Præfectos Palatii, qui Majores domus dicebantur, & ad quos summa Imperii pertinebat tenebantur. Nec regi aliud relinquebatur, quam ut regio tantum nomine contentus, crine profuso, barba submissa, solio residens, speciem dominantis effingeret, Legatos undecunque venientes audiret, eisque abeuntibus, responsa, quæ erat edoctus, vel etiam jussus, ex sua veluti potestate, redderet. Cum præter inutile regis nomen, & precarium vitæ stipendium, quod ei Præfectus aulæ, prout videbatur, exhibebat, nihil aliud proprii possidebat, quam unam & eam perparvi reditus villam, in qua domum, ex qua famulos sibi necessaria subministrantes, atque obsequium exhibentes pauca numerositatis habebat. Quocumque eundem erat carpento ibat, quod bobus junctis & bubulco rustico more agente trahebatur: Sic ad placitum* (h), *sic ad publicum populi sui conventum quod annuatim ob regni sui utilitatem* Kal. Maj. *celebrabatur, ire, sic domum redire solebat. At regni administrationem, & omnia quæ vel domi vel foris agenda ac disponenda erant Præfectus aulæ procurabat*. Hactenus Eginhardus. Zachariæ demum Romani Pontificis, tum Stephani auctoritate & consensu, Hilperico ut ante dictum relegato, Pipinus cognomento Brevis, Caroli Martelli filius regnum Franciæ, adeoque omnium provinciarum quæ illud attingere poterant occupavit (i), feliciterque ad posteros transmisit.

PIPINVS BREVIS PRIMVS SVAE GENTIS FRANCIAE ALLEMANN. BVRGVNDIAE REX. (k)

Pipinus non solum in Helvetia sæpius egit, sed præcipue uxor ejus regina Vertrada, cujus Salodori, Constantiæ & in Valle magna benignitatis & munificentiæ argumenta. Sub eo nobilissimi Helvetiorum Varinus Comes S. Montis & frater ejus Ruthardus Comes ut quidam putant Kiburgi, tum Theodinus comes in minore Burgundia. Ei successit

CAROLVS MAGNVS FRANC. ALLEMANN. BVRGVND. REX. II. ET ROMANOR. IMPERATOR PRIMVS. (l)

Ejus fortia & præclara facta Magni cognomen additum satis demonstrant, & plena sunt volumina. Ejus in Helvetia tot monimenta quot prope Collegia aut monasteria, post eum Imperavit filius

LVDOVICVS PIVS FRANC. ALLEMANN. BVRGVND. REX III. ROMAN. IMP. II. (m)

Sub eo Saraceni Romam vastarunt, Italiamque totam cæde & incendiis & rapinis exhauserunt, contra eos Guido Pusterla nobilis Mediolanensis quem Carolus M. primum Italiæ Marchionem fecerat, aliquot Helvetiorum cohortes duxit, qui rem feliciter gesserunt (n). Reliquit filios tres Lotharium, Ludovicum & Carolum. Illi post multas contentiones, præliumque illud Fontaniacum, ubi Franciæ vires ita contritas ferunt, ut numquam amplius eviguerint, & integritatem suam reparare potuerint, ita convenerunt, ut Lotharius quidem Italiam, Provinciam, Allobroges, Burgundiam Cisararicam & Minorem, sive Helvetiam ad Ursam fl. tum Lotharingiam, quæ tum primum hoc à suo rege nomen obtinuit, & Imperium: Ludovicus Germaniam, Allemanniam, Bavariam, Elsatiam & eam Helvetiæ partem quæ ab Oriente ad Ursam porrigitur: Carolus demum, qui Calvus nominatus, Franciam quæ Mosam & Oceanum Britannicum terminos haberet. Ludovici & Lotharii quamtum ad Helvetiam ita se divisionem & regnum habuisse, ex illis quæ Collegio Lucernensi fecerunt Instrumentis perspectum est. Quibus Ludovicus quidem, quæ versus Albim montem Turego incumbentem eidem Collegio confirmat, contra Lotarius alia ad Emmatum fl. sita, muneri donat. Ingreditur vero Emmatus paullo infra Luceriam flumen Ursam.

LOTARIVS ITALIAE, LOTARINGIÆ, BVRGVNDIAE REX IV. IMP. III. (o)
LVDOVICVS GERMANIAE ALLEMAN. REX IV. (p)

Lotarius quamdiu quidem voluit feliciter defunctus est, sed sive præteritorum recordatione, quæ primo in patrem Ludovicum, tum fratres moverat, sive rerum humanarum tædio aut despectu, cum inter filios regna divisisset, Ludovico Italiam & Imperii titulum, Lothario Lotharingiam & Burgundiam Minorem & Cisararicam: Carolo demum Provinciam, Allobroges, Lugdunenses adsignasset, monachum professus est (q). Nec Carolo vita diuturna fuit, fratres sine contentione ejus regnum divisere.

LOTARIVS II. LOTARINGIAE, ET BVRGVND. REX V. (r)

Hunc sua libido perdidit. Cum enim Thietburgam nobilis in Burgundia Comitis filiam uxorem duxisset Hugberti Abbatis sororem, quo etiam nomine eum Burgundiæ Minori, sive Helvetiæ præfecit, multa caussatus, & vero etiam adulterii falsis & corruptis testibus accusatam, à se dimisit (s): divortium probantibus Guntaro Agrippinensi & Tetgaudo Treverorum Episcopis, Valdradamque florentem ætate & forma puellam sibi collocavit. Nec monitus licet à Summo Pontifice, amentia & furore abstinuit. Quapropter non solum Pontifex Episcopos

[g] In principio suæ hist. [h] Maij. sive forum. [i] A. D. N. Dccli. [k] Regnavit an. xviii. [l] Regnavit an. xlvi. A. D. N. Dcclxix.

[m] Imperavit an. xxvi. A. D. N. Dcccxv. (n) A. D. N. Dcccxxix. (o) Regnavit an. xv. (p) Regnavit an. xxxvi. (q) A. D. N. Dccclv. (r) Regnavit an. xiv. (s) A. D. N. Dccclix. Rhegino Chr.

scopos qui connubium diremissent dignitate dejecit, sed etiam ipsum regem communione piorum exclusit. Qui cum demum ductus pœnitentia facti ad ejus iram deprecandam in Italiam descendisset, Romamque profectus esset, in reditu morte absumtus est Placentiæ (t). Ad Lotarii regna extemplo Calvus oculos animumque adjecit. Sed ne eodem tempore duos Ludovicos inimicos pararet, Ludovicum nepotem Imp. & Ludovicum Germaniæ regem fratrem, unum sibi devinciendum existimavit. Itaque fratre in partem regni adsumto, quam petierat Lotharingiam Burgundiamque Minorem ultro concessit, cetera, ut Provinciam & præcipue Lugdunenses Araricamque provinciam sibi usurpavit, frustra contra pugnantibus Ludovici Imp. & ejus nomine Romani Pontificis legatis (u). Et sane Ludovicus Germanus ad eorum mandata proclivior, & quidquid Lotarii regni habebat, remisit. Calvus, ut ad omnia pervicacior, ita præcipue Nortmannicum tumultum pro causa, cur Imperatoris mandatis indulgere non posset, habuit. Interea vita egressus est Ludovicus Imp. (x) quam occasionem etiam Calvus arripuit restituendi in Francia Romani Imperii. Magnis igitur itineribus Italiam ingressus, frustra obnitentibus, & Alpes cum armata manu insidentibus Ludovici Germanici filiis Carolo & Carolomanno, Romæ à Joanne Papa Imperator coronatus est Kalendis Januarii (y). Ex Italia rediens primo Bosonem Judithæ uxoris fratrem, Insubriæ ducem constituit, tum ut Imperatoriæ majestatis, & in reges reliquos potestatis argumentum daret, eumdem Provinciæ regem nominavit. Obierat eodem tempore Francofurti Ludovicus Germaniæ Rex V. Kal. Septemb. relictis filiis Ludovico, Carolo & Carolomanno. Eo sibi magis enitendum ratus Calvus, subito in fratres, pro divisione paternæ hereditatis nondum satis concordes, exercitum duxit. Sed à Ludovico filio ita acceptus est, ut vix fuga, omnibus impedimentis amissis, effugerit Nonis Octob. (z) Sequenti anno, eodem quoque die, febri, aut Sedechiæ medici dolo, dum in Italiam molitur iter, mortuus est. Primus fuit regum Franciæ qui Comitibus suis, & militibus Abbatias, & Ecclesiasticas res per ambitum divisit. Reliquit filium Ludovicum cognomine Balbum, quem Joannes Pontifex Imperatorem coronavit. Sed is paullo extra biennium vitam extraxit. In Germania vero Ludovicus rex, itemque Carolomannus fratres, eodem prope tempore obiere. ille neminem; hic Arnolphum filium nothum reliquit, qui postea imperavit. Carolus proinde, Crassus vulgo à corporis forma dictus fratrum tertius, cum multus Italorum, Francorumque & Germanorum favor in eum jam multo ante extitisset, Romam profectus, Imperii coronam ab eodem Joanne VIII. accepit (a), rara unius pontificis fortuna tres Romanorum Imperatores intra annos quatuor coronantis.

CAROLVS CRASSVS GERMAN. ALLEMAN. AVSTRAS. ET BVRGVND. MINOR. REX V. IMP. VII. R. S. A. (b)

Primus hic fuit, qui Imperium Romanum in Germaniam transtulit stabilivitque, quique post Carolum Magnum non solum Germaniæ, sed totius adeo Galliæ regimini præfuit. Multæ in eo virtutes, & manu non impiger habebatur. Sed postea animo, tum etiam vita defecit, & cum eo Carolinorum Francorumque vigor pariter exstinctus est, adeo prisca illa & ingenita virtus per dissensiones & ambitus, veluti per partes dissoluta & infracta vix parti moderandæ par esse potuit, donec utrumque Imperium, quod Franci hactenus fortiter adserverant in alias familias: hoc quidem ad Gallos Capetos, illud ad Germanos, Saxones, Francones, Suevos, Bavaros deinceps devolveretur, dum apud Habsburgios Helvetios, & Austriacos inde progenitos tamquam in portu consisteret. Præclare & de Crasso & super hac re Rheginо Abbas, horum temporum Scriptor egregius (c). „Carolus, *inquit*, Imper. tertius hujus nominis, & dignitatis obiit (d) „pridie Idus Jan. sepultusque est (e) in Augia monasterio, *vulgo Richenau, in lacu Veneto*. „Fuit vero hic „Christianissimus Princeps, Deum timens, & mandata ejus ex toto corde custodiens. Ecclesiasticis sanctionibus devotissime parens, in eleemosinis largus, „orationi & psalmorum melodiis indesinenter deditus, laudibus Dei infatigabiliter intentus, omnem „spem suam & consilium divinæ dispensationi committens. Vnde & ei omnia felici successu concurrebant in bonum, ita ut omnia regna Francorum, „quæ prædecessores sui, non sine sanguinis effusione, „cum magno labore, acquisierant, ipse perfacile in „brevi temporum spatio sine conflictu, nullo contradicente possidenda perceperit. Quod autem circa „finem vitæ, dignitatibus nudatus bonisque omnibus „spoliatus est (f), tentatio fuit, ut credimus, non „solum ad purgationem, sed quod majus est, ad „probationem. Siquidem hanc, ut ferunt, patientissime toleravit, in adversis sicuti in prosperis gratiarum vota persolvens, & ideo coronam vitæ, „quam repromisit DEVS diligentibus se, aut jam „accepit, aut absque dubio accepturus est. Post „cujus mortem regna quæ ejus ditioni paruerant, veluti legitimo herede destituta, in partes à sua compage resolvuntur, etiam non naturalem dominum „præstolantur, sed unum quodque de suis visceribus regem sibi creari disponit. Quæ caussa magnos bellorum motus excitavit, non quia Principes „Francorum deessent, qui nobilitate fortitudine & „sapientia regnis imperare possent, sed quia inter „ipsos æqualitas generositatis dignitatis ac potentiæ „discordiam augebant, nemine ceteros tantum præcellente, ut ejus dominio reliqui se submittere dignarentur. Multos enim idoneos principes ad regni „gubernacula moderanda Francia genuisset, nisi fortuna eos æmulatione virtutis in perniciem mutuam „armasset (g).

(t) A. D. N. Dccclxx. (u) Aimo sive quis alius continuator Lib. V. cap. 25. (x) A. D. N. Dccclxxv. (y) A. D. N. Dccclxxvi. (z) A. D. N. Dccclxxvii. Aimo Lib. V. cap. 30. (a) A. D. N. Dccclxxx. (b) Regnavit an. viii.

(c) Lib. II. Chr. (d) A. D. N. Dccccxxxviii. (e) Sepulturam suam Zurzachii elegerat, sed morte subita præventus est. (f) Substituto Arnolpho ex fratre nepote Imp. biennio antequam obiret, cum per animi impotentiam præesse ultra non posse videretur. (g) Notabilis sententia.

CAPUT XIII.

Burgundiæ regnum à quo quomodo & quando restitutum, Regesque

gesque Burgundiæ qui præcipue in Helvetia imperarunt: Ducum Sabaudiæ origo.

Rodolphi I. origo. Rud. II. Apud Vitodurum victus. Berta Burcardi f. Rudolpho collocata. Rudolphus Rex Henricum Aucupem Imp. lancea sacra pacavit. Lancea illa pro tutela Imperii. Lanceam eam, labarum fuisse. Labari descriptio. Rudolphus in Italiam vocatus. Rudolphus Rex Italiæ salutatus. Guido Arelatensis contra Rudolphum ab Hirmingarde in Italiam solicitatus. Dolus Hirmingardis contra Rudolphum. Rudolphi multa liberalitatis & pietatis monimenta Lausannæ & Genevæ. Confutati qui Rudolphum Burgundum Franciæ regem fuisse arbitrati sunt. Discrimen utriusque regis. Hirmingi Helvetii felix cum Hungaris congressio. Cunradi regis stratagema. Conradus Rex Othonis Imp. omnibus bellis socius & auxiliarius. Liberi Cunradi reg. Pacifici cognomen illi datum, quare. Ignavi cognomen unde Rod. III. Beraldi Saxonis in Italia gesta. Sabaudiæ ducum origo. S. Mauritii reparatio. Rudolphus regnum suum Cunrado Imp. tradidit; constituto Henrico ex Gisela nepote herede.

NVlla prope quæstio implicatior, quam quæ de ultimis Burgundionum regibus, adeo numerus, origo, gesta pleraque parum manifesta sunt. Neque tamen duos tantum Rudolphos, ut Paradinus (a) & alii constituam, aut ad senarium eos numerum cum Latzio (b) producam. Nam cum supra centum triginta annos, Sigeberto auctore (c), regnarint, credibile est plures fuisse, quam duos: & si quos ponit Rudolphos sex Lazius, adcuratius perspexeris, in duos aut tres tantum convenire reperies. Rudolphum primum vocatum, qui primus eam quæ inter Jurassum est & montem Jovis, quem nunc S. Bernardi vocamus, provinciam, sive Helvetiam occupavit, omnium sententia est. Qui cum se apud D. Mauritii coronandum curasset, regem se Burgundiæ nominavit, eamque fortiter contra Arnolphum Imp. & ejus filium Zundibaldum defendit & tenuit.

RVDOLPHVS I. BVRGVNDIAE REX. VLTIMAE GENTIS. (d)

De hoc ita Rhegino, cum Caroli Crassi mortem, ut supra recensuimus, notasset. „Per idem tempus „Rudolphus Cunradi, nepos Hugonis abbatis, de „quo supra meminimus provinciam inter Juram & „Alpes Penninas occupat, & apud S. Mauritium, „accitis secum quibusdam primoribus & nonnullis „sacerdotibus coronam sibi imposuit, regemque se „adpellari jussit. Post hæc mittit legatos per univer„sum regnum (e) Lotharii, & suasionibus pollici„tationibusque Episcoporum & nobilium virorum „mentes in sui favorem demulcet. Quod cum nun„ciatum esset Arnulpho illico cum exercitu super eum „irruit. Ille per artissima itinera fuga dilapsus in tu„tissimis rupium locis salutis præsidium quæsivit, „omnibusque diebus vitæ suæ Arnulphus & Zundibal„dus filius ejus eumdem Rhudolphum persecuti sunt „(f), nec tamen eum lædere potuerunt. Quia, ut „supra expressum est, loca in accessibilia, quae semi„tis tantum pervia sunt, insequentium confertas acies „procul ab ingressu repellebant. *Postea:* Arnulphus „cum valido exercitu Langobardorum terminos intra„vit (g), &c. Pervenit autem usque Placentiam. In„de conversus est per Alpes Penninas, Galliam intra„vit, & Sanctum usque Mauritium pervenit, Rudol„pho quem quærebat nocere non potuit, quia „montana conscendens, in tutissimis locis se abscon„derat. Regionem inter Juram, & montem Jovis „exercitus graviter attrivit„. Hæc super Rudolpho qui primus, ut diximus, suæ gentis, Burgundiorum regnum post tot secula reparavit. Quis vero Conradus ille fuerit Rudolphi pater, parum, ut cetera, certum. Arbitror fuisse eum qui Hugbertum abbatem interfecit. Huius Hugberti sororem Thietbergam Lotarius Austrasiæ & Burgundiæ rex, Lotarii Imp. Filius matrimonio sibi adjunxerat, ut etiam supra notavimus, eaque adfinitate Ducatum illi Transjuranum, sive quidquid inter Alpes & Juram Helvetiæ est concesserat. Rhegino. *Lotarius Hugberto abbati inter Juram & montem Jovis commisit* (h), *eo quod tunc fidelissimus putaretur, utpote adfinitate conjunctus propter sororem Thietbergam.* Vbi vero eamdem Thietbergam uxorem legitimam Valdradæ pellicis insano amore cæcus Lotarius repudiasset (i), gravesque propterea pœnas pertulisset, Hugbertus sororis injurias ulturus etiam rebellavit, Lotarii regnum vastavit, ejus ministros expulit, donec tandem à Cunrado Comite obtruncaretur (k). Idem Rhegino. *Hac tempestate Hugbertus abbas, frater Thietbergæ reginæ contra Lotharium regem rebellare exorsus est. Collecta quippe prædonum manu valida, rapinas exercere cœpit, interfectisque aut fugatis Lotarii fidelibus, qui finitima possidebant loca, agros villasque eorum suæ factionis sectatoribus distribuit. Ad hujusmodi temeritatem comprimendam Lotarius rex semel iterum atque tertio exercitum produxit, frequenter etiam cum ducibus armatorum multitudinem direxit, sed minime hanc præsumptionem exstinguere potuit: quia loca inaccessibilia erant inter Juram & Alpes Penninas, seditiosis munitissima itinera & difficilem ingressum præstantia. Attamen idem acephala. Hugbertus novissime à Conrado Comite peremtus est, juxta castrum, quod Vrba* (l) *dicitur.* Hunc igitur Conradum existimo, à Lotario rege eum Helvetiæ, quem tenuerat Hugbertus abbas, Ducatum accepisse, fratremque ejus Hugonem, ejusdem abbatiam. Erant vero Abbates hi Principes, & primæ auctoritatis viri, quibus pro suis erga reges officiis monasteria opulentissima, possessionesque Ecclesiis dicatæ addicebantur, ipsi Decanos inter monachos constituebant, qui fratrum curam haberent, & sacerdotia exercerent, Abbatum nomina, reditus, possessiones, villas, cetera in se transferebant. Clarum ex Aimone, sive quisquis fuit, qui libr. V. (m) adjecit, ubi de S. Germani Abb. sermo. *Ea tempestate* (n), inquit, *Gauzelinus Abbas cœnobii S. Vincentii, sanctique Germani dominium adiit, Imperatorem* Carolum Calvum, *petens quatenus stipendia monachorum sub eo degentium, per privilegii sui auctoritatem disponeret, ne per succeden-*

(a) Lib. I. annal. Burg. (b) Lib. XI. migra. (c) In Chr. (d) Regnavit an. XXIII. A. D. N DCCCLXXXVIII. (e) Lothringiam, Elsatiam, Helvetiam, Burgundiam & Provinciam continebat.

(f) His autem bellis quoties Helvetia vastata sit quivis accipit. (g) A. D. N. DCCCXCIV. (h) A. D. N DCCCLIX. (i) A. D. N. DCCCLXIV. (k) A. D. N. DCCCLXVI. (l) Orbach ditionis Friburgensium, & Bernatum. (m) Cap. XXXIV. (n) A. D. N. DCCCLXXVII.

ſuccedentia tempora avaritia abbatum de iis quæ auctoritas regia ſtatuerat, aliquid mutilaret. Quod quamvis, ſimplici animo, egerit, cupiditas tamen principum Francorum ſubſequentium in hac ordinatione oculum aperuit. Nam quamvis prudentiſſimus abbas Irmino omnium redhibitiones villarum S. Germani videlicet uſque ad unum ovum, ac pullum, vel etiam ſcindulam (o), *ſcripto ſub uno comprehendit, & quantum monachi in proprios uſus haberent, quantumque abbas ad exercitum regis, vel in proprium ſibi vindicaret, diſpoſuit, tamen vigore decedente regum Robertus Comes Pariſiorum, qui Marchio Francorum vocabatur, frater videlicet Odonis regis, nec non Hugo Magnus, quiq etiam uſque ad tempora Roberti regis, ea quæ Abbates accipiebant, ſibi addixerunt & ſtatuentes Decanos monachis, ſibi nomen Abbatis uſurpaverunt. Ea vero quæ tunc ſibi ex rebus Eccleſiaſticis vindicarunt, propriis militibus diſtribuerunt, & juri Eccleſiaſtico ſubtraxerunt.* Hactenus Aimo. Privilegium ſuper hac re Caroli Calvi Imp. datum eſt XII. Kal. Mai. Ind. V. regni ejus an. XXXII. Actum in monaſterio S. Dionyſii. Vnde & Suidegerus (p). *Abbates*, inquit, *in antiquis hiſtoriis non ſunt monachi vel religioſi, ſed barones, magnateſque ſeculares, quibus Abbatias vel monaſteria princeps dat ad tempus vel quoad vixerint.* In qua arbitror ſententia idem dixit Aimo ſupra memoratus (q): *Carolus ordinavit per totam Aquitaniam Comites, Abbateſque nec non alios plurimos quos Vaſſos vulgo vocant.* Alibi (r): *Ludovicus quos potuit conciliavit ſibi, dans eis Abbatias, & Comitatus, & villas.* Quæ ego pluribus hac Hugberti Abbatis occaſione attuli, vt qui fuerint Abbates hi, de quibus in hiſtoria horum temporum paſſim mentio, magis clareret: & ſimul origo hujus inſtituti, quod tantopere ad ſuam perniciem reges poſteri amplexi ſunt, innoteſceret. Sed Rudolphus, ut ad eum redeamus, Conradi Comitis filius, paternis titulis non contentus, Ducatum quem a patre acceperat, in regnum convertit, extulitque eo, quo diximus modo. Et multa erant quæ eum egregiæ fortitudinis & animi virum, ad aliquid grande & magnum ſolicitarent, felicemque ſucceſſum pollicerentur. In primis eorum temporum turbæ & novi hoſtes, Nortomanni in Gallia, Hunni in Germania, qui eos, qui rerum in utroque regno ſummam tenebant, tantiſper continere poſſe videbantur, dum ſuas ipſe opes firmaret, alterutrique parem ſe redderet. Sed præcipue regentium vilitatem contemnendam putabat, & forti viro indignam. Arnolphum enim in Germania Imperatorem Carolomannus ex concubina ſuſceperat: Galliam Ludovicus & Carolomannus Ludovici Balbi Imp. filii ſpurii, etiam adminiſtrabant. Ipſe Rudolphus ſuam à Carolo Magno originem deducebat, ſeque proinde regno & Imperio dignum & capacem legitime adſerebat. Id ex eo verſiculo qui de Giſila eſt apud Scriptores (s), Conradi, hujus Rudolphi nepotis, filia, intelligi poteſt.

Quando poſt decimam numeratur linea quarta,
De Carolo Magno proceſſit Giſila prudens.

Quæ ſi de Carolo Magno, multo magis Rudolphus ex quo ea deſcendit. Sunt (t) qui Rudolpho cognomen à Stræatlingen tribuunt, Rudolphumque à Strætlingen vocant. Sane Comitum à Strætlingen (quidam eos tantum inter barones locant) admodum priſca & nobilis in Helvetia memoria, utpote qui Vimmiſium, Sebedalios, totumque illum Alpium tractum poſſiderent. Ex eadem, credo, ſtirpe adhuc ſub Friderico II. Rodolphus & Heinricus à Strætlingen vivebant (u). Arcem Strætlingen ſupra Dunum, ſecundum lacum, Bernenses everterunt (x), bello, quod in gratiam Salodorenſium cum Kiburgiis geſſere. Rudolphus relicto unico filio (y) Rudolpho obiit eodem quo Ludovicus Imp. Arnulphi filius anno (z), quo in majore errore verſantur ii, qui eum bella in Italia geſſiſſe memorant, & poſtremum Franciæ regnum obtinuiſſe, ſed hac de re poſtea.

RVDOLPHVS II. BVRGVNDIAE REX. (a)

Hic non contentus patrii regni limitibus contra Allemanniam arma & exercitum duxit (b): Sed apud Vitodurum prælio ſuperatus à Burcardo Allemanniæ duce, etiam de reliquo in diſcrimen veniſſet, niſi eodem tempore Henricus Othonis Saxoniæ ducis Fil. cognomento Auceps, Imperator creatus eſſet, cum quo Burcardo per ambitum non conveniebat, qui proinde pacem à victis, quam victoriam proſequi maluit. Juncta & affinitas quo firmiores vires eſſent, & Rudolpho Berta filia collocata. Sed Henricus quoque Imperator eadem de cauſa animum à Rudolpho alienavit, bellumque minatus eſt, verum cum lanceam illam quæ Conſtantini M. fuiſſe dicebatur ab eo accepiſſet, non ſolum Burgundiam & quæ poſſidebat, confirmavit, ſed etiam muneribus, & Sueviæ non pœnitenda parte adauxit. Unde Luitbrandus de ea lancea (c): *Quanto autem amore Rex Henricus præfatum inæſtimabile donum acceperit, tum in nonnullis rebus, tum in hoc præſertim claruit, quod non ſolum eo donantem ſe auri, argentique muneribus, verum etiam Suevorum provinciæ parte non minima honoravit.* Sigebertus (d) hanc à Rudolpho minis & precibus extortam lanceam ſcripſit, eaque pro Imperii inſignibus, & tutela Imperatorem uſum. *Lanceam*, inquit, *mirandi operis, & clavis JESV Chriſti crucifixi ſanctificatam quæ dicitur primi & Magni Conſtantini Imperatoris fuiſſe, donatam Rudolpho regi Burgundionum & Italiæ, à Samſone Comite, Rex Henricus precibus, minis, muneribus, addita etiam parte provinciæ Suevorum, à Rudolpho extorquet, & hanc ad inſigne & tutamen imperii poſteris relinquit.* Idem quoque Otho confirmavit. De Henrico: *Lanceam quoque*, inquit, *ſacram, quam reges noſtri hactenus habent, ab Rudolpho* (e) *Lugdunenſis Galliæ, ſeu Burgundionum rege, minis extorſit.* Ego hanc lanceam fuiſſe arbitror labarum, cujus deſcriptionem, & imaginem pluribus expoſuit Baronius (f). Certe non uno loco, multis oſtendit idem auctor exemplis, Imperatores Romanos prævio & duce labaro, quod Crucis & Chriſti ſignaculum continebat, præclariſſimas victorias reportaſſe feliciterque bellis perfunctos eſſe. Burgundiam vero

(o) Germano-francicum vocabulum Schindlen aſſerculus. (p) In Chronicis Franciæ Gallicis. (q) Lib. V. cap. 1. (r) cap. 36. (s) Otho Lib. VI. cap. 28. (t) Latzius Lib. XI. migrat. & alii.

(u) A. D. N. MCCXLVIII. (x) A. D. N. MCCCLXXXIII. (y) A. D. N. DCCCCXI. (z) Habuit etiam filiam quæ Bonifacio Comiti Italiæ collocata eſt. (a) Regnavit an. XXVI. A. 919. (b) Contractus in chr. (c) Lib. IV. cap. 12. (d) In Chron. (e) Corrupte legitur in vulgatis Arnolfo. (f) Tomo III. & IV. Annal. Eccl. & princ. T. V.

vero Rudolpho, & ejus posteris confirmatam idem Otho videtur ostendere, cum divisionem illam Austrasiorum regni factam inter Carolum Simpl. Franciæ regem, & Henricum Imperat. recenset. Burgundiam enim dicit per se habuisse suum regem, quod non fecisset, nisi ea Imperatoris voluntas fuisset. *Cum*, inquit (g), *Henricus cis Rhenum regnaret, & de Belgica cum Carolo disceptaret, ex voluntate amborum ad hujus litis scrupulum decidendum, die in opido Bunna constituta, Belgica* (h) *Henrico cessit, ac Carolo Celtica tantum & Aquitania, parsque Lugdunensis, Burgundia per se Regem habente, remansit*. Rebus in hunc modum domi compositis & stabilitis, RVDOLPHVS ad Italiam animum (i) & cogitationem convertit. Vocabatur ad id regnum contra Berengarium capescendum. Principes factionis erant Lambertus Episcopus Mediolanens. Adelbertus marchio Eporegiæ, Odalricus & Gibbertus Comites: qui cum forte cum suis, & non exigua armatorum manu prope Brixiam consultant, in eos Berengarius, rerum quæ gerebantur non ignarus, Hungaros, qui eo tempore in Venetia erant, concitavit, impetuque facto, re inopinata, non paucos oppressit aut cepit, quæ res properare Rudolphum compulit. Facto igitur maximo Burgundionum, præcipue vero Helvetiorum exercitu, in Italiam descendit, & ab omnibus prope Italiæ Rex salutatus est (k). Berengarius Veronam, quæ sola supererat, se abdidit. Regnavit Rudolphus pacifice & cum laude omniumque favore per triennium. Sed ut Itali exteros libentius suscipiunt, quam patiuntur, insita mobilitate & rerum novarum studio, non pauci nobilium rursum Berengarium solicitare cœperunt. Unde novum bellum, & apud Florentiolam prœlium, quo in prœlio (l) Rudolphi opes concidissent, nisi Bonifacius ejus propter sororem adfinis auxilio per tempus advenisset. Berengarius victus & profligatus. Italia rursum Rudolpho quieta & subjecta. Ipse in Burgundiam se recepit. Et pauci fuere anni cum denuo rebellarunt Italienses, Hirmingardis Eporegiensis Marchionis Adelberti vita defuncti conjugis, & Lamberti Mediolanensis Episcopi præcipue auctoritate: Nobilis illa quidem & patris opibus, Tusciæ marchionis, ad maritales adjunctis, late potens, sed famæ parum bonæ, Guidonem Arelatensem comitem contra Rudolphum invitavit. Rudolphus, quæ contra se parabantur perspectis, exercitum maximum in Italiam rursum deduxit, adsumto inter auxiliarios Burcardo Allemanniæ duce socero, qui cum relicto Eporegiæ genero ad Mediolanenses legatus profectus esset, contra jus gentium Lamberti insidiis interfectus est (m). Luitbrandus id accidisse scribit, quod minas quasdam lingua Germanica effudisset, quas per interpretem Episcopus intellexerit. At vero Rudolphus jam quoque soceri necem ulturus, motis castris, continuo ea ante Ticinum metatus est, urbemque in qua Hirmingardis, & plerique rebellium tanquam locum eo tempore munitissimum se receperant, artissima obsidione cinxit, expugnassetque, nisi ejus feminæ literis fraudulentis, quibus scilicet suorum militum, principumque fidem in suspicionem vocabat, deceptus & circumventus cœpta deseruisset, damnataque gentis levitate & perfidia, se re infecta in Burgundiam retulisset (n). Ad postremum Guidoni, omni ex parte, Italia cessit, pactoque pro ea Arelatense regnum sive Comitatum Rudolphus accepit, antiquissimum Burgundiæ regum titulum; deinceps ita vitæ reliquum confecit, ut non absque magna sanctitatis opinione decesserit, relicta Berta uxore: liberis, Conrado, qui successit, Burcardo Lausanensi Episcopo & Rodulpho posthumo; Adelheide quæ primum Lotario Guidonis Italiæ regis filio nupsit, tum Othoni I. Imp. collata est, Gerburgi, quam Hermannus Gebhardi Franconiæ ducis filius, cui post Burcardi necem Sueviæ, aut Allemanniæ Ducatus traditus, uxorem duxit. Tradiderunt auctores præcipui nominis (o) & auctoritatis Rudolphum hunc cum Italia abiisset, ad regnum Franciæ vocatum, lectumque à Carolo Simplice Peronæ capto, caussa addita, quod ejus per novam salutaris aquæ generationem Carolus pater esset; qua in re non unum ob errorem multifariam convincuntur. Nam primo Rudolphus Franciæ, Richardum patrem habuit Burgundiæ ducem; non Rudolphum, aut Cunradum. Quod iidem auctores etiam confitentur. Deinde Burgundus liberos reliquit: Franciæ Rex nullos: Ille in opido Senonum sepultus, mortuus Antiosiodori: noster Paterniaci, ubi post ejus mortem Basilicam Berta conjux extruxit dotavitque regia Burgundionum munificentia & pietate.

CVNRADVS BVRGVNDIAE REX III. PACIFICVS. (p)

Hujus regis admodum adolescentis primum contra Hungaros consilium bellumque fuit (q). Vastatis quæ in Brisiacis erant Secconium Rheni insulam populari animo destinaverant, eoque in loco flumen continenti ponte copulare. Præmissa igitur copiarum non exigua manu, cum impedimentis in vallem Fricciam (r) irruperant, ferroque & flamma perdebant omnia, quibus Hirmingus nobilis & opulentus, sed manu præcipue fortis ea in regione vir obvius factus pœne omnes qui transierant interfecit, aut in Rhenum fugavit, frustra inclamantibus, & horribili fragore ululantibus in cæde suorum, ab altera ripa, sociis, prædam ditissimam totius Allemanniæ ruina factam cepit, & in hostium conspectu monasterio Secconiensi donavit. Hac parte repulsi Hungari, secundum Rhenum progressi, prope Argentoratum in Sequanos & Elsatiam transierunt, & direptis quæ repererant apud Vesontium consederunt (s). Ad eos per amicitiæ simulationem legatos destinavit Cunradus, qui ostenderent paratum se esse, quas vellent sedes dare, si quæ adhuc in regno suo Saracenorum reliquiæ erant, expulissent. Id eo facilius fore, quod ab altero eamdem gentem latere esset ipse invasurus: Saracenis vero, qui jam à Caroli Martelli Equ. Mag. tempore, montana quædam, & inaccessibilia loca in Burgundia occupaverant, tenuerantque exiguo tributo, hostem communem adorirentur, viresque conjungerent, si tributi in posterum levamentum & sedium in perpetuum confirmationem obtinere vellent, rescripsit, & adhortatus est.

(g) Lib. VI. cap. 18. (h) Hoc est Lotaringia. (i) Onuph. Sigonius Lib. VI. (k) A. D. N. DCCCCXX. Luibrand. Lib. II. cap. 16. & 17. (l) A. D. N. DCCCCXXIII. Id. auct. cap. 18. (m) Luitb. Lib. III. cap. 4.

(n) A. D. N. DCCCCXXVI. (o) P. Æmilius Lib. II. Langius. Gillius. Paradinus. alii. [p] Regnavit an. LIII. [q] A. D. N. DCCCCXXXVIII. [r] Fricktal. [s] A. D. N. DCCCCXXXIX.

est. Id consilii eo spectabat ut concisis utriusque gentis hosticæ viribus, cum vix alteri par esse posset, utrumque populum facile exterminaret aut in quas vellet condiciones adigeret. Quod & feliciter præstitit internicione deletis Hungaris Saracenis prope exstinctis, Egghardo monacho S. Galli auctore. Sunt Scriptores, qui Othonem I. Imperat. Burgundiam subjugasse imperioque adjunxisse, tradiderunt (t). Quidquid ejus sit satis constat Cunradum regem Othone Imperat. familiariter usum esse, ejus omnibus prope bellis, quæ plurima in Germania, Francia, Italia gessit, interfuisse. Cunradi hortatu & precibus bellum Imperatorem contra Berengarium Italiæ tyrannum, qui sororem suam, Adelheidem Lotarii Italiæ regis viduam, Papiæ obsidebat, gessisse, tyrannum expulisse Reginamque Adelheidem liberatam sibi matrimonio collocasse (u), ex eaque Othonem II. suscepisse. Habuit Cunradus Rex uxorem Mathildem, Lotharii regis Franciæ, qui Ludovico Transmarino patri successerat, sororem, quo ex matrimonio magnam provinciæ Lugdunensis partem Burgundiæ regno adjunxit. Ex ea habuit filios RVDOLPHVM, & CVNRADVM; filiam Bertam quæ nupsit Odoni Campaniæ: & Giselam quæ primo matrimonio Ernesto Sueviæ Duci sociata, ex quo Ernestum II. & Hermannum Sueviæ etiam Duces genuit: Secundis nuptiis Cunrado Salico Imp. ex quo concepit Henricum III. Imp. cognomento Nigrum. Fuit vero adpellatus, glorioso & commemorabili nomine, Pacificus, quod sub eo Burgundia, tot annis, summa pace, otio & tranquillitate floruit, pulsisque & cæsis Hunnis, belli nullum incommodum experta est: vita functus est senex magno sui desiderio relicto (x).

RODOLPHVS III. BVRGVNDIAE REX IV. (y)

Ignavus vulgo nominatus, non aliam, credo, ob caussam quam quod in tolerandis subditorum injuriis & insolentiis facilior esset, quam regia majestas postulare videretur. Bella tamen per se pauca, alieno ductu nonnulla habuit. Primus vero fuit qui Beroldum Hugonis Saxoniæ ducis filium Othonis III. Imp. ex fratre nepotem, extulit, honoribus & dominiis locupletavit. Fuerat is contra Arduinum Eporegiæ marchionem, qui se Italiæ regem ferebat, in Italia ab Othone patruo constitutus, Vicariusque Imperii sive legatus in Cisalpina Gallia nominatus (z). Qui cum multa strenue gessisset, Arduinum regem ad Canapitium contrivisset, Ligures, & Genuenses lascivientes compressisset, magnamque nominis famam peperisset, à Rudolpho rege Burg. Regni Arelatensis prorex electus est, Allobrogesque & Maurianam ab eo accepit, quibus Cottias Alpes & Pedemontana, superato Manfredo marchione Secusino, adjunxit. Is est Beraldus quem alii Geroldum, alii Bertoldum vocant, à quo serenissima & florentissima Sabaudiæ Ducum ad hæc usque tempora propago emanavit. Obiit (a) nominis celebritate & gloria plenus ætatis an. XLIV. relicto Umberto filio, primo Sabaudiæ Comite, ex Catharina Palatina Schirensi. Qui Equestres & magnam Antuatium partem, à Cunrado Imp. post Rudolphi regis mortem accepit. Rudolphus vero Rex habuit uxores duas Hermengardim; de qua fit mentio in reparatione S. Mauritii apud Agaunum. Illud Monasterium olim celeberrimum, quod eo tempore pene occiderat, alienatis vel absumtis temporum injuria aut calamitate plerisque possessionibus, rogatu & persuasu Hirmingardis reginæ, Bertochdi & Rudolphi Comitum, Hugonis Episcopi Sedunensis, Henrici Episcopi Lausanensis, Hugonis Epis. Genevensis, & Burcardi Episcopi Lugdunensis, aliorumque, Rudolphus in pristinum decus restituit, redditis quæ deerant, novisque additis adauxit, ut hujus reparationis testantur literæ datæ Agauni, eodem loco, XXIV. ejus regni anno (b). Habuit & Hildegardin, cujus mentionem faciunt tituli Ecclesiæ S. Anatolii Salinis, & aliæ Cluniaci fundationes (c). Sed ex neutra liberos suscepit. Ea caussa fuit cur subditi & nobiles insolentiores evaserint, novitatis spe & licentia dominorum recentium, Odonis præcipue solicitatu Campaniæ Comitis, Rudolphi ex sorore adfinis, qui jam regnum Burgundiæ animo conceperat. Quas ob rebelliones Cunradi II. Imperat. qui alteram sororem Giselam duxerat, ut diximus, auxilium, & præsidium invocare coactus (d), res quidem in præsentia composuit, Imperatoremque Romam proficiscentem prosecutus est, cui se Umbertus Sabaudiæ Comes I. etiam socium adjunxit. Cunradus medius inter utrumque Cinitonem Anglorum, & Rudolphum Burgundiæ regem incedens, festo pascatis Imperator à Joanne XIIX. Pont. coronatus & Augustus frequenti P. R. adplausu salutatus est (e). Dum vero in Italia versatur Cunradus & cum eo Rudolphus non solum ab Imperatore Ernestus privignus Allemanniæ & Sueviæ Dux defecit, sed etiam à rege Comes Otho, nonnullaque in Æduis & Sequanis opida hic occupavit, volentibus & libentibus Burgundionibus, qua quidem re seipsum omnino hereditate privavit. Nam sequenti anno (f) Rudolphus Rex Henricum ex sorore Gisela nepotem, heredem ex asse nuncupavit, Othonem penitus exclusit. Vnde Sigebertus (g): *Burgundionibus non desistentibus à consueta contra regem suum insolentia; REX Rudolphus regnum Burgundiæ Cunrado Imperatori tradidit quod à tempore Arnulphi Imperatoris per annos plusquam centum & triginta gentis suæ reges tenuerat, sicque Burgundia iterum redacta est in provinciam.* Ab hoc tempore annos ordinationis sive regni Burgundici numeravit Henricus, licet adhuc aliquot annos vixerit Rudolphus. Sicuti ex quibusdam titulis quas in Burgundia fecit apertum est. In Bisuntina Ecclesia quoddam instrumentum ita subsignatum. *Datum XVIII. Kal. Octob. Anno Dominicæ Incarnat. CLↃXLIII. Indict. X. Anno autem Domini Henrici III. ordinationis XIV. Imperii vero III.* Certum est ad Imperium venisse Henricum III. mortuo Cunrado patre, anno Dom. CLↃXL. quo pacto tertius hic annus, cui cum resignasset regnum Burgundiæ Rudolphus anno CLↃXXIX. Ordinationis erit, subducto ad lineam numero XIV. Alio titulo. Subscript. *Datum V. Idus Jul. Anno Incarnat. Domini CLↃXLIX. Anno Domini nostri Henrici III. invicti*, &c. paullo supra. *Signum Domini*

(t) A. D. N. DCCCCXLV. Witickindus in sex hist.
(u) A. D. N. DCCCCLI. (x) A. D. N. DCCCCXC.
(y) Regnavit an. XLIIII. (z) A. D. N. DCCCCXCVIII.
(a) A. D. N. MXXIV.
(b) A. D. N. MXIV. (c) A. D. N. MXXIX.
(d) A. D. N. MXXV. (e) A. D. N. MXXVI. Gottfridus Viterb. parte XVII. Otho Fris. Lib. VI. cap. 29.
(f) A. D. N. MXXIX. (g) In Chronico.

Domini Henrici regis invictissimi Teutonicorum tertii, secundi Romanorum Imperatoris Augusti, & Burgundionum primi. Ubi vero Rudolphus sibi mortem imminere persensit, tum vero etiam regni ornamenta sceptrum & coronam ad Henricum transferenda curavit. Otho Frising. (h): *Ea tempestate* (i), *Rudolphus Burgundiæ, seu Galliæ Lugdunensis rex moriens Henrico filio regis, nepoti suo regnum cum diademate, aliisque insignibus sub testamento reliquit*. Hic finis fuit Burgundiæ regum, regnique Burgundici, quæ postea secuta sint, sequenti capite explicabimus.

(h) Lib. VI. cap. 30. (i) A. D. N. MXXXIII.

CAPUT XIV.

De Helvetiæ statu deficientibus ultimis Burgundiæ regibus.

Otho comes Burgundiam minorem occupavit. Conradus Imp. contra Othonem in Helvetia. Germania status sub Henrico IV. Item Burgundiæ minoris. Altæ ripæ conditio.

Regibus Burgundiæ abolitis non propterea stirpis regiæ in Helvetia finis. Duravit annos non paucos dum Zæringi Germani Burgundiam Minorem regendam susciperent. Nam statim ubi Rudolphus rex ultimus vita egressus est,

OTHO CAMPANIAE, ET PRIMUS BURGUNDIAE COMES (a)

Regni possessionem à Cunrado Imp. jure propinquitatis efflagitavit, cum non impetrasset armis invasit (b): Paterniacum, Muratum, Neocomum, & si quæ tunc temporis firmiora erant opida occupavit, & præsidiis auxit. Id hoc facilius ei usuvenit quod Cunradus bello Hungarico & Polonico distineretur. Sed ubi ex sententia cessit, victorque ex Polonia in Allemanniam rediit, cum exercitu Rhenum trajecit, & Basileæ de bello Othoni inferendo, adulta jam hieme consilia iniit, incertus in Burgundiæ Comitatum irrumperet, an Helvetiam ingrederetur (c). Vastatis interim quæ circa Montem bellicardi sunt, Juram superare & in Helvetia bellum gerere placuit, cetera omnia procliviora habita. NEOCOMUM obsessum. Sed propter asperitatem temporis obsidionem solvere coactus, Constantiæ hiberna transegit. Mox (d) ineunte vere, cum bellum in omnibus partibus tulisset, Othonem ita attrivit, ut supplicis forma pacem petere compulerit, jurejurandumque adegerit, Burgundiæ regnum non appetiturum, tribus mensibus integris bello peracto. Sequenti anno (e) cum Cunradus in Burgundiam rediisset omnes regionis principes in deditionem accepit, cum Lugdunensi Primate, datisque obsidibus, non multo post *ad sedandam ignobilis vulgi contumaciam, qui pæne principibus prævaluerant*, inquit Otho Frising. in Italiam, duce & comite Heriberto Episcopo Mediolanensi, à quo Genevæ paullo ante fuerat Burgundiæ rex coronatus, profectus est. *Interea* (auctor Gottfridus Viterbiensis,) *Otho Comes, ruptis juramentis, in Burgundia rebellat, ubi à fidelibus Imperii occiditur, & vexillum ejus Imperatori in signum victoriæ transmittitur*. Otho Frising. Barrum Lotaringiæ castrum, in Imperatoris ignominiam obsedisse Comitem, eaque in obsidione à Gunzilone Belgarum duce interfectum tradidit. Sigebertus (f), Lotharingiam incursasse, castella expugnasse, furore in nullo temperasse memoriæ commendavit, demum interfectum esse. Conradus rebus in Italia Burgundiaque compositis, non minimam regni Burgundici partem Umberto Sabaudiæ Comiti tradidit, Equestres, sive de Chablois, aut Caballenses, Agaunos & Sedunenses. Cunrado patri successit Henricus III. (g) in Burgundia vero

REGINALDUS BURGUNDIAE COMES II.

Henricus Imp. Burgundicum bellum continuavit. Rebellarat enim Reginaldus (h) exemplum Othonis patris secutus, imperiumque abnuebat. Sed ab Imperatore coactus, deditionem fecit Salodori. Quem conventu Procerum Burgundiæ ibidem confecto, in integrum restituit, pacemque hac ratione stabilivit (i). Inde in Italiam abiit, ubi à Clemente II. Pont. Max. Imp. coronatus est (k). Postea cum controversiæ quædam incidissent, rursusque ad arma res inclinare viderentur, Imperator cum Burgundis principibus iterum Salodori congressus est, indeque profectus Tiguri pentecostes Sollennitatem transegit, & in Saxoniam se transtulit (l). Tertium demum conventum Salodori egit. Unde cum abalienatis animis Burgundi proceres recessissent, imperator bellum pararet, pœnitentia ducti redierunt, veniamque & pacem ab Henrico deprecati obtinuerunt, Hermanno contracto auctore, qui hoc tempore vivebat, resque Cunradi & Henrici hujus, Impp. singulari volumine complexus est. Salodori ita res Burgundicas confirmavit, ut deinceps quieverint, dum Burgundiæ Comites in Helvetia regnum tenuerunt. Frequens Henricus Imp. in Helvetia egit. Nam & paullo post Tiguri principum Germaniæ conventum habuit, filioque cognomini adhuc puero marchionis Othonis filiam collocavit, sponsaliaque ibidem celebravit, vitaque defunctus est (m) uti & sequenti anno Reginaldus, cui successit filius (n)

GULIELMUS BURGUNDIAE COMES III.

Illi cognomen Magni datum ob opes & florentem statum eximiamque bonitatem & liberalitatem. Hujus Gulielmi mentionem facit Lambertus Schaffnab. (o) in Henrico IV. cum ejus in Italiam iter describit, postquam Gregorius VII. Pont. Max. sacris privatum diris eum devovisset, Principesque ut ab eo deficerent, compulisset: *Rex Henricus*, inquit, *in Italiam proficiscens intra Burgundiam, in loco qui dicitur Bisanzum natalem Domini celebravit* (p), *satis magnifice pro sua tum calamitate susceptus & habitus ab avun-*

O

(a) De Comitibus Campaniæ Thevetus Lib. XV. cap. 1. Cosmograph. (b) A. D. N. MXXXIII. (c) Lambertus Schaffnab. Oth. Fris. Lib. VI. cap. 31. (d) A.D.N. MXXXIV. (e) A. D. N. MXXXV.

[f] In chr. A. D. N. Mxxxvi. [g] A. D. N. MXL. (h) A. D. N. MXLV. (i) A. D. N. MXLVI. (k) A. D. N. MXLVIII. (l) A. D. N. MLII. (m) A. D. N. MLVI. (n) A. D. N. MLVII. (o) In suo chr. [p] A. D. N. MLXXV.

ab avunculo matris suæ (q) *Gulielmo Comite, cujus in illis locis amplissimæ & florentissimæ opes erant. Ea porro causa erat, ut relicto recto itinere in Burgundiam diverteret, quod certo compererat Duces Rudolfum, Velf, & Berchtoldum omnes vias, omnesque aditus, qui in Italiam mittunt, quos vulgato nomine Clusas vocant, adpositis custodibus anticipasse, ut nulla illic ei copia transeundi fieret.* Propter illam communicationis Ecclesiasticæ privationem graves in Helvetiæ ea præcipue parte quæ Ducatui Allemanniæ conjuncta, ut in tota Germania motus, cædes, clades fuere. Nam cum Rudolphus Comes Rhinfeldensis & Sueviæ sive Allemanniæ Dux, Velpho item Bavariæ, & Berchtoldus Zæringus Carinthiæ duces, cum tota prope earum regionum nobilitate se fœdere contra Henricum copulassent, Rudolphum etiam Rhinfeldensem regem Germaniæ nominassent, ea exarserunt, iis regionibus, per partes & factiones bella, cum non pauci essent qui etiam tum ab Henrico facerent, ut maxima pars Allemanniæ, Rhætiæ, Elsatiæ, Brisiacorum, ferro, flammaque in solitudinem prope redacta sit, arces, urbes, opida infinita funditus perierint. Gulielmus vero Comes Burgundiæ, Helvetiam, sive pagum Aventicensem, in pace & flore habuit. Dixi pagum Aventicensem, quia quæ in Verbigeno sunt, sive inter Ursam & Arulam, tenebant Comites Rapoto Habsburgius (r), Uldaricus Lentzburgius, Vernerus Badensis, quorum opes, hoc tempore, jam summæ, & auctoritas præcipua, nullumque præter Imperatorem Dominum, aut Superiorem agnoscebant. Gulielmi sororem Adelam sive Adelasiam duxit Amedeus I. Comes Sabaudiæ III. qua adfinitate confirmata utriusque Comitis potentia. De hoc Amedeo supra memoratus Lambertus ita mentionem fecit, eodem Henrici itinere: „Exacta solennitate natalis Domini, profectus inde, cum „in locum qui Civis (s) dicitur, venisset, obviam „habuit socrum suam *Adelasiam* (t), filiumque ejus, „Amadeum nomine, quorum in illis regionibus & „auctoritas clarissima, & possessiones amplissimæ, & „nomen celeberrimum erat. Hi venientem honorifice „susceperunt. Transitum tamen per terminos suos „alias ei concedere nolebant, nisi quinque Italiæ Episcopatus, possessionibus suis contiguos, eis redimendi itineris precium traderet. Durum hoc nimis & intolerabile omnibus regis consiliariis visum „est. Sed cum ei inevitabilis incumberet necessitas „quoquo posset pacto redimendi itineris, & illi nec „jure propinquitatis, nec tantæ calamitatis miseratione, quidquam moverentur, multo labore & tempore in hac deliberatione insumto, vix & ægre „tandem impetratum est, ut provinciam quamdam „Burgundiæ bonis omnibus locupletissimam concedendi transitus mercedem dignarentur accipere. „Ita indignatio Domini, non solum sacramentis, & „frequentibus beneficiis sibi obnoxios, sed etiam amicos, & genere propinquos ab eo averterat.„ Hactenus Lambertus, quæ porro ea Burgundiæ pars fuerit, incertum, Arbitror fuisse Antuates. Nam cum eam Lemanni ripam sive dextram vindicarent Sabaudiæ Comites, postea cum Zæringis in contentionem, & ea de caussa bellum venerunt, ut deinceps videbimus. Gulielmo successor relictus filius

STEPHANVS BVRGVNDIAE COMES IV. (u)

Illi cognomentum Caput Audax. Quæ ejus domi fuerint facta parum constat. Comitem & socium se sacræ expeditionis principibus (x), Hugoni Magno Philippi Gallorum regis fratri, & Gottfrido Bullionio Lotaringo, una cum Amedeo Sabaudiæ comite, ex sorore nepote, adjunxit, victoriarumque particeps & auctor obiit (y) in reditu Famagustæ Cypri, relicto uno filio Gulielmo, ex Agnete Conradi Zæringiæ ducis sorore.

GVLIELMVS II. BVRGVND. COMES. V.

Iste quia admodum adolescens patri successerat Pueri nomen, pro insigni semper retinuit, nec quæ ejus fuerit vita, & qua factione apud Paterniacum trucidatus sit perspectum, aut literis creditum est. Ita vero rem esse, manifestum ex illa Gulielmi Glanæ Comitis sepulchrali inscriptione, quæ Altaripæ legitur in hæc verba: *Anno* 1142. *III. Idus Feb. obiit Gulielmus de Glana fundator, sepultus in præsenti tumulo, cujus pater Petrus, & Philippus de Glana fratres, anno* 1126. *cum Gulielmo Comite Viennensi & Salinensi, cum multis aliis nobilibus, injuste, ab injustis, in occisione gladii apud Paterniacum mortui sunt, & in Prioratu Cluniacensi, sito in insula lacus, sepulti.* In Helvetia principatum, celebri nominis fama, longe tenuerunt Glanæ Comites, & ipsi ex regia Burgundionum stirpe oriundi, domo Viennenses. Horum ultimus Gulielmus sive mæstitudine paternæ cædis, aut rerum humanarum pertæsus monasterium clarissimum Altaripæ prope Friburgum condidit (z), monachosque ex Burgundia, qui Molisma celebri apud Lingones Cœnobio relicto, in Cistertium eremum, Roberto duce, paullo (zz) ante secesserant, conditoque ibidem novo monasterio, novaque vitæ morum regula instituta, magnam sibi sanctitatis opinionem comparaverant, primus in Helvetiam transtulit. Vnde postea Cistertiensium fama per totam Helvetiam, (colligitur ex monasterii Capellæ prope Tigurum fundatione, cujus primus Abbas Gulielmus Altaripa accitus, Altaripensis inde dictus.) & deinceps Germaniam magno pietatis & religionis Zelo dimanavit. In sepulchri lapide hæ incisæ literæ. ANNO. INCARNATIONIS. DOMINICAE. MILLESIMO. CENTESIMO. QVADRAGESIMO. SECVNDO. TERTIO. IDVS. FEBRVARII. OBIIT. GVLIELMVS. DE. GLANA. QVI. FVIT. FVNDATOR. DOMVS. HVIVS. Fundationem confirmavit, & in suam & successorum protectionem cum omnibus pertinentibus suscepit. Guido Episcopus Lausanensis *Anno Domini M C X L I I. tertio Sabbatho Quadragesimæ Epact. X X I I. Viviaci. Gerardo primo Abbate:* Atque ea ratione primum & legitimum regiæ Burgundionum stirpis in Helvetia imperium cessavit, interfecto Gulielmo Puero & Comitibus à Glana absumtis.

CAPVT

(q) Agnetis nobilissimi principis Galliarum Pictaviæ & Aquitaniæ ducis Gulielmi sororis, Gottfrido & Othone testibus. (r) Qui videlicet, ut ante vidimus, primus hoc nomine usus, cum Habsburg condidisset, unde posteri. (s) Scribo Vivis; opidum ad Lemannum infra Losannum. (t) Duxerat enim Henricus Imp. Bertam Adelasiæ filiam an. M L X V I.

(u) A. D. N. MLXXXVIII. (x) A. D. N. MXCV. (y) A. D. N. MXCIX. (z) A. D. N. MXCVIII. (zz) A. D. N. MLXXXV.

CAPUT XV.

Qui primi Germanorum Burgundiæ Minori præfuerint, & de eorum titulo & rebus gestis.

Fridericus Imp. Ænobardus pacem inter Reginaldum & Berchtoldum fecit. Friburgum conditum. Valesianum bellum.

MOrtuo Gulielmo puero, statim Reginaldus Burgundiæ etiam Comes (a), ex eadem Viennensi familia, hereditatem propinquitatis jure adivit, nulla habita Henrici V. Imp. ratione, locaque omnia ab utroque Jurassi latere occupavit. Quam ob rem sæpe ab Imperatore in Concilium vocatus, contemsit, indignum se & regia quam præferebat stirpe & nomine ratus, alterius parere aut subjici mandatis (b). Ea caussa Lotharium II. Imp. qui Henrico V. eodem tempore vita soluto successerat, perpulit, ut omnia quæ Gulielmi Pueri fuerant, Cunrado Zæringo, cujus ut prædiximus, ex sorore nepos erat, imperii nomine traderet, qua quidem ratione Zæringiæ Duces totius Helvetiæ principatum obtinuerunt: Cum jam ante Cunradi pater Berchtoldus II. pro Sueviæ Ducatu Præfecturam Tigurinam ab Henrico IV. accepisset.

CVNRADVS DVX ZAERINGIAE RECTOR BVRGVNDIÆ PRIMVS.

Hoc deinceps titulo omnes Zæringiæ Duces usi sunt, in hanc fere formam: *Cunradus vel Berchtoldus de Zæringen Dux & Rector Burgundiæ, Dei & Imperatorum gratia, judex constitutus, & advocatus in omne Turegum imperialem jurisdictionem habens.* Bella illi ea de caussa gravissima cum Reginaldo fuerunt, nec dum vixit quidquam impetrare potuit. Quamvis Vrspergensis (c) Reginaldum in arce sua Monzum nomine, cui plurimum confidebat, captum & deditionem facere coactum memoriæ prodiderit. Hoc super negotio illa Guntheri præstabilis poetæ in suo Ligurino (d), cum Beatricis Reginaldi filiæ cum Friderico Ænobardo Imp. matrimonium memorasset, Burgundiamque finibus circumscripsisset:

Hanc Comes (e) antiqua veniens ab origine regum
Gulielmus quidam, Puerum quem fama ferebat,
Possedit, quem conspicuo produxerat ortu,
Cunradi Germana Ducis, quo fraude suorum,
Vt perhibent veteres, humanis rebus ademto,
Proximus agnatus Comitis, Reinaldus, & hæres
Legitimus, tanta nactus moderamina summæ,
Jure suo nimium, & præclaro sanguine fretus,
Teutonicos reges, edictaque sæpe vocatus
Sprevit, & Allobroges (f) aliis sub regibus esse
Indignum reputans, nimium memor ille vetustæ
Libertatis erat, Regemque superbus agebat.
Donec ob innumeros fastus, sententia tandem
Vltrices in eum depromsit regia vires,
Ereptamque viro, regni sub judice, terram
Nomine Cunrado fisci concessit habendam,
Vt, quasi proscripto regni spretore rebelli,
Proximus exstincto succederet ipse nepoti,
Qui mox concessos, armato milite, fines
Irrumpens, regale sibi defendere donum,
Et valida sancire manu tentabat: ac ille
A patribus suscepta suis retinere laborans,
Plurima conseruit diverso prælia casu.

In eandem fere sententiam Otho Frisingensis (g). Sed ex hac sive hereditate, sive donatione Zæringi Duces sese nominarunt, unde idem Frisingensis, de Berchtoldo II. hujus Cunradi patre verba faciens, quem Henricus IV. Imp. spe & exspectatione Ducatus Sueviæ sibi promissi substituto Friderico à Stauffen dejecerat. *At Berchtoldus*, inquit (h), *vacuum ex hinc nomen Ducis gerens, id quasi hereditarium posteris reliquit. Omnes enim usque ad præsentem diem Duces dicti sunt, nullum ducatum habentes, soloque nomine sine re participantes. Nisi quis Ducatum esse dicat, comitatum inter Juram & montem Jovis, quem post mortem Gulielmi Comitis filius suus Cunradus ab Imp. Lotario suscepit.* Cunradus vero non solum cum Reinaldo Burgundo habuit bellum, sed etiam cum Friderico, qui Barbarossa dictus Italis, & postea imperavit, Friderici Vnoculi Sueviæ ducis filio, à quo multis præliis fatigatus, amisso Turego & aliis castris munitissimis, pacem ab eo petere coactus est (i). Idem Otho Frising. de hoc Friderico: *Post hæc*, inquit (k), *Cunrado Duci supradicti Berchtoldi Ducis filio bellum indicit: captoque supra memorato Allemanniæ opido Turego, præsidia ibidem posuit. De hinc, junctis sibi etiam quibusdam de Bojaria nobilibus, præfati ducis terram cum magna manu militum introivit, atque ad ultima pæne Alemanniæ procedens, ad Zæringen usque ejusdem ducis castrum (l), pervenit, nullo sibi obviante, vel resistere valente. Non multo post etiam arcem ipsius quandam, quæ cunctis adhuc cernentibus inexpugnabilis esse videtur, capit & expugnavit, ac contra multorum opinionem fortissimum & ditissimum Ducem tam acriter debellavit, ut ad patrem,* Fridericum, *patruumque suum*, Cunradum Imperatorem, *supplicem eum venire, ac pacem petere cogeret.* Cunrado successit filius (m)

BERCHTOLDVS IV. ZÆRINGIÆ DVX. ET BVRGVNDIÆ RECTOR II.

Controversiam & bellum cum Reinaldo continuavit, & omnibus viribus gessit, Burgundiam ultrajuranam, sive comitatum Montis bellicardi vastavit, unde hi Brisiaci de eo versiculi in porta arcis quam condiderat:

Hanc Dux Berchtoldus portam struxisse notatur,
A quo pro fraude Burgundia depopulatur.

Tandem Fridericus I. Ænobardus Imp. cum hujus Reginaldi filiam unicam Beatricem duxisset, pacem inter utrumque principem his terminis posuit (n), ut Reginaldus Burgundiæ eam partem teneret, quæ Burgundiæ Comitatus nunc servat nomen: Burgundiam Minorem, sive quæ in Helvetia sunt, Berchtoldus

(a) Is se tum Comitem Augustodunensem vocabat. (b) A. D. N. MCXXVIII. Nauclerus in chr. (c) In chron. (d) Lib. V. (e) Burgundiam. (f) Regnum Burgundiæ, cujus pars Allobroges olim.

(g) Lib. II. cap. 30. de gest. Ænob. (h) Lib. I. cap. 9. (i) A. D. N. MCXXXIX. (k) Lib. I. cap. 26. de gestis Ænobardi. (l) Ejus reliquiæ prope Friburgum Brisiacorum. (m) A. D. N. MCLII. (n) A. D. N. MCLVI.

toldus haberet. Auctor Otho Frisin. Et Gunterus supranominatus (o):

> *Has inimicitias tandem sub tempore nostro,*
> *Regia sopivit tali sollertia pacto.*
> *Scilicet, ut geminas illis in finibus urbes.*
> *Lausannam, gelidaque sitas in rupe Gebennas* (p)
> *Berchtoldus regeret, reliquas Reinaldus haberet.*
> *Hanc reor ob caussam, regni pro parte vetusti,*
> *Maluit Allobrogum Berchtoldus Rector haberi,*
> *Quam Comes; in solito Reinaldus nomine mansit.*

Otho Frif. tres Civitates inter Juram & montem Jovis sive S. Bernardi Berchtoldo traditas meminit, duas Lausannam & Gebennam nomine expressit, tertiam subticuit. Arbitror autem fuisse Sedunum. Nam ea forte caussa fuit belli Valesiani. Berchtoldus vero fortiter rempublicam administravit, omnibusque bellis Italicis, quae gravissima habuit, Imperatoris vexilliferum se gessit, magno semper apud eum in honore & amore. Et adversus exteros principes ipse facile par, apud suos vix nomen & auctoritatem tueri potuit. Quapropter non leves injurias ab nobilitate Burgundica, quæ principem alienigenam, ignotæ linguæ & moris acerbius ferebat, passus, frenum petulantiæ eorum & insolentiæ ponendum existimavit, moxque Friburgum urbem loco munito & inaccessibili condidit (q), eo situ, ut cum undique nobilitatis arcibus circumcingeretur, omnibus commendaret, de qua pluribus suo loco. Bellum vero cum Valesianis, qui ejus in Episcopatu præfecturam & Jurisdictionem supremam agnoscere nolebant, acerrimum suscepit (r). Sed proditione & fraude quorumdam in exercitu Ducum, majorem copiarum partem perdidit, vixque cum paucis per secreta & abrupta montium elapsus fuga sibi consuluit. Ut demum firmiores ejus opes essent, amicitiam, & adfinitatem cum Humberto III. Saubaudiæ Comite VI. conjungendam putavit, illique Germannam, sive contracto nomine Annam filiam in matrimonium dedit, quæ Comiti Agnetem peperit, Joannis, Henrici II. Angliæ regis filii sponsam, deinde vero vitam deposuit (s), in cujus locum nomenque venit filius

BERCHTOLDVS V. ZAERINGIAE DVX, ET RECTOR BVRGVNDIAE III.

Hujus opes amplissimæ, & potentia præ ceteris Principibus hoc tempore maxima. Ea de caussa contra Philippum Ænobardi Fil. auctoritate Innocentii III. Pont. ad imperium vocatus, negavit sibi placere (t). Tutius ratus ea quæ essent, per quietem possidere, quam alienis inhiando in propriorum discrimen venire. Sed hujus apud nobilitatem non minor quam patris invidia fuit, quam ob caussam exemplum paternum secutus, primo Minnidurum vulgo Milden, & Burgdolf vicos, mœnibus cinxit & opida fecit, deinde sequenti anno Bernæ fundamenta, viginti circiter passuum millibus à Friburgo ponere constituit perfecitque (u). Bellum cum Valesianis continuavit (x). Sunt auctores (y) qui

(o) Vixit enim Guntherus tempore Friderici, cujus aulæ ipse nobilis. (p) Lucanus Lib. I. cana pendentes rupe Gebennas. (q) A. D. N. MCLXXIX. (r) A. D. N. MCLXXXII. (s) A. D. N. MCLXXXV. (t) A. D. N. MCXCVIII. (u) A. D. N. MCXCI. (x) A. D. N. MCCVIII. (y) Paradinus chronico Sabaud.

novum cum Comite Sabaudiæ incepisse prodiderunt victumque ab eo. Sed eorum parum proba, ut in aliis, ita hac quoque parte fides. Othoni vero Imp. cum Abbate S. Galli belligeranti se adjunxit. Habuit ex uxore Comitissa à Vogburg filios duos, Fridericum & Berchtoldum quos annales plerique Helvetiæ prodiderunt veneno periisse, nobilitatis fraude. Sepulti sunt in basilica S. Ursi Salodori. Ejus cum sine liberis discessisset ultimus suæ gentis Zæringiæ Dux & Burgundiæ Rector, hereditatem adierunt sorores. Una Egoni Comiti Furstenburgio nupserat, quæ accepit quæ circa Harciniam sunt: altera Vernero Kiburgio Burgdorffi Comiti, qui cetera quæ in Helvetia, Aventicis & Verbigeno obtinuit. Obiit (z) vero Friburgi Brisiacorum, ut hic notat versiculus, qui etiam ejus mortis annum præ se fert.

> *Cum bis sexcentis ter senus jungitur annus*
> *In Friburg moritur Berchtoldus Dux Alemannus.*

Helvetia tum varie divisa, & pleraque in Aventicis Sabaudiæ Comites sibi vindicarunt. Petrus enim Comes Sabaudiæ X. à Beraldo, qui ob animi magnitudinem parvus Carlomagnus cognominatus, primo Agnetem principis Faucioiaci filiam unicam duxit uxorem, cujus proinde crevit hereditate. Dein Gæstii comitatum, aut potius baroniam vectigalem sibi reddidit. Tum ab Eubalo Gebennensi jura in eum comitatum adeptus est: dimidiumque Lausannæ cum Joanne Civitatis Episcopo æquis transactionibus pactus est. Advocatiam opidi Paterniaci, & summum totius jurisdictionis imperium ejusdem opidi Antistes ultro obtulit, utque susciperet deprecatus est (a). Cætera minis, partim deditione, sub potestatem redegit. Quorum omnium jus supremum legitimamque possessionem Richardus Anglus, qui ad Imperium vocatus erat, confirmavit Maguntiæ. Ad eum enim insueto cultu concesserat, eam ob caussam, tum adfinitatis memoria, vestitus semiferreus erat, & semiauratus, cujus rogatus caussam, responsum dedit, auro Cæsarem ornare; ferro sua se defendere. Idem Petrus cum ei se Bernenses, Kiburgiis & Habsburgiis prementibus, dedissent (b) pœne totius Helvetiæ, quæ Juraſſo, Arula, & Rhodano includitur, hoc est, quamtum Burgundiæ habuerant Comites, imperio complexus est.

(z) A. D. N. MCCXVIII. (a) A. D. N. MCCXXXIII. MCCXL. MCCLIX. MCCLXI. MCCLXII. (b) A. D. N. MCCLXVI. Multæ hujus Comitis virtutes, sed ejus laus non minima, quod regionem Aventicensem a grassatoribus liberavit, eversa arce opidi Ruu, in quam se receperant.

CAPUT XVI.

De origine, caussaque libertatis Helvetiorum, primoque Trium Civitatum Uraniæ, Suitiæ, Silvaniæ fœdere.

Helvetiæ status sub Friderico II. Imp. Friderico II. Imperium abrogatum, concilio Lugdunensi. Interregnum inde annorum XXIII. ad Rudolphum I. Comitem Habsburgensem. Friderici Imp. privilegium Uraniis datum. Interregnum & quæ tum gesta. Rudolphi privilegium Suitiis datum.

tam. Rodolphus primus verus libertatis Helvetiæ auctor. Alberti de condendo in Helvetia principatu consilia. Albertus legatos ad tres Civitates destinavit. Legatorum oratio. Civitatum responsum. Albertus misit Præfectos Imp. civitatibus. Præfectorum gesta & tyrannis. Libertatis Helvetiæ fundamenta & auctores. Nobilibus trium Civitatum non minus infensi Præfecti. Gulielmi Tellii historia. Silvanienses arces quomodo occupatæ & eversæ. Albertus Vindonissæ interfectus. Henrici privilegium Uraniis concessum. Austriacorum in vindicanda paterna cæde indulgentia. Ludovici Imp. ad tres Civit. literæ.

MOrte Berchtoldi Zæringi non solum Burgundia Minor sine Rectore, sed etiam præfectura Imperii Tigurina præfecto spoliata est, proindeque Helvetia omnis sine certo capite. Sed hanc postea Habsburgii Comites, cum ad Imperium venissent, Sueviæ Ducatui, quem eadem opera erant consecuti, inclusere: illam, ut diximus, usque ad Arulam Comites Sabaudiæ invasere. Verum enimvero precium me operæ facturum arbitror, si quis omnino fuerit XIII. Civitatum status, ratioque per hæc tempora, adeoque totius Helvetiæ, ante oculos proposuero. Idque eo magis quod tum primum pleræque caput attollere, seque aut in libertatem constituere, aut quam habebant stabilire & confirmare cœperunt, licentia temporum & Friderici II. abdicatione. Et ut à Tigurino ordiar. Urbs ipsa pagi caput, Collegiis Monialium, & Canonicorum subjecta, quibusdam, quæ à regibus & Imperatoribus acceperat, interea privilegiis utebatur. Regionem tenebant ferme Comites Kiburgenses: quorum ultimus, cum eadem tempestate (a) sine liberis discessisset, Rudolfum Comitem Habsburgium, qui post imperavit, ex sorore nepotem reliquit hæredem. Toggenburgensium etiam magnæ iis partibus opes, & Abbatum S. Galli, quibus Abbatiscellani, & bona superioris Turgaviæ portio parebat; erant & Comites Rapertivillenses. Tenebant Tugium & opido vicina Habsburgii, Suitiorumque partem Cussenacum, Artam, & Stein vicos, erat & Collegio Beronensi aliquid iis in locis juris. Urania prope tota Collegio Monialium Tiguri, aut Vettingensi monasterio addicta, nonnulla etiam Beronensibus tenebantur. Jam Luceriam pagi Urbigeni, cum pleraque regione & vicis propinquis Murbacenses possidebant. Silvania utraque ad Collegium Lucerinensium Canonicorum pertinebant, præter quæ Beronenses pariter habebant. Regionem prope totam Comites Habsburgii occupabant, nempe Comitatus tres Habsburgensem, Badensem & Lentzburgiorum. Erant & Barones à Volhusen & Eschenbach quorum divitiæ amplæ, cetera tenebant Comites Kiburgii, qui Burgdorffi agebant, ab Arberga, Nidovio, Buochs, & Falckenstein. Berna & Friburgum pagi Aventicensis, quas Zæringi non multo ante condiderant Imperioque donarant, per æmulationem, illa quidem Comitibus se Sabaudiæ illud Kiburgiis, sponte sua, subjecerant. Salodorum Collegii Canonicorum S. Ursi erat. Aventici omnes Comitibus Sabaudiæ, Grueriensi, Neoburgensi paruere, tum Baronibus Granlonio, Serrariensi & Fundano, pauci Episcopo Basiliensi. Antuates omnes aut supramemorato Comiti Sabaudiæ, aut Episcopo Lausanensi regebantur. Basilia denique & Schaffhusia: hæc quidem monasterio omnium sanctorum, illa Episcopo subjecta erat. Hæc fere XIII. Civitatum ratio tempore Friderici II. Imp. ut pleræque scilicet monasteriis, Collegiis obligatæ essent, aut Comitibus vicinis parerent. Nobilitas vero per illam tempestatem in Helvetia tanta, ut præter dictos Comites Baronesque numerarentur stirpis Comitum & originis, ultra quinquaginta, Barones centum sexaginta, nobiles & equestris ordinis ultra mille ducentos. Verum ut monasteria & eadem Collegia pleraque Imperio R. sine medio subjecta, nec alteri quam Imperatori ut domino, aut potius advocato tenebantur, ita etiam iis obligati, quam Imperatorem alium agnoscebant neminem, adeoque ferme liberi omnes & servitutis expertes erant. Sed postea cum idem Fridericus primo Comunione piorum exclusus esset (b), tum auctoritate Summi Pontificis imperio excidisset, multæ ut per Italiam, ita Germaniam & præcipue Helvetiam turbæ dissensionesque invasere, iis vero potissimum in urbibus quæ Ecclesiasticis obnoxiæ. Nam cum illi Pontificis interdicta tuerentur: alii Imperatorem sequerentur, discidia hinc & contentiones, & plerumque alterius partis exsilio controversiæ finiebantur. Qua occasione, cum iidem qui Imperatoris partes defenderent, facile ab eo quæ vellent consequerentur, tum vero quidquid fere juris aut dominii in reipublicæ administratione habuerant aut Canonici aut monachi, in se transtulerunt, usurparuntque. Ita Tigurini, ita Salodorenses, ita Schaffhusiani, rempublicam, senatum, consules, aut Burgimagistros aliosque magistratus, quæ Ecclesiasticorum jura erant, pro suo arbitratu occupavere, confirmante & adprobante Friderico omnium Ecclesiasticorum, Religiosorumque adeoque omnis religionis acerrimo hoste. Tres civitates (de iis enim mihi nunc quidem præcipua sermocinatio, quando hinc fœderum origo) Urania, Suitia, Silvania, cum hactenus statu libero egissent census, reditus, cetera officia monachis aut Collegiis præstitissent, in reliquis tantum Imperatorem & Imperium aut Imperialem Præfectum, sive ut vocat Henricus VII. Imp. provincialem Advocatum cognovissent, his contentionibus non solum Friderici partes secutæ, sed ut ab eo in peculiarem ejus & imperii protectionem susciperentur deprecatæ sunt, & cum sua laude obtinuere. Uraniorum tale privilegium: *Fridericus Dei gratia Romanorum Imperator, Hierusalem & Siciliæ Rex, universis hominibus vallis in Ure, fidelibus suis, gratiam suam & omne bonum. Literis & nunciis ex parte vestra receptis, & vestra ad nos conversione & devotione assumpta, expositis & cognitis per eosdem vestræ puræ voluntati affectu favorabili concurrimus & benigno, devotionem & fidem vestram commendantes non modicum, de eo quod Zelum quem semper ad nos & imperium habuistis, per effectum operis ostendistis sub alas nostras & imperii, sicuti tenebamini confugiendo, tamquam homines liberi, qui solum ad nos & imperium respectum debeatis habere. Ex quo igitur sponte nostrum, & Imperii dominium elegistis fidem vestram patulis brachiis amplexamur, favoris & benivolentiæ puritatem vestris sinceris affectibus exhibemus, recipientes vos sub nostra speciali, & Imperii protectione. Ita quod nullo tempore vos à nostris, & Imperii dominio, & manibus alienari, vel extrahi permittemus. Dantes vobis certitudinem & plenitudinem gratiæ & favoris quam benignus dominus effundere debet ad subditos & fideles.*

(a) A. D. N. MCCLXIV.

(b) A. D. N. MCCXLV.

deles. Vos gaudeatis in omnibus, dummodo in nostra fidelitate & servitiis maneatis. Datum in obsidione Faventiæ an. 1240. *mense Decembri Indict.* 14. Mortuo denique Friderico (c), cum illo longissimo Interregno quod ad Rodolphum Habsburgium intercessit, Germania, universumque Imperium veluti sine certo Rectore & gubernaculis fluctuaret, gravissimisque dissensionum, & bellorum procellis agitaretur, adeoque quidquid liberet, idem licere vulgo putaretur, non solum tres civitates sed pleræque florentes & opulentæ Imperii urbes, & reipublicæ libertatis & fortunarum discrimen adiere. Qua propter tres quidem sæpius dictæ civitates Rudolphum Comitem Habsburgium, oblato stipendio belli, & libertatis suæ ducem & vindicem adscivere, magnum & militiæ laude celebrem ea tempestate virum. Eumdem suis opibus Tigurini, Basilienses & Argentinenses præfecerant. Atque his omnibus cum vicinis, aut contrariæ factionis, acerrimum bellum. Tigurinos Regensbergensis ex propinquo nobilis, & opulens & occasionem nactus, adsidue incursabat. Argentinenses ab Episcopo exagitabantur. Basilienses per sectas Stellæ & Psittaci inter se divisi: & stellatorum propugnator Rodolphus. Sed dum Basileam obsidet (d), tandem cum omnibus Divis benevolentibus Imperator Romanus adpellatus, pacis & tranquillitatis spem certam ostentavit stabilivitque. Trium is civitatum, cum earum operam bellis Austriacis probasset, & sæpe alias expertus esset, privilegia confirmavit auxitque, utque de iis nemo servilis condicionis, tamquam in homines liberos, judicare possit, diplomate constituit. *Rodolphus Dei Gratia Romanorum Rex, semper Augustus, prudentibus viris universis hominibus Vallis in Suitz, liberæ condicionis existentibus, dilectis suis fidelibus gratiam suam, & omne bonum. Inconveniens nostra reputat Serenitas, quod aliquis servilis condicionis existens pro judice vobis detur. Propter quod auctoritate regia volumus ut nulli hominum, qui servilis condicionis extiterit de vobis de cetero judicia liceat aliqualiter exercere, præsentium testimonio literarum, quas nostræ Majestatis sigillo jussimus muniri. Datum in Baden anno Domini millesimo, ducentesimo, nonagesimo primo. Regni vero decimo octavo.* Id autem ea factum ratione quod cum iis in regionibus Monasteriorum & Collegiorum præcipuæ opes essent & jura, plerumque constituebant aliquem ex suis addictis fidelissimum, qui eas tractaret, aut cognosceret. Quod hoc rescripto vetuit, libertati Helvetiorum maxime consulens Rodolphus.

Tradidere quidam ante dicto Interregno nobilitatem è trium Civitatum finibus ejectam, quod hinc falsum esse cognoscas, quod nunc quoque & postea maxima iis partibus esset, ut videbimus, & non minor eam libertatis cura semper attigerit, adeoque hoc tempore summum magistratum gerebat apud Uranios Vernerus baro ab Attinghusa, apud Suitios Arnoldus Stauffacherus ex nobili & antiqua ejus Civitatis familia. Rodolpho regi cum Kalendis Junii (e) diem obiisset, successit electione quidem legitima Adolfus Nassovius: hereditate, an dominandi libidine Albertus Austriacus Rodolphi Fil. Hinc nova factionum & dissensionum fax accensa quæ non nisi alterius interitu penitus exstincta est. Adolphum agnoscebant Abbas S. Galli, Tigurum, Salodorum, omnes Rheni civitates Argentinam usque, tum præcipuæ Germaniæ urbes, Comites Rudolfus à Monte forti, Mangoldus Nellenburgensis, aliique extra & intra Helvetiam, plures nobilitate & opibus præcipui, tres etiam Civitates. Alberto contra adhærebant tota Rhætia, Suevia, Elsatia, tum vero omnis nobilitas utriusque pagi Urbigeni & Tigurini. Cæso secundo Julii (f) Adolpho, tenuit solus Albertus. Is numerosa prole, sive inexplebili cupiditate initio statim Imperii de principatu in Helvetia condendo, & superiori Germania, cogitare cœpit. Et facile videbatur, ut Imperatori, & hereditatibus paternis admodum opulenti. Jam enim in pago Tigurino possidebat Comitatum Kiburgensem longe nobilissimum. In Urbigeno, Comitatus tres habebat, Habsburgensem, Badensem & Lentzburgensem. In Sequanis Landtgraffiatum superioris Elsatiæ. Credebat etiam quæcumque juris Imperialis aut dominii iis in partibus essent, posse principum Imperii consensu, sibi aut liberis in perpetua feuda conferri, aut jure proprietatis adsignari. Sed ut proclivius ad destinata descenderet, primo agere cœpit cum Episcopis Argentinensi, Basiliensi, Constantiensi, Curiensi: Abbatibus & Collegiis S. Galli, Eremi, S. Blasii, Disentisii, Fabariæ, Augiæ utriusque, Vettingæ, Muri, Interlacus, Certiaci, Seckingæ, Tiguri, Beronæ, Schennisii, Murbaci, &c. ut quam his regionibus jurisdictionem aut proprietatem haberent sibi venderent, aut se liberosque pro Advocatis perpetuis & protectoribus susciperent. Pari arte in devinciendis, & subjiciendis Comitibus, à Vilisovio, à Rotenburgo, & Baronibus, à Regensberg, Eschibach, Arburg, Volhusen, &c. utebatur: impetravitque, si S. Gallum, & Tigurinos demas, quæ petierat, pleraque, totamque adeo prope Helvetiam in se convertit. Nam quis repugnaret novo Imperatori & victoria Nassoviana insolentiori, totiusque Sueviæ & Austriæ incrementis late potenti? Et superiorum discidiorum, & malorum memoria recens ante oculos versabatur. Itaque Murbacensis primus Berchtoldus à Falckenstein Abbas Lucernam cum aliquot vicinis pagis ei vendidit. Interlacensis tradidit opidum Undersevam itemque Uspum, Oberhoffen, Grimmenvvald ultra Brunicum. Abbas Eremi Joannes & Conventus, ipsum & ejus posteros Advocatum recepit. Idem fecit Abbatissa Seckingæ, illique Glaronam perpetuum feudum donavit: Comites à Vilisovio & Roturburgenses, suos Comitatus: Barones à Volhusen totam jurisdictionem Volhusen, Trubariam, Entlibuoch, Rusuil tradidere. Alii in tutelam se tradidere ut Comites à Strasberg, Nidou, Arberg, Kiburg, Burgdorffi, & Duni domini, plerique nobiles, promittentes auxilia omnia, arces suas apertas, ipsum denique & liberos pro supremis dominis, Landsherren, habituros. His ita ex animi sententia comparatis, tum demum oculos ad tres Civitates sæpius memoratas Uraniam, Suitiam & Silvaniam adjecit jam illis parum amicus, quod Nassovium, ut diximus, fovissent. Sed ut eas facilius subjiceret, Vettingæ Abbati, nam Tigurini abnuerant, quæ apud Uranios habebat traderet sibi, persuasit. Idem præpositum, & Collegium Lucerinum ut facerent, in iis quæ apud Silvanios superiores & inferiores possidebant, adduxit. Beronenses etiam quos habuerant census & jura in

(c) A. D. N. MCCL. (d) A. D. N. MCCLXXIII.
(e) A. D. N. M. CCXCI.

(f) A. D. N. M. CCXC VIII.

in eadem Civitate, quæque apud Suitios Artenses, & Cusenaci resignavere. Fabariæ Abbatem Cunradum quam in vico Veggis ad lacum Lucerinum & vicinis jurisdictionem tenuerat, sibi permitteret, compulit. Liberam demum Imperii præfecturam Vrsariæ ad S. Gotthardum quæ morte ultimi Comitis Rapertivillæ ad Imperium redierat suis liberis in feudum perpetuum dedit; Vectigalia quoque à Summitate Gotthardi Lucernam usque, quæ Imperii erant, suis vindicavit. Ita tres Civitates veluti retibus aut circumdedit, aut implicuit. Tum vero ad eas legatos pro deditione destinavit. Neque illæ jam ut tyranno, aut illegitimo Imperatori adversabantur: Sed Imperii R. membra esse se nec ab eo alienari posse, non item privatæ potentiæ, aut domui Austriacæ subjacere. Legati consensum reliquarum Civitatum, Comitum, Nobilium, declarare, simulque ne discessionem solæ facerent, adhortari, omnia humanitatis & benivolentiæ signa ostendere, nec minora ab Austriacis præsidia & incrementa dignitatesque quam ab Imperio pollicebantur. Illud propter Electorum factiones in varia plerumque trahi, nonnumquam distrahi & bellis flagrare civilibus: Austriacæ familiæ eas opes esse viresque, quæ non solum tuendis suis satisfaciant, sed etiam Imperio pares sint. Protectores, non dominos fore, amicos non oppressores. Hujus legationis principes baro à Liechtenberg, Gubernator Elsatiæ, & baro ab Ochsenstein Imperatori à secretis. Responsum datum Civitates tres in Imperii & Imperatoris, ut ejus capitis, quantum privilegia permitterent voluntate & obedientia fore cetera procul habituras. Si quos reditus, census, alia jurisdictionum officia, aut obsequii munera debeant, sive Austriacæ domui aut ejus clientibus cum fide præstituras. Alienationes vero ab unius Imperii tutela privilegiis suis omnibus prohiberi. Quod si aliquid contra Ecclesiastici, aut alii quibus teneantur consenserint concesserintque, non teneri se existimare. Rogare denique Imperatorem, ne hac quoque licet exigua Imperium parte imminutum velit, imo quas pater & præteriti reges & principes immunitates & privilegia, aut dederunt, aut probarunt, eadem ipse confirmare haut abnueret. Ægrius responsio hæc inopina Albertum regem habuit quam aut res postulare videbatur, aut ipse indicium faceret. Nam hoc modo non solum se petitione exclusum videbat sed etiam quæ ante obtinuerat apud Collegia & Monachos irrita reddi. Itaque quod hoc tempore & benivolentia impetrare non potuit, alio & importunitate extorquere animum induxit. Quia vero tanti facere Imperii nomen videbantur, ut ab eo separari nollent, Imperii nomine tribus Civitatibus Præfectos delegit duos (g): re nova & cunctis attonitis. Gæslero Equiti Suitii & Vranii attributi: Silvanii Peregrino à Landenberg obvenere. Illi sedes in arce antiqua supra Cusenacum: huic supra Sylvam Sarna, intra Rotzenberg, habitationi fuere. Arx utraque Collegii Lucerini: in iis Majores suos habebant; postea Austriacis cultæ & præsidio munitæ. Antea tribus Civitatibus jus rerum criminalium, & quæ ad Imperium pertinere videbantur unus tantum dicebat cujus jurisdictioni plerumque Tigurini aliæque liberæ & vicinæ Civitates adjiciebantur. Nec illi in Helvetia, nisi raro, sedes, plerumque extra agitabat. Quotannis semel, aut sæpius ut negotia postulabant conventus agitabat, aut ad eas invisebat, non aliter atque nunc plerisque Imperii liberis Vrbibus, & cetera Vicariis de populo, qui liberæ condicionis essent, administrabantur. Sed præfecti ab Alberto dati mites primo, & animis ad humanitatem comparatis, mox ad asperiora conversi, postremo tyrannidem habuere (h). Idque eo confidentius quod undique Austriacis cinctæ, nec aliunde auxilia, nec ipsi regi, aut domui Austriacæ viribus pares, aut contendere posse viderentur. Itaque levi admodum caussa, ad vincula damnare, extra fines Lucernam, aut Tugium in carceres rapere, exactionibus priscis premere, novas imponere, in popularium querellis obsurdescere, libertatem & ejus cetera per vim infringere. Omnia conscio & annuente Alberto. Hæc in omnes: singularia per libidinem non pauciora. Erat apud Silvanios civis, Henrico à Melchtal viro fuit nomen, à valle sic dicta, provectus ætate, & opulentus, libertatis, jurisque antiqui, & moris tenax, multa apud suos fama, & auctoritate (i). Ad eum Landenbergerus præfectus famulum misit, qui aliquot boum juga abduceret, audierat enim eximiæ formæ esse. Negare ille alicujus se culpæ adfinem, nec quemquam leges inauditum punire aliaque dicere, quæ vim molientem retunderent. Exarsit famulus ira & vecordia, moribusque ad ingenium heri concinnatis, stivæ ipsi succederent rustici, aratrumque pertraherent minaci voce infremuit. Offendit Henrici filium, Arnoldum nomine, jam annis maturum, servi insolentia & mandati atrocitas, stimulumque quo boves agebat, in eum convertit, & egregie pulsato digitum, forte pollicem, excussit, mox tyranni non ignarus ad Vranios fuga delapsus est, ubi apud amicos delituit. Nec sic tamen vindicta non sumta, pœna filio parata, in parentem congesta, oculique per vim homini innocentissimo capite evulsi. Cætera bonorum ademta. Sævitia Landenbergerus, effreni libidine flagrabat vicarius ejus, nobilis à Volfenschies quem Rotzenbergæ arci præfecerat. Is in vico Altzele Conradi Baumgartneri uxorem forma, ut iis regionibus, non vulgarem fœminam conspicatus, æstuare prava cupiditate cœpit, mulieremque cognita mariti absentia fesso sibi & sudore per anni tempus diffluenti, (Angelberga monasterio Rotzenbergam cum duobus famulis redibat) ut balneas pararet, compulit. Jamque ibi erat, ut ad cetera cogeretur, nisi Cunradi adventus interpellasset. Sumtum ab adultero impacta securi, eodem loco supplicium, præsentius quam de Tarquinii filio Romæ. Nec Landenbergero præfecto ulciscendi facultas, aut consilium, infamia superante fuit. Eques Gæslerus apud Suitios Vraniosque non mitiori ferocia regnabat. Steinam vicum Suitiorum cum forte transiret in Verneri Stauffacheri nobilis viri, & cujus pater Arnoldus supremum magistratum in eadem Civitate multos annos gesserat, domum paullo sumtuosius non multo ante ædificatam oculos convertit, cujusque ea esset, rogavit. Aderat Stauffacherus, præfectique animum de vultu conjectatus, quem aliis jam sæpius notis sibi parum æquum adverterat, vocem animumque moderans, Regis eam domum esse respondit, ejus sese liberalitate & indulgentia possidere. At ille indignatus, se omnium jam quidem esse dominum, voce vultuque pro animi affectione compositis,

(g) A. D. N. MCCCI.

(h) A. D. N. MCCCIII. (i) A. D. N. MCCCV.

positis, jactavit, neque ultra passurum, ut quo vellent modo, tamquam possessores agerent, habitarent, ædificarentque, factis verba mox comprobaturum. Stauffacherus qui quod suspicatus erat, aperte se Præfecti malevolentia premi cernebat, rebus suis consulere, & libertati jam in ultimum adductæ remedia quærere constituit. Vraniam eam ob caussam profectus, cum quæ ibi gererentur percunctatus esset, non minus Gæsleri odium, tyrannidem etiam majorem & superbiam, (quæ omni crudelitate intolerantior cordatis) offendit. Gæslerus enim præter quod arcem supra Altorffum Vraniorum maximum vicum condebat, quam in irrisum & injuriam gentis Vraniorum jugum vocabat, ceterorum male conscius, cum inde conspirationem & insidias metueret, Altorffi loco publico prope tiliam imposito in perticam pileo, eum qui Imperatori & sibi deberetur, exhiberi honorem, additis custodibus, præceperat, negligentes aut abnuentes in vincula duci. Hoc animis explicandis haut vulgare symbolum ratus. Accidere hæc circa festum Jacobi, mense Julio (k). Igitur secreto cum Valtero Furstio antiquo amico Stauffacherus super rerum statu collocutus; Arnoldum quoque à Melchtal, quem Silvania eo fugisse diximus, in consilium auxiliumque adsumere placuit. Hi tres jurejurando, sua sponte, adacti nisi excisa tyrannide vitam non toleraturos, libertatis tum quidem Helvetiæ prima consilia iniere. Spes ab initio obscuræ; omnibus vicinis voluntaria servitute obligatis, summa Imperatoris potentia, rebus florentibus. Popularium contra virtus, & regentium odia animos rursum attollebant. Comparandos facinoris socios, non defore successus semel aggressis. Libertatis oppressæ desiderium gravius esse: pro fortunis, aris & focis certantibus vires semper suppeditare. Imperatori se & Imperio, non tyrannis juramento & legibus teneri. Nihil magnum sine periculo esse. His & similibus inter se disputantibus, celeritate destinatis exsequendis potius nihil esse videbatur. Sed arces Silvaniæ duas Arnoldus ostendebat locis munitis, præsidiis firmas. Si iis expugnandis tempus ponendum sit, mox adfuturos ultores & hostes, tum vero funditus pereundum. Animis irritatis justam fore tum in extremam servitutem redigendi caussam. Astu paranda quæ vires negarent. Id facile esse si ad Kalendas Januarias sequentis anni mora fiat. Strenis enim tum deferendis arcis portas, nulla magna custodia, omnibus promiscue patere. Interea sibi quisque quos posset optimos & fortissimos in conscientiam fidemque tam egregii operis adsciseeret. Placuit consilium, sicque discessum est. Ista sunt libertatis Helvetiorum fundamenta, tribus his auctoribus, Vernero Stauffachero Suitio, Valtero Furstio Vraniensi, & Arnoldo à Melchtal Silvanio, his nempe de caussis, jureque & necessitate, ne quis à furiosis & rebellibus rusticis, quod inique vilia quædam mancipia calumniantur, factum putet, exiguo adparatu & loco obscuro, Ruttelismatten nomen est, prope Mitlerstein, è conspectu ferme Brunnæ vici Suitiorum, quæ fundamenta & initia non solum Helvetiam omnem complexa, sed magnam Sequanorum, Rauracorum partem, Rhætiam universam & Valesiam, Germaniæ urbes non pœnitendas, in eam se altitudinem & firmitatem extulerunt, ut à nemine hactenus subrui, aut debilitari potuerint; acta sunt hæc anno Domini M.CCC. VII. mense Septembri.

(k) A. D. N. MCCCVI.

Neque vero minor in nobiles & præcipuæ auctoritatis opumque, Præfectorum insolentia erat. Nobilissimi apud Vranios barones ab Attinghusen, ab Vtzingen, à Schuintsberg. Equestris ordinis, nobiles à Silinio, Mos, Sedorf, Spiringen: Majores ab Ortdsfeld, à Burglen, plurimi alii. Apud Silvanios nobiles à Rudens, Hunvvyl, Valtersberg, Majores a Sarnen, Sachslen, Buochs, alii. Apud Suitios nobiles ab Iberg, à Stauffach, ab Hunen. Hi omnes non mitiores habebant Præfectos & Austriacos, quod sua privilegia tuerentur, quod se ab Imperio avelli non paterentur, quod se in clientelas alienas tradere recusarent, quod plurimi tota Helvetia, ut vidimus, fecerant, quod etiam à popularibus starent. Hinc eos rusticos & agrestes nobiles, ex rustica progenie censuque & moribus per ignominiam vocitabant, ut his & aliis injuriis & contumeliis incensus baro Attinghusanus, tunc Landammanus Vriorum, sæpius in has voces proruperit, majorem vim & insolentiam esse quam viri ferre possint. Sed dum ista passim geruntur accidit Vraniæ res admiratione dignissima, si eventum spectes; miseritudine, si periculum. Gulielmus Tellius Burglen vico Vraniorum oriundus, duobus supra Altorffum circiter passuum millibus, loco honesto & familia, forte pileum præfixum in foro Altorffi, ut diximus, prætererat, nec alium honorem præbuerat. Incertum mandati ignarus, an incogitans, vel suapte industria. Nec mora, rapitur, in vincula conjicitur. Advenit post aliquot temporis, 30. videlicet Octobris Gæslerus, Telliumque in judicium producit: multis interrogatus cum eorum nihil, quæ petebantur aperuisset, subit Præfecto consilium quod vel æquissimum & firmissimum animum labefactaret. Erant Gulielmo liberi quos paterno amore diligebat, ex quibus minorem tenerrime complectebatur. Ipse sagittandi illa regione & tempestate non ignarus habitus. Eum puerulum ex matris sinu abreptum ea condicione Gæslerus tradit patri, ut vel pomum de filioli vertice, certo spacio, sagitta dejiciat, vel secreta promat. Anceps periculum animum distrahebat, amore metuque pariter conflictabatur. Adfirmat sane omnium se ignarissimum, condicionem autem quæ anteposita esset, omnem humani animi naturam captumque præcedere, nec fando auditum simile quid à nefariissimis tyrannis excogitatum: se potius quibus vellet cruciatibus de medio tolleret: mori quam paricidio manus contaminare præstabilius esse. Quid multa, compellitur ad utrum velit. Ita arcum contendit, invocataque Numinis præsentia pomum ex capite decutit, intacto puero, cunctis adplaudentibus, lætitiaque & commiseratione vix à lacrimis temperantibus? Sed quæ Tellium, ceterosque metu & periculo liberaverant, Gæsleri animum magis magisque ira & indignatione inflammaverunt. Infixerat Tellius collibio jaculum, quæ res suspicionem movit sciscitandi quis ejus usus esset aut consilium, nec ipse tergiversatus, continuoque professus est, eam quidem sagittariorum consuetudinem pluribus ut instruantur telis, se tamen eo consilio sagittam parasse, qua Præfectum trajiceret, si in filium aberrasset. Inde Gæsloro caussa Tellium navibus imponendi, & ad perpetuos carceres, quatinus vitam promiserat, si indicaret, Cusseniacum ultra lacum deportandi. Sed cum navigantes subito divinitus, credo, suborta tempestas oppressisset, discrimenque gravius esset, quam ut fluctibus resistere posse viderentur, ipsum notæ navigandi

gandi peritiæ hominem vinculis exsolvere, omnibus metu & urgenti periculo trementibus, gubernaculoque admovere placuit. Nec sibi defuit Tellius navimque agitatam secundum rupeis impellit, dum in saxum aliquamtum in undas prominens incurreret, mox conversa prora & arcu correpto, attonitis omnibus, in petram illam se projicit, & curriculo se in montes, qui lacui incumbunt, attollit. Locus exitus monimento & nominis Telliani celebritate clarus. Tandem, deficiente vento, & cunctis nitentibus, Præfectus magno labore Brunnam deductus est, qui proximus Suitiorum ad eumdem lacum vicus. Inde in arcem Cusseniacum equo iter arripuit. Via propter utrumque lacum Lovercianum & Tuginum ferme plana & aperta, licet anfractuosa. Cusseniaco non procul sentim in profunditatem concavam adsurgit, in supremitate bivium, nec alia transeundi ratio. Hic Præfectum antecurrens Tellius cum præstolatus esset, jaculo incautum conficit, rursumque trepidis & perculsis metu famulis, eadem qua venerat via primo Suitiam, ubi exacta Stauffacherum edocuit, tum latitabundus Uraniam devolutus est. Locus cædis memoria pariter nobilitatus. Occasiones erant, animi supererant familiares Gæsleri trucidati, aliosque tyrannidis suspectos, aut administros finibus ejiciendi, sed Silvanienses arces nondum captui opportunæ. Ubi Kalendæ (l) adsignatæ illuxerunt, die ejus mensis Lunæ, demum in potestatem venere. Rotzenberga ita occupata. Ea in arce ancilla erat, qua per libidinem juvenis Silvaniensis furtim abutebatur: Nocte inter alias condicta, quæ Kalendas præcedebat, idem juvenis adsumtis secum XX. sociis, solito signo, adventum suum significat. Nec illa iners aut ignara adulterum fune, quando victibus & trabibus, cetera clausa & firma tenebantur, uti consuerat, in arcis fenestram attollit. Congrediuntur. Non multo post, tamquam aliud acturus, cum spe reditus cubili egreditur, & sociorum unum, quos non procul abdiderat, eadem machina & fenestra in altum pertrahit, qui deinde reliquos. Ipse ad suam, ut omnis suspicio abesset, continuo regressus est. Portæ & omnes arcis exitus ne effugiendi, aut factum divulgandi locus esset, tantisper custodia & armis obsessi donec de altera arce nuncius adferretur. Nec illa minori dexteritate aut arte intercepta. Quinquaginta numero, eodem Kalendarum Januarii die, primo mane convenerunt. Eorum viginti donis & strenis plus solito onusti recta Sarnam tetenderunt, reliqui in Silva proxima, quæ ab alnis nomen tenebat Erlinsholtz, subsedere. Obvius illis factus non multo extra arcem Landenbergerus, juvenesque inermes conspicatus, cum præter donativa aliud ultra nihil suspectaret, omnibus collaudatis, arci succederent imperavit, ipse institutum iter prosecutus est. At illi ingressi arcem, portis & custodibus, totique familiæ manus injecere, captivosque omnes, & ipsum Præfectum ex fuga in quam tumultu audito se conjecerat retractum, cum extra fines perduxissent, cum omni re & supellectile familiari, exilio damnatos jurejurandoque adactos numquam redituros, in perpetuum relegavere. Idem Rotenbergæ factum, & postea apud Uranios & Suitios. Arces duæ Silvaniæ eversæ, Uranienses pariter jugum, quod pararat Gæslerus, humeris excussere, ædificio nondum perfecto, à fundamentis evulso. Suitii quoque arcem in medio lacus Lovercisci loco amœno & forti diripuere. Ita omnia tyrannidis receptacula, ne memoria esset, penitus sublata. Tres Civitates sequenti Dominica in decennium novo fœdere conjunctæ, articulis à tribus primis auctoribus compositis: tum vero ditiones suas & fines munire, & contra oppressores & hostiles impetus undique circumvallare cœperunt. Principio Suitii contra Eremitas turrim pro firmamento in monte Sattel nuncupato eduxerunt, utrumque montem muro conjunxerunt; Idem contra Tuginos, & cognominem lacum, in valle subjecta, prope vicum Art fecerunt. Silvanii pariter laci ripas undique vallis & sudibus clauserunt, turrim Stantstadii ad excubias exædificarunt: aditus omnes ab aquis interceperunt. Cætera summæ alpes & montium prærupta tuebantur. Uranii in secretiore valle utriusque opibus tuti. Albertus Imp. nuncio accepto, bellum facturus, & quos odio non parvo habebat, jam ultro justa ut sibi videbatur caussa oblata, aut penitus exscissurus, aut ad arbitrium redacturus, non jam scilicet sibi, hoc est, domui Austriacæ sed Imperio rebelles, primo ut vicini tribus Civitatibus veluti Glaronenses, Tugini, Lucernates, alii commeatus interdicerent, belloque initium ponerent imperavit, mox cum copiis & quæ ad subjugandos hostes essent, adfuturum. Et fecisset nisi eodem anno Kalendis Mai. Bada rediens, ubi conventum nobilitatis agitarat, belli causa quod cum Episcopo Basiliensi gerebat, & contra tres Civitates decreverat, cum Ursam trajecisset, Rhinfeldam profecturus, ubi regina eum cum parte exercitus (reliqua pars arcem Fürstein ejusdem Episcopi obsidebat) exspectabat, à Joanne ex fratre Rudolfo nepote (quod ei paternum Sueviæ ducatum, quem tutoris nomine hactenus tenuerat, adulto jam & vicesimum annum egresso, cum sæpius rogasset, restituere noluisset,) & conjuratis, pluribus vulneribus confossus interiisset. Princeps magnanimus, utilis bello, utpote qui prœliis duodecim quibus interfuit aut præfuit victoriam semper reportarit; pacis non ignarus, si avariciam ambitumque duo inter se diversissima vitia auferas, cum optimis conferendus. Locus ubi patrata cædes Monasteriis duobus celebratus, postea Campus regius, vulgo Kunigsfelden dictus est, medio Vindonissæ veteris, unde scilicet Habsburgiorum origo prima & hereditaria sedes, quo quidem casu ita consternatas ferunt Helvetiæ urbes, ut tum demum, post tricesimum annum, portas clauserint, cum longa pace ita limo lutoque in cæspitem concrevissent, ut vix moveri posse viderentur. Post cædem Alberti cum ad septimum mensem Imperium sine capite fuisset, convenere Electores ad Rhenum, votisque convenientibus Henricum comitem Lutzenburgensem VII. ejus nominis Imp. festo D. Catharinæ sublegere, qui inde Aquisgranum profectus, sequenti anno (m), festo trium Regum R. Rex coronatus est. Eodem anno trium Civitatum privilegia confirmavit, Constantiæ VI. Junii, eodem nempe tenore quo tradiderat Fridericus II. & Adolphus probarat, sed quia superioribus annis, multa illæ pertulerant propter externa judicia, cum modo Lucernam, nunc Tugium, aut alio, à præfectis traherentur, cautionem edictumque novum addidit, ne extra vallium suarum limites ad quodvis Judicis tribunal, excepto Majestatis suæ consistorio, cogi aut rapi

P

(l) A. D. N. MCCCVIII.

(m) A. D. N. MCCCIX.

rapi possint. *Henricus Dei Gratia Romanorum Rex semper Augustus universis hominibus vallis in Vre fidelibus suis dilectis gratiam suam & omne bonum. Vestris inquietudinibus obviare, commoditatibusque prospicere favorabiliter cupientes, dum tamen de vobis querulantibus justiciæ debitum non negetur, vobis per præsentes concedimus gratiose, quod ad nullius secularis judicii tribunal (nostræ Majestatis consistorio duntaxat excepto) super quibuscumque causis seu negociis, extra terminos vallis prædictæ pertrahi debeatis, dummodo coram Advocato nostro provinciali intra fines ejusdem vallis parati sitis stare juri, & facere quod dictaverit ordo juris. Datum Constantiæ anno Domini M CCC. VIII. III. Nonas Junii Indict. VII. Regni vero nostri anno primo.* In eadem plane forma & verbis, nisi mutato gentis nomine Suitiorum privilegium eodem loco datum. Constituit vero Præfectum Imperialem sive Advocatum Provincialem Rodolfum comitem Habsburgensem Lauffenbergæ dominum, Rodolfi quondam regis ex fratre Gottfrido nepotem. Quies interea, aut pax malefida, & frequentes Luceria in Silvanios & Suitios, aut Glarona excursiones. Austriacis præterea paterna cæde ulciscenda occupatis. Qua in re ita debacchatos ferunt, ut non solum infinitas arces, sed opida integra in Helvetia funditus everterint, nobilissimas familias, ad quartam usque generationem, inter quas Eschenbachia, Palmensis, Vartensis, omnes Baronum, radicitus exsciderint, innocentes cum nocentibus promiscue supremis suppliciis adfecerint, satisque constat Faaruanga infra Surse opidum, clarissimorum baronum ejus nominis arce, post varias oppugnationes à Leopoldo Alberti filio capta, quo se eorumdem baronum adfines, amicique aut clientes non pauci, licet conjurationis expertes, receperant tamquam propugnaculo, ut ea erant tempora, inexpugnabili, præcipuæ nobilitatis, aut equestris ordinis, eodem loco & tempore ultra sexaginta, præter famulatum capitis damnatos, in conspectu & jussu Leopoldi principis: in arce vero Altburen Palmensis, haut inde procul, qui in ea reperti fuerant ultra XLVI. pari supplicio interfectos, ultra deinde mille, & ducentos alibi pariter trucidatos, aut quo Austriacum nomen imperiumque non esset, coactos fugere, adeo ut viri virtute & sanctitudine præstabilis postea fuerit audita vox, Austriacos merito videri pro illa in vindicanda paterna morte indulgentia, an severitudine paternis avitisque & hereditariis in Helvetia sedibus excidisse. Successit his, mortuo in Italia Henrico, Imperatoriæ electionis XVIII. Octobris (n) Francofurti variatio, quatuor Electoribus Ludovicum Bavariæ ducem, aliis Fridericum Austriacum Leopoldi fratrem nominantibus, qui ut votis aut æqualis, aut superior esset, statim Henricum Carinthiæ ducem, (quem Henricus Rex ex Boemia, quam vi tenebat, paullo ante ejecerat, data unica ejus regni heredi Joanni filio, eodemque rege nominato) Boemiæ regem nuncupavit, Ludovicum inde adulterinum publicari. Hinc undique dissensiones & turbæ, ut divulso Imperii corpore animisque. Ab Ludovico faciebant omnes Rheni urbes, excepta Colonia cum Electore & Argentina cum Palatino: contra pro Friderico, omnes superioris Germaniæ Civitates tota Alsatia, Sueviaque (excepta Eslinga & paucis aliis), & Helvetia exceptis Tiguro, Salodoro & tribus Civitatibus. Sed tres Civitates interea dum alia molitur Leopoldus Friderici frater Communione piorum privari curavit, per Gerardum Episcopum Constantiensem, quod raptis quibusdam nobilibus ex Eremo Deiparæ Virginis monachis, à quibus injurias acceperant, vim sanctitati loci attulisse videbantur, tum vero à Curia Rottvillensi proscribi. Eas Ludovicus ut constantes essent, literis Spiræ datis XVII. Martii (o), anno ejus regni primo admonuit, quibus eadem opera, quæ post suam electionem egisset, humanissime significavit: Rescripserunt illæ quæ ab adversariis paterentur, auctoritate Episcopi, precibus & solicitatu Eremi Abbatis, Leopoldique exclusas piorum cætibus, Imperiique societate, edicto Curiæ Rottvillensis, multa in eas minari hostes, machinarique, rogantes ne tam necessario tempore deesset. Ad ea his Ludovicus respondit: *Ludovicus Dei gratia Romanorum Rex semper Augustus, Prudentibus viris vallium in Vndervald, Vrach & in Suitz fidelibus suis dilectis, gratiam suam & omne bonum. Majestatem noveritis regiam adversitatibus vestris ex animo condolere. Veruntamen, annuente altissimo, speramus vestris doloribus brevi in tempore per nos remedia salubria exhiberi. Vnde tamquam viri constantissimi adversariorum comminationibus, non sinatis animos vestros aliqualiter demulceri. Præterea ut ex scriptis vestris collegimus, vos ex parte cujusdam Abbatis, dicti de Einsidel, ad proscriptionis sententias pervenisse, à quibus vos præsentibus absolvimus, restituentes personas & res vestras in statum pristinæ libertatis. Ad hæc de sententiis excommunicationum in vos latis venerabilis Petrus Archiepiscopus Maguntinensis, princeps noster dilectus, absolutionem committendam Decanis & rectoribus Ecclesiarum vestrarum vobis veraciter repromisit, & se eidem velle suas dirigere literas authorizabiles & patentes. Et securos vos reddimus quod omnibus advocatis & fautoribus nostris, tam nobilibus, tam Civitatensibus vos defensare & coadjuvare præcipimus & monemus, quotiens & quandocumque per vos fuerint requisiti. Datum in Nurenberg. VIII. Kal. Junii regni nostri anno primo.* Norimbergæ tunc Comitia Imperialia agitabat Ludovicus, sed interea & postea graviores Austriacorum in Silvanios quidem Lucerna, in Suitios Tugio, Clarona & ab Eremo populationes & bella erant. Nec cessatum donec prælio Morengartensi decerneretur, quo prælio feliciter XVI. Novembris depugnato tres Civitates fœdus, quod inter se habebant certi temporis, in omnem perpetuitatem extendere placuit, perpetuumque factum, die Martis post festum Nicolai, sive IX. Decembris Brunnæ Suitiorum. Indeque & postea Suitiorum apud quos primo pugnatum fuit, nomine & fama apud nationes Helvetii omnes in celebritatem abierunt, Suitzerique gens universa adpellati.

(n) A. D. N. M. CCCXIV.

(o) A. D. N. M CCC XV.

FINIS LIBRI SECVNDI.

FRAN-

FRANCISCI GUILLIMANNI
DE REBUS HELVETIORUM
LIBER TERTIUS.

CAPUT I.

De Origine converſionibus & ſtatu XIII. Helvetiæ Civitatum.

Vranii Taurifci. Taurifcorum origo, migrationes, geſta. Taurifcorum etymi ratio. Taurifci Helvetiæ partem occupant. Tres Helvetiorum antiquitus fuiſſe gentes. Taurifci alpes primi coluerunt, ſuperaruntque & utrinque habitarunt. Lepontios & Salaſſos conſtituerunt. Lepontiorum valles. Eorundem opida. Taurifci in Venetiam. Taurifci demum in Pannoniam & Daciam. Helvetii Taurifci primi Celtarum magnam Italiæ partem occuparunt. Cauſſa expeditionis Helvetiorum in Italiam. Confutata eorum ex Polybio ſententia qui primum Hannibalem exercitibus pervias fecisse Alpes tradiderunt. Cur Vranii præcipue Taurifci. Vraniorum fines. Statusque & condicio geſtaque. Tres Civitates Vraniam, Suitiam, & Silvaniam, cum Haſelis contra Saracenos pugnaſſe. Helvetii protectores & defenſores libertatis R. Ecc. Libertatis Vraniorum ratio. Vrania monaſterio monialium Tiguri adſignata, & quomodo. Jura Thuricenſis monaſterii apud Vranios ad Comites Repertivilla delata. Henricus Vandelbar quæ apud Vranios poſſidebat Vettingæ monaſterio, quod condiderat, tradidit. Vranii libentius monaſterio Vettingæ quam Comiti ſubditi, & quare. Subditorum Monaſteriis condicio. Henrici regis reſcriptum ad Vranios pro illis qui Vettingenſibus obligati eſſent apud eos. Aliud reſcriptum ad Vranios, eadem ex cauſſa ejusdem regis. Vettingenſes ſua jura & poſſeſſiones Communitati demum vendiderunt & qua de cauſſa. Literarum venditionis exemplum.

Dicturus de Helvetiorum XIII. Civitatibus, non aptius initium facturum arbitror, quam ſi ab iis cœpero, à quibus hujus inclitæ confœderationis principium; Uraniis, Suitiis & Silvaniis. Sic enim cauſſæ, momenta, tempora melius cognoſcentur, & ubi de iis paucis diſſeruero, tum de ceteris, ordine, quæcunque habuero, in medium feram.

DE VRANIA.

Vranios Tauriſcorum reliquias eſſe plerisque omnibus qui de noſtris rebus aliquid meditati ſunt, traditum video. Sed qui Tauriſci fuerint, quæ loca tenuerint, quas migrationes fecerint, quod non minus dictum oportuit, à nemine ſatis memoratum eſt. Eos ita habuiſſe mihi obſervatum. Tauriſci Phocæorum coloni fuerunt, cum iis Aſia relicta Galliam adpulerunt, aliis Maſſiliam condentibus, Tauroentium Ptolomaeo & Strabone auctoribus (a) inter Varum flumen & Maſſiliam, de ſe poſuerunt. Ipſi à navi Tauro, qua vecti erant, Tauriſci. Vſitatum antiquis temporibus naves animalium nominibus ſignare. Taurum etiam qui Europam rapuerit navem fuiſſe Mythologi (b) prodidere. Stephanus (c). *Tauriſci populi prope vel circum Alpes; dicuntur & Taureni Polybio, tertio. Eratoſthenes Teriſcos ipſos vocat per ε. Hi etiam Trojani dicuntur. Tauroeis Civitas Celtica Maſſilienſium colonia. Opidani Tauroenti. Apollodorus in primo Geographiæ ait, quod Taurophorus navis fuerit, quæ tranſvexit in civitatem hanc fabros, qui relinquentes claſſem & exercitum Phocæorum, & permanentes iſthic, ab inſignibus navis civitatem appellarunt. Gentile Taurini.* Hæc prima Tauriſcorum ſedes inter Varum ſcilicet & Maſſiliam, hæc nominatio, hic ortus. Nam quod de Tauriſco Galliæ tyranno, quem interfecerit Hercules, de quo Ammianus (d) & ceteri, qui gentium origines ſcripſerunt, fabulæ & logi. Tauriſci deinceps in Italia Taurinos conſtituerunt. Taurinos Ligurum gentem ſcripſit Strabo (e): Recte quidem nam Tauroentium, caput gentis, inter Ligures, eodem auctore. Proxima migratio Tauriſcorum facta cum Tectoſagis, vicinis & ſolo Rhodano ſeparatis: Illis circa Harciniam conſidentibus, ipſi eum Helvetiæ tractum, qui inter Vrſam Rhenumque eſt, occupavere, flumini, qui medium ſecaret, Taurum, opido Tauregum aut Thuricum nomina dedere, gentemque Helvetiorum tertiam fecere, tot fuiſſe tradidit Strabo (f), quas crediderim Aventicos, Vindones, Tauriſcos fuiſſe; quarum duas forte ideo bellicis expeditionibus periiſſe ſcripſit, quod nomina antiqua Vindonum & Tauriſcorum in Helvetia oblitteraſſent; quum Tigurinus pagus, mutatis paullum, ut fit, ſucceſſu temporis, nominibus hic diceretur: ille Vrbigenus, & inde Tigurini & Vrbigeni. De Tectoſagis ita Cæſar (g): *Quæ fertiliſſima ſunt Germaniæ loca circum Herciniam ſilvam Tectoſages occuparunt, atque ibi conſederunt.* Tauriſci deinde gliſcente multitudine, valles quidem, quas Vranii, Suitenſes & Glaronenſes, Silvaniique tenent, colere cœperunt, tum ſenſim Alpium ſumma adreptarunt, Lepontios condiderunt, occupatisque omnibus altero Alpium dorſo verſus Italiam vallibus, ad Salaſſos quoque poſuerunt, auctore Catone. Plinius (h): *Lepontios & Salaſſos Tauriſcæ gentis idem Cato arbitratur.* Ita etiam

(a) Lib. II. Coſm. Lib. IV. Geog. (b) Natalis Comes alii. (c) Lib de Vrbibus. (d) Lib. XV. hiſt. (e) Lib. IV. Geog. (f) Lib. eod. Geog. (g) Com. VI. (h) Lib. III. cap. 20. Hiſt.

iam Polybii (i) verba intelligo de Gallis loquentis: *In Alpibus*, inquit, *ab utroque latere, loca montuosa habitant: ad eam partem quæ versus Rhodanum & Septentrionem spectat, Galli qui transalpini adpellantur, ad eam vero quæ campis imminet, Taurisci, Agones, & alia pleraque barbarorum genera, à quibus Transalpini, non genere, sed differentia loci separantur, ideo Transalpini dicti, quod trans montes* (k) *colant*. Lepontiorum valles antiquitus, Lepontina quæ sola, ut Tauriscis proxima, priscum nomen retinuit, Mesaucia, Plenia, Riparia, Madia, Oscella, Magginiaca, Agonia, Sessia, Salassia. Opida, Bilitio, Oscella, & Logarnum: Ptolemæus (l) Lepontiorum caput ponit Oscellam, recte quidem, si situm demas: qua in re plurimum à vero abest, cum in Cottiis alpibus ait esse, ubi nempe Ocellum, non Oscella, longo admodum & diverso locorum, ut nomine, quod eum fefellit, parum differant, intervallo. Taurisci vero etiam in Venetiam migrarunt, Norejamque opidum, & postea Nauportum, Strabone (m) sæpius memorato testante, condiderunt. Livius (n): *Eodem anno* (o) *Galli transalpini transgressi in Venetiam sine populatione & bello, haut procul inde, ubi nunc Aquilea est, locum opido condendo ceperunt. Legatis R. de ea re trans alpes missis, responsum est, neque profectos ex auctoritate gentis eos, nec quid in Italia facerent se scire*. Hos autem transalpinos Gallos, fuisse Tauriscos, ex eo conjicio, quod præter hactenus allata ex Livio, eos tenuisse prope Aquilejam, ubi nunc Marca Tarvisiana, corrupte pro Taurisiana ab ipsis nominata, ex Plinio & Strabone intelligo. Hic quidem: *Post hos*, inquit (p), *vicini jam Adriaci sinus intimo, & locis ad Aquilejam, habitant Noricorum quidam, & Carni. Noricorum sunt & Taurisci*. Ille vero (q): *In hoc situ interiere per oram Imarine, Pellaon: Ex Venetis Atina & Cælina: Carnis Segesie, & Ocra: Tauriscis Noreia: ab Aquileja ad duodecimum lapidem, deletum opidum, etiam invito Senatu, à M. Claudio, L. Marcello*. Livius (r) Aquilejam coloniam ductam esse scribit, in agro Gallorum. Sed Strabonis verba consideranti cum ait, Noricorum esse Tauriscos, videtur potius Tauriscos ex Helvetia in Noricum transiisse, ubi hodie Comitatus Goricensis & Styria, nomine ab ipsis relicto (Stier enim lingua Germanica aut Celtica Taurum significat, & ipsis pro insignibus taurus) indeque versus Italiam movisse. Tauriscos quidem antiquitus nominatos, qui postea Norici dicerentur, idem Plinius memoriæ mandavit. *Incolæ Alpium*, inquit, *multi populi: Sed Illustres à Pola ad Tergestis regionem Secusses, Subocrini, Atali, Menocaleni, juxtaque Carnos, quondam Taurisci adpellati, nunc Norici*. In Pannoniam demum, ubi Taurunum, in confluentibus Istri & Savi, ubi nunc Abba regia, reliquerunt, & Daciam se effuderunt. Nam in Dacia ripensi Teuriscos populos, & Thuriscum opidum collocant Plinius (s), & Ptolemæus (t). Atque hos omnes ex illis primis qui cum Massiliensibus Liguriæ partem occuparunt, originem duxisse ex Strabone clarum, qui cum de Gethis & Sarmatis dissereret: *Etiamnum*, inquit, *permixtæ sunt istæ, & Bastarnicæ gentes Thracibus, magis quidem iis qui extra, sed iis quoque qui intra Istrum colunt, iidemque etiam Celticæ, Boii, Scordisci, Taurisci: Scordiscos quidam Scordiscas adpellant. Tauriscis Liguristarum & Teuristarum nomen tribuunt*. Nempe quod à Liguribus, ut diximus, denique in oras eas concessissent. Hæc quidem de Tauriscis & eorum coloniis. Sed hinc quoque satis arbitror manifestum Tauriscos Helvetios fuisse, qui primi summas alpes, sive Gotthardum superarint, viam virtute sibi pararint, Italiæ magnam & meliorem partem occuparint. Qua in opinione maxima est Plinii auctoritas. *Produnt*, inquit (u), *Alpibus coercitas & tum inexpugnabili munimento Gallias, hanc primam habuisse caussam superfundendi se Italiæ, quod Elico ex Helvetiis civis eorum, fabrilem ob artem Romæ commoratus, ficum siccam & uvam, oleique & vini promissa remeans secum tulisset. Quapropter hæc vel bello quæsisse venia sit*. Ex quibus etiam hujus primæ Helvetiorum in Italiam expeditionis auctorem hortatoremque Eliconem intelligimus: & caussam, irritamentumque vini, olei, ficum, uvarum amorem & cupiditatem. Secutæ Helvetios aliæ Galliæ gentes, alias ob caussas. Neque enim Tectosages, Ædui, Senones, Carnutes, ceteri, qui Livio memorantur, in Italiam propter ficum, uvam, aut vinum, oleumque profecti, quando iis non minus, ac Itali abundant, sed exhauriendæ multitudinis, ut voluit idem Livius, aut potius novitatis & imperandi libidine: Helvetios præsertim Tauriscos fama frugum fructuumque pellexit movitque. Superatis igitur, ut diximus, Alpibus primum Lepontiorum valles invaserunt, quæ præsertim circa Bilitionem, Locarnum, Cattinarum, vini feracissimæ, ceterasque ad Salassos usque, demum totam eam Italiæ partem, accitis, aut adsumtis in societatem aliis Galliæ populis, quæ deinceps inde Gallia Cisalpina Romanis dicta; Venetiam, Pannoniamque. Livius (x), aliique Romani Græcique scriptores Alpes tradidere cum inviæ, & inexsuperabiles essent, tempore quidem Tarquinii Prisci primum apertas, ab Hannibale vero denique pervias factas, & deinceps armis virisque frequentatas fuisse, cum antea summi illi montes quasi mundos diversos Galliam, Italiamque separarent, quos egregie confutat Polybius (y), ostenditque Gallos Rheni adcolas, hoc est, Helvetios, (neque enim alii Rheni & Alpium adcolæ Galli, quam Helvetii) eas sæpius ante Hannibalem transisse, & maximos exercitus traduxisse. Ait vero, cum de exploratoribus quos perspiciendis montibus præmiserat Hannibal sermonem habet: „ Reversis
, itaque nunciis intelligit transitum Alpium difficilem
, sane & laboriosum, non tamen usquequaque inac-
, cessum esse, &c. Hoc loco scriptores quidam dum
, magnitudine rei perterrefacere legentium animos stu-
, dent, non animadvertunt labi se in duo ab historiæ
, lege alienissima: siquidem & falsa scribere, & plane
, inter se repugnantia coguntur. Simul enim Hanniba-
, lem, quem & scientia rei militaris, & animi ma-
, gnitudine omnino inimitabilem volunt, omnis pror-
, sus consilii & rationis expertem ostendunt, simul
, (nullum mendacio exitum reperientes) ad deos, &
, deorum filios, ad pragmaticam historiam confugi-
, unt. Nam cum iter Alpium adeo immensum, at-
, que asperum faciant, ut non solum equitibus,
, impedimentis, atque elephantis verum etiam ipsis le-
, vis armaturæ peditibus, invium inaccessumque sit,
, præterea etiam tantam in eo solitudinem, ut nisi
, quis deus, aut heros, ducem se Annibali itineris
, præbuisset, procul dubio omnes copiæ per loca
, præ-

(i) Lib. II. hist. (k) Italiæ scilicet. (l) Tab. 6. (m) Lib. VII. (n) Lib. XXXIX. (o) A. V. C. DLXIV. (p) Lib. IV. Geog. (q) Lib. III. cap. 19. (r) Annal. XL. (s) Lib. III. c. 12. (t) Lib. III. tab. 9.

(u) Lib. XII. Cap. 1.
(x) Lib. V. & XI. (y) Lib. III. hist.

„ prærupta issent perditum, apertissime in utrumque „ labuntur errorem. Primum enim quis ducum Annibale imprudentior erit, si ille tot copiis talique „ exercitui præfectus, in quo omnem spem bene gerendarum rerum reposuerat, neque vias, neque loca, ut ipsi adserunt, nec qua iret omnino, nec ad „ quos tenderet, sciebat. Nam quod ceteri post maximos conflictus, etiam in summa desperatione rerum non faciunt, id isti fecisse Hannibalem in tanta spe, tam florente exercitu, volunt. Ut cum copiis loca incognita accesserit. Quo quid ineptius „ mendacium indicat? Neque enim referunt, ut Galli, Rheni accolæ, non semel, neque bis ante id „ tempus in Italiam venerunt, neque ut olim cum „ magno exercitu, superatis Alpibus, in subsidium „ Cisalpinorum contra P. R. vires advocarint, neque „ etiam ut ipsis in Alpibus multorum hominum gens „ habitet (z), sed hæc omnia ignorantes heroa quemdam inquiunt adparuisse Annibali, iterque monstrasse. Quo fit ut tragœdis potius, quam historicis similes videantur. Nam ut illi frequenter dramata „ sua, aut diis aliquibus, aut machinis terminant, „ quod falsa, irrationabiliaque principia sumant, ita „ hi rerum gestarum scriptores simile quiddam patiuntur, & dum falsa sumunt exordia, tandem ad deos „ aliquos, sive heroas confugere coguntur. Nam qui „ fieri potest, ut ex falsis initiis veri fines sequantur? „ At Hannibal non talem se, qualem hi tradunt, sed „ supra modum industrium simul ac prudentem ducem præstitit, quippe & fertilitatem regionis, ad „ quam festinabat, & incolarum adversus Romanos „ odium diligentissime scrutatus, & in adscensu Alpium, quod asperum difficileque iter erat, duces „ habuit adcolas locorum, quos jam ad bellum contra Romanos in sententiam suam traxerat. Quibus de rebus nos quidem eo audacius scribimus „ quod & ab aliis didicimus, qui ea tempestate rebus interfuerunt, & ea loca ipsi vidimus, ob eam „ solummodo caussam eo profecti, ut Alpes conspicaremur. „ Hactenus Polybius, & hæc quoque de Alpibus. Ut ad Uranios tandem veniamus, non eos, ex supradictis, magis quidem Tauriscos fuisse, quam totum memoratum Tractum Tigurinum satis opinor claret. Cur autem Uraniis Tauriscorum nomen singillatim attribuatur, caussam video, quod soli Helvetiorum Tauriscæ gentis insignia coluerint præcipue, tauri silvestris capite pro armis utantur: & vicini, Haselii, Frutingenses, Sebedalii, Sanenses, tauros etiam uros, unde Uranii, adpellent. Additur anulus naso, quod ita silvestres illi tauri, quos uros etiam Cæsar (a) nominat, & in his partibus olim repertos ait, præcipue Hercinia silva, uti nunc in Polonia, Russia, Littavia, anulo ex naribus ob feritatem cohibeantur. Habent quoque Uranii certum, quem Uraniorum taurum nominant, cujus per bella munus, cornu bubulum, loco tubæ insonare, classicumque ciere. Erant & Romanis cornicines. Tenent Uranii vallem non magnam hinc ab Oriente Crispalto monte altissimo, per quem ad Rhenum anteriorem & Rhætos iter est, inde Gotthardo & summis Alpibus, qua Italiam, & Meridiem respicit in semicirculum, scenamque quasi conclusam. Eorum status, conditioque antiqua eadem quæ reliquorum Helvetiorum, nempe primo sub Romanis, & eorum fœdere, tum profligato Romanorum Imperio, in Ducatu Allemanniæ sub Francorum regibus egere. Tempore Ludovici Pii Imp. (b) cum Saraceni Siciliæ potiti Italiam irrupissent, Vaticanum & Apostolorum principis limina diripuissent, incendissent, fores argenteas asportassent, longe lateque per Latium Campaniam & Apuliam grassarentur (c), Guidone Pusterla nobili Mediolanensi, quem primum Marchionem Galliæ Cisalpinæ, nomine eo hactenus in Italia inaudito, Carolus M. creaverat, ductore & auctore, ferunt patriæ annalium memoriæ, tres Civitates Uraniam, Suitiam, & Silvaniam, Haseliæque vallis incolas vicinos & consanguineos precibus & hortamentis Gregorii IV. R. Pontificis, cum magnis itineribus Romam tetendissent, hostium extremum agmen insecutos ingentem eorum numerum cecidisse, Ostia, Tarento, Neapoli expulisse, tota Italia profligasse, prædam receptam ad D. Petri consecrasse: Inde tot rebus præclare gestis Ludovicum Imp. Civitatibus αὐτονομίαν suis legibus, institutis, magistratibus, vivendi potestatem permisisse, alia privilegia, & immunitates indulsisse, rogatu & intercessu Pontificis, cum ab ipso virtutis ergo, iis quibus adhuc in bellis utuntur insignibus & vexillis donati essent, pulcerrimoque & gloriosissimo titulo Protectores & Defensores Romanæ Ecclesiæ vocati, qui titulus multis cum aliis gloriæ & memoriæ monimentis, multa cum laude gentis Helvetiorum, Julii II. Pontif. Max. auctoritate repetitus (d), ad omnes tredecim Civitates dimanavit. Sed non ita tamen Uranii, ceterique libertati restituti, quin essent multi, qui ad Regium fiscum pertinerent, mancipiaque & Ecclesiis addicti, multæque essent apud eos regiæ possessiones, ipsi omnes Imp. tenerentur. Unde postea (e) cum Ludovicus Germaniæ Rex Pii Fil. Thuricense monasterium, quod fabricarat, ipsumque Thuregum Hildegardi filiæ tradidisset, illi etiam monasterio Uraniam adsignavit, hoc est, quidquid juris & proprietatis apud Uranios regium fiscum attinebat, sive in reditibus, aut aliis in rebus. *Curtim*, inquit, (f) *nostram Turegum in Ducatu Allamannico, in pago Durgaugensi, cum omnibus adjacentiis, vel aspicientiis ejus, seu in diversis functionibus, id est, pagellum Uraniæ, cum Ecclesiis domibus ceterisque adificiis desuper positis, mancipiis utriusque sexus & ætatis, terris cultis, & incultis, silvis, pratis, pascuis, aquis, aquarumve decursibus, adjacentiis, perviis exitibus & regressibus, quæsitis & inquirendis, cum universis censibus & redhibitionibus, &c. Totum & integrum ad Monasterium nostrum tradimus, quod situm est in eodem vico Turego, ubi sanctus Felix, & sancta Regula Martyres Christi corpore quiescunt.*

Paullo post (g) ex iisdem, quæ tradiderat monasterio, Capellas duas apud Uranios Burglen & Sillanam cum omnibus censibus & reditibus, rogatu filiæ & ejus commendatione Beroldo Presbytero concessit dum frueretur vita. *Ludovicus divina Clementia Rex, &c. Beroldo Presbytero, ministro Reginæ Hildegardæ filiæ nostræ, res jacentes in ditione Regni nostri, & pertinentes ad monasteriolum constructum in honore Sanctorum Felicis & Regulæ, in beneficium, temporibus vitæ suæ, concessimus,*

P 3

(z) His de expeditionibus pauca attigimus Lib. I.
(a) Comm. VI.

(b) A. D. N. DCCCXXIX. (c) Paullus Morigia in antiq. Mediol. Lib. I. & III. (d) A. D. N. MDXII. Guicciard. Lib. XI. Jovius Lib. XI. hist. (e) A. D. N. DCCCLIII. (f) Ex instrumento fundationis Ludovici regis. (g) A. D. N. DCCCLVII.

cessimus, eo quod ei servierat fideliter, id est, capellam unam sitam in villa Zurich, quæ est constructa in honore sancti Petri, principis Apostolorum, nec non & alteras duas capellas, in valle Vrania, in locis nominatis, Burgilla & Silana, cum mancipiis, decimis, terris cultis & incultis &c. *Post ipsius vero discessum prædicta res omnes ad præfatum monasterium revertantur, &c. Data XXIII. Regni Domini HLudovici Orientalis Franciæ, &c.*

Cum deinceps Comites Rapertivillenses liberam Imperii Præfecturam Ursariæ ab Imperatoribus in beneficium obtinuissent, eadem opera, quidquid apud Vranios juris habebat monasterium Thuricense ad eos delatum, traditione feudali an emtione mihi incompertum. Henricus demum cognomine Vandelbar ob varias peregrinationes, in Syriam, in Hispaniam &c. Rapertivillanus Comes, cum Vettingam vicum ab Hartmanno Comite Dilingano, cujus Patrimonii erat, emisset 660. argent. marcis, ibique ex suis, & uxoris ANNAE Comitissæ ab Homberg in Sissiacis, opibus, monasterium ædificasset, eadem omnia illi Claustro contulit, seducta ad trecentenas marcas ratione. Unde Instrumentum:

Noverint omnes, tam præsentes, quam futuri, quod nobilis Vir DOMINVS HENRICVS de Raprechtesvilere dictus Vandelbare, fundator domus in Vettingen, cum à principio, anno Incarnationis Domini 1227. *in fundationem claustri dare promisisset mille tercentas marcas, pro solutione tercentarum marcarum omne prædium quod possidebat in Vra tradidit in manus Abbatis Eberardi venerabilis de Salem præsentibus incolis ejusdem loci, &c. Data mense Decembri XVI. Kal. Januarii, Dominicæ Incarnationis* 1241. *Indict.* 15. Constituerat ejusdem monasterii visitatorem Abbatem de Salmenschvvyler, unde ejus mentio. Cum hac ratione Vettingam 660. marcis emisset (h), Vraniæ prædium pro 300. adsignasset, & in ædificiis 340. expendisset, numerum 1300. marcarum promissarum complevit. Accidisse vero volentibus Vraniis qui eidem Comiti subditi, aut obligati erant, ex alio Instrumento videre licet: „ Vniversis præsentem paginam inspecturis Frater Con„ radus dictus Abbas de Vettingen subscriptæ rei no„ titiam. Quoniam vita humana vapor est, ad mo„ dicum parens, gesta in tempore mandantur testimo„ nio scripturarum. Notum sit igitur tam præsentibus, „ quam superventuris, quod cum Henricus de Raprechts„ vviler, cognomento Wandelbare prædium in Vra ad „ preces hominum eidem prædio attinentium, cum „ omnibus appendiciis suis, in remedium animæ suæ „ domui in Vettingen (devotus fundator ejusdem do„ mus) traderet, libere & quiete possidendum, ho„ mines jam dicti prædii quæstum magnum æstiman„ tes secularem dominationem evadere, juramento „ obligarunt se claustro nostro fideles futuros in po„ sterum, & annuos census, quos juxta æstimatio„ nem propriam se daturos promiserant, singulis an„ nis reddituros voluntarie & devote, &c. Actum „ anno gratiæ 1242. „ Idem Henricus Comes fundator cum uxor vita egressa esset, monasticam, eodem loco, professus est. Nec tamen usquam adduci potuit ut Abbatis officio fungeretur. Sed nihil mirum si sub monachis, quam Comitibus degere mallent; hujusmodi enim monasteriales homines, ut sic vocem, non solum sine medio Imperatori ut ipsa monasteria plerumque subjiciebantur, ut alias notavimus, sed ferme exactionibus, quæ aut Imperii nomine, aut reipublicæ caussa, bellisve fieri solebant, nisi in extremis res adductæ essent, veluti sacri & religiosi exsolvebantur. Id intelligas ex rescripto Henrici dicti VII. Friderici II. filii. Nam cum Uranienses magistratus ab iis qui Vettingæ apud eos obligati essent similia extorquere vellent edicto prohibuit is Romanorum Rex: *Henricus DEI gratia Romanorum Rex, & semper Augustus, Officiatis & procuratoribus ceterisque fidelibus suis in Vren constitutis, gratiam suam & omne bonum. Mandamus vobis, quatenus monasterium de Vettingen, quod sub nostram protectionem recepimus, auctoritate nostra, modis omnibus, defensetis, nec in possessiones, seu in homines ejusdem monasterii exactiones, seu tallias aliquas faciatis. In locis vero quæ nostræ attinent Advocatiæ, de quibus nobis servicia fieri consueverunt, volumus, quod honeste atque modeste eos tractetis, nec pejoris eos condicionis faciatis, quam temporibus fundatoris sui fuerunt. Siquidem sub nostra dominatione ampliori volumus pace, atque securitate gaudere. Datum apud Ezelingen, Nonas Junii, Indict. VI. regni X.* (i) Sed cum neque sic acquiescerent Uranii, sequenti anno, paullo severius ad eosdem perscripsit: *Henricus DEI gratia Romanorum Rex, & semper Augustus, fidelibus suis ministro & universis hominibus Vraniæ gratiam suam & omne bonum. Cum ex consueta benivolentia nostra Cistertiensem ordinem sincerius diligamus, jura & libertates fratrum ejus volumus inviolabiliter observari. Mandamus vobis sub pœna gratiæ nostræ districte præcipientes, quatenus ab hominibus claustri de Vettingen, in Valle Vraniæ constitutis, nullam prorsus exactionem, vel precariam requiratis. Quoniam nolumus ut fiat aliqua ratione, sed volumus ut gaudeant omni libertate, qua ab antiquo ordo & fratres Cistercienses sunt gavisi. Indubitanter sciturus quod quicumque vestrum, infringere mandatum nostrum præsumserit in hac parte, in rebus eum proinde & in corpore puniemus, quia dictum claustrum sub nostram protectionem, & Imperii recipimus specialem. Datum apud Hagenowe VI. Kal. Maj. Indict. VII. regi XI.* Hæc ista commoditate (k) ego quidem pluribus, ut apertius intelligatur quis status & condicio fuerit eorum qui monasteriis subjecti essent, & simul hinc cognoscatur Uranios, etiamsi ampla essent apud eos monachorum jura & opes, suam tamen rempublicam suos magistratus semper habuisse. Fuit hic Henricus Rex, hoc eodem anno, à Friderico patre, quod cum Italis principibus fœdus iniisset, captus, & Consentiam in Calabria transportatus, ubi mœrore, & ægritudine contabuit, Cunrado fratre rege Romanorum suffecto. Non in numero regum Romanorum ideo plerumque ponitur, quod patri superstes non fuisset. Ejus tamen decreta & rescripta rata. Demum Abbas, & Conventus Vettingensis Communitati Uraniorum, quidquid juris & dominii haberent apud eos, vendiderunt, cum prætextum ponerent, quasi ab iis nihil obtinere possent, adeoque majores sumtus, quam inde rediret, facerent, muneribus & certis, ut literæ venditionis vocant, propinis, hoc est, conviviis, in ministros provinciales, hoc est, Ammanos, qui feuda ejus monasterii præcipua haberent, aliosque potentiores conferendis. Quibus de rebus literas ad posteros Monachi reliquerunt in hæc verba. „ Sciendum quod Monasterium in Vettingen quasdam pos„ sessiones habuit in Ure quæ circa annum Domini „ MCCCX. sive circiter eidem monasterio annua„ tim solvebant in universo redditus CCCC. librarum

(h) A. D. N. MCCXXVII.

(i) A. D. N. MCCXXXIII.
(k) A. D. N. MCCXXXIIII.

„rum denariorum usualium Thuricensium monetae, „quae quidem possessiones ab eodem tempore pro„pter pertinacem & indomabilem proterviam colo„norum & hominum praetactae terrae, de die in „diem, de anno in annum in tantum viluerunt, ut cir„ca annum Domini MCCCL. & deinceps praefato „monasterio vix solvebant annuatim L. libras dena„riorum monetae praedictae &c. Insuper quilibet mi„nister provincialis & potentiores terrae praedictae me„liora bona praedicti monasterii jure foedali possede„rant, de quibus tum propter suam potentiam, to„to tempore nullum censum dederunt, seu dare vole„bant, imo potius Abbas, cellarius & ceteri officiales „ejusdem temporis ipsis dare compellebantur certas „propinas, quae se annuatim extenderunt ad XXX. „florenos circiter & amplius, secundum statum tem„poris. Habebantur etiam per Abbatem & Cella„rium expensae bis in anno videlicet tempore placitorum „quae vulgariter dicuntur Herbstaeding, & Meyentae„ding (l) quae etiam expensae se extenderunt usque „ad summum XXX florenorum, seu XL & ultra, „exceptis expensis quae per procuratores Monasterii „antedicti ibidem continue habebantur, tam ratione „sui quam aliorum, qui ad ipsos frequenter conve„nerunt &c. Hae igitur sunt rationes, ut praemitti„tur, propter quas possessiones praedictae in tantum „defecerunt. Igitur his omnibus diligenter inspectis „venerandus D. Albertus de Mengen, subscripto tem„pore Abbas in Vettingen, de consilio sui conven„tus, & fidelium amicorum, videlicet dominae regi„nae Hungariae (m), & ceterorum Comitum, mili„tum (n), potentium & aliorum sapientium domi„norum Ducum Austriae, consulum & secretariorum, „nec non de licentia superiorum suorum, & de sci„tu & expressa scientia & consensu domini Berch„toldi Tutzen sacrae Theologiae professoris, tunc tem„poris Abbatis in Salem patris Abbatis & visitatoris „in Vettingen monasterii supradicti, adhibitis circa „praemissa, secundum papalia & ordinis instituta tra„ctatibus, & aliis sollennitatibus debitis & consuetis, „possessiones praefatas cum omnibus juribus, homi„nibus & pertinentiis ipsorum, toti Communitati pro„vinciae in Urem praedictae, libere vendidit, & justae „venditionis titulo tradidit, pro octo millibus flore„norum & quadringentis sexaginta octo, solvendos „divisim ad quatuor terminos, &c. Quorum ulti„mus terminus exspiravit in festo Martini, qui fuit „anno Domini MCCCLXII. &c.„ Hoc pacto in libertatem penitus se Uranienses vindicarunt, nulli omnino praeter quam Romano Imperio, ut alii liberae condicionis homines subjecti aut obnoxii, in cujus specialem protectionem eos Fridericus II. ut superiori libro vidimus, accepit, eamque libertatem cum gloria hactenus conservarunt, auxeruntque.

(l) Hoc est, conventus Autumnales, & mensis Maji.
(m) Agnetis quae Kunigsfelden agebat Alberti Imp. filiae.
(n) Ita vocat, quos Equites dicimus.

CAPUT II.

DE SVITIA.

Cimbri in Suitia. Eorum origo, migrationes, gesta, & ut Suitiam tenuerunt. Oceani mirabiles inundationes. Cimbri R. praelio vincunt. Quando primum Cimbri Romanis auditi. In Helvetiam veniunt, quibus se Tigurini, & Tugini adjungunt. Eorum contra Romanos bella. Cimbrorum & sociorum in Italiam expeditio. Ambrones & Teutones apud Aquas Sextias victi. Cimbri prope Vercellas. Tigurini & Tugini domum rediere, Cimbrique qui praelio superfuerant sedes dedere. Suitii Suitiam constituerunt. Refutata Rhenani de Suitiis sententia. Silvanians alii & Haselaunii. Haseliorum origo. Alii denique circa Harciniam collocati, ubi Cimbrorum comitatus. Cimbri ex variis Septentrionis populis. Suitiorum pars Lentzburgensibus Comitibus subdita, reliqui sempe liberi fuerunt. Instr. Henrici III. exemp. pro monaster. Schennisii. A Lentzburgensibus ad Habsburgenses devoluti. Iidem se liberarunt pecunia. Et ab Henrico Imp. in protectionem Imperii suscepti sunt.

SUitiam qui coluerunt non minus Tauriscos fuisse, quam Uraniae, ex iis quae supra ostendimus apertum existimo: sed postea Cimbrorum reliquiae ea loca insedere. Ita enim Suitii referunt, majores suos propter Oceani inundationes mutare sedes coactos, cum varias calamitates, toto orbe pertulissent, has tandem cepisse valles. Ut igitur ante fecimus in Tauriscis, ita Cimbrorum ortum migrationesque referamus necesse est, quaque ratione denique Suitii ab iis descenderint. Cimbros ex Cimbrica Chersoneso, nunc Suetiam vocant aut Suediam populum Oceani diluvionibus sedes quaerere adactos, contra Posidonium inficiatur Strabo (a), sed maris insolitos saepius aestus attendenti, tum Cornelii Taciti (b) verba perpendenti, non usquequaque improbabile adparebit. Ea sic habent. *Vitellius primo iter sicca humo, aut modice adlabente aestu quietum habuit. Mox impulsu Aquilonis, simul sidere Aequinoctii, quo maxime tumescit Oceanus, rapi agique agmen. Et opplebantur terrae. Eadem freto, litori, campis facies. Neque discerni poterant incerta ab solidis, brevia à profundis. Sternuntur fluctibus, hauriuntur gurgitibus: Iumenta, sarcinae, corpora exanima interfluunt, occursant, permiscentur inter se manipuli, modo pectore, modo ore tenus extantes, aliquando subtracto solo disjecti aut obruti. Non vox & mutui hortatus juvabant, adversante unda, nihil strenuus ab ignavo, sapiens à prudenti, consilia à casu differre. Cuncta pari violentia involvebantur.* Julius sane Florus, haut malus auctor, Possidonium sequi maluit. *Cimbri*, inquit (c), *Teutoni, atque Tigurini ab extremis Galliae profugi, quum terras eorum inundasset Oceanus, novas sedes, toto orbe, quaerebant.* Accedit quae de Caucis, sive Frisiis, qui etiam inter Cimbros, memoravit Plinius. *Sunt vero*, inquit (d), *& in septentrione nobis gentes visae Chaucorum, qui majores minoresque vocantur: vasto ibi meatu perpetuis bis dierum, noctiumque singularum intervallis effusus in immensum agitur Oceanus, aeternam operiens rerum naturae controversiam, dubiumque terra sit an maris pars. Illic misera gens tumulos obtinet altos, aut tribunalia exstructa manibus ad experientiam altissimi aestus &c.* Patrum memoria (e), quanta vastitate magnam hauserit Hollandiae, seu Batavorum partem Oceanus multi literis tradiderunt, ultra quadringentos vicos, praeter aliquot opida, eodem tempore fluctibus & undis suffocata demersa & in profunditatem absumta. Relictus igitur avitis necessitudine sedibus Cimbri vagi & praedabundi, Kemper Saxonica lingua

(a) Lib. VII. Geog. (b) Lib. I. annal. (c) Lib. III. cap. 3. (d) Lib. XVI. cap. 1. (e) A. D. N. MDXXX. v. Novemb.

lingua & ſeptentrionali, quaſi pugnator & graſſator, unde illis nomen Plutarcho teſte (f) ad Mæotim uſque paludem, peragrata Germania, Pannonia, Thracia, pervenerunt, Cimmeriumque boſphorum, quaſi Cimbricum perpetuum de ſe monumentum reliquerunt: Inde in Illyricum longis errationibus devecti, Cn. Carbonem conſulem, cui ea provincia attigerat, obvium habuerunt, acieque ad Norbeiam opidum cum exercitu fuderunt, fugarunt. Ea prima de Romanis Cimbrorum victoria. Et tunc primum Cimbrorum audita Romanis arma, Tacito auctore (g), *anno V. C. DCXL*. Ex Illyrico, cum rurſum verſus Germaniam contendiſſent, in Bojos (h), Harciniam Silvam incolentes, inciderunt, ab iiſque repulſi ad Scordiſcos, deinde Tauriſcos (i), poſtremo ad Helvetios venerunt, *auri divites*, ut eſt apud Strabonem (k), *ceterum pacatos*. Helvetii præſertim Tigurini, & iis vicini Tugini, cum Cimbrorum opes vidiſſent, fœdere inito, iis ſe comites addiderunt, vexataque Gallia & Hiſpania undique excluſi, *cum in Italiam remigrarent*, inquit Florus (l), *miſerunt legatos in caſtra Sillani: inde ad Senatum petentes ut P. R. aliquid ſibi terræ daret quaſi ſtipendium, ceterum, ut vellet, manibus atque armis ſuis uteretur*. Cum negatum eſſet, *quod nequiverant precibus, armis petere conſtituunt*. M. Sillanus cum exercitu cæſus & profligatus (m). Inde M. Scaurus coſ. contra eoſdem miſſus tertia clade adfectus eſt. Scauro Caſſius Longinus ſucceſſit, quem Tigurini in finibus Allobrogum confecere (n). Eodem tempore C. Manlius, & Q. Cæpio proconſules victi prælio, biniſque caſtris exuti, octoginta millia militum occiſa, calonum & lixarum millia quadraginta. Cimbri cum ſociis Helvetiis tot victoriis potiti, cum quæ circa Rhodanum ſunt, Provinciamque, & Narbonenſem Galliam vaſtaviſſent, ſuperato Pyreneo ſaltu, in Hiſpaniam rurſum delapſi ſunt, populataque provincia cum à Celtiberis propulſati eſſent, in Galliam reverſi ſunt, & ex Gallia quidem Ambronibus, ex Germania Teutonis in fœdus & ſocietatem adſumtis, mox bipartito exercitu Plutarcho, aut tripartito Floro auctoribus, Italiam adoriri conſtituerunt, cum *nuſquam gentium ſe lem poſituros, quam Romam excidiſſent, Italiam perdidiſſent, juramento ſe obligaſſent*.

Ambrones igitur & Teutones per Ligures & mare circum, contra Marium coſ. profecti ſunt (o): Cimbri per Tridentinas valles in Catulum devecti. Tigurini & Tugini per Noricos, contra Italiam ſigna tulere. Longius & diutius Cimbri, reliquique cunctati. Teutones & Ambrones Marium circa Aquas Sextias nacti, manus conſeruere, victique ſecundo prælio, & plerique interfecti. Cimbri paullo felicius primo impetu Catulum faucibus Alpium, quas occuparat, dejecerunt, Vercellaſque, ſi Plutarcho fides, vaſtata Venetia & Inſubriæ parte, perſecuti ſunt, in quem locum cum adcurriſſet Marius cum victore exercitu; ipſi cunctabundi ſocios ſive, ut vocabant, fratres, Ambrones & Teutones fruſtra exſpectarent, demum prælium commiſere, victique ſunt & internicione propre deleti. III. Nonas Sextiles (p). *Tertia Tigurinorum manus, quæ quaſi in ſubſidio Noricos inſederat Alpium tumulos, in diverſa lapſi, fuga ignobili & latrociniis evanuit*, inquit Florus (q): ut ego interpretor domum repetiit, quibus cum ſe qui cladi ſuperaverant, junxiſſent Cimbri, illis quidem, memores rerum humanarum, adverſæ & proſperæ fortunæ, tum fortitudinis quam tot victoriis rebuſque per annos duodecim & ultra geſtis demonſtrarant, partim intra ſuos fines ſedes dedere, partim extra, eaque ratione in ſocietatem & communionem regionis accepere. Vicinæ Tuginis Valles Suecis datæ, Suitiam inde nominarunt, ſive a Suito duce, aut regno Sueciæ, unde erant profecti. Rhenanus & alii quidam à Vitis Saxoniæ populis deſcendere Suitios arbitrantur, qui reliquis Britanniam occupantibus, ad hos devenerint locos. Mirum quin à Vitiis Hircaniæ. Quis non hac materia luſus, riſus? Suitii ſane à duce gentis nomen malunt. Ipſum cum eo veniſſet, cum fratre ſive ducum alio, de nomine in contentionem veniſſe, credo, ut olim Romulus & Remus, duello creviſſe, victorem Suitum, Suitiam adpellaſſe. Illa ſane Saxonum migratio non ante Honorium Imp. Claudiano poeta teſte (r), aut Martianum Beda auctore (s), ad ſummum tempore Theodoſii M. Equit. Honorii Imp. avi. At quis non credat Suitiam, eo tempore, cultam dictamque fuiſſe? Nec crediderim Vitas, relictis patriis ſedibus, aut in Germania uberioribus, has in valles conſiſtere voluiſſe: potius id Cimbris, & eorum ſociis Suionis dederim, toto orbe terrarum excluſis & ejectis. Suionum antiquam ſedem & genus apud Oceanum, aut in eo potius, tradidit Cor. Tacitus (t). Reliqui Cimbri partim Silvaniæ collocati Rumone Principe. Haſelii ex Friſia Orientali & urbe Haſſelinga, quæ in Veſtphalia, aut potius Haſſel, opido ad Vidrum fl. finibus Friſiæ Occidentalis, provincia Tranſilana, Haſſeliam de ſe vallem Reſſio ductore (u), conſtituerunt. Cumque etiam in Germania ultra Rhenum circa Harciniam, ut ex Tacito patet (x), multas regiones ad Mœnum uſque, Helvetii obtinerent, Cimbrorum aliam partem quæ nobilior eſſet, ex iis præcipue, qui ex Nortvvegia diſceſſerant, circa Nicrum & Harciniam collocarunt, ubi hodie Cimbern, ſive Cimbrorum Comitatus. Sane Comites Cimbrii adhuc Nordvvegiæ regni arma, leonem erectum cum bipenni, ſolis coloribus variata, uſurpant, quod argumento eſt, ex ea eos gente ſtirpeque regia. Fuerunt enim Cimbri collecta multitudo ex variis Septentrionis partibus, & Oceani Germanici litoribus, Suecia, Dania, Nordvvegia, Friſia utraque aliiſque Germaniæ populis, quod etiam Plutarchus teſtatus eſt, quales fuerunt poſtea Allemanni, & poſtremo Gothi. Hæc de Cimbris, quomodo Sueci Suitiam obtinuerunt, alteramque Helvetiæ Civitatem fecerunt. Suitii denique Ducatui Germaniæ incluſi, pars eorum primo Comitibus Lentzburgenſibus ſubjecta, qui ex iis nonnulla monaſterio Schenniſio attribuerunt, ut ex fundationis literis, & privilegio Henrici III. Imp. perſpicias. Cujus principium. „Henricus divina fa„vente clementia Rex. Si dignis petitionibus fide„lium noſtrorum benignum auditum adhibere ſtu„duerimus, apud Dominum & homines condignam „remunerationem habere non dubitamus. Quapropter

(f) In vita Marii. (g) Libello de Germ. (h) Hos nunc Bohemos vocamus. (i) Stirer aut Steirmarcker. (k) Lib. IV. Geog. (l) Lib. III. cap. 3. (m) A. V. C. DCXLIV. (n) DCXLIIX. (o) A. V. C. DCLI. (p) A. V. C. DCL.

(q) Eod. Lib. & cap. (r) In paneg. (s) In hiſt. Ang. (t) In ſua Germania. (u) Non procul Haſelia vico adhuc ſunt ruinæ arcis Retti. (x) eodem lib.

„ pter omnium DEI, nostrique fidelium, præsentium scilicet & futurorum noverit industria, qualiter fidelis noster Vldaricus Comes, pietatis nostræ clementiam adiens humiliter rogavit, ut monasterium, quod Skennines dicitur à parentibus suis (y), & à se fundotenus constructum, in honore quoque sancti Sebastiani martyris dedicatum, situm in pago Churvvalacha, in Comitatu Eberhardi Comitis, & sanctas moniales inibi Deo sub Canonica regula servientes, in nostrum mundiburdium, tuitionem, defensionemque acciperemus, cujus petitioni pium assensum præbentes, ob interventum dilectæ conjugis nostræ Agnetis Reginæ, præfatum monasterium, cum Ecclesiis, dicimus Ecclesiam Nuolum &c. nec non cetera bona quæ videntur habere in villa Ranchvvila, &c. Vettingen, Goldbach, Suites, & cum omnibus utilitatibus, vel utensilibus ad idem monasterium pertinentibus, seu quæcumque adhuc divina pietas illuc augeri voluerit, in nostrum mundiburdium, tuitionemque suscepimus, &c. Data III. Kalendas Februarii, Indictione XIII. anno Dominicæ Incarnationis MXLV. anno autem Ordinationis Henrici regis III. XVI. regni vero VI. Actum Turego feliciter. „ Fuit hic Vldaricus Lentzburgensis cognomento Dives per opulentiam, Vrbigeni pagi potentissimus, cujus multa quoque in Beronense Collegium beneficia, habuit Rapotonis primum Habsburgi Comitis filiam Richensam uxorem, Verneri Badæ Comitis viduam; ex qua Cunonem, & Rudolfum suscepit. A Lentzenburgensibus, cetera ad Habsburgios pervenere, Stein, Steinerberg, Sattel, Art, Cussnach. Quartanæ Suitiorum reliquæ ultra Blaten sitæ, sui semper juris fuerunt, liberæ & sub Imperii unius protectione, privilegio jam olim à Ludovico Pio, ut ostendimus, per fortia facta accepto. Sed illa quoque Suitiorum pars quæ ad Habsburgios pertinebat, cum se ab Eberardo Habsburgio pecunia liberassent (z) præter quæ pauca Collegiis Lucernensi & Beronensi debebant, ut in eadem libertate & condicione, qua ceteri agebant, vivere possent, privilegium impetrarunt ab Henrico VII. Imp. Turegi. *Nos Henricus Dei gratia Romanorum Rex semper Augustus, ad universorum noticiam volumus pervenire quod nos hominibus habitantibus in valle Suitz qui se de nobili viro Eberardo, quondam Comite de Habsburg redemerant, & per pecuniam absolutionem, & literas testimoniales super eo obtinuerunt, & exhibere potuerunt, (ut proponunt) quod nobis, & sacro Romano Imperio pertinent, & pertinere debent de jure, hanc gratiam duximus faciendam, quod eosdem homines liberamus, prout alii in eadem valle, ac circumpositis vallibus existere dignoscuntur; præsentium testimonio literarum, nostræ Majestatis Sigilli robore signatarum. Datum Turego III. Nonas Maj. anno Domini MCCCX. Regni vero nostri anno secundo.* Sic Suitii liberi omnes, & R. Imperii Præfecturam Imperialem etiam concessit Sigismundus Imp. (†)

(y) Hunfridus comes Curiæ primus fundamenta ejus monasterii posuisse dicitur. Ex eo natus Adelricus qui unicam filiam Hennam cuidam comiti Lentzburgensi collocavit circa ann. Dom. 890. quæ peperit Adelbertum hujus Vldarici avum. (z) A. D. N. MCCLXIX. Et ab Henrico Imp. in protectionem Imperii suscepti sunt. (†) A. D. N. MCCCCXV.

CAPUT III.

DE SILVANIA.

Silvanii partim ex Cimbris, partim ex Romanis orti. Romana nomina apud Silvanios. Silvanii omnes superiores & inferiores STANTES nominati. Vnam remp. unum conventum habuere. Postea divisi, & quare. Silvanii nominis origo. Quare tota regio ferme Vndervvalden nominetur, hoc est, infra Silvam. Sigilli utriusque partis discrimen. Tota Silvaniorum regio sub uno Comitatu. Silvaniæ imperiales, aut regii reditus & officia Lucernensi Collegio attributa.

Silvaniorum pars, ut diximus, ex Cimbris, Rumone principe; reliquos Roma suppeditavit, Imperatorum Augusti, Tiberii, Caligulæ, Neronis proscriptione, cæde, tyrannide, qui has valles exilio, aut fuga captavere. Hinc illa Romana nomina Lungula, Lungern, quod in longitudinem tendatur, Saxula Saxlen, Buochs Bucca, vallis faucem interpreteris, Altella Altzellen, quod in colliculo vicus: totius regionis nomen Stans quod ibi demum stetissent, & inde ipsi Stantes, & Stansstad Stantium Statio. Stantes autem dicti antiquitus non inferioris solum Vallis sed etiam superioris. Id ex Sigilli communis inscriptione prima intelligas quæ his verbis: *Sigillum universitatis hominum de Stanz vallis superioris & inferioris.* Duæ albæ aut argenteæ claves, campo rubro, Romanæ expeditionis & fortitudinis, reique feliciter confectæ laudabile monimentum. Sane eo facile id laboris & discriminis adiisse Silvanios crediderim quod se Roma ortos intelligerent, Romanis, ut civibus, merito suppeditandas opes suas, quales quales essent. Sed ut diximus, unum universitatis sigillum, ita una communitas, unum regimen erat, conventusque incolarum omnium quot annis loco Viserlon nominato. Cum vero propter vectigalium, aut exactionum locationes & contributiones in controversiam incidissent, quod inferiores Silvanii tertia tantum parte teneri se arbitrarentur, regionem & rempublicam diviserunt (a), Carna silva pro limitibus constituta, & hinc infra supraque Silvam incolæ Silvanii, aut Transilvani. Superiores Sarnas rempublicam consiliumque constituere, quo etiam gentis universæ vexillum & sigillum, quia numero superarent, contulere. Inferiores Stantii sua jura retinuere, tenuitque quatenus apud eos prima & antiqua reipublicæ forma, ut Undervvalden, sive infra Silvam plerisque tota regio adpelletur, veluti si adhuc una communitas complecteretur utrosque. Quod postea in Comitiis Civitatum observatum, ut quamvis suos separatim superiores inferioresque legatos mittant, unico tamen suffragio utrique transigant. Et quæ sic communi voto conficiuntur, antiquo & primo, sive duarum clavium sigillo confirmantur. In ceteris quisquis suo separatim utitur, inferiores quidem unica clave quam D. Petrus manu præfert: Superiores, illo quo antequam Romam proficiscerentur utebantur omnes, albo rubroque distincto. Franciæ reges totam regionem unico complexi Comitatu, quem Surigoue nominarunt, à Surna fl. quem nunc Aach, generali aquarum nomine Germanis sæpius

(a) A. D. N. MLL.

pius usitato, vocant. Ita notat Instrumentum Henrici IV. Imp. datum Monasterio Montis Angelorum vulgo Angelberg, quod Cunradus à Seldenburen Eques pagi Tigurini, paullo ante (b) condiderat: *Henricus divina favente clementia quartus Romanorum Imperator Augustus, &c. Quod regulare quoddam monasterium situm est in provincia scilicet Burgundia, in Episcopatu Constantiensi in pago Suricovve, in Comitatu Surin, quod ad sanctam Mariam nuncupatum est, cognomine autem Engelberg, &c. Anno Domini MCXXV. Ind. III. Data Argentinæ V. Kal. Januarii, Dominica, Luna VIIII.* Sed iidem Franciæ reges aut principes, quidquid ad eos reditus, dominii jure aut proprietatis, ea in regione perveniebat, Monasterio quod Lucernæ posuerant attribuerunt summo semper imperio excepto. Hinc monachi suos Majores constituerunt, qui nomina à locis in quibus administrabant, ad posteros deduxerunt Majores à Stans, à Buochs, à Sarnen, à Saxlen. Habuerunt & Beronenses & Murenses aliquid apud eos juris. A monasteriis demum pecunia à quorumdam Præfectorum Imperii tyrannide, ut ceteri, armis & manu se liberaverunt, qua de re & quomodo pluribus ultimo capite libri secundi. Hæc de origine trium Civitatum quæ primæ inter se fœdus perpetuum percusserunt, quas ut reliquæ sint secutæ, & quibus ex caussis, donec tredecim numerum implerent, superest ut videamus si prius, uti fecimus, earum quoque ortus & incrementa pervestigaverimus.

(b) A. D. N. MCXX.

CAPUT IV.

DE LUCERNA.

Lucernæ etymon. Franci Lucernæ cultores. Sed urbi ex monasterio celebritas. Collegii fundationis instrumenti exemplum. Quæstio quis hic Ludovicus, sub quo fundatio ista? Variæ opiniones. Eæ refutatæ. Fuisse Ludovicum III. Exemplum Instrumenti Lotharii Imp. Morbaci origo. S. Leodegarii martyrium. Lucernensium prima privilegia & gesta. Æreorum cornuum usus Lucernensibus à Carolo Magno virtutis ergo datus. Duas prædatorias arces idem Carolus Lucernæ excidit. Lucernenses liberi in sua reip. administratione, cetera Morbacensibus debuere. Morbacenses tum Lucernam & vicina Alberto Austriaco vendidere. Lucernensium multa ab Abbatibus privilegia & quare.

VRbis hujus etsi per bonos auctores & testes antiquitatis memoria in obscuro est, tamen inde lucescit, quod jam tempore fundationis Collegii Canonicorum Lucerna ex antiquitate diceretur, adeoque præcipuus post Vindonissam pagi Urbigeni locus, ubi ea occidit, etiam totius regionis Vindonissensium caput esset. Illi nomen, ut plerique putant, à turre, in qua lucerna nautis nocturnis. Nam cum temporibus prioribus admodum tenuis, ubi exitum ducit Ursa, lacus esset (quare pleraque ubi nunc antiqua statio, 3. circiter supra urbem passuum millibus, exponebantur) navibus nisi ejusdem fluminis alveum sequerentur, invius erat. Unde Lucerna & turris tamquam Pharos, quæ ostenderet. Hinc quoque loco frequentia, ex ea commoditate. Mercimonis enim ex Italia, & alias, post superatas summas Alpes, & magnum lacum, Lucerna receptus, portusque. Franci præcipue coluere. In ea palatium regium, nunc quoque im Hoff antiquum retinet nomen. Sed maxima ejus celebritas ex monasterio. Vighardus presbyter condidit. frater Roberti Allemannicæ Helvetiæ ducis. Fundationis literæ sunt. „In nomine Domini Amen. Notum sit „omnibus nobilibus & ignobilibus, tam futuris, „quam præsentibus, qualiter ego Vighardus & frater meus Rupertus, Dux militum H Ludovici, „qui nobis ex consanguinitate conjunctus est, omnia „prædia nostra, quæ nobis ex paterna hereditate advenerunt, ex illius permissione & juvamine divisimus: Postea frater meus pro amore DEI, & re„medio animæ suæ ductus, omnem partem suam, „quæ ad eum spectabat, Domino suo Regi contradidit, ea videlicet ratione, ut in castro Thuricino, „juxta fluvium Lindemaci, Ecclesiam construeret, & „servicium DEI ibidem perpetualiter constitueret. „Unde ego Wigghardus presbyter, quamvis indignus, ex intimo desiderio punctus, in quodam lo„co, qui Lucerna ex antiquitate dictus, juxta fluvium, qui Rusa dicitur, qui de summitate magni „laci fluit, in honore S. Mauricii & Sociorum ejus, „& S. Leodegarii martyris, & omnium sanctorum, „parvum tugurium construxi, omnemque substantiam quæ me contigit, de monte, qui Albis dicitur, incipiens à prædio meo Lungkunfht (c) & „omnibus locis circumquaque jacentibus, ex permissione regis cognati mei ad ipsum locum contradidi, & me ipsum illuc propter servicium Dei „collocavi, & tantos monachos, quamtum potui, „illuc congregavi. Unde vir quidam nobilis ac „bonus ad me veniens, qui spretis omnibus curis „hujus seculi, quem ego ipse monachum illuc ordinavi, nomine Alvicus, ita ut pœne dicam per „omnia Dei amicus, prudens in scripturis sanctis, „qui suis ammonitionibus, ac verbis salutaribus corda „omnium civium regionis illius in Dei provocavit „affectum. Inde de die in diem crescente servicio „Dei, ipsum Alvicum mei successorem, ac rectorem „ipso loco dereliqui. Datum, mense Octobri, die „V. Indictione XI. regni gloriosissimi regis H Ludo„vici anno V. Actum in loco ipso Lucernæ.„ Hac in parte plures Ludovici pariunt dubitationem de tèmpore, multosque in errores varios traxerunt. Sunt enim (d) qui tradiderunt hunc Ludovicum Pium Caroli M. filium: alii Ludovicum Germaniæ regem, Pio natum: aliorum alia sententia. Nam qui Clodoveum primum Francorum regem, qui Christianam pietatem & mores amplexus, arbitrati sunt, ultra veritatis & rationis limites exsiliere: cum multis post ejus Imperium annis vixerit, mortemque subierit, de quo in Instrumento mentio, S. Leodegarius. Et reliquorum quoque opiniones, qui Ludovicum aut Pium, aut Germaniæ regem constituunt, hinc facile confutaveris, si Lucernam jam quidem à Pipino, qui primus Franciæ regnum in familiam suam contulit, Morbacensibus consignatam perspexeris: Id autem apertum ex privilegio Lotharii, Pipini pronepotis, quo eam donationem confirmavit, Imperii sui anno XI. Argentinæ. Duo restant Clodovei vel Ludovici, Clodoveus II. qui etiam

(c) Lunghoffen supra Bremgarte exiguo intervallo. (d) Latz. Lib. VIII. mig. Nauclerus gener. XXIX. Chronographus Helv. Lib. VII.

etiam primum Ludovicus dictus est, & Ludovicus III. Non sub II. tunc enim adhuc puer S.' Leodegarius. Ergo sub III. Ludovico fundamenta hujus Collegii posita, ejus anno V. & ultimo; Christi Domini DC. XCVII. Lotharii Imp. privilegium in hæc verba. „ In nomine Domini nostri Dei æterni. H. Lotharius divina ordinante providentia Imperator Augustus. Si petitionibus servorum Dei justis & rationabilibus divini cultus amore favemus, superna nos gratia muniri & foveri non dubitamus. Ideo noverit industria omnium fidelium nostrorum, tam præsentium, quam & futurorum, quia vir venerabilis Sigimarus Abbas ex monasterio, quod dicitur vivarium peregrinorum, quod situm est in Ducatu Alsacensi super fluvium Murbach, & constat esse constructum in honore S. Leodegarii, & S. Petri Apostolorum principis, vel sanctæ Dei genetricis semperque virginis Mariæ, detulit nobis sacræ memoriæ Genitoris nostri H. Ludovici authoritatem, in qua erat insertum qualiter atavus noster Pipinus quondam Rex, & ipse postmodum in suam eleemosinam concessit monasterium Luciariæ, & monachis ibidem degentibus homines quinque, his nominibus: Waldonem, Vulfarium, Vulfinum, Vulfoldum, Vulbertum cum filiis & posteris eorum, commorantes in loco nuncupato villa Emman (e), super fluvium Rusa, in pago Aregava, videlicet, ut illud quod ad partem publicam facere consueverant, ad prædictum monasterium facerent. Unde memoratus abbas deprecatus est clementiam nostram, ut pro firmitatis studio & animæ nostræ emolumento, eamdem præceptionem nostra confirmaremus authoritate, quod & nos fecisse omnium fidelium nostrorum cognoscat industria. Præcipientes ergo jubemus, quemadmodum & in eo præcepto continetur, de itinere exercitali, seu scaras, vel quamcumque partem quis ire præsumat, aut mansionaticos (f), aut mallum custodire, aut navigium facere, aut alias functiones, aut freda exigere, & quidquid ad partem Comitum, aut Juniorum eorum, seu successorum exigi poterat, sicut idem atavus noster, & Genitor concesserunt & per eorum authoritatem confirmaverunt: Ita nostris futurisque temporibus firmum & stabile permaneat: Et ut hæc authoritas nostra firma habeatur, & per futura tempora melius conservetur, de anulo nostro subter jussimus sigillari. Richardus ad vicem Agilmari recognovi. Datum VII. Kalend. Augusti. Anno Christo propitio Imperii H. Lotharii pii Imperatoris XI. Indict. III. Actum Strasburg Civitate in Dei nomine feliciter. Amen. „ Eo in loco, ubi Collegium hoc fundatum, jam olim àt empore D. Galli visa fax piorum oculis flammas per noctis caliginem ejaculari; quæ res monuerat adcolas ut sacellum ponerent, dicarentque D. Nicolao, quem præcipue nautarum, antiqua traditione & miraculis, tutelarem acceperant. Ceterum Morbaco ad quod Lucerna devoluta, has tradidere

(e) Emma vicus duobus circiter infra Lucernam p. m. (f) Mansus, fundus, aut aliquid unde familiam tuearis, & censum domino referis. Mansionatici quibus mansi. Quamvis non ignorem mansionaticos dictos qui propolas agerent & diversoria publica, Annonio teste & aliis, quod forte huic loco magis conveniat, adjungit enim mallum, quod pro loco sumptum in quo impensas habebant, ex reb. adhuc controversis. De mallo alibi, uti & freda. Juniores vocat quos nunc Jungherren dicimus, qui antiquitus tantum comitum liberi, nunc quivis si sint opes ex vulgo.

origines. *Ergkenaldus* (g) *fuit præfectus palatii regis Dagoberti*: (Aimo ait fuisse Clodovei II. post Egam, quem reliquerat tutorem filiis Dagobertus) *Habuit is filium etiam palatii præfectum Leodisium* (idem Aimo vocat Leudesium, aitque factum Theodorici I. Majorem, auctoritate S. Leodegarii, detruso in monasterium Luxoviense Ebroino.) *Leudesio fuit filius Ettico, is habuit S. Leodegarii neptem conjugem, reginæ sororem, propter quam adfinitatem Ducatum Alsatiæ a rege accepit. Habitavit in regia villa Ebenheim, in arce Hohenberg, latine Altitona, postea mons S. Otiliæ dictus. Quadripartito is sua divisit, primam partem ad D. Stephani Argentinæ attribuit, quem condiderat: secundam monasterio Ebersheim, infra Slestadium: tertiam monasterio cui Otiliam filiam præfecerat, qui nunc mons S. Otiliæ nuncupatur: quartam consanguineis* (ego nepotes puto ex Adelberto filio, cum Latzio) *Eberardo & Masoni. Eberardus habuit sedem in arce Egesheim, nullaque prole suscepta, condidit prope fluvium Murbach cœnobium in honorem D. Mauritii, quod postea S. Pirminius S. Leodegario dedicavit, Vivariumque peregrinorum adpellavit*, (primo anno (h) Theodorici II. ut ejus confirmationis ostendunt literæ) *Maso etiam Masmunster a se dictum monasterium in magna valle adificavit* (i), in eoque sepeliri voluit, in honorem etiam S. Leodegarii. Erant enim illi Divo omnes hi principes viri, uti Vighardus etiam & Rupertus, sanguine aut per adfinitatem conjuncti: quo magis colere, memoriamque eius perpetuis monimentis consecrare, modis omnibus studuerunt. Eum Ebroinus quondam M. Equitum, monachatu relicto, cum ingentem sceleratorum manum fecisset, inimicos magna celeritate oppressisset, Leudesium M. Equitum Theodorici inter colloquium perfidiose interfecisset, ipsum Theodoricum, substituto alio, in regni discrimen adduxisset (k), post longa carceris & vinculorum tædia, erutis oculis, corporeque fœde dilaniato capitis damnaverat, cum Gerinum ejus fratrem lapidibus obruisset, Episcoporum alios, & quidquid probi rectique fuit, in exilium egisset, aut pari crudelitate trucidasset (l). Sed quia S. Leodegarii recens & nupera recordatio, ideo templa quidem & monasteria, in honorem Deiparæ matris, aut alicujus Apostoli martyrisve, præcipue Mauritii, cujus tota Helvetia & vicinia cultus celeberrimus esset, consecrarunt, tum vero S. Leodegarii, cujus innocentiam, & sanctitudinem præclara miracula probassent, memoriam addiderunt. Sed Lucernensium prima, ut volunt, à Martello Carolo Franciæ Equitum M. privilegia & incrementa bello Saracenico: Referunt enim scriptores, Saracenos ea tempestate (m) ex Hispania profectos Galliam, ingentibus equûm virûmque copiis inundasse, Narbonam, Massiliam, Arelatum occupasse, vastasse, cum iis Martellum prope Salonam, quæ inter Massiliam & Arelatum est, prœlium fecisse, magnam stragem edidisse. Eo in bello prælioque Lucernenses agmen extremum duxisse, & pro triariis, exercitus robur cum suis vicinis Entlibuochanis & aliis Urbigeni pagi, constitisse, inde gloriam & decus reportasse. Carolus M. Martelli nepos, cum pariter cum eadem gente varia fortuna pugnasset: Desiderium

Q 2

(g) Chronic. Eberscheim. Lib. IV. cap. 37. Eodem Lib. c. 44. (h) A. D. N. DCLXXIX. (i) A. D. N. DCCXXIV. (k) A. D. N. DCLXXX. (l) A. D. N. DCXXXV. Vrsino auctore in ejus vita. (m) A. D. N. DCCXXX & sequentibus. Sigeb. Blondus Æmil. alii.

rium postea Longobardorum regem in potestatem redegisset, Italiam subjugasset, Helvetiorum maxime milite & opera, ut Italiæ vicinioribus, & per quorum fines expeditionem fecerat (n), cum aliis alia privilegia & virtutis insignia largiretur, Lucernensibus quidem primo eorum cornuum æreorum usum, quæ etiamnum inde bello insonant, semperque ejus nepos Rulandus Francorum fortissimus usus fuerat, indulsit: tum vero cum Italia rediret, & Lucernæ ageret, duas illas turres, sive arces fuerunt, quæ utramque Ursæ ripam tenebant, (altera quidem, ubi nunc Societatis JESU Collegium: altera dextro fluminis latere è conspectu ubi officina aromatica) exscidit, sola ea turre relicta in medio fluminis, quæ lucernæ usum præbebat, ea maxime de caussa, quod qui in iis essent, ad recipienda vectigalia & portoria, insolentiores agerent, quam liberi homines aut mercatores, exterique transeuntes ferre & pati possent, prædones supplicio adfecit, cives in suam & Imperii protectionem suscepit (o). Fuere ita, uti diximus, quantum ad militiam remque publicam ferme liberi, cetera quæ regibus principibusque munera officiaque debuerunt, Morbacensibus Pipini donatione tenebantur, ipsis libentibus. Caverant quoque Morbacenses pluriens ne ab eorum dominatione umquam avelli, aut cuiquam præterea obligari possent, præstiteruntque ad Albertum usque I. Imp. Habspurgi Austriacum. Is cum forte bello Nassoviano confecto Argentinæ versaretur, & Berchtoldus à Falckenstein Morbaci abbas regem sectaretur, ab eo, uti à ceteris qui aderant, magnas pecuniarum summas in belli sumtus, & ad regalium confirmationem efflagitare instituit, quas præstare non posse haut ignorabat. Petierat jam ante annos septem (p) Rodolphus Rex Alberti sollicitatu, ut illud opidum sibi idem abbas venderet, tunc quidem frustra, nisi quod promissum, si alienanda urbs, in ejus primum aut liberorum ante omnes potestate fore. Sed tunc quoque Morbacensem magnum æs alienum premebat, quæ res facilius perpulit, (persuadente præsertim Alberto, quod opidum & ea loca, ut remotiora, parum commoda: quod majorum impensarum: quod hac exigua parte relicta, seque monasteriumque obligationibus & multis oneribus exsolveret, & veluti in libertatem restitueret;) ut omnia in manus Alberti ejusdem traderet, quæ in pago Urbigeno ad monasterium Morbacum pertinere videbantur. Fuere Lucerna, Hergenschvvyl, Grientz, Havv, Malters, Littau, Eyenthal, Meggen, Habsburg arx ad lacum, pars Cussenaci & Arti. Summa in 2000. marc. arg. confecta. Exceperunt Morbacenses solum Collegium Canonicorum, itemque omnia ejus Ecclesiæ feuda. *Acta hæc Argentinæ, mense Augusto.* (q) Venditiones has Lucernenses ægerrime ferre & contra obniti. Nec licere tot Abbatum præcedentium privilegia & promissa, quæ alienationes omnes prohiberent, quæque ipse Berchtoldus pollicitus esset & confirmasset, uno momento abrumpi. Multa huic loco omnes prope Abbates privilegia & immunitates incluserant, ea maxime ex ratione, ut frequentia & hominum conventibus opidum excresceret augeretque, & inde celebraretur, quo pacto non pauci ex vicinia nobiles adducti, quorum adhuc superfunt aliquot præstabiles familiæ, eo concesserant, sedemque fixerant: Sed Alberti tantum promissa & legatio subito eo destinata valuere, ut acquieverint. Ostendebat melius, ut vicinior & qui pleraque circumjecta teneret, quam Morbacenses, qui in Alsatia & ad Vogesi solitudinem, eos tueri & contra quamcumque vim defendere posse, suis præcipue, tum Romani Imperii opibus. Privilegia eorum omnia in eadem authoritate apud se fore. Egere Lucernenses sub Austriacis annos XXXVI. Quis credat: ferme totidem in armis. Viginti tres anni contra tres vicinas Civitates Suitiam, Silvaniam, Uraniam bello sumti & consumti, ductu auspicioque Principum, nec pax interea ulla, nisi sine pace, cum primi semper hostibus objecti, primi excursiones hostiles prædationesque exciperent, nemine satis defendente, agri vastarentur, commercia perirent & mercimonia. His denique caussis adducti, an coacti, cum eisdem tribus Civitatibus primo inducias quidem, mox suapte auctoritate pacem, & postremo fœdus perpetuum fecere (r), proximo Sabbatho post festum Martini. Et inde pro tuenda libertate & fœdere bellum (s).

(n) A. D. N. DCCLXXVII. (o) A. D. N. DCCCII. (p) A. D. N. MCCXCI. (q) A. D. N. MCCXCVIII.

(r) A. D. N. MCCCXXXIII. (s) Lucernæ situm & amœnitatem pluribus scripsit carmine Henricus à Gundelfingen, Canonicus Beronensis.

CAPUT V.

DE TIGVRO.

Thuricum, aut Tauricum à Tauriscis. Tigurum à Tigurinis postea. Improbata eorum sententia, qui Tigurinos Vranios dicunt, Rhenani, Munsteri, aliorum. Thuricum ex primis Helvetiæ opidis incensis. Tigurum Castrum. Castrum quid sit. Tiguro propter SS. martyres dignitas & magnificentia addita. Caroli M. de Tiguro testimonium. Idem Præpositura Tiguri fundator habitus. Tigurum Camera Imperialis. Ludovicus Germaniæ Rex Tiguri præcipuus auctor & Illustrator. Ejus Ludovici instrumentum fundationis monasterii Sanctimonialium quibus opidum & omnia vicina subjecta. Cudendæ monetæ authoritas à Crasso Imp. Episcopum Constantiensem, ubi electus esset, obligatum Tiguri comparere. Tiguri reges & Imperatores libenter egerunt. Tigurina Præfectura Imp. Zaringis tradita. Tigurum non in Suevia sed Gallia Helvetia. Imperio iterum vindicata & eadem de re Richardi regis privil. Quando mœnibus Tigurum cinctum. Tigurinorum cum quatuor Civitatibus fœderis perpetui caussa.

VNdeviginti intercesserunt anni cum Tigurum IV. Civitatibus quinta addita. Mitto quæ de origine hujus nobilissimæ urbis traduntur fabulæ, Thuricum Arelatensem regem, qui minorem urbem condiderit, tempore Abrahami: aut Suevum etiam regem qui majorem, & inde nomen Duregum, quasi duorum regum opus. Nam ejus antiquitas aliunde clara, amœnitas, commoditas, ubertas testantur & jam à Tauriscis cultam diximus, dictamque Tauricum, aut Turicum & inde Zurich. Hinc antiquissima monetæ adscriptio. *Moneta Thuricensis.*

ricensis. Lacum quoque vicinum eadem forma Valafredus (a) Thuricinum, aliique Scriptores adpellant. Tigurini pagi & Tigurinorum caput, à quibus deinceps Tigurum & ipsum dictum, usitato, illis temporibus, Romanis praesertim scriptoribus, transferendi populorum in eorum urbes, nomina. Ita in Gallia Lutetia primo Parisiorum Parisius. Samarobriga Ambianorum Ambianum. Caesaromagus Bellovacorum Bellovacum. Noviodunum Soissonum Soissio, Augusta Rauracorum Raurica; à gentibus opida & Civitates nominatae. Nec hoc in loco eorum (aa) refutavero opinionem, qui Tigurinos, quorum in historiis R. mentio, fuisse Uranios voluere, de quibus primo capite egimus. Nam si unam gentem fuisse ex Tauriscis ductam ortamque credant, haut repugnabo: Si quae à Tigurinis gesta sunt, in Vranios solos traducant, merito inficiabor. Nam cur argumentis agam re aperta? Nihil me nominis movet etymum, quod urgeant quasi Uri plus ad Tigurum, quam Thuricum ad Zurich faciat. Jam enim D. & T. in Z. frequenter & plerumque mutari Germanis, antea ostendimus exemplis. Vt nempe Tugium Zug, ita Thuricum Zurich. Quod diversis modis scriptum reperiatur Tigurum, Tugurum, Tauregum, Thuregum, Thuricum, Thuricinum, scriptorum non loci culpa an inscitia, ut exterorum. Strabo (b) sane tradit Cimbros ad Tigurinos venisse, & inde ad Tugnos. Tigurini, qui nunc Tigurini, primo ex Germania proncifcentibus & Bavaria, unde Cimbri, obviam & ipsis vicini Tugini. Vranios quis in Galliam habiturus iter & provinciam, illis in montium secretis, aut latebris requirat? Si in Italiam sane, alia ratio, ad eos enim summae Alpes pertinent. Aut unde consulari Romanorum exercitui domando subjugandoque vires opesque Uraniis? Pugna quae apud Morengart (c) Suitiorum pro aris, & focis, summa vi pugnata est, cum tota regione, qui arma ferre possent, sacramentum Vranii adegissent non ultra quadringentos cogere potuerunt, & tamen nulla dubitatione frequentior Vrania habebatur, quam vel bello Cimbrico & Cassiano. Nec mihi quis objiciat amoenam, delectabilemque Tiguri novitatem, nullaque aut pauca veteris culturae vestigia, quasi ea de causa ipsa nova. Nam si in hoc cardine versatur quaestio, cedo apud Vranios aliqua? Nuspiam, nisi rupes & montes eosdem velis, qui ut ante annorum aliquot millia ita nunc quoque minantur coelo, & toto vertice supra sunt. Sed ut ante ostendimus, Tauriscorum Vranii pars, & postea in eodem quo Tigurini omnes Ducatu Allemanniae pago Turgaugensi, ut vetera instrumenta docent. Tigurum vero sive Thuricum inter prima Helvetiorum opida, cum bello illo, quod sibi potius suisque opidis & toti patriae, quam Galliae Helvetii intulerunt, ut cetera omnia aedificia, conflagrasset, ab iis qui Caesaris victoris mandato reparare jussi sunt, aliquid pristinae dignitatis accepit. Postea Maximiani & Diocletiani imperio Allemanni evertere (d). Constantius Caesar, ut Vindonissam & Vitodurum restituisse creditur. Hinc illud quod inter Tiguri conditores Diocletianus, quod ejus jussu & Maximiani restauratum. Sed jam non Urbs, aut opidum sed Castrum. *In Castro* enim *Thuricino* martyrio adfectos Felicem & Regulam & Exsuperantium sub Diocletiano, quamvis potius sub Maximiano, ut qui Occidenti praeesset, Thebaeae legionis, quod ibidem Christi nomen profiterentur, praedicarent, Decio Praefecto Castri, memoriae tradidit in eorum vita Florenicus. Cujus quidem Castri & Praefecti sedis adhuc aulae sive pallatii retinet im Hoff nomen. Castra antiquitus dicta, quibus nulla extra Moenia jurisdictio. Quod accidit Tiguro, divisa in duces militum, Comites, nobiles, & quorum opera praecipua Imperatores usi fuerant, regione, cum interea saepius Castra urbibus & Civitatibus amplitudine, elegantia, opibus anteirent, quod Aimo (e) conqueritur de Divione, quibus omnibus rebus cum abundaret, castrum tamen esset. Ob earumdem martyrum memoriam, succedente mox in Occidente patri Constantio, Constantino M. & Christiana pietate longe lateque ejus jussu & auctoritate dissipata cultaque, Tiguro non minima frequentia: maxime Francis, qui demum abolito R. Imperio Galliam invaserunt, insita quadam religione loca B. martyrum quique sanctitate antecelluissent, singulari pietate colentibus, & magnificantibus. Primus tamen qui Tiguri in honorem martyrum aliquid majestatis addidisse putatur, fuit Clodoveus III. Francorum rex, ex opibus scilicet Ruperti Allemannicae Helvetiae ducis, ut ex Instrumento fundationis Lucernensis supra posito, patet. Nam qui post eum ex altero licet stemmate regnavit Carolus Magnus fatetur, eo in loco, quem *Sepulcrum SS. Martyrum*, vocat multos se pietate & integritate viros reperisse, qui sacris incumberent, divinaque officia facerent, quorum reditus & beneficia à majoribus suis adsignata confirmarit ampliaritque, & inde quod *Ecclesiae praepositurae SS. Felicis & Regulae*, ut habent vetera scripta, ipse auctor & fundator habitus. Sed Tiguri jam eodem tempore (f) nomen haut ignotum gentibus, & pro Camera Imperiali celebrabatur. Notum ex rescripto Ludovici Pii, Magni f. *Aquisgrani edito*, *XV. Martii VIII. anno Imperii*, datoque Gotzberto Abbati S. Galli, quo mentionem facit controversiae & litis quae inter eumdem Abbatem, & Episcopum Constantiensem intercesserat (g), quam deciderit, multamque edictum transeuntibus statuit *fisco*, inquit, *nostro Imperiali Turegi* persolvendam. Maxime vero SS. Martyrum, & simul Tiguri venerationem & dignitatem cumulavit Ludovicus Germaniae Rex Pio genitus, licet adhuc vicus esset, aut ut alia vocant instrumenta, Villa regia, nec moenibus, praeterquam castri essent, clauderetur, cum non solum eo in loco monasterium aedificavit, cujus amplitudinem intelligas quod Hildegardim filiam, addito nobilium virginum coetu, eidem praefecerit, sed omnia quaecumque regiae dominationis aut juris essent, SS. martyribus dicavit, consecravit, & in Virginum monialium usum cedere voluit, solo summo Imperio, aut regia Imperialive Advocatia sibi reservata. Exstat instrumentum, quod operae precium interserere. „ In nomi-„ ne sanctae & individuae Trinitatis. H Ludewicus „ divina favente clementia, Rex. Si de rebus ter-„ renis, quas sumus divina largitate consecuti, ad lo-„ ca sanctorum, ob divinum amorem, regium mo-„ rem decenter implentes, aliquid conferimus, hoc „ nobis esse profuturum ad aeternae remunerationis

 praemia

(a) Lib. I. cap. 4. (aa) Rhenani, Munsteri, aliorum. (b) Lib. IV. (c) A. D. N. MCCCXV. (d) A. D. N. CCXCVI.

(e) Lib. II. cap. 24. (f) A. D. N. DCCCXXI. (g) A. D. N. DCCCXX.

„ præmia capessenda liquido credimus. Quapropter
„ comperiat omnium fidelium, sanctæ Dei Ecclesiæ,
„ nostrorumque præsentium scilicet & futurorum in-
„ dustria, qualiter nos pro serenissimi Imperatoris, avi
„ nostri Caroli, & præstantissimi HLudevvici Augu-
„ sti, domini ac genitoris nostri, nec non & nostra
„ sempiterna remuneratione, ac pro conjugis prolis-
„ que nostræ clarissimæ perpetua mercede Curtim (h)
„ nostram Turegum, in Ducatu Almanico, in pago
„ Durgaugensi, cum omnibus adjacentiis, vel aspici-
„ entiis ejus, seu in diversis functionibus, id est, pa-
„ gellum Vraniæ, cum Ecclesiis, domibus, ceterisque
„ ædificiis desuper positis, mancipiis utriusque sexus
„ & ætatis, terris cultis & incultis, silvis, pratis,
„ pascuis, aquis, aquarumve decursibus, adjacentiis,
„ perviis exitibus & regressibus, quæsitis & inqui-
„ rendis, cum universis censibus & diversis redhibi-
„ tionibus: Insuper etiam forestum nostrum, Albis no-
„ mine, & quidquid in eisdem locis, nostri juris
„ atque possessionis jure proprietatis est, & ad no-
„ strum opus instanti tempore pertinere videtur, to-
„ tum & integrum ad monasterium nostrum tradimus,
„ quod situm est in eodem vico Turego, ubi san-
„ ctus Felix, & sancta Regula, martyres Christi, cor-
„ pore quiescunt. Quod videlicet, eo rationis teno-
„ re, complacuit nobis agendum, ut deinceps in po-
„ sterum ibidem tempore sanctimonialium feminarum
„ sub regulari norma degentium vita conversatioque
„ monasterialis, monastico cultu instituta, celebretur,
„ & libentius propter hujus loci supplementum, à no-
„ bis jam prædictis martyribus dediti, Dei famulatus
„ illic exhibeatur, ac pro nostræ, debitorumque no-
„ strorum omnium mercedis augmento diligentius, ac
„ uberius Domini misericordia exoretur. Volumus
„ etiam ut fidelium nostrorum noverit benivolentia,
„ quod paterna pietate commoniti supradictum mo-
„ nasterium, cum omni integritate, una cum nostra
„ traditione, in locis præfatis dilectissimæ filiæ no-
„ stræ Hildegardæ in proprietatem concessimus, ut
„ quamtum Domino permittente valeat in eodem
„ monasterio, Domino militante, suoque dominatui
„ subjectam, disciplinis regularibus & observatione
„ monasterialis institutionis corrigat & nutriat, locaque
„ ipsa sibimet concessa, quantum vires suppeditent,
„ profectibus & emendationibus augmentando prove-
„ hat, ac emendet. Denique jubentes præcipimus,
„ ut nullus judex publicus, nec Comes, nec quis-
„ quam ex juridiciaria potestate in locis præfatis, vel
„ in cunctis rebus ad eadem loca respicientibus, seu
„ homines tam liberos, quam & servos, qui illic
„ commanere videntur, distringere aut infestare, nec
„ fidejussores tollendo, aut ullas redhibitiones, vel
„ freda, aut bannos exigendo, aut alicujus injuriæ
„ vim ullo umquam tempore inferre præsumat; Sed
„ sub nostra defensione & immunitatis tuitione, cum
„ Advocatis ibi constitutis, res illæ securæ per diu-
„ turna tempora permaneant. Et ut hæc authoritas
„ donationis, atque confirmationis nostræ firmior ha-
„ beatur, & per futura tempora à cunctis fidelibus
„ Sanctæ Dei Ecclesiæ, nostrisque præsentibus & fu-
„ turis verius credatur, atque diligentius conservetur,
„ manu propria nostra subter eam firmavimus, &
„ anuli nostri impressione assignari jussimus.

„ Signum Domini HLudevvici gloriosissimi regis.

„ Comeatus Notarius ad vicem Rabbani recognovi.
„ Data XII. Kal. Aug. (i) Anno Christo propitio
„ XX. regni Domini H Ludovici serenissim regis in
„ Orientali Franci Indict. I. Actum in Regenspurg
„ in Dei nomine feliciter, Amen.

Carolus Crassus Imp. Ludovici supradi-dicti filius, rogatu Bertæ sororis, quæ Hildegardi successerat, primus cudendæ monetæ licentiam, quæ non nisi locis antiquis, & singulari privilegio permittebatur, indulsisse fertur (k). Hinc quod adhuc Tiguri numi antiqui reperiri dicuntur, quibus una facie, vultus mulieris velatæ, in altera scriptum, *Carolus Imperator*. Eadem Berta corpora SS. martyrum transtulit, utque anniversario festo tota regione celebrarentur, Episcopi Constantiensis auctoritate, & Caroli edicto impetravit, Raperto monacho teste. Idem Rapertus, qui eodem tempore, sub Crasso, & deinceps vivebat, scribebat, memoratum tradidit, Episcopum Constantiensem post suam electionem unctionemque, obligatum fuisse statim Tigurum se conferre, ibidemque sacra facere & populo sese ostendere, quod antiquæ & memorabilis authoritatis argumentum. Cum vero sub eodem Carolo Crasso (l), Romanorum Imperium ad Germanos venisset, substituto Arnulfo ex fratre nepote, Bavariæ duce, & deinceps aliis Germanis electis, nec certam sedem in Germania Imperatores haberent, curiamve & judicia exercerent, datum Insubribus & Italicis, ut si quando ad externa judicia vocarentur, Tiguri audirentur; auctor Otho Frisingensis (m), de Tiguro loquens. *Hoc opidum*, inquit, *in faucibus montium versus Italiam super lacum, unde Lemannus* (n) *fluvius fluit, situm, Imperatorum seu Regum olim colonia fuit, tantæque juxta majorum suorum traditionem authoritatis, ut Mediolanenses, si quando ad Transalpina vocarentur judicia ibi dejecti, vel judicari de jure deberent. Unde ex iisdem tam in rebus, quam in honoribus abundantia, in ipsius porta scriptum dicitur.*

Nobile Turegum multarum copia rerum:

Nec abs re quod regum, Imperatorumve coloniam vocavit: Nam præter regii sanguinis & originis, Ruperto primum, mox Hildegardi & Berta Ducibus ductam regiam veluti coloniam, frequenter & libenter Imperatores Regesque ea in urbe egerunt. Ekhardus Arnolphum Imp. qui Crasso successit, ut diximus, ferme Tiguri habuisse tradidit. Hermannus Contractus Henricum III. quarto (o) eadem in urbe versatum moratumque, & demum Henrico filio ibidem Othonis Marchionis filiam collocasse, multique alii, Henricus IV. VII. Carolus IV. Sigismundus, Fridericus III. &c. Fuit ita semper Tigurum Imperialis sedes, jurisdictioque sive Advocatia. Henricus IV. Zæringis tradidit, Othone supra memorato teste, ubi Berchtoldi Zæringi meminit, quem promisso à patre Sueviæ Ducatu, Henricus Imp. substituto Friderico à Stauffen, dejecerat, unde

(h) Curtis ex Jurisc. determinatione pars fundi.

(i) A. D. N. DCCCLIII. (k) A. D. N. DCCCLXXXV. (l) A. D. N. DCCCLXXXVII. (m) Lib. I. cap. 8. gest. Ænob. (n) Ita corrupte vocat quem Limagum dicimus, quem secutus ejus æqualis Guntherus. (o) A. D. N. MXLVIII. MLII. MLIV. MLVI.

unde bellum exortum erat inter utrumque Ducem. *Sic*, inquit (p), *prædictus Fridericus Dux simul Suevorum & gener regis factus ad propria rediit* (q). *Ne multis morer, Berchtoldum tandem ad pacem coegit, quod quidam sub filio suo Friderico tradunt. Conditio autem fuit talis, ut Berchtoldus Ducatum exfestucaret. Sic tamen quod Turegum nobilissimum Sueviæ opidum, à manu Imperatoris ei tenendum remaneret.* Quo quidem loco Sueviæ opidum, non sine errore & gentium confusione nominat. Suevia enim ultra Rhenum lacumque Acronium in Germania, & Tigurum & Tigurini intra Rhenum, & in Gallia. Et ut Allemanni, in quibus Suevi, partim occuparint, non tamen propterea Tigurini Suevi, aut Suevi Tigurini. Suevia sub suo Duce, Tigurina præfectura & inprimis Tigurum, soli Imperio dedita & subjecta. Post mortem sane Friderici II. & Zæringorum omnium interitum, cum Conradinus ejus nepos Ducatum Sueviæ invasisset, Tigurinamque præfecturam & Tigurum, tamquam Sueviæ partes, subjicere conaretur, & cum resisterent, Tigurinos Conradi regis patris authoritate proscripsisset, Richardus Anglus, qui eo tempore Rex Romanorum electus erat, non solum proscriptione exemit, sed rursum Imperio, liberali caussa, vindicavit. *Richardus Dei gratia Romanorum Rex semper Augustus, universis Romani Imperii fidelibus gratiam suam, & omne bonum. Sane fideli relatione pervenit ad nostræ serenitatis auditum, quod Conradinus, olim Conradi regis filius, qui se Ducem Sueviæ nominat, ea non contentus injuria, quod in vanum sibi gloriam alienam usurpat, insuper in cives nostros Turicenses, in nostro & Imperii gremio speciali collocatos, nec ad Ducatum eundem, sed ad Imperium, pro ut stabilivit antiquitas, & modernitas adprobavit, immediate spectantes, tanquam subessent memorato ducatui, proscriptionis de facto (cum nullo penitus jure posset) sententiam promulgavit. Nos ad cautelam eisdem civibus (ne aliquid in simplicium oculis eos infamiæ nubilum decoleret) prædictam proscriptionis sententiam, utpote omni robore vacuam, authoritate regia & plenitudine potestatis nostræ denunciamus omnino carere viribus, & decernimus esse nullam. Data Hagonoa XX. die Novemb. Indict. V. Anno Domini M. CC. LXII. Regni nostri VI.* Hæc de Tiguri origine, progressu, magnificentia, & dignitate pro urbis magnitudine pauca, pro instituta materia & temporis brevitate, aliquam multa. Primo (r) mœnibus, & fossis paullo grandioribus cinctam ferunt & munitam Hungaricis temporibus sub Othone I. Imp. & sequentibus ut alia pluria in Helvetia, Alsatia, & Germania opida. Multa Tigurinorum antiqua, & postea præclara & fortia facta, priscis & recentibus scriptoribus memorata, quorum jam antea nonnulla, & deinceps alio volumine in tempore explicabuntur. Fœderis origo cum IV. Civitatibus ex magistratuum primo insolentia, tum, cum patronos nacti essent, belli suscepti necessitate. Tigurinam remp. ad imp. usque Ludovici IV. Bavari Imp. XXXVI. viri, diviso in duodenos per partes tres anno, administraverant: ita ut qui XII. Kal. Janu. inierant, pridie Kal. Maj. magistratu abirent, sicque quadrimestri spacio sibi mutuo succederent, magna hactenus æquitate & reip. bono: scilicet dum simplicitas moresque prisci valuere. Mox ubi odiis senatorii ordinis homines inter se certare, per factiones in partes abire, omnes summum locum adpetere, eo cuncta vertere, suæ quisque familiæ per ambitum attollere, reliquos parvipendere, de jure pauca, cetera ex arbitrio judicare; fas atque nefas exiguo discrimine habere: tum vero ærarium & publica vectigalia tot discidiis & simultatibus in varia trahere, spoliare, & inde per inopiam oneribus insolitis plebem civesque premere, lacerare cœperunt, omnium quidem in se animos concitarunt, sed præcipue de peculatu arcessebantur, Rudolfo Brunio, qui ex patribus ad plebem transierat, maxime instigante (s). Hinc nonnulli relegati: urbe alii sponte excessere, qui mox refugium & socium nacti ex proximo Joannem Habsburgium, Rapertivillæ Comitem, bellum patriæ intulerunt: principio per proditiones & fraude, post aperto Marte. Variæ tum pugnæ, & plerumque Tigurinis felices (t). Excisæ arces Comitum Rapertivillanorum plures, sed ipsa Rapertivilla funditus eversa (u) traxit in propinquorum subsidium Albertum Austriacum cognomento Sapientem, & ejus precibus Carolum IV. Imp. eoque monente omne quantum est Germanorum Imperium. Hinc etiam quæsitæ Tigurinis opes, & IV. Civitatum pro tempore firmissimæ visæ: Fœdus cum iis perpetuum conceptum ineunte Majo (x), die Valdburgi virgini sacro: sequenti post anno (y) solenniter juratum. Hoc auxilio profligati hostes, plures victoriæ reportatæ, respub. parta & fortiter stabilita. In hac urbe patrum memoria (z), cum non solum bella per Principum ambitum terrarum orbem occupassent, sed etiam de religionibus quæstiones essent, Saich Ismael, quem Sophi nominamus, apud Persas & in Asia nova dogmata super Alcorani interpretationem evulgasset; eodem tempore in Africa Morabuth (a) qui se Cherif, aut Serifa (b) dixit, multa prius pietatis simulatione, ex contrario omnes interpretes, ut fraudulentos, abjecisset, præter simplex Alcoranum nihil veri, vel boni agnosceret; in Europa, præcipue Germania Martinus Lutherus Augustinianus monachus, qui se Heliam & quintum Evangelistam ferebat, diversa contra Romanæ Ecclesiæ authoritatem, & Apostolicas traditiones publicasset; in Helvetia Uldaricus Zuinglius sacerdotii ordinis, nonnulla quoque nova tradere cœpit aut pleraque quæ olim Arnoldus Brixianus Tiguri docuerat, longa oblivione & tenebris damnata, post quadringentesimum annum, in lucem memoriamque revocavit (c), quæ proclivioribus ad novitates mortalium animis, primo multis avide sumta, tamquam libertati consentanea, mox discidia, & ut acriora sunt, quæ pro religionibus odia suscipiuntur, inimicitias, & bella civilia peperere: Quibus eadem ex caussa Germania universa, & denique Calvino & Beza auctoribus, Gallia conflagravere. Arnoldi doctrinam finemque eleganti carmine persecutus est Gunterus, sui temporis poeta princeps, cum Friderici I. cognomine Ænobardi Imp. cujus aulæ sectator & Comes erat, iter Romam ut coronam Imperialem susciperet (d), descripsit (e).

Inde

(p) Eod. Lib. & cap. (q) A. D. N. MLXXXI. (r) A. D. N. DCCCCLX.

(s) A. D. N. MCCCXXXVI. (t) A. D. N. MCCCXXXVII. (u) A. D. N. MCCCL. (x) A. D. N. MCCCLI. (y) A. D. N. MCCCLII. (z) A. D. N. MDXIV. (a) Significat hoc nomen eremitam, & vitæ sanctæ hominem Thevetus Lib. I. cap. 5. & Lib. X. cap. I. Cosmog. (b) Hoc est: magnum sacerdotem. (c) MDXIX. (d) MCLIV. (e) Lib. III. Ligurini.

Inde caput mundi Romam petit, atque Viterbum
Contigit. Excelsa non longius Vrbe Viterbum,
Quam quamtum biduo tardus valet ire viator.
Sedis Apostolicæ præsul, summusque Sacerdos
Tunc Adrianus erat, qui fama lætus eadem,
Protinus eximia cleri stipante corona
Occurrit magnasque viro, tristesque querellas,
Multaque facta suæ crudelia protulit Urbis.
Contemni sese referens, populique furentis
Jurgia, probra, minas, risus, convicia, rixas,
Sæpe pati, clerumque suum, ceu vindice nullo,
Expositum probris, crebras perferre rapinas,
Pulsari, grassante manu, ferroque lacessi.
Cujus origo mali, tantæque voraginis auctor
Exstitit Arnoldus, quem Brixia protulit ortu
Pestifero, tenui nutrivit Gallia sumtu,
Edocuitque diu. Tandem natalibus oris
Redditus, adsumta sapientis fronte, diserto
Fallebat sermone rudes, clerumque procaci
Insectans odio, monachorum acerrimus hostis,
Plebis adulator, gaudens popularibus auris.
Pontifices ipsumque gravi conrodere lingua
Audebat Papam, scelerataque dogmata vulgo
Diffundens variis implebat vocibus aures.
Nil proprium cleri, fundos & prædia nullo
Jure sequi monachos, nulli fiscalia jura
Pontificum, nulli curæ popularis honorem
Abbatum sacras referens concedere leges.
Omnia principibus terrenis subdita, tantum
Committenda viris popularibus, atque regenda.
Illis primitias, & quæ devotio plebis
Offerat, & decimas castos in corporis usus
Non ad luxuriam, sive oblectamina carnis
Concedens; mollesque cibos, cultusque nitorem
Illicitosque jocos, lascivaque gaudia cleri,
Pontificum fastus, Abbatum denique laxos
Damnabat penitus mores, monachosque superbos:
Veraque multa quidem (nisi tempora nostra fideles
Respuerent monitus) falsis admixta monebat.
Et fateor, pulchram fallendi noverat artem,
Veris falsa probans, quia tantum falsa loquendo
Fallere nemo potest. Veri sub imagine falsum
Influit, & furtim deceptas occupat aures.
Articulos etiam fidei, certumque tenorem
Non satis exacta stolidus pietate fovebat;
Impia mellifluis admiscens toxica verbis.
Ille suam vecors in clerum, Pontificemque
Atque alias plures adeo commoverat urbes,
Vt jam ludibrio facer extremoque pudori
Clerus haberetur, quod adhuc, ni fallor, in illa
Gente nocet, multumque sacro detruncat honori.
Mox in Concilio Romæ damnatus ab illo
Præsule, qui numeros vetitum contingere nostros
Nomen ab innocua ducit laudabile vita,
Territus, & miseræ confusus imagine culpæ
Fugit ab Urbe sua transalpinisque receptus,
Qua sibi vicinas Alemannia (f) suspicit Alpes,
Nomen ab Alpino ducens, ut fama, lemano,
Nobile Turegum doctoris nomine falso
Insedit, totamque brevi sub tempore terram
Perfidus impuræ fœdavit dogmatis aura.
Vnde venenato dudum corrupta sapore
Et nimium falsi doctrinæ vatis inhærens
Servat adhuc uvæ gustum gens illa paternæ.
Ast ubi de medio sublato Præsule summo

(f) Allemanniæ nomen à Lemanno ex Güntheri sententia, qua de alibi.

Eugenius sacræ suscepit jura Cathedræ,
Ille Petri solidam cupiens convellere petram,
Ut caput infirmum per cetera membra dolorem
Diffundit, Romana petit temerarius ausu
Mœnia sacrilego, totamque nefarius Urbem
Inficit, impuri corruptam semine verbi:
Et populi tantas in clerum suscitat iras
Vt penitus nullum summo deferret honorem
Pontifici, clerumque odio vexaret iniquo.
Et si quis cui mens æqui reverentior esset,
Et meliora pio flagrarent viscera voto,
Forte refragari, seu dissuadere furorem
Ausus erat, seseque novis opponere monstris,
Omnibus ereptis, subversa funditus æde,
Corporis adflictu, seu tandem sanguine fuso
Clericus, aut etiam popularis, facta luebat.
Quin etiam titulos urbis renovare vetustos,
Patricios recreare viros, priscosque Quirites,
Nomine plebejo, secernere nomen equestre,
Jura tribunorum, sanctum reparare senatum,
Et senio fessas mutasque reponere leges,
Lapsa ruinosis & adhuc pendentia muris
Reddere primævo Capitolia prisca nitori,
Consiliis, armisque sua moderamina summa,
Arbitrio tractare suo, nil juris in hac re
Pontifici summo, modicum concedere regi
Suadebat populo. Sic læsa stultus utraque
Majestate reum geminæ se fecerat aulæ.
Unde etiam tandem (neque enim reor esse silendum,
Nec de funesto repetatur postea sermo)
Judicio cleri, nostro sub principe (g), victus,
Appensusque cruci, flammaque cremante solutus
In cineres, Tiberine, tuas est sparsus in undas.
Ne stolidæ plebis, quem fecerat improbus, error
Martyris ossa novo, cineresque foveret honore.

Hactenus Guntherus. De eodem Arnoldo pauca Otho Episcopus Frisingensis ejusdem Friderici Ænobardi Imp. patruus. *His diebus*, inquit (h), *Arnoldus quidam religionis habitum habens, sed eum minime, ut ex doctrina ejus patuit, servans, ex Ecclesiastici honoris invidia, urbem Romam ingreditur ac senatoriam dignitatem equestremque ordinem renovare ad instar antiquorum volens, totam pæne urbem ac præcipue populum adversus Pontificem suum concitavit.* Sed pluribus hac de re ad Innocentium Pontif. D. Bernardus (i), & epistola ad Episcopum Constantiensem, ubi cum paucis eos refutasset, qui Arnoldum ab abstinentia laudabant, demum inquit: *Si vultis scire, homo est neque manducans neque bibens, solo cum diabolo esuriens & sitiens sanguinem animarum, &c.*

(g) Friderico primo Imp. Ænobardo. (h) Lib. I. cap. 27. de gest. Frid. (i) Epist. CXCV.

CAPUT VI.

DE CLARONA.

Claronæ prima mentio. Felicis & Regulæ historia. Eorum Claronæ gesta, & monimenta. S. Fridolini historia, & in Helvetia gesta. Insigne miraculum. S. Fridolinus Claronensium Dominus, & postea patronus, tutelaris Divus. Claronenses liberi Monasterii Sanctionensis subditi. Otho Burgundiæ palatinus Claronensium Advocatus. Limi-

tes

tes inter eos, & Vranios restituit. Albertus Austriacus I. in eam familiam transtulit. Majoratum Clarona Austriaci sibi vindicarunt. Ammani officium aboleverunt. & Præfectum constituerunt. Civitates quatuor, Claronenses in deditionem acceperunt, & fœderis societatem.

SVanetes fuisse quos Glaronenses dicimus, inde mihi opinio quod eos, non solum in Alpinis populis ponit Plinius (a), sed inter Rheguscos, Brixenses, & Lepontios (b), quo quidem situ ipsi, & in regionis medio Schuanda ubi adhuc quotannis totius populi fit conventus, à quo antiquum populi vocabulum, vicus nobilis, baronum ejus nominis sedes. Claronæ deinceps qui meminerit primum fuisse crediderim Florenicum in vita Felicis, & Regulæ: Cum enim legionis Thebaicæ exscidium Maximianus Imp. Agauni imperasset (c), ex ea legione non pauci hinc inde dispersi: Felicem cum sorore Regula, & Exsuperantium, Valesiam transeuntes, per montem Furcam nominatum, & vastitudinem Ursariæ, Vraniam delapsos: ubi cum non paucos ad meliora vocassent sacra, superatis illis montibus, qui Marck, sive limitares dicuntur, & utramque ditionem dividunt, in Glaronensium regionem descendisse refert, quæ eo adhuc tempore vasta admodum, & inculta. Collem prope vicum Claronam, & in eo speluncam occupasse, tenuisseque ubi etiamnum eorum ostenditur, literis in rupe ductis, chirographum. Eodem in colle sacellum posuisse D. Michaeli Archangelo sacrum: Inde, conversis ad Christum omnibus prope incolis, Thuregum profectos, martyrium obiisse. Hæc quidem Florenicus. Post ducentesimum deinceps annum (d) tempore Clodovei I. Francorum regis, in Helvetiam venit Fridolinus natione Hybernus, gente nobili, professione Monachus, qui cum passim in ea, & vicinia Rauracis, Lacobrigis, Vindelicis, Rhætis Christum adnunciasset, inter ceteros etiam Claronenses in ea quam imbiberant, tot ante annis, fide & pietate ut permanerent hortatus est, & persuasit, adductis in eamdem sententiam, qui tum, post subactos Allemannos, eam regionem acceperant à Clodoveo, Urso, & Landolfo fratribus: Cum vero iidem sine liberis essent, Ursus quidem quidquid apud Glaronenses juris habebat, fratre Landolfo lubente, & volente D. Fridolino liberaliter obtulit, donavitque. Sed tam diu donationis fides, quam diu Urso vita fuit: Ubi ea digressus est, Landolfus negare omnia, & fratris hereditatem vindicare: testamenti tabulas, & cetera pro vanis, & irrita habere: Fridolinum, quia tenebat, apud Comitem Balbertum accusare, litemque intendere: Nec deerat Fridolinus: Dei, & justitiæ, & veritatis, jurisque amore. Tantum tamen favor valuit, ut sententia quidem pronunciaretur, falsa videri & corrupta, quæ instrumenta, scriptaque Fridolinus ostenderet, litem testibus evinceret. Quæ sententia, ut in Divum lata. *Agam sanè testibus*, inquit. Locum dein, tempusque poscit, in quem locum cum testibus venirt. Hinc plenus fiduciæ, & spe, recta se ad Vrsi sepulcrum contulit, & inperterritus, adstante, & obstupente rei novitate multitudine: In nomine DEI, qui vivis imperat, & mortuis, resurgat, testemque profiteatur, munus se id fecisse, de quo controversia sit jubet. Mirum dictu, sed visu mirabilius, ossium resumtis compagibus, exsurgit tumulo Vrsus, comitemque se ad tribunal judicis adjungit. Illud Rancuillæ apud Reguscos, ea tempestate, celebrabatur, præsidentibus Comitibus Clodovei instituto XV. Confectis igitur quinquaginta circiter passuum millibus Clarona Rancuillam usque in concilio constitit, & ad fratrem conversus; cur se beata quietudine privasset, præmioque quo fruebatur, ob donatam in honorem Dei hereditatem, graviter, & minaci voce increpuit, qua Landolfus oratione, visioneque magnopere exterritus, non solum restituturum fratris partem promisit, sed suam etiam adjuncturum. Ita tota Glaronensium regio D. Fridolino tradita (e). Fridolinus primo, quia sacellum illud à beatis Martyribus conditum, Christianorum multitudinem non capiebat, suæ jam ditionis sumtu, & reditibus, Ecclesiam eam parochialem, qua nunc quoque Glaronenses utuntur, ædificavit: deinde vero omnes incolas manumisit, & libertate donavit, exceptis postea in eam regionem advenis. Reditus, census, cetera officia monasterio Sanctimonialium, quod Sanctione Rheni insula, constituerat, pendere jussit, eique subesse. Qua ratione Claronenses liberi monasterii Sanctionensis homines, proinde remp. suam, suos magistratus ex se prælegere habueruntque, nulli præterquam Imperio obnoxii. Friderico I. Ænob. imperii potito, cum bellis omnia flagrarent civilibus & Sanctioni periculum esset, ipse Italicis rebellionibus intenderetur, Othonem Burgundiæ palatinum ex Beatrice unica, Comitatus Burgundiæ herede, filium, Sanctioni, eadem Claronensibus patronum, & advocatum dedit (f). Is limites inter Claronenses, & Uranios, sua auctoritate, constituit, pro quibus limitibus acria bella, prædas, vastationes, utrimque habuerant. Ejus rei exstat Inst. cujus initium. *Notum sit omnibus tam præsentibus quam futuris, qualiter Vranienses, & Claronenses, DEO annuente, reconciliati sunt, sub hac forma. Est rivus, &c. Et ne circumjacentium provinciarum plebi tradatur oblivioni, & ne commutari possit, sigillo Othonis Comitis Palatini Burgundiæ, præsens charta impressa est, & ejus consensu, quia ipse est Advocatus Claronensium. Actum Dominicæ Incarnationis M. C. XCVI. Datum apud Claronam III. Kal. Septembris.* Albertus deinceps Imp. I. Austriacus primo Sanctionem in tutelam, sed Glaronenses in feudum perpetuum ab Antistita accepit, ipsis invitis, & repugnantibus (g). Nam & ipsa, & quæ præcesserant, totumque adeo Sanctimonialium Collegium sæpius promiserant, literis, & privilegiis caverant, numquam fore, ut à se dispararentur, alienarenturve. Præfecturam vero aut jurisdictionem Imperialem Claronæ suis liberis idem Albertus perpetuam fecit, qua in parte Imperio vim attulit. Sed non his contenti iidem liberi, altius in viscera Claronensium se penitravere. Quia enim vero pauca illis, aut nulla ex eo feudo, aut jurisdictione commoda: Census enim, & reditus, erant Monasterii, cetera accidentia ejusdem Majoris, qui, ea quidem tempestate, Hermannus à Vindech cujus in arce Vindeck in Castris extra Claronensem regionem habitatio: respublica per Ammanum, & XII. viros, omnes Claronenses, (Nec enim externo aut advenas

R

(a) Lib. III. cap. 20. (b) Rhintaler, Brixner & Vrsler. (c) A. D. N. MLXXXVII. (d) A. D. N. CCCCXCI.

(e) A. D. N. DLV. (f) A. D. N. MCLXVI. (g) A. D. N. MCCXCIX.

advenæ eo pervenire officii antiquo more, & instituto, fas.) administrabatur; ipsum Hermannum Austriaci Leopoldus, & fratres perpulere, ut eo Majoratu cederet. Literæ super hac re factæ, quibus literis Majoratum in manus Leopoldi tradebat, *Badæ festo S. Viti. anno Dn. M. CCC. VIII.* Tum Procuratorem constituerunt qui Castrenses, quos ante, cum Comitatu Kiburgensi acceperant, & Claronenses regeret: hos quidem Superiorem jurisdictionem, illos inferiorem adpellitantes. Fuit primus Procurator Fridericus Comes Toggenburgensis. Et is à principio apud Claronenses pauca alia quam quæ Majores attingere viderentur, fungebatur: paullatim vero adsurgere & quæ Ammani fuerant in se transferre, donec, abolito omnino Ammani officio, ex Procuratore Præfectum Albertus, & Otho Austriaci Principes mitterent Hermannum Equitem à Landenberg, adsignata apud Navalia arce, quam paullo ante in hunc usum à Peregrino a Vagenberg Claronensi nobili emerant. Neque postea apud Claronenses pax fida, aut animorum tranquillitas fuit, mutata republ. & novationibus, quibus exactiones quoque graviores successere (h). Nullum, exulceratis animis Austriacis remedium quæsitum: cum deberent asperiora prælegere. Bellum cum quinque Civitatibus erat difficillimum. Iis insectandis, Suitiis præsertim, Claronenses præsidiis onerare & ex eorum finibus in hostes currere Austriaci cogitabant. Consilia in lucem data effectum abstulerunt. Quatuor enim Civitates Tigurum, Vrania, Suitia, Vndervaldia, re intellecta Claronenses, benivolentibus animis, in deditionem acceperunt, paullo post festum Martini (i), datoque sacramento, socios, & Confœderatos adsciverunt. Valterus à Stadio regione pulsus, antiqua reipublicæ forma repetita. Qui patebat unicus in vallem aditus, cetera claudentibus undiquaque altissimis montibus, muro, fossaque occupatus, *literæ fœderis sequenti anno facta. IV. Junii, die Lunæ post Pentecosten* (k). Jura omnia tamen Sanctionensi Monasterio & Imperio, censusque recepti. Grandi pecunia, pluribus post annis, evindicavere.

(h) A. D. N. MCCCXXIX. (i) A. D. N. CCCLI. (k) A. D. N. MCCCXCV.

CAPUT VII.

DE TVGIO.

Tugini prisci scriptoribus Græcis & latinis noti. Tugini Habsburgiis & demum Austriacis subjecti. Civitates confœderatæ Tugium obsederunt. Fœderum Helvetiorum ratio. Tugini in societatem admissi. Tuginorum miserabilis clades & ruina. Miraculum. Novi opidi origo.

EOdem pariter anno (a) sub finem Junii Tugienses in fœderis societatem sumti. Ipsi antiquis, & primæ classis scriptoribus noti, (b) Tigurinorum, ut adfines, ita comites & commilitones bellis Cimbricis, quorum proinde opidum Tugium ex XII. incensis unum. Nec postea satis reperias quæ condicio, statusque fuerit. Credo reædificatum opidum barbaros rursum evertisse. Nam semper cultum, facit ut credam, præter antiquum nomen, amœnitas, ubertasque loci, lacique. Cunradus Gæslerus baro, qui Meyenberg in pago Vrbigeno, ex arce Schaffenstein, opidum condidit, cum augurio, ultimum istuc in ea parte constitutum opidum, primumque quod pereat, memoriæ tradidit (c), Cami dominos Tugium reparasse. Cami antiqua memoria jam ab Ludovico Germaniæ rege, Caroli M. nepote. Is *Villam Camum* filiæ suæ Hildegardi quam Thuricensi monasterio, ut alias vidimus, præfecerat, donavit (d). Frequentasse deinceps, & ob laci delicias ædificasse nobiles ab Hunenberg, Vellenberg, Barburg, Schnabelberg, omnes Tugiensis ditionis, aliosque. Camensium etiam plures eo concessisse. Vellenbergenses demum tenuisse Burgumque sive arcem, cujus hodie adhuc nomen in colliculo, opidi novi, posuisse. Ab iis ad nobiles ab Haluyl, tum demum ad Habsburgios venisse. Bellis quæ cum Fœderatis Civitatibus Austriaci gesserunt Tugii præsidia habere, in Suitios, in Lucernates excurrere solebant, magno utrimque damno esse. Cum Tigurini etiam fœderi nomen dedissent, impedimentum ferre, ut medios ne commeare cum ceteris possent. Inde caussa, & necessitas obsidendi opidi. VIII. Junii. Primo exteriora Officia, quæ vocant, Bar, Mentzinga, Aquæ Regiæ sive Ægri, metu vastationis, deditionem fecere, sacramentumque dixerunt, ea quidem ratione, ut opidani, eo includerentur, si in potestatem venissent. Excepti præterea Principum reditus, jura, officia. Neque enim umquam animus fuit Helvetiis, suis fœderibus, regibus, principibus, nobilibus detrimento esse, aut vim adferre, in iis quæ jure ad eos venirent. Sed hac fœderum societate sua potius tuta reddere, vimque & tyrannidem propulsare, & prohibere. Opidani ad quintum decimum diem tenuere, sagittariorum maxime opera, quos Argentina euocatos, præsidio addiderat Albertus, & ipsius opem, voluntatemque exspectaturi, qui haut inde procul, apud Campum Regium, cum maximo peditum, equitumque exercitu agitabat. Postremo Vigilia S. Joannis Baptistæ expugnatum. Ipsi, uti ceteri jam antea, in fœderis communionem capti, eisdem articulis, quibus Civitates tenerentur, XXVII. ejusdem mensis Junii (e). Opidum Tugium, ea tempestate priscæ urbis, ut nunc vocant, mœnibus detinebatur. Paucaque extra eum ambitum ædificia, excepto burgo, & casis aliquot in vinetis, quæ lacui imminent. Accidit vero ut multis post annis, feria VI. quæ in IV. Martii venerat (f), ædes, quæ proxime lacum, sensim, discedente solo, dehiscerent. Et erat notata ruina, Nam murorum compages rimas duxerant, fragorem repentinum ediderant, fumum, & nebulam halabant. Sed quis eam cladem sperasset? Qui tamen cautiores essent, domibus egredi, pleraque exportare cœperunt. Plures sua securitas perdidit. Circa enim quintam pomeridianam, uno impetu, strageque, & strepitu, plateæ duæ in aquarum viscera subsedere, nullo omnino sui vestigio relicto. Mortales multi absumti. Nec tamen in tanta miseritudine, defuere miracula. Infans namque in cunis, per aquarum agitationem & volumina ex pro-

(a) A. D. N. MCCCLII. (b) Strabo Lib. IV. & VII.

(c) In suis Argoviæ, sive pagi Vrbigeni antiquitatibus. (d) A. D. N. DCCCLVIII. (e) A. D. N. MCCCLII. (f) A. D. N. MCCCCXXXV.

profunditate emersus, cum ventus aliquamdiu circumtulisset, demum ad ripam prope Sacellum D. Nicolai, extra opidum, exposuit salvum & incolumem. Juvenis quidam cum totam illam noctem hinc inde summis viribus, fluctibus & procellis eluctatus esset, tandem prope Nosodochium repertus est, & inde in oppidum illatus, sanitatem recepit. Ab eo deinceps metu, Vrbis, quam proinde novam nominant, origo & incrementa. Sed maxime laboratum in ea augenda & amplificanda post bella Insubriæ, & postea (g). Tunc enim quisque prout opes & potentia, altius in collem se subducere, fabricare. Mœnia quoque & turres ad eam partem addiderunt, templumque (h) multæ elegantiæ D. Osvaldo. S. D. & jam Tugii magnam ea partem efficit.

(g) A. D. N. MDXX. MDXXVI. (h) A. D. N. MDXLVIII. finitum.

CAPUT VIII.

DE BERNA.

Berna conditur, conditionis caussa. Tempus. Nomen. Imperio tradita & Imperialis facta. Privilegia à Friderico II. Nobilitatis contra Bernenses conjurationes. Ipsi Comiti Sabaudiæ se dediderunt. Petrus Sabaudiæ Comes Fundator secundus Bernæ. Libertati restituti.

BErchtoldus V. & ultimus Zæringiæ Dux & Burgundiæ Rector Bernam condidit, cum insolentiæ & rebellionibus suorum munimenti satis Friburgum a patre paullo ante eadem ob caussam positum non sufficeret, Annus fundationis hujus versiculi inclusus caracteribus.

Et dVX BerChtoldVs BernaM strVXisse notatVr.

Mense Majo posita fundamenta, Architecto Conrado nobili Barone à Bubenberg. Loci ingenium ab initio ita comparatum, ut cum sese in longitudinem rupib. porrigeret, circumfluente Arula in peninsulam formaretur, cujus extremitatem in angulo arx Nideck, qua frequenter agebant Zæringi, tuebatur. Ab eo situ nomen in Sacco fuit. Cetera silva densissima claudebantur. In ea repertus per venationem Vrsus urbi nomen dedit: & inde Arctopolin quidam nominavere: Illam ergo rupem Berchtoldus ædificiis occupavit & ad eum locum perduxit, ubi nunc turris horologii, fossa latissima, utraque fluminis ripa illam partem terminante. Mox satis pro tempore instructam, & aliquot nobilibus familiis ex Aventicis, Vrbigeno, Brisiacis auctam, cum periissent ex se duo nati, & uxor inepta ad aliam prolem procreandam effecta esset, utrumque nobilitatis ut plerique tradidere veneno & dolo, orta ex magna potentia & Justitia, ut fit inter mortales, invidia & odio, Othoni IV. Imp. tradidit (i), qui in suam & Imperii tutelam suscipit. Sed Fridericus II. qui post successit, privilegia urbana, & cetera Bernensibus ampliter largitus est. *Pollicitus*, inquit Nauclerus (k), *quod ab Imperio nec per se, nec per suos successores alienari valerent ullo unquam tempore*, præfectumque Imperii nomine constituit Othonem Equitem à Ravenspurgo, postremo etiam hac præfectura liberavit. Berchtoldus inde Friburgum Brisiacorum profectus, aliquot post annis vita solutus est (l). Sed Bernæ tantisper rerum prospera & incrementa dum Imperium & vita Friderico fuit. Ubi utroque spoliatus & secuto interregno, cuncta raperentur, traherentur, jure, injuria, eodem discrimine, subito in se aliquot ex propinquo Comites vertit. Caussa idonea visa, quod alteram ripam, quæ pagi Urbigeni est, ponte occupasset, argento licet id soli redemisset. Hinc Comes Kiburgius, qui ut Burgdorffi dominus, proxima tenebat, arma sumsit: adjunxit alios Arbergensem, Nidovium, Strasbergensem, multamque nobilitatem, quæ eo proclivior, quod in suam perniciem urbem natam vulgo jactaretur. Bernenses in re incerta, cum nec opes suppeterent ad defensionem, nec ab Imperio inter se diviso, auxilium sperare possent, Petro Sabaudiæ Comiti, qui Burgundiam majorem ferme totam eodem tempore invaserat, urbem denique tradidere *XXXV. Novemb.* ut literæ de ea re factæ ostendunt, *A. D. N. M. CC. LXVI.* Ipse & hostes duobus gravissimis prœliis fractos expulit profligavitque, & ponte utramque ripam firmavit. Et quia pro multitudine, & civium virtute parum magna videretur, urbem ampliavit mœniaque ad fossam usque Ursorum movit, qua in re non solum defensoris & tutoris, sed etiam patris & secundi conditoris officio defunctus est. Paruere Sabaudis hinc Comitibus ad Ædoardum usque Amedei IV. filium, XIII. à Beraldo, Sabaudiæ Comitem. Is cum multa bella cum Delphino Genevensibusque haberet, Bernenses operam præstabilem armis dedissent, quæcunque à se petissent, *ut erat sui suæque rei profusissimus*, liberaliter promisit (m). Petiere pristinam libertatem, & obtinuere, fœdus & amicitia perpetua utrimque facta: Et inde armis tantum Bernenses connixi sunt, ut jam tum eo, quod tenent, dominio, non indigni viderentur. Demum patrato Laupensi bello, cum ante oculos nobilitatis odia & conjurationes ex Sequanis, Brisiacis, Alsatia, &c. obversarentur, rursum strenuam operam quam à quatuor Civitatibus Lucerna, Urania, Suitia, Silvania acceperant, memoria repeterent, ut perpetuo fœdere cum iis conjungi possent, petiere & impetravere. *Litera data Lucernæ VI. Martii. A. D. N. MCCCLIII.* Hæ octo Civitates quandoque veteres aut antiquiores vocantur instrumentis publicis.

(i) A. D. N. MCCIX. (k) Generatione XXXVIII.

(l) A. D. N. MCCXVIII. (m) Baro Pingonius in eo.

CAPUT IX.

DE FRIBVRGO.

Friburgi fundatio. Ambitus. Situs. Nominis origo. Ditio antiqua Friburgensis. Zæringi privilegia. Mors. Berchtoldus V. Friburgum Bernamque perpetua amicitia colligavit & libertate donavit. Friburgum in Imperii tutela. Multa nobilitas Friburgi, & unde. Vrbis prima incrementa. Prima porta. Francisc. Monasterium conditum. Item Augustinianorum. Friburgenses se Kiburgiis Comitibus dedidere, & quibus ex caussis. Comites privilegia confirmavere, urbem ampliavere. Macra Augia monast. origo. Friburgenses

Friburgenses Rodolfum Comitem Habsburgium tutorem & ducem cepere. Quo pacto ad Habsburgios venerint. Rodolfus rex Friburgum in suam, & Imperii tutelam accepit. Eberhardi Comitis in eo jura emit. D. Nicolai templum conditum. Vrbis pomœria producta. Albertus Friburgum preciosa suppellectile spoliavit suoque juri reliquit. Friburgenses Sabaudiæ Duci se tradidere. Rursum primo juri restituti. In Fœderatorum numerum adsumti.

BERCHTOLDVS IV. Zæringiæ Dux, qui Friburgum condidit, cum patri Conrado, qui primus Burgundiæ Rector dictus, successisset, illud in primis curis habuit, ut quam ab eo Burgundiam acceperat, fortiter administraret, bellaque quæ pater cum Rinaldo Comite cœperat, quod eam sibi vindicabat debellaret. De quibus alio loco fusius egimus (o). Friderici demum I. Imp. Ænobarbi, qui unicam Rinaldi filiam Beatricem duxerat, auctoritate factum, ut Rinaldus quidem Ultrajurana, sive hodiernum Comitatum Burgundiæ teneret, Berchtoldus Cisjurana, sive Burgundiam Minorem, hoc est, Helvetiæ potiorem partem potiretur. Plena ea nobilitatis, quæ ut lingua, ita moribus diversa, proindeque Germano principi, qui per vim quasi subjugasset, parum amica, eoque elatior, quod cum fortissimis arcibus defenderetur, nullæ prope essent in Aventicis, quas timeret urbes. Nam præter Ebrodunum, nullum omnino in Aventicis opidum quod mœnibus se tueri satis posset. Paterniacum quidem, & Salodorum in flore, per nova Collegia, & Berchtæ reginæ regia magnificentia, sed haut firmæ. Rotundimontem situs solum commendabat: eadem ferme ceterorum ratio. Vnde Berchtoldo consilium, & provinciæ illustrandæ, & nobilitati reprimendæ ex arce quam tenebat condendi opidum. Arx illa tempestate eo in loco, ubi nunc nova Curia. Ab illa igitur arce (p) ædificia perduxit ad clivi illum descensum, cui Staldæ nomen est: & inde ad angulum illum, qui Pistorum societatem efficit: Mox ad eam extremitatem, quam Aventici primo nobiles, nunc Falcones colunt, & inde rursus ad arcem: Eo quidem situ ut cum omnia contra Meridiem, Orientem & Septentrionem rupibus altissimis essent prærupta, latus Occidentale fossa profundissima tegeret. Qua ratione fiebat, ut cum undique natura muniretur, opidum aliis mœnibus, aut propugnamentis non indigeret. Et ab ea libera constitutione repertum nomen, *Friburgumque nominatum. A. D. N. MCLXXIX.* Qui quidem ambitus ampliata longe lateque ut urbe, ita nomine, Burgi tamen servavit primam adpellationem. Sed ne castrum ex ipso nomine, potius quam urbem condidisse Zæringus videretur, ditionem externam adjecit, cujus antiqui limites, à Sensa fluvio, ad rivum Maconensem: & a Villaria, prope Moratum, ad usque Plasejam, trium ferme horarum circum circaque terrarum spacio. Tradidit & jus scriptum. Vtque frequentius coleretur multa privilegia indulsit. Ter se judicia coram exerciturum, adpellationes auditurum, nec ex suo se arbitratu, tamen pronunciaturum, sed de jure & ex legibus, institutis, privilegiis: Nullas belli caussa aut alterius necessitudinis exactiones onerave additurum: Neque cives nisi sponte ultra ducturum, usurumve, quam domum eodem die redire possint: Incolentium domos, pro milite contra voluntatem non usurpaturum: Alia multa, quæ mox Fridericus Ænobardus nonnullis additis confirmavit, *regni ann. XXXI. A. D. N. MCLXXXIII.* Berchtoldus, cum hoc pacto opes firmasset, egregiumque sui monimentum reliquisset, vitam haut multo post (q) deposuit superstite unico filio Berchtoldo V. filiabus Agnete, quæ Ægoni Comiti Uracensi collocata, & Anna, quam Vernerus Comes Kiburgensis uxorem duxit. Hic Berchtoldus filius Bernam constituit, loco & caussis supramemoratis. Utramque vero urbem cum amicitiam & veluti consanguinitatem colerent multis adhortatus esset, perpetuaque societate & necessitudine devinxisset, manu veluti misit, & libertate donavit. Fridericus II. Imp. ut ante Bernam, ita Friburgum, & omnia, quæ ad ipsum pertinere videbantur, in suam & Imperii tutelam suscepit. Privilegium datum *Hagonoæ mense Septembri Anno regni ejus X. D. N. MCCXIX.* Illa caussa fuit, ut plurimi viciniæ nobiles & opulenti, tamquam eadem ratione sub Imperio futuri, in urbem commigrarent, fortunasque suas & sedes in ea collocarent. Crescere inde urbs statim cœpit, maxime infra arcem, ubi nunc Fons vetus, & in subjecta valle pratisque à quibus illi regioni nomen, fabricatæ ædes, altera etiam fluminis Sanæ ripa, auspiciis præcipue Rodolfi ab Hagkenberg, qui Domum templumque Equitibus ordinis S. Joannis Hierosolymitani, eo in loco posuit ubi etiam sepultus est (r). Fossa quoque duobus pontibus lapideis occupata, uno ad tiliam & forum piscarium: altero prope Ramensium domum, quæ hodie Nobilium societas est, retinetque oppleta licet fossa, nunc quoque pontis nomen, & ex eo Sacellum Deiparæ matris, eo in loco, ubi modo templum paullo auctius, frequentabatur, quæ unica in proximo tum sacra ædes. Factæ quoque portæ tres, una in vico cui nomen Lausanensi, quod versus eam Civitatem duceret, ubi fons & ex colle Bellacensi descensus: altera haut procul supra Hospitalem domum, ubi ex bello lacu rivus per canales in urbem funditur: tertia ad clivi Staldensis pedem, ducto ad utramque ripam fluminis in gyrum se volventis muro. Eodem tempore ordinis S. Francisci Assisij, toto terrarum orbe fama. Quare ut religione non minus, & pietatis exemplis Urbs, quam ædibus cresceret, datus locus (s) ejus Divi regulam institutumque sequentibus Sacello Deiparæ Matris vicinus. Fundationis præcipui auctores Clementes ex nobili familia. Auxere Comites Kiburgenses, maxime impensis Elisabethæ Kiburgiæ, quæ cum velo se induisset, S. Claræ exemplum secuta, in Franciscanorum templo ibidem sepeliri voluit. Nec multo post (t) Velgenses & ipsi nobiles, & potentes urbis cives Monasterium D. Augustini regulam professis in vallis Augiæ angulo fabricavere. Dum hæc ita felicibus incrementis parantur, successit Friderici II. Imp. Innocentii IV. Pontif. auctoritate ab Imperio remotio, quæ non solum Germaniam universam adflixit, sed etiam Helvetiæ statum magnopere labefactavit (u). Quapropter cum non solum urbes aliæ civitatesque, in Germania & Helvetia opibus & antiquitate florentes, his turbis

(o) Lib. II. (p) Nova Curia ex arcis ruderibus postea condita, an. D. 1505.

(q) A. D. N. MCLXXXV. (r) A. D. N. MCCXXIV. (s) A. D. N. MCCXXXVII. (t) A. D. N. MCCLXXV. (u) A. D. N. MCCXLV. Concilio Lugdunensi.

turbis rerumque confusione, ut alibi notavimus, fortunarum suarum protectores defensoresque passim sublegerent, quos potentia & virtute præstare arbitrarentur, Friburgenses quoque, cum undique omnia circum spectassent, urbem opesque suas Kiburgiis Comitibus, qui Burgdorffi agebant Hermanno Juniori, Seniorique comisere, quos eo æquiores & propensiores sibi existimabant, quod Junior ex Anna Zæringia natus esset, & si potentiam spectes, in primis Helvetiæ Comitibus celebrarentur. Kiburgii, cum urbem hoc modo accepissent, privilegia & immunitates, quas aut à Zæringis principibus, aut Imperatoribus obtinuerant, confirmarunt. Qua de re *literæ facta Friburgi A. D. N. MCCXLIX. Regnante Gulielmo Hollandiæ Comite* (x).

Neque sic ab incrementis cessavit, extra portas maxime Augianam artificio coriario, undæ commoditate, frequentiam adjiciente. Unde Hermannus Junior cum consensu Communitatis & totius populi, omnem illam planiciem, quæ utraque Sanæ ripa, infra Monticulum, inter & Galteram Fl. est, condere volentibus, aut fabricare dedit, numo solido per domos in fiscum consignato. Eodem tempore, cum consensu pariter communitatis, Macram Augiam, dextra ejusdem Sanæ ripa, inter altissimarum rupium silvarumque recessus, Sanctimonialibus S. Benedicti adsignavit. *Acta prope Sacellum Dei genitricis A. D. N. M. CC. LIX.* multa eo multi nobiles contulere. Exactis abhinc paucis annis (y), vita functus est Hermannus, relicta unica filia Anna, quam Elisabetham male alii nominant. Et eodem tempore, tristissimum illud & funestissimum post Friderici II. mortem Interregnum incesserat. Quapropter cum firmiori præsidio, quam à puella nondum annis matura, indigere viderentur Friburgenses, tutorem suarum rerum, multis condicionibus, eodem anno, Rodolfum Habsburgium Comitem sumsere, cujus belli & virtutis celebritas clara, quique in ejus fortitudinis honorem Imperator postea delectus. Nupsit interea Eberardo Habsburgio, Lauffenbergæ domino, Rodolfi ex fratre nepoti Anna Kiburgia, & simul Friburgenses ad Habsburgios detulit. Sed qui à principio promitterent se eorum privilegia, jura, consuetudines conservaturos. *Actum in eodem Sacello Deiparæ Virginis mense Majo. A. D. N. M. CC. LXXV.* Regnante Rodolfo & Gulielmo Lausanensi Episcopo. Sed idem Rodolfus statim ubi ad imperium pervenit Friburgum in suam & Imperii tutelam suscepit, ejusque privilegia renovavit. *Arovia, Anno Regni II. D. N. M. CC. LXXIV.* Postea quia urbem videret satis firmum pro tempore adversus Comites Sabaudiæ propugnaculum, qui ferme totum Aventicensem pagum, præterito Interregno occuparant, quibus se Bernenses etiam subjecerant; variis ex causis, quos proinde persequi bello vellet, quidquid juris aut dominii Friburgi Eberardus nepos haberet, pecunia sibi vindicavit. Transactio *facta Friburgi A. D. N. M. CC. LXXVII.* salvis Vrbis privilegiis, quæ postea rursum probavit confirmavitque ipsamque in suam, & Imperii peculiarem protectionem adsumsit. *Basileæ mense Majo Anno Regni. XVI. D. N. M. CC. LXXXIX.* Sub Rodolfo Imp. templum totius Helvetiæ amplissimum, & nobilissimum D. Nicolao Episcopo, D. D. D. Friburgi condi cæptum. *Fundamenta jacta, A. D. N. M. CC. LXXXIII.* Multa inde secuta bella (z), suis, dominorumque auspiciis pugnata, per annos plurimos, quo tempore cum virtutis & fortitudinis eximiam laudem Friburgenses reportassent, de urbis interea amplitudine curare non sic potuere. Patratis omnibus, ad urbana incrementa animos adplicuere. Et quia jam pro fama & opibus minor esse videretur, pomœria producere, munimentaque ad hostium incursiones, & motus subitos addere placuit. Cœptus in semicirci prope formam murus, à tergo Franciscanorum ascendendo ad turrim Martiam, & deinceps declinando ad ripam Sanæ subjectam, quo in ambitu inclusa turris interioris portæ Moratensis, Itemque turris minor Bellilaci, turrisque Martis, ubi Horologium Martiale. Et quia ædificia versus Bernam præcipua damna bellis elapsis acceperant, mœnibus omnia circumdedere, fabricato à dextra Sanæ ad apicem collis, qui ea parte urbi imminet, muro cum turribus, quarum primum locum tenet, quam Rubram nominant, in ipso culmine. *Acta hæc A. D. N. M. CCC. LXXV.* & sequentibus. Nec inde multi intercessere anni & nova exarsere bella, omnium quidem sive cædes, strages, vastationes consideres, quæ Helvetia pertulit atrocissima Sempacensia (a), ab opido prope quod prælio decertatum, vulgo nominant. Quibus quoque post varias clades Austriacorum nomine toleratas, postremo confectis (b), cum duæ Civitates Friburgum & Berna, non solum fœdere & amicitia rursum convenissent, sed tertium Sabaudiæ Comitem adjunxissent; tertio (c) quoque pomœria mota, mœniaque exteriora à rupe illa præcipiti portæ Moratensis ultimæ, ad portam Stagnensem & Rotundimontanam & denique rupem quæ Sanæ incumbit, longo & spacioso ambitu confecta, cum turribus octo, quarum tres pro portis sunt. Cœptæ eodem tempore Monticuli turres, ultimo & postremo urbis augmento. Quies ex illa tempestate aliquam multos annos, sed sæpius inquieta & nonnulla fuere bella; sed maximæ cladis, quod cum Ludovico Duce Sabaudiæ & Bernensibus postremo Friburgenses habuere, nullo Austriacorum, ut protectorum Dominorumque quorum scilicet caussa bellum susceperant, auxilio opeque firmati (d). Quapropter pacem quidem cum Duce fecere, sed hinc quoque in ejus amicitiam multi civium præcipui nominis propendere cæperunt. Quod cum cognovisset Albertus Austriacus cognomento Mitis, ut bellum resumerent, neque quidquam de statu præsenti mutarent, à se omnia optimi Principis officia exspectarent pluribus egit, non peregit, omnibus quidem à bello abhorrentibus: plerisque promissa & cetera quæ ferret, quia frustra alias & bello præterito speraverant, ut vana eludentibus. Unde postremo preciosa suppellectile spoliatam prædæ cuilibet relinquere decrevit. Magistrum Pallatii ea de caussa Friburgum dimisit, suum adventum simularet, quidquid argenti facti aut ornatus esset, tanquam in principis honorem in curiam deferendum curaret, clamque

(x) Fuerat is electus contra Fridericum adhuc vivum. (y) A. D. N. MCCLXIII.

(z) Minnidurense, Turrianum, Guminense, Laupense, Graeningense. (a) A. D. N. M CCC LXXXIV. (b) A. D. N. M CCC XCIV. (c) Tertio pomæri. A. D. N. M CCC LXXXXVII. (d) A. D. N. MCCCXCVIII

clamque secundo fluvio per noctem quæ adventum antecedere credebatur, asportandum inde extra mœnia, veluti obviam evocatis urbis primoribus, spolia quidem illa ex urbe esse; ceterum quo deinceps vellent, agerent, regerent, modo sibi non fore curæ, demonstraret; quæ omnia nimis cum cura & industria Magistro perpetrata. Hoc cum se pacto exhaustos & circumentos, graviter ferrent Friburgenses, & ex adverso multa millia in sumtus superioris belli, ex arbitrum sententia urgeret Sabaudiæ Dux, urbem illi salva libertate & privilegiis, multis agitatis sententiis, postremo tradidere, fœdere perpetuo & amicitia cum Bernensibus renovatis (e). Paruere hinc Friburgenses Sabaudiæ Principibus ad bellum usque Burgundicum profligatum (f). Tunc enim orta inter Jolandam ex Francia, quæ Philippi Ducis F. tutelam gerebat, & ipsos ob æs alienum controversia, nec Ducissæ numi suppeterent, quos tunc quidem exsolveret, quidquid juris aut dominii habere videretur, si summam remitterent Friburgenses, condonavit. Ita sui omnino juris & libertatis in VIII. Civitatum fœdus venire, uti & Salodorenses petiere: admiserunt spectata bello præterito virtute & fortitudine nonnullæ, sed aliæ contra nitebantur. Donec tandem consilio & auctoritate Nicolai apud Silvanios Eremitæ, per id tempus celebratæ sanctitudinis & continentiæ, cum omnium adplausu & magna lætitia, Stantiano conventu, cooptarentur, nonamque & decimam Civitatem componerent. *Hujus rei literæ datæ Sabatho post festum D. Thomæ Apostoli, A. D. N. M. CCCC. LXXXI.*

(e) A. D. N. M CCCCL. (f) A. D. N. MCCCCLXXVII.

CAPUT X.

DE SALODORO.

Aristotelis in historiis legendis judicium. Salodori antiquitas. Saliensium caput. Vici maximi. Salodorum Castrum. Ejus amplitudo. S. Victoris templum regionem Geneuæ. S. Victorum inventio. S. Ursi inventio. Collegii S. Ursi origo & incrementa. Pipinum regem frequenter in Helvetia fuisse. Berchta regina Salodori instauratrix. Ursi & Victoris sociorumque martyrium. Antiquitatis Salodori monimenta lapides. Columna. Mænia. Statua.

SAlodori antiquitas adeo in manifesto est, ut dubitare nefas sit: Sed eam, quam ceteri & Glareanus tribuerunt, hoc est tempore Abrahami Patriarchæ, aut Nini conditam, nescio quibus auctoribus & testibus: Vereor ut tolerari & intelligi prudentibus possit. Scite & prudenter, ut cetera, Aristoteles, in legendis historiis neque nimis credulum neque omnino incredulum oportere. Illum sæpe falsa pro veris habere, ac turpiter plerumque labi: hunc nullum ex historia fructum reportare. In priore peccarunt graviter ii qui fabulis, & ignoro quibus narrationibus omnia antiquitatis monimenta implicarunt. In hac parte labuntur etiam hodie Turcæ, qui omnem vetustatis & actorum memoriam abjecisse dicuntur, quod non credant, recte ab iis ea tradi posse, quibus non interfuerunt, quique proinde aliorum fidem sequuntur: multo minus qui præfuerunt, aut spectarunt, ambitione, odio, metuque & præmiis omnia in transversum rapientibus. Sed uti nunc ea antiqua tenemus, quæ magnis illis ducibus, qui orbem terrarum imperio amplexi sunt, Romanis dico, condita, aut habitata fuerunt, ita Salodoro in primis Helvetiæ opidis facile locum reliquerim, adeoque ex illis XII. incensis unum, Saliensium caput (a). Saliensis populus sinistra Arulæ ripa ad Siggerim usque ab influxu Teilæ, & Bienna, pagi Aventici pars. Crematum opidum cum restituere jussi essent Helvetii, Jul. Cæsaris mandato (b) pro vico genti maximo coluerunt habitaruntque Salenses, multis post annis, ad Antoninum Alagabalum Imp. cujus II. & Sacerd. consulatu, hæc Salodori Inscriptio Eponæ Deæ, quæcunque fuerit, posita & dedicata

DEAE. EPONAE. MAG.
OPILIVS. RESTIO. MIL.
LEG. XXII. ANTONI
NIANAE. P. P. F. IMMV
NIS. COS. CVRA. SA
LIENS. VICO. SALOD.
D. D. XVIII. KAL. SEPTEMB.
IMP. D. N. ANTONINO.
AVG. II. ET SACERDO
TE II. COSS.
V. S. L. M. (c)

Qua in inscriptione, Salodorum, vicus Salensium vocatur. vici ea tempestate (d) loca, quæ licet frequentissima & celeberrima essent, nullis tamen mœnibus, vallo, fossave, aut propugnaculis clauderentur, quos proinde, quia capitales essent, ad aliorum differentiam, *vicos maximos* nominabant. Ita Tigurum vicus, ita Constantia villa, in antiquis adpellatur. Cum vero ejusdem Alagabali tempore, & paullo ante, posteaquam Germanæ barbaræque aliæ gentes in Galliam Romanasque provincias, totis viribus & vastitate incumberent, sævaque essent pericula, vicos illos maximos passim mœnibus circumdare firmareque contra hostiles impetus cœperunt, aut certe prope turres, arces, & propugnacula, castraque ædificare. Ita Salodorum ex vico castrum Maximiani Imp. *In castro* enim *Salodoro* Ursum & Victorem cum Sociis martyrio, eo tempore (e), adfectos, memoriæ traditum est. Quantum autem fuerit id castrum ex ruderibus & muris integris, quæ nunc quoque visuntur, judicare est facile. Et hodie inde ejus castri major pars im Hoff, sive in palatio, aut aula nomen conservavit. Turris illa quæ merita cum admiratione antiquariis conspicitur, arcis ab Oriente introitum servabat, cetera quæ urbem hodiernam conficiunt, vici cultu habebantur. Salodori meminit Antoninus, aitque distare Pyrenesca p. m. 10. Rauriaca vero p. m. 22. Ceterum & Castri,

(a) Quorum memoriam etiam conservet Salsach. sive Saliensium aquæ vicus inter Salodorum & Biennam. (b) Comment. I. (c) A. D. N. CCXIX. (d) Votum Solvit Libens, Merito. (e) A. D. N. CCLXXXVIII.

Castri & Vici barbaricis temporibus Vandalorum, Gothorum, Hunnorum, eversi & destructi, cultionem & frequentiam reparavit memoria & veneratio SS. Martyrum Thebæorum, ut ante de Tiguro ostendimus. Cum enim haut multo post Burgundi Helvetiæ maximam partem occupassent, uti alias vidimus, Christianaque pietate Martyribus, qui fidem Christi sanguine suo aut propugnassent, aut confirmassent, impensius addicti essent, Sedeleuba, aut ut alii scribunt Theudesinda, Gaudegiseli primi Burgundorum regis uxor, in suburbio opidi Genevensis templum D. Victori magnificum condidit, Domit. Epis. Genevensis auctoritate & suasu, in eoque corpus ejusdem Divi Salodorum translatum deposuit. (f) Victori autem præcipue dedicavit, quasi victoriæ contra Romanos Gallosque partæ monimentum. Id ex D. Victoris inventione, ducentis ferme post annis, eodem in loco facta, intelligere licet, quam his Aimo vetustus auctor & prob. verbis memoravit. *Beatus*, inquit (g), *Euchonius, Pontifex Maurianensis corpus S. Victoris (qui Salodori una cum Vrso passus fuerat) hoc modo invenit: Quadam nocte in sua Civ. quiescentem revelatio divina ammonuit, ut surgens quantocyus ad Ecclesiam quam Sedeleuba quondam Burgundionum regina in suburbano Genabensi construxit iret, ibi in medio basilicæ esse designat locum, quo corpus sanctum esset humatum. Cumque Episcopus Genabensem festinus adisset urbem adsumtis secum Rustico & Patricio* (h) *antistitibus, triduano peracto jejunio, nocte sequenti, eo loco quo gloriosi Martyris quiescebant membra lux cœlestis adparuit. Tunc hi tres Domini Sacerdotes, elevato, quo tegebatur lapide, invenerunt sanctum in arca argentea jacentem, cujus facies, septempliciter quam cujuslibet viventis hominis, divino irradiata resplendebat fulgore. Huic tam mirandæ egregii Martyris inventioni interfuit Theodoricus* (i) *princeps, qui loco illi maximam portionem facultatis Varnacharii, quam ille ut præfati sanctis eleemosynis delegaverat erogandam attribuit. Ad sepulcrum denique beatissimi Victoris, Christi potentia multa exinde miraculorum ostendit signa. Acta hæc sunt ann. V II. Theodorici* (k). Meminit quoque hujus inventionis Sigeb. (l). Corpus quidem S. Ursi Salodori esse, semper pro certo habitum. Nec tamen ubinam situm, ubi præcipue colendum, cuiquam pro affirmato fuit: Credo quæ nonnullorum opinio est, quod illorum temporum, ad eum locum religiosi, metune sicuti Victor auferretur & alio duceretur, occultatum & ignotum potius maluere. Cum demum (m) altare basilicæ majus nova fabrica dissolveretur, in eo saxum repertum arcæ specie quadratum, educta in cacumen suprema parte, ligamentis ferreis admodum firmum, cui exterius in sepulchri forma hæ exaratæ literæ.

D. M.
FL. SEVERIANAE

Saxum cum aperuissent duorum repertæ corporum in sindone reliquiæ, quorum unius caput ad Orientem, in cujus cranio lamina argentea, instar Schedulæ, hoc latino versu.

Conditur hoc sanctus tumulo Thebaidos Vrsus.

Alterius caput contra Occidentem, prope quod multæ chartæ sed situ & ætate putres. Inde quibusdam non improbabilis conjectura, Severianam nobilem fœminam, quam convertisset Ursus, sepulchro quod sibi parasset, beatum martyrem inclusisse secreto, in eodemque postea à suis positam fuisse, addito in utriusque discrimen, carmine. Quamvis alii adfirment potius hoc alterum corpus Victoris esse Genevam missum aliud, ex eadem sane legione, non idem. Collegii S. Ursi prima incrementa quidam (n) tradidere à Vertrada Pipini regis uxore, uti & Colmariæ, & Constantiæ. Pipinum frequentem in Helvetia egisse maxime per venationes, monimentum est adhuc arx ejus nominis Pip. paucis infra Salodorum passuum millibus: & Vivarium in nemore admodum amœno, è regione urbis, dextra Arulæ ripa, in quo adhuc passim cocti lateres varii coloris, ruderaque per ambitum reperiuntur. Qui Bertæ reginæ attribuunt principia, in eo erroris damnantur quod multis ante eam annis (o) consecratum Salodori Episcopum Lausanensem Bosonem, Ecclesiæ Lausanensis annales prodidere. Berchta tamen Burcardi Sueviæ ducis filia, & Rodolfi II. Burgundi regis conjux præcipuam dignitatem addidit (p): Basilicam S. Ursi ædificavit, XVII. sociorum corpora revelatione accepit, & altari ejusdem gloriosi martyris intulit: ipsum Castrum, census, reditus, vectigalia, jura omnia Collegio subjecit. Solam Capitalium cognitionem Præfecto regni Arelatensis reservavit. Quæ ut ipsum Arelatense regnum, sub Friderico primo ad Germanorum imperium delata. Et ejus reginæ Salodoro Paterniacum & inde Salodorum quondam secundum Brolium, Arulamque celebres & priscis memorabiles notatæ viæ, cum utrumque collegium post Rodolfi regis mortem vidua, regio sumtu, curaque & industria, eodem tempore, fabricaret. Reperta sunt deinceps, plurimis post annis (q), alia XXXVI. martyrum corpora quæ Sixti IV. Pontif. auctoritate, ministrante Suffraganeo Episcopi Lausanensis, partim in basilicam eamdem S. Ursi transportata: partim Sacello S. Petri in altari S. Crucis condita. Ursum, Victoremque & LXVI. Thebaicæ legionis milites, Hirtacus Sequanicæ Provinciæ procurator, cum variis tormentis, in colle præcipue paullo extra opidum ad Occidentem, qui nunc quoque Hermesbuchell, hoc est Hermetis aut Mercurii collis nuncupatur, excruciasset, fustibus, pœna militari, primo cecidisset, in flammas, rogumque sine noxa conjecisset, demum ex ponte qui inde non procul Arulam committebat, capitis damnaverat, qui cum secundo flumine, sumto quisquis in manus capite, per passus circiter trecentos veluti natabundi devoluti essent, in ripa egressi, ubi antiquum D. Petri Sacellum, salictis tunc omnia obsepta & virgultis tenebantur, conquievere. De his & ceteris ejus urbis, & viciniæ antiquitatibus, ita nuper ad me inter reliqua Joan. Jacobus vom Staal Eques Auratus, antiqua & vera virtute, uti & eruditione longe nobilissimus. *Arbitror Majores nostros perpetuo militiæ studio, non secus ac minores additos tantum operæ, quantum nos ipsi etiamnum hodie eiusmodi rebus impendisse, quo factum est, ut non solum in Archivis, sed etiam in ipsis lapidibus, sive ædificiorum ruinis, pauca admodum antiquitatis monimenta reperiantur. Indicio sunt confracti lapides quorum unus in pronao S. Vrsi alter infra Macellum, uterque loco parum conspicuo cernitur.*

No

(f) A. D. N. CCCCXV. (g) Lib. III. cap. XC. (h) Alter erat Genevensis, alter Octodorensis Episcopus. (i) Rex tunc Burgundiæ. (k) A. D. N. DCVII. (l) In chron. (m) A. D. N. MDXIX.

(n) Rhenanus in sua Germania. (o) A. D. N. Dccc xcii. (p) A. D. N. Dccccxxxvii. (q) A. D. N. Mccccl xxiii.

Ne quid dicam de duabus illis columnis, quæ ad gradus cœmiterii conspiciuntur, quæ in colle Hermetis, ejus nominis eidolum sustentasse creduntur, & patrum nostrorum memoria, ibidem inter rudera inventæ sunt. Pars illa mœniorum quæ propugnaculo ad Janiculum, (vulgo Katzenstæg nominant) est contermina meram antiquitatem, quamtumvis inscriptionibus carentem, spiraret, nisi, injecto cœmento, deturpata potius, quam dealbata fuisset. Tantundem dicere possemus de regionibus Fridhof, Coriariorum, & Judæorum vicis, ubi similia antiquitatis monumenta, superinducta calce, absconduntur. Exstat apud me elegans auricomæ veneris simulacrum, ante annos plus minus decem, in fundo Huldrici Aratorii, medio itinere, in urbem, & Bellas Aquas, è terræ visceribus erutum, sed fossorum inadvertentia aliquot in frusta confractum. Sed ejusdem basis inveniri nequit. Reperiuntur prædicto in loco, & ejusdem vicinia (quæ Curia Solis dicitur) passim subterranei muri, & phrygii operis tessulæ, inter rudera, ex quibus conjici potest, olim multa, & insignia ibidem fuisse ædificia. Locum hunc (etiam si nulla alia exstarent monumenta) propter commodissimum Arolæ trajectum, & reciprocam, in eodem fluvio, & lacubus, inter hanc urbem, & Ebrodunum navigationem, semper fuisse habitatum, ac celebrem admodum est verisimile Latina quoque nomina Idæ montis, Atyos Silvæ, Terræ dignæ, Bellæ aquæ, Salsarum aquarum, Hermetis collis, Romanos heic stationes, sive præsidia habuisse, ut credam, aliquo modo, me permovent, &c. Urbs ipsa in majorem, minoremque divisa, ponte super Arolam injecto, conjungitur. Et hæc quidem Episcopatus Constantiensis: illa Lausanensis diocesis est. Comitiis regum, & Imperatorum olim Burgundicis celebrata (r).

(r) Sub Henrico III. Imp. præcipue. A. D. N. M. XLV. & seq. Contracto teste.

CAPUT XI.

DE BASILIA.

Julianus Desertor Basiliæ conditor. De Rauracis & eorum finibus. Rauracorum etymon. Eorundem limites. Regionis Rauracensis divisio. Comitatus Fricensis. Comitatus Sesiacus. Rauraca Colonia, & Augusta dicta. Pluribus locis à Germanis eversa, mox reparata in Castrum Episcopi Rauracorum. Ex Augustæ ruinis Basiliæ incrementa. Postea ab Atila vastata. Et denique ab Hunnis. Henricus II. Imp. Basiliæ instaurator, aut potius fundator. Basilea terræ motu collapsa. Concilium Basiliense. Academia. In Societatem perpetui fœderis accepta.

BASILEAE, sive Basiliæ prima quæ antiquis ingeniorum monimentis tradita memoria sit, à Valentiniano I. Imp. est (a). Eum Ammianus (b) refert prope Basiliam in Rauracis, munimentum quod adcolæ vocarint Robur contra Allemannos ædificasse. Opinio ex eo Julianum Cæsarem Basiliam condidisse, sumto à matre Regina, aut ut erat Græculorum in disciplinis, verbisque deditior, Basilia nomine. Quod inde probabilius est, quod cum plerasque Rheni urbes, aut receperit, à Germanis occupatas, aut repararit eversas, Ammiano eodem teste, Basiliæ nusquam mentio, cum crebra sit Augustæ Rauriacæ, quæ sex supra Basileam passuum millibus. Nova vero Castra, & opida etiam constituisse, propter Rhenum, Desertorem illum memoravit jam ante dictus Ammianus qui sub eo miles. Sed antequam de Augusta plura, & Basilia, quæ ex ejus ruinis adcrevit, operæ erit precium pauca de Rauracis, & eorum finibus differere. Rauraci quorum mentionem habuit inter Helvetiorum socios Cæsar (c), Populi sunt circa Rhenum, Sequanosque, & Juram. Nomen Germanicum, sive potius Celticum Rauchracher, quod cum regio in Sequanis patens, & spaciosa, apertaque sit, apud Rauracos, in Angustias, & quasi fauces contrahitur. Ammianus *Supercilia Rheni* vocat, quod in eam formam, regionem Jurassus stringit. Divisa deinceps in plures Comitatus, & dominia eadem regione nomen antiquum obliteravit. Rauracos Arula ubi Vocetium, Juræ partem, relinquit, donec in Rhenum influat, à Tigurinis separat: à Germanis inde Rhenus, à reliquis Helvetiis idem Jura ad fontes Birsæ & petram, ut vocant, percussam. (Pierreport) quo Jura postea ad dextram relicto, & ex eo brachium illud persequendo, quod Leimmenthal, vallem nominatam efficit, quæ etiam Rauracorum est & Pyrseca diluitur, mox ubi deficit, rectus ad Rhenum procursus octo circiter infra Basiliam p. m. Sequanorum, Rauracorumque fines decernit. Omnis primo Rauracorum regio in Comitatus duos, tertia pars in plures divisa. Pars illa ab Arula, Rhenoque ad influxum usque Filmæ, qui Augustam Rauricam perlabitur, & infra Rhinfeldam Rheno miscetur, vocatur in antiquissimis Austriacorum protocolis Comitatus Frickgoviæ. Ita quoque nominant prisca Impp. instrumenta. Exstat privilegium Henrici IV. Imp. Basileæ datum (d), in quo nominat *Rodolfum Comitem de Frica*, Nunc Rhinfeldensem vocant, ab opido capitali. Sed præter Rhinfeldam sunt opida, Seckinga, Sanctio Romanis nominata, Lauffenberga: Vici plures, ut Mumpf, Frick, unde antiquum Comitatus nomen, Luckere, &c. Omnia domus Austriacæ, præter Luckere, quæ VIII. Civitatum, & pauca alia quæ Bernensium. Attingit eam Juræ partem, quæ Schachmat, aut ut vulgo, Schaffmat nominatur, inter Araviam, & Hombergam: Alter Comitatus Sisgiacorum est, aut Sisgoviæ, cujus limites ab eodem Filmæ exitu propter Rhenum ad ingressum item Birsæ, & inde ejusdem fluvii aversus cursus, ad rivum eum qui ex Beinuillersteg fluens in dextrum ejusdem Birsæ labitur, & demum Juræ summitatem. Opida in eo Liechstall (Leucostabulum) & Valenburgum (Burgus Romanorum) sed inprimis magna Augustæ Rauriacæ celebris coloniæ pars supra fl. Ergetzam. Comitatus etiam Hombergensis cum arce nova, & veteri Homberga, parsque Comitatus antiquissimi Froburgensis: Vici Farnsberg, Sissiacum, unde nomen, alii totus ferme tractus Basiliensium, paucis aliis exceptis ad Juram, quæ Salodorensium, & dextra Filmæ, quæ Austriacorum. Tertia denique pars secundum Juram, & nominatos ante limites. Quo in ambitu spacioso comprehensa Basilia Civitas, & Lauffa opidum, Comitatus Thierstein, Lilienberg: Lantzeron, Limmenthal, Rockenburg, Vallis, & Opidum Thelsberg, Vallis magna, vulgo Munsterthal, alia, pertinentque pleraque Episcopo Basiliensi, multa Salodorensibus nonnulla Basiliensibus, aut aliis nobilibus.

(a) A. D. N. CCC. LXXIV. (b) Lib. XXX. hist.

(c) Comment. I. & VII. (d) A. D. N. M. C. XIV.

bilibus. Hæc quidem de Rauracorum situ, finibus, divisione, quorum meminere præter Cæsarem (e) Jul. Solinus (f), Plinius (g), Ammianus (h), Eutropius (i), Antoninus (k). Ipsi universi sub Episcopatu nunc Basiliensi, primo Augustæ Rauracorum & Episcopatus Rauracensis, quæ Urbs Rauraca a populo, & Rauracorum caput. Ductis postea in eam contra Germanos & Rhætos à L. Munatio Planco Romanis militibus, ipsa Romana colonia, & denique in honorem Augusti, Augusta, ut aliæ plures Galliarum urbes nominata: Plinius (l) Coloniam Rauriacam vocat. Hinc Rauracæ ex Romano cultu habituque & frequentia cognomentum & claritudo, & ex propinquis Germanis invidia: Quapropter multa ipsorum contra eam bella (m), nec cessavere donec per irruptionem obruerent evertentque: Valentinianus, ut creditur, reparavit, sed in castrum. Hinc liber Prov. paullo post evulgatus, non jam urbem aut Civitatem, sed *Castrum Rauracense* nominavit, quod postremo (n) funditus Vandali & Allemanni exscidere: Unde Episcopi deinceps non se Augustenses; aut Rauracenses ab urbe dixere, sed Rauracorum à populo: haut aliter atque alibi de Aventico notavimus, & Episcopis Aventicorum. Ita subscripsit Synodo Agrippinensi I. IV. Id Maj. (o) *Justinianus Episcopus Rauracorum*: Concilio Aureliano I. sub Clodoveo I. Francorum rege (p) Christiano, *Adelfius Episcopus Rauracorum*. Concilio Aurel. II. sub C. Hildeberto Clodovei M. F. anno regni ejus XXII. XIIX. Kal. Julii (q), idem interfuit, & eodem modo signavit Adelfius. Sed uti diximus, ex Augustæ ruinis & occasu maxima accessio & incrementum Basileæ, ex propinquo facta, eo confluente, quidquid nobile aut opulentum, tot gentium & populorum stragibus & inundationibus superfuerat, à qua proinde continuo adcolæ & incolæ Basilienses nominati. Ita liber Prov. *Civitas Basiliensium, id est, Basilia Provinciæ maximæ Sequanorum*. Sed eam Civitatem sic quoque postremo Atila vastavit (r), ut quidquid integrum & salvum toto Rheno Allemanni recoluere, ponteque Brisiacos & Rauracos junxere, in eamque amplitudinem (translata demum eo Cathedra Episcopali) provexere, ut nulli Rhenanarum post esset; donec rursum Hungari, multis post annis (s), incenderent penitusque everterent, Hermanno Contracto auctore (t). Henricus II. Imp. Bavarus denique instauravit (u), urbem munimentis circumdedit, ductis à Rheno mœnibus: Ecclesiam Cathedralem, quæ propter utriusque populi commoditatem in fluminis ripa, in collem, eo ubi nunc loco, transtulit fundavitque, & eam Episcopo Adalbero cum omnibus reditibus, vectigalibus, juribus, tradidit, multis præclarisque privilegiis decoravit, Basilicam consecravit, & Matri Deiparæ dedicavit idem Adalbero, præsente eodem Imp. Henrico (x), qui ob vitæ integritatem, & morum & corporis castitudinem in Sanctorum numerum relatus, & Episcopis, Constantiensi, Lausanensi, & Genevensi. Multis illo tempore cùm opibus, frequentia, cultuque evaluisset, alteramque ripam domibus occupasset, summoque in flore versaretur, pœne tota terra tremente miserabili clade eodem tempore corruit (y), exortoque forte, an dolo, inter Civium fugas, lamenta, funera, incendio, quidquid rectum constiterat, in cineres vertit: ita ruderibus, cineribus, strage, tabe, cooperta & cumulata omnia. Sensim tamen fabricare: & primo mœnia per Anglica bella (z) refecere, aucto ærario ex reditibus, vectigalibus, aliisque juribus, quæ Joannes de Viana Episcopus, paucis ante annis (a) civibus pignori tradidit, qua primo ratione, quæ fuerant Episcopatus, in se transtulerunt. Nam postea (bb) quoque Fridericus Episcopus Baro à Blanckenstein, minorem urbem majori vendidit: & in ea Episcopale palatium. Sed urbi Basiliæ, magnificentia denique præstabilis ex Concilio (c) in ea generali, & postea Pii II. Pontificis auctoritate & sumtu, nobili Academia (d). Fridericus III. Imp. multis immunitatibus adfecit privilegiisque, quorum adhuc quot annis publica in populi concione memoria. Suevo postremo bello, cum neutram partem secuti essent, Maximiliano Imp. non improbante, deinceps à nobilitate tamquam parum Imperio fideles, & in Helvetios propensiores calumniarentur, nonnulli vim molirentur, quandoque adferrent, fœdere se perpetuo Civitatibus Helvetiorum junxere XIII. Julii (e), die Henrico II. Imp. fundatori & patrono, annua celebritate nobili & sacro. Superiori memoria, cum in templis arisque per Religionis mutationem Christi Salvatoris & Divorum imagines, & omnia antiquæ pietatis monimenta everterentur abolerenturque, L. Munatii Planci statuam foro publico, qui Coloniam Rauracam duxerat, Basilienses constituere cum hoc elogio (f).

L. MVNATIO. PLANCO. CIVI. ROMANO. VIRO. CONSVLARI. ET. PRAETORIO. ORATORIQVE. AC. M. CICERONIS. DISCIPVLO. QVI. POST. DEVICTOS. RHAETOS. AEDE. SATVRNI. DE. MANVBIIS. EXTRVCTA. NON. MODO. LVGDVNVM. SED. ET. RAVRICAM. COLONIAM. DEDVXIT. QVAE. AVGVSTA FVIT. APPELLATA. AB. OCTAVIO. AVGVSTO. TVM. RERVM. POTIENTE. S. P. Q. BASILIENSIS. TAMETSI. ALEMANNORVM. TRANSDVCTI. COLONI. SVBACTIS. AC. DEPVLSIS. RAVRICIS. AMORE. TAMEN. VIRTVTIS. QVAE. ETIAM. IN. HOSTE. VENERATIONEM MERETVR. VETVSTISSIMO. TRACTVS. HVIVS. ILLVSTRATORI. CVLPA. TEMPORVM. PRORSVS. ABOLITAM. MEMORIAM. POSTLIMINIO RENOVARVNT ANNO. M. D. XXVIII.

Quo in elogio nonnulla parum ex antiquitatis fide. Nam eo jam tempore quo ducta Rauraca, si tamen cum Lugduno, nusquam Augusti nomen, & Octavio Cæsari, cui primum in honorem virtutis datum, adhuc

S

(e) Comment I. & VII. (f) Cap. XVIII. (g) Lib. IV. cap. XVII. (h) Lib. XIV. XV. XXII. (i) Breviar VI. (k) Itinerar. (l) Vide cap. I. Lib. II. (m) Ammianus. (n) A. D. N. cccc. vii. (o) A. D. N. cccc. xl. (p) A. D. N. Iↄ. x. (q) A. D. N. Iↄ xxx. (r) A. D. N. cccc xl viii. (s) A. D. N. Icccccxvii. (t) In Chronicis. (u) A. D. N. M. X. (x) A. D. N. M. XIX.

(y) A. D. N. cIↄ. ccc. lvi. (z) A. D. N. cIↄ. ccc. lxxx. (a) A. D. N. cIↄ. ccc. lxxiii. (b) A. D. N. cIↄ. ccc. xcii. (c) A. D. N. cIↄ cccc. xxxi. (d) A. D. N. cIↄ cccc lx. (e) A. D. N. cIↄ. Iↄ. i. (f) Auctore B. Rhenano.

adhuc parum firma & constans, aut nulla potius imperii spes. Qua de re alibi pauca attigimus. Allemanni vero non tam traducti coloni, aut adeo Rauracos subegerunt, expuleruntve, quam profligatis, qui urbes, qui castra, valla, arces, turresque toto Rheno contra se construxerant, Romanis, quae ipsi munimenta tenuerant occuparunt, & ne recipiendi fiducia esset pleraque everterunt. Rauracos, quibus non minus odiosa Romanorum potentia aut praesidia, in agrorum communicatione, quos jure belli quaesisse videbantur, aut reliquerunt, aut adsumserunt. Unde extremis etiam ruentis Imp. R. rebus & temporibus, ut vidimus, Rauracorum nomen, non Allemannorum: & denique Basilienses vocati, translato ab urbe nova in universam gentem vocabulo.

CAPUT XII.

DE SCHAFFVSIA.

Schaffusiae antiquitas & etymum. Lacobrigorum fines. Monasterii omnium SS. Schaffusiae origo.

SCHAFFVSIA, si turres, moenia, rempub. spectes, nova: si cultum vetustior. Cum enim ex Strabone (a) Melaque (b) perspectum sit, utrumque lacum Acronium & Venetum, navibus frequentatum, proindeque qui per utrumque fluit Rhenum, necessitudine majorum fluminis cataractarum, quae tribus infra Schaffusiam aut paullo minus passuum millibus, factum est, ut eo ubi nunc ipsa loco subsisterent, mercimoniaque & se navibus exponerent. Unde loco frequentia & habitamenta nomenque, quasi Navium domo. Ipsa olim Lacobrigorum caput, quos inter Helvetiorum socios, Gallico bello, recensuit Caesar (c). Tenent Lacobrigi (Kletgevver) regionem intra Rhenum & Harciniam, a Valdshuto opido, Schaffusiam, per p. m. 24. Tulingos habent ad latus dextrum conjunctos & vicinos. Eorum etiam meminit Caesar. Lacobrigi partim Schaffusianis, partim Austriacis Principibus subjecti. Cetera Sultzenses pro Comitatu habent. Antea Nellenburgenses Comites tenuere, quorum unus Eberardus Burcardi quondam Sueviae ducis (qui posteà cum Rodolfo II. Burgundiae rege genero in Italiam profectus (d) fraude Archiepiscopi Mediolanensis interfectus est) ex Bertholdo filio nepos, Schaffusiae Monasterium in honorem omnium Sanctorum condidit, sub Henrico II. Imp. locumque Abbati subjecit (e). Ex monasterio, ut cetera, natum opidum, & ut ipsum, ita hoc Imperiale. Ludovicus IV. Bavarus Austriacis principibus pignori dedit cum aliis Rheni opidis, pro discessione Friderici, & pecuniae inde contractae summa (f). Sigismundus Imp. Imperio revindicavit (g), cum Fridericum proscripsisset concilio Constantiensi, & ne ab imperio deinceps alienari umquam posset, grandi civium pecunia pactus est. Fridericus tamen III. Imp. suis forte indulgentior, Sigismundo Austriaco Schaffhusiae potestatem fecit (h). Cum proinde legatos misisset qui possessionem inirent, urbe exclusi sunt, quod contra privilegia velle viderentur. Ab altero latere, Tigurini, Bernates, Lucernenses, Suitii, Tugini, Claronenses accepti, & cum iis foedus annorum XXV. factum quod inde prorogatum, & denique in perpetuum confirmatum eodem quo Basiliensium anno (i).

(a) Lib. VII. (b) Lib. III. cap. I. (c) Comment. I. (d) Luitbrand. Lib. III. A. D. N. Iↄ. cccc. xxiii. (e) A. D. clↄ. xv. (f) A. D. N. clↄ. ccc. xxx. (g) A. D. N. clↄ. cccc. xv.

(h) A. D. N. clↄ. cccc. lii. (i) A. D. N. clↄ. cl: i.

CAPUT XIII.

DE ABBACELLA.

Nobiles agri Abbatiscellani. Abbatiscella vici origo. Ejusdem descriptio.

ALpini populi inter Alpes Rhaeticas ortumque Sintriae & Cellam, Sancti Galli in duplici discrimine fuere, alii nobilitati subjecti, alii regibus. *Hi fiscalini regii dicti.* Eos homines quamtum scilicet ipse juris haberet & proprietatis tradidit Sigebertus Rex Austrasiae (k) & Allemanniae Monachis Cellae, S. Galli, paullo ante defuncti, discipulis intercessu maxime Talthonis Tigurini pagi Comitis & Gontzonis Sueviae Ducis, regis soceri. Sed ut nobilitas iis partibus multa, ita varia jurisdictio fuit. Nobiles olim praecipuae celebritatis ab Urstein, Rosenberg, Antuilla, Oberberg, Schuanberg, Helfenberg, Eppenberg, Glatburg, alii qui suas quisquis jurisdictiones & copias separatas haberent, adeo ut etsi solitudo fuerit, non tamen prorsus sola. Hae omnes familiae multa in S. Galli Monasterium contulerunt, ante jam annos multos, & non pauci quidquid possidebant eo consignarunt. Unde hac in montana regione X. circiter a Cella p. m. ad Sintriam, Abbates vicum egregium exaedificarunt, qui ipsorum nomine, Abbatiscella: Addiderunt postea arcem loco munito, ad collis dextra Sintriae dorsum eminentius, & firmum, Clanx nominatum, fidele contra oppressores religiosorum & tyrannos receptaculum. Ab vico Abbatiscellae, regio tota aut vallis deinceps vocata, quam his paucis depinxeram superiori anno, cum ex Comitatu admodum illustris D. Alphonsi Casati, regis Catholici apud Helvetios legati, mense Octobri eo venissem Itinerario, quod ut quidquid inciderat, ex equo versibus concinnabam, tot, montium, vallium, rupium, Saxorum, fluminum, ventorum & pluviarum & nivium hac quoque ratione fastidia & longa taedia transmittens.

Ventum erat Vrnacum, fluvii de nomine vicum.
Hinc sese in vallem demittere molliter Alpes
Excelsa incipiunt, inclusam more theatri,
Vertice sic modico colles hinc inde coronant,
Frondibus umbriferis, & vesco gramine lati.
In medio vallis montes aquant propinquos
Culmine connitens Abbatiscella laborat.
Sintria quam trepido secat agmine. Nec procul inde
Visuntur prisca labentia rudera Clancis
Perfugium quondam Abbatum, & munimen avitum.

(k) A. D. N. DC. LI.

Cum vero per Abbatum eo in loco frequentiam, cum plerumque aut in arce, aut in vico jus dicerent, incolarum desideria audirent, maximus vicinorum concursus esset, Notbertus demum Abbas Abbatiscellæ parochialem Ecclesiam fundavit, auctoritate & consensu Rumoldi Constantiensis Episcopi & Advocati Vittanis tempore Henrici IV. Imp. (l). Ut vero à diversis nobilibus, Comitibus, dominiis, tota Abbatiscellanorum regio in Abbatum potestatem venit, ita in varias jurisdictiones Communitatesque divisa & separata fuit, quæ non solum suam remp. sua insignia, vexilla, sigilla, sed etiam jura diversa haberent. Ita separati omni ex parte, Abbatiscella, Altstetten, Troga, Hundvilla, Herisovia, alii vici & Communitates, quæ præter dominum nihil commune tenerent, quod ex fœderibus & societatibus, quas inter se & cum vicinis contraxerunt, manifestum. Sed cum hæ Communitates plerumque Nobilitati administrarentur, missu & legatu Abbatum fiebat, ut plerumque detrimentum per eorum insolentiam paterentur suæ reip. consuetudinum, privilegiorum, quam habere videbantur libertatis. Quæ tantisper pertulerant, donec postremo (m), cum ab Abbatibus nulla remedii spes alia esset, armis jus suum aut quærere, aut tueri cogerentur, multisque defunctæ feliciter præliis, tandem in unum fœdus, unamque remp. convenirent. Quam Rupertus Imp. Constantiæ probavit (n), Fridericus Imp. privilegiis auxit & in tutelam Imperii suscepit (o). Primo quidem amicitia & fœdere perpetuo VII. Civitatum Tiguri, Lucernæ, Uraniæ, Suitiæ, Silvaniæ & Claronæ opes suas confirmarunt (p), Mox cognita eorum forti & fideli opera in numerum Civitatum venerunt & XIII. effecerunt (q). Hactenus de XIII. Helvetiorum Civitatibus, & quo ordine in fœderis societatem venere: Nam mox Uranienses quidem Tigurinis, Suitenses Bernensibus publicis in conventibus loco cessere: adeo parum ambitio, ut aliæ malæ cupiditates, apud cordatos virosque poterant. Restat una quæstio.

(l) A. D. N. cIↄ. lxxi. (m) A. D. N. cIↄ. cccc. iii. (n) A. D. N. cIↄ. cccc. viii. (o) A. D. N. cIↄ. cccc. lxvi. (p) A. D. N. cIↄ. cccc. lii. (q) A. D. N. cIↄ. Iↄ. xiii.

CAPUT XIV.

Utrum Helvetia omnis unius Civitatis nomine recte includi possit.

Opinio eorum qui Helvetiam totam unam Civitatem arbitrantur. Civitatis descriptio. Eadem confutata opinio. Græcorum Civitates fœderatæ.

QUI de rebus Helvetiorum mentionem habuerunt, aut de reipub. administratione scripserunt, domestici externique Helvetiam universam, unius Civitatis nomine comprehendi posse plerique censuere, quod eodem fœdere artissime Helvetii omnes teneantur, summaque sit inter eos libertatis, multarumque rerum conjunctio, Concilium præterea ab omnibus, eodem in loco, capiatur. Unde si quis in fœderis societatem venisset, Civitate Helvetia donatum, aut in Civem Helvetium receptum, literis prodidere. Mihi longe aliter visum. Cum enim Civitas Cicerone auctore non sit aliud *quam concilium cœtusque hominum jure sociatus* (r), Omnes autem XIII. Helvetiæ civitates non modo eodem jure aut legibus, sed plerumque diversis institutis utantur, nemini dubium est, quin unius civitatis notione censeri ratione nulla possint. Aliud enim libertatem eamdem, commercia, connubia habere communia, summa necessitudine conjungi, aliud eisdem legibus, eodem imperio & jure comprehendi. Veneti & Genuenses liberi utrique contrahunt communiter, hospitia, connubia, magnam amicitiæ societatem habere possunt, etiam fœdere conjungi sempiterno: Non tamen quæ Venetorum eadem Genuensium Civitas. Nec obstat locorum diversitas, ut primo lib. vidimus. Sed reges & principes fœdere conjunguntur, & sæpe ita stricto, ut eosdem amicos hostesque habeant: se non amicos solum, sed fratres adpellent, nemo tamen propterea idem Galliæ & Angliæ regnum recte adfirmaverit; regna fœderata recte dixerit. Neque si adsit legum communitas eamdem civitatem efficias. Leges enim à Græciæ civitatibus Romani petierunt iisque usi sunt (s), civitatem tamen Græcorum Romanorumque unam fuisse, dicere nemo ausit. Helvetiæ civitates non modo diversis legibus tenentur pleræque, sed imperio etiam omnes disjunguntur, nulla ut alterius jussu, aut mandato nisi sponte omnino obligetur, suum imperium, suum jus, suam rempublicam habeat, alteri, nisi ex fœdere & societate debeat nihil. Non ergo unam Helvetiorum civitatem, sed XIII. Helvetias Civitates hactenus adpellavimus; quales olim Amphyctionum urbes VII. Ætolorum III. Jonum XII. quæ videlicet fœdera inter se habuerunt (t), altera ut alteri ne damno & noxæ esset, hostes autem communes, communibus opibus viribusque persequerentur, communes eas ob caussas etiam conventus frequentare solitæ. Neque Suevici fœderis in Helvetiorum perniciem concepti, aut paullo ante Gallicarum urbium ad exstirpandas hæreses, ferme differentia alia, quam quod ad tempus illud fuerit & isthoc esset: Helvetiorum perpetuum constituatur. Sicuti igitur non eodem jure & imperio neque iisdem legibus, nisi quas fœdera & bellicæ constitutiones complectuntur, imo plerumque diversis obligantur, ita non unam civitatem, sed XIII. Helvetiorum, ut diximus, fœdere perpetuo conjunctas civitates, neque hos, aut illos civitate Helvetia donatos, sed in fœderis societatem admissos, ut opinor, recte demonstravimus.

(r) In Paradox. (s) Livius lib. III. annal. (t) Strabo Geog. Lib. VIII. Lib. IX. & Lib. XIV. Pausanias pluribus locis.

CAPUT XV.

De confœderatione XIII. Civitat. Helv.

Confœderationis hujus diversitas. Fœderum capita generalia.

NEQUE hujus confœderationis eadem ratio. Omnes sane eodem fœdere quod contra vim est & injuriam, attinentur: non tamen propterea

pterea unaquæque civitas alteri fœderata, aut ab ea contra quemvis hostem auxilium petat: sed ejus, cum qua primo & antiquissimo fœdere, societatem iniit. Ita Lucernenses si vim patiantur tres civitates vicinas Uraniam, Suitiam & Silvaniam, itemque Tuginos & Tigurinos præsidium flagitabunt. Tigurini & hos omnes & simul Glaronenses. Bernenses trium civitatum prædictarum. Bernensium Fribur-genses & Salodorenses & ita de ceteris. Sed id demum si publico ejus civitatis consilio, quæ injuriam passa est, bello persequendam decretum sit. Quamvis ne sic quidem nonnullis arma capere, aut auxilia à proxima & ab antiquo devincta civitate petere quandoque liceat. Cognitiones enim quarumdam, civitates omnes sibi reservarunt, earum maxime quæ tum quidem in hostium finibus, aut extra Helvetiæ antiquæ limites, proinde ad injuriam opportuniores, ne scilicet aliqua fœderis fiducia, ut prona ad insolentiam mortalium mens, quasvis belli captarent occasiones. Illæ ne cognita quidem publico consilio vi & injuria arma sument, aut auxilium petent, nisi probarint reliquæ civitates. Perspecta autem belli æquitate nulla tergiversatione, & sine dolo malo parandum, dandum auxilium, proprio sumtu, si bellum totam Helvetiæ libertatem attingere videatur, eoque numero qui quamvis condecebit: Si civitatis unius opidum, aut arcem attineat, ejusdem stipendio; præsertim quæ machinis & tormentis impenduntur. Et ferme hæc fœderum omnium summa, de mutuo auxilio; quæ proinde, ut vocant, defensiva omnia. Sed sunt iisdem quoque fœderibus, edicta, leges, sanctiones, quibus pace belloque, quibus privatis, publicisque inter se controversiis utuntur: de stipendiis de commeatibus, de limitibus, subditis, exceptionibus, utroque jure humano & divino, aliisque pluribus, de quibus omnibus differere jam quidem nihil attinet, feceruntque aliqui, pauca, ex meo arbitrio cum Helvetiæ dignitate & bono.

CAPUT XVI.

De republica XIII. Civitat Helv.

Civitatum reip. administrationis differentia.

ADDAM de republica pauca, magis ostendendi, quam explicandi voluntate. Civitates omnes aut Burgimagistris administrantur, (nomen hoc civium magistrum notat, recte ex officio Præfectum urbis voces (u).) Aliæ Scultetis, antiquo vocabulo, quo æris alieni exactio & super ea re lites continentur, unde prætores, qui munere funguntur adpellant: aut denique Ammanis, hoc quoque ab officio nomine sumto. Ammani enim, quasi Amptmani, officiales. Ut vero hæc nomina diversa, ita respublicæ. Quæ Burgimagistris reguntur tribus habent & universa civitas in eas divisa. Tales Tigurum, Basilea, Schaffhusia. Reliquæ civitates quæ urbibus coluntur Lucerna, Friburgum, Berna, tribubus quidem carent, sed hæ duæ etiam in classes quatuor, quaque separata, ipsi signa vocant. Salodorum sane tribubus constat, sed summus magistratus Scultetus. Et harum administratio maxime mixta ex optimatibus, & populo. Populus enim universus Magistratus supremos legit, & ita deinceps creati tanquam optimates reip ublicæ præsunt. At quæ vicatim, non urbanatim habitantur Urania, Suitia, Silvania, Clarona, Abbatiscella, Tugium opidum, & tres externæ Communitates, Ammanos habent & maxime ex universæ plebis arbitrio gubernantur, quæ proinde conventu totius civitatis, ex tota incolarum multitudine quot annis primo vere facto magistratus, & primo Ammanum, mox Ammani vicarium, tum tribunum ærarii, præfectosque qui cum imperio mittuntur, legunt, confirmant, abdicant, cuncta pro plebis voluntate, & faventium numero, suffragantibus omnibus, (id fit per dextræ elevationem) qui pubertatis annos attigere. Iisdem in conventibus leges, consuetudines, instituta, edicta, alia publicantur, antiquantur. Et hæ quoque civitates in certas partes tributæ. Uraniorum sunt Communitates X. Suitiorum VI. Tuginorum IV. Glaronensium XV. Abbatiscellanorum XII. Nam Silvania in eos qui supra, infraque Carneam Silvam habitant, separatur. Ex his Communitatibus æquali numero lecti publicum consilium conficiunt, quo in consilio quæ rem tangunt universam præcipue pertractantur. Alia sunt enim judicia in quibus lites, controversiæ, res privatæ, disceptantur. Quod si major negociatio incidat, duplicatur triplicaturque consilium; eo quod quivis Senator alium sibi, aut tertium adjungit, pari secum in ferenda sententia, super re quæ geritur, auctoritate. Civitates quæ tribus habent, omnes quidem ex tota multitudine Burgimagistrum, æqualibus suffragiis, sublegunt, sed senatum ex suo quævis tribus numero, duobus aut pluribus in eum sumtis. Et is plerumque in omnibus civitatibus duplex, major, minor à numero consiliantium. Ille res graves & quæ totam rempub. concernunt: hic quotidianas civium & subditorum controversias audit, judicat: ita divisis partibus, ut huic quidem major auctoritas; illi major potestas adsit. Multa præterea sunt officia, quæstores, ædiles, curatores, scribæ, ut plerisque in optime constitutis civitatibus, eadem potestate & munere. De quibus illa de caussa manum abstineo, uti & de multis aliis quæ super hac re disputari tradique possint, mihi aut alteri, in aliud tempus differendi scribendique seposita materia. Et de republica Helvetiorum liber editus, de quo nihil habeo dicere.

(u) Ulpianus, de off. Præf. Urb.

CAPUT XVII.

De Municipiis Helvetiorum, eorum jure & Republica.

Municipii descriptio. Municipia Helvetiorum. Eorum respublicæ. Gersaviæ status & condicio.

PRæter XIII. Civitates, quarum totius ferme antiquæ Helvetiæ suprema potestas, multa sunt opida quæ suam remp., suos magistratus habent, adeoque præter majestatem, ut antiqui loquebantur, Civitatum, & summum Imperium, nihil illarum agnoscunt, quæ quidem opida recte Municipia vocari, antiquo vocabulo & Romano arbitror.

bitror. *Municipia*, inquit Paullus (x), *id genus hominum dicitur, qui cum Romam venissent, neque cives Romani essent, participes tamen fuerunt omnium rerum ad munus fungendum una cum Romanis civibus, præterquam de suffragio ferendo, aut magistratu capiendo, sicuti fuerunt Formiani, Tusculani, Cumani, &c.* Unde quoque Agellius recte, *Municipes*, inquit, *sunt cives Romani ex municipiis, suo jure & legibus suis utentes, muneris tantum cum P. R. honorarii participes, à quo munere capessendo adpellati videntur, nullis aliis necessitatibus, neque ulla P. R. lege adstricti.* Adeoque Municipes erant, quod de Cæritibus Strabo (y) dixit, nomine, non re, Romani cives, qui videlicet suo jure uterentur, & remp. separatam haberent, eaque conditione essent, ut nec suffragium ferrent, nec magistratum caperent, sed munus honorarium obirent, hoc est, honoris caussa in legione stipendia facerent, ut R. cives, non ut in auxiliis socii. Talia sunt in Helvetia, Aquæ, Bremgarte, Mellinga, Rupertivilla, Damasia, Vitodurum, Tobinium, Aravia, Surbsea, Villisovium, Pontes, Sempachum, Sarunegaunum, Statio Rhætorum, Paterniacum, Lausanna, alia nonnulla, quæ suam, ut diximus omnia habent in potestate rempublicam, suosque magistratus, leges, consuetudines, instituta, quamvis non eadem prorsus ratione. Nam sunt inter illa quædam, quæ absolutam habent suos magistratus legendi confirmandique auctoritatem: alia legendi quidem, sed confirmatio Civitatum est, nec omnium, sed earum in quarum dominatu sita. Tria quoque prima opida, cum bello ultimo Austriaco se VIII. Civitatibus nomine Imperii dedidissent (z), aliquot post annis (a) instantissime easdem deprecatæ sunt, ut ejus condicionis sibi literas & testimonium impertirentur, dederuntque Civitates, quibus literis profitebantur, tria illa opida Imperii R. nomine se ante annos XXXV. occupasse, adeoque ea dici posse Imperii, & Imperialia esse. Non quod Imperii membra implerent, ut reliquæ Imperiales Germaniæ urbes, quæque proinde interessent, agerent, consulerent, conventibus & comitiis Imperialibus, sed quia, ut jam adnotavimus, tempore Constantiensis Concilii, Imperii nomine & in ejus manus, Civitatibus deditionem fecissent. *Acta hæc Badæ, mense Julii, die Lunæ post festum D. Jacobi Apostoli.* Horum omnium opidorum, aut municipiorum, qui summum magistratum gerit Prætor, sive Scultetus, qui plerumque à senatu, nonnullis ab omni populo legitur. Senatus ferme XII. viris constat. Reliquos magistratus tribunos ærarii, ædiles, &c. idem sublegit. Et his plerisque jurisdictio non solum Civilium, sed etiam Capitalium. Est & Gersavia ad magnum lacum medio inter Lucernam & Uraniam prope intervallo, Communitas sui omnino juris & libertatis, adeoque eodem, quo primæ quatuor Civitates Lucerna, Urania, Suitia, Silvania fœdere inclusa, licet nominatim in eo non adscribatur. Unde eam ob caussam postea editæ literæ, quibus fatentur eædem quatuor Civitates, se in eadem condicione, jure, punctis & articulis Gersavienses habere & complecti, qui primi fœderis instrumento contineantur. *Actum exeunte Augusto, Anno D. M. CCC. LIX.* Iisdem in literis & condicione Veggenses vicini positi, confirmatique, sed Lucernatibus sponte sese postea subjecere.

CAPUT XVIII.

De Præfecturis Helvetiorum, & earum administratione.

Præfecturarum divisio in transalpinas & cisalpinas. Italicenses Præfectura. Præfectura Helvetiæ. Earum administratio.

AD Municipia jungam Præfecturas quæ Civitatum communi imperio administrantur. Illæ omnino decem: sed in duplici discrimine. Aliæ enim Transalpinæ Helvetiis dictæ, quod trans Alpes & in Italia: aliæ intra Helvetiæ limites. Italicæ sunt Comitatus tres, Bilitionensis, Luganensis, Locarnensis. Sed Bilitionensis trium Civitatum est, Uraniæ, Suitiæ & Silvaniæ, totidemque præfecturas efficit, quæ proinde per vices reguntur, ære (a) coemtus, post armis defensus, & demum retentus. Reliqui duo in totidem pariter præfecturas quisque separatus, Luganensis in præfecturam Luganum & Mandrisium: Locarnensis in præfecturam Locarnum & Medianam. Omnibusque præterquam Abbatiscellanis Civitatibus parent. Has regiones quondam (b) Maximilianus Sfortia, Helvetiis, quorum opibus & armis pulsis tota Italia Gallis, statum Mediolanensem receperat, stipendii honorariique loco ultro dederat consignaratque, ipsi postea per difficillima bella armis obtinuere. Nunc vicissatim Civitatibus reguntur, misso in biennium præfecto, qui civilia criminaliaque judicia persequitur. Reliquas in Helvetia quinque Præfecturas conficiunt Comitatus tres, Aquensis, Turgoviensis, Sarunegaunensis; & Regusci, quæque liberæ Provinciæ nomen habet. Sed neque hæ omnibus Civitatibus subditæ, Comitatus enim Turgoviæ, Sarunetes, libera Provincia, septem Civitatibus Tiguro, Lucernæ, Uraniæ, Suitiæ, Silvaniæ, Tugio, Claronæ, administrantur: Iisdem Comitatus Aquensis paret, sed & Bernensibus: Itemque Rhegusci, sed adsumtis in societatem, qui prius tenuerant, Abbatiscellanis: Libera Provincia & Comitatus Aquensis in earum Civitatum potestatem venit, bello quod jussu & mandato Concilii Constantiensis (c) & Sigismundi Imp. Friderico Austriaco intulere. Comitatum quoque Provincialem, vulgo, Landtgraffiatum Turgoviæ occuparunt illo pariter bello, quod Pii II. Pontif. auctoritate & præcepto, Sigismundo Austriaco fecerunt (d). Sarunetium Comitatum vendidit iisdem Civitatibus Georgius Comes Verdenbergensis (e): Rheguscos denique, cum Abbatiscellani obtinerent soli, perdiderunt bello Rosacensi (f). Has in Præfecturas Civitates, ut in ceteris, singulis bienniis ex ordine præfectos mittunt, qui ferme secundum eorum populorum leges, consuetudines, instituta,

(x) De verborum signif. Vide Fest. (y) Lib. V. Geog. (z) A. D. N. M. CCCC. XV. (a) A. D. N. M. CCCC. LV.

(a) A. D. N. clↄ. cccc. xxii. (b) A. D. N. clↄ. lↄ. xiii. (c) A. D. N. clↄ. cccc. xv. (d) A. D. N. clↄ. cccc. lx. (e) A. D. N. clↄ. cccc. lxxxiii. (f) A. N. D. clↄ. cccc. xc.

tuta, privilegia rem gerunt judicantque, & factorum rationem reipublicæque quot annis omnes, Italicæ quidem missis ad hoc legatis, Lugani, reliquæ Aquis, mense Julio, Civitatibus quibus tenentur reddunt, quo quidem tempore etiam Adpellationibus audiendis locus spatiumque ponitur. Et hæc vera, antiqua & prima Reip. Romanæ forma, in se, municipia & præfecturas contributa, quæ postea orbem terrarum amplexa Sociis & Fœderatis secundas reliquit. Hinc de sociis primo Helvetiorum; tum Fœderatis differam, eorum deinceps origines & rempublicam præcipue Sociorum ostendam: Quæ ubi brevibus composuero proposueroque, officio certe instituto functum arbitrabor. Nam Helvetiorum fortia facta, patrataque pro libertate, pro gloria, pro Regibus Principibusque fœderatis bella, inde per tempus exponentur.

FINIS.

FRAN-

FRANCISCI GUILLIMANNI

DE REBUS HELVETIORUM

LIBER QUARTUS.

De Sociis Helvetiorum, eorum origine, conversionibus, statu & republica.

Sociorum P. R. descriptio. Sociorum formula. Sociorum Helvetiorum Civ. ratio.

SOCIUM his ferme verbis descripsisse existimatus Cicero (a) *qui se in negocio conjunxit societati omnium bonorum*, idem socios putandos scribit (b), *quos inter res communicata esset*. Sed hæc in privatis: ita tamen, ut inde quæ sociorum S. P. Q. R. ratio fuerit, cognoscas, nempe qui ita suas opes, viresque cum Romanis conjunxerant, ut iis pro necessitate & eorum fide uterentur. Unde sociorum præcipua laus bonorum & fidelium adpellatio, quod Livius (c) pluribus locis ostendit. Antiochum enim per legatos petiisse tradidit. *Imperaret sibi P. R. quæ bono fidelique socio regi, essent imperanda.* Et Hieronis legati, *Itaque* inquiunt, *quanquam probe sciat, magnitudinem P. R. admirabiliorem prope adversis rebus, quam secundis: missa tamen à se omnia, quibus à bonis fidelibusque sociis bella* (d) *juvari solemt*. Apud eumdem (e) Carthaginiensium legati, *se bonorum fideliumque sociorum* muneribus sæpe functos esse memorant. Et ferme observatum habeo in hanc formam Senatum decernere consuevisse, eos, quibus cum amicitiam societatemque inirent, *viros bonos sociosque & amicos adpellari, & in sociorum formulam referri, locum illis, & lautia* (f) *praberi*. Legati deinde Sociorum quatuor ferme ex caussis Romam ventitabant, aut ut auxilium pollicerentur, implorarentve, vel ut parta aliqua nobili victoria gratularentur, aut denique suas querelas ad senatum ut deferrent, quæ quivis facile intelliget, qui non in historia R. præcipue Livii, hospes. Sociis sane defendendis totum prope terrarum orbem in Romanorum potestatem venisse memorabili elogio, nescio quam vero, dicere ausus Cicero. Ejusdem ferme condicionis socii Helvetiorum qui videlicet, non solum auxilia, militem, arma, commeatum, ductum, sumtum, per bella promittunt; sed omnia munimenta, arces, opida, in potestate veluti & usu, hoc est, semper aperta relinquunt. Tales sunt præcipue Abbas, & oppidum S. Galli, Rhæti, Valesiani, Rottvillani, de quibus singillatim pauca expediam.

(a) Orat pro Roscio Am. (b) Lib. III. in Verr. (c) Annal Lib. XLII. Lib. XXII. (d) Ferebant autem socii auxilia milite, & signis separatis. (e) Lib. LXIII. (f) Ita vocabant munera, quæ legatis exterarum gentium dabantur prius dautia nominata. Plutarch. Lauteja dicit quæstionibus R.

CAPUT I.

De Abbate, & Opido S. Galli.

De origine Monasterii & opidi S. Galli. S. Columbani prophetia de regiis liberis spuriis. Miraculum. Brunechildis malitia. S. Columbani severitas. Aliud miraculum. S. Columbanus primo Tucconiæ prædicavit. Tucconiensium natura & mores, religioque. Egregius B. Galli Zelus, in demoliendis idolis. S. Columbanus cum sociis Tucconia abiit & quare. Arbonam pervenit. Et inde Brigantium se contulit. Situs Brigantii elegans descriptio. S. Columbanus Brigantii cellulas construxit. Brigantii idololatria. S. Gallus lingua Germanicæ peritus, ejusque Brigantii acta. Gunzo Allemannia dux & apud eum Columbanus falso accusatur. S. Columbanus Brigantio discedere jussus in Italiam abiit, remanente Gallo, & qua ex causa. S. Gallus in solitudinem se contulit. S. Galli miracula eo ubi nunc Monasterium loco. S. Gallus filiam Gunzonis dæmonis obsidio liberavit. S. Crucis energia. Episcopatum Constantiensem refutavit. Gunzonis liberalitas & gratitudo erga Gallum. Sigebertus Austrasiæ & Allemanniæ rex, primus Monasterii S. Galli locupletator & auctor. S. Galli mors Arbonæ. Miraculum. Ut ad Cellam suam sancti corpus relatum. Monasterii S. Galli incrementa ex liberalitate vicinorum nobilium, & miraculis quotidianis ejus loci. Valdramus Comes Monasterii S. Galli protector & Advocatus. Othmarum presbyterum Monasterio præfecit. Carolus Martellus Major Galliæ Othmarum confirmavit. S. Galli Cella monastico instituto adcommodata. Carolomannus monasticam professus ad S. Gallum se contulit. Adsidua apud S. Gallum miracula. Ejusdem de Monasterio S. Galli sententia. Pipinus Major Franciæ tradidit Othmaro Regulam S. Benedicti multisque beneficiis adfecit. Mancipia regia Monasterio S. Galli adsignavit. Pipinus Monasterium S. Galli in unius regis tutelam suscepit. Abbas S. Galli R. Imperii princeps. Abbatum S. Galli cum Helvetiis fœdus. Capitaneus generalis Monasterii & regionis S. Galli. Opidi S. Galli origo. Fœderis articuli. Opidi S. Galli respublica.

SI Originem Monasterii S. Galli, longe nobilissimi & tota Germania principis, ante oculos posuero, eadem opera qui sit Opidi ortus docuero. Nam ipsum ex Monasterio, uti plura alia per

per Germaniam. S. Gallus Columbani viri & sanctitate, & miraculis præstabilis discipulus fuit, uterque natione, ut creditur, Hybernus. In Galliam primo, deinde in Helvetiam, & relicto in ea Gallo, Columbanus in Italiam profectus est. De hoc ita Aimo (g), „Regni, *inquit*, Theodeberti, ac Theodorici anno
„ XIV. beatus Columbanus ab Hybernia Oceani insu-
„ la progressus, primum à Theodeberto suscipitur. De-
„ mum propter confluentium ad se populorum multitu-
„ dines inde migrans, & solitariam agere vitam cupiens,
„ ad regnum Theodorici transiit, atque in loco
„ cui (h) Luxovium nomen est, à præfato rege
„ habitare est jussus, ad quem visitandum dum fre-
„ quenter rex adveniret, ac à viro DEI cur relicto
„ legitimæ conjugis matrimonio adulterinis deservi-
„ ret commixtionibus argueretur, illeque ad obedien-
„ dum ejus salutaribus monitis aurem cordis inflecte-
„ ret, avia Brunechildis, vipereis antiqui hostis in-
„ flammata incitamentis, adversus S. Columbanum
„ commoveri cœpit acrius. Sed sanctus vir illius ma-
„ litiæ obviam ire parans, ad eam in Bruchaniacho
„ villa commorantem properat. Cui regina cum ne-
„ potibus suis Theodorici filiis occurrens, orabat, ut
„ regiam prolem benediceret. At ille ait nequaquam
„ illos regalia sceptra suscepturos, eo quod de lupa-
„ naribus emerserint. Regina indignata pueros præ-
„ cepit abire, & ipsa post paululum est secuta. Viro
„ autem Domini ad propria regredi festinante, & re-
„ giæ aulæ limen pede tangente; subito fragore totius
„ mota est domus fabrica: Sed nefandissimæ mulieris
„ mens non est commota, imo majori iracundiæ igne
„ succensa. Verebatur enim quod omni extorris di-
„ gnitate pelleretur à regno, si rex, posthabitis mere-
„ triciis delinimentis, alicujus regalis fœminæ potiretur
„ conjugio. Interdixit igitur egressum & regressum
„ à monasterio, tam sancto viro quam fratribus cum
„ eo manentibus, præcipiens suis optimatibus, vicina
„ cœnobio loca colentibus, ne quemquam exire per-
„ mitterent, vel progressum hospicio susciperent. Do-
„ nec vir sanctus, ut eam à tanta moneret desistere
„ pertinacia ad Palatium perrexit. Eo forte die Theo-
„ doricus cum avia sua in Spinsia residebat villa,
„ nunciaturque ei hominem DEI pro foribus stare,
„ nec in iisdem ædibus hospitare velle. Tunc rex
„ iram Domini sibi imminere veritus, melius dixit es-
„ se, virum Dei opportunis subsidiis honorare,
„ quam Deum ex servorum ejus offensa ad iracun-
„ diam provocare. Jussit ergo regio cultu quæ-
„ cumque erant victui necessaria parari, & Domini fa-
„ mulo per ministros proprios deferri: Quod dum il-
„ li maturato implessent, beatus Columbanus severo,
„ ut erat, vultu respiciens in eos, inquirit, quid si-
„ bi ista velint. Dictum ab eis est, alimenta in suos
„ suorumque usus à rege directa, quib. ille, Non, in-
„ quit, teste scriptura, accepta sunt Deo impiorum
„ munera, itaque non oportet ejus servos suscipere,
„ quæ ipse probatur odisse. Post hoc verbum vasa
„ cuncta in frusta dirupta, vinum ac sicera solo fusa,
„ ceteraque separatim sunt dispersa. Pavefacti regii
„ ministri ad regem reversi rei gestæ ordinem pro-
„ munt. Rex nimio terrore perculsus diluculo cum
„ avia ad virum Dei properat, precantur de commis-
„ sis veniam, pollicentur in reliquum actorum suo-
„ rum emendationem. His pacatus promissis ad mo-
„ nasterium rediit: Verum hæc pollicitatio nullius
„ efficacis protulit fructum operis. Nam Theodori-
„ cus in cœno luxuriæ, ut ante consueverat, est ob-
„ volutus, & Brunechildis animus semel nequitia
„ imbutus à persecutione beati viri nequaquam est
„ immutatus, quin potius eo usque processit spiritus
„ immanitatis ferox, ut suaderet nepoti sanctum Dei
„ in opidum Vesontionum exsilio relegari, indeque
„ reversum usque ad maris Britannici litora deduci,
„ ut transfretato freto, nunquam de cetero Galliarum
„ reviseret arva. Cumque vir Domini secundum sui
„ propositum animi deliberasset ad patrium solum
„ nullo modo regredi, per regnum Theodeberti ad
„ Italiam transiens, cœnobium quod Bobium (i)
„ dicitur, construxit, plenusque sanctitatis & dierum
„ migravit ad Dominum. „ Hactenus Aimo. Regni Theodeberti, ut alio loco perspeximus, Helvetia Allemannica pars. In Helvetiam vero cum venisset Columbanus una cum sociis, primo Tucconiæ, qui in supremitate Tigurini laci ea tempestate vicus erat, nunc deminuente unda, aut dilabente discedenteque duobus circiter supra eumdem lacum passuum millibus ad Limagum, in Finibus consistere, tamquam loco ad solitudinem comparato, & quia idololatris omnia plena adhuc, Christum Salvatorem nunciare cepit (k). Sed exiguo profectu, nimia incolarum pervicacia. Valafredus Strabo antiquus, qui videlicet sub Pipino & Carolo Magno vixit, & probus auctor, cum de Theodeberto rege & Columbano, sociisque ejus, in Italiam per Allemanniam hoc est, Helvetiam proficisci volentibus ita disseruisset. „ Moleste ferens (l) rex tantorum discessum
„ virorum, pollicitus est eis intra terminos regni sui
„ se reperturum loca venusta, quæ famulis Dei &
„ ad incolendum essent commoda, & ad instruendas
„ (m) verbo veritatis circumpositas nationes oppor-
„ tuna. Vir Dei (n) semen verbi in cordibus gen-
„ tium plantare desiderans, aliquamtisper moraturum
„ se promisit, si regia auctoritas factis dicta firmaret.
„ Accepta igitur à rege licentia eligendi locum, ubi-
„ cumque voluissent, dum loca plurima perlustrassent,
„ venerunt intra partes Allemanniæ ad fluvium, qui
„ Limagus vocatur. Juxta quem ad superiora ten-
„ dentes, pervenerunt ad lacum Turicinum, cumque
„ per litus ambulantes venissent ad caput lacus ip-
„ sius, in locum qui Tucconia dicitur, placuit illis
„ loci qualitas ad inhabitandum. Porro homines ibi-
„ dem commanentes crudeles erant & impii, simula-
„ cra colentes, idola sacrificiis venerantes, observan-
„ tes auguria & divinationes, & multa quæ con-
„ traria sunt cultui divino, superstitiosa sectantes.
„ Sancti igitur homines, cum cœpissent inter illos ha-
„ bitare, docebant eos adorare Patrem & Filium
„ & Spiritum Sanctum, & custodire fidei veritatem.
„ Beatus quoque Gallus, sancti viri discipulus, zelo
„ pietatis armatus, fana in quibus dæmoniis sacrifi-
„ cabant igni succendit, & quæcumque invenit ob-
„ lata demersit in lacum. Qua causa permoti ira &
invi-

(g) Lib. III. cap. XCV. A. D. N. IϽ. C. XIV. (h) Lutleul. Monasterium S. Benedicti a S. Columbano conditum, cum ibi opidum stetisset, quod bellis civilibus eo tempore eversum, ad solitudinem Vogesi montis. Luxoviæ aquæ, thermæ ex aquis suapte calidis. Valafridus. Rhegino.

(i) Bobium est status Mediolanensis civitas, propter montes Lucanos. Comitum Vermenium Opidum ex Monasterio natum. In eo Episcopus Bobiensis. (k) A. D. N. DCXVIII. & deinceps. (l) Lib. I. cap. VI. (m) Quatenus idololatræ erant. (n) Eod. Lib. cap. IV.

invidia sanctos insectabantur, & communi consilio Gallum perimere voluerunt: Columbanum vero flagellis caesum & contumeliis adfectum de suis finibus proturbare, *fecissentque nisi beatus Columbanus* ,, non timore persecutionis perterritus, , sed amore spiritualis lucri persuasus, contumacium , sterilem turbam *reliquisset*, ne inaniter arida corda , diutius irrigaret, qui benevolis mentibus quam plu- , rimum prodesse interim potuisset. „ Quapropter inde digressus, (o) *pervenit in castrum quod Arbona vocabatur*, ubi Villimarii Presbyteri hospitio acceptus est, & eodem mox indice & comite Brigantium se contulit, quod quaerente ex eo Columbano, an *sciret aliquem in solitudine locum, in quo cellula fieri potuisset, custodiis aliquantulum regularibus opportuna*, ipse respondisset, *in hac solitudine locus quidam est, antiquae structurae servans inter ruinas vestigia, ubi terra pinguis & fructuariis proventibus apta, montes per gyrum excelsi, eremus vasta & imminens oppido planicies copiosa victum quaerentibus fructum laboris*. Brigantium cum venissent, *Oratorium in honore sanctae Aureliae constructum adierunt, probataque loci & situs qualitate, circa Oratorium mansiunculas sibi fecerunt*. Sed in quo loco & templo non minus etiam tunc inter Christianos, idololatriae & impietatis vigeret studium: *Repererunt*, ait Valafredus (p), *in templo tres imagines aereas deauratas, parieti adfixas, quas populus, dimisso altaris sacri cultu adorabat, & oblatis sacrificiis dicere consuevit, isti sunt DII veteres & antiqui, hujus loci Tutores, quorum solatio & nos & nostra perdurant, usque in praesens.*

Contra eam impietatem cum hortatu Columbani S. Gallus, non minus Germanice, quam latine doctus, multis disseruisset postremo non secus atque Tucconiae fecerat, *in conspectu omnium arripiens simulacra, & lapidibus in frusta comminuens, projecit in lacum*, multis interea conversis, sed plerisque indignantibus, & frementibus. Quamobrem falso apud Allemanniae ducem Gunzonem accusati, *venationem publicam in eisdem locis propter illorum infestationem peregrinorum esse turbatam* (q), discedere inde quoque jussi sunt. Et Columbanus quidem in Italiam ad Agilulphum Longobardorum regem profectus est cum sociis: Gallus vero cum febri decumberet, nec tantum itineris suscipere auderet, manere solus coactus, ad Villimarium demum presbyterum rursum se transportandum curavit. Atque hac febris occasione tantum tanti viri Thesaurum, his in locis, superavisse voluit saepius memoratus Valafredus. Unde ejus exclamationes (r): *O infirmitatem omni humano robore fortiorem, O febrem omni laude colendam! O languorem sanitati & gaudiis adscribendum! Exemplo enim Domini pro nobis Gallus doluit, ut animarum morbos praedicatione sacra depelleret* (s). *Ire cum magistro non potuit, ut nobis viam veritatis ostenderet. Vere patiens & misericors Dominus in praedicatoribus suis jampridem contentus, dum conversionem peccatorum sustinet, doctorem ne errantes deserat retinet.* Brevi vero cum revaluisset cura praecipue Magnoaldi, & Theodori diaconorum, quos ei Villimarius hac super infirmitate praefecerat, ipse vero solitudine nihil potius haberet (t), duce & comite eodem Magnoaldo in eum se contulit locum, novem ab Arbona circiter passuum millibus, tanquam per ea tempora vastum & solum, ubi nunc monasterium S. Galli, & inde opidum, ab ipso auctore & patrono; quem locum, sumta virga colurna (u) & in crucem formata humique fixa non solum daemonum ludibriis & variis phantasmatis liberavit, sed etiam quibus abundabat serpentibus. *Nam* (x) *diabolo inde expulso, dignum erat, ut animal, per quod hominem deceperat, habitationi cederet sanctitatis.* Mox triduano confecto jejunio, *locum* (y) *quem spirituali militia providebat, parsimonia consecravit initiis*, & inde cellam condere coepit. Interea daemon Gunzonis, qui sanctos Brigantio ejecerat, filiam Fridbergam pulchritudine excellentem, & Sigeberti Austrasiae regis sponsam invasit, obsedit, torsitque crudelibus modis, hoc ipso praetextu. Unde ejus ad Divum, exsilium & sedem aliam imperantem, verba, *ego plane ob ultionem injuriae, quam dux iste tibi & sociis tuis irrogavit, filiam ipsius invasi, & sic ejicis me?* Sed S. Gallus & spiritum malignum expulit, & virginem sanitati pristinae decorique quem per amentiam amiserat, restituit, *signo vexilli salutaris* illam *muniens* (z), licet frustra tentassent à rege missi Episcopi; quibus tot & tantis beneficiis adductus Gunzo non solum ut Episcopatum Gallus susciperet, qui post Gaudentii Episcopi Constantiensis mortem (a), post translationem Vindonissa tertii, vacabat, deprecatus est, sed cum abnuisset & Joannem ex discipulis unum substituisset, maximis muneribus adfecit, quae mox in pauperes Divus erogavit. *Praefecto* vero *Arbonensi* imperavit, *ut cum omni plebis officio iret ad locum Cella, & quaecumque necessitas poposcisset adificia, juxta viri DEI dispositionem construeret* (b). At Sigebertus cum ex ipsa Fridberga, quam ad se ut matrimonium iniret Metas perduci curaverat, quae acta essent cognovisset, Gallumque *in publicis*, hoc est, quae fisci regii essent, *inter alpes Rhaetiarum* (c), *& Brigantini marginem lacus, commorari possessionibus, jussit fieri conscriptionem firmitatis, ut vir sanctus locum quem incolebat, per auctoritatem regiam obtineret, auri quoque libras duas, & argenti pondo totidem cum epistola concessionis jam dicta, per suos nuncios viro DEI destinavit, se sacris ejus orationibus commendans attentius: Gunzoni autem duci praecipiens, ut si solitudinis incola vellet solatiorum ei copiam ad aedificandam Cellam subministraret.* Atque haec prima Monasterii S. Galli incrementa, hic ortus, haec celebritas. S. Gallus cum monasterium hac ratione amplius fabricasset, socios ad numerum duodecim coegisset exita jam aetate, Vilimari antiqui hospitis precibus dedit, ut ad Arbonam reviseret, ubi paulo post febri correptus mortem obiit. *XVII. Kal. Novembris, expletis nonaginta quinque annis suae aetatis* (d). Quem cum eodem in loco sepelire, & *arcam qua claudebatur cadaver feretro impositum ad fossam sepulturae conarentur deferre, nullis viribus usquam potuit commoveri*. Unde Joannis Episcopi consilio, equos duos indomitos feretro admoverunt, hac quoque ratione DEI voluntatem periclitaturi. *Equi* (e) *autem in neutram partem declinantes, recto itinere perrexerunt ad Cellam viri Dei, quo cum pervenissent depositum est feretrum ante Oratorium. Discipuli autem ejus, elevantes pii doctoris reliquias, intulerunt, & ante altare posuerunt.* Haec de sancto Gallo, & hactenus: fortasse pluribus, sed ea maxime ex caussa, quod qui ante hac de re scripserunt, aut obtrectatores perverterunt, aut

T

(o) Eod. lib. cap. V. (p) Cap. VI. (q) Cap. VII. (r) Cap. VIII. (s) Isaiae cap. LIII. (t) Cad. X. XI.

(u) Antiqua consuetudo initiandi loca sacris destinata. (x) Cap. XII. (y) Cap. XIII. (z) Cap. XVII. (a) A. D. N. D. C. XXVIII. (b) Cap. XVIII. (c) Cap. XX. (d) Cap. XXVIII. A. D. N. D. C. XLIII. (e) Cap. XXIX.

aut oppresserunt, ut omnis monasticæ, hoc est, veræ & antiquæ disciplinæ hostes, ita in beati Confessoris, tantisque clari miraculis laudem & memoriam æmuli, an invidi; cum interea monachorum bonis & possessionibus vitam liberosque tolerarent. Et cætera humana utcumque transmittas: De DEO & sanctis ejus non nisi impie taceas. Certe ea sunt in omnem pagum Tigurinum S. Galli viventis & postea in Divos relati bona, meritaque, ut merito patronus & tutelaris haberi debeat & possit, & fortasse consequeretur, quotidianis nunc quoque per multorum sustentationem beneficiis, nisi monachus esset. Quo pacto postea Carolus Martellus, & deinceps Pipinus filius Major Franciæ, qui etiam regnavit, S. Galli Cellam, Othmaro nobili Curiensi, cum privilegio & donis commendarit, primumque eum Abbatem constituerit, sumta S. Benedicti regula, magnasque accessiones monachi fecerint, disertim & copiose, ut cetera Valafridus (f). „ Post venerandi, *inquit*, patris beati videlicet Galli confessoris Christi, gloriosam depositionem, quotidianas excubias apud sacri corporis ejus reliquias quidam religiosi clerici, vel discipulatus ejus memoria, vel divino amore succensi, per multa annorum curricula, scilicet quasi à temporibus Dagoberti regis (g) usque ad Carolum patrem Carlomanni (h) & Pipini, ad laudem Christi administrabant. Igitur cum fama virtutum quas Dominus per Confessoris sui merita pie quærentibus exhibere dignatus est, longe lateque circumpositorum mulceret aures populorum, cœperunt undique alacri devotione ad tanti patris suffragia postulanda concurrere, eumdemque locum ob suæ diuturnitatem memoriæ multiplicibus substantiæ & possessionum amplificare donariis. Cumque res hac largitate fidelium collatæ, aliquamtulæ monachorum congregationi viderentur suppetere potuisse, Vualdramnus quidam, ad cujus paternam possessionem termini vastæ solitudinis in quibus vir DEI Cellam construxerat, pertinere videbantur, videns res collatas à quibusdam præsumtoribus inordinate tractari, religiosum quemdam presbyterum, Othmarum nomine, cui summam earumdem committeret rerum, à Victore tunc Curiensium Comite impetravit, & ei Cellulam cum omnibus ad eam pertinentibus commendavit.

„ Postmodum consilio cujusdam Ducis, nomine Nebi, persuasus, ad præfatum principem Carolum cum eodem Duce properavit, ipsique eamdem cellam proprietatis jure contradidit, & ut Othmarum presbyterum eidem loco præficeret exoravit. Annuens petitioni ejus princeps, Othmaro ad præsentiam suam vocato locum commendavit, & ut regularem inibi vitam instituere studeret, præcepit. Qui regressus arripuit statim boni pastoris initia, & undique versum habitacula monachorum usibus congrua, disposite construens, ejusdem Sancti statum loci utilitatibus diversis aptavit. Sed cum jam dictus Princeps temporaliter regnandi, & vivendi finem (†) fecisset, duobus filiis Carolomanno & Pipino administrationem regni reliquit. Carolomannus itaque paucorum decursibus evolutis annorum, ob amorem regni cœlestis secularis gloriæ pompam deposuit, & cum caussa quietioris vitæ Romam tenderet, in viciniam supradicti loci deveniens, ad idem monasterium caussa orationis accessit, audiensque assiduis signorum virtutibus eumdem locum, pro beati viri meritis, à Domino illustrari, dixisse fertur, tenuis quidem hic locus est facultate, sed pro meritis beati Galli celebri diffamatus rumore. Cumque vellet ibidem degentibus aliquod suæ largitatis conferre solatium, sed retractaret, à negotiis se regni disjunctum explere non potuisse quod voluit, fratri rescripsit, ut sui amoris intuitu eidem monasterio aliquod regiæ largitatis solatium digneretur impendere. Cum igitur ab Othmaro abbate præsentatam Pipinus Princeps accepisset epistolam annuens petitioni fraternæ, libellum quem Benedictus pater de cœnobitarum conversatione composuerat, eidem abbati tradidit, & alia regiæ dignitatis impertiens dona, id ei sub omni diligentia injunxit, ut in loco sibi commendato ad supplendas B. Galli excubias, regularis ordinem institueret vitæ. Atque ut melius posset quod jubebatur efficere, concessit illi quosdam tributarios de eodem pago, ut & illis collaborantibus, officinas fratrum usibus necessarias construeret, & vectigalia, quæ annuatim regiis redditibus inferre debebant, ad sustentationem fratrum sub commemoratione largitatis ejus haberet. Et ne cujusquam avaritia tanti incrementis obsisteret boni, diuturnæ firmitatis epistolam fecit conscribi, & ut moris est, circumspecta roborari cautela, quo deinceps tam ipse qui aderat, quam successores ejus idem monasterium per regiam obtinerent authoritatem, & nullius violentia pressi, solis rerum Principibus subjacerent. His regiæ pietatis Othmarus abbas donatus solatiis, & sublimatus honoribus monasterium lætus regreditur, & ex illo tempore monasticæ vitæ in Cœnobio S. Galli exordium quidem cœpit, augmentum autem & profectus hodieque laudabiliter dilatari non desinit. „ Hactenus Valafredus. In eas vero opes denique monasterium S. Galli, & in eam amplitudinem venit, ut principatum in Germania facile teneat. Multa sunt, ut ante visum, à Martello, Pipino, ceterisque Francorum regibus, & deinceps Germanorum Imperatoribus privilegia, dona, immunitates, & demum ipsi Abbates inter Principes Imperii cooptati, nulli omnino, quam Apostolicæ sedi immediate subjecti. Casparus abbas ex nobili, & antiqua Breitenlandenbergerorum familia, *habito ad postremum Fratrum prudenti consilio, suorumque subditorum voluntate perspecta*, ut Instrumenti literæ testantur, fœdus perpetuum cum Tigurinis, Lucernensibus, Suitiis & Glaronensibus, *tamquam qui hoc muneris & privilegii divinitus consecuti essent, ut sua monasteria, sacerdotia, loca pia & religiosa summa fide & constantia tuerentur & protegerent*, fecit, & juravit, illudque renovandum, jurandumque & conservandum omnibus Abbatibus posteris, nec non & subditis injunxit. Eosdem Protectores & Advocatos perpetuos sumsit, Arbitrosque, si quæ controversiæ incidissent, sublegit. Literæ super hac re *datæ Feficone, propte Lacum Tigurinum, die Martis post Adsumtionem Deiparæ Matris. A. D. N. M. CCCC. LI.* Uldaricus vero VII. abbas cum Comitatum Toggenburgensem emisset, (k) eaque de caussa, eodem tempore, cum Glaronensibus, & Suitiis fœdus singulare feriisset, tum vero

(f) Cap. XXXII. (g) Lib. II. Cap. 10. (h) Obiit Dagobertus. A. D. N. D. C. XLV. (i) Carolus Martellus Galliæ Majoratum iniit A. D. N. D. CC. XVIII. (†) D. CC. XLI.

(k) A. D. N. M. CCCC. LXIX.

ro subditis & regionibus monasterio annexis melius regendis, defendendis & in officio continendis, à quatuor supra positis Civitatibus, Tiguro, Lucerna, Suitia, Clarona postulavit senatorii ordinis virum prudentem, strenuum & probum, Abbati S. Galli adjungerent, per vicissitatem in biennium delectum, *qui totius regionis & jurisdictionis S. Gallensis Capitaneus Generalis cum plena potestate esset & diceretur*, Abbatum & monasterii sumtu, in quo proinde, & apud quem id temporis transigeret, opera, consilio adesset, sacramentoque in eam formulam Abbati se obstringeret. Literæ factæ *dataque in ejusdem monasterii opido Vylla, Tigurini pagi, die Lunæ ante festum Martini Episcopi. A. D. N. M. CCCC. LXXIX.*

Opidum ex monasterii frequentia natum, cui proinde subjectum. Primum sub Arnolfo Imp. (1) metu Hungaricarum irruptionum mœnibus Abbates circumdedere. Privilegia interim ab Imperatoribus accepit, & paulatim à monachis se subtraxit; demum quidquid juris habebant, pecunia emeruit, & in Urbium Imperialium numerum venit. Et Gallenses cum vidissent fœdus perpetuum cum IV. Civ. Casparum sanxisse, metu ne hinc forte aliquid detrimenti caperent, aut ut suas pariter opes aliqua ratione firmarent, fœdus etiam ipsi perpetuum inierunt cum VI. Civitatibus, Tiguro, Berna, Lucerna Suitia, Tugio, Clarona. *Vigilia Joannis Baptistæ. A. D. N. M. CCCC. LIV.* Fœderis articuli pœne eadem forma quæ plerumque de mutua amicitia, ope, consilio, auxilio: Additum ne S. Gallenses possint cuiquam bellum inferre, aut fœdere se alio jungere, absque Civitatum consensu & auctoritate. Opidum magnificum, in tribus VI. divisum, septima nobilium, quæ proinde libera vulgo dicta. Ex his concilium, magistratus, cætera officia. Concilium æquali ex tribubus numero, minus sive frequentius XXIV. virûm: Majus cum majora sunt negotia reip. XC. Summus magistratus II. virûm, Burgimagistros nominant, unus res civiles judicat, alter capitalibus præest. Sed maxima loco per lanificia, tota Europa, celebritas.

(1) A. D. N. D. CCC. XCIX.

CAPUT II.

DE RHETIS.

Rhetorum origo & migratio. Eorum fines, & limites. Vinum Rheticum. Rhætorum gentes. Rhætorum incursiones. Comum vastarunt. Helvetiam, Sequanos Rauracos, &c. L. Munatius Plancus auxilium contra Rhetos Helvetiis tulit, eos vicit, & de iisdem triumphavit. Rhætorum sævities & crudelitas. Tiberius & Drusus Rhætos represserunt. Rhætiæ Romanæ limites. Populi sub Rhæticæ utriusque nomine inclusi. Rhæti unde Cani dicti. Rhætia per procuratores R. Impp. habita. Rheti Romanis amati, & in honore habiti. Ex Procuratoribus Duces Rhetici limitis facti. Ducum ratio. Rhætia denique passim Francis subjecta. Franci Præsides constituere. Rhætia varie divisa. Mox uni Episcopo subjecta. Thieltolfus Episcopus & præses Rhætiæ: Helvetiæ & Rhætiæ antiqua limites constituunt. Confœderationis Rhætorum origo. Superius fœdus & ejus Communitates. Desertini origo, & Placidi historia. Rheni triplex ortus, & de eo pluria. Rhenus anterior. Nobilissimorum Europæ fluminum fontes. Rhenus medius. Lucumo mons. Rhenus posterior. Avicula mons. Æstuatii. Rhætium. Tumeliaca vallis. Rhætia alia. Speluca & Tarvesedum. Ursus mons. Mesauci & Mesaucia vallis. Mesa fl. Galanca vallis. Ejus incola. Secundum fœdus, sive Domus Dei. Curia antiquitates. Ebodurum. Arces Curiæ. Nominis origo. Situs. S. Lucii historia. Episcopi Curienses. Et ipsis Rhætia ferme subjecta. Curiæ reipub. administratio. Albella fl. Juliæ Alpes. Maira fl. Pregallia vallis. De Saruneribus. Engadin. Æni origo & cursus. Athesis & ejus nativitas & cursus. Mons venustus. Venones. Munsterthal. Tertium fœdus, sive x Jurisdictionum. Rhætica vallis. Langarus fl. Rhætico mons. Illus fl. Aqua Federicæ. Campus Malæ. Decem harum Communitatum conversiones. De Rhætorum republica. Præfectura Rhætorum. Ada, & ejus ortus. Rhætorum cum Helvetiis fœdera. Eorum articuli.

DE Rhetis ita accepimus, Thuscia primo, mox tota Italia pulsos à Gallis, qui Italiam irruperant, Alpium summitates Rheto duce occupasse. Justinus ex Trogo (a): *Gallis in Italiam veniendi, sedesque novas quærendi intestina discordia, & adsiduæ domi dissensiones caussa fuere. Quarum tædio, cum in Italiam venissent, sedibus Thuscos expulerunt, & Mediolanum, Comum, Brixiam, Veronam, Bergomum, Tridentum, Vincentiam condiderunt. Thuscique duce Rheto, avitis sedibus amissis, Alpes occupavere, & nomine ducis gentem Rhetiorum condiderunt.* In eadem sententia Plinius (b): *Noricis contermini sunt Rheti & Vindelici, omnes in multas civitates divisi. Rhetos Thuscorum prolem arbitrantur à Gallis pulsos, duce Rheto.* Livius non solum inde ortos Rhetos, sed mores, linguamque locorum asperitudine corrupisse & adulterasse, cum de Thuscis differit. *Alpinis*, inquit *quoque ea gentibus haud dubie origo est, maxime Rhetis, quos loca ipsa efferarunt, ne quid ex antiquo, præter sonum linguæ, nec eum incorruptum, retinerent.* De eadem gente & finibus sæpius Strabo (c). *Supra Comum*, inquit, *ad Alpium radicem Rheti jacent.* Alibi: *Rheti ad Italiam usque pertinent, supra Veronam & Comum in radicibus montium quos illi colunt vinum Rheticum nascitur, quod laudatis Italiæ vinis non videtur cedere.* Paulo ante: *Deinceps montium partes, quæ ortum spectant & ad meridiem vertuntur, Rheti & Vindelici tenent, Helvetiorum & Boijorum contermini, quorum campis imminent.* Alio in loco: *Supra Comum, quod est ad Alpium radices situm, habitant versus orientem Rheti & Vennones: Ad alteram partem Lepontii, Tridentini, &c.* Et in libri principio. *Rhenus quoque in magnas paludes, magnum lacum diffunditur, quem attingunt Rheti & Vindelici partim in Alpibus, partim supra Alpes habitantes.* Eadem alio volumine (d) prope expressius cum de lacu Constantiensi meminisset: *Lacum, ait, Rheti exigua parte, majore Helvetii, & Vindelici attingunt, inde est Bojorum solitudo, usque ad Pannonios. Omnes tamen magis reliquis Helvetii & Vindelici montanas incolunt planicies. Rheti & Norici usque ad Alpium summa adsurgunt, & versus Italiam vergunt, alii Insubres, alii Carnos, & quæ sunt circa Aquileiam loca attingentes.* Hæc quidem pluribus, ut vidimus, locis de Rhetis & eorum cultu Strabo, ex quibus veteris & veræ Rhetiæ limites hos agnoscas, versus meridiem Comum & Insubres, ab Oriente Veronam & Noricos, & partim Vindelicos, qui eosdem ad septentrio-

(a) Lib. XX. hist. (b) Lib. III. cap. 20. (c) Lib. IV. Geog. (d) Lib. VII.

trionem separabant: Contra Occidentem demum Helvetios & Lepontios; quos quidem fines etiam nunc ferme claudunt, isque Episcopatus Curiensis circuitus. Nam ab Oriente habet Episcopatum Augustanum & Brixinensem (e), deinceps in meridiem declinando Tridentinum & Veronensem, & ad ipsum meridiem Insubres Comenses & Clavennates ad caput Larii, Vennonetibus Rhetis ea loca occupantibus, licet per commoditatem Episcopo Curiensi subjecti, lingua proinde Rhetica, & Italica utantur. Contra occidentem summo ex Adulæ culmine, ubi Rheni origo, Lepontios & Helvetios Constantiensis diocœsis prospectant, quibus in finibus gentes Rhetorum & regiones, diversis nominibus, plures, Antuates, vel Æctuatii, Cani in campis Caninis, Sanagenses, Estiones, Drusiana vallis, Rhetica vallis (f), omnes cis Alpes. Ultra vero Sarnetes, ad Aenum, Vennones ad Athesim, Vennonetes ad Aduam, Prægalli, Clavenates, Mesauci, aliæ nonnullæ de quibus dicere nihil attinet. Sed cum post illud Rheti ducis & sociorum ex Thuscia, sive exsilium, sive profugium, armis virisque inde nominati Rheti per tot annos evaluissent, locorumque confidentia, additis insuper plurimis summis in Alpibus arcibus, vallis & munimentis, omnes nationes post se haberent, in vicinos utroque Alpium latere incursare cœperunt; Comum à Rhetis vastatam, & ductis eo novis colonis, à Strabone Pompejo Magni patre restitutam testatur Strabo. *Fuit*, inquit, *initio opidum mediocre Comum. Sed Pompejus Strabo Magni pater, adflictum à supra adcolentibus Rhetis instauravit*. Maxime vero versus Helvetiam, Rauracos, Sequanos vim converterunt, postquam Helvetios in Gallia à Julio Cæsare victos, impares esse suis viribus arbitrati sunt. Itaque cum partim reædificandis suis opidis locisque reparandis Helvetii, Rauraci, Lacobrigi occuparentur, & opes haud adhuc firmatæ essent, ex fœdere quod cum Julio Cæsare fecierant, L. Munatium Plancum, quem Galliæ Cæsar præfecerat, invocarunt, auxilium præsidiumque interea contra Rhetos ferret, & fecit. Rhetosque vicit, & de iisdem illo quo interfectus est Cæsar anno triumphavit. Secuta sunt mortem Cæsaris bella civilia, & exinde non solum Rhetis, sed cæteris nationibus passim bellorum & novationum causæ, certe irritamenta. Rheti etiam ad crudeliora conversi sunt, tantumque exterorum odium hauserunt, ut ne tunc quidem natis parcere animum inducerent: fœminas graves, si per divinatores utero marem ferre comperissent, fœde dilaniarent, interficerentque, in omnes interea sævirent donec missu Augusti Tiberius & Drusus, ille ab hoc, sive Helvetiæ latere: iste ab Italia & Tridento, hinc inde palantes & sparsos multis præliis reprimerent magis, quam subjugarent, unde Lucano: *Indomitum Rheni caput*, & Claudiano, recte dictum multi arbitrati sunt (g). Ex qua opinione quidam voluerunt, superius Rhætorum fœdus, uti nunc vocant, numquam fuisse Romanis subditum subactumve. De Rhætis tamen etiam Tiberius triumphavit. Rhætiam in provinciæ formam retulisse Augustum, memoravit Aurelius Victor (h). Sed cui adjungeretur victa ab eodem Tiberio tota Vindelicia, nonnullis ex Norico gentibus, in quibus Brixentes, eodem Rhætiarum nomine multis diversis populis inclusis. Inde Ptolemæus Rhætiæ limites inter Danubium, Aenum, Alpesque constituit. *Rhætia*, inquit (i), *Occidentale latus terminatur monte Adula, & linea quæ est inter capita Rheni & Danubii: latus vero Septentrionale, ea Danubii terminatur parte quæ à fontibus est, usque ad Aeni fluvii divertigium*, quo quidem ambitu non solum Rhæti, ut diximus, comprehensi, sed magna Tigurini pagi pars, Hegovii, Mattiaci, Suanetæ, Lentienses, Callucones, Licates sive Licatii, Ilarci, Belauni, Virucinates, Leuni, Geloni, Thunicates sive Rhunicates, Consuanetes sive Consuatæ, Breuni & denique Cattenates vel Clautenacii (k), utraque Æni ripa, ubi in Danubium cadit, populi Straboni, Plinio, Ptolemæo nominati. Qua de causa factum crediderim, ut quum tot gentes ad Rhætium nomen accessissent, quæ, ut regione, ita moribus, cultu, lingua alienæ & diversæ essent, ne nominis prisci prærogativam ortumque amitterent ea populorum confusione, Rhætos sese Canos nuncupavisse, hoc est, veteres & veros, primæque & antiquæ originis; per insolentiam scilicet, quasi plures & honoratiores essent, quam qui suo nomini adjicerentur. Hinc adhuc sua lingua & Italis Grisoni, & Germanis die Gravven hoc est Cani nominantur, quibus ferme apponitur pundter, die Gravven pundter, quod inter se, ab antiquo, fœderati. In provinciam vero redacta Rhætia, missi qui regerent Curatores, aut Procuratores. Rhætiam inter eas quas Procuratores haberent notavit Corn. Tacitus (l): *Duæ*, inquit, *Mauritaniæ, Rhætia, Noricum, Thracia & quæ aliæ procuratoribus cohibentur* Sub Augusto, ut utrique Germaniæ & Galliæ, ita etiam Rhætiæ præfuit Drusus, qui primus ob res fortiter gestas contra eam gentem, Germanicus senatus consulto nominatus. Eo mortuo deinceps Drusus Germanici ejusdem filius. Ipsum contra Suevos Rhætiæ auxilia misisse, retulit idem Tacitus (m). *Secuti*, inquit, *exemplum veterani, haut multo post in Rhætiam mittuntur specie defendendæ provinciæ, ob imminentes Suevos*. Sub Nerone & Vitellio fuit Portius Septimius Procurator Rhætiæ, *incorrupta erga Vitellium fidei*. Tacito teste (n). Qui proinde contra Vespasianum infestas Rhætias haberet. Et ea quidem tempestate, Rhætorum haut parva in armis gloria, unde sæpius dictus Tacitus *Rhætorum juventutem, suetam armis & more militiæ* (o) *exercitam* facit, alio loco (p). Præter quod ante alias gentes extra Italiam, præcipue Romanis amabantur, sive antiqua ex Thuscia origine & quadam linguæ affinitate, aut quia ita merebantur, cum se etiam Romanos esse, non minus atque nunc, olim pariter affirmarent. Zosimus (q) Rhæticas legiones inter præcipuæ virtutis ponit. Marco Antonino & Lucio fratribus Impp. reperio Rhætiæ Procuratorem fuisse T. Varium Clementem, cujus hæc exstat inscriptio.

T. VARIO. CLEMENTI. AB. EPISTOLIS.
AVGVSTOR. PROC. PROVINCIAR.
BEL-

(e) Brixentes ex Norico attribuit Rhætiæ Ptol. (f) Tavetscher, die Gravven, Sarganser. Estnerberger Valgavver, Prettigevver, Sarnetscher in Engadin, Vintlgevver, Veltliner, Bregallier Clæfner, Masoxer. Lib. V. Geog. (g) Eusebius chron. (h) In Augusto.

(i) Lib. II. Cap. XII. (k) Hegeu, Madach, præfectura Ravenburgensis, Lintzgauuer, Algeuuer, Lechgeuuer. aut Lechtfelder, die Liser, inter Isaram & Loisam, akisciini vindelicorum, Weilheimer, Frisinger, Glaner ad° fl. Glan unde Geloni. Thuncaner ad Danubiam. Schuindau. Braunauer, utraque Aeni ripa. Passauuer. (l) Lib. I. hist. (m) Lib. I. annalium. (n) Lib. III. hist. (o) Lib. I. hist. (p) Hoc est, Romanæ. (q) Lib. I. hist.

BELGICAE. ET. VTRIVSQVE. GERM. RHAETIAE. MAVRETAN. CAESAR. LVSITANIAE. CILICIAE. PRAEF. EQVIT. AL. BRITANNICAE. MILIT. PRAEF. AVXILIARIORVM. IN MAVR. ET. TINGL TAN. EX. HISPANIA. MISSORVM. PRAEF. EQVIT. ALAE. II. PANNONIORVM. TRIB. LEG. XXXV. PRAEF. COH. II. GALLORVM. MACEDONICAE. CIVITAS. TREVIRORVM. PRAESIDI OPTIMO.

Reperitur aliud Clementi huic factum epigramma, in eamdem ferme formam, in quo etiam Procurator Rhætiæ nominatur, quam proinde remitto. Fuit eadem tempestate, Rhætiæ procurator, sub iisdem Impp. Q. Cæcilius Cisiacus, uti & vallis Pœninæ Vindeliciæque, quemadmodum ex istoc monimento cognoscitur, quod Veronæ legitur templo S. Floriani.

Q. CAICILIO. CISIACO. SEPTICIO.
PICAI. CAICILIANO. PROCVR. AVGVST.
ET. PRO LEG. PROVINCIAI. RAITIAI. ET.
VINDELIC. ET. VALLIS. POENIN. AVGVRI
FLAMINI. DIVI. AVG. ET. ROMAI.
G. LIGVRIVS. L. F. VOL. ASPER.
Ↄ. COH. I. C. R. INGENVOR. (r)

Post hunc arbitror fuisse Helvium Pertinacem qui post imperavit: Nam eum Rhætias & Noricum ab hostibus vindicasse, vivo adhuc & superstite M. Antonino tradidit Jul. Capitolinus (s), his de eo verbis. *Marcus Imp. ut compensaret injuriam, prætorium eum fecit & primæ legioni regendæ imposuit, statimque Rhætias & Noricum ab hostibus vindicavit.* Sed postea mutata nominatio & non amplius Procuratores, sed Duces Rhetici limitis, qui Rhetiæ imperarent dicti. Ducum credo rationem primus explicuit Zosimus (t), cum de Constantini M. institutis differit. *Cum præessent*, inquit, *ubique locorum militibus, non modo Centuriones & Tribuni, verum etiam Duces (Sic enim vocabant qui quolibet in loco prætorum vicem obtinebant) magistris militum institutis, &c.* Ex quibus fuisse Duces supra Centuriones, & Tribunos infra Prætores facile cognoscimus. Hinc tempore Valeriani & Gallieni, reperio Fulvium Bojum Ducem Rhetici limitis, Vopisco auctore (u). Sub Aureliano vero Bonosum. Et ipse Aurelianus, Imp. lectus, cum Rhetiæ Ducatum regeret (x). Ceterum de R. Imperatorum gestis circa Rhætiam & in ea, alibi pluribus disputavimus. Et hactenus Rhætiæ & Romanorum nomen, imperiumque fuit. Nam postea Alemanni invaserunt, quæ circa Rhenum & Acronium sunt & Romanos quidem expulerunt, Rhetos vero intra suos montes, rupesque concluserunt, ita tamen ut pervios & prope subjectos haberent. Unde per Rhetiam Alemannos vastabundos descendisse (y), cecinit Sidonius Apollinaris.

conscenderat Alpes
Rhetorumque jugo per longa silentia ductus,
Romano exierat populato trux Alemannus.
Perque Cani dictos quondam de nomine campos
In prædam centum novies diviserat hostes.

Cum vero haut multo post (z) Gothi, Theodorico rege, Italiam occupassent, Odoacre Herulo demum interfecto, etiam eam Rhætiæ partem tenuerunt, quæ Italiæ adjacet, Ducemque in ea constituerunt. Notatus mihi in Cassiodoro Theodorici secretario, Servatus Rhetiarum Dux. Sed ab altero latere, victis Alemannis, cuncta sibi Franci subjecere. Tempore Clodovei M. (a) & liberorum præfuit Rhætiæ Victor vir illustris, cujus Curiæ in Crypta monasterii S. Lucii marmoreo lapide, latinis literis elegantibus, sed barbare, ut ea ferebant tempora, hoc Epitaphium.

HIC SVB ISTA LAPIDE
MARMOREA
QVEM VECTOR VER IN
LVSTER PRESES
ORDINABIT VENIRE
DE VENOSTES
HIC REQVIESCIT
DOMINVS.

Post Victorem successit in regimine Rhetiæ Jactatus filius, qui genuit Zacconem Præsidem. Zacco ex Episcopia conjuge sanctitate celebri, suscepit Jactatum II. Præsidem & Victorem Episcopum Curiensem, qui monasterium nobilium feminarum, Cacias nominatum, in Tumeleca condidit: Jactatus genuit Victorem II. Præsidem, & Vigilium Episcopum Cur. Victor quidem proavo Victori etiam hoc Epitaphium poni curavit, quod barbare pariter legitur in eodem D. Lucii templo.

HIC SVB ISTA LABI
DE MARMOREA.
QVEM VECTOR
VIR INLVSTER PRESES
ORDINAVIT VENIRE
DE TRIDENTO
HIC REQVIESCIT
CLARESIMVS VICTOR
PROAVVS
DMNI VECTORIS
EPI
ET DOMNI IACTADI

Habuit Teusendam conjugem nobilem feminam, ex qua Zacconem II. Præsidem suscepit, item Tellonem Episcopum & Jactatum & Vigilium tribunum, qui post mortem fratrum sub Martello Francorum Equitum Mag. Præsidem Rhetiæ egit (b). Cum vero Vigilius sine liberis obiisset, multosque propinquos & consanguineos suæ stirpis reliquisset, reges Franciæ inter eos per Comitatus & dominia Rhætiam diviserunt (c). Hinc Comites Rhætii, Vazii, Temisii, Mætschii, Montfortis, Verdenbergenses,

(r) Centuriæ, cohortis, primæ, Civium, Romanorum, Ingenuorum. (s) In Pertinace. (t) Lib. II. hist. (u) In Aureliano. (x) Euseb. chr. Eutrop. Lib. II. cap. 1. & alias. (y) A. D. N. CCCC. LIX.

(z) A. D. N. CCCC. XCIII. (a) A. D. N. D. VI. (b) Summa hæc ex antiquissimo protocolo Ecclesiæ Curiensis. (c) A. D. N. D. CCXLI.

genſes, Saxenſes, Belmontani, alii. Solus Epiſcopus, qui hactenus cum Præſidentibus imperaverat, inſignia Præſidum retinuit & eam regionem, quæ nunc Fœdus domus Dei, ſive Curienſe nominatur, cum partem etiam Diſentiſius Abbas ſibi vindicaſſet. Ita tota Rhætia in diverſas partes tributa. Carolus demum M. poſt mortem Remedii Epiſcopi, qui Teloni ſucceſſerat, Conſtantium Epiſcopum Curienſem toti Rhetiæ, ſuo nomine, Præſidem dedit, ut ex hoc Inſtrumento perſpicitur, cujus principium: *Carolus gratia Dei Rex Francorum. Vir illuſtris, &c. qualiter venerabilis vir Conſtantius, quem territorio Rhætiarum Rectorem poſuimus, una cum ejuſdem patria populo miſſa petitione clementia regni noſtri poſtulaverant, ut divino protegente adjutorio, eos ſemper ſub mundiburdio, vel defenſione noſtra habere deberemus, &c. Data X. Kal. Junii Anno* (d), *Chriſto propitio, XVII. regni Inluſtris Karoli Francorum regis, Indict. II. Actum in civitate Antiſiodorens. &c.* Poſt Conſtantium fuit Epiſcopus & Præſes Remigius, tum Victor II. qui bellum habuit cum Roderico Comite à Lages, cujus fines circa Curiam, à Langaro fl. ad Rhenum & Criſpaltum montem, utraque Rheni ripa ſe porrigebat. Miſit Ludovicus Pius, Magni filius Beroldum Epiſcopum Argentinenſem & Gottfridum Abbatem Gregorianæ vallis, cum Ruggero Comite, quorum authoritate factum, ut Rodericus, quæ eripuerat, Victori reſtitueret, qua de re Inſtrumentum. *H Ludovicus, divina ordinante providentia, Imperator Auguſtus, &c. Quia vir venerabilis Victor ſanctæ Curienſis Eccleſiæ Epiſcopus, adiens ſerenitatem culminis noſtri, referens nobis à quodam Comite noſtro Hroderico multas infeſtationes, injuriasque ſibi, ſuaque Eccleſiæ illatas, &c. Data VIII. Kal. Aug. Anno* (e) *propitio Chriſto Imperii XII. Domini H Ludovici, &c. indictione III. Actum Stazeburg.* Eodem tempore obiit mortem Victor, cui ſuffectus Verendarius, cui H Lot. Imp. vectigalia, *in Curia Civitate*, paullo poſt confirmavit & in ſuam tutelam ſuſcepit, vivo adhuc patre. *H Lotharius divina ordinante providentia Imperator Auguſtus, &c. Qualiter populus Curienſis, cum venerabili Verendario ejuſdem ſedis Epiſcopo, &c. Data XII. Kal. Februarii, Anno Chriſto propitio IV. Imperii H Lotharii Pii Imperatoris in Italia Ind. IV. Actum Grandulphi villa palatio regio* (f). Poſt Verendarium fuit Epiſcopus & Rector ſive Præſes, Eſſa, tum Rhotarius & Litvvardus, demum Dietholfus, ultimus qui totam Rhætiam adminiſtravit ſub Arnolfo Imp. Is Thietolfus Epiſcopus & Curiæ Præſes, itemque Salomon Epiſ. Conſtantienſis & B. Galli Abbas, veteres Rhætiæ antiquæ & Helvetiæ, ſive Tigurini pagi limites reſtituere, præſente Uldarico Comite Lentienſium, multaque nobilitate, cujus rei ſuper eſt monimentum. *Notum ſit omnibus præſentibus ſcilicet & futuris, &c. Quod venerabilis Salomon Epiſcopus & Abbas monaſterii S. Galli, ut futura poſteris deſtrueret jurgia, habito prudenti conſilio, omnes Principes de tribus Comitatibus, id eſt de Turgouue, de Linzgouue & de Rhætia Curienſi, cum reliqua populorum multitudine in unum fecit convenire, præſente Thietolfo Epiſcopo & Comite Uldarico de Linzgouue, in loco, ubi Rhenus lacum influit Podamicum &c. Quippe juramento Comitatus diviſerunt, terminum inter Durgouue & Rhingouue aſſerentes, de Schvvarzenecka, ubi aqua adhuc ad nos vergunt, usque ad Manen, in medium gurgitem* (g) *Rheni & inde usque ad lacum Podamicum. Acta ſunt in loco ſupradicto III. Kal. Septemb, Anno Incarnationis Domini D CCC XC. Indict. VII. regnante rege noſtro Arnolfo glorioſiſſimo.* Schuartzeneck vicus eſt Abbatiſcellanorum, Rhingoviam vero nunc Rhintal vocant. Ptolomæus (h), ut alibi monſtratum, nominat Rheguſcos. Plinius (i) Rhuguſcos, Strabo (k) Rhugantios, omnes ad Rhetiam Curienſem pertinebant. Sed hac diviſione finium, major ejus pars, lacum usque Acronium, ad Helvetiam tranſlata, Tigurinique pagi limites antiqui repoſiti, ea quidem ratione, ut Rheti, ſicuti Strabonis tempore, tantum lacum attingerent. Poſt Thietolfum Epiſcopum & rectorem, Epiſcopi rurſus tantum Rhetiæ partem tenuere, quæ Domus Dei nomen habet, cœtera Comitibus, Baronibus, Nobilibus regentibus, nec poſtea fuit commune, aut unius univerſale gubernamen. Accidit ſucceſſu temporis, ut ſuperiores Rhætiæ partes, quæ propter Rheni origines ſunt, veluti Abbas Diſentiſius, cum ſui monaſterii hominibus, Domini Rhetienſes & Saxenſes, cum ſuis ſubditis, itemque nonnullæ aliæ communitates, quæ liberæ erant, omnesque demum regionis incolæ, ſive liberi aut ſubditi eſſent, perpetuo ſeſe fœdere jungerent, quod ſuperius fœdus a ſitu, & Canum ab antiquitate nomen proinde tenuit. Fœdus etiam paullo poſt Epiſcopus Curienſis, & Curienſes, circaque urbem Communitates inter ſe percuſſerunt, quod vulgo Fœdus Domus Dei ob Eccleſiam in eo cathedralem & Epiſcopalem dictum. Demum & fœdus perpetuum concluſerunt, Prettigau, Taſaas, Schaanfick, Churvvald, Malans & Meyenſeld, decemque Judiciorum aut Juriſdictionum accepit nomen. Hæc ſunt tria quidem Rhetorum fœdera, diſtincta ſane, ſed quæ deinceps in unum convenere. Reliqui Comites & nobiles qui Rhetiam infra Meyenſeld op. poſſederunt, usque ad caſtra Rhetorum & lacum Conſtantienſem, ſua partim vendiderunt aut perdiderunt. Comites Verdenbergenſes & Montfortenſes ſuos Comitatus, Brigantium, Veldkirch, Bluders, Valgau, Domui Auſtriacæ vendiderunt. Sarganſerland, Gaſtern ſive Caſtra, Verdenberg & Rhintal Helvetiis iidem Comites pecunia conſignarunt. Vadutz & Eſtnerberg tenent Comites Sulcenſes. Emps, Comites ejus nominis, Saxum Barones Saxenſium, quæ omnia paucis circa Atheſim exceptis, quæ adhuc Curienſis ſunt Epiſcopi, ſunt veteri Rhetiæ detracta. Sed acceſſerunt ab altero latere Maſox, Ruſle, Galanca, quæ Lepontiorum erant, extra Rhetiæ fines, olim per hæreditatem ad Comites Saxenſes devoluta, & ut ipſi ſuperioris Fœderis. Hæc quidem de Rhetiæ origine & ſtatu, & tribus in ea Fœderibus. At vero hæc eadem Fœdera in plures Communitates diviſa, quarum una quælibet ſuos magiſtratus, ſuam remp. habet ſeparatam. Primi, ſive Superioris Communitates Fœderis, ſunt Communitates XIX. de quibus paucis explicavero.

Prima & antiquiſſima eſt Diſertini monaſterii & vici, ampla & locuples, cujus Parœciæ ſunt quinque, Diſertinum ipſum, Tremiſium (Truns) Bregallia (Brigell) Aetuatium (Tavetſch) Medullum (Medels). Sunt & vici plures, ut Camoſſum (Kemps) Summus vicus (Sumuitz). Monaſterii condi-

(d) A. D. N. D. CC. LXXXV. (e) A. D. N. D. CCC. XXV. (f) A. D. N. D. CCC. XXVI. (g) Hoc eſt fluxum & delapſum.

(h) Lib. II. Coſm. (i) Lib. III. hiſt. (k) Lib. IV. Geog.

conditor S. Sigebertus S. Columbani discipulus (l): opibus, & auxilio Placidi nobilis ea regione viri, cujus sedes Tremisii, eaque tenebat omnia quæ nunc Disertinæ regionis nominantur, cum interea Victor II. uti notavimus, toti Rhetiæ imperaret. Is cum Disertini incrementa cerneret, illud sibi vindicare cœpit, cui cum Placidus, tamquam fundator obluctaretur, ab eo captus, & XI. Julii tamquam rebellis capitis damnatus est, multis postea clarus miraculis. Monasterium situm sinistra Rheni, ubi prior mediusque confluunt. Rheni enim origo triplex, proindeque prior, posterior, medius ab ortu vocatur. Eum apud Lepontios oriri tradidit Cæsar (m) cui adsentitur Ammianus (n): Tacitus (o) in Rheticis montibus, Strabo (p) & Ptolemæus Adulam vocant. Sed anterioris Rheni in Crispalto origo est, proxime summas Alpes, sive Gotthardum, & Ursariam solitudinem, quam ab altero latere Furca mons claudit, adsurgente in medio ante omnes Gotthardo. Ex Furca Rhodanus ortum sumit, & ex Grimselio Furcæ parte Arula, qui mediam Helvetiam secat. Et sane inter trium horum clarissimorum fluminum fontes, vix XX. pas. mil. intervallum. Inter Arulam, Rhenumque ex capite Gotthardi, Ursæ scaturigo est, uti ex opposito, versus Italiam Ticini. Rhenus prior Aetuatium vicum (Tavetsch) prætérlabitur, ex cujus parœcia nascitur, in ejus dextram prope Disertinum descendit Rhenus medius. Ipse ex monte Lucumonis, sive S. Barnabæ oritur, qui Adulæ membrum. Nomen monti datum à Lucumone Tusco, qui cum Rheto ea advenerit loca. Vocabulum enim hoc Tuscis antiquis frequens: & L. Tarquinius Priscus Romanorum Rex V. prius Lucumo nominatus (q): Dividit Lucumo Aetuatios à valle Lepontiorum Plenia. Medius vero, & prior sive anterior Rhenus, sub uno prioris nomine per Aetuatios anteriores ad Pontem usque labuntur, ubi posterior eis conjungitur: Ipse quoque ex Aviculæ culmine (Colmo del Vccello Rhetice) natus, qui partem Adulæ efficit, & S. Bernardus etiam nominatur, quod ejus Divi in eo sacellum. Separat Mesaucos Lepontiorum à Rhetis. Ex hujus Rheni latere opposito originem capit Mensa, qui Mesaucos prætergressus, Ticino supra Bilitionem miscetur. At Rheni tres uno jam ex Confluentia, sive Vectigali ponte, nomine contenti, per Campos Caninos (r), Rheguscos in Acronium deferuntur, & deinceps per Helvetios, Rauracos, Sequanos, Mediomatrices, &c. in Oceanum: Aetuatios quos vocat Strabo (s) nominavit Cæsar Nantuates: Vetera Curiensis Ecclesiæ Inst. totam regionem quæ propter utrumque Rhenum, priorem & posteriorem, Tuverascam dicunt.

Sed hactenus de Rheno & ejus natalibus. Disertinæ Communitatis summus magistratus Ammanus, Ministralem ipsi vocant.

II. Communitatem efficit Legunitia vallis, magna & ferax, in qua multi vici. Ex ea effluit Glennerus in dextram Rheni. Præfectus cum summa potestate est.

III. Ilantium est opidum, caputque superioris hujus Fœderis cum adjuncta regione amœna & fertili, utraque Rheni ripa, Foveam nominant. (La voppa), præsidet Ammanus.

IV. Suprasaxensis, adjacet monti qui Ilantio incubat. Germanicæ linguæ. Præest Ammanus.

V. Vorcium (Vorce Rhetice, Germanice Valtersburg) vicus ad Rhenum anteriorem. In ea Communitate alii vici, veluti Andest, Rubis, Septo, Schlants, præsidente omnibus Ammano.

VI. Luvenium (Luvene, Schlovis) & arx Leavenstein. Principatum obtinet Ammanus.

VII. Laacenses faciunt, qui liberi dicuntur, quod se ab hæredibus Comitum ejus nominis pecunia redemerint, liberosque ante cæteras Communitates fecerint. Nam Comitum Laacensium jam sub Ludovico Pio Imp. memoria, ut ante perspeximus. Præsidet Ammanus.

VIII. Flimesium, alii Nemesium vocant. Huic quoque præest Ammanus.

IX. Trenisium alta (Hohentruns), alii Trimontium nominant & Taminisium. Primo in ordine Ammanus. Atque hæ IX. Communitates omnes ad Rhenum priorem.

X. Rhetium cum vicinis Beneducio (Bonaduts), Amido (ober Emps) Fagonio (Veldtsberg), praeeunte Ammano. Rhetii castri, nunc quoque fortis ejus nominis nobilium sedes antiqua fuit. Comites postea Zollerani, & Barones Lintburgenses hæreditate possedere, deinceps ab Austriacis cum omnibus adjunctis dominiis emptum: Nunc pro pignore nobiles à Plantia tenent. Situm in finibus Tumeliacæ quam vallem claudit, ad Rheni sinistram. Rhetii & Bonaducis, aut Beneducii memoria in antiquo privilegio, Hilteboldo Episcopo Curiensi, ab Othone Imp. dato. *Otto Imp. &c. Hilteboldo Episcopo Curiensi, &c. Ecclesiam in Castello Bonaduces, & Rhatzunns, &c. data III. Nonas Januarii An. Dn. D. CCCC. XXVI. Ind. IV. regni XV. IMP. VIII Adam Eristein.*

XI. Est Heinzenberg, cum Tusciana vico, (Tosanna) & Cacia, (Kaats) in principio Tumeliacæ. Tumeliaca regiuncula est, amœna planicie, solo ubere, vini & frumenti juxta feraci, ad Rhenum posteriorem. Nomen à Tumelio (Tomils) vico, prope Ortenstein. In ea arces plures, sed præcipui nominis & celebritatis Rhetia alta (Realt) in colliculo supra Tuscianam, ubi adhuc mœnia & turres, situ & ætate ruinosæ. Huic Communitati Ammanus caput.

XII. Scanavetium (Schans), inter Spelucam & Tuscianam. Antiqua Curiensium scripta Sexannim vocant. Ammanus præest.

XIII. Rhinvvald adpellant; cujus præcipuus vicus Speluncæ (Splugen) & hospitium princeps ex Curia in Italiam per Aviculam aut Ursum proficiscentibus. Ursus aut Ursulus, vel culmen Ursi (colmo del orso) mons, vico adjacet. Antoninus Spelucam Tarvesedum nominare videtur, si tamen milliaria conveniant. Nam Curia Tarvesedum constituit p. m. 60. cum non sint nisi quatuor milliaria Germanica, sive 34. p. m. Deinceps Tarvesedo Clevam 15. p. m. cum sint quatuor milliaria German. Hoc est p. m. 24. Quatuor præcedentes Communitates sunt propter Rhenum posteriorem. Huic, ut ceteris, præsidet Ammanus.

XIV. Saafia, olim Stussania.

XV. Tenna.

(l) A. D. N. DCLXXXII. (m) Comment. I. (n) Lib. XV. hist. (o) In Germania. (p) Lib. V. (q) Livius An. I. (r) Campi Canini quatuor, primus inter Amilium & Curiam. 2. inter Rhagatium & Sargans. 3. inter Verdenberg & Efsnerberg. 4. & infimus inter Altstetten & Lacum Acronium. (s) Lib. IV.

XVI. Scopina.

XVII. Faals. Hæ quatuor Communitates in summis Alpibus sitæ. Habet unaquæque suum Ammanum: Suntque linguæ Germanicæ, etsi circum circa Rhetica sonet.

XVIII. In Communitate Mesauci inclusi (Mesoltina, Masox). Hi vallem habitant inter Alpinos Lepontios, & Alpes quæ Larium attingunt, & Galancam. Mesa, unde populo nomen, oritur ex Avicula, & ut supra attigimus, quatuor supra Bilitionem p. m. Ticino miscetur. Capitales vici Mesaucum superius (Masox) & Rogoretum (Rufle) inferius, ut antiqua habent Curiens. Eccl. Monimenta Mesaucorum vallis optima & uberrima.

XIX. Rogoretum supra dictum implet numerum. Apud hunc vicum prælabitur Galancasca fl. ex valle Galanca quæ etiam hujus Communitatis, & paulo infra, Mesæ incedit. Vallis Galancæ incolæ prope resinarii omnes, & mendicabula, nec suam cuiquam operam locant, circumvagantur. Ipsa aspera & silvestris, parumque bonæ frugis. Utraque vallis antiquitus Lepontiorum, sed à multis annis Rhetis possessæ. Lingua Italica loquuntur, præsidente Ammano.

Secundi fœderis, sive Domus Dei Curiensis, Communitates sunt XX. quarum prima & caput Curia Civitas. Illa antiquitus Ebodurum Ptol. teste. Adfirmant sane Curienses Imberg dictam. Turris illa, cum adjunctis mœnibus, quæ nunc Canonicorum triclinium efficit, arcem præferebat, Mars in oculis nominatam (Marsocchei Rhetice) è cujus regione, licet extra hodierna mœnia, sola tamen fossa separata, arx alia stetit, Spina in oculis (Spinochei). His duobus propugnaculis continere posse Rhetos Romani arbitrati. Habuerunt vero harum in arcium ambitu, nunc nomen Curiæ aut Pallatii retinet, Episcopi sedes, suos Procuratores, qui Rhetiam primo moderarentur. Imo etiam Imperatores, si quando in Rhetiam venirent, eo loci, Curiam celebrabant, quod mansit postea nomen. Unde Antoninus (t) non jam amplius Ebodurum, sed Curiam Rhetorum nominavit. Ait Brigantio Curiam p. m. 50. esse, & inde Tintzam p. m. 20. Sita urbs ad dextram obstreperi fluvii Plessuræ nomine, qui ex valle Schanafica labitur in Rhenum, p. m. 2. infra Curiam. S. Lucii historia tradit ipsum Britanniæ regem fuisse tempore Antoninorum Impp. (u) & Eleutherii Pontificis, Evangeliique promulgandi gratia, peregrino habitu, via illa & transitione, quæ hodie ab eo S. Lucii Steig vocatur, in Rhetiam, ex Bavaria, quam bonam partem converterat, venisse: Habitasse aliquamdiu supra Curiam, in specu, eaque regione Christum Salvatorem nunciasse. Demum à R. Præside, qui Martiolæ agebat, captum, Trimontiumque (Trimmis, 4. infra Curiam p. m.) vicum deductum esse, ibique una cum sorore Emerita capitis damnatum fuisse. Inter Episcopos Curienses primum reperio Asimonem, Concilio Mediolanensi (x) sub Leone I. Pontif. & Valentiano III. Imp. Herculano cos. in Occid. Deinceps tempore (y) Clodovei M. Curiam venit S. Fridolinus, ut Episcopum visitaret, qua in urbe templum D. Hilario posuit. Fuerunt postea prope in civitate universa Episcopis subjecta: Nam Ludovicus Pius Imp. Verendario Episcopo regalia omnia *in Civitate Curia* confirmavit (z). Ottho Magnus *Curtem* suam regalem *in vico Curia, in Comitatu Rhetia*, quam Comes ipsius *Adelbertus in beneficium tenuit*, Episcopo donavit (a). Ottho II. filius, eadem Hiltebaldo Episcopo confirmavit, & *Scultaciam* addidit (b). Multa sunt aliorum Imp. & Regum privilegia & beneficia in eum Episcopatum collata: Civitas nunc etsi Communitatem fœderis unam componit, pro republica tamen administratur, in quinque tribus divisa, ex quibus singulis V. viri lecti, minus consilium, XIV. viri majus efficiunt: Summum magistratum gerunt consules duo, præsidente per vices in annum alterutro. Est & Præfectus urbis, qui res capitales cognoscit, assidentibus judicio XXX. viris: Itemque Prætor urbanus qui controversias civiles, æs alienum, alia dijudicat, cum concilio XV. virum.

II. Communitas est quatuor vicorum Zizers, Igis, Trimmis & Undervatz, quibus Præfectus imperat. Zizeris meminit privilegium Ludovici Pii, *H Ludovicus &c. Curtem Zizuris &c. data VIII. Kal. Augusti, Imperii anno XII. Ind. III. in Strazeburc civitate* (c).

III. Ortenstein vocatur. cum suis parœciis Tomiltz, Scheid, Basbels, &c. sita ad Rhenum posteriorem in Tomeliacis. quondam Schudis Glaronensibus subjecta, redemere se à Ludovico, Aegidii fratre, cujus propter celebrem antiquitatis peritiam clara memoria: Præsidet Ammanus.

IV. Furstnavium, eodem quo præcedens situ, Præfectus reipublicæ caput.

V. Obervatz, Ministralem Rheti adpellant qui summam gerit.

VI. Reambs, quidam Rhetiam amplam vocant, Tintzen, &c. administrat Præfectus: Tintzen, vel potius Tinnetii meminit Antoninus, ait Curia Tinnetium esse p. m. 20. & inde ad Murum (Castelmur) 15.

VII. Zum Tuffen castel, Castrum imum, rem gerit Ammanus: adjacet Albellæ fl. Ipse ex monte ejus nominis ortus, qui vallem Aeni separat: Ejus quoque Castri meminit Antoninus & Curiensis Eccl. antiqua.

VIII. Greiffenstein: Præest Præfectus, etiam ad Albellam, qui in dextram Rheni in Tumeliacis incidit.

IX. Stalla, Stabulum bivium, quod eo vico duo itinera montes scindant, altero per Septimum montem in Bregallos ducente, altero per Julium in superiores Engadinos, apud quos Aeni origo, primas tenet Ammanus. Juliarum Alpium, ut ignara nominis origine, ita earum jam Corn. Tacitus (d) mentionem habuit. Ipse non nisi æstivis mensibus per nives obvius, Aenum è sinu egurgitat suo. Juliarum membra Septimus & Malojus. Per Septimum iter in Bregalliam & Clavennates, Lariumque: Meminerunt Eghardus Junior & monimenta Curiensia.

X. Vessa, Ammanus rem administrat. Sunt vero sex superiores Communitates, præter Undervatz, propter Rheni latus dextrum, quæ jam sequuntur ultra alpes sunt.

XI. Bregallia, Underport, Oberport, Casatium (Casætsch) Vicus Supremus (Vespran) Murus, Castelmur,

(t) In Itinere. (u) A. D. N. C. LXXVI. (x) A. D. N. CCCCLII. (y) A. D. N. CCCC. XCV.

(z) A. D. N. D. CCC. XXXVI. (a) A. D. N. Iↄ. cccc. lviii. (b) A. D. N. Iↄ. cccc. lxxvi. (c) A. D. N. Iↄ. ccc. xxv. (d) Lib. III. hist.

ftelnus, Limpia, &c. fita ultra Septimum, contra Plurium & Clavennam. Per hanc vallem fluit Maira fecundum Clavennates in Larium. Præfidet judex quem Poteftatem dicunt. Pergallia autem vallis, aut Bregallia (Bergel) attingit in fuperiore fui parte Septimum, itemque Meloium, ex quo Mairæ ortus. Meminerunt Impp. privilegia, Othonis I. & II. *Otho Imp. &c. vallem Pergallia, &c. XVII. Kal. Februarii, Anno Domini DCCCCLVIII. ind. I. Actum Fritelbare.* Item *Otho Imp. &c. Hilteboldo Epif. Curienfi &c. in Comitatu Rhetia in vico Curia, Curtem regalem &c. & vallem Pergallia ad eumdem Comitatum Rhetia pertinentem &c. Data III. Nonas Jan. Anno Dn. DCCCCLXXVI. ind. IV. Regni XV. Imperii VIII. Actum Briftein.* Vallis caput Vicus fupremus, ita vocant antiquitates Curienf. qui vulgo Vefpran.

XII. Jutzia apud Sarunetes fuperiores & Aenum; Ammanus jus dicit. Sarunetum apud Plinium (e) mentio. *Caput Enganeorum*, inquit, *Stoni Rhætorum Vennones Sarunetesque ad ortus Aeni.* Rheti proinde regionem nominarunt: En co d' Aeno (ad caput Aeni) quod Germani corrumpentes Engadin dixerunt. Vallem donavit Henricus I. Epifcopis Cur. vocatque *Eniatinam in Comitatu Berchtoldi Comitis*, &c. *Data V. Id. Aprilis, Anno Domini, DCCCC XXX. indict. III. Regni XI. Actum Francofurt.* Divifa in fuperiores Sarunetes & inferiores. Aenus ex Juliis montibus ortus, ex propinquo, utrosque perlabitur, vallem deinde, quæ nunc quidem ab eo Inthal vocatur, quondam Pœnina, ingreffus, in Bavariam defcendit & apud Bataviam (f) in dextram Danubii cadit.

XIII. Sumaada, apud fuperiores etiam Sarunetes & Aenum. Præfidet Ammanus.

XIV. Poftlaaf, antiquitus Pes clavium, vicus contra Vennonetes, propter lacum, fupra Tiram & Pyreneos infra montes (Berlinger). Sunt tamen qui Pyreneos montes, Brennerum volunt effe, apud Brixentes, quibus affentior. Ammanus regit.

XV. Steinberg, apud inferiores Sarunetes, præfidente Ammano.

XVI. Schultz, in Sarunetibus inferioribus: Ammanus fummam gubernat: Continent Sarunetes fuperiores & inferiores p. m. LXX.

XVII. Heremufcia (Rhemus) & Mergino, etiam apud Sarunetes inferiores, attingunt vallem Pœninam (Inthal) in fumma dignitate Ammanus.

XVIII. Verrer dicitur, ultra montem Pedem falarium nominatum, Puffalor, inter Vennones, Athefinos; ita nominabant olim, nunc Vallem venuftam adpellant, Vinftgeu. Athefis, unde cognomentum populo, ex monte Venufto oritur, qui Vennones Aenanos & vallem Pœninam à Vennonibus Athefinis feparat, ipfe non admodum afper aut altus, fed humili & grato declivio jucundus, nec alia ex Germania Italiam petentibus, quam per eum montem tritior via. Athefis ex illo natus monte, vallem Setztal fecat, tum vero per Granum, &c. Latures, Melanum usque ubi definit Epifcopat. Curienf. & incipit Tridentinus: Tum vero Tridentum & Veronam fluit, dum Adriano mari mifceatur. Venonum fæpius Strab. (g) mentio, uti & Plinio (h): Ait enim, *Eugeneorum altiffimi Stoni : Rhætorum Vennones*, Item Auguftum viciffe Triumpilinos, Camunos, Vennones, Vennonetes, Ifarcos, Breunos. Florus (i) tradidit domuiffe Alpinos populos *Breunos, Vennones* (quamvis ibi corrupte Senones legatur) *Vindelicos, per privignum fuum Claudium Drufum.* Suetonius (k) Tiberium fuiffe ait qui has gentes debellarit. Attingunt Vennones Athefini à meridie Naunes & Vennonetes (l): ab Oriente Tridentinos: verfus Septentrionem Brixentes, & contra Occidentem Alpes Venufti montis, & eorum populares Vennones Aenanos. Vallem Curienfi Archipresbytero, donavit Ottho I. Imp. precibus Adelhaide Rudolphi Burgundiæ Regis filiæ. *Ottho Imp. Auguftus, &c. Interventu Adelheida Imperatricis conjugis noftra, &c. Victori Curienfi Archipresbytero.* Conceffit *terram quandam quæ dicitur Norticorum, fitam in Comitatu Rhetia, in vallibus Venufta & Ignadina* (ita vocat quam Vennones Aenani colunt). *Data VIII. Id. Julii Anno Domini DCCCC. LXVII. Imperii VI. Indict. X. In comitatu Lucenfi in villa Marila.* Vocabatur hæc quoque vallis Tuberis, ut ex donatione monafterii, in ea valle fiti, (unde nunc nomen vulgatum Munfterthall) ab Arnolfo Imp. facta, patere poteft. *Arnolfus Rex, &c. Dietolfo Epifcopo Curienfi Ecclefia fua bona videlicet monafterium Tuberis, &c. Data XI. Kal. Feb. An. Domini D. CCC. LXXXVIII. Ind. V. Regni Primo. Actum in Rheganesburg Civitate.*

XIX. Mals ad Athefim, infra Galfam. Præfidet Ammanus.

XX. Schantza, eadem regione & fitu magiftratuque.

Tertii & poftremi fœderis funt Communitates decem, quas Judicia nominant aut Jurisdictiones: Quarum prima & capitalis Aetuatium, five vicus Antuatius (Tavas), in fummis & altiffimis montibus, prope lacum amœnum & uberem. Summus magiftratus Ammanus.

II. Alvum novum. (Alfenau) thermis nobilis, & quondam arce Belfort Rhetis nominata, ad Albellam fl. fita, qui ex monte ejusdem nominis ortus, aliquot vicos & Vallem Tomeliacam perlabitur, & in Rheni dextram fe præcipitat. Præeft Ammanus.

III. S. Petri nomen habet, in valle Scanavica (Schanfic) ex qua fluit Pleffura. Fuit hæc Communitas Dominorum olim de Subvia (Underwegen) quorum ibi adhuc arx: Ammanus regit.

IV. S. Georgii, in ejusdem vallis receffu, qua per montem Stræler brevi compendio iter Aetuatium eft. Adminiftrat Ammanus. Duæ hæ Communitates funt utriusque linguæ, Rheticæ & Germanicæ.

V. Curienfium vallis Churvalden, fupra Curiam, in valle fecreta, ubi monafterium Churvalle, quo pertinet hoc judicium. Sicuti & Porponium, & vici plures. Olim dominium Strasburg dictum, ubi arx ejusdem nominis vel potius ruinæ. Præfidet Ammanus.

VI. Monafterioli eft (zum Clofterlin) in extremis receffibus vallis Rheticæ, Prættigeu Germanis dictæ, ufitato loquendi more, per antipofitionem elementi p. ut feneftra, pfenfter: fundamentum pfulment, &c. Multi in ea vici. Langarus totam permeat,

U

(e) Lib. III. cap. 20. (f) Paffau. (g) Lib. IV. (h) Lib. III.

(i) Lib. IV. (k) In Tib. cap. 9. (l) Naunfer, aut Nauberger, vallis optimæ. Veltliner.

meat, ex Rheticone monte altissimo cujus Mela (m) meminit exortus, qui inter hanc vallem & Drusianam (Valgeu) situs, & ex altero latere. Illum effundit, qui eamdem Drusianam secat. Sed inter vicos nobiliores hujus Rheticæ vallis sunt Crusca (Grusch) Sceria (Schiers) Junatium (Junatz) Federicium (Fidris) Sevisium (Sevvis) Coblitium (Colblich) omnia Rhetica nomina, quamvis ipsa tota Germanico idiomate utatur. Arces quoque Solaversa, Stadio, Castellum, Sevisia, aliæ; præter Castellum omnes eversæ. Remp. administrat Ammanus.

VII. Junatium (Junatz) judicium Castellanum etiam nominatum, propter arcem in eo Castellum. Hac in communitate celebres aquæ Federicæ, tota Germania frequentatæ. Judicio præest Ammanus.

VIII. Sceria (Schiers) ad Langarum. Regit Ammanus.

IX. Malantium (Malans) loco ubere & vini ferace, ejus in antiq. Cur. mentio crebra. Judicem vocant qui gubernat.

X. Lupinum (Meyenfeld) quasi Campus Majæ, quod eo in loco idolum ejus mulieris cultu divino habitum. Summus Magistratus Ædilis est. Opidum ad Rhenum, planicie patentiore, frumenti, vinique juxta, amœna & delectabili. Decem hæ Communitates à principio Baronibus Vatiensibus paruere à quibus ad Toggenburgenses Comites pervenerunt. Sed cum Fridericus demum Comes Toggenburgensis sine hærede masculo obiisset (n), ut ejus ampla & superba dominia in varias manus translata, ita Rheticam vallem, & decem hæc judicia Mattienses Comites tenuere. His pariter deficientibus, Gaudentio ultimo (o), Austriaci possederunt; tenentque octo primas Communitates, sive potius earum usum fructum: salvis privilegiis, fœderibus, reip. administratione. Mittunt Præfectum ex incolis lectum, cujus Castellum sedes, jusque rebus capitalibus dicit. Malantium & Lupinum emerunt tria fœdera, & in societatem adsumserunt. Hæ sunt Rhetorum Communitates, hæc fœdera. Respublica in hunc ferme modum. Suus primo cuique Communitati Magistratus, ut vidimus, suum regimen. Fœderum quoque certa capita. Superioris, sive Cani, summus Magistratus Judex Provincialis vocatur. Secundi fœderis, Burgimagister, sive Præfectus Urbis Curiæ. Tertii, Ammanus Antuatiensis, Magistratus annuus est, leguntque Burgimagistrum quidem, Episcopus Curiensis, Ammanum Antuatiensem duces Austriæ: Judicem vero Provincialem primo quidem anno supradictus Episcopus, altero Abbas Desertinensis, tertio qui Rhætiensem jurisdictionem obtinent. Atque hi III viri primo res quæ totam gentem attinent, cognoscunt decernuntque si videantur posse; sin minus Conventum generalem indicunt. Ad eum omnes Communitates suos legatos mittunt, qui ex mandati publici, suæ quisque Communitatis, formula, sententias dicunt. In eodem conventu de bello & pace, de legibus & edictis publicis, de amicitia & fœdere regum, principum, Civitatum, de legationibus agitur, adpellationes ex Communibus Præfecturis audiuntur. Et quotannis semel ad minimum circa VIII. Kal. Feb. celebratur Curiæ, aut Ilantii & subinde Aetuatii. Præfecturæ diversi generis. Nam aliæ transalpinæ, aliæ cisalpinæ. Cisalpina una Lupinum & Malantium. Reliquæ transalpinæ & contra Italiam Clavennatium aliæ, aliæ Vennonetium. Clavennatium duæ, Pluriensis & Clavennensis. Vennonetium regio, ut amplior, nempe longitudine p. m. LX. plures per valles distributa vini, frumenti, omnis adoreæ feracissima & Augusti Imp. tempore (p) jam celeberrima, ita ejus præfecturæ plures. Mediam secat Aduas, ut vocat Strabo (q), nam Plinius (r) Abduam scribit, ex Rhæticis jugis, ut nominat Tacitus (s) vulgo Vormserjoch, à Bormio proximæ subjecto vico, etiam montem Braulium, à sacello S. Braulii, nominant, exortus, non autem ex Adula, ut per errorem supra tradidit Strabo, in Larium & demum in Padum descendit. Utraque regio quondam Maximiliani Sfortiæ; Mediolanensis Ducis liberalitate Rhetis possessa (t), cum eorum quoque auxiliis paternam hereditatem recepisset. Sed Rhætorum omnium antiqua cum Helvetiis amicitia, præsertim vicinis Glaronensibus, Tigurinis, Uraniis, & ea ex caussa utrimque fœdera. Demum perpetuum fœdus Rhæti Superioris fœderis percusserunt cum Civitatibus septem, Tiguro, Lucerna, Urania, Suitia, Silvania, Clarona, Tugio; quo postea quoque fœdus secundum, sive Domus Dei inclusum. Ejus articuli pauci, qui mutuæ amicitiæ & auxilii contra quamcumque vim leges promittunt. De controversiis inter utrumque Helvetiorum & Rhætorum populum, per III viros, non Marte & armis decernendis, tum de litibus particularibus, quibus constituitur, Actorem reum sequi teneri, ad eum quo degit locum. De transitu securo, commeatu, mercimoniis, vectigalibus &c. Et postremo utramque partem novo posse se cum quovis, fœdere illigare, sine tamen hujus fraude. Literæ *datæ die Mercurii ante festum Joannis Baptistæ, Anno Domini M CCCCXCVII.*

(m) Lib. III. cap. 2. (n) A. D. N. MCCCCXXXVI. (o) A. D. N. MCCCCXXCIX.

(p) Suetonius Augusto. cap. 77. Virgilius II. Georg. (q) Lib. IV. & V. Geog. (r) Lib. II. & III. hist. nat. (s) Lib. I. hist. (t) A. D. N. MDXIII.

CAPUT III.

DE VALESIANIS.

Valinsa & Valinsani. Valesiani ab Augusto domiti. Valesiæ limites. Rhodani origo. Valesiæ longitudo: Ubertas & felicitas. Quibus primo subjecta. Veragri Comitibus Sabaudiæ attributi. Valesianorum Episcopi. Octoduri sedes Episcopalis antiquata & quare. Episcopus, & Comes, & Præfectus Valesiæ. Valesianorum respubl. Et divisio in Communitates. Sedunum st. Capitaneus Valesiæ. Valesianorum cum Helvetiis fœdera. De Religione Catholica utriusque conservanda. Fœderis articulus. Seduni Veragris imperant: & quomodo ab iis separentur. Veragrorum distributio. Octoduri antiquitas. Agauni etymum nunc S. Mauritii. Quomodo Veragri Sedunis subjecti.

VAlesiani, uti nunc nominamus, antiqui Valensani, aut Valinsani. Regio Valinsa Romanis quoque temporibus, ostendit hæc inscriptio civi facta, per sua merita, quæ inter Versutium & Genevam legitur.

D. M.

D. M.
L. AVR. RESPECTO. IVVENI.
ERVDITO. CAVSIDICO.
BIS CIVI. VALINSAE.
ET. EQVESTRI. DEFVNC
TO ANNORUM. XVIII.
L. AVREL. RESPECTVS.
PATER. PONENDVM.
CVRAVIT.

Et liber Prov. *Civitas*, inquit, *Valensium*, *id est Octodurus*. Antiqua præterea Concilia quibus subscripsere Episcopi. Ipsi à principio in Sedunos & Veragros distributi, (nunc Valesianos superiores & inferiores nominant) quibus proinde suæ metropoles: horum quidem Octodurus; illorum Sedunum. Et utrique suus Episcopus. Nam mature per quotidianos Alpium transitus Christum agnovere. De bello quod Serg. Galba cum Veragris & Sedunis gessit, utque demum regione ab iis expulsus fuerit, disertim, ut omnia, Cæsar Julius (u). Vicit tamen & debellavit, qui successit Cæsari, Augustus. Unde in tropæo inter subactas Alpium gentes referuntur *Seduni Veragrique*. Octodorensibus postea jus Civitatis datum (x). Testatur Plinius (y), qui eos *Alpium incolas* adpellat. Credo ab Augusto. Et sane, ut patrono hoc monimentum posuere Seduni vicini, septimo ante Christum salvatorem natum anno (z).

IMP. CAES. DIVI. IVL. F.
AVGVSTO. COS. XI. IMP. XIIII.
TRIBVNICIA. POTEST. XVI.
PATRI. PATRIAE.
PONTIFICI. MAXIMO.
CIVITAS. SEDVNORVM.
PATRONO.

Valesiæ limites constituunt quidem contra Septentrionem & Helvetios montes altissimi, qui modo Sanetii, nunc Gemmii mox Grimselii aliisque nominibus adpellantur. Adversus meridiem Salassorum & Lepontiorum Alpes, ab iisdem gentibus & Italia Valesianos distinguunt. Ab Oriente habent Furcam montem, ex quo, & regionis capite & summitate, natalem ducit Rhodanus, totamque secat Valesiam, donec ad Tarnadam perveniens, inter claustra montium, qui eam ibidem claudunt, versus Occidentem, se in Helvetios Antuates & Lemannum præcipitat; qui Furca Valesianos à Lepontiis Viberis, quorum Plinius (a) meminit, sive Ursariis, separat. Ita undique altissimis montibus Alpibusque Valesia, in longitudinem circiter passuum mil. XCVI. ab ortu Rhodani, ad Tarnadam inclusa, vini optimi, frumenti, pecoris feracissima, omniumque earum rerum quæ vel necessitas, vel luxus expetere possint, & velut naturæ quoddam opulens secretum. Burgundi, ut Helvetiæ eam partem, quæ vicina, ita Valesiam tenuerunt: Postea Franci, & postremo iterum Burgundiæ reges. Nam apud Agaunum Veragrorum coronatum Rodolfum I. Burgundiæ regem tradidit Rhegino (b). Ubi hi quoque defecerunt, & ad Germanorum Imperium devolutum Burgundiæ regnum, traditione Rodolfi ultimi (c), Conradus Cæsar. II. Equestres & Veragros Umberto Sabaudiæ Comiti II. Beroldi Saxonis filio pro suis in eum meritis, quod videlicet Romam usque comitatus esset, sumtusque fecisset magnificos, donavit, cum Sedunenses Episcopo suo parerent & subjecti essent, nescio cujus munere, nisi Caroli Magni. Episcoporum antiquissimos reperio à Damasi Pontificis & Gratiani Imp. tempestate (d). Concilio Aquileiensi Siagrio & Euchario coss. interfuit Theodorus Episcopus Octodorensis. Vandalorúm mox Strage, per Galliam, & immanitate, martyrio adfectum ab iis Florentinum Episcopum Sedunensem, tradidit memoriæ Sigebertus, quem Ado Florentium nominat, aitque cum Hilario (e) martyrio coronatum *V. Kalend. Octobris in Castro Seduno* (f). Sub Sigismundo Burgundiæ Rege Theodorus, aut ut alii scribunt, Theodolus Episcopus Sedunensis Ecclesiam S. Mauritii Agauni consecravit dedicavitque (g). Non multo post (i), concilio Epaonensi, in comitatu Burgundiæ, (Besme) sub eodem rege adfuit Constantius, subscripsitque: *Constantius Octodorensis*, *hoc est*, *Valensium Episcopus*. Eadem formula usus Rufus concil. Aurelianensi V. sub C. Hildeberto Francorum Rege & regina Huldruta: *Rufus Octodorensis*, *hoc est Valensium Episcopus*. Anno Guntrami regni XXIV. (k) Concilio Matisconensi II. adparuit *Eliodorus Episcopus Sedunensis*. Tempore (l) C. Lotarii Francorum regis C. Hilperico nati, vivebat Leudemundus Episcopus Sedunensis, de quo Aimo (m). Abbas Ursbergensis nominat Vilimarium Episcopum Sedunensem C. Hildeberto II. Francorum rege, & Pipino (n) Caroli Martelli patre. Episcopalis sedes Octoduri, multis ante seculis antiquata, cum per nimbi ruinam opidum prope corruisset, & Sedunensi unita. Quidam arbitrati sunt, & Sedunos & Veragros unum tantum Episcopum habuisse, qui tamen sedes mutaret, ita quidem, ut si qui diem obiisset Seduni egisset, successor Octoduri sedem collocaret, & vice conversa; donec, ut diximus, per nimbi tempestatem Drausa fluvius facto impetu opidum everteret, Cathedram deinceps Seduni remansisse. Præest in utroque jure Ecclesiastico sive divino & humano Episcopus, cujus proinde titulus *Hildebrandus Episcopus Sedunensis*, *Comes & Præfectus Valesiæ*, regitque totam provinciam cum concilio ex popularibus Sedunorum confecto. Eorum parœciæ XXX. in Communitates VII. divisæ, Decumas vocant, quod unaquæque Communitas suas Decumas ex ordine particulares debet.

Communitas prima Sedunum opidum max. & caput Sedunorum, non procul à Rhodani dextra ad fluvium, qui etiam Sedunus vocatur, & ex monte Ravino in Rhodanum descendit, Seduno deinceps averso Rhodano ascendendo.

II. Communitas Sidertium.

U 2 III.

(u) Comment. III. (x) Plinius lib. III. (y) Lib. IV. (z) A. V. C. DCCXLVI. (a) Eod. Lib. III.

(b) In chronicis. A. D. N. DCCCLXXXVIII. (c) A. D. N. MXXXV. (d) A. D. N. CCCLXXX. (e) Uterque in suo chron. (f) A. D. N. CCCCXI. (g) A. D. N. DV. (h) A. D. N. DXV. (i) A. D. N. DLII. (k) A. D. N. DLXXXVI. (l) A. D. N. DCXVIII. (m) Lib. IV. cap. 6. (n) A. D. N. DCCXI.

III. Leucum, thermis sua sponte calidis & salutaribus prænobile ad fl. Damam qui ex Gemmio cadit.

IV. Raronia, Baronibus ejus nominis celebrata.

V. Visspium ad fluv. Visbach.

VI. Brigium propter Salginam fl. qui ex monte Sempronio in Rhodani sinistram labitur. Aquis ex ingenio etiam calidis frequentatum. Ejusdem Communitatis est & Natricium.

VII. Gompsa, cujus caput Armum, & in ea Rhodani origo.

Episcopum legunt Canonici, & harum VII. Communitatum legati. Ipse rebus in politicis ex quavis Decuma per vices, sibi vicarium sublegit, Capitaneum regionis nominant, cujus Magistratus biennalis. Unicuique vero Communitati suum caput, alii Majorem, nonnulli Castellanum vocant, qui non solum cum adsessoribus ex eadem Communitate lectis res civiles cognoscit, sed etiam capitales judicat: Ad Episcopum tamen & Capitaneum adpellari potest. Fœdus Valesiani primum (o) cum Bernensibus fecere post mortem Friderici II. Dein (p) vero cum tribus civitatibus, Lucerna, Urania, Silvania, in annos certos & postea cum Bernatibus iisdem perpetuum (q). Demum inter religionis mutationes perpetuum etiam cum tribus supradictis Civitatibus Lucerna, Urania, & Silvania, sed quo clauderentur Suitia, Tugium, Friburgum, Salodorum. Eadem ferme fœderis formula quæ cæterorum, de mutuo auxilio contra vim quamcunque, de homicidiis, judiciis, pignoribus, vectigalibus, commerciis, &c. Additus novus articulus, quo pro conservatione religionis Catholicæ & Romanæ, se sanguinem, opes, viresque profusuros, utrimque promittunt, adeoque nullum fœdus esse, vel futurum, quod huic de religione articulo damno aut detrimento esse possit. Literæ hac de re factæ *Anno Dni. M. D. XXVIII. festo die D. Catharinæ*, quæ postea sæpius repetitæ. & in eamdem formam juratæ.

Sedunenses, sive VII. Communitates Veragris, sive Valesianis inferioribus imperant & ab iis, ex una parte Mursa, qui in Rhodani dextram funditur, ab altera, eo rupium angulo, qui sese ex Penninis alpibus in ejusdem Rhodani sinistram ripam porrigit, separantur. Veragrorum XXIV. parœciæ, quæ pariter in Communitates VI. sive Præfecturas, ipsi vexilla nominant, distribuuntur.

Prima est Contegium, vel Condate, haut procul à Rhodani dextra, 8. infra Sedunum p. m.

II. Ardonia sive Ardonium ad fl. cognominem, qui ex Sanetio monte oritur, ex opposito Sanæ fl. Aventicorum.

III. Scallonium, vel Sallium.

IV. Octodurus (r) op. max. Veragrorum 3. circiter p. m. à Rhodani sinistra, ad Drausam fl. qui præterfluit, ortum ex Pennino trahens. 18. p. m. procul ab Seduno. Cæsar (s) vocat *Octodurum vicum Veragrorum*. Historia S. Mauritii Octodorum tradit ab Agauno distare p. m. 12. quod se ita habet. Antoninus constituit à summitate Pennini p. m. 25. & Tarnada sive S. Mauritio p. m. 12. supra opidum fuit arx & propugnaculum, cognomento Martiniacum vigente & florente Octoduro, ubi aquarum vi defluxit, etiam nomen antiquum pariter abolevit, restante solo nomine Martenach ab arce. Octoduri sunt plures inscriptiones R. quæ alibi passim insertæ.

(o) A. D. N. MCCLI. (p) A. D. N. MCCCC. XVII. (q) A. D. N. MCCCCLXXV. (r) Vulgo Martenach. (s) Com. III.

V. Intramontium.

VI. Tarnada, Agaunum prius Celtis nominata, Am gand, hoc est, ad rupem, seu saxorum & montium prærupta. Nam & vita D. Mauritii, ut superioribus annis in ejus gloriosissimi martyris Basilica legebamus, ait Agaunum corrupte ita dici, pro, Am gand, quod Gallica lingua, hoc est Celtica, ad saxa significat, quod multa eo loco saxa & rupes altissimæ, quæ Valesianos ab Helvetiis, tamquam claustro & arce dejungunt. Octoduri quidem primo Thebææ legionis imperata cædes. sed major pars Agauni trucidata. S. Sigismundus Burgundiæ Rex præclarum ibi monasterium condidit in honorem SS. martyrum (t). Sunt vero Agauni plurima R. monimenta. Veragros sibi subjecerunt Seduni bello, quod Carolus Burgundus Helvetiis attulit. Cum Helvetii enim primo Friderici III. Imp. mandato ejus Ducis terras & provincias bello invasissent, Genevam inter cetera deditione acceperunt, non sine Valesianorum opera, quod partibus favere diceretur & auxilium dare. Id ægerrime tulit Joannes Ludovicus Epis. Genevensis, Philippi Sabaudiæ Ducis frater: Itaque cum postea Carolus Helvetiam ingressus esset & pleraque ad eum defecissent, reliqui contra arma pararent, idoneum tempus nactus Genevensis Episcopus, quo etiam privatas inimicitias ulcisceretur, in Sedunos exercitum duxit, obsessoque Seduno, cum jam in eo esset ut potiretur (u), Friburgensium & Bernensium auxiliis, qui, re inopina & desperata forte successerant, Valesiani non solum hostem à mœnibus repulerunt, sed tota penitus regione profligarunt, Veragros, eversis plurimis arcibus, sacramentum adegerunt, quibus deinceps Præfectos mittunt.

(t) A. D. N. DXV. (u) A. D. N. MCCCCLXXV.

CAPUT IV.

DE ROTTVILLANIS.

Vargiones olim, nunc Barenses. Rottvilla Cimbrorum caput. Ejus situs. Nicri origo & cursus. Curia Rottvillana. Rottvillanorum cum Helvetiis fœdera.

Rottvilla, Glareanus (x) Erythropolin interpretatus est, Imperialis urbs est, multa tota Germania propter Curiam in ea Imperii auctoritate. Unde Valafridus (y): *Rottvilla*, inquit, *in pago Perachtoltespara (z) regia possessio est*. Nunc Comitatum Baar nominant. Baarenses videtur vocasse Ptolemæus (†) Vargiones: Eam regionem postea Cimbri tenuere, Helvetiis annuentibus, & Cimbrorum Rottvilla, credo, caput. Sita ad Nicri fl. sinistram, ipse ex Harcinia ortum ducit 8. p. m. à fontibus Danubii & totidem supra Rottvillam, quam perstringit; & inde per Virtenbergensem agrum & Palatinum in Rheni dextram descendit. Nicri meminerunt Fl. Vopiscus (††): Panegyris ad Constantinum M. Ausonius (*), Ammianus sæpius (**). Cunradus III. Imp. Curiam eam statuisse & in perpetuum confirmasse dicitur, Anselmo Valerio teste (o). In ea adpellationes audiuntur, decreta contra Imperii rebelles, contra Sacrilegos publicantur, leges feruntur, &c. Urbi inde pro insigni, Imperialis Aquila simplex. Primo (oo) fœdus temporale Rottvillani cum VIII. Civ. Tiguro, Berna, Lucerna, Urania, Suitia, Silvania, Tugio, Clarona: postea perpetuum cum omnibus percusserunt. Literæ ea de re factæ *Tiguri. VI. Ap. A. D. N. MDXIX.* eorumque forti & fideli opera semper Helvetii usi sunt: Numerantur etiam inter Socios Bienna & Mulhusium. Sed hactenus de Sociis, nunc de Fœderatis videamus.

FRAN-

(x) In paneg. Helv. (y) Lib. II. cap. 8. (z) Berchtoldesbaar. (†) Tab. IV. (††) In Probo. (*) Mosella. (**) Lib. XXVII. (o) A. D. N. MCXLVI. (oo) A. D. N. MCCCCLXIII.

FRANCISCI GUILLIMANNI
DE REBUS HELVETIORUM
LIBER QUINTUS.

De Fœderibus & Fœderatis Helvetiorum.

Fœderum tria genera. Helvetiorum fœdera.

FOederum, ut alibi (a) ostendimus, ferme tria genera, quibus reges, principes, Civitates inter se amicitias & societates paciscuntur. Unum, cum bello victis dicuntur leges: Ubi enim omnia ei qui armis plus potest, dedita sunt, quæ ex iis habere victos, quibus multari eos velit, ipsius jus atque arbitrium est. Alterum cum pares bello, æquo fœdere, in pacem & amicitiam conveniunt: Tunc repetuntur redduntur que per conventionem res, & si quarum turbata possessio est, eæ aut ex formula juris antiqui, aut ex utriusque partis commodo componuntur. Tertium genus est, cum qui hostes numquam fuerunt, ad amicitiam sociali fœdere inter se jungendam coeunt. Helvetiorum societates & fœdera omnia pleraque ex horum trium generum uno: Sed inter ea facile princeps, quod cum Sigismundo Austriaco ferierunt, utpote perpetuum & juris hereditarii, de quo proinde primum, ejus caussis & condicionibus, tum de ceteris peragemus.

(a) Lib. I.

CAPUT I.

De fœdere Austriaco & hereditario.

Fœderis hereditarii principia, caussæ. Sigismundus Sequanos, Brisiacos, Rheni opida pignori Carolo Burgundiæ duci tradit & quare. Pigneratas regiones liberavit. Ludovici Galliæ regis sollicitatio pro fœdere inter Austriacum & Helvetios & quas ob causas. Idem primus regum Galliæ Helvetiis pensiones promisit, deditque. Fœderis hereditarii capita. Caroli Burgundiæ ducis potentia omnibus formidabilis. Fœderis hereditarii confirmatio. Maximilianus Imp. suo nomine & nepotis Caroli Hispaniæ principis fœdus hereditarium renovavit.

SIgismundum Friderici f. Austriæ Ducem, anathemate perculserat Pius II. Pont. max. (b) Helvetiisque sub eadem pœna, ut bello persequerentur, mandaverat, feceruntque, & Turgoviæ Comitatum nobilissimum, quando in Helvetiæ finibus alia non habebat, primo occuparunt. Accesserunt aliæ caussæ. Nobilitatis adversus Mulhusianos & Schaffusianos insolentiæ & injuriæ. Ipsi cum nonnullis ex Helvetiorum Civitatibus fœdere & amicitia juncti. Unde victricia arma per totam Alsatiam circumtulerunt, Principemque obsesso Valdshuto opido ad eas quas vellent pacis condiciones adegerunt. Quare multo jam commotior, instigante maxime nobilitate, quæ omnia mallebat, quam se inultam, quia impar esse videretur, Comitatum Ferretensem, & Rheni opida, & quæcumque in Helvetiorum finibus tenebat, Carolo Burgundiæ Duci, cujus opes bellique fama ante omnes principes ea tempestate florebat, pignori tradidit (c), pro certa auri summa, ratus pro Burgundi insita superbia, & dominandi cupidine crudelitateque, ex Leodiensium exscidio toto orbe vulgata, facile, ut inter vicinos & sui juris tenaces, rixas fore, & inde bella. Nec animi falsus est. Cum enim Carolus Petrum ab Hagenbach Equitem Præfectum earum regionum & opidorum constituisset, ea est non jam solum contra Helvetios sed in omnes subditos sibi tyrannide & crudelitate usus, ut Sigismundum optimum Principem, & qui pater pauperum, viduarum & pupillorum vulgo alias nominaretur, denique precibus & lacrimis, sese tam iniquo imperio revindicaret, compulerint. Sed cum redemtionis precium ex pactis conventis Basileæ deposuisset, pignore abscedere tamen Burgundus negavit, bellumque ultro minatus est. Et ad illum longe etiam Austriacus inferior. Unde solicitatu maxime Ludovici XI. Galliæ regis, qui Burgundum magnopere exhorrescebat, adeoque in quoscumque, & quacumque de caussa, dum in aliquos ejus arma à suis cervicibus repelleret, nihil pensi habebat, de pace firma & fœdere inter Sigismundum & Helvetios agi cœptum est. Non quod sic quoque resistere posse arbitraretur, sed quod Carolum ad Imperium Germanicum aspirare, nonnullos ex Italia Principes ad id favere, & auxilia ostentare, rex callidus non ignorabat. Ipsum interea aut Germanorum opibus subactum detritumque iri, aut si vincat, tamen alio arma conversurum, nam & statum Mediolanensem jam ante animo conceperat, & denique forte aut fato periturum, interea procul à se & regni sui finibus futurum. Sed ut facilius Helvetios Rex adduceret, qui non minus Burgundum pertimescebant, Austriaci vero amicitiam & societa-

 tem,

(b) A. D. N. MCCCCLX.

(c) A. D. N. MCCCCLXIX.

tem, ut semper suspectam: suam ob memoriam acceptæ apud Basileam cladis (d) & injuriæ, ut parum fidam, repudiaturi videbantur, non solum auxilia privatim publiceque se suppeditaturum, sed pensiones extinde annuas daturum promisit. Agitatum primo Basileæ negotium, tum Constantiæ, Jodoco Sillinio præposito Beronensi, qui inde laboris & mercedis loco administrationem Episcopatus Gratianopolitani à rege accepit, & Joanne Comite ab Herbenstein regiis consiliariis & legatis præsentibus, diu, & varie: Donec tandem controversiam omnem sibi in manum dari committique instantissime rex flagitaret, impetraretque: Ex ejus arbitrio fœdus in hanc formam conceptum. Pax & amicitia æterna esset: Commeatus & mercimonia tuta & libera: Controversias jure & judicio disceptarent: Helvetii Sigismundo militem, si ex dignitate & per antiqua fœdera possent, darent, eodem quo inter se utuntur stipendio: Idem Sigismundus Helvetiis præstaret. Multa præterea de restituendis scripturis, Instrumentis, Protocolis, &c. quæ ad Domum Austriacam pertinere possent: de agrorum, urbium, castellorum, vicorum, uti tenerent, usu & possessione, de subditis in tutelam, amicitiam, fœdus non accipiendis: de hostibus neque hospicio, commeatu, neve qua alia re juvandis: de portoriis, vectigalibus, feudis, abolitione & exstirpatione omnium præteritarum inimicitiarum, bellorum, injuriarum, &c. quæ inter eos, aut majores esse potuerunt, absque dolo malo & omni exceptione, hisce fœderis & amicitiæ literis, quæ sigillo regio confectæ, & Civitatum Tiguri, Bernæ, Lucernæ, Uraniæ, Suitiæ, Silvaniæ, Tugii & Glaronæ signis firmatæ. *Salæ, XI. Junii. A. D. N. M. CCCC. LXXIV.* Ista fuit Regis Ludovici arbitratio, hæc prima fœderis hæreditarii formula. cum vero bis victo profligatoque Gransonii, Muratique Helvetiorum opibus & virtute Carolo (e), demumque tertio prælio, apud Nancium Lotharingiæ interfecto, non solum obligatas regiones, opida, castra, nullo omnino sui dispendio, sed etiam pignoris pecunias recepisset Sigismundus, jam in admirationem amoremque gentis raptus, cum qui omnes Imperii Germanici vires ante contemserat, Galliæ Regem quasi ex arbitrio tenebat, omnes Europæ Principes suspensos habebat, Helvetiorum singulari fortitudine & gloria victum eversumque consideraret, se suasque pariter opes in solido, eadem opera, collocatas, quod ante Ludovici Regis suasu, sponte sua demum confirmare, arctiorique fœdere Helvetios sibi adjungere constituit. Itaque conventu Tiguri habito Sigismundus, Civitatesque Tigurum, Berna, Lucerna, Urania & Salodorum, cum auctoritate reliquæ ut, si vellent, pariter tenerentur, non solum perpetuum fœdus ante factum rursus jurarunt, sed mutui auxilii ita leges sanxerunt, ut exceptionem, nisi quamtum antiquiora fœdera monent, nullam omnino admittant, adeoque quocumque se deinceps partes fœdere, aut societate nova obligent, hoc excipiant, & absque ejus fraude sint oporteat, decreverunt. Literæ super hac re datæ, *Tiguri mense Octobri, die Lunæ ante festum S. Galli, A. D. N. M. CCCC. LXXVII.* Nec multo post paternam hæreditatem, cum liberis careret, tradidit Maximiliano Imp. Sigismundus (f). Is cum bellis contra Gallos Mediolanensibus teneretur, magnamque in Helvetio milite, quem tot ante præliis expertus erat, spem haberet, nihil prius habuit, quam ut hanc confœderationem hæreditariam renovaret, sed cui adjungeretur Carolus nepos, Hispaniæ Princeps, qui postea magna gloria & Christianitatis bono imperavit, quatenus avita hæreditate Burgundiæ Comitatum, Helvetiæ conjunctum possidebat. Et fermè eædem fœderis, & perpetuæ amicitiæ leges & condiciones, nisi quod probra, contumeliæ, convicia, ex quibus jam olim ad verbera & arma ventum erat curatius prohiberentur, hocque fœdere Civitates omnes XIII. itemque opidum & monasterium S. Galli includuntur: pensiones præterea annuæ, nomine Comitatus Burgundiæ, in singulas Civitates adsignantur. *Actum Badæ, VII. Februarii, A. D. N. M. D. XI.*

(d) MCCCCXLIV. (e) A. D. N. MCCCCLXXVIII. (f) A. D. N. MCCCCXC.

CAPUT II.

De fœdere Mediolanensi.

Galeatius Sfortia fœdus cum Helvetiis fecit. Ejus fœderis capita. Carolus V. Imp. renovavit. Item Philippus II. Hispaniarum Rex.

POst Duces Austriacos, & Comites Burgundiæ, primum inter Helvetiorum fœderatos locum tenent, Duces Mediolanenses, imo cum his quam cum illis fœdus antiquius, & nescio an primi Mediolanenses, cum quibus ut externis amicitia. Nec sic quoque facile explicaverim, quis Ducum ab initio cum Helvetiis fœdus & societatem inierit. Galeatius vero Maria Sfortia, Dux ejus familiæ Mediolani II. cum non multo ante, VIII. scilicet Martii, Franciscus parens, qui eum nobilem statum per virtutem & fortitudinem acquisierat, vita egressus esset, inde ipse opes suas undiquaque firmare vellet, eodem anno *XV. Augusti Lucernæ fœdus cum VIII. Civitatibus Tiguro, Berna, Lucerna, Urania, Suitia, Silvania, Tugio, Clarona fecit* (g), sive potius antiquas pacis & amicitiæ leges, quæ vulgo Capitula Mediolanensia restituit, adprobante & subscribente Bianca Maria, ex illustri Vicecomitum familia, matre & Francisci vidua. Prima ejus societatis & fœderis ad Uranios attingunt, & Lepontinam vallem, cujus liberam possessionem eis tradit, jure que suo cedit. Quæ Archiepiscopi Mediolanensis esse videbantur ad arbitros remittit. Civitatum antiquum privilegium de vectigalibus, aut portoriis confirmat. Adduntur de controversiis inter Ducem Helvetiosque, item privatis disceptandis: de nominibus exigendis, liberoque mercatu, emtione, venditione, amicitia, societate, hostibus commeatu, hospicio, aliave ope prohibendis. Hæc postea decreta, ut pluriens mutavit hic Ducatus dominos, ita aliquotiens renovata. Demum cum Carolus V. armis imperio revindicasset, Gallosque Italia expulisset, per Ferrandam Gontzagam ejus status Gubernatorem confirmavit, iisdem prope condicionibus, nisi quod frumenti salisque mercimonia paulo explicatius traduntur, quique hoc frui possint privilegio determinatur: Adjungitur & de transfugis redhibendis, itemque de reditibus, censibus, posses-sioni-

(g) A. D. N. MCCCCL.

sionibus, bonis mobilibus & immobilibus, & quo ea sint utrimque jure: Helvetiorum in agro Mediolanensi & Mediolanensium in Helvetia ditione: Tempus quoque hujus fœderis & societatis finitur. Omnes vero Civitates XIII. eo comprehensæ, cujus rei literas, illæ quidem *Badæ VII. Maji*, Imperator vero Carolus. *XXVIII. Julii Brissinoni*, Ferrandus demum Gontzaga *II. Aug. Mediolani*, *A. D. N. M. D. LII.* Superioribus annis, cum per Europæa discidia, ita rerum & orbis status movisset, ut probis omnibus, fidei & antiquæ pietati exitum & ruinam cuncta prope minarentur, Philippus II. Hispaniarum Rex Catholicus, &c. Mediolani Dux, ad majorem SS. Trinitat. gloriam & laudem Ecclesiæ Catholicæ & Romanæ incrementum & protectionem & utriusque partis bonum & conservationem, fœdus cum VI. Civitatibus Catholicis Lucerna, Urania, Suitia, Silvania, Tugio, Friburgo fecit, sanxitque, in quo pleraque antiqua, sed omnia præterea pro defensione Catholicæ & Romanæ religionis auxilia, opes, vires promittuntur, &c. Literæ ea de re datæ & stabilitæ, *Lucernæ XII. Mai. A. D. N. M. D. LXXXVII.* Solenniter vero juratæ & confirmatæ *Mediolani in Cathedrali Ecclesia XVI. Mai A. D. N. M. D. LXXXVIII.* In eandem societatem venere, superiori anno, Abbatiscellanorum Catholici (h).

(h) A. D. N. MDXCVII.

CAPUT III.

De pace perpetua & fœderibus Gallicis.

Quando primum Galli Helvetiis noti, aut Helvetii in Gallia visi. Fœdus primum Ludovici regis cum Helvetiis. Pax perpetua inter Galliæ reges & Helvetios. Pacis ejus capita. Fœderis leges.

GAllorum cum Helvetiis prima amicitia & fœdus, ut alia rerum, ex injuria & bello est: feroque Galli, tamquam nulla in parte Helvetiam attingentes, sed ab ejus finibus remotiores, Helvetiis noti, nec ante illud prælium quod Ludovicus Delphinus prope Basiliam cum iis pugnavit (i). Helvetii pariter Gallis tum quidem per virtutem cogniti. Sed in Galliam primum duxit Comes Campobachius, sub Joanne Duce Calabriæ unico Renati Siciliæ regis filio, bello quod proceres regni habuere cum eodem Ludovico XI. tum rege, pro bono publico, ductore & concitore Carolo comite Carolensium, Philippi Burgundiæ Ducis filio (k). Inde Helvetiorum in eo regno fama, gestorumque & fortitudinis gloria. Sed cum illi postea Carolo Burgundiæ Duci idem Ludovicus omnia sinistra machinaretur, unicumque in terris præcipue timeret, nec palam, propter fœdus quod intercedebat, auderet, in Helvetios impulit: cum rursum per legatos, promissa, numos, contra eum, gentem illam animasset, fœdusque inter ipsos & Austriacum, ut supra vidimus, conciliasset, victo demum apud Moratum Burgundo, ingenti prælio (l) fœdus rex in annos decem cum Helvetiis fecit & pensiones annuas primus Galliæ regum dedit, ejusque amicitia comiter Helvetii usi sunt. Paternam (m) amicitiam & necessitudinem renovavit Carolus VIII. & post eum Ludovicus (n) XII. Sed quam denique (o) renunciaret, magno sui regnique detrimento, quam proinde postea plurimis opibus redemtam frustra voluit. Cum enim sese cum Julio II. Pontif. max. fœdere junxissent Helvetii (p), Gallos non Mediolano solum, sed tota adeo Italia expulerunt profligaruntque, & Maximilianum Sfortiam tandem patriis opibus & Ducatui restituerunt (q). Secuta deinde pugna Marigniana (r), in qua primo prœlio contra Franciscum regem Helvetii victores; Secundo non tam victi, quam destituti, qui latera tegeret, equitatu, nusquam interruptis ordinibus, tormentis etiam bellicis conservatis, loco cessere, frustraque exspectato Cæsaris Maximiliani promisso auxilio & summi Pontificis, denique domos quisque abiere, quo pacto rursum Mediolanum & cetera Insubriæ in Gallorum potestatem venerunt. At vero Franciscus eo modo victor, susceptique belli, ex animi sententia compos, omnia tamen parum tuta & duratura existimabat, si Helvetios hostes haberet: Quamtum enim soli possent ingenti suorum strage bis expertus erat. Quod si opes junxissent, aut cum Cæsarianis, aut Pontificiis, quo in periculo futurus esset prudentissimus princeps non ignorabat. Nec ea de caussa cessavit, donec pacem quidem perpetuam cum Helvetiorum gente & eorum Sociis Abbate S. Galli, Rhetis, Valesianis, &c. pacisceretur (s), Fœdus vero in certum tempus percuteret. Pacis æternæ legum prima omnia discidia, contentiones, bella, inimicitias exterminat & restinguit, cetera controversa ex æquo & jure dirimit, ex legum formula, quæ inter Ludovicum XII. & Helvetios latæ & confirmatæ. Multa in iis de captivis absque lytro dimittendis, de querellis privatis, mercatorum Lugduni & Mediolani privilegiis: de debitis & ære alieno, de contumeliis utrimque evitandis, hostibus commeatu, hospitio, auxilio non adjuvandis; de vectigalibus, pensionibus, exceptionibus, aliis, quæ memorare longum. *Acta hæc Friburgi, vigilia S. Andreæ Apostoli, A. D. N. M DXVI.* Fœdere, de mutuo utrimque auxilio, sive hostes premant, sive premere libeat, constituitur: de militum numero, stipendio, &c. pluribus aliis quæ fœderibus usitata, uti de pensionibus tempore fœderis, &c. *Literæ Lucernæ factæ, A. D. N. MDXXI.* Fœdus hoc paternum renovavit Henricus II. (t) ceterique Reges, Carolus IX. (u) & Henricus III. (x) paucis adjunctis pro tempore, aut immutatis, quibus omnibus jam quidem finitis, nullo fœdere aut societate Helvetii Gallis conjuncti perpetuam inter se pacem agitant.

(i) A. D. N. MCCCCXLIV. (k) A. D. N. MCCCCLXV. Commineus in Ludovico. cap. XI.

(l) A. D. N. MCCCCLXXVI. (m) A. D. N. MCCCCLXXXIII. (n) A. D. N. MCCCCXCIX. (o) A. N. D. MDIX. (p) A. D. N. MDX. (q) A. D. N. MDXII. (r) A. D. N. MDXV. (s) A. D. N. MDXVI. (t) A. D. N. MDXLIX. (u) A. D. N. MDLXV. (x) A. D. N. MDLXXXII.

CAPUT

CAPUT IV.

De fœdere Sabaudico.

Philiberti Comitis cum Bernensibus & Friburgensibus perpetuum fœdus & ejus leges. Caroli III. Emmanuelis Philiberti. Caroli Emmanuelis. Helvetiorum varia cum variis fœdera.

SAbaudiæ Ducum prisca cum Helvetiorum aliquot Civitatibus amicitia, sed præcipue Friburgensibus & Bernensibus. Æduardus, credo, fuit primus Sabaudiæ tunc quidem Comes, qui cum Bernenses sibi subditos libertati restituisset, fœderatos habere maluit (*). Eadem fœdera sæpius postea repetita. Philibertus demum cognomento per elegantiam & decorem corporis, Formosus, cum iisdem duabus Civitatibus fœdus perpetuum fecit, multis condicionibus, quæ præcipue de mutuo auxilio, tribus in Episcopatibus, propriis utrimque sumtibus, Lausanensi, Genevensi, Sedunensi, de mercimoniis, vectigalibus, subditis, controversiis publicis, privatis, adeoque omnia, quæcumque futura post istæc fœdera, sine hujus fraude & per ejus exceptionem fore, cuncta disertim & luculente. *Acta in urbe Bernensi, die XXVI. Martii. A. D. N. MCCCCXCVIII.* Fœdus Carolus III. Philiberti Frater renovavit paucis clarius explicatis, quæ de auxiliis: Nempe duas quidem Civitates, suo stipendio, militaturas Duci intra trium Episcopatuum dictorum fines, extra vero eos Ducis sumtu, sed in quoscumque dummodo per fœdera possint. *Bernæ XIX. Martii A. D. N. MDIX.* Sed postea cum omnibus Civitatibus societatem & fœdus in annos XXV. idem Carolus iniit *Badæ mense Novembri, A. D. N. MDXII.* Multis deinceps rerum & annorum conversionibus, patriis restitutus hereditatibus Emmanuel Philibertus, novo fœdere se devinxit cum sex Civitatibus Lucerna, Urania, Suitia, Silvania, Tugio, Friburgo duraturo dum ipsi vita & filio Carolo Emmanueli suppeteret & deinceps quadriennium. *Actum VIII. Mai. A. D. N. M. D. LXXVII.* Solenniter dein *Taurini juratum, XVIII. Septembris, A. D. N. M. D. LXXVIII.* Patriam amicitiam & societatem, cum superiori anno diem supremum XXX. Augusti Philibertus obiisset, Carolus filius confirmavit, *Badæ XV. Febr. A. D. N. M. D. LXXXI.* Multa fuerunt Helvetiorum varias ob caussas alia, præter quæ memoravimus & nunc quoque durant, cum Romanis Pont. Imperatoribus, regibus, Angliæ, Hungariæ, Ducibus Wirtenbergæ, Florentiæ, Burgundiæ, Episcopis & Civitatibus Constantiæ, Argentinæ, Basileæ, aliis, fœdera & societates (Fœdus cum Epis. Basiliensi & VII. Catholicis Civitatibus etiamnum in vigore est,) sed de quibus agere animus non est, nec ad meum jam institutum arbitror. Liber mihi sub manu crescit, de virtute antiqua & moribus, dictis factisque Helvetiorum memorabilibus, in quo inter alia fœdera pleraque explicantur, disputantur, componuntur, si tamen umquam his rerum & omnium bonarum disciplinarum corruptionibus manu mittatur. Sed hactenus quidem Antiquitates Helvetiorum investigasse, tradidisse, finisse juvat.

(*) MCCCXXX.

FINIS HUJUS LIBRI.

FRANCISCI GUILLIMANNI

HABSBURGIACA,

SIVE

DE ANTIQUA ET VERA ORIGINE

DOMUS AUSTRIAE,

VITA ET REBUS GESTIS COMITUM
VINDONISSENSIUM, SIVE ALTENBUR-
GIENSIUM, IN PRIMIS

HABSBURGIORUM

LIBRI SEPTEM

AD RUDOLFUM II. HABSBURGI-AUSTRIACUM
IMPERATOREM SEMPER
AUGUSTUM.

GUILLIMANNI AD IMPERATOREM RUDOLFUM II. EPISTOLA DEDICATORIA.

IMPERATORI CAESARI RUDOLFO II. HABSBURGI - AUSTRIACO.

PRINCIPUM virorum ortum, succeſſumque, IMPERATOR INVICTISSIME, jam ab antiquo magnis eruditione viris quærere, tradereque inſtitutum et ſtudium fuit, ſæpius ob eventorum claritudinem et dignitatem; mox eorumdem, qui ad Imperia regnaque exſcenderant, impulſu et favore. Sed DOMUS TUA eo plures ſui primordii inveſtigatores habuit, quanto omnes omnium ætatum familias imperiis et majeſtate ſupergreſſa eſt, Principibusque eo pluribus inclaruit, quibus id intentum interim delectationi, ſubinde in cupidinem evaſit. Ceterum diverſam plerique omnes viam hucusque ſcriptores inceſſere, majorem, credo, gratiam aucupati, quo inter ſeſe magis diſcordarent, aut alteri ab alteris ad nova originum, et incomperta ingenioſius eniterentur. Eorum ego ſententias, et argumenta paucis libellis juxta prodidi, diſcuſſique: Contra quaecumque ORIGINIS VERAE ET ANTIQUAE erant, pleraque antea vel penitus incognita, et à nemine animadverſa, aut non ſatis ex fide enarrata, perveſtigavi, et reperi, omnibus penè Helvetiae, et non paucis ſuperioris Germaniae, Monaſteriis, templis, tumulis, angulis, literis, monimentis, fundationibus, ſchedis inſpectis et evolutatis, per me ipſum, per amicos, per mercenarios: Et poſtremo digeſſi majori, neſcio, labore et fide; an feliciori aemulatione. Sed praeterea mihi COMITES HABSBURGIENSES majores tui memorati ſunt, clari profecto, et inter Germaniae Proceres ſemper facilè PRIMI, non eo tantum, ut ab tenebris, quæ tot annos depreſſerant obruerantque, eruerem, et in lucem manifeſtiorem proferrem, oblivione indignos, et aeternitati, ſummoque rerum culmini debitos et deſtinatos; quam uti ab nonnullorum fabulis, et injuriis vindicarem. Quorum alii dum novae eos et nuperae nobilitatis arguunt: alii antiquiſſima, et pene ſolis poetarum figmentis cognitâ ſtirpe praedicant, ignoraviſſe videntur inter ſe, an diſſimulaſſe, quantum in utroque extremo incertitudinis et vituperii, et in medio rurſum fidei et laudis ineſſet. Hos modo libellos MAIESTATI TUAE offero, dedicoque. Utrumque ex merito, ſive Argumentum intueor, ſive Te ipſum. Illud de ORIGINE, ut vides, DOMUS AUSTRIAE eſt; at Tu verè DOMUS AUSTRIAE CAPUT, et COLUMEN, uti et orbis univerſi. Sive eo quoque jure tibi vindicas, quatenus tuo me nuper beneficio ſingulariter tuum eſſe voluiſti. Merito igitur illi ad te recta graſſantur via, et per te ad poſteritatem. An quia delectare etiam poſſunt et adjuvare, notitia rei pervetuſtae, et te dignae, tamquam tuae, et paratis ex tuis omnium pene virtutum exemplis? Quid enim HABSBURGIENSIBUS VERNERIS religioſius, aut magnificentius? ADELBERTIS conſtantius aut bellacius? RUDOLFIS generoſius, aut fortunatius? Verbo dicam: Profecto nulla in Germania viguit familia eorum omnium generum clarior exem-

exemplis, ut per hos veluti gradus ad ſupremum in terris faſtigium merito perveniſſe credatur. Sed ea praecellentium virorum decora et monimenta, dubito, amplius laudem, veluti rara et inſolita; an in te potius ſuſpiciam et venerer tanquam inſita, et exercita. Omitto Numinis et religionis cultum, et ſtudium; clementiam et aequitatem; modeſtiam; magnanimitatem; facilitatem et benificentiam, propria, et perpetua Domus Austriae bona, et inſignia. Quis incredibilem, ac propè divinam in administratione civilis rei et militaris prudentiam tuam et auctoritatem non admiretur, atque obſtupeſcat? Quis in qualibet fortuna et eventu eamdem conſtantiam, et animi tranquillitatem? Quis in omnibus felicitatem? Triceſimus annus eſt cum Imperii gubernaculis, Principum omnium ſuffragio, et totius Chriſtianitatis voto, manum admoviſti. Ejus totum id temporis pacem et dignitatem publice, privatimque ita curaviſti, conſervaſtique, ut anteceſſores tuos glorioſiſſimae memoriae non adaequaſſe, ſed multis partibus ſuperaviſſe omnium judicio videare. Neque tamen defuerunt interea tumultus, neque contentiones, neque diſſidia, non adeo bella, maxime in Germania, ut gente maxima, et armis ſemper dedita, et novandi quandoque ſtudioſa. Sed eadem omnia pene verbo citius compreſſiſti, aboleviſtique, quam Imperatores alii legionibus magnis et proeliis. Laceſſivit ſub haec, fide ad lubidinem poſthabita, et induciis, Turcarum magnus ille Princeps, Chriſtiani nominis, et Tui juratus hoſtis et aemulus, ante tertium et decimum annum. Sed quas in eo ſpatio clades accepit? quantas ſuorum ſtrages pertulit? quotiens caeſus, pulſus, fuſus, fugatus? quotiens pene ad extrema redactus? ſi tam facile perſequi victoriam, quam reportare, fortuna pateretur. Numquam totiens adverſus hos barbaros, et eorum ſocios decertatum: numquam tot, et tam clarae relatae victoriae: numquam tot expugnata, aut recepta caſtra, oppida, urbes, regiones, provinciae.

Te copias, et conſilium, et tuos Praebente divos.

Poſtremo illud certe manifeſtum, Rudolfum, tuae gentis et nominis Imperatorem Primum, imperium per tot diſſidia, et interregna, lacerum, et convulſum, ac pene deſertum, egregia fortitudine et laude antiquo ſplendori et nomini reſtituiſſe; te haud inferiori virtute, at majori felicitate conſervaviſſe, et poſt longa tempora adauxiſſe. An iſtud quoque jam dictum et decretum, quae ſub eo Turcica tyrannis ſumſit exordium, te imperante, finem quandoque et debitum exſcidium accepturam? O fave et annue Deus Potens, Deus Exercituum; quamque Rudolfo Primo reſtituti Occidentis famam et gratiam conceſſiſti; Rudolfo Secundo Orientis ſubacti gloriam, et immortalem memoriam impartire, ut te Unum Deum, ita Unum Imperatorem colat Ortus, colat Occaſus. Exſurge o dies illa, dies optata, dies ſalutifera, nonmodo adflictae Hungariae, ſed etiam anxiae Germaniae, neque magis huic, aut illi quam univerſae Chriſtianitati. Sed de te, Rudolfe Imp. Maxime, in praeſens haec pauca, uti et de toto opere, nam Duces deinceps Austriae, et Archiduces, Habsburgiae Gentis, mox Caesares, et Imperatores, et Te cum primis Ipsum, poſtremo, ne quid deſideretur quod ad omnes pertineat, Austriacam Domum in tempore repraeſentabimus; eo citius, certe ſtudioſius, ſi haec interim tibi grata et accepta; ſi tuo favore et gratia, validiſſimis ad pulcherrima quaeque et difficillima invitamentis, proſequi me, atque tueri continuaris, vel antiquiſſimo nobilis militiae ſacramento

NUMINI MAIESTATIQUE TUAE

DEVOTISSIMUM.

FRANCISCI GUILLIMANNI
HABSBURGIACUM,
SIVE
DE VERA ET ANTIQUA ORIGINE
DOMUS AUSTRIACAE.

LIBER PRIMUS.

PROEMIUM.

POPULORUM NATIONUMque origines, ac gesta, decoraque multi memoravere, diverso studio et fama inter obnoxios, aut ambitiosos. Sed ut ingenio laudem parare haud difficile est, ita mihi inprimis præstabilis eorum opera videtur, qui virorum illustrium genus, memoriamque scriptis prodidere. Nam et inde turpia, fœdaque manifestiora, quæ vites: fortia, pulchraque quæ sequaris: et ea memorabilior virtus, quæ magis in aperto est. Ceterum uti alia rerum, sic hominum vitam, maximè vicissitudines agitant, vexantque. Hinc ea quæ in medio, aut clariori loco posita esse conveniebat, dehiscunt oblivione; aut premuntur æmulatu: Incognita, incerta, et obscura rursus invalescunt ad famam splendoremque, magis ex vanitate, quam meritis, aut vero. HABSBURGIENSIUM profecto COMITUM ante RUDOLFUM, qui PRIMUS terræ imperium in eam familiam transtulit, egregia præ aliis, et celebris fama plurimos per annos fuit. Nam postea ea præstiterunt, quæ à nemine quidem pro amplitudine, et dignitate tradita sunt, totum vero denique terrarum orbem claritudine et gloria pervasere. Unde mihi consilium, ut quodque eorum eximium et illustre, memoratuque dignum, strictim et in pauca referre, absque assentatione et ambitu, quorum causas procul habeo. Etenim ut ab adolescentia literas navare vacuum fuit, cum plura, ut fit, scriptorum monumenta in manus venirent, hanc partem qui serio vereque tradidisset desiderari opido indignabar, et molestè ferebam; non invidiâ laudis alienæ; sed hujus incuriâ. Simul veterum Germaniæ Principum virorum instituta, et mores mecum reputabam, quibus recta facere, quam facta spargere; sua probare, quam scriptis attollere promtius fuit; adeoque virtutem suaptè pollentem externa ope non indigere, sibi ipsi praemium satis magnum esse, omniaque in se habere. Opes, facultates, potentiam eo referri, nec quidquam deesse penes quem virtutis possessio esset. Sed illa, ut ad conscientiam valida, et certa; posteritatem haud perinde confirmant, quæ, ut ad deteriora proclivior, præsentibus exemplis continetur. Interea dubitavere multi, plusne ducum et principum ære aut marmore fictæ imagines spectantibus profuerint; an stilo peraratæ legentibus rerum memoriæ. Plerique, ut in humano corpore animam, has immortales et æternas crediderunt; illas, perinde atque eorum unde exempla sumta sunt, collabi, et interire. Utcumque erit, et hac me ipsum quoque parte PRINCIPIS FAMILIAE decori, et nomini consuluisse juvat. Undequaque inclarescere licet. Et qui præclara fecere laudem merentur; et qui gesta perscripsere. Dissimili quamvis mercede, quando scripta utcumque nomen sequatur; res, nisi scriptæ, obsoleant.

CAPUT PRIMUM.

DE HABSBURGIENSIUM Comitum origine variæ opiniones, et eorum prima, qui Roma oriundos adserunt.

HORTARI RES VIDETUR, QUONIAM varia et anceps fama, pauca supra petere, et de HABSBURGIENSIUM COMITUM origine et incrementis paulo curatius inquirere. Atque utinam tam pronum esset, certiora, aut clariora reperire, quam aliena, et quæ hucusque credita, refutare. Sed inter plures, duæ maximè sententiæ celebres, pluribusque scriptoribus nituntur, Fuere namque qui Romanis ortos celebravere: Alii à Francorum Regibus, aut Principibus. Nam qui (a) ab Arcâ Noæ ad Priamum Trojanum, et Sugambros deinceps Duces, Habsburgiensium progeniem derivant, irrisui sese, et ludibrio præbuere. De Romanis Albertus Argentinensis, credo, in primis fuit, qui oriundos adfirmaret. RUDOLFUS, inquit (b), *Comes de Habsburg ex antiquis progenitoribus ab urbe ROMA traxit originem. Olim namque duobus fratribus per potentis POP. R. occisionem eliminatis ab urbe, propter eorum nobilitatem, Romanus, dans cuilibet eorum immensam pecuniam, ipsos jussit abire in partes remotas, qui se in superiori Germaniâ receperunt. Antiquior autem ad emtionem prædiorum, et munitionum; junior autem in Vasallorum multitudinem contendebant. Patre autem eorum post aliquot annos filios visitante, cum vidisset senioris prædia ab eo emta, ejus prudentiam commendavit. Requirens autem de juniore quid egerit, illum se in fortissimam quamdam munitionem collocasse vidit. Et jussis omnibus vasallis suis, cum eorum liberis masculis armatis venire ad montem, ubi Castrum Habsburg est collocatum, illuc patrem traducens, illam fortium multitudinem ostendit, quos et omnes eorum posteros masculini sexus suæ posteritati fideles fore speraret. In illius ergo animosa nobilitate gavisus magnum thesaurum destinavit eidem. Ex his itaque duobus fratribus omnes de Habsburg postea processerunt.* Ita Albertus. Secutus Raphael Volaterranus, sed jam repertâ, nominatâque Romanâ gente. Ejus de Maximiliano I. verba adposui: *apparet*, inquit (c), MAXIMILIANUM *Romanos habuisse progenitores olim Perleones, Comites Montis Aventini, cujus familiæ nonnullæ sunt Romæ reliquiæ prope Sabellorum ædes, quæ prius Perleonum fuere, quibus cognomen dedit Petrus Leonis filius, Stephani nepos, Maximi pronepos, quorum memoria sepulcri pro foribus Templi Sancti Alexii adhuc cernitur. Is anno MCLXX. magnâ in urbe potentiâ, auctoritateque sub Pascale II. fuerat. Cujus duo nepotes per seditionem ex urbe profugi, ad Alpes venerunt, ubi circa Lucernæ lacum prædia, et terras mercati sunt, Castrumque de eo loco Avenburgum deinde excitârunt, quasi Avendi oppidum; licet nonnulli Abesburgum dicant, quod linguâ Germanicâ abec accipitrem significet, qui olim ab iis dimissus cum præda captâ in eo monte constitit, ubi ex auspicio ipsi postea oppidum condidere.* Hæc Volaterranus. Ad eamdem opinionem mox plures transiere. In primis Paulus Jovius. *Ferunt*, ait (d), AUSTRIACAE DOMUS *nobilitatem Romani sanguinis stirpem respicere, producto stemmate è Perleonum familiâ, ex quâ feruntur celeberrimi olim Comites ex tribu Montis Aventini. Hos enim ad Augsburgum consedisse constat, inter Rhætos, Noricos, et Vindelicos, non longe ab Helvetiis, coalescenteque sensim potentiâ Austriaci Principatus, uti ipse Cæsar suæ originis religiosus indagator adseverabat, jura et titulos condidisse, ejusque dominatus claritudinem bellicâ quæsitam virtute, et longâ vetustate constitutam propagâsse. Hinc evenit, ut facilè credamus, Augustam hanc Romani Imperii dignitatem ad Austriacos Principes, quod Romani sint sanguinis, fatali quodam jure pervenisse.* Hieronymus Rubeus: (e) *Perleonia familia inter Romanas nobilissima illa est, à qua Clarissimi Comites Montis Aventini, et* AUSTRIAE DOMUS PRINCIPES *prodiere. Reperitur enim ex Perleoniis quosdam Ispruchum, Oenipontem appellant, ad habitandum profectos, inter Austria, et Bajoaria populos ab Helvetiis haud procul. Paulatim vero, dignitate eorum indies crescente, Principatus Austriæ jura, titulumque fundarunt, uti Maximilianus Cæsar, Caroli V. Avus adfirmare consueverat.* Richardus Rantchinus (f): AUSTRIAE DUCES *initium habuerunt à Perleonibus Romani Imperii patriciis.* Auctor historiæ Bavariæ et Sueviæ (g): AUSTRIAE *nunc moderni* DUCES *originem habuerunt à Petris Leonibus Romanis Comitibus Montis Aventini, cujus familiæ Domus sunt in Aventino, prope Sabellorum ædes, quæ prius Perleonum fuere.* Eodem Joannes Nauclerus, incertus licet animi, quoque inclinavit. *Originem*, inquit (h), COMITIBUS DE HABISBURG *à Perleonibus Comitibus Romanis civibus deducunt ex Aventino Monte, splendidâ nobilitate, freti, opinor, non omnino malis auctoribus, apud quos ejus rei fides esto.* Accesserunt nuper Thomas Bozius (i). *Eodem modo* AUSTRIACI *nunquam non leguntur* NOBILES *fuisse, atque à nobilibus ortum ducunt.* COMITES *enim prius* HABSBURGIENSES *cum forent; genus suum referunt ad Patricios Romanos à familia Petri Leonis.* Philippus Gothus eques Messinensis Siculus (k), cujus hæc verba ex Italicis latina feci, ad PHILIPPUM Hispaniarum Principem, nunc Regem III. *Quod firmiter sperare debemus, quandoquidem non citius immiscuisti te administrationi Regnorum invictissimi patris, cum* DEUS, *ut daret singulares in cœlo protectores, qui tuas in terra actiones felicissime dirigant, hos tibi sep-*

(a) Gebuillerus, et alii plures, ex Humibaldo Monacho, Vuastaldinæ historiæ continuatore, quem tamen dignum duxit Abbas Trithemius quem in Epitomen redigeret. (b) In Chronico suo, aut ejus potius quod superest fragmento. (c) Lib. XVIII. Anthropologiæ.

(d) Lib. V. Elogiorum in Maximiliano Imp. I. (e) Lib. V. Historiæ Ravennatis. (f) Lib. II. (g) Lib. IV. Anonymus est. (h) Volum. II. Chro. generat. XLIII. (i) Lib. VIII. de ruinis regnorum et gentium. Et Lib. XXI. de signis Ecclesiæ. (k) In præf. tractatus Italici de inventione SS. Placidi Abbatis, et Sociorum, et de triumpho, et festivitate Messinæ in illâ celebratis.

septem et triginta martyres revelavit, mille et quadraginta septem annis, quam mortem obierunt. Inter quos Placidus, Eutichius, Victorinus fratres, et eorum soror Flavia sunt ex eodem antiquissimo sanguine Anicio, unde originem ducit Serenissima DOMUS AUSTRIAE. *Quandoquidem certum est, Antecessores tuae celsitudinis, qui ob receptam Austriam cognomentum sibi pepererunt* AUSTRIORUM *(uti Scipiones, domitâ Africâ, Africanorum) descendere, legitimâ successione, ex Frangepanibus, et hos ab Aniciis, majoribus paternis Sancti Placidi.* Sed ante omnes Arnoldus Vion eadem pluribus adseveravit, et Philippo II. Hispaniarum Regi persuadere voluit. *Petrus,* (l) inquit, *Leo, Petri Leonis filius, Montis Aventini Comes, vir nobilissimus, et inter urbis primates praecipuus, in Senatorio ordine praestantissimus semper habitus, ob urbanas seditiones in Germania una cum fratre Rudolpho secedens, è clarissimis majoribus suis degenerare noluit. Nam juxta Lucernae lacum in Ergoviâ, praedia ac terras mercatus, Castrum in eo loco munitissimum excitavit, quod sive ob memoriam accipitris in eo loco inventi, ut vult Volaterranus, abec enim linguâ Germanicâ accipitrem significat, vel alterius Castri, prioribus temporibus, ut ferunt, in eodem loco à Rapatone Avendi Castri Romarici Montis Comite, adificati, aut certè, quod ego magis adprobo, ab Aventino dominatu, cujus hic Petrus Comes erat, Avenburgum, quasi Aventini burgum nominavit. A quo Castro postmodum omnes ejus posteros, tam qui hodie nunc vivunt, quam superioribus seculis fuisse memorantur, denominationem habuisse constat. Inter denominationes enim, quae in urbe olim ex diversis eventibus fieri solebant, non insitata fuit consuetudo illa, quâ à Civitatibus, et populis sapissimè nominum mutationes fiebant, ut videre est in Northmannis, qui à Civitate Placentiâ, Placentini denominati sunt, et in illis, qui vocantur Massa, qui nunc in urbe Româ ab oppido Gallesio Gallesii dicuntur. Item et in Illustrissimis Marchionibus Estensibus, qui cum prius Actii vocarentur, ab Estensis munitionis dominio Estenses vocati sunt. Ita quoque à simili eventu, qui olim Petri Leones à Castro Avenburg, sive Habsburgo* HABSBURGII, *et postremo, ab Austriae dominatu,* AUSTRIACI, *sive Austrii dicti sunt, etc.* Eosdem porro Româ Perleones per Fridericum I. Ahenobarbum pulsos, quod contra Octavianum Antipapam pro Adriano IV. et Alexandro III. facerent, arbitratur. Addit enim: *Cum illo tempore Adriano IV. et Alexandro III. Pontificibus, non adeo morem gereret Fridericus primus Imper. qui sibi jura Pontificia, contra jus, fasque arrogabat, et nonnullis eidem Imperatori, et suo idolo Octaviano Antipapae adhaerentibus; aliis vero quibus mens sanior erat, inter quos erant Frangepanii, et Perleones, nobilissimi Cives Romani, verum Pontificem sequentibus, omnino verisimile videtur, ut propter ejusmodi piam seditionem, pro defensione Christi in terrâ Vicarii, contra Imperatorem, Antipapam, et eorum sequaces, à Frangepanis, et Perleonibus motam, ab Imperatore ipso Friderico, qui eorum potentiam verebatur, in Germaniam hi duo fratres, qui plus aliis posse videbantur, relegati fuerint, ubi postmodum in eam, quam nunc videmus, creverunt potentiam.* Sunt ejus alia, quae in aliam rem, veluti Rudolfum fratrem ejusdem favore Petri, non ita canonicè Episcopum LVI. Argentinensem creatum, Anno Domini MCLXI. cum in eo honore annos XVIII. consumpsisset, ab Alexandro Papa III. eo quod non legitimè creatus videretur, A. MCLXXIX. depositum, et in ordinem redactum, vitae reliquum apud fratrem egisse. Ulricus à Clingenberg (m) de fratribus duobus, utriusque exilio, studioque, eadem fere, quae Albertus, imo ex ipso, et Volaterranus, nisi quod de accipitre, et aucupio, prope Bruck oppidum, sive pontem Arulae, supra quod situm proximo in colle Habsburgum, non apud Lucernensem lacum, evenisse memoravit. At vero Albertus Baro à Bonstette (n) Heremi Deiparae matris, vulgo Ainsidle, Decanus, multae harum rerum aliâs diligentiae, et curae, Româ quidem HABSBURGIOS deduxit, sed gente Scipiones. Felix (o) Hemmerlinus Caesarei Romae Palatii Comites fuisse HABSBURGIENSES scripsit, et eo modo Romani eos generis indicare, judicarique voluit. Postremo Ulricus Krieg, nobilis Tigurinus, Rudolfi I. Regis aequalis, et socius belli, quae Româ tum ferebantur dixisse contentus, RUDOLFUM Regem, ait (p), ante electionem Habsburgi prope Bruck habitavisse, egisseque: majores ejus Romanae stirpis, et originis esse.

(l) In praefatione arboris vitae, et tractatione de antiquissimâ, et nobilissimâ familiâ Romanâ Aniciâ, Probâ, Olybriâ, Perleoniâ, Frangipaniâ, Habsburgiâ, Austriâ, paragraph. 11.

(m) Chronico sui temporis Germanico Mscr. (n) De majoribus Maximiliani I. Imper. (o) Libello suo de nobilitate, Mscr. (p) Chronico sui temp. Germanico, Mscr.

CAPUT SECUNDUM.

REFUTATUR. EJUS AUCTORES paullo amplius discutiuntur.

HAEC OMNINO PRIMA DE SENtentiâ, quae mihi quidem visa, aut intellecta. Speciosa, si perinde probata. Nam hi quidem scriptores omnes, qui scilicet usque Româ HABSBURGIENSE genus ferunt, haud aliud mihi videntur consecuti, quam HABSBURGI-AUSTRIACORUM Principum gestis, et virtutibus, altiorem, aut digniorem originem, quam ab urbe, magno illo quondam virtutum omnium domicilio, quae eadem Provinciis Reges, orbi Imperatores dedit, fingere nequivisse. De Perleonibus scio praeclarum nomen, magnam potentiam. Eos Aventinum tenuisse, forte et per tumultum urbe exactos esse, non disputaverim. Et de iis multa eximia, et proba supra memoratus Vio (a): quae ut refutare animus non est; ita HABSBURGIOS inde ortos non esse, vanamque, et futilem, quâ maxime nituntur, Volaterrani opinionem, om-

 nes

(a) Eodem tractatu.

nes intelligent, qui multo prius quam esse coeperit Petrus ille Leo, aut ab urbe eum Fridericus Ahenobarbus expulerit, VERNERUM III. VERNERUM II. VERNERUM I. omnes Habsburgi Comites, præcipueque VERNERUM Episcopum Argentinensem, Castri HABSBURGI, unde genti postea fama, et nomen novum, Auctorem, et conditorem, RATHBOTUMQUE ejus fratrem, et LANDOLUM, et ADELBERTOS, aliosque HABSBURGIOS, magnâ apud Imperatores Conradum II. Henricos III. IV. et V. Lotharium II. Conradum III. auctoritate, et honore fuisse; HABSBURGUM vero Argovianum (ut eodem quoque utar cum Vione (b) vocabulo) ducentis propè ante Fridericum I. Ahenobarbum jam stetisse annis, perspicere, et cognoscere sequentibus (c) libris, publicis ex instrumentis, monumentisque dignum judicabunt, adeoque nullum omnino in familiâ HABSBURGIENSIUM, AUSTRIACORUMque Petrum, aut Perleonium, ut ne digna quoque confutatione sententia hæc videatur. Sed tamen illis de scriptoribus nonnullis, quæso pauca dispiciamus. Vionis quidem, ut sint cetera, de Argentinensi Alberto verba falsiloqua, ubi scribit: (d) *A Perleonibus Habsburgios processisse confirmat Albertus Argentinensis;* Repete ejus suprà, et quæcunque alia. Nusquam ne per somnium, Perleonia in eo memoria. Et tamen scilicet Volfgangum Latzium asperrimè insectatus est (e), quasi quæ contra se essent callidè dissimulaverit, neque Alberti, aut Perleonum meminerit; in unum Volaterranum insurrexerit, controverteritque. O virum simplicem! qui, quæ, ut diximus, nusquam essent, fingere, sicuti Vion, nescierit: prudentem, si noluerit, et potius Albertum præterire maluerit, quatenus aliud certi non adfirmat, quam Româ in Germaniam Perleonios, sibi, ut Habsburgiæ genti, ignotos, et ignoratos adducere. Jovius sibi fermè similis, qui, dum scriberet, rerum, falsi verique haud in magno prope discrimine quidquam posuit, ut non immerito jactitârit Gorræus Parisiensis, quas de Amadisi adfingebat fabulas, non minus, quam Jovii scripta, cordatæ posteritati veras, et probabiles futuras. Nam Augsburgum, sive Augustam Vindelicorum (eam se intelligere ex vicinis quos ponit populis Vindelicis, Noricis, Rhetis, ostendit.) Habsburgienses habuisse sedem, quis omnino deliravit? Similis Rubei error. Existimo, quia aliquando apud Pontem Aeni Austriacos principes habitare intellexerat, ea primo Perleones profugos loca cepisse arbitratus est, et inde porro Habsburgios. Volaterrani unde, unde de Habsburgo apud lacum Lucernensem aliquo ex fonte opinatio est. Nam sanè Habsburgi arcis, non oppidi, (f) quod nunquam fuit, quatuor supra Lucernam circiter passuum millibus, dextrâ ripâ laci, adhuc ruinæ, et rudera. Sed ab eo Comites HABSBURGIENSES, qui AUSTRIACI postea Duces, et rerum Domini, oriundos, nemo hactenus bonæ mentis existimavit, aut tradidit. Et, ut sint, non propterea ejus Perleones auctores, et architecti.

(b) Eodem tract. §. 4. (c) Præcipue Lib. IV. et V. (d) Gradu II. Anicio XXXVI. (e) §. 6. (f) Ut Vion, et plerique scribunt inconsiderate.

Neque enim Volaterrano ea fides et auctoritas, quæ persuadeat. Alia, et diversa armorum insignia, accipiter, aut quidquid est volucris, inter castri turres duas, et nihil omnino Perleonicis, aut Habsburgiensibus simile. Coluerunt tamen, et habuerunt Habsburgienses, sive Vindonissenses, sed præpositura Lucernensis, cujus proprietas erat, beneficio. Bello quod Albertus II. Dux Austriæ Tigurinis intulit An. D. N. MCCCLII. Lucernenses, Uranienses, Suitenses, et Silvanii eorum confoederati exsciderunt VIII. Kal. Jun. Dominium ejus Lucernenses tenent. Neque de eo alia memoria est. HABSBURGI etymum ab accipitre, Germanis vulgò Habbich, Maximiliano I. Imp. optimo, et harum rerum curiosissimo, placuisse scio, Legatorumque Helvetiorum quondam (g) Constantiæ opinionem, qui ita inter colloquium inflectere, denominareque viderentur, probavisse. Sed hæc de nomine parva disputationis et controversiæ pars. Ceteri scriptores sedem fermè prætereunt, gentem nominant, de quibus omnibus supradictus Vio: (h) *His igitur auctoritatibus tantorum virorum, eorumque rationibus, nec non et traditione perveteri, jam quasi ab omnibus receptâ motus, verum esse existimo, quod suprà explicandum proposui, gentem scilicet AUSTRIAM, HABSBURGIAM, eamdem cum antiquâ Perleoniâ, Frangipaniâ, Olibriâ, Probâ, Aniciâ fuisse.* Sed apud me, rebus sanè literariis, nulla unquam auctoritas ante rationem fuit; rationem absque argumentis, et testibus inanem fermè existimavi: neque præ publicis monumentis traditionem unquam posui. Eadem enim quæ tradebat, quam incerta Volaterranus arbitraretur, ipso suæ relationis verbo primo, satis demonstravit, nec compertiora, aut certiora quisquam edidit; quæ Volaterranus scripserat, pro cognitis, et certis, temerè, et inscitè usurpavere. Et postremo illa ipsa, quæ idem Arnoldus (i) contra Latzium, in ipsum jure retorqueam. *Non enim hoc loco verbis agimus, sed demonstrationibus, et probationibus; neque testibus hic quidquam tribus, aut quatuor proficitur, cum in contrarium longe plures suppetant; neque etiam testibus res agenda sit, ubi veritatem acta, et monumenta*, instrumentaque publica *declarant, ut in sequentibus videbitur.*

(g) An. MDIX. (h) §. 6. (i) §. 2.

CAPUT TERTIUM.

ALTERA OPINIO, QUAE EX Franciæ Regibus, aut Principibus natos adfirmat.

FRANCORUM REGUM, AUT PRINcipum progeniem qui HABSBURGIENSES prodidere, multi quoque, et diversi argumentis, eaque sententia prope evaluit. Neque tamen quis repererit primus, facile adfirmaverim. Auctores enim ejus, veluti plures; ita pene omnes æquales, et ante Maximilianum I. Imp. quem sciam, nemo,

nemo. Præcipui sunt Johannes Trithemius, Jacobus Menlius, Joannes Stabius, Ladislaus Sundheimius, Joannes Aventinus, Hieronymus Gebwillerus, postremo Wolfgangus Latzius. Sed eorum videamus opiniones, et quo quisque modo, ex Franciæ priscis regibus, quos Merovingos plerique vocant, ortum trahere HABSBURGIENSES velint, et memorârint. Trithemius diversimodè eodem libro (a), et pene spatio originem facit. Sigebertum enim Habsburgiacæ gentis, ut vult, genitorem, modo natum tradit Guntramo, Aureliæ et Burgundiæ rege; modo ex Theodeberto Austrasiæ Rege, Childeberti filio, et ejusdem Guntrami ex Sigeberto fratre, nepote Ejus de Guntramo verba adposui. *Tandem*, inquit, *Lotharius obiit Anno DLXIV. ind. XII. filios relinquens quatuor; Heribertus, qui major natu, apud Parisios regnavit post obitum patris, etc. obiit sine liberis. Secundus genitus Lotharii fuit Guntramus, qui Aurelianis, et in Burgundia regnavit, Annis XXXIII. et obiit Anno DXCVII. duos relinquens filios, Theodebertum, et Theodoricum. Uxor ejus fuit nomine Austrigildis mulier iniquissima. etc. Theodebertus major natu genuit Sigebertum, Sigebertus autem genuit Odobertum, Odobertus autem genuit Odobertum, Guntramum, et Adelbertum fratres. Odobertus autem junior genuit Luitfridum, et Uldaricum Comites, quorum in Habsburg alter, in Hohenburg residebat alter, jam regno in quatuor Comitatus Helvetiorum, Alsatiorum, et Allemannorum cis Rhenum diviso. De isto Luitfrido genealogia Comitum de Habsburg, usque ad Rudolfum Regem Germanorum, et ulterius in Maximilianum continuatur, à Guntramo Francorum Rege per annos DCCCCXVII. usque ad XXVIII. annum regni Maximiliani.* At vero paulo infra cum Theodeberti Austrasiae Regis caedem, jussu et scelere Theodorici fratris Coloniae Ubiorum factam, retulisset, de eo haec plurimum diversa memorat. *Habebat autem Theodebertus tres filios, Sigebertum, Guntramum, et Lotharium, filiam unam speciosissimam. Sigebertus major natu fugâ lapsus usque ad mortem Theodorici secretissimè latuit apud avunculum suum Genebaldum, Ducem Francorum Orientalium, qui post mortem Theodorici, procerum interventu, regnum accepit Helvetiorum, ut dicetur post hac inferius. De hoc Sigeberto natus est Odobertus, per quem Comites in Habsburg, ut paulo diximus ante, cum multis aliis in superiori Allemannia provenerunt.* Eadem paulo fusius Annalium suorum primo breviario eadem narrata nece. *Theodebertus autem miserabili sorte peremptus, tres filios, et unam, ut legitur, speciosissimam filiam reliquit, Sigebertum videlicet, Guntramum, et Lotharium. Nomen filiae nusquam reperi. Rex vero Theodoricus Coloniam ingressus præscriptos duos juniores fratris filios Guntramum, Lothariumque et sororem eorumdem ad Civitatem Metensem captivos misit. Quibus crudelis avia Brunichildis occurrens, nimioque succensa furore, in odium genitoris occisi, super eos irruit, et nepotes adhuc parvulos, manu propria interfecit. Sigebertus autem natu major Theodeberti filius, quorumdam auxilio civium, submissus per murum, secretissime Rheno transmisso, in habitu scholari aufugit, veniensque in Franciam Orientalem apud cognatos suos Gottfridum, et ejus filium Genebaldum terrium, Duces Francorum circa Moenum in Vircburg principantium, aliquot annis latuit incognitus. Qui tandem post obitum Regis Theodorici, principum interventu, Ducatum in Allemannia superiore, quae nunc dicitur Helvetia, donatione Regis Lotharii accepit. Sed neque nomen regium, neque diadema portare, more parentum suorum, permissus est, et mansit sub ditione Regum Francorum. Filium genuit nomine patris sui Theodebertum.* Haec Trithemii opinamenta, contraria admodum inter se, et discordantia. Neque tamen magis sibi constat, aut compertiora adfert Menlius. Libello enim de monumentis, et fundationibus Majorum Maximiliani I. Imp. in sententiam quidem Trithemii posteriorem pedibus it, Sigebertumque Ottoberti Habsburgi Comitis patrem, Theodeberto Austrasio, Childeberti filio, et Sigeberti nepote vult procreatum: Verum epitome Chronici (b), ut indigitat, principalis de origine ejusdem Imp. Maximiliani, longe ab ea recedit, Ottobertumque Comitem Habsburgi primum tradit Theodeberto Burgundiae Rege generatum, Chilperici, et Audovirae filio, Lotharii primi nepote, Clodovei inter Reges primi Christiani pronepote. Tertiam illi quoque attribuit Latzius, et Clothario Rege primo natum fuisse Ottobertum provinciae Regem, qui ab Guntramo fratre interfectus, Ottobertum filium reliquit Habsburgi Comitem, Elsatiae, et Brisiacae Landgravium. Verba ejus quae adfert (c), nescio unde sumta, ita se habent. *Oddobertus filius Lotharii primi Regis Franciae, fuit Rex provinciae, videlicet Anno Domini DLXXXV. Et fuit per Guntramum Regem. Burgundiae fratrem suum cupidine dominandi occisus; qui post fratris obitum etiam Rex Provinciae factus fuit. Otbertus, filius Oddoberti Regis Provinciae, viguit Anno Dom. DCV. Comes de Habsburg, Landgravius Brisgaviae, et Alsatiae. Viguit tempore Phocae Imp. Qui propter Dei amorem, suaeque animae salutem, cuidam sancto viro, videlicet Trutberto, filio Regis Hiberniae, vallem, quae tunc temporis Numaga circa nigram Sylvam dicebatur, donavit, et ibidem aedificavit Ecclesiam, quam certis reditibus, et gultis dotavit, fecitque ibidem aedificare castrum Streichburg nomine dictus Otobertus, et tres filios habuit scilicet Amprinctum, Ethobertum, et Rutberum.* Ita de tertia Menlii opinione Latzius, qui et pluribus, non sine causa (d), refutat. Sundheimio aliam pariter paternam Habsburgiensibus quaerere stirpem placuit. Vult enim Chilperico Clotharii primi filio, Clodovei nepoti, ex Audovira filium fuisse Theodoricum Burgundiae Regem, Childericum Clotharii III. patrem, et Ottobertum Provinciae Regem, et huic postremo Ottobertum II. Jurae montis in Helvetiis principem, Habsburgiensium primum conditorem. Sed Joannes Stabius universos hac materia suo ex judicio supergressus, Ottoberti ortum, via quoque remota a reliquis, et posteriore e Regia Francorum propagine flexit. Adfirmat enim, Childerici ab Austrasiis interfecti filium, Clodovei secundi nepotem, Dagoberti magni pronepotem. Ipsum, populi minas et insidias, post patris caedem, declinantem transisse Rhenum, paucisque contentum comitatibus, ea vixisse in regione, quae modo

(a) Compendio de origine gentis Francorum ex Hunibald.

(b) Germanica Mscr. (c) Comment. Geneal. Austriacae Lib. I. cap. 5. (d) Eodem Cap. et Lib.

modo Briſgovia eſt. Quae de hac re Latzius (e), iisdem verbis poſui. *Joannes vero*, inquit, *Stabius anteceſſor meus, Maximiliani quondam Caeſaris Hiſtoriographus, Ottobertum et ipſe quidem ſecundum in hac gente commemorat, ſed alio parente ortum, nempe Childerico Auſtraſiae Rege, Clodovei hoc nomine regis ſecundi in provincia Pariſienſi principantis, quem ab Bodilone comite occiſum refert. Verba ejus ſubſcribam. Iſtius Childerici concludo filium fuiſſe Ottobertum, qui in tantis rerum turbinibus, et confuſionibus, quibus regnum Francorum tunc laborabat, regna paterna ſuſcipere non potuit. Poteſtas enim omnis non apud reges, ſed apud majores domus tunc erat, qui non quae Regum, ſed quae ſua fuere, quaeſiverunt. Hinc Ebroinus, etc. Ottobertus autem, de quo diximus, interea dum pater ſuus Rex Hildericus a Bodilone in venatione interfectus eſt, in Auſtria ſuperiori, videns mirabilem Regni Francorum mutationem, ut patrem totius Monarchiae Francorum Regem impie trucidatum; patruum Theodoricum, majore domus Ebroino, prius attonſum, in Monaſterium truſum, iterum extractum, et regno ſub Leudeſio praepoſitum, Ebroini apoſtatae monachi furorem, ac inſidias pertuliſſe; quid faceret Ottobertus princeps natura mitiſſimus, niſi ad ſupremi numinis auxilium confugiens, ad ejus ſe cultum praepararet? In Allemanniam itaque trans Rhenum abiens, poſt patris miſerabilem caſum, ſe continuit in Landgraviatu Briſgoviae, ubi ſancto Dei viro Trutperto Monaſterium aedificavit, ubi certis comitatibus contentus, pacifice, et quiete vixit, curam regni abjiciens, ne, ut pater, a factionibus majorum domus trucidaretur. Acceſſit etiam Ottoberto alia infelicitas, odium ſcilicet contra patrem Hildericum a Francis conceptum, timenti, ne ſi umquam in regnum veniret, caedem paternam ulciſceretur. Hactenus*, inquit Latzius, *Stabius*, quae pariter aliquatenus refellit. Non deeſt, qui Hugoberti Transjurani Ducis, de quo Rhegino (f), poſteritatem Habsburgios credit. Non deſunt qui ab Attico Leudeſii palatii ſub Theodorico praefecti filio, Erchembaldi nepote, ſcaturiginem Habsburgienſium derivant (g). Atticum etiam palatii praefectum ab Hilperico, aut ejus fratre Theodorico Allemanniae accepiſſe ducatum, cum Elſatia. Inde porro Elſatiae Landgravios, quo titulo, et regione Habsburgii potiuntur. Attico enim natos, praeter D. Otiliam, Hugonem, Hettonem, Bataconem, et Adelbertum. Adelberto Maſonem, Eberhardum, Luitfridum. Luitfrido nuptum datam Hiltrudem unicam filiam Ottoberti Habsburgienſis in Romarico monte, ex qua cum prolem non tuliſſet, adoptaverit patrueles Ottobertum, a quo Habsburgienſium deinceps ſucceſſio, Hugobertum, Theodibaldum, et Eberhardum. Jacobus Spiegelius alibi in Volaterranum, et ejus ſectatores acriter invehitur, gentem non determinat, ex Francorum ſanguine natos Habsburgienſes adſeverat. *Nec nos*, inquit (h), *movere debet quorumdam ſtultitia, ſuam originem ad Romanos referentium, qui ſi ſcirent, nullam in Italiâ nobilitatem, quam non Germani eo advexerint, non haurirent aquam ex rivulis, ipſo fonte contemto. Ridiculum ſane quod Volaterranus D. Maximiliani progenitores ait fuiſſe quoſdam neſcio Perleones Romanos, cum pura, puta ſit e Francorum ſanguine principibus AUSTRIAE, Burgundiae, Brabantiae, Hollandiae origo.* Alibi Sundheimii inventa probat, et perſequitur. Quae de Attici origine et ſucceſſione ſunt plerique tribuunt Hieronymo Gebwillero. Epitome tamen regii ortus Ferdinandi I. Imp. poſteriorem Trithemii ſententiam amplectitur, Sigebertique Theodeberto a fratre necato geniti Ottobertum recenſet, profertque filium (i). Sed eamdem maxime Wolfgangus Latzius celebravit, et cum eadem, quae ſupra, ex Trithemio enarraſſet, his praecipue argumentis firmam, et inconcuſſam voluit (k). „Porro haec vera eſſe, et non ex vano hauſta, multa ſunt quae coarguant. Primo cruenta iſta pugna fratrum; deinde quod Sigebertum Turonenſis quoque refert filium occiſi Theodeberti Auſtraſiae regis profugum, renovatis viribus, pugnam in Campania cum Theodorico patruo alteram iniviſſe, fugatumque Coloniam abiviſſe. Poſtremo etiam quod ſororem ejus ſimiliter ut Trithemius, captam à Theodorico patruo victore, ob pulchritudinem matrimonio junctam fuiſſe Turonenſis commemorat. Gregorii, inquit, verba ſubſcribam. Anno autem quarto poſtquam Childebertus regnum Guntrami acceperat, defunctus eſt, regnumque ejus filii ſui Theodebertus Auſtriam ſortitus eſt, ſedem habens Metenſem; Theodoricus accepit regnum in Burgundia, ſedem habens Aurelianis. Eo tempore Childebertus Rex Auſtriae habebat duos filios, ſeniorem ex concubina nomine Theodebertum; juniorem vero ex Regina nomine Theodoricum, ipſumque cum avia ſua Brunechilde in Burgundiam in regnum Guntrami magni regis direxit Brunechildis vero quotidie pejora conſilia ipſi Theodorico miniſtrabat, dicens. Quare negligis, et non requiris theſaurum patris tui, ac regnum ejus de manu Theodeberti vindicas, cum ſcias, eum non eſſe tuum fratrem, quia in adulterio de concubina patris natus eſt. Haec audiens Theodoricus, fero ut erat corde, magnum exercitum contrahit, contra Theodebertum germanum dirigens ad Tolbiacum caſtrum. Ubi fortiter pugnantibus Theodebertus laeſum cernens exercitum ſuum, in fugam converſus Coloniam civitatem ingreditur.„ Et ſubdit, confuſis quae prius narraverat. „Theodoricus cum perveniſſet Tolbiacum cum exercitu, Arduennam tranſiens, Theodebertus frater ejus cum Saxonibus, Thoringis, ac ceteris gentibus quas poterat undique ultra Rhenum adunare, contra Theodoricum Tolbiacum perrexit, ibique denuo commiſſum eſt proelium etc. Captus eſt Theodebertus in ipſo proelio, et vinctus Cabillonem deſtinatur. Filius ejus Meroveus parvulus juſſu Theodorici apprehenſus ad quamdam petram percutitur; qui, cerebro contuſo, et capite fracto, emiſit ſpiritum. Sigebertus vero filiorum maximus, quorumdam conſiliis, reparatis viribus, in territorio Campaniae Catalaunenſis agri ſuper fluvium Coxone veniens, cum Theodorico ſimul, et Chilperico cer-

tans

(e) Eodem Commen. Lib. I. cap. 6. (f) Chro. ad annum DCCCLIX. et ſeq. (g) De ea opinione Latzius Comm. Lib. I. cap. 1. Et Lib. VIII. de Migrationibus gentium, et popul. (h) Scholiis in Lib. I. Ligurionum et Scholiis ad XII. Lib. Auſtriados Richardi Bartolini.

(i) Lib. II. Epit. cap. 10. et 11. (k) Comment. Lib. I. cap. 5.

„tans superatus aufugit. „ Et ista quoque ipsius Latzii. Ipsum Michael Eintzingerus (l), Pontus Heuterus (m), Joannes Rasius (n), Gerardus de Rhoo (o), Valentinus Rotmarus (p), Joannes Engerdus (q), Jacobus Kerastlitus (r), alii pene recentiores omnes sequuntur.

(l) Theatro principum. (m) Libello de Habsburg. origine. (n) Genesi Austriaca Lib. (o) Annalium Austr. Lib. I. (p) Carolidum Lib. I. et alibi. (q) Syncharistico. (r) Chronico apographo D. Truberti.

CAPUT QUARTUM.

EA QUOQUE CONFUTATUR.

SED HAEC LATZII, ET ILLA Trithemii, reliquorumque ejusdem sectæ, quam incerta, ignara, incognita, falsa sint, omnes vident. Quid enim rei est, aut causæ, Sigebertum auctorem, et patrem gentis Habsburgiensis esse, quod Theodebertus pater bello cruento cum Theodorico fratre decertarit? quod Sigebertus ipse, reparato exercitu, ex acie victus Coloniam effugerit, aut etiam ad cognatos in Franconiam evaserit? quod postremo eximiæ pulchritudinis sororem habuerit? Quamvis quod de hac quoque Sigeberti exercitus reparatione, pugnâ et fugâ refert Latzius ipse, Heuterus, alii, falsum est, neque ex bono ullo scriptore probabitur. Non enim ille Sigebertus qui prope Coxoniam (a) flumen cum Clothario II. conflixit, et postea, à suis proditus, cum fratre Corbo interfectus est, Theodeberti, sed Theodorici fratris filius nothus (b) fuit. Et quæ ex Gregorio verba in testimonium fert, suo ex ingenio adfert, lectorem ludit, publico fraudem facit, Gregorio injuriam, se fabulam. Satis enim ex Chronico Sigeberti, et aliis scriptoribus constat, Turonensem Gregorium Historiam Francorum non nisi ad An. D. N. DXCIII. (c) protulisse, quo quidem tempore regnabat Childebertus, vivebat Theodebertus eo genitus: Sigeberti vero nepotis, Habsburgiensium, ut volunt, auctoris, nulla adhuc memoria, aut forte usura lucis, nec de eo proinde, ut belli novo instauratore, et duce, Gregorium scribere potuisse. Sed ut hæc omnia quoque sint; at enimvero nusquam Sigebertum in Franciam Orientalem fugisse, et apud cognatos latuisse: nusquam à Lothario ducatum Allemaniæ superioris, sive Helvetiam accepisse: nusquam diadema, et cetera regni usurpare prohibitum esse, Gregorius, vel Aimo, quem Annonium vocant, aut veterum alius memoravit. Ut nullum dubium sit, quem Sigebertum Transjuranum Ducem Trithemius, Menlius, Latzius, alii faciunt, et unde Habsburgienses ducunt, in rerum naturâ extitisse nunquam, aut cum fratribus ceteris absque sobole esse trucidatum. Et in hac reliqui bonorum scriptorum recentium veterumque sunt fermè omnes opinione. Conveniunt in illâ barbarâ omnium Theodeberti filiorum internecione. Ita Rhegino, Sigebertus, Ado, Gaguinus, Nauclerus, Chronici Burgundici scriptor, quique annales Franciæ linguâ vulgari composuere Nicolaus Gillius, Bernardus Girardus Haillanus, Gulielmus Paradinus, alii. Nec aliter Paulus Æmilius, cui privata, publicaque regni in manibus fuere, qui eadem etiam quae de Brunechilde, fratrumque odio, et exitio, haud perinde vera omnia, quam tragicis fabulis decora, arbitratur. Placeat ad haec Francisci Belforestii, Franciae Annalium scriptoris facile principis candor, et ingenium; qui ea, quaecunque Latzius et ceteri super hac re architectantur, incerta, et sine fundamentis, recta judicio, et animo, quoque confirmavit: hanc nobilissimae, et potentissimae HABSBURGIORUM familiae famam, et gloriam, super insitam Gallicae gentis ambitionem, et vanitatem, non neglecturus, si qua ratione Francis vindicare potuisset. Ejus ex magnis Annalibus Gallica traduxi verba. (d) „ Talis finis fuit, inquit ille, postquam Theodeberti necem, et filiorum narrasset, Theodeberti, Regis Austrasiae miserabilis, „et ejus liberorum. Et quandoquidem Sigebertum „evasisse dixi, filios quatuor habuisse oportet, nem„pe Sigebertum, Guntramum, Clotharium, et Me„roveum, quorum tres cum Brunechildis trucidave„rit, sciendum porro, quid quarto factum sit se„cundum opinionem eorum qui familiam regiorum „AUSTRIAE principum moliuntur, supra quae „vobis Wolfgangum Latzium citabo, qui Lib. I. „Comm. Austriae de ea re ita loquitur, mentionem „faciens Ducum Austrasiae sub Rege Clothario se„cundo. Hic est Clotharius, qui filio suo Dago„berto, ex Bertrude prognato, adolescenti etiam„num, tractum Arduennae sub Ducatus nomine; „deinde vero cum is Saxones vicisset, jam senio con„fectus, Austrasiae etiam regnum commisit; Voca„toque ab exilio Sigeberto, Theodeberti quondam „Austrasiae regis, apud Coloniam Ubiorum, insidiis „Theodorici Regis Burgundiae germani fratris, oc„cisi, qui in Ostfrancia aliquamdiu apud Vircebur„gum latuerat, sub tutela Gundoaldi, et Gotofridi „propinquorum suorum, Herpone, Transjurano duce, „occiso, ducatum eidem Transjuranum beneficio con„cesserat, unde Habsburgi principes, ac Austriae Ar„chiduces derivamus. Intelligitis quae de hoc prin„cipe Latzii opinio fuerit, uti et de ceteris ejus fami„liae. Quamvis veteres omnes, communi adsensu „confirment, omnes Theodeberti liberos à Theodo„rico interfectos, qui neminem ejus mortis ultorem „vellet. Quae quidem multis cogitandi ansam prae„bebunt, Latzium, reliquosque auctores recentiores, „ea persuadere voluisse, absque aliquo antiquitatis fun„damento, quo opinionem suam firmarent, quando„quidem apud priscos de hoc Sigeberto nihil legitur, „uti neque de ejus in Franconiam fuga. Attamen „ne quis arbitretur me omnino ea quae scribunt repu„diare, quaque ratione ex Merovingis antiquitatem „Austriae stirpis stabiliunt, Genealogiae seriem, qua„lem depingunt, vobis repraesentabo. Admonitos „nihilominus volens, hancce vobis narrationem, non „ut pro re certa habeatis, a me proponi, quando„qui-

(a) Alii Axonam vocant, et Ararim interpretantur, alias Sangonam, nunc Sosne. Ego Soissionensis agri amnem credo. (b) Clarum ex Appendice ad Gregorium. Turonens. cap. 12. (c) Chron. Sigeberti ad eumdem annum DXCIII. Auctor Chronici Burgundionum.

(d) Lib. I. cap. 29.

„quidem illi ipsi, qui ejus sunt auctores, non audent „dicere, quis iste fuerit Dux Sigebertus, suntque qui „dicant Meroveum illum, quem diximus a Brunechilde necatum, fuisse qui evaserit, et familiae Au„striacae originem fecerit. Alii (e) a Carolingo„rum temporibus sumunt traduntque Griphonem Pi„pini Brevis filium fuisse Ducem Burgundiae, duo„decim comitatus possedisse, iis in partibus, ubi nunc „sunt Helvetii, dedisseque originem Marchionum „Habsburgiensium Domui. Quae tanta sententiarum „diversitudo historiam plane suspectam, et dubiam „facit. „ Haec Belforestius sincere et cordate, ut talem decebat. Quod si adeo is Sigebertus Ducatum Ultrajuranum, sive Helvetiae partem, regia liberalitate tenuit, mirum jure oriatur, cur Ducis nomine posito, Comitis, et Habsburgiensis, tam cito induerit ipse, aut posteri; cur Habsburgiensium nemo Franciae Regibus sacramentum dixerit; patronos bello, pace agnoverit. Imo cum ea omnia ita se habeant; unde tamen constet, inde Habsburgi Comites, et ab eo Sigeberto oriundos. Quasi vero, quia Transjuranus ipse forte Dux, Habsburgios ideo genuerit, aut non plures eodem Ducatu fuerint Comites, opibus sane dicere ausim valentiores, ut non successione, et successu, qui pari ratiocinatione eamdem sibi vindicare originem potuerint, aut justius debuerint? Id profecto ex Aimone Monacho compertum (f) posteaquam Lotharius, Theodeberto interfecto, et Theodorico exstincto, omnium potitus est, Ducatui Transjurano praefecisse Herponem; cui postea Arnobertus successit; dein Flaucatus. In Burgundia, et eodem Ducatu maximis opibus valuisse Aletheum, Vilibaldum, sive Theodibaldum, et Adelbertum, ejus fratrem, de Sigeberto nulla cum sit mentio, quem praeterire, utpote regia stirpe oriundum, et, ut volunt, totius regionis Ducem, non potuit Aimo, certe non debuit. Quod etiam adversus Sundheimium, et Menlium, Stabius (g) animadvertit, et utrumque ideo, incertum, acerbius, an justius, increpuit. Eadem Pontum Heuterum animi diversum habuere (h), ut cum Latzium adhaereret, Suevis, aut Helvetiis ortos Habsburgienses potius credere videatur. Nam Michael Eintzingerus (i) ad antiquas Vasthaldi, Hunibaldique, et Trithemii, et Gebwilleri, anilesque fabulas revolutus, veri, falsique securior, cum ab Jul. Caesaris imperio, et Antharico nescio quo Sugambrorum regis filio, per multas generationes ad haec tempora propagmen Habsburgiense inflectitur, plus ex vanitate quam verae laudis adeptus est. Sed et saepius memoratus Latzius cum suo Trithemio, Menlio, et Gebwillero, sententiae discors, dum modo ab eodem Theodeberto Rege Austrasiae, et ejus filio Sigeberto profugo, et exsule; aut ab Attico Sueviae, et Elsatiae Duce; imo et ab Griphone Pipini Brevis filio, vel denique ab Hugeberto Ultrajurano Praeside, Habsburgienses probabili ratione duci arbitratur, alii aliunde cogunt, et fingunt, omnia dubitando, singulorum fidem adeunt. Par in eo inaniloquentia, quod ex gentilitiis Francorum Regum nominibus Thietbrechto, Sigebrechto, Ramprechto, Childebrechto, Rathbrechto, Adelbrechto, ceteris, originem inde Habsburgiensium Latzius firmare conatur (k), quod in hac gente reperiantur, qui eadem nomina usurparint, quasi vero non adeo omnibus Germanis communia, et vulgaria fuerint, utpote Germanica. Nam de insignibus Habsburgiensium ejusdem quoque generis quod ait (l), haud ita est. Si enim de Austrasiis Regibus, et eorum scutis loquitur, satis constat, arma eos liliis sparsisse, uti alios ejus stirpis Franciae Reges. Quamvis neque hocdum satis manifestum, et quae primae, et antiquae fuerint Franciae Regum armorum notae docti adhuc requirunt et curiosi, et requirent. Si de Burgundis: quod magis velle videtur, primi quidem, et a Francis exstincti, (m) felem in clipeo, aut sciurum, libertatis monimenta, gessere; itemque serpentem involutum: postremi, qui regnum Romanis Imperatoribus, et Germaniae regibus reliquerunt, clipeum, palis, ut vocant, purpureis, aureum tulere, veluti ex eorum Saloduri, Paterniaci, Agauni fundationibus certum est. Quae omnia procul ab Habsburgiensium insignibus. Cetera ejusdem Latzii nugamenta refutare, quibus (n) omnes prope Germaniae, Burgundiae, Flandriae, Lotharingiae, Helvetiae antiquas, et nobiliores familias (Gebwilleri, an Menlii praeposteram diligentiam, an adulationem aemulatus) Habsburgiensibus inserit, et iis oriundas adserit, actum agere esset, aut numquam non agere. Per adfinitates, et cognationes plerisque connexos, imo haereditate, connubiis, virtute denique maximam partem complexos non negaverim. Quod de Guntramo Rege refert Trithemius, et ejus liberis, contra omnium Historicorum fidem est, et notitiam, qui nullos illi superstites faciunt, Clothario, et Clodomiro, tenera aetate, exstinctis. Childebertum ideo adoptavisse ex Sigeberto fratre nepotem, qui utrumque hoc pacto Austrasiae, et Burgundiae regnum conjunxit, Theodebertumque et Theodoricum, qui rursus diviserunt, et sese confecerunt, ut vidimus supra, propagavit. Eadem quoque in re, et opinione, ut parum certa, perincertum se ostendit. Etenim quos Othoberto, prima ex opinione, Sigeberti filio, et Guntrami nepoti, tribuit filios, eosdem Sigeberto in secunda exsule, et Theodeberti filio genitos memorat. Et de Habsburgiensium auctore primo perinde haesitat et vacillat. Luitfridum namque facit primû Ottoberti II. filium, primi nepotem, Sigeberti Guntramo Rege geniti pronepotem. In secunda ipsum Ottobertum Sigeberto exsule, et restituto natum tradidit. Fictum quoque est, quod Menlius in Epitome Chronici principalis memorat, Ottobertum Habsburgi Comitem, Theodeberto Burgundiae Rege, Chilperici filio generatum, cum nullos ei Aimo filios attribuat, qui pluribus ejusdem Theodeberti alias vitam, impiaque, et sacrilega facinora, et postremo necem notavit (o). Sed ut Ottobertum ejus falso filium extitisse scribit Menlius, ita quoque male ipsum vocat Burgundiae Regem, et Theodoricum alterum filium, qui in eodem successerit

(e) Ipsemet Latzius Lib. I. cap. 5. comm. quem satis clare refutat auctor Burgund. Chr. (f) Lib. IV. cap. 5. Hist. Franc. et seqq. (g) Teste Latzio. Comm. Lib. I. cap. 1. (h) Libell. de orig. Habsb. cap. 3. (i) Theatro principum.

(k) Comment. Lib. I. c. 5. et in praefat. (l) Ibidem. (m) Hieronymus Bara de insignibus parte ultima. Ludovicus Gallusius memoriarum Burg. Lib. II. cap. 37. alib. uterque Gallice. (n) Toto pene Commentario primo. (o) Lib. III. cap. 12. et alib.

ſerit regno, reliquiſſe, (p) quod, ea tempeſtate, Guntramus, non Theodebertus Chilperici tenuit. Tertiam ejusdem Menlii opinionem, uti et Stabianam, idem qui retulit, ut ſuperius diximus, confutavit pluribus Volfgangus Latzius. Sundheimii, et Spiegelii manifeſta vanitas, et Hiſtoriæ, Genealogiaeque Franciae inſcita inſcitia eſt. Neque enim Chilpericus ullum unquam Ottobertum Provinciae Regem procreavit, omnium Hiſtoricorum conſenſu; multo minus iſte Ottobertum Jurae montis Principem. Sed nec potuit; cum Provincia ad Regnum Burgundiae pertineret, et per patricios regeretur, cui regno tum, ut praediximus, Guntramus praeerat, non frater Chilpericus, multo etiam minus filius Chilperici Ottobertus, aut, ut alii, Theodoricus. Seri Provinciae Reges, et nonniſi ſub Carolinis. Eadem ratio eorum qui Hugoberti, aut Attici ſtirpem Habsburgienſes volunt. Praeter enim meras conjecturas, an fabulas, nihil adſerunt, eas neque firmant; nullis argumentis, nullis auctoritatibus fulciunt. Quaſi vero quia Dux Transjuranus Hugobertus, ab eo Habsburgienſis Comes Ottobertus: aut quia Elſatiae Atticus Landgravius, quod tamen etiam dubium, neque ulli ſatis hactenus probatum, Attici Habsburgienſes poſteri, quia Elſatiae Landgravii. Poſtremo id enimvero clarum, et abunde probatum, neque Sigebertum Theodeberti Auſtraſiae Regis, fratris Theodorici crudelitate contrucidati, quem volunt, filium HABSBURGIENSIS ſtirpis fuiſſe propagatorem, et tantae Domus columen, et fundamentum, neque Chilperici Theodebertum, aut Ottobertum Theodorici: incertos pariter, et nulla hanc partem auctoritate, et fide, qui ab Hugoberto, aut Attico Ducibus deducunt, multo magis qui ab Regibus Guntramo, aut Childerico, et non diſpari ratione, at fronte meliori, poſſe ſperni omnes et rejici, qua ipſi inſcitia, impudentiaque et pervicacia quidlibet negare, adſerere, confirmare, fingere non ſunt reveriti, Caeſaris optimi Maximiliani gratia, et benignitate abuſi faedius, dubito, an arrogantius. At mihi de te RUDOLFE Imperatorum prudentiſſime, certa ſpes, gratiora tibi futura ea, quae ſolido fundamento, et indubitatis veterum ſcriptorum teſtimoniis attinentur, et demonſtrantur, quamvis fortaſſe haud ita in vulgum ſplendida, et magnifica, inanium manifeſtum, et integritatis, canaeque virtutis, et nominis incurioſum; quam ficta et fabuloſa, ex incerto et vano petita, pompoſa licet, et plauſibilia. Igitur ad inſtitutum veniamus.

(p) Confutat quoque Latzius Lib. I. cap. 5. et 6.

LIBER SECUNDUS.

CAPUT PRIMUM.

VINDONISSENSES COMITES fuiſſe, qui iidem Altenburgienſes, et poſtremo nova ab arce Habsburgienſes. De Vindoniſſae, clariſſimae quondam Civitatis, antiquitatibus.

NON LONGIUS ABEO. VINDONISSA ego oriundos, VINDONISSENSES COMITES dictos, et ALTENBURGIENSES, poſtremoque, condita nova arce, HABSBURGIENSES adſero, et probo. Sed de VINDONISSA primo pauca ex antiquis. (a) Clara ejus et celebris priſcis, et Romanis ſcriptoribus memoria, urbium Helvetiarum, ſicuti Aventicum, caput, et Epiſcopalis, ut illa, ſedes. Latere ſiniſtro Urſam; dextro Arulam attinebat. Utriuſque confluentis angulum complebat. Ponte Arulae, cujus adhuc monumentum, et reliquiae ex commoditate oppidum Bruck remanſit, hinc in Rauracos, et Auguſtam Rauracorum, Sequanos, Mediomatrices, et Germaniae inferiora: alio ad Urſam in Germaniam ſuperiorem, Rhetiam ſcilicet, Noricum, et Pannoniam, verſus Aquas, Vitodurum, Fineſque et Arborem Felicem, itinere recto, dimittebat, pro quo nunc navigii ad trajiciendum uſus, locum TRAJECTUM VINDONISSENSEM nominant, clarum per haec tempora quoque frequentia, et portoriis. Paulo infra etiam Lindemagus ex lacu Tigurino Arulam inlabitur. Ita trium totius Helvetiae maximorum fluminum ad illam, et in ea confluxus, Arulae, Urſae, Lindemagi. Et inde ex omni regione concurſus, mercimonia, frequentia, opulentia. Nec Rhenus ipſe procul, in quem junctim eadem tria flumina infunduntur (b). Vix paſſuum millia ſeptem. Adeo ut nulla Helvetiarum, neſcio an et Germaniae totius, urbs, commoditate loci; ſed et ubertate ſoli, vini, granique feracis ad illam certare potuerit, ut non immerito admiratio ſaepius ſubierit, cum reliquarum urbium, et oppidorum, quae perdidere barbari, aliqua reparatio pene omnium exſtiterit, hujus ne rudera quidem, niſi ſolo tenus, et praeter nomen, paucaſque caſas omnino nihil ſupereſſe. Numi omnis generis totis campis frequentiſſime eruuntur, eorum fere Imperatorum, quorum temporibus maxime Vindoniſſa Romanis habita, et culta, aut rurſus reparata, cum hoſtes evertiſſent, Neronis, Galbae, Veſpaſiani, Trajani, Hadriani, Antoninorum, Maximiani, Conſtantii, Conſtantini, Gratiani, Valentis, aliorum. Urnae vero ſepulcrales nonnullae adhuc apud Campum Regis oſtenduntur vico Vindoniſſa, ad confluentes ipſos Arulae, et Urſae repertae. Viſitur quoque in angulo templi D. Martini,

(a) Lib. I. Antiq. Helv. cap. 4. et 11.

(b) Apud Vicum Confluentiam e regione Valdshuotti opidi.

eodem vico, licet aegra, et fatiſcens, e ſaxo Mercurii effigies, dextra marſupium, ſiniſtra ſceptrum tenens. Ad pedes adcubat hircus roſea corona redimitus, cujus interpretamentum, aliis clara eruditione viris quaeſitum, et traditum (c). Eſt et ab altero aedis ejusdem latere, niſi fallor, gratiarum nexus. Apparent denique campo in patenti, intra tamen civitatis, ut credibile, moenia, amphitheatri veſtigia, ſive potius, meo quidem judicio, magnae alicujus aedis. Neque enim fundamentorum quae videntur amplitudo, urbis magnitudini ad amphiteatrum reſpondere videtur, ſpatio contractiore, et ad capiundam tantam multitudinem parum capaci. Haecque ſunt univerſa quae de Vindoniſſa reperi monimenta, aut inaudivi. Cetera cuncta vis hoſtilis, tempus, incuria ſubvertit, hauſit, corrupit, an contemſit, pauca in Monaſterii Campi Regis fabricam uſus convertit (d). Prima t.men illi ex Romanis clades. Alienus Caecina attulit, Vitellii Imp. Dux belli. Pro Galba contra Vitellium ſtabant Helvetii. Ipſi Aquarum caſtellum, vulgo Badam oppidum, ſuo milite, et ſtipendio tuebantur. Id ſtipendium rapuerat una et viceſima legio. Ea injuria perpulit Helvetios, ut literas, quas Pannoniis ad partes ſollicitandis Germanici ſcribebant exercitus, interciperent, qui ferebat centurionem, et alios militum in vincula raperent. Quod facinus non minus Caecinam irritavit. Igitur legiones Germanicas omnium fortiſſimas, et formidatiſſimas intulit, inopinato caſtellum invaſit, diripuit, vaſtavit. Helvetii, ea trepidatione, et caſu, Claudium Severum Ducem fecere, gentem apud Vindoniſſam coegere, propugnamenta curavere. Sed ſive longa pace, et armorum deſuetudine, aut quia hoſtem ſe potiorem intelligebant, vel Galbae morte jam ſero cognita, poſtremo, ubi Romanus ductor cum copiis adfuit, animis defecere, caeſi, fuſi, fugati ſunt. Luculente, ut cetera omnia, Cornelius Tacitus de Caecina, et hac ſtrage. *Irritaverant*, (e) inquit, *turbidum ingenium Helvetii, Gallica gens, olim armis, viriſque mox memoria nominis clara, de caede Galbae ignari, et Vitellii imperium abnuentes. Initium bello fuit avaritia, et feſtinatio una et viceſimae legionis. Rapuerant pecuniam miſſam in ſtipendium Caſtelli, quod olim Helvetii ſuis militibus, et ſtipendio tuebantur. Aegre id paſſi Helvetii, interceptis epiſtolis, quae nomine Germanici exercitus ad Pannonicas legiones ferebantur, centurionem, et quoſdam militum in cuſtodia retinebant. Caecina belli avidus proximam quamque culpam, antequam poeniteret, ultum ibat. Mota propere caſtra; vaſtati agri, direptus, longa pace, in modum municipii extructus locus, amoeno ſalubrium aquarum uſu frequens. Miſſi ad Rhetica auxilia nuncii, ut verſos in legionem Helvetios a tergo aggrederentur. Illi ante diſcrimen feroces, in periculo pavidi, quamquam, primo tumultu, Claudium Severum Ducem legerant, non arma noſcere, non ordines ſequi, non in unum conſulere. Exitioſum adverſus veteranos praelium, intuta obſidio, dilapſis vetuſtate moenibus: Hinc Caecina cum valido exercitu; inde Rheticae alae, cohorteſque et ipſorum Rhetorum juventus ſueta armis, et more militiae exercita. Undique populatio, et caedes. Ipſi in medio vagi, abjectis armis, magna pars ſaucii, ac palantes in montem Vocetii perfugere, etc.* Qua in narratione licet Vindoniſſae non meminerit Tacitus, ſed *intutam* ſolum fuiſſe *obſidionem, dilapſis vetuſtate moenibus*, dubium tamen non eſt, quin ea fuerint Vindoniſſae moenia. Nam Caſtellum Aquarum non fuiſſe, inde patet, quod jam vaſtatum eſſet, cum de hujus ruinoſis moenibus memorat, ût poſt Caſtelli populationem Helvetii multitudinem ſuam videantur feciſſe, idque apud Vindoniſſam, Urbem, illa parte, capitalem, campo, qui verſus meridiem latiſſime patet, Birenfeld nunc vocant, bellique in ea conſilia, licet ob ſententiarum diſparitatem inutilia, iniiſſe, et an muros intra hoſtem exſpectarent, conſultaviſſe; quod ſecurum haud perinde viſum, quando munimentorum aetas, et ruinae obſidionem non tolerarent. Quae omnia ad Aquas attingere non poſſunt, quae, ut diximus, jam direptae, et populatae. Addo Vocetii mentionem, Voetzberg nominant, qui Juraſſi pars, et principium, éque ipſius Vindoniſſae conſpectu, adeoque proximus, ſolo omnino Arula interlabente, et montis radices, ſiniſtro curſu, perſtringente. Exiguum ſane inter utrumque locum, Aquarum, inquam, Caſtellum, et Vindoniſſam, intervallum, cujus illud veluti propugnaculum, neque extra paſſuum millia ſex, via pene plana, et campeſtri. Haec clades, poſt Julianam victoriam centum viginti annis, longe Helvetiis, et Vindoniſſae acerbiſſima accidit, quia non ſolum magnam libertatis partem illi perdiderunt, ſed etiam praeſidia Romana accipere haec coacta. Confeſtim enim Vindoniſſae praeſidium impoſitum, non jam modo continendae genti; ſed uſui quoque in Germanos. Auctor idem Tacitus, qui ſequenti ab hac vaſtitate anno, cum Civilis Batavi (f), et Germaniae rebellionem, et bella narraſſet, omnia undique Romanorum hiberna incenſa, et exciſa memorat, praeterquam Maguntiaci, et Vindoniſſae. *Cohortium*, ait (g), *alarum, legionum hiberna ſubverſa, cremataque iis tantum relictis, quae Maguntiaci, et Vindoniſſae ſita ſunt.* Legionem vero eamdem unam et viceſimam ibidem poſtea agitaſſe idem nunquam tacendus Tacitus, alio loco, innuit, expeditionem ubi Domitiani in eoſdem rebelles refert. *Atque interim*, inquit (h), *una et viceſima legio Vindoniſſā: Sextilius Felix cum auxiliariis cohortibus per Rhaetiam irrupere.* Hinc ejus amplitudo, et fama: Sed praecipuam dignitatem attulit, invaleſcente per orbem Romanum Chriſtianiſmo, Epiſcopalis in ea collocata ſedes. Primus enim Vindoniſſae Helvetiorum Epiſcopatus: primum ibi BEATUS ſacerdos Anglus, ab Apoſtolorum principe PETRO, cum ex Brittannia Romam rediret, conſtitutus Epiſcopus. Antiquo in Conciliorum libro Epiſcoporum Vindoniſſenſium adhuc nonnullorum memoria. Sigiſmundus Rex Burgundiae concilium Epaoni (i) agitavit, in quo BUBULCUS EPISCOPUS CIVITATIS, ET CASTRI VINDONISSENSIS interfuit. A. D. N. DIX. Childebertus quoque Francorum rex, Clodovei M. filius, et Huldrada Regina Aurelianum V. celebraverunt XXVIII. Octobris A. D. N.

(c) Viro clariſſ. et ampliſſ. D. Marco Velſero in ſuis accuratiſſ. et doctiſſ. Vindelicis. (d) Teſtatur fundationis libellus. (e) Lib. I. Hiſtoriarum. A. D. N. LXX.

(f) A. D. N. LXXI. (g) Lib. IV. Hiſtoriar. (h) Eodem Lib. (i) Beſme comitatus Burg. opid.

N. DLII. cui GRAMMATIUS EPISCOPUS VINDONISSENSIS subscripsit. Reperiuntur etiam ante utrumque PATERNUS, et LAUDO Episcopi Vindonissae, sub primis Burgundiae regibus. Reliquorum ab Beato nomina, et successionem, faedae, et cruentae Christiani nominis persecutiones aboleverunt, igne exstinctis, Imperio Diocletiani, et Maximiani denique, omnibus pene Christianae pietatis monimentis. Childebertus II. Austrasiae, et Allemanniae Rex, cum morte Guntrami patrui, et ejus adoptione regnum quoque Burgundiae suscepisset, multique per Allemanniam, Tigurino pago, circaque Brigantinum lacum, et Vindelicos, Ulmam usque Christo nomen darent, neque Episcopum haberent, Cathedralem sedem Vindonissa Constantiam transtulit, locum totius illius tractus pene medium, A. D. N. DXCVII. regni sui Austrasii XIII. Burgundiae I. Neque tamen Vindonissae sic quoque auctoritas penitus antiquavit. Nam, ea etiam translatione, receptum nihilominus Vindonibus, ne jura, et judicia Constantiae peterent, sed Episcopus potius Constantia Vindonissam veniret, aut Vicarium eo cum potestate mitteret, qui judicium daret. Acta Murensis Monasterii: *Cum Abbas Murensis benedicitur notam faciat Episcopo constitutionem hujus loci. Populus enim iste vadit ad condictum Episcopi, quo et ceteri ejus pagi convicanei vadunt, scilicet, ad Vindonissam, ibique jus Ecclesiasticum audiet, et judicium sustinebit, sicuti constitutum est omni sanctae Ecclesiae.* Duravit is mos etiam A. D. N. MCXXXVI. ex eodem libello. Vindonissae vero erat adhuc Decanus sub Friderico Ahenobarbo Notgerus. Controversiam enim ortam inter Schoenisii Rhaetiae Antistitam, et Parochum Volensem Vindonissensium ob decumas quasdam cum Hermanus Episcopus Constantiensis composuisset, numerantur inter ejus rei *testes Conradus de Tegerfelde Canonicus Constantiensis, Anselmus Abbas de Mure, Notgerus Decanus de Vindonissa, etc. Facta sunt An. Dom. MCLXXXI. ind. III. praesidente sedi Apostolicae Papa Lucio III. Advocato claustri* Schoenisii *Friderico Imp. Augusto.* Atque hactenus quidem de Vindonissae antiquitatibus, et claritudine vetusta.

CAPUT SECUNDUM.

DE VINDONISSAE EXSCIDIO postremo, Castro Vindonissensi, sive Altenburgo, et in eo Romana legione, Comitumque prima origine, et quomodo Habsburgienses Romanae stirpis videri possint.

MULTA sub Romano Imperio, et interea perpessam ab Germanis, et Allemannis praecipue, VINDONISSAM, postremo sub Diocletiano, et Maximiano Imp. funditus perverterunt, et praesidio exsciso, aut profligato, vastatis omnibus, Allemanni ad Lingones usque et Aeduos populabundi evaserunt. Illis ad ea loca obvius (a) Constantius Caesar missu Imp. Maximiani primo improspere; mox feliciter proelio defunctus, ad Vindonissam rursus repulit, collectosque ibidem, campo supra memorato, magna strage adfecit, totaque Gallia Rhenum ultra profligavit. Unde Panegyristes. *Quid memorem Lingonicam victoriam, et Imperatoris vulnere gloriosam? Quid Vindonissae campos hostium strage completos, et adhuc ossibus opertos?* Vindonissam restituisse idem Constantius Caesar creditur, sed in CASTRUM. Unde libello Provinciarum, paulo post, ut plerique credunt, confecto, et edito, inter Provinciae Maximae Sequanorum civitates ponitur CASTRUM VINDONISSENSE. Et hinc quoque posteris nomen ALTENBURG, Castrum vetus, cum universa gens Vindones, et Vindonissenses, et Episcopi Vindonum, Vindonissensiumque, ut vidimus, ab antiqua civitate, licet excisa, dicerentur. ALTENBURGI sive CASTRI VINDONISSENSIS adhuc reliquiae paulo supra Pontem Arulae, dextra fluminis ripa, quo perstringitur. Ejus ambitus, quantum rudera ostendunt, capax quondam, et amplus, moeniorumque moles incredibilis, latitudo muri quibusdam locis, praesertim secundum amnem, ad pedes sedecim, ovali facie, uti ferme omnia Romanorum castra, quorum in Helvetia superant vestigia, et fundamenta, Vitoduri, Finium, Gaunoduri, Soloduri, Aventici. Aliquot rusticorum aedes, eodem ambitu, et villae modo includuntur; cetera pratis, fructiferarum arborum faecunditis, coluntur. Ibidem passim numi antiqui, lapidesque Romanis literis insignes, aliaque vetustatis, et prisci cultus monumenta reperiuntur, et quotidie pene eruuntur, quorum partim copiam sequentibus facianus, alios alibi vulgavimus. Sed, ut eo redeamus, non solum Castrum Vindonissense condidit ex antiquae Civitatis ruinis Caesar Constantius, sed etiam Vitodurum, XXIII. P. M. ab eo, et quam de se nominavit Constantiam, adeoque toto Rheno, et Danubio, Romana castra, hibernaque reparavit, aut nova instituit, Galliaeque et Germaniae limites veteres firmavit. Castro Vindonissensi, sicuti ante Civitati, legio una relicta, ad extrema prope ruentis Imperii tempora. Argumentum ex Itinerario, cujus auctorem, post Constantinum M. Constantio, de quo diximus, genitum, egisse, scripsisseque conjectantur, quod Byzantium, Constantinopolin interpretatur, quamvis non desint, qui id glossema (b) putant. In illo libro Vindonissae semper una legio. Imo itinere illo quod ab Sirmio Treveros est, non Castrum, aut Civitatem, sed a Finibus (c) VINDONISSAM LEGIONEM nominat, translato in ipsam Civitatis vocabulo, aitque distare XXXV. P. M. recta et exacta computatione. Legionis nomen, aut vocabulum, vel numerum non addidit, aut scriba omisit. Superius unam et vicesimam legionem Vindonissae egisse posuimus, sicuti Justus Lipsius, omnis antiquae virtutis,

(a) A. D. N. CCXCIV. Eutropius Breviario IX. (b) Hieronymus Surita in suo erudito Comment. (c) Pfin viculus nunc ad ripam Tauri dextram.

tis, et eruditionis lumen, et columen, notis in Tacitum emendasse ex historia videbatur. Vulgata editio undevicesimam ferebat. Utrique repugnant inscriptiones militares, quae plures Vindonissae repertae, et reperiuntur. Illae ferme LEG. XI. G. P. F. meminere. Castro Vindonissensi ista jam ante annos plures eruta, et notata.

L. VEGNATIO.
PO. MAXIMO. DO.
FOR. COR. MIL. LEG.
XI. G. P. F. GVSORIVS.
ANN. XLVIII. STIP. XX.
H. S. E.
G. ROSCIUS. OMPHA.
LUS. HER. FAC. CVR.

Hanc vero nuper apud Campum Regis ex eodem Castro, sive Altenburgo, haud multo ante allatam, cum rusticus, qui ibi habet, hortum moliturus eruisset, exscripsimus.

C. VALERI
VS. C. F. VOL.
CAMPANUS
VIENNA. MIL.
LEG. XI. G. P. F.
--OLNI--ANNO. XI.
STIP. XI. T. FE
C. COMINIUS.
NEMAUSUS F.
F. C.

In ea qui characteres innovare conati sunt, jam quaedam corruperant, adeo plus praeposterum quorumdam sciolorum studium, an temeritas, antiquae lapidis memoriae nocuit, quam longi temporis aetas, et superiorum barbaries hominum. Istam quoque ad sacram aedem Gebersdorffi vico prope Vindonissam, altera, sive Ursae ripa dextra eodem tempore notavimus.

M. MAGIUS M. F. PO. MA
CRIVS. VERONA. MIL. LEG. XI. G. P. F.
MARCI. MODESTI. ANNO. XXXIII.
EX. TESTAMENTO. H. F. C.
LENNIUS. SECUNDUS.
Q. ROMANUS VERECUNDUS.
H. S. E.

Ex quibus facile induco animum, Vindonissae fuisse LEG. XI. G. P. F. et Librariorum oscitantia in Vndevicesimam transisse, ex eaque per numerorum facilem lapsum, unam et vicesimam denique procreatam.

Ceterum Legioni praesidebant legati, tribuni, postremo Comites. Et Comites quidem ab antiquo, qui Praetores, Proconsules, Praesides in Provincias comitabantur, negotiorum publicorum adjutores, et ministri, extremo etiam adsessores, et juris arbitri, quorum proinde in Pandectis (c), et auctoribus priscis multa mentio. Constantinus M. cum pluria Imperii mutasset, orbem vero universum Christiana charitate, et benivolentia complexus esset, Comites postea pro sociis in administratione Reipublicae habuit, quos ideo non solum privatis in negotiis, et consiliis adhibuit, quales erant Comites Sacri Palatii, Sacrarum largitionum, Domesticorum, Scutariorum, alii; sed copiis, exercitibus, urbibus, Provinciis praesidere voluit, quibus plures ut honestaret, *Comitum alios in primo ordine collocavit, alios in secundo, alios item in tertio.* Eusebio teste (d). Inde et comitiva primi, secundi, tertii ordinis inter primas et eximias dignitates, et officia fuit. Imo qui prima praeditus, in legione praefectus, et pro legato erat. Vegetius (e). *Proprius autem judex erat praefectus legionis, habens comitivam, primi ordinis dignitatem, qui, absente legato, tamquam vicarius ipsius potestatem maximam retinebat: tribuni, centuriones, ceterique milites, ejus praecepta servabant.* Quamobrem nonnisi spectata virtute, et rebus per Provincias praeclariter administratis, in laudem, proemiumque dabatur. Justinianus Imp. (f) *Qui contemplatione meritorum, ducto intra Provincias marinas strenuissimo milite, primi ordinis comitativam fuerint consecuti.* Provinciis enim, et urbibus, ut diximus, defendendis plerumque praeficiebantur (g). Idem (h) Imperator. *Eos qui sub comitiva primi ordinis dignitate, peculiariter ad quamlibet Provinciam aut Provincias defendendas, milite credito nostri numinis, destinantur.* Qui proinde Proconsulum ornamentis donabantur. Tali nomine ferme militiae Duces apud Ammianum, Capitolinum, reliquos Scriptores eorum temporum, quibus etiam id honoris Imperatores ferebant, ut non solum Illustres, et Spectabiles nominarent, sed etiam fratres. Quod ex pluribus Novellis quilibet videre potest (i). LEGIONI Vindonissae, ut aliis, Comites, arbitror, praefuere, dum Romani Imperii Majestas fuit. At vero cum denique Burgundi Sequanos, Aeduos, et eam Helvetiae partem, in qua etiam Vindonissense Castrum, quamque suo nomine, ad ceterorum comparationem, (k) Burgundiam minorem dixere, armis occupavissent, non illi, ut aliae, eodem tempore barbarae, et ferae, aliis in regionibus gentes et nationes, Romanos milites, aut Duces, et Comites expulerunt, aut ex radicibus exsciderunt, sed potius in regni, et Reipublicae Societatem, et communionem, quantumvis victos, aut deditos, adsumsere, omniaque adeo munera, et officia promiscua, et paria utrimque inter se esse voluerunt, nec alterutram, absque altera, gentem praeesse, aut judicare, rara, et memorabili gentis victricis modestiae fama, et laude. Adfirmant Gundebaldi Regis leges, quas ex procerum Burgundorum, Romanorumque sententia edidit, regni sui Anno II. 3. Kal. Aprilis. Ubi inter

(c) De off. praef. L. XLVI. de off. ass. L. IV. de exc. tut. L. V. de poen. L. V. ad leg. Jul. rep. L. I. de extr. cog. Suet. Jul. Tib. alib. Plin. Lib. IX. cap. 3. Cassiod. Lib. VI. et VII. alii.

(d) Lib. IV. de vita Const. cap. 1. Alciatus de Magist. Libellus de dignit. utriusque Imp. (e) Lib. II. cap. 9. (f) Cod. Lib. XII. cap. 1. (g) Imo Comites non sunt aliud quam Regii Capitanei, ut vocamus, sive exercitus ductores generales, et Campi Magistri. (h) Eodem Lib. cap. 2. (i) Novell. 121. de part. rei dom. Nov. 3. de Palat. ad Flo. de amb. et loc. limit. de princip. ag. i. reb. alib. Cassiod. Lib. VI. variar. (k) A. D. N. CCCCVI. Cassiod. Chron. Prosp. Chron.

ter cetera sancit (l). *Sciant optimates, Comites, Consiliarii Domestici, et majores Domus nostrae: et Consiliarii tam Burgundiones, quam Romani Civitatum, et pagorum Comites.* Romanos vocabant Burgundi, sicut etiam postea Franci, qui eas, antequam ipsi invaderent, obtinerentque, rexerant, et habuerant terras, ut ex iisdem legibus, et Salicis liquet pluribus locis. Mox inter cetera edicit. *Nullam causam absente altero judice, vel Romanus Comes, vel Burgundio judicare praesumat.* Ubi etiam Comes pro judice, sicuti supra, pro urbium, et pagorum, sive regionum gubernatore, et praefecto, aut qui jurisdictionem habet, et imperat. Usurparunt sic quoque Franci antiqui, (m) quos gentilitio nomine *grauven* dicebant, ex canitie, et aetate, quod nonnisi multae experientiae, et prudentiae ad id muneris sumerentur. Ripuariae leges (n): *Si quis judicem fiscalem, quem Comitem vocant, interfecerit, etc.* Paulus hinc Diaconus (o), et continuator Gregorii (p) Turonensis Graviones, latina inflexione, pronunciarunt. Nec posterioribus temporibus Fridericus Ahenobarbus suis in Constitutionibus (q) aliter fere Comites quam pro judicibus dixit. Eadem origine Landgravii; Provinciae alicujus Comites, judices, praesidesque: Marckgravii, limitis comites, et defensores. Pfaltzgravii, Palatii Comites, qui et majores domus, et Praefecti, Rectoresque, et Gubernatores, principesque palatii, antiquis Scriptoribus Aimoni, Eginhardo, Jornandi. Postremo quilibet Praefectus Comes adpellari coepit; Comes stabuli, comes domesticorum, comes Scutariorum, qui equili regio, qui familiae, qui custodiae principis praesidebant, etiam Navarchi ut ad illud Homeri, *Εἷς δέ τις ἀρχὸς ἀνὴρ βουληφόρος ἔστω* pluribus Eusthatius. Nunc quoque triremis praefectum, qui scilicet totius remigii curam gerit, Comitem vocant. Sed Burgundionum, ut supra etiam diximus, illae leges regum, facile me inducunt ut credam, qui prius apud Romanos, et iis imperantibus Comites urbium, et Provinciarum, regionumve fuerant, eadem ferme omnes in dignitate, et administratione apud eos rerum, et Provinciarum, quas retulimus potitos, et victores permansisse, et VINDONISSAE, sive CASTRI VINDONISSENSIS COMITEM, qui prius LEGIONI, et praesidio praefuerat Vindonum, eumdem parti aut omnibus imperitasse. Quae magis ut credam inclinat animus, quod vicina praesidii Vindonissensis milites loca eodem tempore occupasse, insedisseque perspectum habeo, libereque eadem pluribus retro seculis possedisse postea sim ostensurus (r), donec in eorumdem denique Comitum Vindonissensium dominium, unde se subduxerant, reciderunt, aut potius quibus ante paruerant iisdem sese dedidere. Non erant, fateor, a principio perpetuae illae administrationes Comitum, et in stirpem, sive haereditariae; poterant tamen esse, utpote quae arbitrio principum darentur, adimerentur, veluti gubernamenta. Unde argute magis, quam vere etymum Comitum notasse videtur Aimo (s), *quod iis urbes, et regiones committerentur.* Singulis enim fere civitatibus, et urbibus, imo castellis, sui comites, tamquam rectores. Ad quae Paulus Aemilius, eloquentiae, et fidei praeclarus. *Duces*, inquit (t), *initio Comitesque ab regibus praeficiebantur gentibus, civitatibusque, ac, cum videbatur, dimittebantur. Deinde inveteravit consuetudo, ut, nisi sceleris convicti, abire imperio non cogerentur, idque postremo, ut quisque eo munere donabatur, jurejurando regum cavebatur.* Primus, post Burgundos, Franciae Regum qui se hoc juramento obligaverit, fuisse videtur Clotharius II. cum Theodeberto Austrasiae Rege interfecto, et Theodorico Burgundiae sublato, rerum summam consecutus esset, Verneri quidem, et Radonis, quorumdamque aliorum Burgundiae, et Austrasiae procerum opera, et opibus, quos ideo in meritum, conditionemque iisdem Provinciis praefecit, Aimone teste (u). *Clotharius*, inquit, *Monarchiam regni adeptus, Varnarium, cujus instantia regnum fuerat adeptus, majorem domus in ipso constituit regno; dato ei juramento, ne cuncto quo viveret tempore successorem acciperet.* QUOD si eatenus denique HABSBURGIENSES, sive VINDONISSENSES Comites Roma oriundos adfirmant, quatenus Vindonissae, et Castri Vindonissensis Comites et Praefecti Romani fuere, sive a principio Romanorum Imperatorum, eo in loco, gubernatores, et ministri, non longe fortasse a vero recesserint. Et animi fallor, aut ea Ulrici Krieg, et Alberti Argentinensis, et nonnullorum veterum, cum ita scriberent, neque Romanae historiae cognitionem aliam haberent, mens, et opinio fuit, super insita vulgo, cui nihil admirabile, aut egregium, nisi ex conditoribus Romanis, aut auctoribus. Quamvis parum intersit, et per ea tempora ambigo plures Romani, an, uti ipsi primo vocabant, barbari, sive Galli, aut Germani, exterive, rebus, Imperatorum voluntate, et permissu, praefuerint, exercitus ductarint, Provincias administraverint, urbes, et castella insederint, quod ex Cornelio Tacito, Dione, Ammiano, sequentibus minorum gentium, ut ita dicam, scriptoribus facile quivis intelliget. Imo non alii ferme legionibus Romanis, Provinciisque Gallicis, aliisque legati, praefectique, et Comites quam Galli, et indigenae, florente adhuc, et firmo Imperio Romano. Oratio Cerialis apud Tacitum, sub Vespasiano fidem facit, ad Lingonas, Treverosque Gallos rebelles habita. *Ipsi*, inquit (x), *plerumque legionibus nostris praesidetis, ipsi has, aliasque Provincias regitis, nihil separatum, clausumve.* Postremo id obtinuit, ut ubi Romanorum praesidia, hiberna, castra, majorque frequentia, Comites, pariter essent, superessentque, multa apud posteros celebritate, et potentia. In Helvetia certe. Sic Vitoduri, (ubi quoque praesidium, et una contra Allemannos, et Lentienses, Vindelicosque legio, notante Itinerario,) COMITES VITODVRANI, aut VITODURENSES, qui nova ab arce haud procul opidum KIBVRGIENSES sese postea denominarunt. Ab Aquis, sive Castello Aquarum, AQUENSES: Arbore Felici, ARBORENSES, qui postremo ordinem exue-

(l) LL. Salicarum. Burg. Allem. libellus. (m) Greg. Tur. Lib. VII. cap. 2. (n) Capite 55. (o) Lib. V. Hist. Lang. cap. 36. (p) Cap. 41. et 73. (q) Praecipue de pace tenenda. (r) Libro IV. (s) Lib. IV. cap. 16. et Lib. V. cap. 1. Petrus Divaeus Antiq. Belg.

(t) In Chilperico. (u) Lib. IV. cap. 6. (x) Lib. IV. Hist.

eruerunt, et ad Barones transierunt: Aventico, AVENTICENSES: Rotundo Monte, ROTUNDOMONTANI: Vindonissa VINDONISSENSES. In Elsatia quoque Comites ARGENTUARIENSES; Comites TRIBONENSES, qui nunc Horburgienses, et Kirchheimenses. Milites enim Romani, et praesidiarii non sua solum stipendia accipiebant, sed limitares agros, aut ex hostibus captos colere, et in usum vertere poterant, Valentiniani, et Theodosii rescripto (y), sicuti, et Duces, et Comites. Primus, credo, Imperatorum Alexander fuit qui permisit, si Lampridio fides. Ita enim ipse de eo (z). *Sola quae de hostibus capta sunt, limitaneis ducibus, et militibus donavit, ita ut haeredum essent, si haeredes militarent, nec umquam ad privatos pertinerent. Addidit sane his animalia, et servos, ut possent colere quod acceperant* (aa). Servos nempe, et jumenta pariter ex hostibus. Unde illa Probi Imp. (bb) qui Galliam barbarorum tyrannide liberarat, et ultra Rhenum Imperii limites ad Nicrum, et Albam produxerat ad S. P. Q. R. *Omnes jam barbari vobis arant, vobis jam serunt etc.* Paulo post. *Arantur Gallicana rura barbaris bobus, et juga Germanica captiva nostris praebent colla cultoribus.* Castella etiam, et territoria adjuncta Comitibus, et tribunis, et nonnunquam honoratioris militiae ordinibus dabant Imperatores, aut ex eorum liberalitate, et conniventia possidebant, uti ex Honorii, et Theodosii edicto (cc) liquere cuilibet potest.

(y) Cod. L. XI. cap. 59. l. 3. (z) In ejus vita. (aa) Imo ea obtinebant, ut qui optimo jure. (bb) Vopiscus Probo. (cc) Cod. eod. Lib. et cap.

CAPUT TERTIUM.

DE VINDONISSAE ANTIQUIS Comitibus. A quibus Habsburgienses.

DE Comitum ortu officio, dignitateque, et VINDONISSA dictum satis. Non quod ego inde profecto, et ab prima origine, et jure, quo Castrum tenuerunt Vindonissae, HABSBURGIENSES COMITES per gradus, et stirpes ad RUDOLFUM I. Romanorum Regem, nunquam interrupta serie, deducere, et contexere coner, aut sperem, vane, et perperam alii aliunde tentavere. Mihi satis Vindonissa progenitos, aut Castro Vindonissensi Altenburgove, ostendisse. Liber fundationis Murensis Monasterii, quem ego, praeter instrumenta, vetustissimum, et certissimum auctorem super hac re habeo, sequorque, aperte LANDOLUM, aut LANCELINUM vocat Comitem ALTENBURGI, sub Othonibus, ubi de ejus regionis incolis ante conditum Monasterium adserit. *Habuerunt*, inquit, *hic quidam divites, liberique homines curtim, quorum et ipsa Ecclesia fuit, qui rogaverunt* LANCELINUM COMITEM DE ALTENBURG, *filium* GUOTRAMI DIVITIS, *ut esset defensor suarum rerum.* RATHBOT Lancelino genitus, teste eodem libello, et omnium consensu, in antiquissimo apud Heremum Deiparae Matris, vitarum codice pergameno, nominatur expressius COMES DE VINDONISSA, eo in loco, quo ITAE Lotharingae ejus conjugis excessus notatur, his verbis: X. KALENDAS AUGUSTI OBIIT ITA COMITISSA, UXOR COMITIS RADEBOTONIS DE VINDONISSA. Ab hoc autem RATHBOTONE ortos reliquos HABSBURGIENSES ad usque RUDOLFUM Regem, et deinceps AUSTRIAE DUCES, et ARCHIDUCES, omnes qui hactenus in hac materia commentati sunt, consensere. Sed Eckgerardus continuator Raperti, Monachus S. Galli, qui sub Lothario II. Imp. ante annos supra quingentos vixit, et scripsit, multo ante, Carolo Crasso scilicet imperante, LANDOLUM comitem celebrat (a), (alia exemplaria Landalohum, alia Landolinum, postremo etiam Lancelinum nominant). *Cujus*, inquit, VINDONISSA *cum multis aliis haereditas erat.* Is apud S. Gallum eductus, et insigniter doctus, mox Trevirensis Archiepiscopus (alia exemplaria Tarviensem Archiepiscopum vocant, et nonnunquam Episcopum) per virtutem, et eruditionem factus, cum saepius Vindonissa, et Altenburgo Romam, superatis Penninis alpibus, proficisceretur, inde rediens per septimum montem, Juliarum Alpium partem transire semper, et apud Comitem Hartmuotum S. Galli Abbatem propinquum suum, et amicum devertere solebat, eodem auctore teste. Postremo ita vitam instituit, ut beatorum numerum auxisse credatur. Fuisse autem ejusdem familiae, praeter quae Eckgerardus, argumento quoque sit, quod plures in ea Landoli. Sed jam, Dagoberto M. Franciae Rege THEODIBALDUM comitem Vindonissae reperio. Ejus, uti Ursini, qui Maximo, alii Maxentium vocant, primo Constantiae, et ultimo Vindonissae Episcopo, post Rudolfum tertius successit, subque eodem Dagoberto Episcopatui praefuit, barbaram hanc Vindonissae ex cocto latere, Templo S. Martini, quod communibus opibus fabricarant, memoriam descripsi, quamvis propter literarum ex antiquitate, et materia fugam, incertum Theodibaldus, an Velibaldus legi possit, an debeat. Inscriptio talis est.

† IN ONORE SCI
MARTINI E[PI
VRSINOS EB
ES[VBET(O IↃE
TIBALDUS † LIN
ᒪVLFUS FECIT.

Et prope animum induco, ut eum Theodibaldum, sive Velibaldum esse credam, quem Aimo (b) Ultrajuranum patricium sub Ludovico I. Dagoberti filio generis nobilitate, et divitiis sese extollentem facit, cui frater erat, Amelbertus, sive Adelbertus, trito genti Habsburgiae vocabulo. Imo qui Ottoberti Elsatiae, et Brisiacae Landgravii, quem tot auctores, tot sententiis, et contentionibus requirunt, potius genitorem credat, non aberret a tempore, loco, antiqua

(a) Lib. de casibus Monasterii S. Gall. Mscr. (b) Lib. 4. cap. 39. et 40. et Cont. Greg. Tur. cap. 79. et 90.

qua Altenburgiensium potentia; et mecum sentiat. Atque haec fere de origine et antiquitate HABSBURGIENSIUM, ex VINDONISSAE Comitibus, (nam quis HABSBURGUM eorum condiderit, quique PRIMI eo nomine usi sint, in loco (c) reddemus) haud quaquam, uti diximus, prima, et perpetua successione, quae aliis, sive a Francis, et Trojanis, sive ex Romanis, aut quibuscumque aliis nimium facilis fuit. Me satius aliqua ignorasse, quam incerta pro adfirmatis usurpavisse. *Nec scire fas est omnia*. Quod tamen si postremo auctores illi tanto opere gentis gloriam adfectant, non video cur potius HABSBURGIENSES a Francis regibus ducere debeant, quibus eo, quo Sigebertum illum suum, Ottoberti patrem, aut ceteros, ortum volunt tempore, nihil faedius, maculosius, crudelius terra tulit; ut miraculo sit, aliquem in tantam spem, et gloriam iis concipi, et nasci potuisse; quam ab ante dictis Suevis, aut potiùs Helvetiis Gallis, *gente olim armis, virisque*, inquit Tacitus (d), *mox memoria nominis clara*, quique, teste Julio Caesare (e), *reliquos Gallos virtute praecederent*, quorum amicitiam, foederaque nunc quoque AUSTRIACI PRINCIPES cum orbis imperium teneant, amplectuntur, coluntque: Aut etiam Romanis, non, inquam, Perleoniis illis ejectis, et profugis, sed Vindonissensis praesidii praefectis, et Legionis Vindonissae Comitibus. Extant certe adhuc versus, tempore Rudolfi Regis facti, in ejus, et secundae conjugis Annae honorem, et laudem, qui genus utriusque referre malunt ab Allemannis, inter quos tunc, et multo ante, uti nunc quoque magna Helvetiorum pars. Versus sunt infra positi.

Rex RUDOLFUS *et inlustris Regina dat* ANNA,
Natio quod floret jam prae reliquis Alemanna.
Nam RUDOLFUS *et* ANNA *quibus precor omnibus annis*
Ut sit honos virtusque, trahunt genus ex ALEMANNIS.

MIHI operae pretium erit a GUOTRAMO supradicto Comite ALTENBURGI, sive VINDONISSAE (in eodem enim utrumque ut saepius meminimus, situ, et loco, et ipsum ex hujus ruinis) qui ante Othonem M. Imp. et sub eo tanta jam potentia, et fama erat, ut DIVITIS cognomentum ab opulentia obtineret, ad haec usque tempora, per annos prope septingentos HABSBURGIENSEM stirpem, memoriamque certo, et manifesto ordine explicasse. Et nescio an aliam terrarum orbis tulerit, quae longiori, et clariori stemmate majores ciere queat. Nullam profecto dedit, quae tot humano generi Principes, Reges, Imperatores procrearit: quae longius, latius gestis, potentia, fama, gloria pervaserit: quae tot nationibus, Provinciis, regnis imperitarit, ut prius terra quae illos capiat deficere videatur, quam HABSBURGIENSIUM, quis eamdem moderentur, virtutes.

(c) Lib. IV. et V. (d) Lib. I. Historiarum. (e) Comment. I. Belli Gall.

CAPUT QUARTUM.

DE VINDONISSAE COMITATUS finibus, ejusdemque nobilitate.

NIHIL extra propositum facturum arbitror, si prius de Vindonissensi Comitatu, et ejus finibus, Elsatia quoque et Brisiaca, insignibusque Habsburgiensium, et Austriacorum, quam brevissime potero differam. Vindonissae Civitatis ut lata, et ampla pomoeria ab initio; ita postremo angusti ejusdem comitatus fines. Quidquid inter Arulam, et Ursam amnes, Aroviam opidum, et montes illos, qui fertili, et clementi jugo comitatum ab illo Lentzburgiensem disparant, Mellingam usque. Sed praeterea quidquid ultra Arulam ad Vocetium, utroque montis latere, situm est, nunc Biberlleinensis prope jurisdictio, et Schenckenbergensis. Quam regionem cum postea libera officia, comitatus Lentzburgiensem et Aquensem, et quidquid illam circumjacet, pactis, amicitia, aut haereditatibus accepissent, ad omnium discrimen, quasi avitum, et proprium patrimonium Habsburgienses Comites, et Austriae Duces (a), im Aigen, solito, et trito vocabulo nominavere. Ab Oriente confinem habuit comitatum Aquensem, ab Occidente Froburgiensem, versus meridiem Lentzburgiensem, ab Septemtrione denique Rhinfeldensem, et Hombergensem, omnes, eadem ratione, conjunctos, et veluti cognatos. Opida in eo Arovia, Biberstein, Pons Arulae, Mellinga (b). Aroviae nomen recens, antiqui Rore dixerunt; In eo loco, postquam Vindonissa occidit, publicum Comitatus, imo totius regionis concilium, rerumque, et negotiorum tractamenta. Colligo ex Ulrici Comitis Lentzburgiensis literis, quibus post obitum filiorum Arnoldi, Ulrici, et Rudolfi, cum praeter Heinricum, quem Beronae parentibus suis, et a se fundatae, ut ostendit, praeposuerat, neminem ex se natum haberet Advocatum eidem Canonicae, ut appellat, post Heinrici mortem Arnoldum instituit, ex Arnoldo nepotem, simul reditus, ac possessiones, quaeque Advocati, quaeque Canonicorum essent, sapienter dispartivit, Rorae. Finis enim, et conclusio instrumenti. *Acta sunt haec in publico mallo Rore, sub Comite Ulrico, testibus, Segibotto, Ecco, Imo etc. Anno Dominicae Incarnationis MXXXVI. Ind V. Idus. Februarii Luna VIII. Anno autem Domini Conradi Regni XII. Imperii IX. feria II.* Malli nomen ab priscis Francorum institutis. Mos enim genti, in litibus, ut actor sumtus, conviviaque et comissationes, quas facerent arbitri, aut judices, donec pronunciarent, exsequeretur, quae in reum, et condemnatum, post sententiam, redundarent. Unde vulgata illis formula (c), mannire ad mallum, corruptis in latinum Germaniae vocabulis, quod erat ad causae dictionem et in jus vocare. Germanis remanet nunc quoque trita vox Mallstat, judicii publici sedes. Ab ea frequentia, et cele-

(a) Ex diversis inst. et Chro. Mscr. protocollo quoque Alberti I. Regis jussu edito MCCCIII. An. (b) Quamquam de hoc dubito. (c) L L. Salic. cap. mannire.

celebritate, postea quoque Vindonissensis regio, et illi adnexa Libera officia, Comitatus Rore nominata. Ita adpellavit Monasterii Murensis, ut ipse se indigetat, conditor, Vernerus ex Comitibus Altenburgi Episcopus Argentinensis. Ita qui conditum confirmavit, in suam protectionem recepit, centum pene post annis Henricus IV. Imp. Eumdem locum Habsburgienses Comites, et Austriaci postremo Duces, semper coluerunt maxime, et adamarunt. In arce etiam Rore asylum, sive impunitatem instituerunt, quae nonnisi ea in curiam opidi, fossis expletis, ab civibus conversa, abolevit, et in templi caemiterium translata est. Comitatus nobilitas multa. Praecipui nominis a Vildenstein, comitum dapiferi, ab Vildechk, eorumdem pincernae sive pocillatores, a Biberstein Barones, a Kenigstein, a Schenckenberg Barones, Lorraech, a Lichtenau, Gauuenstein, Ruchenstein, Vlinge, Besserstein, a Vole, Castello, Valdbersberg, Bruneck, Ringinge, qui etiam pincernae, Vessenberg, Urgis, Elsinga, Veldheim, Thaldeim, Chittinga, Remminga, Mandaco, Essinga, Kilchberga, alii plures, utroque, ut diximus, Vocetii latere.

CAPUT QUINTUM.

DE ELSATIAE SUPERIORIS COmitatu Provinciali et Sequanis.

OBTINUERUNT praeterea Habsburgienses Elsatiae superioris, et Brisiacae comitatus provinciales, Landgraviatus nominant. Sed quis ejus familiae praefuerit primus, quaque ratione, aut imperio cujus, vel beneficio, non adfirmaverim. Latzius, Eitzingerus, Heuterus, de Rhoo (a), quique Chronica Helvetiae, et Elsatiae scriptitarunt, et Cosmographus Sebastianus (b) Albertum fuisse memorant, Rudolfi Regis patrem, Elsatiae primum Landgravionem. Non desunt (c) qui regem ipsum Rudolfum primum ferunt, antiquo titulo Allemanniae, et Elsatiae ducatus. Mihi compertum est Rudolfum, Rudolfi Regis avum, ante patrem titulo Landgravii Elsatiae usum, ex instrumento quod suo loco (d) reponam, cum Zeringenses, eadem stirpe oriundi, Brisiacae comitatum possiderent. Imo ex eorum in ea factis fundationibus (e), Elsatiae superioris principatum semper tenuisse videntur, an ab Burgundis primis regibus; aut Lothario Magno, et Francis posterioribus, illi regioni praefecti tamquam Landtgrauuen, hoc est rectores, et judices provinciales? quam dignitatem, et officium, cum temporaria esset, neque ad haeredes transiret, familiae, ob egregiam administrationem et virtutem, perpetuam et propriam fecerint? De Elsatia ita prodidere. Sequanos primo coluisse; eosdem in contentionem ex invidiae aemulatu cum Aeduis venisse; proelio victos, auxilia, qui proxime Rhenum tenebant, Germanos postulavisse. Domitis hinc, et superatis Aeduis, Sequanos quoque avitis sedibus pulsos per eosdem quos imploraverant Germanos. In hunc modum Caesar Julius, sed pluribus; quem cur non audiamus magnum scriptorem, uti et Imperatorem? *Galliae*, inquit (f), *omnes Civitates in duas partes divisae sunt. Cum Caesar in Galliam venit, alterius factionis principes erant Aedui; alterius Sequani. Ii cum per se minus valerent, quod summa auctoritas antiquitus erat in Aeduis, magnaeque eorum erant clientelae; Germanos, atque Ariovistum sibi adjunxerunt, eosque ad se magnis pollicitationibus, et jacturis perduxerunt. Procliis vero cumpluribus factis secundis, atque omnì nobilitate Aeduorum interfecta, tantum potentia antecesserunt, ut magnam partem clientium ab Aeduis ad se transducerent, obsidesque ab iis principum filios acciperent, et publice jurare cogerent, nihil se contra Sequanos consilii inituros, et partem finitimi agri per vim occupatam possiderent, Galliaeque totius principatum obtinerent.* *Sed pejus*, alio loco adfirmat (g), *victoribus Sequanis, quam Aeduis victis accidisse, propterea quod Ariovistus Rex Germanorum in eorum finibus consedisset, tertiamque partem agri Sequani, qui esset optimus totius Galliae, occupavisset.* Tenuere hac ratione Germani, Rege Ernesto, aut potius Ehrenvesto (ita Germanicum ab Caesare corruptum sonat vocabulum, quasi gloriae compote) Sequanorum eos agros qui inter Vosagum, et Rhenum, nunc quoque, et hoc solum in tractu, priscum aliquam partem retinent vocabulum Sundegeuu, Sequanorum ager. Inferiora ad Fines usque, sive opidum Marckhelse, (quod is utriusque Episcopatus Basiliensis, et Argentoratensis, limes, et superior Elsatia, et Sundgeuu nominatur) Harudes eodem tempore, ex altera quoque Rheni ripa, insedere. Adnotavit praeter Caesarem (h), Strabonemque (i), Ursbergensis Abbas. *Est in confinio*, inquit (k), *Alsatiae castellum vocabulo Brissach, de quo omnis pagus Brissacgouve adpellatur, quod fertur eorum fuisse, qui Harelungi dicebantur. Ita per tempus mutata nomina, ut qui olim Brisiaci in Sequanis dicebantur, nunc ad Germanos transierint: et qui in Germania Harudes nunc in Sequanis Harter teneant nomen.* Quod ait, fuisse Brisiacos olim in Sequanis, et ad Germanos postea transisse, etsi nobis novum, nec vulgo cognitum, verum tamen. Mons enim Brisiacus, et Brisiacum opidum antiquitus Galliae, et Rheni sinistra ripa, in Sequanis. Luitbrandus plane in Elsatia posuit. *Est* ait (l), *in Alsatiae partibus Castellum Brissacgauve patrio vocabulo nuncupatum, quod et Rhenus in modum insulae cingens, et naturalis ipsa loci asperitas munit.* Itemque Sigebertus, *Rex Otto*, inquit, (m) *obsedit Brisagam, opidum Elsatiae.* Sed Antoninus, qui nonnisi Galliae oppida, locaque memorat (n), Brisiaci saepius meminit; ut indubitabile sit Sequanorum inferiorum caput Brisiacum fuisse. Arte et manu, an fluminis violentia et diluvie, situm mutaverit, parum exploratum. Vestigia prioris cursus, et dextri marginis manifeste videntur. Pars ea Germaniae in qua ipsum, ut ex Ursbergensi antistite vidimus (o), Brisiaci

(a) Locis supra citatis. (b) Lib. III. Cosmogr. (c) Chronog. Elf. inf. L. II. cap. 23. (d) Lib. VI. (e) De iis Lib. III. et IV.

(f) Commentario sexto. (g) Comment. primo. (h) Eodem Comment. X. (i) Lib. IV. Geograph. (k) Chron. ad An. DCCCCXL. (l) Lib. IV. cap. 14. (m) Ad An. DCCCCXLIII. Chro. (n) In Itinerario. (o) Libell. dign. utriusque Imp.

siaci inde nominati. Postremo inter palatina officia et auxilia Brisigavi seniores, et Brisigavi juniores, sive Sequani Brisiaci, non Germani, qui tum Harelungi. A Finibus, Rhenoque, et reliquo Vosagi latere, Veissenburgum usque opidum, quod Sebusium quidam, aut Sebusiacum antiquo vocabulo dicunt, primo Mediomatrices, post, illis profligatis, et in interiora repulsis, Tribocci, aut Tribonces, ut alia exemplaria habent, et ipsi Germani, coluere, eodem Caesare, Strabone, et Ptolemaeo (p) testibus. Nunc Elsatia inferior, et Landgraviatus (eo enim uti vocabulo liceat) Elsatiae inferioris Episcopo Argentinensi subditus, quondam tractus Argentoratensis sub dispositione viri spectabilis Comitis Argentoratensis (q). Genti universae vocabulum praesens ab amne interfluente, quasi ad Ellum adsidentibus Elsasser, et regio inde Elsassia, sive Elsatia: alii Edelsasser, et Edelsassiam maluerunt, regionis et incolarum ex nobilitate. Ipse fluvius ortus Vosago, qui Jurassi pars, in Septemtrionem declinis, scindit mediam, et in superiorem, inferioremque situ disparat, Argentinaque haud procul Rhenum infunditur. Aimo eamdem in duos comitatus scindit, nominatque (r) Comitatum Alesatium, et Sugitensem, hoc est, Suntgoviensem. Male Wolfgangus Latzius, et qui eum secuti Franciscus Belforestius (s), scriptorque Chronici Burgundici, alii plerique, Sugitensem interpretantur *Helvetiorum cum vicinis Suitiam*. Dagobertus Magnus literis, quibus Rubeacum opidum Ecclesiae Argentinensi donavit, Elsatiam vocat *Comitatum Illesich*. A. D. N. DCXXX. Theodoricus vero Murbacensi privilegio *pagum Alsacensem* A. D. N. DCCXXIV. At Lotharius Caroli M. nepos *Ducatum Alsacensem*, privilegio quoque Murbacensi A. D. N. DCCCXL. alio, *Ducatum Halisacensem*, diplomate concesso Monasterio S. Urticini, *dato in Monte Romarico palatio VIII. Kal. Septembris Imperii Anno XII. regni Italici XXX. Christi* nempe Liberatoris nostri DCCCXLIX. Incolas auctor (t) Appendicis ad Gregorium Turonensem *Alesationes*, *et Alesatios*. Cum Burgundi, ut alibi ostendimus, una cum Vandalis ex Germania Rhenum transissent, ut reliqua Sequanorum, Aeduorumque, et Helvetiae ad amnem Ursam, occupaverunt, ita quoque Elsatiam, certe superiorem, si non utramque, tenueruntque Burgundiae Reges, dum fuerunt. Franci pariter inter Burgundici regni Provincias habuere, donec orta inter Theodoricum Burgundiae, et Theodebertum fratrem, Austrasiae, Reges, controversia, compulsus optimatium utriusque regni judicio Theodoricus, Comitatibus Alesatio (inscite Haillanus Franciae historicus regius (u), itemque Serranus (x), et alii, Alesatium illam vocant regionem quae nunc Artesia Belgicae) et Sugitensi, sive ut praediximus, Sequanensi, Campanensique, et Turonensi fratri concederet, Aimone teste (y), et continuatore Gregoriano, qua ratione, Elsatia, et Sequani regno Mediomatricum adjecti. Postremo variis, ut inter Franciae regios liberos, imperii, regnique partibus, cum tributione, quam Ludovico Pio geniti Carolus, Lotharius, Ludovicus fecere, Carolus Franciam; Ludovicus Germaniam; Lotharius medius incedens Austrasiam, Burgundiam, Elsatiamque, et Imperii titulum obtinuisset; filii, quos reliquerat, Carolus Burgundiae, Ludovicus Italiae, Lotharius Austrasiae Reges, sine progenie mascula, aut legitima defecissent; Ludovico Germaniae regi nepotum ex haereditate Elsatiam sors dedit, sed cui Mediomatrices, Sequani, alia jungerentur; cetera ad Galliae Reges pertinerent, Aimone (z) eodem scribente, sive quisquis continuavit. Ita Mediomatrices, Sequani, Belgae, et Elsatia, in Germaniae imperium ex Gallia lata; Ducique Allemanniae, Mediomatricibus exceptis, qui privos habuere, et Belgis, qui pluribus paruerunt, administrata, diversos inter comites omnibus distributis.

(p) Lib. IV. Cosmogr. (q) Libell. de insignib. magistr. (r) Lib. II. Hist. (s) Mag. Ann. Lib. I. cap. 29. (t) Lib. XI. cap. 37. et cap. 38. (u) Lib. II. Hist. Franc. (x) Inventario gratiali Hist. Franc. Tom. II. (y) Locis supra citatis.

(z) Lib. V. cap. 25.

CAPUT SEXTUM.

DE ANTIQUIS ELSATIAE ET Sequanorum locis et opidis.

LOCA Sequanorum, et Elsatiae antiqua, scriptoribus priscis pauca, Auctori Itinerarii nonnulla memorantur. In Sequanis quidem LARGA, quod Altkirch fuisse crediderim comitatus Ferretae. Ait distare Gramato (Grams comitatus Montis bellicardi) P. M. XXIV. et Vruncis XVIII. ARTALBINIUM, quod Mulhause interpretor. Forte Hartelfinge olim Germanis, ut Tobinium, Zossinge. Post a molinarum frequentia, et usu Mulhause. Ponit inter Augustam Rauracorum, et Vruncas. Ab ea P. M. XXVIII. ab his XII. quae conveniunt. VRUNCAE, Ensisheim opidum, et caput superioris Elsatiae, Camera et Concilio Sequanorum, Elsatiaeque, et Brisiacorum Rhenanarumque Austriae urbium, celebres, ab Artalbinio P. M. XII. et Brisiaco XVIII. Vruncis legio Romana X. praesidio antiquitus contra Germanorum et Barbarorum irruptiones. CAMBETIS vicus, aut quondam opidum, Kemps inter Rauricam et Stabula, veteri nomenclatura. Est vero Cambetis major, minorque. Ille cis Rhenanus; hic ultra amnem. Utrimque Romana in hostes Allemannos praesidia. In Majori nunc quoque multa murorum et aedificiorum subterraneorum vestigia, et rudera. STABULA Pantzenheim nunc, prope Othmarsheim, a Campete P. M. VIII. via militari. Ibi si vertatur solum antiquitatis pluria monumenta reperiri, cernique dicuntur, sarcophagi etiam erui lapidei, et marmoris barbari. Observatum loca Romanos ad devertendum maxime idonea, stabula, aut, ad stabula vocavisse: qualia in Rhetia, Vindelicia, Gallia, Italia quoque recenset plura idem Itinerarii auctor. MONSBRISIACUS de quo supra. Hic legio XV. pariter contra Transrhenanos stationem agitavit. ARGENTUARIAE plures meminere. Antoninus ait distare Stabulis P. M. XVIII. et inde Elcebum (Slestad quidam arbitrantur, quamvis erra-

rare eos Nuearius Comes (a) censeat) P. M. VI. Victor (b) Argentuarium opidum Gratiani Imp. contra Allemannos pugna, et victoria decantatissimum. Libellus (c) Provinciarum Castrum Argentuariense. Nunc Horburgense putant vicum haud magnum, Ello flumini propinquum, et DEIPARAE Matris Sacello, et cultu, dum antiqua, et indubitata religio ibi valuit, celebratum. Ibi adhuc pons, veteris trajectus monimentum. Nobilis olim fuit Comitatus. Post Horburgiensium comitum abitum, Comites Virtenbergenses haereditate occuparunt. Haud procul inde Colmaria, Argentuarii ex ruinis, ut alia multa ex veteribus nova opida. Facit Ptolemaeus (d) opidi in Sequanis mentionem quod Dittacium, aut, ut alia exemplaria habent DIATANNIUM vocat, quod est forte opidum Tan, quod Pinum nominat Gebvillerus (e), traducto in latinum Germanico vocabulo, secundum amnem Durum, qui in Ellum influit, ac Sequanos, sive quam regionem nunc Sundgeu vocant, ab Elsatia superiore dividit, ita quidem ut ejus jam suburbium, sinistro fluminis, Elsatiae superioris sit. Postremo fuit et OLINO quondam locus praesidio Romano cultus et habitus. Ibi enim Batavienses milites, sub dispositione viri spectabilis Ducis militaris. Ut enim tractus Argentoratensis, sive Elsatiae inferioris Landgraviatus, suum habebat Tribone Comitem, sub dispositione viri inlustris magistri peditum praesentalis Germaniae; ita Elsatia superior, et Sequani suum quoque Ducem habuere, qui Dux Sequanici limitis, aut tractus, sive Provinciae Sequanicae vocabatur, et praesidium perpetuum Olinone castello curabat, parebatque praesidi Maximae Sequanorum, qui Velontii agitabat, et uterque viro inlustri Praefecto Praetorio Galliarum. Multa vetustatis monimenta eruuntur Olinone, numi, sepulcra, scripta. Aliquantulum a Rheno subducitur, et Basiliensi trajectu, Hole vocant, pueris quoque, vulgata magnum ibi habitasse regem fabula, notissimus. Et Habsburgienses quidem et Austriaci Duces, Sequanorum primo partem, mox et reliqua comitatu Ferretensi, nobili, et opulenta dote, in domum per matrimonium translato, extra comitatum Montis bellicardi, et Horburgiensium, qui ducis sunt Wirtenbergae, Bruntrutumque et aliis nonnullis, quae Episcopatus Basiliensis continet et habet, possederunt, tum vero Elsatiae provincialem comitatum opulentissimum, possidentque, finibus longe, late, cis et ultra Rhenum propagatis. Brisiacae aliquid jam quoque adjungamus.

(a) Comment. Gall. Belg. (b) In Gratiano Imp. (c) Ptol. Lib. II. cap. 9. Cassiod. (d) Tabul. III. Europ. cap. 9. (e) Comment. Panegyris Carolinae.

CAPUT SEPTIMUM.

DE BRISIACA, SIVE COMITATU provinciali Brisiacorum.

EJUS regionis vocabulum, ut supra diximus, ex castello Brisiaco, postquam in Rheni alteram ripam, sive Germaniam, ex Sequanis et Elsatia transiit. Harelungi incoluerunt. Partem quae ad Harciniae caput, et contra Rhenum, Harudes; quorum etiamsi maxima pars flumen tempore Julii Caesaris transmiserit, et in Sequanis, loco et solo aedepol longe pinguiore, sedes deposuerint; remansit tamen eodem margine nominatio. Posterioribus temporibus in Ducatu Allemanniae, et ejus pars, nomine comitatus, Brisiaca fuit, haud secus quam Elsatia. Hinc nonnunquam Brisiacae loca in Comitatu Allemanniae Ducum sita Imperatores et Reges dixerunt. Ita Otho primus Imp. Lielham vicum Heremitis cum donaret, esse eum in Comitatu Luitholphi filii, quem post obitum Hermanni Ducis Allemanniae praefecerat, donationis instrumento testatum reliquit. (a) „Otho DEI favente Clementia Rex, „etc. Noverint omnes fideles nostri, praesentes „scilicet et futuri, qualiter nos per interventum „dilecti filii nostri Luitolphi, animaeque nostrae „remedio concedimus, atque offerimus Ecclesiae „DEI genitricis MARIAE quae constructa „est in loco qui dicitur Meginrades Cella, et ibi „Deo servientibus Heremitis, quemdam locum Lielahe nominatum etc. in pago Brisachgoviae, in co„mitatu filii nostri Luitolphi, etc. Data V. Idus „Augusti, Anno Domini nostri DCCCCLII. Ind. „X. anno vero Othonis regis XVII. Actum in „Augustburg. „ In Allemanniae enim ducatu fuisse, et Comitatum ex se constituisse, varia instrumenta super pluria ejusdem regionis loca satis demonstrant. Idem Otho Magnus, cum maximas ex Brisiaca et in ea possessiones iis ipsis Heremitis adsignasset, eas uti filius Otho, quem consortem imperii fecerat, confirmaret, voluit, fecitque is in hanc formam. (b) „Otho junior, senioris, divina annuente Clementia, Co„imperator Augustus. etc. Notum fieri volumus, „quia nos, patre nostro dilectissimo ac Coimpera„tore volente, res Ecclesiasticas a se, vel ab aliis qui„busdam, ob aeternae recompensationis spem, loco „sancto Meginrades Cellae nuncupato, etc. concessas, praecepti auctoritate Imperatorii confirmamus „cum locis diverse illo contraditis ac hujuscemodi „subnominatis. Id est: juris sui curtem Riegol vo„catam, cum locis Endinga, Vuenlinga, Chensinga, „Deninga, Burcheim, Baldinga, Rotvilla, Betzen„hausa, Berga, Bochesberga, Zaarda, Hiela, Tutes„uelda, Rihulinga, Birinheim, in Ducatu Alleman„nico, in pago Brisickgouve sitis etc. Data XIX. „Kalend. Septemb. Anno Incarnat. Dominicae „DCCCCLXXIII. Ind. XV. Anno regni Domi„ni Othonis XII. Imperii autem V. Actum in S. „Galli Monasterio Cisalpino feliciter in Domino. „Amen „. Easdem donationes adprobarunt ceteri Imperatores, et Reges. Henricus II. „Henricus, „divina favente clementia Rex etc. Noverit fidelium „nostrorum industria, etc. qualiter venerabilis Ab„bas Virand, qui et verendus nostrae serenitatis ex„cellentiam deprecatus est, etc. Cujus precibus et „ipsius interventu assensum praebentes. etc. Per „hoc praeceptum confirmavimus, et ex integro do„navimus, cum omnibus ad eandem curtem, quae „Riegol dicitur, juste ac legaliter pertinentibus, in „Ducatu Allemannico, in Comitatu Brisickgouve, „subnominatis his locis, Endinga, Vvenelinga, Chen„zinga,

(a) Ex ipso Autograph. (b) Ex ipso Autograph.

„ zinga, Deninga, Burchheim, Baldinga, et cetera lo-„ca, ad praefatam curtem pertinentia. etc. Data „XV. Kal. Julii Anno Dominicae Incarn. MIV. „Ind. I. Anno vero Domini Heinrici secundi Regis „III. Actum in Zurich. „ Conradus II. „Con-„radus, divina favente clementia, Romanorum Im-„perator, semper Augustus etc. Noverit omnium „DEI fidelium, nostrorumque universitas qualiter „nos etc. res a quibusdam, etc. loco Meginrades „cella nuncupato. etc. concessas, praecepti aucto-„ritate Imperatorii confirmamus etc. curtem Riegol „vocatam cum locis Endinga, Vvenelinga, etc: in „Ducatu Allemannico, in pago Brisgouve sitis. Data „XIV. Kal. Septemb. Ind. X. anno Dominicae „Incar. MXXVII. Anno vero Domini Conradi „secundi regnantis tertio, Imperii autem primo. „Actum Turegum. „ Heinricus III. „Heinricus, „divina favente clementia, Rex. Qualiter nos, etc. „res etc. loco sancto Meginrades cella nuncupa-„to, etc. concessas. etc. confirmamus etc. Cur-„tem Riegol vocatam, cum locis Endinga, Vvene-„linga etc. in Ducatu Allemannico in pago Bris-„gouve sitis. etc. Data II. Nonas Febr. Ind. „VIII. anno Incarn. Dominicae MXL. Anno „autem Domini Heinrici III. ordinationis XII. re-„gni I. Actum est Augiae feliciter. „ Reliqui. Verum enimvero Brisiacam maxime celebrarunt Comites ALTENBURGIENSES, conditis plurimis Monasteriis et castellis, et regione, illorum auspiciis, exemplis, et sollicitationibus, ad Christi fidem conversa, et conservata. Summa postremo claritate et gloria DUCES ZERINGENSES, Altenburgiensium posteri, adsecerunt. Non enim modo novis arcibus, et inter eas ZERINGA, circumjectos per montes Brisiacam, tamquam illustri corona, redimivere, sed in ea opida alia a fundamentis extruxerunt, alia turribus et propugnaculis condecoravere. In primis FRIBURGUM fuit, cujus amplitudo, et frequentia, potentiaque Brisiaci splendorem brevi obscuravit. Plura pariter monasteria posuerunt. Denique nihil intermisere, quod ad famam et dignitatem, conservationemque Brisiacae pertinere posset. De quibus omnibus ad sua loca, et in tempore, nos paucula: cetera vir clariss. Joannes Jacobus Beurerus, Caes. Majestatis Friburgiensi in Academia historicus, et Interpres Graecus, in sua ejusdem praestabilis comitatus illustratione, et topographia.

CAPUT OCTAVUM.

DE HABSBURGIENSIUM COMITUM, et Austriae Principum, insignibus.

DIVERSA de illis scriptores recentes sentiunt, magis prodendi ingenii, quam alia ex causa. Pontus Heuterus (a) ait, fuisse *tres purpurei coloris leones, coronis caeruleis redimitos, ac prioribus unguibus in scuto aurei coloris insurgentes.* Latzius (b) insignia eadem Habsburgiensium quae Burgundiae Regum adfirmat, *coelestinam coronam in aureo clypeo, quam*, inquit, *postea leoni suo Clodomirum, Francorum Regem, Clodovei M. Filiorum natu maximum, qui Burgundiam Francis primus subjecerat, Gotomaro, et Gotogisclo regibus debellatis, imposuisse verisimile est; qualia Habsburgienses heroes usque usurpare obscurum non est.* Arnoldus Vion (c) *leonem aureum* instituit, *ad dextram exsilientem in umbone caeruleo.* De Burgundiae Regum clipeo superius dixi. Neque nobis Clodomiri Latzius nugas intrudat, aut triplicet illum quatripedum Regem Heuterus. Vionem antiquo suo relinquo. Habsburgiensium integris sigillis, (alia vidi longe antiquiora, sed aetate cassa, et fracta, ex quibus nihil certi nosci, aut adfirmari poterat) vetustissima quae in manus meas venerunt instrumenta fuere Rudolfi Comitis, Rudolfi regis avi. Arma talia fuere.

(*Ad libri calcem excudi feci.*)

Vidi et ante annos quadringentos coloribus picta in eamdem plane formam, nisi quod altera cum cygnorum collis galea aberat. Rudolfus qui postea imperavit, nisi fallor, per egregia facinora, corona illustravit, et antequam Imperium capesseret, vivente adhuc Alberto fratre, ita usurpavit. Post mortem fraternam aliquanto mutavit. Additae cassidi ad Leonem dimidiatum pavonum pinnulae, jam ab antiquo nonnisi principum et regum, quamvis postea in abusum vertit. Clarum ex Claudiano nobili poeta argumentum, qui Honorium suum Imp. talibus insignit.

Quod picturatas galeae Junonia cristas
Ornat avis.

Et Panegyristes ad Maximianum. *Offert etiam tibi puero galeam auro gemmisque distinctam, et pennis pulcrae alitis eminentem.* Rex Imperatoriae aquilae leonem, cum Elsatiae insignibus, inclusit.

Unde versiculi eodem tempore nati:

Tu Comes in clipeo gestas insigne leonis,
Quem velut ad praedam distento corpore ponis:
Sed rex fers aquilam quae transvolat omnia, claris
Signans indiciis quod cunctis praedominaris.

AUSTRIAE clipei recentioris, et nunc usitati, purpurei, fascia, ut vocant, argentea, quis auctor exstiterit incertum quoque scriptorum dissensio facit. Marchiones ejus provinciae antiqui alaudas quinque aureas, scuto caeruleo, gessere. Illorum plerique (d) repertorem LEOPOLDUM V. Heinrici Ducis Austriae, suae stirpis primi, F. prodidere; quod oppugnatione Ptolemaidis, suo et hostium sanguine madenti et cooperto, album in eo non adparuisset aliud, quam quod Baltheo tegebatur, virtutis et fortitudinis symbolum et monumentum retulisse, memoriaeque perpetuae consecrasse. Ita Continuator belli sacri. Ait enim (e): *Occupata turre quadam, cum* E 2 *Au-*

(a) Libell. de orig. Habsb.

(b) Comm. Lib. I. cap. 2. et 5. (c) Stemmate V. parag. XIII. grad. 1. (d) Continuator belli sacri Lib. II. cap. 3. et 7. Chronogr. German. Lib. III. Heuterus cap. 15. Libell. de orig. (e) Superiori Lib. et cap.

Austrius in repugnantem hostem saeviret atrocius, suorum caesis permultis, in mare se praecipitem dare coactus est, totus suffusus sanguine, cingulo tenus dumtaxat, quod album corpus intersecabat, a cruore immunis ad suos se recepit. Unde ex eventu Fridericus, Friderici Ahenobarbi Imp. F. qui post patris mortem, Christianae in Oriente militiae Dux et Imperator, *totius exercitus suffragio, nova illi insignia rubro et albo coloribus interstincta concessit.* Acta sunt haec A. D. N. MCXC. Alii ALBERTUM Rudolfi Regis I. F. ferunt proelio Othogarico hanc parasse novi clipei gloriam, vexillo, quod portabat candidum, toto sanguine adsperso, et cruento. Quidquid ejus est rei: certe Albertum, eo proelio patris vexillo praesedisse, nec minus fortiter ac strenue rem gessisse, pugnasseque, denique haec ante omnes insignia celebravisse, posterisque cum AUSTRIA, cujus suae familiae et gentis primus Ducatum iniit, reliquisse, satis compertum est; ut non immerito eorum, si non auctor et institutor, certe conservator et propagator videri possit.

LIBER TERTIUS.

CAPUT PRIMUM.

OTTOBERTUS I. COMES ALtenburgi, Elsatiae et Brisiacae Landtgravius.

OSTENSO fictam eorum esse et inanem opinionem, qui COMITES HABSBURGIENSES adserunt ab Austrasiae illis, quos memorant, regibus natos; haud secus quam qui Romanos, et Petri Leonis posteritatem, dicunt; non tamen ideo OTTOBERTUM, et qui ex eo ALTENBURGI Comites, ELSATIAEQUE et BRISIACAE dominos fuisse refutem, ut de antecessoribus, sicuti et de eorum inter se successione, ad usque Guotramum, nihil satis certi constituere possim. Atque haec causa est maxima, cur de illis ea potissimum traditurus sim, quae aliis placuisse video, et ut locis variis et monasteriis collegere, digesseruntque, haud pauca interim quae contra veritatem, et scriptorum veterum peritiam notata ab illis monstraturus et improbaturus, donec ad GUOTRAMUM DIVITEM pervenio, a quo certissima et indubitatissima nobis ALTENBURGIENSIUM COMITUM, et postea HABSBURGIORUM, denique AUSTRIAE PRINCIPUM stemmata, et nomina. Neque tamen ea jam quidem aut postea negligam, quae apud Vindones, Elsatiaque et Brisiaca evenere, carptim licet et saltuatim, Franciae, Austrasiaeque Regum, Germaniae Imperatorum, et Burgundiae principum posteriorum, aliarumque nationum, easdem per Provincias gesta et memorabilia, quibus Altenburgienses Comites, mox Habsburgienses, plerisque interfuere, saepius praefuere, certe expertes esse non potuerunt. De Ottoberti patre Theodibaldo, sive Velibaldo tetigimus supra (a) magis nostram sententiam, quam explicavimus. Profecto ita est. Cur enim Theodibaldum Comitem, cujus ea inscriptione in ipsius Vindonissae, nunc quidem vici, D. Martini aede remansit memoria, non crediderim Ottoberti parentem, potius quam aliunde, ut plerique alii, requiram, aut adfingam? cum tempora quibus vixit, loca quae tenuit, potentia qua praestitit, eamdem sententiam reddant probabilissimam. Aedificaverunt vero Ursinus Episcopus, et Comes Theodibaldus D. Martino in ipso Vindonissae vico, pro loci reliquiis, et adcolis, templum satis amplum, eam maxime ob causam, ne, translata Constantiam sede Cathedrali, ejus Divi, Vindonissensium doctoris et patroni, memoria imminueret, aut intercideret. Vilibaldum vocat Aimo (b) Ultrajuranum patricium, qui generis nobilitate, et opum adfluentia, sese extollebat. At quis ignorat Comites Altenburgienses Ducatus fuisse Ultrajurani, et minoris Burgundiae, generis dignitate et praestantia longe praestantissimos? facultatibus vero provectos eo, ut ex illis nonnulli Divitum cognomenta vulgo acceperint? Sed ipsius Aimonis de Vilibaldi praestantia, exituque, quando alii scriptores non supersunt, verba audiamus. „Anno quarto, *inquit* (c), regni „sui, Clodoveus cum Nantilde matre Aurelianos, caput regni Burgundiae, petiit. Ubi advenientes „Pontifices, ac optimates ipsius gentis, et se dominio „Clodovei tradentes, Nantildis humanissime tractavit, „utque filio fidem servarent admonuit. Quorum consilio Flaucatum Francia oriundum praefectum instituit palatii, sociata ei nepte sua Ragnoberta in matrimonium. De cetero Erchinoaldus, et Flaucatus, (quorum unus Neustriae, alter Burgundiae post „regem praeerat aulae) dextras sibi mutuae societatis adinuicem dederunt, ut in communi tractatu, parique consensu, quae pacis essent sectantes, justitiae „et aequitatis jura in subditis custodirent. E quibus „Flaucatus in Burgundiam transiens commissa sibi munia impigre curabat. Cujus restitit conatibus Vuillebaldus Ultrajuranus patricius, qui generis nobilitate „et opum affluentia sese extollens despectui ducebat „illi subjici, aut ejus parere praeceptis. Flaucatus tamen id sibi dissimulans cognitum, mense Majo ad gene-

(a) Lib. II. cap. 3.

(b) Lib. IV. cap. 39. et 40. Historiae Fr. (c) A. D. N. DCXLIV. Eod. Lib. et cap.

„generale placitum (d) cum Clodoveo Cabilonis agi „decretum properare non destitit, quo etiam Vuillebaldus cum invidioso satis agmine, et quod minari bellum videretur, pertendit. Nec palatium ingredi voluit, metuens videlicet ne a Flaucato incautus opprimeretur. Quod ubi Flaucatus animadvertit, palatio egressus eum interficere voluit. Cui sese frater Amalbertus obviam tulit, et a Vuillebaldi, ei frustra resistere parantis, nece distulit. Exinde Flaucatus rimabatur opportunitatem, ut de Vuillebaldo ultimam sumeret ultionem.„ Post pauca addit. „Ipso anno Clodoveus ab urbe Parthisiorum cum Erchinoaldo, et Flaucato Ducibus, „ac nonnullis Franciae primatibus, mense Septembri, „progressus, per Senonas et Altissiodorum ad Augustodunensem profectus est civitatem, indeque ad Vuillebaldum nuncium dirigit, mandans ut quanto ocyus „ad se veniret. Ille, quamvis cavendum sibi esse a „praeparatis insidiis non ignoraret, periculosum tamen „ratus non obedire regi, dictis quidem paruit, quae „non audebat refellere, sed valida armatorum vallatus multitudine adventabat. Cui occurrit Ermenricus quidam cum aliis ex numero nobilium a rege „directus, ut eum sine cunctatione ad palatium debere properare hortaretur, simulque ut fidem daret, „eum nil laesionis in eundo, vel redeundo perpessurum. Cujus verbis non ex toto derogans credulitatem ibat: quem etiam donis uberioribus honoravit, et ut se ad civitatem praecederet rogavit. Verumtamen nec sic sufficienter sui securus Agilulfum „Valentiae Praesulem ac Visconem Comitem ad regiam prae se ire jubet aulam, et quae de eo agerentur agnoscere, agnitaque ad se velociter referre. „Hos Flaucatus in urbe detineri fecit, et ipse maturius surgens cum suis, civitate relicta, adversus Vuillebaldum proeliaturus iter arripuit. Auxilio erant „Erchinoaldus Dux cum Neustrasiis, Amalgarius, et „Ramelenus non ignobiles juvenum, quos comitabatur haud spernenda multitudo satellitum. E quibus „Ramelenus, et Amalgarius, cum sibi obsequentibus, „Flaucato in acie auxilium tulere, cetera multitudine „procul stante, ac eventum belli praestolante. Nuncius hostilis adventus praecurrens dubitationem ademit „Vuillebaldo. Qui hortatus socios, ne incruentam victoriam adversariis esse sinerent, excepit advenientes. „In prima autem fronte ipse mortuus prosternitur, „quippe sui jam contemtu vitae prodigus, et desperatione salutis totum se in hostem effundens.„ Haec de Vuillebaldo Aimo monachus. Multum quoque commendat auctor appendicis (e) ad Gregorium Turonensem, fuisseque ex duodecim ductoribus belli unum, quos ex Burgundica nobilitate contra Vascones misit Clodovei pater Dagobertus (f). Factum Vuillebaldum post Erponis caedem patricium minoris Burgundiae, sive Ducatus Transjurani, (id vocabulum praefectum, et rectorem eo tempore sonabat) notavit Chronici Burgundionum scriptor. Ceterum de Ottoberto refert Jacobus Menlius (g) Altenburgi, sive Castro Vindonissensi plerumque habitasse. Credo post patris Villibaldi necem, cum, eo vivente, et Altenburgi, minoreque in Burgundia, dominante, Elsatiae ipse, et Brisiacae praesideret. Denominationem quoque inde tulisse, licet Avendi castri, sive Habsburgi, non omiserit. Id Avendum in Vosago situm haud procul Mosellae fontibus, poetae et consuli Burdigallensi (h) tantopere celebrati, cum in solitudinem per bella temporum corruisset, Romarico, et Amato Luxoviensibus monachis, et Arnulpho Metensi Episcopo, ad privatam vitam et solitariam concedenti, condendo monasterio permisisse. Ab eo monasterio, et auctore praecipuo et nobilissimo Romarico, frequentique in eadem solitudine piorum virorum coetu, montem universum Sancti Montis, et Romarici Montis, antiquato Avendsburgo, sive Avendo, vocabula ad posteros transisse, et superesse, sicuti et sanctimonialium coenobii, quod idem Romaricus paulo infra montem posuit, et nunc quoque, uti et opidum inde natum, Romarici mons (i), vulgo Romiremont, nominatur. Eodem in opido Franciae Reges, in venationis praecipue usum et oblectationem, palatium condidere et arcem, quae nunc quoque haud contemnenda. Hinc quaedam reperiuntur diplomata data *in Monte Romarico palatio*. Avendi nihilominus ipsum Ottobertum nomen Castri, juxta Altenburgi titulum, et posteros, ut diximus supra, usurpavisse. Haec de Avendo Menlius; quae sicut incerta, et nulla scriptoris boni, aut veteris instrumenti, auctoritate nixa; ita longe diversa ab ea opinione sunt, quam Stabius, Latzius, Heuterusque et Eintzingerus, de Rhoo etiam, et alii prodidere, cum ipsum ab Sigeberto exsule et restituto Avendum in monte Romarico inceptum, perfectum memorant ab Ottoberto, et inde sumtum nomen Avensburgi, sive, ut magis detorquent, Habsburgi Comitis. Quos maxime ut refutaverit Franciscus Rosierius, sicuti et ipsorum de Habsburgiensium origine sententiam, pretium est intelligere. „Nec certe, *inquit* (k), hic subticere possum, et Austriae et Belgarum historicos longe hallucinatos esse, cum HABSBURGIENSIUM COMITUM primariam referunt originem ad nonnullos Austrasiae reges, illosque praedicant Avendi castrum in Vosagis montibus occupasse, haud procul a Mosellae fluminis continenti, „qui locus nunc Romarici mons vocatur. Etenim „multi, assentationis magis quam veritatis imagine ducti, ex Theodeberti Austrasiae Regis conjugio Sigebertum manasse scribunt, atque ex hoc ceteros Austriae Duces. Imo Theodebertum et Sigisbertum „Avendi castrum in bonis habuisse. Quantum ad primum attinet, certum est ex annalibus, Theodebertum Austrasiae Regem, Brunechildis consilio, „Theodorici fratris manu nefaria periisse juxta Leucos, tandemque ipsum Theodoricum victorem Theodeberti liberos extinxisse; quamvis Sigebertum evasisse scribant. Quod an verum sit, alii judicent. „Quod si etiam veritate subnitatur, hoc tamen unum „falsum est, Theodebertum, ejusque filium Sigebertum Avendi castrum et comitatum obtinuisse. „Nam ex historiis claret, Theodoricum praemissum, „Theo-

F

(d) Ita conventum nominant, sive comitia, non solum antiqui superiorum temporum scriptores, sed etiam regum diplomata, Germanico vocabulo in latinam normam inflexo, et coacto. (e) Cap. 78. et 90. (f) A. D. N. DCXXXVI. (g) Chron. Mscr. de orig. Imp. Maximiliani I. arboris 2. tit. 2.

(h) M. Ausonii Mosella carmen eruditum, et reconditum. (i) De Romarico auctor vitae S. Amati. (k) Tomo V. stemmatum Ducum Loth. Historia capitali LXXIX.

„Theodeberto liberisque occisis, recta Metin profe-„ctum fuisse, ibique Romulphum Romarici Avendi „comitis patrem interfecisse, bonaque fisco adplicuis-„se. Non igitur Theodebertus, et Sigebertus jam „interemti Avendi Comites exstitere; Quin etiam, „Theodorico caeso, Aridii Episcopi tum cura, tum „etiam gliscente morbo Brunichildis, Romarico ini-„que bona rapta restituit. Uno igitur eodemque „tempore non fuerunt Avendi Comites Theodeber-„tus, Sigebertus, Theodoricus, Romulphus, et Ro-„maricus siquidem erant coetanei. „ Haec, et alia quae sequuntur Rosierius. Ex quibus haud obscurum est, neque Sigebertum, multo minus, quem volunt ex eo natum Ottobertum, Avendi castri fuisse conditores, aut possessores, neque trahi inde posse Habsburgiam, quam confingunt, nominationem. Imo id profecto planum et indubitatum, ante Vernerum Argentinae Episcopum, qui arcem supra Castrum Altenburgum novam condidit, et Habsburgum nominavit, ut posterius (l) ostendemus, Habsburgi hac in stirpe, aut Germania superiore, nunquam auditum vocabulum. Quod enim in Ludovici Pii vita hujus vocis Habsburg mentionem ab Roberto Gaguino factam Stabius adfirmat, mendum in exemplari Gaguiniano est. Non enim Habsburg, sed Augsburg scripsit Gaguinus, Augustamque Vindelicam intellexit, quod ex sequentibus et Bojoariorum mentione clare demonstrat. Corrupta quoque sunt ea, et falsa, legeque Cornelia vindicanda, quae a quibusdam ad hujus maxime nominis Habsburg adserendam antiquitatem, et ab Avendo originem, ex Luitfridi reparatoris Trutbertensis vetusto instrumento referuntur. Ita enim plerique citant: *Ideo ego Luitfridus Comes de Avendsburg in nomine sanctae Trinitatis*. Quas voculas, *Comes de Avendsburg*, insertas, et adfictas per fraudem, et in publicum ludibrium, manifestum est ex eo exemplari, quod Volfgangus Latzius ex ipso autographo sumsit, et in migrationibus (m) ex fide inseruit et evulgavit, licet postea in Commentario Genealogiae (n) recentioribus et suismet figmentis praevaricatus sit. In eo enim, ut in tempore (o) ostendemus, praeter ipsius Luitfridi nomen, nihil tituli adjunctum. Neque potuit, re per ea tempora prorsus ignota, et plurimis denique post annis in usum reperta et frequentata. Nomina enim et titulos Comitatuum aut familiae addendi consuetudo ante Heinricum II. Caesarem nulla ferme tenuit, rara quoque ad Heinricum IV. fuit, postea prope invaluit. Quae res multis licentiae, et lubidinis fenestram aperuit ex ignoratione stirpis quidvis aliud, quam quae ejus essent, pervulgandi, mox rerum potentes, et domos principes per inanem ortus et antiquitatis ostentationem adulandi, secura recti verique ignorantia, et parabili in famae speciem merito et proemio. Nam quod denique Epitaphium apud eumdem S. Trutbertum proferunt, et *Illustrium Comitum de Habsburg* inibi mentionem, nugas agunt: quippe qui post multas, postremis praecipue Hunnorum irruptionibus, monasterii vastitates, incendia, et ruinas, cum jam sane Habsburgo in arce agitarent, et inde, Altenburgo desito, vulgo nominarentur Habsburgienses, ab Monachis, beneficiorum, veterumque fundatorum, mutato licet nomine, consciis, et non ingratis, positum, et una cum ipso monasterio instauratum, an conditum id Epitaphium sciam et perspectum habeam. Avendi igitur castri, sive Habsburgi titulo, velut in hac gente ficto, et fabuloso tantisper, donec ad Verneri Episcopi posteros perveniamus, intermisso et spreto, Ottobertum, et ejusdem successores, Altenburgi Comites nuncupabimus, avitamque, et haereditariam denominationem, sicuti et sedem, tamquam postliminio restituemus, imo vero adseremus. De Ottoberto praeterea narrat Menlius, S. Trutberto S. Ruperti Vormatiensis Episcopi, et primi Salisburgiensis Archiepiscopi, fratri, ad se venienti, et locum, sive solitudinem habitationis, et Numinis cultui petenti, vallem illam in Brisiaca, quae tunc Numagensis comitatus, sive provincia, ex praeterfluente amne Numaga, dicebatur, impertivisse, haud gratiori, quam antea Romarico Avendum, munificentia, et pietate Vallem ab ipso Trutberto ad haec tempora nomen retinere. Eidem sacellum in honorem DD. Petri, et Pauli Apostolorum principum construxisse, mox famulos, et familiam addidisse, qui operam condendo monasterio traderent. Denique totam vallem donum illi, et posteris sectatoribus fecisse. Haec monasterii S. Trutberti exordia, hunc auctorem, et patronum fuisse. Posteaquam ex illis servis duo per laborum taedia et improbitatem, aut, quod crediderim probabilius, e proxima silva, spe lucri, effusi latrones interfecerunt, non modo Ottobertus sepultura Christi martyrem, supradicta in aede Apostolorum, deposuit, sed in eadem sibi quoque monumentum elegit. Accidit S. Trutberti caedes, si scripturis monasterii certa ratio est aut fides A. D. N. DCXLIV. Kal. Maj. Eodem quo Villebaldus interfectus pariter anno, et Pipinus Sigeberti II. Austrasiae Regis palatii praefectus morte sua esse desiit. Totam Francorum Monarchiam paucis ante annis Dagobertus M. in filios duos dispertiverat (p), Sigebertum majorem, ex Ragnetrude nobili virgine natum Austrasiis praefecerat: Clodoveum ex regina Nanthilde generatum, quem Ludovicum primum plerique nominant, Franciae, et Burgundiae Regem pronunciaverat: huic Egam praefectum palatio addiderat: illi Pipinum, utrumque insignis virtutis et integritatis. Pipino suffectus filius Grimoaldus (q); Egae, qui anno praecedenti etiam obierat, Erchinoaldus. Sed Grimoaldo non eadem quae patri probitas, aut fides constitit. Dagobertum enim, Sigeberto defuncto, ex Fridberga Gunzonis Allemanniae Ducis filia, Luitfridi etiam ducis sorore genitum, aetate tenera adolescentem, cujus se tutelam habiturum, et curaturum ut suum, morituro patri regi promiserat, insana cupidine regni subito in Scotiam ablegavit, monasterioque attonsum inclusit, aut, ut alii tradunt, perfidiose et crudeliter necavit. Hildebertum ex se natum in regem Austrasiae evexit (r). Id vero detestabile, et faedi exempli Clodoveus pueri patruus ratus, nulla mora, Erchinoaldum praefectum, ad debellandos perduelles expedivit. Vastata Austrasiae regni pleraque, et in iis Helvetia, et Elsatia. Mox acie concursum. Victoria penes meliores fuit (s). Ca-

(l) Lib. III. cap. 3. (m) Lib. VIII. migr. (n) Lib. I. cap. 7. (o) Hoc ipso Lib. cap. 6.

(p) Aimo Lib. IV. cap. 20. et 26. (q) Idem cap. 37. et seq. (r) Idem cap. 42. et seq. (s) A. D. N. DCLVIII.

Captus Grimoaldus, et ad perpetuos carceres missus. Confossus proelio Hildebertus. Monarchia Francorum in unius Clodovei potestatem redacta, haud tanto imperio digni, aut capacis. Nam (t) et per foedam libidinem, luxuriamque et secordiam pene vitam habuit, et S. Martyris Christi Dionysii sacras reliquias impura manu contrectare ausus in amentiam incidit, nullaque de se magna memoria animam brevi postea exspiravit (u). Reliquit ex Balthide Saxona filios tres, Clotharium, cui Francia, quam Neustriam vocabant; Childericum, cui Austrasia cessit; et Theodoricum, qui Burgundiam obtinuit, per eadem tempora mortuus etiam Ottobertus. Retinet nomen ejus nobilis Elsatiae vallis Ottbrechtstal. Uxorem Menlius tribuit Rorimundam, alibi Euphemiam, traducto pene Germanico in Graecum vocabulo, nominat; de sententia Latzii, sed et mea, fabulose. Neque tamen propterea veritatem Latzius assecutus est, qui Luitgardim nominat, Gunzonis Sueviae Ducis filiam, D. Galli precibus ab daemonis obsidione liberatam, quae Comitatum Numagensem, et cetera ad Harciniam tulerit dotem. Satis enim ex Valafrido (x), antiquo et probo scriptore, constat, Fridbergam fuisse eam Gunzonis filiam ab impuro spiritu occupatam, et saluti, et sanitati ab D. Gallo restitutam: neque eam Ottoberto nuptum datam, sed Sigeberto regi. De liberis eadem diversitudo est. Latzius enim, et Gebvillerus, et alii, unicum genuisse filium volunt Babonem, sive Bebonem, a quo noti Elsatiae vici Bebenheim, et Babenuiller, in quorum illoc sedem habuerit, et de interfectoribus S. Trutberti jussu patris animadverterit. Alii quatuor filios tribuunt, Babonem jam dictum, Ottobertum II. Reinbertum, et Ethobertum Augiae Abbatem. Menlius, quem mihi nunc quidem, et hac prima in parte Comitum Altenburgiensium sectari decretum est, duos nominat AMPRINCTUM, sive AMPERTUM, et ROTHARDUM.

(t) Chron. Mscr. Richen augiae. et S. Galli. (u) A. D. N. DCLXVII. (x) Vita S. Galli.

CAPUT SECUNDUM.

AMPRINCTUS COMES ALTENburgi, Elsatiae et Brisiacae Landgravius.

VESTIGIA Clodovei liberi consecuti. Clotharius breviter. Quarto enim anno regimen explevit. Largius qui ei successit Theodoricus, et eo usque, donec ejus faeda facinora, et Ebervini, quem sibi Majorem adsciverat, immanem crudelitatem pertaesi et intolerantes Franci, illum D. Dionysii monasterio, hunc Luxovio, omni dignitate, incisis crinibus, exutos occlusere. Adsumtus in universam dominationem, qui tertius supererat, Childericus omnium exspectationem brevi quoque elusit, contemta, quae provexerat, et injuriis adfecta nobilitate, et Leodegario Augustodunensi Episcopo, quia decora et salutaria commonebat, Luxovium relegato, et praefectura palatii destituto. Bodilo denique nobilis Francus, quem flagris conciderat, cum Blithilde conjuge praegnante inter venationem (a) trucidavit. Restitutus Theodoricus, sed cui Leodesius Erchinoaldi, de quo diximus, filius, consilio, et auctoritate Leodegarii, qui, Luxovio relicto, ad rempublicam, omnium bonorum voto et desiderio redierat, additus consiliarius, moderator, et praefectus. Brevi quoque Ebervinus, facinorosorum opera, monasterio evasit, factaque subito latronum manu, ex insidiis Theodoricum, et Leodesium, re inopina, oppressit, regios thesauros diripuit, Clodoveum, quem Clotario III. generatum ferebat, in regem vulgavit, blandimentis, minis, cruciatibus, quoscumque ad ejus obedientiam redegit. Mox eo despecto, cum Theodorico in gratiam rediit, accitumque per amicitiae redintegrationem Leodesium interemit, palatii praefecturam, armata manu, tenuit. Inde in omnes quos adversarios senserat, insita crudelitate, desaevit. Leodegarium Episcopum, diversis cruciatibus confectum et mutilatum, capite privavit (b), qui mox multis miraculis innocentiam suam et merita omnibus probavit. Gerinum fratrem ejus lapidibus obruit. Episcopos et regni proceres alios exsilio, alios variis tormentorum generibus, e medio sustulit, ingentem de se metum, et odium toto regno concitavit. Pipinum postremo Ansegisilo ex Bega Pipini senioris, cujus supra meminimus, filia natum, S. Arnulphi Metensium Episcopi nepotem, et Martinum, Austrasiae principes, contra tantam immanitatem, et tyrannidem arma capere, et acie congredi ausos, ingenti edita utrimque strage, profligavit, universum Austrasiae regnum caede, flamma, vastitate, funeribus pervasit et complevit. Martinum etiam, fraudulento pacis juramento, postea ad Theodoricum pertractum, solita perfidia, cum toto comitatu contrucidavit. Brevi tamen inde, dum per insidias illi parem exitum comparat, Hermanfredo nobili Austrasio poenas dedit. Interfecto Ebruino, Varato praefectus palatio. Varatoni paucis diebus defuncto, Bertarius successit, gener quidem Varatonis, sed longe ad Pipinum vilis et ignobilis, quo magis egregium juvenem injuria accendit, maxime postquam sibi ab eo quoque insidias strui intellexit; et Francorum melior pars ad deturbandum eum sollicitavit. Igitur exercitum contra Bertarium et Theodoricum duxit, pugnaque apud Textricium utrumque vicit, caesoque subinde a suis Bertario, principatum regni occupavit, titulo in speciem, an declinandae invidiae, Theodorico relicto. Neque postea regum potentia valuit, praeter nomen et regia ornamenta, cetera omnia Rectores palatii obtinuere (c). Sub idem tempus, de anno incertum, defunctus Amprinctus. De eo (quem Latzius et Gebwillerus Bebone natum prodiderunt, cum potius frater esse potuerit) uti neque de Rothardo, aliam memoriam non reperi, nisi Monasterium S. Trutberti auxisse; et prope arces, quo colerent magis, et frequentarent, an ut inter tot bella, et discidia illorum temporum facilius tuerentur, condidisse Amprinctum, Ampringesburgum; Rothardum, quem alii Rothertum, alii Rotbertum nominant, Rotharsburgum, quae nunc quoque arces aut potius ruinae Monasterii sunt in jurisdictione, et bonis.

(a) Anno D. N. DCLXXVI. (b) Anno D. N. DCLXXXII. (c) A. D. N. DCLXXXVIII.

nis. Amprincto successit filius HETTOBERTUS.

CAPUT TERTIUM.

HETTOBERTUS COMES ALtenburgi, Elsatiae, et Brisiacae Landtgravius.

PRAETERITIS bellis, et inter palatii praefectos contentionibus multa faeda flagitia inoleverant, non in Austrasia modo, quae plures commotiones et clades pertulit, sed tota adeo Francia et Burgundia, turbabantque inter se non modo nobiles per aemulationem, et partes; sed vulgus etiam et agrestes, rerum novarum lubidine, et suapte insolentia, aut rursus dominantium saevitia et odio. Itaque nihil omnibus provinciis tutum aut securum aderat. Leges, et magistratus aboleverant, quo quemque cupido ferebat, eo impune grassabatur. Quo major cura Pipino incubuit restituendi in pristinam dignitatem regni; brevique perfecit, maxima omnium congratulatione et laetitia, corpore perexiguo, unde Pusillum, alii Brevem cognominarunt, sed animo ingenti, vivido, et imperterrito. Theodorico defuncto (a) successit filius Clodoveus III. qui Ludovicus II. admodum puer. Eo regnante militiae per Allemanniam et Elsatiam, Helvetiamque praefuit Rupertus, regi sanguine proximus, quem nonnulli ideo Ducem Allemanniae prodiderunt, magnis, in Helvetia praecipue et vicinia, opibus. Is fratrem habebat Vighardum presbyterum, qui hoc tempore Monasterium in honorem S. Mauritii, et S. Leodegarii Lucernae, ad Ursae amnis ex magno lacu egressionem, condidit, eoque omnem haereditatis suae partem, et quidquid inde ad Albim usque montem Tiguro proximum possidebat, contulit, quos potuit monachos congregavit, successoremque sui Alvicum nominavit. Rupertus quoque partem suam regi ea adsignavit conditione, ut Tiguri (Castrum Thuricinum vocant ejusdem temporis scriptores, et instrumenta) in honorem beatorum Martyrum Felicis, et Regulae, quorum ibi corpora requiescunt, aedem conderet, (inde Praepositurae Tigurinae origo) locoque, et Numinis cultui, Divorumque venerationi splendorem et amorem concitaret. Hinc utriusque urbis prima incrementa, illius quoque pene origo prima. Clodovei regnum non ultra quinquennium processit, aut, ut Contractus, et Aimonis Continuator (b), biennium; successore fratre Childeberto, nulla alia re, quam Pipini praefectura, nobili. Obiit decimo quinto (c), aut, ut alii numerant, septimo decimo regni sui anno. Successit Dagobertus II. Paulo post etiam Pipinus obiit (d) incertum majore utriusque, suae familiae, an regni exitio; nisi ex Alpeide concubina Carolus, cui Martello cognomen, superfuisset. Reginfredus enim contra Theodoaldum, quem ex filio Grimoaldo nepotem Pipinus palatio praefectum institue-rat, et qui cum avia Plectrude rerum summae praeerat, et ex tutela Dagobertum regebat, arma corripuit, per invidiam, vitium inter pares ad extrema natum, acieque profligatum praefectura exuit. Attinebat custodia Coloniae Carolum Plectrudis novercali odio, simul metu ne principatum habere, quam nepotem mallet. Sed ubi Theodoaldum profligatum audivit, non modo custodia laxavit, sed thesauros quoque patrios ad persequendum aemulos et hostes obtulit; Austrasii illi regni possessionem cessit. Carolus primo contra Rathbotum Frisiae Ducem Reginfredi auxiliarium arma vertit; sed ab eo, magnâ clade, victus in Austrasiam superiorem aegre evasit. Obiit, iisdem diebus, Dagobertus (e), qui licet filios duos Theodoricum, et Childericum haberet, idem tamen Reginfredus Danielem quendam regnare jussit, ex monasterio extractum, et stemmatis incertum, nullaque alia re, praeterquam coma et barba, in regium morem, nobilem, Chilpericumque vocavit. Hinc, audita Caroli in Frisia clade, in Austrasiam vastabundum se intulit (f). Repressit saevientem donis et muneribus Plectrudis magis quam armis. Sed Carolus, reparato exercitu, Reginfredum cum suo Chilperico brevi postea superavit, et Parisios usque magna strage repulit: Pugnam secundo ausos incitatu et opibus Eudonis, Aquitaniae ducis, rursus profligavit: Lotharium, quem nonnulli Clodovei III. fratrem, et Childeberti scripserunt, suae factionis, regem pronunciavit; haud secus quam Chilpericum Reginfredus. Quo Lothario paulo post mortuo, et Chilperico ab Eudone, cujus se fidei post pugnam postremam commiserat, reddito, et eodem pene tempore extincto, Theodoricum Dagoberti F. in regium nomen extulit, Reginfredoque apud Andegavenses dedito, et Andegavi incluso, totius Monarchiae Francicae potestatem sibi vindicavit, mox et pacavit universam (g). Ne tamen per otium honos militiae vilesceret, qua ante omnes pollere nitebatur, in Saxoniam transiit, memor Rathboto Frisio fidam, et Francis semper infestam, et contumacem (h). Populata late regione, per Germaniam victricia arma circumferens, Bavariam, Allemanniamque tumultuantes compescuit. In Eudonem foedifragum denique omnes opes convertit, ingentique victum proelio tota Aquitania expulit. At is ad extrema adactus Abdiramum, Maurorum in Hispania regem, in Galliam evocavit, qui innumero exercitu in agrum usque Turonensem provectus Carolum obvium habuit, exiguo numero, sed delecto, et ex Austrasia, Elsatia, et Helvetia maximam partem adscito. Pugnatum contra tantam multitudinem plusquam viribus humanis, victusque Maurus, et interfectus, quae ceperat recuperata. Eudone etiam animi dolore, an valetudine, paulo post sublato, tota Aquitania in potestatem rediit. His tantis concussionibus, et nationum exterarum motu, suborta Allemannis, Bavarisque recuperandae libertatis spes, et excutiendae iterum Franciae regum obsequelae. Carolus, eadem celeritate, qua in Eudonem et Mauros ex Germania acceleraverat, in Allemanniam revolavit, provinciam pene totam pervastavit, incautosque et rebelles citius oppressit (i), quam de victoria

(a) A. D. N. DCXCI. (b) Cap. 48. (c) A. D. N. DCCX. (d) A. D. N. DCCXIII.

(e) A. D. N. DCCXV. (f) A. D. N. DCCXVI. (g) A. D. N. DCCXXI. (h) A. D. N. DCCXXII. (i) A. D. N. DCCXXIV.

ctoria Maurica nuncius advenit. Landfrèdo Duce dignitate exuto, Berchtoldum praesidere Allemanniae jussit. Eodem tempore ejusdem Berchtoldi, Vehique favore et precibus Pirminius Abbas, et Chor-Episcopus Augiensem Insulam (Richenau nunc vocant) ab Martello accepit, in eaque utriusque opibus monasterium, fugatis quae insederant infestabantque serpentibus bestiis, condere coepit. Ceterum hoc bello Allemannico Hettobertum Altenburgiensem desideratum plerique tradiderunt. Martelli, an Landfredi partes secutum, haud perinde memorant. Brisiacam, militari licentia insignem, ea expeditione pertulisse vastitatem, incensum quoque, et pene destructum S. Trutberti Monasterium, quod prius Amprinctus, et paulo ante idem Hettobertus in splendorem eximium sua liberalitate et cura provexerant, aeque consentiunt. Mansisse tres filios RAMPERTUM, GEBBONEM, et HETTONEM.

CAPUT QUARTUM.

RAMPERTUS COMES ALTENburgi, Elsatiae et Brisiacae Landgravius.

RAMPERTUS Altenburgi et in Brisiaca dominatus est. Elsatiam GEBBO tenuit. HETTO se in D. Pirminii disciplinam tradidit, et in Augia D. Benedicti ordinem professus, maximam de se opinionem virtutis, etiam admodum adolescens, apud omnes subito generavit, adeo ut cum ab Theodebaldo, Gottfridi Allemanniae Ducis F. per aemulationem Caroli, et adversus ejus omnes obnoxios aut amicos odio, pelleretur Pirminius, quem post se relinqueret Monasterii antistitem repererit praeter Hettonem aptiorem neminem. Secundus igitur Augiae Abbas Hetto fuit (a). Pirminius in Elsatia regressus apud Eberhardum, Sequanorum, sive Sungoviae, si bene puto, comitem (de eo alii aliter sentiunt, aut divinant) devertit, facileque impulit, ut proximam Murbaco amne irriguam vallem, ad Vosagi montis radicem, et in ejus anfractibus, constituendo novo Monasterio adsignaret. Adsciti qui incolerent ex Augia Monachi, missique ab Hettone duodeni (b). Monasterium Vivarium Peregrinorum tum quidem appellatum, sed ab amne praeterfluente Murbacum obtinuit vocabulum. Theodoricus suo privilegio fundationem confirmavit. De quo haec pauca in rei argumentum. *Theodoricus Rex Francorum viris Apostolicis, patribus, Episcopis, nec non et illustribus viris, ducibus, patriciis, comitibus, vel omnibus agentibus, tam praesentibus, quam futuris. etc. Igitur dum venerabilis vir Pirminius, gratia Dei Episcopus, nostris temporibus cum Monachis suis, DEO inspirante, pro Evangelio Christi peregrinatione suscepta, Monasterium virorum in heremo vasta, quae Vosagus appellatur, in pago Alsacensi, in loco, qui vocatur Vivarius peregrinorum, qui antea appellatus est Mourbach, in allodio (c) fidelis nostri Ebrohardi comitis, cum ipsius adjutorio, DEO cooperante, conatus est construere Monasterium, vel coenobium sanctum ibidem instituere in honorem DEI, et genitricis Domini nostri JESU Christi. etc.* Ceterum, uti prius Pirminium, ita Hettonem Theodebaldus in insula Augiensi praesidere diutius non toleravit, ejectumque Monasterio, gliscente adversus Carolum odio, Uraniam relegavit, (d) illaque montium tum vastitate inclusit, et perpetuo exsilio condemnavit. Quae ubi ad Carolum perlata sunt, id enim vero jam nimis superbum et indignum interpretatus, continuo in Allemanniam exercitum duxit, Theodebaldum expulit, Hettonem insulae et Monasterio restituit: mox, cognita et probata ejus integritate vitae et sapientia, Episcopum Argentinae non sine fratrum Ramperti et Gebbonis studio et favore instituit (e). Fusis hinc iterum et internicione deletis Saracenis, post tot ingentia bella, et fortia facinora, pacato, auctoque regno, cum ejus administrationem divisisset in filios, Austrasiam, Allemanniam, et transrhenanas provincias Carolomanno adsignasset, Franciam, Burgundiam, et cetera Pipino, XI. Kal. Novembris morte Carolus decessit, et apud reges aede D. Dionysii sepeliri meruit (f). Mortuo quoque paucis post diebus Theodorico, (alii anno praecedenti, et ante Carolum defunctum tradunt,) Childericus frater in regni titulum adsumtus est. Ubi vero de Caroli morte percrebuit fama, resuscitata eadem, quae prius illuserat, dominationis spe, continuo Theodebaldus Allemanniae, et Odilo Bavariae, Duces contra Carolomannum rebellavere, magnumque quem adventanti opponerent exercitum confecere. Sed Carolomannus, paternis expeditionibus belli expertentissimus, pulso ad primum impetum Theodebaldo, mox proelio Odilone fuso et fugato, utrumque ad officium brevi revocavit (g); cum Odilone adfinitatem etiam, matrimonio Hiltrudis sororis, contraxit. Interea restituendo S. Trutberti monasterio animum Rampertus comes adplicavit. Sed quia hoc unicum tota Brisiaca monasterium per ea tempora inerat, ex eoque tamquam seminario, in universam regionem, qui divini Numinis cultum et praecepta traderent, effundebantur, quo frequentior locus esset, et habitationi gratior, aedem multo capaciorem construi voluit, latiusque in circuitu, excisis quae occupabant arbustis, solum coli et mitigari, internum etiam aedificium ampliari, et largius diffundi, quo plures Monachos caperet, et etiam juventuti e proximo bonis disciplinis operaturae locus esset. Dum haec parantur, et Carolomannus prae amore DEI, et rerum divinarum studio potentiam regni et praefecturae splendorem sprevit, in Italiamque profectus monasterio Soractino se inclusit, rerum summa, et regiminis ad unum rediit (h), ad Zachariam pontificem percontatum Pipinus misit, justus is rex vocaretur, qui regni vim et potestatem in manu habeat; an qui absque titulo regis, nulla alia re praepolleret. Cum pro illo, qui vim retineret, pronunciasset Zacharias; Pipinum Franci primum suae familiae regem, communi suffragio et voto, salutavere, inunxitque, et regio cultu induit D. Bonifacius primus Maguntiacensis Archie-

(a) Anno D. N. DCCXXVII. (b) Anno D. N. DCCXXXI. (c) Allodium haeredis est patrimonium, et proprietas haereditaria.

(d) Anno D. N. DCCXXXII. (e) Anno D. N. DCCXXXIV. (f) Anno D. N. DCCXLI. (g) Anno D. N. DCCXLIII. (h) Anno D. N. DCCXLVII.

chiepiscopus Suessione (i). Childericus vitam attonsus in monasterio privatam finiit, et una Merovingorum stirpem, et gloriam. Ducta a fundamentis, ut instituerat, basilica, Sidonium Constantiensem Episcopum Rampertus accersivit, qui dedicaret, et in eam D. Trutberti corpus ex sacello DD. Petri et Pauli, in quo hactenus jacuerat, transferret, eo maxime, quod nocturno visu quibusdam e fratribus paulo ante beatus martyr adparuerat, et honestiorem sepulturae locum postularat. Factus eo tota Brisiaca ingens concursus, sed ubi Trutberti monumentum aperuere, integrum et incorruptum, et veluti sopori indulgentem, multo oris splendore, et odorem suavissimum exspirantem, offenderunt. Igitur tanto miraculo laeti juxta et attoniti, beatum martyrem, maxima cum pompa et veneratione, monumento aede nova praeparato intulerunt, composueruntque A. D. N. DCCLIV. Continuoque legatos Comes ad Stephanum III. pontif. qui in Galliam eo tempore petitum ab Pipino contra Langobardos auxilium venerat, destinavit, qui acta edocerent. Pontifex, cognito rei eventu, Trutbertique explorata vitae sanctitate, morte, et miraculis, non modo in numerum beatorum martyrum retulit, sed peccatorum remissiones memoriam ejus colentibus, et visitantibus sepulturam promisit et concessit. Inde Monasterio multo major frequentia et fama accessit, vallisque adeo tota ab eo nomen accepit, et quod huc usque ab Numaga amne tulerat deposuit. Sed ut quoque splendori ejus et dignitati reditus et sumtus suppeditarent, multas alias possessiones Rampertus tradidit, censusque magna ex parte adauxit. Postremo ita variis se et novis erga monasterium impensis et beneficiis probavit, ut Conditor secundus a posteris vocari et honorari meruerit. Quantum in augendis, et cohonestandis viris, locisque religiosis Rampertus studii et sumtus faciebat; tantum corrigendis, emaculandisque, quae sacrum ordinem invaserant turpabantque vitiis, frater Hetto laborabat; maxime vero Simoniacam haeresin, quae, rebus Ecclesiae semper infesta, tum praecipue invaluerat, et ut ne amplius in Argentinensi Episcopatu locum haberet, Pipini Regis auctoritate, sancivit magis Hetto, quam posteri conservarunt. Sed Pipinus multis rebus in Italia, Saxonia, Aquitaniaque strenue et sapienter gestis, fundatoque magno in sua familia per virtutem imperio, postremo defunctus est Parisiis, VIII. Kal. (k) Octob. Carolus, cui postea ex factorum amplitudine cognomentum Magni, et frater Carolomannus, Provincias inter se divisere. Sed, mortuo etiam paucis post annis Carolomanno (l), Imperii culmen solus obtinuit Carolus. Non diu etiam post Pipinum Rampertus superfuit. Excessit enim A. D. N. DCCLXXI. et apud S. Trutbertum, aede a se condita, sepultus, filio GUTRAMO superstite. De Gebbone nihil reperi aliud praeter nomen, et quatriennio ante fratrem defunctum, vigilia natalis Dominici. Hetto denique multis rebus in administratione sui Episcopatus cum laude, et bono publico, institutis, cum Monachicellam ad Hirciniam ab Vigerno antecessore suo conditum monasterium, et postea per incuriam et bella prope exstinctum, Pipini etiam auxilio et consensu, restituisset, et in ipsum Monachos plures deduxisset, multis suis e Mortnovia, Brisiaca, Ergovia opibus locupletasset, hujusque facti scripto rationem reliquisset A. D. N. DCCLXXIX. VIII. Martii, sequenti post anno quoque vitae pausam fecit, et in eodem monasterio sepeliri voluit. Ad ejus tumulum haec pauca characteribus antiquis, HEDDO PRAESUL ARGENTINENSIS ECCLESIAE RENOVATOR HUJUS LOCI. Ex monasterio natum opidum, quod ab eo retinuit nomen Hettenheim Mortnoviae. Multa quoque beneficia contulit Monasterio Schuartzach, quod magister ejus et institutor Pirminius etiam fundaverat.

(i) A. D. N. DCCLII. (k) A. D. N. DCCLXVIII. (l) A. D. N. DCCLXXI.

CAPUT QUINTUM.

GUOTRAMUS I. COMES ALtenburgi, Elsatiae et Brisiacae Landgravius.

POSTEAQUAM Carolomanni morte tota regni potentia unius arbitrio cessit, domita Aquitania, quae turbaverat, in Saxones Carolus exercitum duxit, destructisque aliquot castellis, obsides pacis ab eis accepit. Hinc, Adriani pontif. precibus, contra Langobardos et Regem Desiderium, in Italiam transiit; Desiderium et regnum Langobardorum (a), adeoque totam pene Italiam in potestatem redegit. Varie postea in Saxones rebelles pugnavit. Audito mox Rotgandi, nobilis Langobardi, in Italia motu, eo quantocyus remeavit, in Elsatia Slestadii, tunc temporis villa, natalem Domini (b) celebravit, Rotgandum captum interfecit. In Saxones reversus ad deditionem pene universos coegit. Multi tum primum ex illis salutaribus undis expiati, et in numerum Christi fidelium recepti. Brevi nihilominus ad ingenium rediere, Vitikindo maxime Duce, donec, eo denique in fidem admisso et baptizato, undecima rebellione Provincia conquievit (c). Subacta et pacata Saxonia, tripartito contra Thassilonem Bavariae Ducem exercitum movit, deditumque et Ducatu privatum monasterio cum filio Theodone inclusit (d). In Avaros inde certavit, et ad Rabam usque amnem fines Imperii provexit (e). Tot rebus fortiter juxta et feliciter gestis, cum Romam, puniendis, qui Leoni III. pontifici atroces injurias intulerant, cum exercitu tetendisset, die natalis dominici (f) ab eodem Leone Imperator declaratus, magno P. R. adplausu, corona et ceteris Imperatoriis ornamentis acceptis, primus Occidentis imperium restituit. Reliqua ejus facta, bella, proelia, militia paceque memorabilia, alii celebravere. Postremo cum filium Ludovicum, qui unicus ex tribus superarat, consortem Imperii fecisset, Bernardum ex Pipino filio nepotem, Italiae Regem declarasset, Aquisgrani mortem obiit, anno regni quadragesimo septi-

(a) A. D. N. DCCLXXIV. (b) A. D. N. DCCLXXV. (c) A. D. N. DCCLXXXV. (d) A. D. N. DCCLXXXVIII. (e) A. D. N. DCCXCII. (f) A. D. N. DCCCI.

ſeptimo, Imperii quarto et decimo (g). Ludovicus paulo poſt etiam Clotharium filium conſortem Imperii adſumſit, et interfecto ob rebellionem Bernardo in Italiam miſit, reliquos filios Ludovicum Germaniae, Pipinum Aquitaniae praefecit. Iiſdem diebus defunctus Guotramus (h), nulla, quam ex veterum monumentis hauſerim, memoria ſui, quam Scharpfenſtein arce vallis Trutbertinae, cujus fundamenta jeciſſe volunt. Sedem et habitationem habuiſſe Altenburgi, uti reliquos anteceſſores et poſteros, teſtatur Menlius. Sepultum pariter apud D. Trutberti aut circa A. D. N. DCCCXXIV. Reliquiſſe filios LUITHARDUM, et LUITFRIDUM I. huic Altenburgum, Elſatiam, et cetera obveniſſe, tanquam majori; alteri Briſiacam. Tertii meminit Latzius, quem Vetzelinum aut Lancelinum dictum ex aliorum ſententia adfirmat. Eum ego eſſe LANCELINUM aut Landolinum credo, quem Trevirenſis Eccleſiae Archiepiſcopum priori volumine ex Eckgerardo memoravimus. Multas ex ſuo is patrimonio Monaſterio S. Galli poſſeſſiones dedit, et in iis Lollingam. Sed cum id fratres Comites Altenburgienſes ferre nollent, et nonnulla in Argovia ex ſuis praedia Ulrico Comiti Kiburgienſi conſignavit, et ab eo contra Aadorf in Turgovia accepit, ipſumque et in eo Eccleſiam S. Alexandri, quam ea tempeſtate inſignem curabant duodecim canonici, Hartmuotto donum fecit. Idem Lancelinus ex Italia, quo frequenter proficiſcebatur, regreſſus, cum, ut ſolitabat, Hartmouttum vellet, Roſaci apud lacum Acronium in febrim incidit, quae eodem in vico brevi exſtinxit. Hartmuottus Abbas tanquam amicum, et ſanguine ſibi conjunctum, multaque ſanctitatis opinione inſignem et venerandum, ſuper tanta in ſuum monaſterium beneficia, inde ad S. Gallum tranſtulit, et magno cum honore ſepelivit, circiter A. D. N. DCCCLXXVII. Eggerardi de hac re verba infra poſita ſunt, ubi de Salomone III. Abbate meminit. Obiens autem, inquit, poſt multas, quas per ſe ſtatuit, et per Berinhardum obtinuit fratribus et familiae benivolentiae conſtitutiones, circa Landaloum Epiſcopum, in titulo Apoſtolorum conditum, et amicum ſuum, extra parietem tamen ſepeliri ſe petiit. De quo ipſo Landaloo ſancto, Darvienſi quidem Archiepiſcopo, pauca ſcribere neceſſarium puto. Suevus hic et nobilis erat, apud S. Gallum quidem educatus et doctus, cujus Vindoniſſa cum multis aliis haereditas erat. Igitur Epiſcopus factus Romam pergere ſolebat.. Per Jovis itaque montem tranſiens ibat: per Septimum autem rediens Gallum et Hartmuotum ſuum ſalutabat. Devoverat autem S. Gallo Lolingam villam dare; ſed cognatis renitentibus, conquiſitionis ſuae loca quaedam cuidam Udalrico comiti, ut Gallo Ahadorf cum eisdem locis diſponeret, concambiens tradidit. Rediit autem tandem aliquando Roma, et ad Gallum ſuum tendens, Italici aeris vitio febri correptus vix ad Roſchachium pervenire praevalens, Hartmuoto cum fratribus ad ſe advocato, nobiliter diem obiit. Diſpoſuit igitur adhuc vivens ad titulum S. Petri, cui ibat, qui eſt in cimiterio S. Galli capellam, qua itinerans utebatur, cum reliquiis, et libris, et omnibus utenſilibus ſacris, in quo et corpus illius cum omni honore humatum eſt. Freneticus, ut ajunt, in ſeptimo ejus ſuper illius corruens tumbam ſanus ſurrexit. Tradunt et alias infirmitates ſaepe illic meritis ejus curatas.

(g) Anno D. N. DCCCXIV. (h) Anno D. N. DCCCXXIV.

CAPUT SEXTUM.

LUITFRIDUS I. COMES ALtenburgi, Elſatiae et Briſiacae Landgravius.

LUDOVICO poſtea Imp. majora cum ſuis quam externis bella fuere, filiorum ſuperbia, et inter ſe invidia, maxime poſtquam Carolo ex Juditha nato minorenni Franciam pater pro parte adſignavit. Coactus denique Imperium cedere in monaſterium ſe abdidit (a). Sed, reſumtis inſignibus, brevi de rebellibus ſupplicium ſumſit, Lotharium in Italiam repulit (b): Ludovicum, tota Germania agitatum, Bavariae finibus incluſit: alios procerum exſilio, nonnullos morte adfecit. Reſtitutus poſtremo in gratiam Lotharius, et diviſum inter ipſum et Carolum, praeter Bavariam, quam aegre Ludovico dimittebat, totum imperium (c). At hic, conciliatis, collectisque haud paucis Bavariae, Allemanniae, Saxoniae primoribus, arma capit, et patri fratribusque bellum infert, quem dum Pius pater reprimit; labore et aegritudine in morbum incidit, quo paucis poſt diebus apud Ingelheim deceſſit (d). Sepultus eſt Metis, aede S. Arnulphi. Poſt ejus obitum Lotharius imperium ſibi ſoli vindicavit et rerum ſummam. Qua re non modo Ludovicum ſed Carolum quoque jam, qui hactenus ab eo ſteterat, offendit. Itaque arma conjunxere. Et Ludovicus, facta ingenti Allemannorum, Saxonum, Thuringorum, praecipue Bavarorum manu, Rheni ripas inſedit: quo cognito, Carolum, quem perſequi primo ſtatuerat, Lotharius reliquit, et in Ludovicum ſigna rapuit, et pene oppreſſit: mox, majori copiarum parte ad Rhenum in Elſatia, Helvetia, Rhetia diſpoſita, in Carolum retroceſſit, ratus, uno deleto, alterius facile exſcidium. Sed de conſilio Ludovicus admonitus, quanta maxime potuit celeritate, copias collegit, Rhenumque armata manu ſuperavit, Adelbertum Comitem, in Rhetia reſiſtere conatum, multa caede profligavit, ad Carolum pervaſit. Commiſſa tum Fontaniaca pugna, et in ea maxima pars pene omnium regnorum nobilitatis exſtincta (e). Victus, et caſtris exutus Lotharius. Animum tamen, ingenita ferocitate, et in Belgio militem brevi reparavit. Eundem apud Argentoratum, et in Elſatia fratres opperiuntur, et pugnam auſum, iterum profligant (f). Exhauſto jam, et feſſo tantis cladibus imperio, omnis ad arbitros delata contentio, regnumque denique tripartitum. Ludovico Germania ceſſit, cum ſuis Provinciis Allemannia, Saxonia, Thuringia, Franconia, Bavaria, Pannonia: Carolo Francia, Moſa, Rhodano, Oceano, Pyreneis terminata: Lotharius Imperii titulum, Italiam, Burgundiamque accepit, et provinciam, quam ab eo poſtea vocarunt

(a) Anno D. N. DCCCXXX. (b) Anno D. N. DCCCXXXIV. (c) Anno D. N. DCCCXXXIX. (d) Anno D. N. DCCCXL. (e) Anno D. N. DCCCXLI. (f) Anno D. N. DCCCXLII.

runt Lotharingiam, cum Belgio, Elsatia, Helvetiaque usque ad Ursam. Ludovicus varia cum Bohemis, Slavis, Sorabis bella gessit. Lotharius diviso in filios imperio, Prumiae se monasterio inclusit, ibique diem supremum obiit. Ludovicus Italiam, cum Imperii titulo; Provinciam Carolus; Lotharingiam et Burgundiam Lotharius obtinuit (g). Eodem anno Christi Dn. DCCCLV. obiit Luitfridus superstitibus liberis LUITFRIDO II. HUGONE et ERMENTRUDA, quae Conrado, Burgundiae minoris Comiti, sive praefecto, nupta, Rudolfum, primum suae stirpis regem genuit, cui Conrado Stretlingensis quare cognomentum fecerit Latzius, me ignorare fateor. Scio Stretlingam ad lacum Dunensem, Vindonissensis tractus arcem, et ex ea familiam nobilem; sed intra barones stetit. Et quas nobis ex Paterniaco adfert memorias vereor ut ne fictae ab eo sint et supposititiae. Potuit tamen, et hoc credo, Stretlinga Rudolfus in arce nasci, et inde ad posteros ferre denominationem. Luitfrido Altenburgum; Hugoni Elsatia, et Brisiaca cessit. De Luitfrido nihil mihi aliud cognitum, nisi Gengenbach Harciniae monasterium, haud multo ante ab S. Pirminio, ut alia plura ejus tractus, conditum, multis possessionibus auxisse, et inter primos eum fundatores numerari.

(g) A. D. N. DCCCLV.

CAPUT SEPTIMUM.

LUITFRIDUS II. COMES ALtenburgi, Elsatiae et Brisiacae Landgravius.

VARIA Lothario, cui Lotharingiam, Burgundiam, Elsatiam, et eam Helvetiae partem, in qua comitatus Vindonissensis, obtigisse diximus, fortuna fuit, non tamen improspera, donec repudiata Thietburga uxore Valtradam concubinam pro conjuge legitima adsumsit (a). Eo enim facto, primo Hugbertus, Thietburgae frater, quem Ducatui Transjurano, amicitiae et necessitudinis causa, praefecerat, rebellavit, vicina quaeque vastavit, regios exercitus saepius cecidit: tum vero Nicolaus Papa, nisi meliora consilia capesseret, et legitimam conjugem, Valtrada abjecta, reciperet, communione piorum privaturum, per Arsenium legatum denunciavit. Recepit tum, necessitate tanta, Thietburgam Lotharius; mox injuriis oneratam iterum repulit, concubinae indulsit (b). Igitur sententiam excommunicationis Nicolaus evulgavit, eamque mox confirmavit, qui successit, Adrianus. Magnam ad hoc, Hugberto sollicitante, primores ab eo regni secessionem fecere. Quibus omnibus coactus Lotharius in Italiam iter instituit, non tam animo reducendae uxoris, aut deserendae Valtradae, quam hujus obtinendi matrimonii spe. Sed pontificem ad omnia alia quam ipsius faedae libidini obsequentem, aut paratum offendit. In potestate igitur futurum, et facturum mandata, cum Adriano spospondisset, in Burgundiam reditum paravit, contractaque in itinere valetudine Placentiae defecit (c). Quamprimum ejus mortis nuncium, Carolus patruus, cui Calvi dedere cognomen, Franciae Rex accepit, in Lotharingiam properavit, Metisque regni Lotharingici coronam ab Adventitio Episcopo accepit. Inde in Elsatiam transiit, et Hugonem Altenburgiensem, Elsatiae superioris, et Bernardum inferioris Comitem, in fidem suscepit, Aimonis Continuatore teste (d), cujus haec ea de re adposui verba, cum coronationem et alia enarrasset. *Carolus pellectus vanis suasionibus falsorum nunciorum qui ei suggerebant, quod frater suus Ludovicus vicinissimus morti foret, iter in Elsatias partes arripuit, ut Hugonem Luitfridi filium, et Bernardum, et Bernardi filium obtineret, sicuti et fecit, indeque Aquas grani remeans, ibidem nativitatem Domini celebravit.* Aquisgrani nuncios ab Ludovico fratre, jam valetudini contra spem et votum restituto, accepit, cum mandatis, Lotharii regno abstineret, nisi armis certare mallet. Intercesserunt, eodem tempore, utriusque regni Germaniae et Franciae primores, et de eorum sententia Lotharii dispartitum inter fratres regnum (e). Inter alias Provincias tractus Rhenanus Ludovico cessit, urbes recenset Continuator (f) Coloniam, Treveros, Trajectum, Argentinam, Basileam, Civitatem Metensem; et inter plura Monasteria, Elsatiae quidem et Sequanorum, Morbacum, S. Gregorii, S. Mauri, Masonis monasterium, Ebersheim, Hochburgum, Grandem vallem, Luteram; in Helvetia, S. Ursi Saloduri. Quo pacto, non modo Lotharingia et major Belgicae pars in Ludovici ditionem pervenit, sed etiam Elsatia utraque, sive comitatus Elsatiae inferioris et superioris; addit enim, *in Elsatio comitatus duos*: itemque Burgundiae minoris ea portio, in qua Vindonissensis comitatus, et quidquid Salodurum protenditur, regno Germaniae adjectum, Comitesque Altenburgienses, qui hactenus modo in Austrasiae Regum potestate fuerunt, modo Burgundis Principibus paruerant, in Germanorum postea Regum, et Imperatorum dominationem concessere, donec Rudolfus regno suo Burgundico iterum adseruit. Sed ut de haereditate Lotharii contentio fuit; ita non minor incessit postquam frater ejus Ludovicus Imp. obiit. Eo enim Mediolani, absque sobole mascula, extincto (g), subito ejus thesauros, tamquam unius, et regnum Carolus in potestatem redegit, rectaque Romam profectus, ab Joanne pontif. imperialia ornamenta suscepit, Italiam ex arbitrio composuit. Ne ulcisci injuriam, aut partem debitam repetere posset frater Ludovicus Germaniae rex, mors praepediit, quae ad plures, et meliores V. Kal. Septemb. (h) anni sequentis detulit. Filii tres Ludovicus junior, Carolus, et Carolomannus regnum paternum divisere. Carolomannus Bavariam, Pannoniam, Carinthiam, Moraviam, Bohemiam accepit: Ludovicus Germaniam, in qua Francofurtum caput, et Provinciae Franconia, Saxonia, Thuringia, Frisia, et inferiora Rheni: Carolus, quem Crassum vocarunt, Allemanniam, ceteraque regni Lotharingici. Et huic subjecti Altenburgienses. Calvus fraternam quoque haereditatem inhiavit, Rhenoque transmisso, in Germaniam invasit, sed magno dedecore et clade Ludovicus

(a) Anno D. N. DCCCLXII. (b) Anno D. N. DCCCLXVI.

(c) A. D. N. DCCCLXIX. (d) Lib. V. cap. 24. (e) A. D. N. DCCCLXX. (f) Lib. V. cap. 25. (g) A. D. N. DCCCLXXV. (h) A. D. N. DCCCLXXVI.

victus junior repressit profligavitque. In Italiam deinde regressum, audito Carolomanni adventu, et ad pugnam paratum, tantus horror et trepidatio invasit, subito ut se in fugam conjecerit, qua in trepidatione et metu, mota dysenteria, paucis diebus vitae, et immanis cupiditatis finem fecit (i). Reliquit Ludovicum, cui, ex eloquii impedimento, Balbi cognomentum. Carolomannus, Italia in ditionem recepta, in Bavariam rediit, ubi, membris dissolutis, cum Ludovico fratri filium Arnulfum commendasset, defunctus est (k). Eum, secundo post anno, secutus Ludovicus. Uterque magnae virtutis et pietatis (l). Carolus, qui tertius fratrum supererat, Romam profectus, ab Joanne eodem pontifice Imperator, cum Richarda conjuge, coronatus est ejus nominis tertius. Maturato inde in Germaniam reditu, morte fratris vacuam, Vormatiae conventum celebravit, principumque sacramenta accepit. Mox in Nortmannos, qui Belgicam faede laceraverant, duxit, plures eosdem per dies oppugnavit, pacemque et Christi cultum pollicitos in deditionem accepit: Sigefridum eorum Regem e sacro fonte sustulit, et muneribus donatum amicum et obsequentem reddidit. In Italiam inde rediit, et Vidoni Spoletino Duci rebellionis gratiam fecit (m). Ex Italia subito proceres regni in Galliam revocarunt, eam post Carolomanni, Balbo ex concubina geniti, mortem, turbantes. Regnum in suam potestatem suscepit, composuitque. Valetudine hinc adversa, cum in Elsatia aliquandiu decubuisset, mente quoque minus constare coepit (n). Igitur Principes Germaniae, regiis Francofurti comitiis, Arnulpho Austriae et Carinthiae Duci, Carolomanni F. Caroli nepoti, regnum detulere. Carolus vitam privatam, cum paucos menses vixisset, Endingae Allemanniae vico defunctus est, et in Augia sepultus (o). De quo profecto memorabilia Rhegino, ejus temporis scriptor non contemnendus, quae qui volet apud ipsum reperiet, et in iis, magni et aeterna memoria digni principis exemplum, simul et rerum humanarum, quae modo in alto, mox in extremo agitant, numquam in eodem statu durant. Caroli mortem multae profecto, et inauditae, si quando alias, conversiones, clades, vastitates, secutae. Translata rerum imperia, regna nova condita, alia exstincta. Bella inde cruenta et crebra. Ad hoc frequentia principum inter se, mox adversum dominantes, dissidia, rebelliones, arma; praeter barbarorum, veluti turbidissima tempestate, toto prope Occidente, inundationes, rapinas, incendia, strages, funera. In Burgundia primus ex Caroli obitu motus. Illam Rudolfus Conradi Comitis et Ermentrudae Altenburgiensis F. Hugonis Abbatis, et Ligerini limitis, post Roberti caedem, Ducis nepos, administrabat, juventa, manuque et ingenio promtus, ortu vero et nobilitate nullum ante se arbitrabatur. Scriptores recentiores, inprimis Latzius (p), ex Comitibus Altenburgi deducit. Sanguine conjunctum et adfinitate, Luitfridique ex Ermentruda nepotem, haud quaquam dubium est, de stemmate ejus ut non aeque constet. Ipse genus suum ad Carolum M. Imp. referebat. Is cum animadverteret, Arnulphum, Carinthiae et Pannoniae Ducem, Germaniae Imperium; regnum Galliae Odonem, sive Othonem, Ligerini limitis, post Hugonis avi mortem, ducem, propinquum suum, et amicum; Italiam Beringarium, Fori Julii Comitem, et Guidonem Spoletinum utrumque titulo regis invasisse; Gallorum, et Imperii Occidentis Monarchiam dissolutam; omnia per partes rapi et debilitari, seipse attollere, incitare, vires suas circumspicere, comparare, postremo, animo spe et cupiditate incenso et praecipiti, Agauni apud D. Mauritii, auctoribus et comitantibus utriusque ordinis Provinciae primoribus, regni Burgundici insignia et ornamenta cepit, praeter cetera, haud ignarus Provinciarum dissensionibus regnorum faciles mutationes esse, secordiamque saepius audacia et temeritate deteriorem, et illa apud mortales laudari, quaecumque eventus felices probavissent. Igitur Rudolfus Rex Burgundiae, eo quo diximus modo, apud D. Mauritii coronatus, continuo in Lotharingiam, Elsatiam, Sequanos misit, qui reliquos proceres ad partes sollicitarent et traducerent. Et facile Elsatas, et Sequanos perpulit Luitfrido, et fratri Hugoni subjectos, aut amicos, qui augendo, tuendoque nepoti, omnes opes contulerant, aut rursus Imperatoris acerbitati iniquos, et offensos. Lotharingios Arnulfus retinuit, filio Zundibaldo Duce constituto. Denique brevi tempore regnum Rudolfus ab Rhodano et Arari ad Rhenum et Ursam perduxit, adeoque firmavit, ut contra utriusque Arnulfi et Zundibaldi incursiones, copias, et arma fortiter servaverit, et ad posteros feliciter transmiserit. Sed quo firmior esset, et hac quoque parte opes suas stabiliret, cum Richardo Augustodunensi Comite, Bosonis Provinciae Regis fratre, qui primus idem Burgundiae Dux, viro strenuo, et magnae per Galliam auctoritatis et famae, adfinitatem contraxit, data in matrimonium Adelheide sorore, quae ei peperit Rudolfum, postea Franciae Regem, Hugonem Burgundiae Ducem, et Bosonem Comitem. Rudolfi, Burgundiae Regis primi, uti et posterorum, memoriam cum cura quaesivi tradidique, sed paucis, non ea tantum ratione, quod Altenburgiensibus cognati fuere, quam quod suo imperio Altenburgum quoque, et Vindonissensem Comitatum, et Elsatiam incluserunt, et certe animorum magnitudine, et gestorum gloria etiam meruere. Ea tempestate, Belgium, Galliamque pene universam Normanni insigni crudelitate rapiebant, vexabantque, miseratque contra eos exercitum Arnulfus, sed infelici congressu hostem multo atrocius incenderat, furebantque flamma et ferro, neque aderat, qui contra auderet, omnes tergum vertebant, virtutem et gloriam fugae et infamiae posthabuerant (q). Tanta rei indignitate Caesar permotus, in barbaros victores, et successu feroces, et ludibundos, militem rapuit, dejectoque, quem apud amnem Tiliam munierant, aggere, tanto impetu et fervore exercitus in hostem invasit, ut internecione deleto, vix qui ad naves cladis nuncium reportaret superfuerit. Continuere se ex eo Nortmanni, sed neque diu, nec ut brevibus excursionibus abstinerent. Arnulfus in Allemanniam, et Bavariam regressus, cum Moraviam rebellem pervastasset, Vormatiae conventum habuit. Ibi Carolus Simplex Rex Galliae contra Othonem ab eo auxilium imploravit.

H Jussi

(i) Anno D. N. DCCCLXXVII. (k) Anno D. N. DCCCLXXX. (l) Anno D. N. DCCCLXXXII. (m) Anno D. N. DCCCLXXXV. (n) Anno D. N. DCCCLXXXVII. (o) Anno D. N. DCCCLXXXVIII. (p) Lib. V. Com.

(q) Anno D. N. DCCCXCI.

Jussi dare Belgicae proceres et Episcopi, et in regnum reducere. Ipse in Italiam cum exercitu tetendit, Bergamum Langobardiae urbem expugnavit, Ambrosium Comitem ante portas ex arbore suspendit, ingentique, eo facto, omnibus addito metu, cum nemo resisteret, aut moveretur, contra Rudolfum in Burgundiam iter et arma convertit. Superatisque summis alpibus Octodurum, Agaunum pervenit; hinc in Burgundiam minorem transiit, cuncta praeda et flamma vastavit, Rudolfo ad tantas tum quidem copias impare, et in montes et loca firmiora elapso (r). Vastata, uti memoravimus, Burgundia, et mox Elsatia, Vormatiae iterum conventu habito, Lauresheimii aliquamdiu substitit. Ibidem quas Rudolfo urbes et castella, provinciasque extorquere non potuerat, Ludovico Bosonis filio, Hermingardis matris precibus, dono dedit, quasi facilius esset ea Provinciae Comiti recuperare, quam expugnare Germaniae Regi. Invocatus mox ab Formoso pontifice, contra Beringarium et Landtbertum tyrannos, in Italiam rediit, et illi quidem, deditionem sponte facienti, rebellionem condonavit: istum vero Romam advenienti occludere ausum, expugnata primus omnium Imperatorum domina urbe, frustra persecutus est (s). Formosus armis introgressum Arnulfum magnis honoribus suscepit, et Romanorum Imperatorem coronavit. In Germaniam reversus, natis variis suspicionibus, Ratisbonae frequentem conventum agitavit, et plerosque regni Principes in sua verba, et Ludovici filii, novo sacramento adegit. Eo quoque cum Rudolfus tetendisset, ejus, quod invaserat, Burgundiae regni confirmationem denique impetravit. Longo postea victus morbo, vitam Arnulfus deseruit, et Ludovico regnum. Principes enim, comitiis Forchheimensibus, regnare jusserunt admodum adolescentem (t). Tertio Ludovici anno, Christi DCCCCIII. Luitfridus majorum vestigia secutus, S. Trutberti Monasterium ab Ramperto avo, multis partibus auctum et illustratum, ad culmen perducere constituit. Itaque, accitis filiis, in quos jam aetate inclinante et adfecta, comitatus, et dominia, paulo ante mortuo, absque alio haerede, fratre Hugone, cujus in Elsatia Hugstein castrum ostenditur, diviserat, eorum consensu, et voluntate, non modo ab majoribus factas donationes confirmavit, sed novis ipse reditibus et possessionibus Monasterium locupletavit, et, uti de suo idem filii quoque facerent, auctor fuit. Primus Abbatiam fundavit, primum Valdericum Abbatem instituit, successores postea eligendi monachis potestatem reliquit, advocationem, et defensionem monasterii filiis, et posteris retinuit et adsignavit, amplis et aequis conditionibus. Harum, et aliarum rerum instrumentum condidit, quod repraesentare visum, non ut circumfertur aliis, sed sicuti ex autographo Volfgangus Lazius (u) transtulit. Instrumentum tale est.

Quid salubrius, atque utilius potest quisquam cogitare, quam suo creatori, se, suaque subjugare: de caducis, atque transitoriis, aeternam vitam, dum valet, mercari: Domino monente, atque testante: Quid proficit homini, si mundum universum lucretur, animae vero suae damnum patiatur? Et illud sapientis; Redemptio animae sunt propriae divitiae. Ideo ego Luitfridus (x) in nomine Sanctae Trinitatis, quod nobis suggerit honestas Sacerdotum clarissima, dignitas rerum, omnisque industria fidelium, decrevi devota mente quoddam Monasterium in honore DEI constitutum, et Apostolorum Petri, et Pauli, et Sancti Trudberti Martyris qui ibi coronatus, et in ipso sanctissimo corpore requiescit, ceterorumque sanctorum, quod a praeterfluente fluvio Nymaga, nunc Monasterium sancti Trudberti vocatur, restaurare, et augmentare, cum aedificiis omnique ornatu ad divinum cultum pertinentibus, quod ego a fratre meo Hugone in partem haereditatis possedi. Unde divino amore compunctus pro remedio animae, et progenitorum atque successorum meorum, quidquid per chartam traditionis donatum fuit ab antecessoribus meis, Otberto videlicet, qui inductor fuit pretiosissimi Martyris, et Ramberto, ceterisque fidelibus, eamdem villam, cum omnibus illi adjacentibus, a monte Samba, ubi oritur Nymaga, cum montibus, collibus, pratis, pascuis, silvis, vallibus, cultis et incultis, ab ortu supradicti fluminis, usque ad fluvium Mezimbach, ex utraque parte montium, in integrum, atque per totum; consentientibus filiis meis Hundfrido, Luitfrido, et Hugone, trado, et transfundo Vualderico Abbati, atque fratribus ibi DEO servituris, ut habeant, teneant, atque possideant perpetualiter, sine omni contradictione. Insuper cum consilio filiorum meorum, atque rogatu, ut propensius, et devotius, memoria mei meorumque filiorum augeatur in praefato Monasterio, exceptis his quae praenominavimus, ex alia mea haereditate donavi ad ipsum locum, hoc est, in Mortonauua, in Bichinchaim, et in Vuitrillimbach, et in Gamiansshurst in Alsatia, et in Bergheim, et in Limenhusen, quidquid habere in his locis visus sum. Ad altare vero, ubi desidero meum esse sepulcrum, dedi specialiter in Columbra unam huebam, ut eam habeat custos ipsius altaris et procurator, ad memoriam mei libentius peragendam. Haec ego donavi de mea parte. Sed et praefati filii mei, pro DEI memoria, ac sanctorum ejus, quorum memoria, et honor ibidem assidue celebratur, ex sua quisque parte quae se contingit propriae haereditatis ad ipsum locum dederunt, Hunifridus videlicet, qui est major in illis natu, in Nortgouue unam curtim quae dicitur Kuriginshoven; Luitfridus in Sundgouue, in Suovamsheim: Hugo in Egenesheim. In his praenominatis locis ego ipse Luitfridus, et praenominati filii mei, quidquid visi sumus habere in praesens, ad praedictum monasterium per totum, singuli quisque nostrum ex se pari voto, consimilique consilio, damus atque tradimus, ut Abbas ipsius loci, ceterique Monachi, firmiter

(r) Anno D. N. DCCCXCIV. (s) Anno D. N. DCCCXCVI. (t) Anno D. N. DCCCC. (u) Migrationum Lib. VIII.

(x) Fraudulente hic plerique adjungunt, Comes de Avensburg.

ter teneant, ac, nullo hominum contradicente, perpetuo possideant. Decimationes etiam in Sundhouue, et in Hundelsheim, de nostris rebus concedimus eis simili ratione. Ipsi vero Monachi in ipso loco constituti potestatem habeant eligendi Abbatem inter se, qui eos regulariter possit et digne regere. Ipsi quoque filii mei advocati sint rectissimi ipsius loci, atque tutores et defensores, et haeredes ipsorum. Et sub eorum tutela ipsum Monasterium cum omnibus pertinentiis tam caute et juste defendatur, quatenus sint reddituri inde rationem. Sed et Abbas, quem ipsi constituerint, potestatem habeat ad procurandum ipsarum rerum, et fratrum: nihil inde servitii aut census exigatur a filiis meis, vel successoribus eorum, aut ab ulla persona. Per dominum omnium creatorem obtestor, ut electum Abbatem nullus audeat pro pecunia, aut per aliquam occasionem injuste deponere, aut constituere alium. Et si quis conatus fuerit hoc facere, nisi cito revocatus ab hoc coepto tam nefario fuerit, tam acceptor pecuniae, et dator, quicunque inter eos mediator fuerit, cum mago Simone, qui spiritus DEI dona aestimavit emere pretio pecuniae, est praecipitatus apostolica auctoritate in profundum Tartari, et cum Juda Iscariote, qui Dominum nostrum vendidit pecunia, damnetur aeterna perditione. Et quisquis haeredum meorum, sive prohaeredum, sive qualiscumque persona in aliquo infringere aut irritare studuerit, quae, cum consensu filiorum meorum, devota mente ad servitium DEI contradidi, donavi, firmavi, in ultimo DEI magno et horrendo judicio cogantur reddere rationem, et ab aequissimo judice damnentur aeterno supplicio. De cetero notum sit omnibus fidelibus, tam praesentibus, quam absentibus, quod ego Luitfridus cum consensu filiorum meorum, et ipsorum fratrum tunc praesentium, commendavi illum sanctum locum Vualderico Abbati, omnibus diebus vitae suae, ut quidquid ad illum pertinet superius praenominatorum, ex praedictis montibus, vallibus, aquis, aquarumque decursibus, a fonte prius nominato Nymago, et Britzznaha, qui oritur in monte Brizzenberg, iterum, atque iterum testificor secundum Apostolum, coram DEO, et Christo JESU, qui vindicaturus est vivos et mortuos, ac adventum ejus, regnumque ipsius, ne quis audeat haec a nobis tam votive constituta in aliquo violare, aut destruere. Aut si talis umquam emerserit (quod fore non credimus,) qui contemnat DEI judicium futurum, haec irritare vel infringere tentaverit, Episcopum ad cujus dioecesim ipsum monasterium videtur pertinere, ceterosque qui tum sanctae Ecclesiae regimen habent, obsecramus per misericordiam DEI, quatenus serventissimo zelo, et distincto judicio resecentur tales conatus sub anathemate. Haec acta sunt in ipso Monasterio, praesentibus his testibus, quorum singula subscripta sunt nomina, Salderici, Reginoldi, Centenariorum, Gozelini, Geroldi, Alberici, Drasemundi, Meginboldi, Uttonis, Luitfridi, Humberti, Gebhardi, Luithardi, aliorumque multorum: quod longum est narrare.

Signum illustris Comitis, et filiorum ejus, Hunifridi, Luitfridi, et Hugonis, qui hanc chartam donationis fieri et firmari rogavere. Item signum Monachorum Geuverici, Hildenimi, Diethardi, Gozelini, Berenhardi, Regingeri, Erhardi, Vuillegeri et Nicasii. Ego itaque Villegerus in ipso Monasterio, in vice Cancellarii, anno tertio regnante Ludovico, filio Arnolphi, sub Comite Vuoluuyno, octavo Kal. Maj. Luna X. rogatus etc.

Hoc facto fundatoris tertii, et postremi, Trutbertini Monasterii famam et memoriam sibi Luitfridus cum sorore et liberis vindicavit. Hinc eorum tantum mentionem, et quorum supradicto in instrumento meminerat, Otberti, et Ramperti, in Epitaphio, quod posterioribus temporibus composuerunt, Monachi conservavere. Epitaphium ita se habet. GENEROSORUM OTPERTI, RAMPERTI, LUITFRIDI. ITEM. HUNDFRIDI, LUITFRIDI, HUGONIS, ET DOMINAE ERMANDRUDAE, ILLUSTRIUM COMITUM DE HABSPURG ALSATIAE LANDGRAVIORUM HUJUS ORNATISSIMI MONASTERII FUNDATORUM, HIC SEPULTORUM, EPITAPHIUM.

Hoc nos in tecto sollemnibus accipe saxis
Hospita terrena, pulvis et umbra sumus.
Nosque illo in claustro chari excepere nepotes.
Non fuit in toto gratior orbe locus.

Ermentrudam nonnulla antea, sed maxime postquam filius regnum Burgundiae adeptus est, beneficia plura eo contulisse probabile. De Luitfridi mortis anno nihil habeo adfirmare. Non longe tamen postea vitam tulisse credo. Obiit Eidib. Maj. et in eodem Monasterio sepultus est. Eberardus I. Constantiae Episcopus, haud multis post mortem annis, ejus memoriam hoc etiam epigrammate coluit, et retinuit. LUITFRIDUM COMITEM, NOBILITATE PERCELEBREM, HUJUS LOCI STRUCTOREM, S. TRUDTPERTUS, SUUS NOSTERQUE PATRONUS, IN SUA SUSCEPTUM FIDELIS FIDEJUSSOR IDIBUS MAI DOMINO FELICITER COMMENDAVIT. EBERHARDUS EPISCOPUS SCRIPSIT. Lamina adfixa sinistro primi altaris. Divisa filii haereditate, Hundfridus Altenburgum, ceteri Brisiacam et Elsatiam rexere.

CAPUT OCTAVUM.

HUNDFRIDUS I. COMES ALtenburgi, Elſatiae, et Briſiacae Landtgravius.

MAGNA claritudo et potentia HUNDFRIDI fuit, ſed quam rebus pietati et divino cultui mancipatis praecipue exornavit. Itaque non modo pluribus beneficiis, ut ſupra etiam vidimus, S. Trutbertum percoluit; ſed quoque Monaſterium, quia Hunnorum barbariem et immanem crudelitatem jam Allemannia ſenſerat, et de cetero horrebat, moenibus cinxit, juxtaque opidum defenſioni et munimento, ornamento quoque condidit. Eo adcolarum validiſſimos et copioſiſſimos collegit, leges dedit, quaeque belli, quaeque pacis ſubſidia addidit. Hujus opidi nunc etiam rudera et ruinae, licet tempus et ſecutae calamitates dignitatem et ſpeciem corruperint, neque aliud ex eo ſuperſit quam vicus, antiquo opidi ex Monaſterio translato vocabulo Munſter. Ea tempeſtate Allemanniae Ducatum et Elſatiam regebat Burchardus primus, ſeverius quam nobilitas ferre poſſet, aut vellet. Quae cauſa fuit, cur in publico Provinciarum conventu per tumultum interfecerint (a). Caede patrata, continuo Ducatum Herchingerus Comes invaſit, cujus maxime fraude et factione Burcardus occiderat, quem ſicuti ſcelere et dolo obtinuit, ita maxima ſaevitia adminiſtravit, donec poſtremo meritas et ipſe poenas dedit. Sed ubi quoque Ludovicus Rex abſumtus eſt (b), et in eo Caroli M. in Germania ſtirps, tum vero magna per Galliam, Italiam, Germaniam de Imperii titulo orta controverſia eſt (c). Qui in Francia regnabant, Caroli M. Imp. primi progeniem eſſe ſe, perinde in Imperio, uti aliis in regnis, ſuccedere debere: Itali, ut a ſe ortum repetebant: Germaniae poſtremo Principes contra omnes ſibi vindicabant. Non enim Imperium ab Oriente in Francos, aut Italos per Carolum M. translatum, ſed in Germaniam, ipſo Germano Stirpe ejus in Germania extincta, jus apud gentem remanſiſſe; ita argumentabantur. Cumque armis Imperii majeſtatem et decus nemo unus adſerere quiret, neque ea apud Pontificem Romanum auctoritas per ea tempora eſſet, quam ſequi ea in re aut poſſent, aut vellent, unaquaeque partium Imperatorem ſublegere. Galli Ludovicum Boſonis F. Provinciae Regem: Italici Berengarium, Eberhardi filium: Germani, re inter plures eximios principes dubia, et aemula, Regnum ad Othonem Saxoniae Ducem primo detulere; qui cum ſenectam, et valetudinem, (paucis enim poſt menſibus defunctus eſt) ne reciperet, praetendiſſet, ejuſdem conſilio Conradum, Haſſiae et Veteroviae Comitem, Conradi, ab Adelberto Babenbergenſi, haud multis ante annis, proelio interfecti, filium, Regem ſalutaverunt. Quo tempore Rudolfo, qui primus ſuae familiae Burgundiae regnum, ut praediximus, inſigni fortitudine et felicitate reſtituit, et propagavit, VIII. Kal. Novemb. mortuo (d), ſucceſſit Rudolfus II. F. Ceterum contra Conradum iidem, qui regnare juſſerant, continuo rebellavere potentiſſimi Germaniae Principes Arnoldus Bavariae et Carinthiae, Herchingerus Allemanniae, Eberhardus Franconiae, Giſelbertus Lotharingiae, et ante omnes Dux Saxoniae et Thuringiae Heinricus Othonis filius, quos ille (e) *tam ſapientiae vigore, quam fortitudinis robore ſuperavit, ſuamque ad fidelitatem perduxit*, inquit Luitbrandus (f). Non tamen Herchingerum. Is ſuper alia faeda in Allemannia facinora, Salomonem Conſtantiae Epiſcopum, contra edicti regii reverentiam, multis atrocibus injuriis adfecit, captumque denique Thietboldiburgo Alpingoviae caſtello incluſit, regios miniſtros alios expulit, alios interemit, militem frequentem fecit, et locis opportunis locavit, plures in proximas ſilvas abdidit, haud inſcius ſuorum injurias fore curae Caeſari, et Salomonis non contemnendam potentiam, et in Germania auctoritatem. De Salomonis calamitate poſtquam Sigfridus patruelis, egregiae virtutis adoleſcens, cognovit, continuo quantum maxime potuit equitatum collegit, et in Herchingerianos de improviſo invectus magnam partem interfecit, Herchingerum etiam, et Berchtoldum fratrem ex arce Duillio pugnantibus ſuis adferentes ſuppetias in poteſtatem redegit, et in eadem arce cum praeſidio cuſtodiae tradidit. Mox, Caſtello Thietboldi deditione occupato, Epiſcopum, ingenti omnium congratulatione, Conſtantiam triumphabundus reduxit. Certus de capto Herchingero, Berchtoldo, et ceteris, factus Caeſar, Moguntiaci conventum habuit: Majeſtatis utrumque, ſuffragantibus principibus, condemnavit: bona eorum fiſco adplicavit. Detenti tamen in cuſtodia pene biennium, et poſtremo Adingae, Allemanniae vico, capitali ſupplicio adfecti (g), fruſtra pro inimicis deprecante Epiſcopo Salomone. Eodem tempore et conventu Conradus, quia neque adhuc tali remedio Allemannia quieſcebat, graſſabanturque ſuperiorum temporum licentia, et inſolentia Ducum, cum nobilitate plebes, Ducem qui Allemanniam regeret Burchardum Buochorni, et ſuperioris Turgoviae, Rheguſcaeque Comitem dedit, magnis opibus et virtute principem. Inteſtinis his malis majus ortum ex barbaris, mox et Caeſaris morte. Hungari enim ingentibus copiis (h), Bavariam, Allemanniam, Elſatiam vaſtarunt, Baſileam diripuerunt, poſt incenderunt, cum plerique civium et incolarum ſeſe in montes et ſilvas abdidiſſent, cunctiſque vaſtatis, in Lotharingiam perruperunt. Et interea vita quoque conceſſit (i) Conradus Caeſar, dubium, ſuo Imperio fortior, an ſucceſſoris electione prudentior, et modeſtior. Imperium enim translatum, ejus conſilio et ſuaſu, Heinrico Saxoniae et Thuringiae Duci, de quo ſupra diximus, cognomento Aucupi. Sub idem tempus deſideratus pariter Hundfridus, relicto tantarum opum unico haerede GUOTRAMO II. Sepultus eſt apud S. Trutbertum. Hugo frater interim, adſcitis in ſocietatem comitibus ab Hurninge, fabricabat

(a) A. D. N. DCCCCX. (b) A. D. N. DCCCCX. (c) Vitickindus. Lib. I. Sap. hiſt. Luitbrandus Lib. II. cap. 8. Rhegino Lib. II. Chron. Otho Friſing. Lib. VI. cap. 15. et ſeq. Gotfridus Viterbienſis parte XVII. Sigebertus Chron. Nauclerus vol. II. gener. 31. Gonzalo de Illeſcas pontificiae Hiſt. Lib. IV. cap. 55. Sigonius de Reg. Ital.

(d) Anno D. N. DCCCCXII. (e) Anno D. N. DCCCCXIV. (f) Lib. II. cap. 7. (g) A. D. N. DCCCCXVII. (h) Contractus ad eundem An. Chron. Baſil. Lib. II. cap. 2. (i) Anno D. N. DCCCCXVIII.

cabat Monasterium ordinis S. Benedicti in Elsatia, Vosagi valle Villeriana, haud procul Slestadio, quod de suo nomine Hugeshove nominavit. In eo etiam ipse, sumto, ut quidam voluerunt, ordine, praefuit, magna ea tempestate apud omnes dignitate et reverentia. Ab hoc Latzius Rudolfum primum Burgundiae Regem, et posteros haud bene deducere conatus est; Tertius frater Luitfridus Elsatiae, et Brisiacae praeerat.

LIBER QUARTUS.

CAPUT PRIMUM.

GUOTRAMUS II. COMES ALtenburgi, Elsatiae et Brisiacae Landgravius, cognomento Dives.

PERVENIMUS tandem ad GUOTRAMUM DIVITEM. Et licet hucusque haud obscura sit COMITUM ALTENBURGIENSIUM, ut vidimus, successio: tamen ea deinceps multo clarior, et instrumentis, scriptisque veterum testatior erit. Igitur, uti incepimus, quae acciderunt, et Altenburgienses simul gesserunt, pari cura continuabimus et fide. Rudolfus Burgundus, iisdem diebus (a), solita regum cupidine, quae ut ferme acrior, ita plerumque inexplebilis, paternis finibus haud contentus, Burgundiae Allemanniam jungere armis tentavit. Itaque, amne Ursa limitaneo superato, per Guotrami comitatum, Vitodurum primum Allemanniae opidum obsedit, et oppugnavit. Non defuit, ea in re, suis Burchardus Dux, gravique proelio regem superavit, mox generum adscivit, tradita Berchta filia, eaque ratione contra Heinricum Caesarem, cui per aemulationem infensus erat, opes suas firmavit. Regebat, ut diximus, Italiam Berengarius, sed saevius quam tolerare possent, aut principem deceret. Quamobrem, de totius nationis sententia, ad Rudolfum miserunt qui Italiae Imperium deferrent (b). Haud ille conditionem aspernatus, facto magno Burgundorum, Vindonissensium, Elsatarum, Allemannorum quoque, soceri ope et auctoritate, exercitu, Alpes transmisit, proelioque congressus, ac pene fusus, Bonifacii, Spoleti Comitis, cui sororem Vertradam nuptum dederat, auxiliis inopinatis, victoriam tenuit: Berengarium Veronam repulit: regnum Italiae in potestatem redegit. Eodem tempore magnis copiis in Elsatiam venit Caesar, inde in Lotharingiam contra Carolum Franciae Regem tetendit, et cum eo foedus iniit, Lotharingia Imperio Germanico restituta, et quidquid inter Mosam et Rhenum interjacet. Caesare, Galloque de finibus contendentibus, Hungari iterum Allemanniam, Elsatiam, utramque Rheni ripam graviter adflixerunt. Cum iis Caesar foedus et inducias in annos novem percussit (c). Rudolfus quoque pacem, et amicitiam firmavit cum Caesare, illique lanceam, quae Constantini M. fuisse dicebatur, transmisit. Quod quidem munus tanti fecit, ut (d) *non solum eo donantem se auri argentique muneribus, verum et Suevorum parte non minima honoraverit.* Illam postea Heinricus pro Imperii insigni et tutela consecravit, multasque praeclaras victorias, ea duce et praevia, contra Imperii et Christianae pietatis hostes obtinuit. Verum Italorum adversus Rudolfum, ut alias, fides levis, et parum constans fuit. Solicitatu, et dolo Hermingardis Eporegiae Marchionissae, aliorumque primorum, mature defecere. Ipse Burchardum socerum cum Allemannorum et Burgundionum valida manu, in Italiam excivit, qui per proditionem, et fraudem Lamberti Archiepiscopi Mediolanensis interfectus, Hermannum I. Franconiae, Hassiae et Veteroviae Comitem, Gebhardi F. in Ducatu Allemanniae successorem habuit. Rex Burgundus, damnata gentis mobilitate, in patrium se regnum recepit, et cum Guidone Arelatensi Comite, quem Itali Regem nominarant, transegit, Arelatensis regni titulum, primis Burgundiae regibus celebratum, et quidquid Guido in Provincia habuerat, ab eo accepit. Ceterum Italiae regnum ejuravit (e). Deinceps ita vitam instituit et implevit, ut beatorum numerum auxisse plerique credant tradantque. Certe uxor Berchta beatum vocavit instrumento fundationis Paterniacensis. Vivebat adhuc Adelheidis Rudolfi primi soror, Ermentrudae Altenburgiensis filia, Richardi primi Burgundiae Ducis tum vidua, multasque in agro Aventico, qui ea tempestate, uti nunc quoque, pagus Vualdensis, aut potius Vandaliensis, ab antiquis, qui simul cum Burgundis occuparant, Vandalis nominabatur, possessiones ab eo acceperat, et in iis Romani Monasterium, quondam frequens, et opulentum, sed eo tempore, ejectis Monachis, per bella, et dominantium avaritiam, in privos usus redactum. Id Monasterium Adelheidis Odoni Cluniacensi Abbati dedit, non restituendum modo, sed quoque possidendum, adeoque quod in eo habebat dominium id universum ordini Cluniacensi penitus consignavit, multis tamen conditionibus. (f) Donationis causas his ipsa verbis exprimit (g). *Hanc igitur donationem, pro DEI amore et SS. Apostolorum inprimis facio, deinde pro anima germani et dulcissimi mei Domini Rudolfi Regis, harum videlicet*

(a) Anno D. N. DCCCCXIX. (b) Anno D. N. DCCCCXXIV. (c) Anno D. N. DCCCCXXVI.

(d) Luitb. Lib. II. cap. 12. Sigeb. Chron. Otho Fris. Lib. VI. cap. 18. (e) A. D. N. DCCCCXXVII. (f) Possident id modo Bernenses. (g) Ex ipso instrumento.

licet rerum largitoris, tum vero pro requie domini mei piae memoriae principis Richardi, ac pro Vuilla regina, dehinc pro me, et Domino Rudolfo Rege filio meo, et item Rudolfo Rege nepote meo, pro aliis quoque filiis meis Hugone, Bosone, et Ludovico nepote, sed et pro ceteris consanguineis nostris, atque his qui nostro servitio adhaerent, pro genitore etiam, ac genitrice mea et Domino Hugone, insigni Abbate, seu ceteris nostris utriusque sexus propinquis, postremo pro illis qui adjutorium, vel defensionem Monachis ibi consistentibus praestiterint, pro statu quoque totius religionis, et pro omnibus Catholicis vivis et defunctis. Adjungit privilegia Monachis. *Placuit etiam huic testamento inseri, ut ab hac die, nec nostro, nec parentum nostrorum, nec fastibus regiae magnitudinis, nec cujuslibet terrenae potestatis jugo subjiciantur iidem Monachi ibidem congregati, neque aliquis principum secularium, non Comes quisquam, neque Episcopus quilibet, nec Pontifex supradictae sedis Romanae, per DEUM, et omnes sanctos ejus, et tremendi judicii diem contestor, deprecor, invadat res ipsorum DEI servorum, non distrahat, non minuat, non percambiet, non beneficiet alicui, non aliquem praelatum supra eos contra eorum voluntatem constituat.* etc. Mox vota, et preces, et imprecationes ardenti zelo et animo. *Et ut hoc nefas omnibus temerariis, ac improbis arctius inhibeatur, adhuc idem inculcans, subjungo, et obsecro vos o Sancti Apostoli, et gloriosi Principes terrae, Petre et Paule, et te Pontifex Pontificum Apostolicae sedis, ut per auctoritatem canonicam et Apostolicam, quam à DEO accepisti, alienes a consortio Sanctae DEI Ecclesiae, et sempiternae vitae, praedones et invasores, atque distractores harum rerum, quas supra dictis servis DEI, hilari mente, promtaque voluntate dono, sitisque tutores, ac defensores jam dicti loci Romanis, et servorum DEI ibi commorantium et commanentium.* etc. DAA. IX. Kal. IVLII. etc. ANNO V. *regnante Rudolfo gloriosissimo Rege. Ind. II.* Quae verba ego adposui non una de causa. Inprimis ut ostenderem duos eodem tempore vixisse Rudolfos, alterum Galliae, alterum Burgundiae Regem: illum Adelheidis ex Duce Richardo filium; hunc ex Rudolfo fratre nepotem. Eo magis quia utrumque historiarum praestantissimi scriptores, et in iis Paulus Aemilius, et plerique omnes, per errorem confundunt, unum eundem existimant traduntque. Addo ex eodem testamento, Rudolfum Galliae Regem plures quam duos annos, quod magna pars voluerunt, imperium habuisse. Nam eum se intelligere, cum ait, *Anno V. regnante Rudolfo gloriosissimo rege*, inde manifestum, quod de Rudolfo nepote non potuerit, cum ejus anno V. Rudolfus filius, Rex Galliae non fuerit. Rudolfus enim Burgundus successit patri anno nongentesimo duodecimo, quod superius ostendimus: Rudolfum ex Duce Burgundiae Regem Galliae nominatum, Sigebertus notat, sexto et vicesimo anno post nongentesimum. Unde hujus quoque instrumenti editionis tempus quivis colligere potest. Induciis finitis, Hungari subito ingenti multitudine Germaniam invaserunt, popularuntque. Heinricus Caesar quamvis aeger, et lectica decumbens obviam incessit, fuditque eos et fugavit (h) quadraginta hostium millia prope Mersburgum Saxoniae interfecit, claram memorabilemque ex barbaris victoriam reportavit, *pater patriae, rerum Dominus, Imperatorque ab exercitu appellatus, famam potentiae virtutisque cunctis gentibus et regibus longe lateque diffudit.* Illi bello et victoriae Guotramum interfuisse cum ducentis gravis armaturae equitibus, scriptor Equestrium decursionum, Chronographus Elsatiae (i), aliique tradidere. Sequenti anno Obotritos, Vandalosque, et alios Saxoniae ultimae populos debellavit, et ad Christianam Religionem et fidem suscipiendam adegit. Hinc, domitis undique hostibus, paceque et laude Imperio parta, eodem tempore, ludos equestres (k) eum instituisse in Germania primum prodiderunt, nobilitati et principibus tot bellis exhaustis et fessis in relaxamentum et voluptatem, sive, ne armorum usum per otium transmitterent. Prima eorum celebritas, praeside ipso Imperatore, Meindenburgi Saxoniae, A. D. N. DCCCCXXXVI. His quoque Guotramum adfuisse cum Comitibus clarissimis Theodorico Hollandiae, Arnoldo Cliviae, Othone Nassoviae, Heinrico Hennebergae, Gulielmo Montis fortis, Ludovico Furstenbergae, aliis, qui de ea re librum edidit, quantum illi fides est, memoriae mandavit, quamvis ibi Guotramus Comes de Habsburg, pro Altenburg, anticipatione poetica, ponatur. Anno (l) sequenti VI. Nonas Julii, esse desiit Heinricus Caesar, cum Othonem F. Caesarem designasset. Neque multo post etiam Rudolfus Rex Burgundiae defecit, magna, ut diximus, opinione sanctitatis. Sepultus est apud S. Mauritium (m), non Paterniaci, quod hactenus plerique tradiderunt. Neque enim adhuc conditum Paterniacum multis post annis Berchta vidua excitavit. Reliquit ex eadem Berchta filios tres Conradum Regem, Burcardum Archiepiscopum (n) Vesontionensem, et Rudolfum ducem (o), filiam unicam Adelheidem, quae primis nuptiis concessit in matrimonium Lotharii Italiae Regis, Hugonis F. Secundis collocata Othoni I. Imp. Othonem II. Imp. genuit. Berchta ipsa quoque Hugonis Regis, de quo diximus, conjugium ambivit, obtinuitque citius, quam honestas et luctus maritalis suadebant. Morte Imperatoris intellecta, Hungari per Bavariam, et Allemanniam ad lacum Brigantinum et Rhenum vagabundi Sanctionem pervenerunt. Eam insulam, et monasterium, multa antiquitate et opibus nobilitatum, insana cupidine invaserunt. Copiis igitur divisis, pars per brevia, et lintres, scutaque flumen trajecere: Ceteri ripa sinistra consederunt. Ita utrimque insulam circumvenere. Sed hi incuriosius, vicina vallis Friccae interim populati (p). Ea res advertit LANDOLUM Guotrami filium, vix pubertatis annos egressum, sed animi immodicum, et bellicae laudis avidum. Itaque obviam eundum hosti ratus, antequam Vocetii clemens jugum, qui solus differebat, superarent, paternaque et Comitatum Vindonissensem rape-

(h) Anno D. N. DCCCCXXXVI. Vitickindus Lib. I. Luitbrand. Lib. II. cap. 9. alii.

(i) Lib. II. cap. 33. (k) Torneamenta vulgo, hoc est, decursiones ac certamina Equestria. Videndus Georg. Ruxnerus Armorum Rex, ut volunt legitimus. (l) Anno D. N. DCCCCXXXVII. (m) Hermannus Cont. ad eumd. an. (n) Aut certe Lugdunensem, Viennensemve. Archiepiscopum enim fuisse, clarum ex literis fundationis Paterniaci, contra aliorum allucinationes. (o) Ut notat Chron. Mscr. Vandaliae, Ultrajuranum. (p) Hermannus Contract. Chro. Et Egerhardus de Casib. Monast. S. Galli Mscr.

raperent, vastarent; Cadolum seniorem Arragoviae Comitem, cujus caput quondam Augusta Rauracorum, quam Aragitz amnis, unde posterior comitatui denominatio, praeterfluit, vicinum et amicum adsciscit: Hermingo nobili Friccensi imperat, fortissimum quemque sumat, et impetum in barbaros palantes, et praedabundos faciat, sese porro ex insidiis cum iis, quos in montibus vicinis constituerat, in tempore adfuturum. Hermingus, cui magnam suorum partem Cadolus addiderat, jussa exsequitur, noctemque intempestam nactus hostes adoritur semisopitos, disjectos, partim repugnantes. At Landolus, excitatis quam creberrimis ignibus, eodem tempore, proximis suos e jugis deducit, ingentique clamore et incursu ab altero latere barbaros opprimit. Caesi, fusi, fugati, maximum Vindonissensium numerum ex ignium frequentia rati, plurimi sese in Rheuum abjecere, frustra ululantibus, et ad clamores et vulnera ingementibus, fundisque et jaculis suos propugnantibus, qui alteram ripam tenebant. Praeda totius Bavariae et Allemanniae rapinis multa et opulens D. Fridolino, insulae praesidi, partim consecrata; reliqua in monasterium, quod eodem proelio, Landolus Cadolusque voverant, si victoriam tenuissent, seposita (q). Haut pari felicitate, cum ea gente congressus in Elsatia Luitfridus Landoli magnus patruus. Hungari enim ceteri, populata interim Brisiaca, incenso etiam et direpto S. Trutberto, haud multo infra Basileam in Elsatiam transmiserunt, et ex quorumdam sententia Huningae, qui vicus ab illis tenuit nomen, castra posuerunt. Mox, audito Luitfridi cum suis adventu, aciem contra tulerunt. In ancipiti diu victoria stetit, donec, interfecto inter fortiter pugnandum Luitfrido, et barbarorum multitudine superante, Elsatae victi et profligati, non absque hostium tamen ingenti clade. Igitur metu, ne secundo cum tam obsirmatis dimicandum esset, relicta Germania, in Burgundiam per Sequanos penetrarunt. Contra eos Conradus Rex, quando vires ad resistendum non erant pares, ita fraudem instituit. Tenebant Burgundiae montana quaedam Saraceni, jam ab Carolo Martello, parvo tributo. Eos in Hungaros, si tributis liberari, si sedem perpetuam et tutam vellent, impulit: Contra, Hungaris, si Saracenorum reliquias excidissent, quaecunque optavissent, promisit. Ipse gentem utramque caede, fameque attritam et fessam, post insecutus, prope internicione delevit, paucis Hungarum in Italiam dilapsis. Guotramus, post Luitfridi caedem, omnium solus haeres, Divitis ea ex opum conjunctione cum fecisset cognomentum, Landolum, cujus virtutem praeterito praelio probaverat, Elsatiae et Brisiacae praefecit, Monasteriumque S. Trutberti reparare jussit. Transierat ea, quam diximus, barbarorum calamitas, repente cum ex Imperii principibus alia adflixit, rebellione Giselberti Lotharingiae Ducis, et Eberhardi Franconiae Comitis, aut, sicuti Continuator Rheginonis vocat, Francorum Ducis, tracto etiam in partes Caesaris fratre Heinrico: Illi quod sese ex antiqua Carolinorum stirpe ferrent, Saxonem aspernarentur (r): Iste, quod, Imperatore patre genitus, Othoni, qui eo privato natus erat, anteponendus videretur. Motus et Ludovicus Galliae Rex Austrasiani regni recipiendi spe. Multa et plurium annorum praelia, caedes, vastationes, incendia. Postremo omnis belli moles adversus Brisiacum Elsatiae opidum vertit. Eberhardus occupaverat, et accepto ab Ludovico Rege praesidio, retinebat, eoque magnam Elsatiae et Sequanorum partem Caesari fidam adflictabat, utramque Rheni ripam infestam habebat, late omnia depopulabatur. Illud igitur Caesar exercitu, maxime ex Allemannis, Sequanis et Elsatis confecto, circumsedit (s). Giselbertus et Eberhardus obsidionem depulsuri, adverso Rheno, magnis copiis subeunt: partem trajicere flumen praecipiunt: robur ipsi retinent, mox secuturi, nisi inopinantes inter epulandum Hermannus Allemanniae Dux, cum fratribus Udone et Conrado oppressisset, ferro Eberhardo interfecto, Giselberto, dum flumen equo et fuga tentat, aquis suffocato. Brisiacenses, audito pugnae eventu, deditionem fecere. Caesar hinc Lotharingiam ingressus, Imperio in perpetuum vindicavit: Ludovico Regi sororem Gerburgam, Giselberti viduam, matrimonio tradidit, pacem et amicitiam cum eo firmavit. Ceterum Eberhardum supra dictum Comitem Latzius (t) et Heuterus (u) Guotrami nostri fratrem adserunt, Brisiacae Landgravium. Qui praecesserunt utrumque Sigebertus et Nauclerus Comitem palatii vocant, cujus regio et origo alia, et scriptoribus nota, Palatinatum vulgo dicunt. Rheginonis Continuator, ut ante diximus, ducem Francorum. Otho Caesar, pacata Elsatia, recepta Lotharingia, in Burgundiam transiit, et Conradum Regem in fidem et clientelam suscepit, belique et pacis socium fidum et fortem habuit. Ejus regnum Germanico Imperio, sicut ante Lotharingiam, conjunxit (x). Paulo post obiit Guotramus A. D. N. DCCCCXLVI. VII. Kal. Aprilis, magni sua tempestate nominis et potentiae. Volfgangus Latzius uxores illi dat duas Brigantinam ex Montfortibus: alteram Itam Adelberonis a Caloe filiam: tot et easdem Eintzingerus, et qui secuti Heuterus, De Rhoo, Chronographus Elsatiae, et alii. Filios quatuor *Betzonem, gentis propagatorem, Guntzelinum, sive parvum Conradum Ergoviae Comitem, Bertilonem Dominum in Straichberg et Scharpfenstein etc. et Gebizonem Basiliensem praesulem, auctorem coenobii Veissenau prope Ravensburgum etc.* Qui hos omnes aetate et scriptis hac de re praecessit Jacobus Menlius (y) tres tantum reperisse variis ex documentis scripturisque Guotrami filios adfirmat, Betzelinum aut Boetzlin, ex antiqua, in qua depictus, apud S. Cyriacum tabula; Birchtilonem, sive Berhilonem, Gebezonem, aut Gebzonem, qui conjunctis opibus, sanctimonialium Monasterium Sultzberg, in Brisiaca condiderunt, sub Othone III. Imp. ubi etiam omnes sunt sepulti. Esse etiam, ait, quaedam indicia quae Gebzonem quoque Monasterium Veissenau prope Ravensburgum de suo posuisse ostendunt, cujus verum nomen Gebzonis fuisse Gebhardum literae fundationis S. Cyriaci Sultzbergae testantur. Condidit quoque Brichtilo Monasterium D. Margaritae Valdkirchii ad Harciniam, quam fundationem Otho III. Imp. pariter adprobavit, intercessu Burcardi Allemanniae Ducis, literis datis Sasbach. Mihi ante

I 2

(q) Anno D. N. DCCCCXXXVIII. (r) Vitickindus Lib. II. Luitbrand. Lib. IV. cap. 14. et seq. Otho Frising. Lib. VI. Sigeb. Chro. Ursberg. Naucler gener. 32.

(s) Anno D. N. DCCCCXLIV. (t) Comment. Lib. I. cap. 9. (u) Libell. de orig. cap. 8. (x) Anno D. N. DCCCCXLV. (y) Chronico principali Mscr.

ante testatum, utcumque se reliqua habeant, Acta me in posterum, memoriasque Murenses praecipue secuturum et proditurum, quibus LANCELINUS GUOTRAMI DIVITIS filius, magnae domus magnus haeres.

CAPUT SECUNDUM.

LANDOLUS I. COMES Altenburgi, Elsatiae et Brisiacae Landgravius.

VULGUS nominabat LANZEL, frequenti literarum D. et Z. apud Germanos mutatione, uti loco alio et opere ostendimus. Acta inde Murensia LANZELINUM vocant. Alii Betzonem, aut Bezzelinum, et Vecelinum dixerunt, usitato nominum antiquis scriptoribus abusu, veluti Berchtoldi et Bertolfi, Arnulfi et Arnoldi, Beringeri, Verneri, et Vernarii, similiumque, quae licet magnam alias diversitudinem inter se contineant, haud raro tamen magnis auctoribus videntur confusa. SENIOREM quoque dixerunt ob filium cognominem, et MAGNUM AVUM, quatenus ex eo, tamquam stirpe, multi clari et eximii principes orti, sicuti Duces Zeringenses, et Teccenses, Marchiones Badenses, et Hochbergenses, super HABSBURGIENSES, et denique AUSTRIAE DUCES et ARCHIDUCES. Per ea tempora refert libri Equestrium auctor, Hermannum, Allemanniae Ducem, nobilitatis ad ea exercitamenta conventum Constantiae egisse (a), quibus interfuerit Lancelinus, cum aliis vicinitatis Comitibus, Theodebaldo Kiburgiensi, et Dilingano, Burcardo Veringensi, Rudolfo Montis fortis, Theodebaldo Ferretensi, Viperto Liningensi, Volfgango Zollerano, aliis. Landoli filiam, eodem loco et tempore, ante omnes, in honorem et famam Heinrico Bavariae Duci, Caesaris fratri, primas ad choreas inter virgines traditam, notat, praeter eum, Chronographus Elsatiae (b). Hermanno pauca deinceps vita fuit. Obiit enim eodem anno octavo et quadragesimo, IV. Eidus Decembris. Caesar Allemanniae Ducatum dedit Luitolfo filio, qui Hermanni filiam Itam in matrimonio habebat, et ab ipso haeres institutus erat. Caeterum Ludicra Constantiensia bellum Gallicum excepit (c), expeditione in Galliam suscepta ab Othone, precibus Gerburgae sororis, ad liberationem Ludovici Regis, quem per insidias et fraudem proceres nonnulli captum, in custodiam miserant. Sigebertus legiones habuisse Caesarem duas et triginta (d); ceteri ultra viginti prodidere (e). Laudunum, Rhemos, Rhotomagum, arces, castella pluria expugnavit: Nortmannos, qui praecipue tumultuabantur, domuit: regno regem pacemque restituit. Quibus feliciter gestis, victorem et volentem exercitum in Italiam duxit (f), Conrado maxime Rege obtestante, cujus sororem Adelheidem Lotharii regis viduam, Berengarius tyrannus obsidione premebat Cassone (g) in arce. Eam sibi matrimonio junxit (h) Caesar, Italiamque, pulso Beringario, Imperio reddidit. Quae ut per rerum successum felicem Othoni gratissima evenerunt; ita Luitolfum, ex Edgide Angla prima conjuge filium, Allemanniae Ducem, per invidiae aemulationem graviter adfecerunt, quod haud dubiam ex eo conjugio sobolem, et blanditiis muliebribus ipso patri acceptiorem vulgo jactabant. Itaque contra patrem rebellionem professus, Conradum quoque Lotharingiae Ducem sororium, et Arnoldum Bavarum, Arnoldi quondam Ducis F. impulit ad partes (i). Qua ex contentione, cum Germaniae universae atrociter discordarent, Burgundia nutaret, multi Vindonissensis et proximae nobilitatis Luitolfo, ut Allemanniae principi et vicino faverent, potissima pars Imperatorem sectaretur, ante omnes Burgundiae Rex Conradus, novo jam quoque per adfinitatem vinculo, et causa belli. Nam et in famam, uti diximus, Luitolfus dederat, se movisse contra patrem, quod Adelheidem Conradi sororem recenti matrimonio sibi copulasset, prolisque spe, et studiis muliebribus, animum a se abalienasset, comperto, acerrima et sempiterna novercarum adversus privignos odia; intolerabile vero imperium, cui femina praesideret. Igitur, cunctis turbantibus, nullo nisi apud validiorem praesidio, Rorensis comitatus plures incolae, qui hactenus liberi egerant, publica privataque ex suo jure et arbitrio habuerant, solius Imperii Germanici majestatem erant reveriti, ad Landolum adiere, quatenus cetera Vindonissensium ferme obtineret, se quoque protegendos acciperet, in ejus se manu libertatem, et opes, et fortunas committere. Unum rogare; liberos fuisse meminisset, sponte illorum patronum sumtum et defensorem; ceterum clientium munus et obsequium cum fide praestituros. Ea res, ut inopina Landolo accidit, ita illi ingentem laetitiam peperit. Nam eadem jam Guotramus pater tentaverat, precibusque promissa miscuerat; nunc vero ultro praevenisse quos ipse postremo minis aut vi subacturus erat, in praecipua suae fortunae parte ponebat. Igitur pluribus collaudatos, probatoque eorum judicio, cuncta vicissim a se exspectarent, quae ob optimo quoque et fortissimo, donum remisit. Sed operae pretium erit iisdem de incolis alia repetere, et de eorum origine pauca memorare. Cum igitur LEGIONIS VINDONISSAE praefectus sive Comes, uti supra ostendimus (k), Burgundis sese tradidisset, (veluti alii plerique per utramque Germaniam, et alias Provincias, aliis, quae tum Romanum Imperium invaserunt, et oppresserunt, nationibus,) militum alius alio evasissent, non pauci, coeli solique adsuetudine, aut quia alia deerant, nam eodem tempore Italiam Gothi, Galliarum cetera et Hispanias plurimae, super Vandalos, aliae gentes barbarae premebant, proximos campos occupavere, domosque et habitamenta constituerunt. Utque contuberniis diversi alteri ab alteris transegerant, ita plures vicos incoluere, moribus, institutis, jure separatos, et veluti tot communitates, aut Respublicas, nulla re alia inter se, aut adversus rerum potentes obnoxii, integri ac

(a) Anno D. N. DCCCCXLVIII. (b) Lib. II. cap. 93. (c) Vitikindus Lib. III. (d) Nauclerus gen. 32. P. Aemilius Lib. IV. (e) Anno D. N. DCCCCXLIX. (f) Anno D. N. DCCCCL.

(g) Male Canusium vocant. (h) A. D. N. DCCCCLI. (i) Anno D. N. DCCCCLIII. (k) Lib. II. cap. 2.

ac liberi, sola ab primo initio nominis Burgundici Francicique reverentia. Unde libera officia vulgo nominati. Jam enim in consuetudinem Theodosii ac Valentiniani Impp. lex valuerat, quae milites agrorum in limitibus possessores, immunes et collationum vacuos esse jusserat. Neque Comites Vindonissenses a principio molesti esse, ut erga cives aut commilitones. Primus Guotramus fuit, veluti obsoleta memoria, qui auderet, sed hactenus, ut beneficiis illigaret, tum preces et promissa adhiberet, adeo humanitate et benevolentia potius subjicere conaretur. Alia mens Landolo fuit, qui paterna vana reputans ad vim animum induxerat, nisi deditionem, ut diximus, acceleravissent. Ipse primo facilis, mox, tamquam ex protectionis pacto, tributa exigere, postremo et collectas indicere, agris tectisque abnuentes et contumaces deturbare, sua eo mancipia et pecua transferre, adeoque eodem, quo erga subditos, non clientes, jure et imperio uti. In hunc quidem modum Acta Murensis Monasterii, si hanc partem vera, ubi de habitatoribus ejus, ubi Monasterium, regionis. *Habuerunt vero hic quidam divites liberique homines curtim, quorum et ipsa Ecclesia fuit, qui rogaverunt* LANCELINUM COMITEM DE ALTENBURG, *filium Guntrami Divitis, ut esset defensor suarum rerum, qui acquiescens petitioni eorum, tamdiu illis in hoc praefuit, quousque totum in suam potestatem tam juste, quam injuste contraxit. Cujus potentiam ceteri rustici, qui erant liberi, et in ipso vico constituti, intuentes, etiam ipsi sua praedia in ejus defensionem, sub legitimo censu, tradiderunt, sicque factum est, ut ipse Comes pene locum subjiceret, ac, effugatis propriis haeredibus, servos et ancillas suas cum ejus, et pecoribus, et omnibus utensilibus suis hic faceret habitare usque ad mortem suam.* Durabat interim Hungarûm immanitas, rursusque Rhenum transmiserant, Elsatiamque et Galliam populaverant, domumque per Italiam redierant (m). Postremo eorum magna et inaudita apud Vindelicorum Augustam, et flumen Licum facta strages (n), Othonis Caes. ducta, S. Ulrici Episcopi meritis, cum tanta multitudine domo exiissent, ut nisi terra dehisceret, vel coelum eos obrueret, ab aliquo se vinci posse negarent. Ea victoria Imperio pax, et Europae salus parta, die festo D. Laurentii martyris. *Otho pater patriae, et Imperator ab exercitu salutatus.* Pacata Germania, Imperioque ad decus pristinum post multas tempestates redacto, Luitolfum filium, quem in gratiam dudum receptum pientissimus parens primae dignitati et amori restituerat, in Italiam misit, contra Beringarium semper perfidum, numquam quietum. Is (o) primo impetu hostem fugavit, mox proelio certare aggressum, cum copiis omnibus pene internicione delevit, Italiam universam subegit et pacavit. Ne quiete, et in quem redegerat statum diu Provincia agitare posset, Ducis eximii mors obfuit. Obiit, immaturo exitu, et omnibus bonis lamentabili, Plumbiae (p). Gulielmus frater Archiepiscopus Maguntiacum transtulit, et multis cum lacrimis apud S. Albanum sepelivit. Ducatum Allemanniae, quia Otho Luitolfi filius unicus tener admodum erat, commisit Imperator Burcardo III. Burcardi II. filio, Itae Luitolfi viduae fratri uterino. Hinc, rebus Italiae componendis, quae, post filii obitum, acrius turbaverant, animum adjiciens, Othonem ex Adelhaide natum, septem annorum puerum, Caesarem designavit, et Aquis Grani inungendum curavit die pentecostes, Brunonique fratri Coloniensi, et Gulielmo filio Maguntiensi, Archiepiscopis educandum tradidit (q). Inde Italiam Tridento petiit, Beringarium tota Insubria exagitavit, in montes, et loca abdita repulit. Romamque profectus, comitante Conrado Rege sororio, cum pleraque Burgundiae nobilitate, a Joanne Pontifice Romanorum Imperator coronatus est (r). Constituta et quieta Italia, in Germaniam rediit. Othonem F. in finibus Galliae et Allemanniae, sive in Elsatia, obvium habuit (s). Neque multo post, Langobardorum defectione audita, et Romanorum adversus Joannem injuriis, rursus in Italiam (t) *per Elsatiam, et Curiam* transcendit, Langobardos repressit, Joannem Pontificem restituit, filium Othonem Romae coronandum curavit (u), postea vita (x) solutus eumdem successorem habuit. Imperatorem morte adsecutus Burcardus Dux Allemanniae. Otho II. Ducatum commisit Othoni, ex fratre Luitolfo nepoti. Multa vero Othonis Caesaris domi forisque bella fuerunt, contra Heinricum Bavariae Ducem patruelem, quem Ducatu etiam privavit (y); contra Lotharium Galliae Regem, Gerburga amita generatum, in quem in Lotharingiam exercitum duxit, eumque ad Sequanam et Parisios usque profligavit; Lotharingiam, quam occuparat, recuperavit; Regem ad pacem et amicitiam reduxit. In Italia cum varia fortuna belligerasset, et Othone nepote mortuo (z), Conradum I. Allemanniae Ducem instituisset, Romae IV. Eidus Decembris exstinctus est (aa). Ex ejus morte, et successione lis orta inter principes, aliis Heinricum Bavariae Ducem legentibus. Qui Romae tunc erant, Othonem tertium, secundi filium, Caesarem nominavere, annos duodecim natum, Mirabilia mundi ex rerum gestarum gloria dictum. Benedictus pontifex eorum judicium probavit. Othonis adolescentis prima contra Bohemos, et eorum Ducem Misiconem bella fuere: mox in Saxones et Brandeburgienses rebelles. Quo pariter tempore defunctus Landolus, cum ferme omnibus Regum et Imperatorum sui temporis expeditionibus interfuisset. Excessit A. D. N. DCCCCXCI. IV. Nonas Aprilis. Ind. IV. Sepultus est Sultzbergae in aede Capituli veteris, quod Monasterium sanctimonialium cum fratre Birchtilone condidit. Quidam etiam juxta opidum posuisse eodem nomine adfirmant, quamvis id potius ex ipso postea Monasterio, ut plerumque, natum existimem. Fundationis literae testantur, illud Monasterium fundatum in villa, cui nomen Mons salsuginis, in comitatu Adelberontis. Ex quo tamen non recte quis arguat, Altenburgienses in Brisiaca non tenuisse dominatum. Etsi enimvero Ducatus et Comitatus antiquitus haereditarii non essent, quod alias tetigimus; neque

(m) Anno D. N. DCCCCLIV. (n) Anno D. N. DCCCCLV. Vitickindus Lib. III. Herm. Contract. Chro. Lamb. Schafn. Chro. Sigebert. Chro. (o) Anno D. N. DCCCCLVI. et seq. (p) Anno D. N. DCCCCLVII.

(q) Anno D. N. DCCCCLXI. (r) Anno D. N. DCCCCLXII. (s) Anno D. N. DCCCCLXV. (t) Anno D. N. DCCCCLXVI. (u) Anno D. N. DCCCCLXVIII. (x) Anno D. N. DCCCCLXXIII. (y) Anno D. N. DCCCCLXXVIII. (z) Anno D. N. DCCCCLXXXII. (aa) Anno D. N. DCCCCLXXXIII.

neque secus, quam modo praefecturae Imperiales, haberentur; saepius tamen Reges et Imperatores pleraque eorumdem comitatuum dominia et bona, ipsis, qui praesidebant, largiebantur, diversis ex causis, saepius acceptae pecuniae pignora; alias ob praestita belli domique servitia; adeoque praeter summum Imperium, et pauca fisci regii privilegia, in quibus erant vectigalia, portoria, alia nonnulla, quae tamen etiam Comites plerumque ad se trahebant, quandoque simul accipiebant, condonabant omnia. Ita fiebat, ut cum Comites alii regionis solum, dominiumque possiderent fruerenturque, alios tamen Comites super imponerent, qui res fiscales, tamquam curatores, disponerent, saepius de controversiis cognoscerent, praecipue criminalia judicarent, ante omnia, ut Majestas Imperii observaretur, operam et curam adhiberent, haud secus ferme quam Romanorum Imperio apud socios et confoederatos, liberasque Civitates, Caesarum Procuratores. Inde eveniebat, ut cum suis ex possessionibus, et in iis, Monasteria construerent Comites, plerumque ea in alterius Comitis Comitatu, hoc est, praefectura Imperiali, (bb) facere se instrumentis testentur. Postea tamen, et hoc ipso pene sub Othone III. Comitatus et Ducatus haereditarii sunt facti. Quae haud quaquam eo dixi, quasi in Landgraviatu Brisiacae plures Comites, Altenburgiensibus, veluti principibus, subjecti esse non potuerint, et inter eos Adelberontem, haud secus quam in Elsatiae Landgraviatu fuisse plures manifestum est, sed uti discrimen Comitum fundi, fiscique demonstrarem, rem, ut in tali materia, cognitu non indignam. Landolo sive Lancelino Latzius (cc) *ex variis uxoribus* in Commentariis liberos tribuit mares quatuor, *Gebbardum, ex Monacho Hirsaugiensi Constantiensem praesulem: Rapatonem Ergoviae Comitem stirpis propagatorem: Rudolfum Sundgoviae Comitem, Auctorem Coenobii S. Mariae in Othmarsen, qui cum uxore Adelheide comitissa a Froburg in S. Blasio nigrae sylvae tumulatus cernitur: Betzelinum Comitem, et Richensam Comiti a Lentzburg ad Arulam nuptam.* At vero in migrationibus (dd) uxorem illi dat *Comitissam a Sonnenberg*, et ex ea filios tres, *Vernerum, Antistitem Argentinensem etc. Rudolfum qui Othmarsheim fundavit, etc. et Rapatonem fundatorem Muri Monasterii in Argovia etc.* Gerhardus de Rhoo (ee) filios illi parit ex variis quoque uxoribus septem, *Gebbardum Episcopum Constantiensem: Eberbardum Brisgoviae Landgravium: Berchtoldum Sueviae et Carinthiae Ducem: Rudolfum Sundgoviae Comitem, et Betzelinum Alsatiae, Rapatonem Ergoviae Comites, et Conradum Dominum in Straichburg, et Scharpfenstein.* Pontus Heuterus (ff) a Latzii Commentariis non recedit. Eintzingerus tres tantum ponit *Rapatonem, Rudolfum, et Vernerum Episcopum.* Tres etiam ante omnes Jacobus Menlius constituit, *Rudolfum Othomarsheim conditorem: Berchtoldum Barbatum, primum Zeringiae Ducem, et Radepotonem.* Qui postremo Chronica Helvetiae (gg) et Elsatiae (hh) scripsere magis minuunt: *Rudolfum et Rathbotonem* solos recensent. Mihi ex monumentis Murensibus compertum filios suscepisse quatuor, RATHBOTUM, VERNERUM, RUDOLFUM, et LANDOLUM juniorem. De filia, cujus memoriam tenet inter Equestria eorum Ludicrorum scriptor, nihil habeo dicere. Ex quibus, aut qua uxore, non etiam est in promtu quod adfirmem. Liber antiquior vitae in Heremo Landoli, si hic Landolus, uxorem notat Luitgardim Eberhardi. Unde haud ex vano forte conjectura, ejus Eberhardi filiam, qui Othoni I. Imp. rebellarit, et apud Andernacum ceciderit. Manlius sepultam, quaecumque fuerit, prope maritum ait, in eadem veteris Capituli aede, viderique, absque nomine, saxo sculptam effigiem. Gebhardus Hirsaugiae primo Monachus, post Constantiensis Episcopus, non ille Landoli filius fuit, sed Berchtoldi primi Zeringiae Comitis, Berchtoldi secundi Ducis frater, de quibus postea plura. Neque Richensa, quae Lentzburgiensi nupsit, ex eo procreata, sed ex Rathboto neptis fuit. Haec certa. Birchtilonis Lancelini fratris memoriam retinent quaedam instrumenta ab Othone III. Unum vidi quo Sliengam, notum Brisiacae vicum, donavit Hildebaldo Vormatiensi Episcopo. (ii) *Otto divina clementia Rex, etc. Omnium fidelium nostrorum tam praesentium quam futurorum noverit solers industria, quomodo nos ob petitionem et interventum Hadeuuigis Ducis nostrae, scilicet dilectae consanguineae, etc. dedimus ad Ecclesiam Vormatiae in honore S. Petri Apostolorum Principis constructam, cui modo vir venerabilis Hildebaldus Episcopus praeesse dignoscitur, quoddam nostrae proprietatis praedium, Salcia dictum, atque id ipsum praedium in pago Brisgoviae dicto, et in Comitatu Birchtilonis Comitis situm, etc. Data XIV. Kal. Julii, Anno Dominicae Incarnationis DCCCCXC. Ind. III. Anno autem tertii Othonis regnantis septimo. Actum Franckenfurt.* Alterum, quo mutationem, quam idem Hildebaldus Episcopus cum Gregorio Heremitarum Abbate fecerat ejusdem praedii, confirmat. *Otho divina favente clementia Rex etc. Notum sit omnibus etc. qualiter inter Hildebaldum Vormatiensis Ecclesiae Antistitem, et Gregorium Monasterii, quod Meginrades cella nuncupatur, venerabilem Abbatem etc. praediorum commutationem fieri placuit etc. Supramemoratus namque Hildebaldus Episcopus, cum consensu Ecclesiae suae clericorum, suprascripto Abbati, ac suis fratribus, praedium suum Schelca nuncupatum, in Ducatu Allemannico, in pago Brissachgouve, in Comitatu Birichtilonis comitis sito, cum omnibus etc. Data V. Idus Decembris, An. Dn. Inc. DCCCCXCV. Ind. VIII. Anno autem tertii Othonis regnantis XII. Actum Franckonefurt.* Neque de Birchtilone aliud jam quidem occurrit. Omnes Monasterium sanctimonialium quod postea in Canonicos mutavit, in honorem S. Margarithae, ad amnis Elsae ripam et Harciniam, condidisse eum consentiunt, cui ex circumjectis sylvis Vualdkirch mansit vocabulum, vixisseque adhuc cum Gebhardo fratre Anno D. N. MVIII.

(bb) Ut supra fundatio S. Trutberti, sub Comite Vuoluvino. (cc) Comm. Lib. I. cap. 11. (dd) Lib. VIII. (ee) Lib. I. Annal. Austr. (ff) Libello de orig. cap. 3. (gg) Lib. VII. cap. 13. (hh) Lib. II. cap. 93.

(ii) Ex Archivis Heremi singulari favore et benivolentia Illustrissimi, et Reverendissimi Abbatis Augustini nunc peculiari cum laude praesidentis.

CAPUT

CAPUT TERTIUM.

RATHBOT COMES ALTENburgi, Elſatiae et Briſiacae Landgravius.

VARIAE hujus nominis inter ſcriptores, et veteres memorias, declinationes. Acta Murenſia, et liber vitarum Heremi, Radepotonem ferme explicant, uti et Jacobus Menlius. Latzius Rapatonem: at Pontus Heuterus Rapatanim: alii Radebonem. Mihi liquet antiquum et verum Germanicum vocabulum illi fuiſſe RATHBOT, ab conſilii acumine, et praeſtantia, explicationeque; qualia ferme fuere cetera per compoſitionem Germanorum nomina, quae apud Caeſarem Julium, Cornelium Tacitum, aliosque vulgo leges. Interpretari nihil ad hunc locum, aut meum inſtitutum pertinet. Praeſtiterunt alii, quorum conjecturis non invideo. Ceterum poſtquam Landolus vita eſt egreſſus; filii, quos memoravi, paterna diviſere. RATHBOT Vindoniſſam, et Comitatum Altenburgienſem: RUDOLFUS quae in Elſatia et Sequanis: LANDOLUS Briſiacam obtinuit; ceterum tenera admodum aetate, ſed egregia indole, cum VERNERO fratre canonico Argentinae ferme habitavit. Libera quae vocant officia indiviſa manſere; ſive communibus opibus magis continerentur: aut quia quiſque ad ſe trahebat. Paucis poſt annis (a), mortuus Conradus, Rex Burgundiae, regni quinquageſimo ſexto, relicto Rudolfo III. filio ſucceſſore, et ſuae ſtirpis Rege ultimo, quem nonnulli Fatuum, Hermannus Contractus Ignavum vocat, utrumque ex mentis vitio. Filiae praeterea Conradi fuere Berchta, quae nupſit Othoni Campaniae Comiti, et Trecarum Marchioni, Othonemque genuit: Giſela, quam duxit Heinricus Dux Bavariae cognomento Rixoſus, ex qua Heinricus II. Imp. et Gerburga, quae collocata Hermanno Comiti, quem, poſt Conradum, Otho III. Imp. Allemanniae Ducem creavit, ex qua Giſela Conradi II. uxor, et Heinrici III. Impp. mater. Profectus vero in Italiam Caeſar, Creſcentium domuit, Gregorium conſanguineum Pontificem inſtituit, et ab eo Imperatoria ornamenta accepit V. Eidus Junii (b). Inde in Germaniam reditum acceleravit, Belgii turbas placavit, Bruxellis (c) conventum principum habuit, exeunte Octobri. Anno ſequenti (d), cum, mortuo XIII. Kal. Septembris Conrado, Allemanniae Ducatum commiſiſſet Hermanno Comiti, ejus nominis II. magnae opulentiae viro, Rudolfi Regis, ut ſupra diximus, ſororio, in Italiam rediit, Creſcentium iterum rebellem in poteſtatem redegit, et cum conjuratis capite plexum, patibulo adfixit IV. Kal. Maj. (e) multisque rebus praeclare, et fortiter geſtis vitam exuit, X. Kal. Februarii (f), morbo, an veneno, dubium fuit; plures vim credidere. Sed poſteaquam Otho, magno ſui deſiderio, terris ereptus, nullo ex ſe haerede, omnium exſpectationem, et vota fefellit, grave et cruentum inter Hermannum Allemanniae Ducem, Heinricumque Bavarum de imperio certamen incidit. Ille viribus, et opulentia: hic etiam haereditate nitebatur, quod Heinrici Othonis M. fratris ex Heinrico filio nepos, eodem cum Othone III. gradu ſanguinis eſſet. Regni igitur inſignia per violentiam ab Heriberto Colonienſi Archiepiſcopo, qui ex Italia reportarat, extorſit: nonnullos mox principum conciliavit: poſtremo per Viligiſum, Maguntiaci Antiſtitem, coronam ſibi impoſuit, magnumque exercitum in Hermannum paravit. Ille validiſſimis Elſatarum et totius Allemanniae copiis factis, Argentinam, e proximis ad Rhenum, Bavarum profiteri auſam, repentina clade adfecit, direptamque, magna edita caede, poſtremo incendit. Mox totis viribus adverſus Heinricum collatis, multo ſuorum ſanguine repulſus, et fugatus, dilabente milite, et fortuna Bavari validiore, pacem petiit, et obtinuit (g). Heinricus, pacatis Germaniae rebus, in Italiam expeditionem habuit (h), Ticinum, et in eo rebelles obſedit: captum direptumque inflammavit: Inſubres ſubjugavit. Poſt in Germaniam per Lepontios rediens, Tiguri paululum ſubſtitit, Ducatum Allemanniae, Hermanni II. morte quarto Nonas Maj. vacuum, conceſſit filio ejus Hermanno III. ſuo conſobrino magnae exſpectationis, et in vulgo favoris adoleſcentulo. Abbatum ibidem Heremitarum, et S. Galli privilegiis auctoritatem ſuam adjecit (i) XV. *Julii Ind. II. regni III.* qua tempeſtate, *fames et mortalitas tam graviter per totum pene orbem invaluit, ut ſepelientium taedio vivi adhuc ſpiritum trahentes obruerentur cum mortuis*, inquit Sigebertus (k). At vero liberûm officiorum, quos diximus, incolae, cum longe aliter eveniſſe, quam praeſumſerant, animadverterent, ſeque haud perinde in protectionem, quam ſervitutem traditos; aegerrime pati, dominationisque inſolentes, quidvis aliud, quam imperantium faſtum et cupidinem tolerare. *Rejiciundum igitur jugum quod ſuis humeris humanae lubidinis rudes impoſuerint, aut tyrannidem porro, et cetera victorum rebellione mereri. Providentia ante mala praeſentia vitari potuiſſe: vires nunc, et arma opus eſſe. Et bello vinci, quam ſecordia perire eſſe acrioris animi. Id quoque ad ſolatium vertere. Reliqua rerum haud aeque, quam bella fortunam moderari. Poſterius, an graviora ab victoribus exſpectent, quam ut tectis, focis, agris praecipitentur, quorum jam quoque uſum, et poſſeſſionem amiſerint? Mortem porro fortibus precaria vita potiorem.* Non deerant vulgo mixti nobiles, qui ardentes inflammarent Volenses, Vilmeringenſes, Heideccii, Hilticenſes, alii, quorum facultates ex vicanorum bono. Igitur certi belli ad Rathbotum miſere, qui res repeterent, ſimul oſtenderent, *Lancelino ſeſe parenti poteſtatem ſui feciſſe, non in abuſum, ſed ut conſervaret, liberos eſſe a liberis progenitos. Comiti cum honorem iviſſe habitum, ut, ante omnes, patronum, non dominum; defenſorem, non occupatorem rebus ſuis praeficerent. Quod ſi ea mente Rathbotus ſit, ut quid potius ſeſe deceat, et aequum poſtulet, quam ex lubidine parentis, animum inducat,*

(a) Anno D. N. DCCCCXCIV. (b) Anno D. N. DCCCCXCVI. (c) Ex inſtrument. ibidem datis. (d) Anno D. N. DCCCCXCVII. (e) Ex inſtr. dato Romae eodem die, et Anno DCCCCXCVIII. „quando Creſcentius decollatus ſuſpenſus fuit, „ Verba ſunt diplomatis. (f) Anno D. N. MII.

(g) Anno D. N. MIII. (h) Anno D. N. MIV. (i) Ex inſtrument. confirmat. (k) In Chro. ad annum D. N. MV. ſicuti et Herm. Contractus.

possessoribus ablata restituat, amice et juste cum ipsis conveniat, sese porro protectorem alium non morari, in officio futuros; si secus animatus sit, in armis refugium habere. Neque morati, Rathboti exercitum apud locum, cui Marbach vocabulum est, obviam offendere, subitoque congressi, irritatis utrimque animis, illis pro salute et libertate; his pro laude et gloria certantibus. Pulsi postremo agrestes. Neque incruenta Comiti victoria fuit, quo acerbius in victos consuleret. Nam et servitute haud paucos adfecit, et caesorum bona suis mancipiis dedit; utque magis contineret, cum tota familia, relicto in tempus Altenburgo, eo migravit, arcemque medio regionis, quae cervicibus omnium incumberet, collocavit, et Scharpfenstein, sive Petram acutam vocavit, monimento ne quis impingeret, eo, ubi nunc Meyenberga est, loco, quod opidum Baro Geslerus (l) postea condidit. Acta Murensia haec paucis, post Landoli mortem, et quomodo libera Officia subjecisset. *Cujus morte audita, haeredes cupientes obtinere possessiones suas, surrexerunt cum multo comitatu, et venerunt usque ad locum, qui dicitur Marbach, ibidemque jussu Radebotonis filii ipsius Lancelini ab istius loci hominibus cum injuria repulsi, redierunt in locum suum, nec ulterius adposuerunt huc venire.* Paulo post. *Repulsis igitur prioribus habitatoribus, quia nemo fuit qui contradiceret, Radeboto Comes, jam pro haereditate possidens locum, et omnia ad eum pertinentia, potentius ac firmius quam pater sibi subjecit, ac in suum dominium contraxit, adeo ut sibimet etiam domum fabricaret, et cum omni familia sua, ac supellectili hic habitaret.* His transactis, haud vulgari fortitudinis et opulentiae opinione apud exteros, et vicinos, nam in multo majus id bellum, Comitisque ex victoria potentiam, fama dispersserat, persuaseratque, uxorem sibi Rathbot optavit (m) ITAM, Friderici superioris Lotharingiae ad Mosellam Ducis, et Hadvigis, Hugone Magno (a quo hodierni Franciae Reges,) et Haduige, Othonis I. Imp. sorore, genitae filiam, Theodorici, post patrem etiam Ducis, et Adelberonis II. Mediomatricum, egregia eruditione et sanctitudine Episcopi, sororem germanam, Cunonis Rhinfeldae Comitis uterinam, eique matrimonii nomine Libera Officia consignavit. Acta Mur. *Idem vero Radeboto cum sibi congruum visum est, ut uxorem duceret, accepit de partibus Lotharingorum uxorem nomine Itam, sororem Theodorici Ducis, postpositisque aliis praediis suis, quae rectius tenebat, dedit illi hunc locum in dotem.* Imperite Chronicon Lotharingiae, et alii, eosque inter Nicolaus Clemens Traelcus (n), Gozeli I. Augusti, Gottfridi Barbati fratris; aut, ut reliqui volunt, Gottfridi ejusdem filiam Itam tradidere, cum ex Sigeberto, et Contracto, et aliis, satis constet, per haec tempora non Gozelum, sive, ut nonnulli nominant, Gotezelum, sed Fridericum, et Theodoricum praefuisse; Lotharingiam Gozelum, haud paucis post annis (o), pulso Gerhardo, Theodorici filio, sibi vindicavisse. Ceterum ex his quoque quivis intelligit Altenburgienses Comites magno in honore, potentia, et favore fuisse, utpote maximis, et principalibus familiis sanguine et adfinitate conjunctos. Duxerat paulo ante Rudolfus frater Adelberonis Comitis Froburgiensis ad Jurassi dextrum latus, (Hauenstein inferius adcolae vocant,) filiam ADELEIDIM, antiquissima et nobilissima familia longe insignem, ejusque precibus et sollicitatu tum condebat sanctimonialium Monasterium, in honorem tutelamque Deiparae matris OTHMARSHEIMI, vico Elsatiae superioris, Romanis, et priscis temporibus Martis delubro et cultura celebri. Brevi post Rathboti nuptias, et ejus auxiliis, obsedit Heinricus Caesar Metas (p), Theodorici Lotharingiae Ducis supra memorati causa, et precibus, quas Theodoricus Sigfridi Palatini Comitis, et Kunigundae reginae frater, Caesaris inimicus, occupaverat. Adelberone enim fratre, Metensium Episcopo vita soluto, filium Theodoricus Dux substituerat, eique Theodoricum palatinum ejusdem Ecclesiae canonicum tutorem dederat. At ille, et Theodorici filium urbe exclusit, et fraude patrem intercepit, custodiaque inclusit, Lotharingia, et simul Episcopatu potitus est. Caesar, vastatis circa omnibus, et deditione urbis facta, supplicio, qui meruerant, adfecit, Theodoricumque in pristinam libertatem, et dignitatem restituit. Hinc Basileam rediens posuit (q) inibi Cathedralis Ecclesiae fundamenta post annos tres et nonaginta, quam Hungari incenderant, profanarantque. Hermanno quoque III. Duce absque sobole Kal. Aprilis exstincto, Allemanniae Ducatum dedit Ernesto I. Comiti, qui Giselam consobrinam suam, Hermanni III. sororem, in matrimonio habebat, Adelberti Austriae Marchionis fratri uterino. Obiit eodem pariter tempore Alvicus, Argentinensis Episcopus. In ejus locum suffectus VERNERUS ALTENBURGIENSIS, adnitentibus maxime Rathboto et Rudolfo, Landoloque fratribus. Florebantque nobilis familiae res, opibusque et auctoritate ante alios erant, gravis cum inter fratres discordia incessit. Jam saepiùs et diu flagitaverat Rudolfus, suo et fratrum nomine, partem Liberum Officiorum; abnuerat semper Rathbotus, bello et victoria sibi parta praetendens. *Ut enim parenti subditi fuerint, neque in partitionem venerint, rebellione omnium dominatum exuisse. Se suis opibus subegisse. Quae solus quaesierit inique in commune vocari.* Aderant partibus fautores Rudolfo praeter ceteros socer Adelbero. Rathboto Comes Rhinfeldensis Cuno. Medius Ulricus Comes Lentzburgiensis incedebat, Rathboto pronior. Sed Rudolfus, raptis ultra Vocetium copiis, antequam praeveniretur, Pontem Arulae diripuit, vicos incendit, Altenburgo frustra tentato, praedas abegit, et manipulos incruentos in Elsatiam reduxit. Paucis haec notarunt Acta Mur.: *Fratre autem ejus Radebotonis Rudolfo, qui Cellam Othmarsheim construxit, dicente, ut dividerent locum; sicut et alias possessiones suas, et ipso non consentiente, illo autem fortiter instante, venit huc idem Rudolfus, haec omnia incendio tradidit, ac praedatus est, quo facto, discessit, sed tamen a fratre suo nihil obtinere valuit.* Belli sanguinolenti et saevi, acrioribus inter propinquos odiis, hoc tamen primordium seminariumque fuerat, nisi, Rudolfo paulo post exstincto, scilicet Anno D. N. MXIII. et interea induciis factis, domui tranquillitas, pax subditis revenisset. Latzius et Heuterus Rudolfum apud S. Blasium Harciniae silvae sepultum ferunt. Melius et probabilius

(l) Chron. Tugiens. Mscr. (m) Anno D. N. MIX. (n) Libello de Austrasiae Regib. et Ducib. (o) Anno scilicet MXXXIII. Sigeberto teste.

(p) Sigebert. Chron. (q) Anno D. N. MX.

lius Jacobus Menlius qui Othmarsheim, in Monasterio quod construxerat, vult conditum, in quo etiam reliquum vitae, nullis susceptis liberis, uxor Adelheid confecit. Eodem prope tempore (r), Romae Heinricus cum uxore Kunigunda coronam ab Benedicto VIII. accepit, VII. Kal. Maj. Imperator eo nomine primus. Ejus absentia, ut plerumque, turbandi nonnullis occasionem aperuit. In primis Gerhardus (s) fuit, Theodorico, qui paulo ante obierat, genitus, Dux Lotharingiae, inquieto animo, et impotenti, Itae Altenburgiensis nepos. Is contra Imperium multa ausus, proximos quosque vexare, premere, nova consilia agitare, Caesarianos undique lacessere, ferro post et flamma vastare, nihil pensi, aut aequi habere, donec, jussu Imperatoris, Gotfridus, qui inferiorem Lotharingiam ad Mosam, etiam Ducis nomine tenebat, occurreret, acieque superaret, et tota Lotharingia profligatum in ordinem redigeret. Ducatum Lotharingiae superioris dedit Imperator Friderico Comiti, Gotfridi propinquo. Gerhardum comitatus avitus Egesheimii Elsatiae recepit. Genuit Gerhardum II. qui Ulricum et Stephanum Egesheimenses Comites (t). Notat ea hoc tempore accidisse Sigebertus; Hermannus Contractus tertio ab hoc anno (u). Non desunt qui huic rebellioni favisse, opesque suppeditasse secretas, tamquam ex adfinitate, sive alia fuit causa, Rathbotum, et Vernerum Episcopum fratres, prodidere. Illis diebus (x), Ernesto I. inter venationem ab Adelberone Comite interfecto, Allemanniae imperium suscepit, gratia Imperatoris, filius ejus Ernestus II. Sed Vernerus, utcumque cetera se habeant, dum haec geruntur, veteri Ecclesiae Cathedralis fabrica dissoluta, sive eam de coelo ignis in cineres redegerat, Clodovei primi Francorum Regum Christiani, ut ferebant, opus, ut clarior resurgeret, posuit Argentinae ejus templi fundamenta (y), quod trecentos ferme post annos in eam amplitudinem, et pulchritudinem subcrevit, ut orbis inter miracula merito numerari possit. Centum Vernero fabri in eo exerciti decimo anno solo tenus molem eduxere. Inter illa quoque oblata Itae Rathboti ex conscientia religio. Cum enim accepisset Liberûm Officiorum conditionem, quibus ob matrimonium fruebatur (z), quaque ratione ex liberis suique juris, alieni et servi facti essent, itaque a se possideri, animo fluctuare, et de manumittendis, restituendisque saepe multumque cogitare. Sed nec quibus restitutionem faceret satis apparebat. Mutationes enim plures evenisse: alio alios migrasse: multos obiisse: emtione, versura alterum ab altero habere: plerosque incolas novos esse, et postremo, si omnia paterent, maritum non permissurum. *Tandem*, ait Actorum scriptor, *inspirata, ut creditur, a DEO, qui ejecit gentes, et plantavit vineam suam in terra promissionis translatam de Aegypto, cogitavit ut sibi talem haeredem acquireret, cui nullus successor invideret.* Adsumto igitur in consilium et curarum partem Vernero Episcopo, cogitationes aperuit, locumque condendo Monasterio aptissimum ostendit, ad eam rem, si probaret, facultates et opes habere, impedimentum a marito superesse. *Ille*, addit idem scriptor, *gavisus in Domino monuit, ut in hac voluntate persisteret, promisitque illi se in omnibus, quibus ipse posset, adjutorem*, ceteraque quibus obsistere frater posset, curaturum. Id vero facile fore si Ita donationem propter nuptias remisisset, ipse pro paternae haereditatis parte eam regionem obtinuisset. Gratissimum id Itae accidit. Simul igitur fratribus ad se Argentinam vocatis, una cum Ita, et fratre ejus Cunone, haud gravatim omnes impulit, ut suae, et Comitissae petitioni acquiescerent, Libera Officia pro parte sibi traderent, inde Coenobii origo esset, Rathbotus curam aedificandi, instituendi gereret; Cuno Romam destinaretur, qui *omnia ad altare sancti Petri sub legitimo censu pro libertate firmanda contraderet.* Postremo et factum instrumentum quo praedia, familiae, mancipia, cetera includerentur, quae Monasterio cederent, idque Cunoni, qui scilicet Romam perferret, traditum. Acta: *Tunc fecerunt scribi chartam firmitatis in qua composuerunt quae et quanta praedia, et quot Ministros, vel familiam, vel aliam substantiam huc delegassent, et sic omnia in manus Comitis Cunonis commendaverunt, eo pacto, quo superius dictum est.* Illa tempestate venit Heinricus Tigurum, ibique Virandi Abbatis Heremi privilegia confirmavit IV. *Nonas Septembris Indict. I. regni XVII. Imp. V* (aa). Tiguro Basileam tetendit, ubi Adelbero Episcopus basilicam, quam Imperator regio sumtu et censu ea in civitate fecerat, in honorem DEI genitricis, solennitate magna, et Episcoporum et principum frequentia, V. Eidus Octobris (bb) dedicavit, et consecravit. Inter alios, praeter Imperatorem ipsum, et conjugem Kunigundam, adfuere Poppo Trevirensis Archiepiscopus, Vernerus Argentinensis, Ruthardus Constantiensis, Hugo Genevensis, Hugo Lausanensis, aliique plures Episcopi. Rudolfum Burgundiae Regem multis contumeliis jam antea adfecerant Burgundi, suapte insolentia, aut ejus ingenii despicatu. Igitur cum eas non ultra perferre animum obfirmasset, Henricum Imp. Basileae moras facientem adiit, regnum, quod ex Imperatoris manu habebat, redditurus, aut contra arrogantiam suorum consilium et opem imploraturus. Heinricus, parata jam in Italiam expeditione, Regem Vernero Episcopo commendavit, illiusque salutem et dignitatem curae habere jussit. Vernerus, collectis magnis copiis suorum, fratrumque Rathboti et Landoli opibus, exercitum in Burgundiam duxit, rebellesque, et eorum Ducem Gulielmum Comitem, ingenti proelio, prope Genevam superavit, seditionis auctores punivit, cuncta Rudolfo Regi pacata et quieta reddidit (cc). Quibus rebus non solum se, fratresque Episcopus ab Lotharingiae conjurationis, de qua supra retulimus, opinione, aut suspicione liberavit, sed Imperatoris gratiam singularem omnibus paravit. Inde moribus cleri restituendis animum intendens Concilio provinciali, quod Aribo Maguntiacensis antistes apud Selegestadium agitavit, interfuit. De quo Chronicon Hirsaugiense. *Anno MXXIII. Ind. VI. Aribo Maguntinus Archiepiscopus idibus Augusti Synodum Episcoporum et Abbatum celebravit in Monasterio SS. Marcellini, et Petri*

L

(r) Anno D. N. MXIV. (s) Rathboti adfinis. (t) Genesis Murensis mon. fundatorum. (u) Anno D. N. MXVII. (x) Anno D. N. MXV. (y) Eodem supr. An. Vimphelingius de Episcopis Argent. Gebvillerus Paneg. Carolinae convent. (z) Chronog. Elsatiae Lib. VIII. cap. 13.

(aa) Anno D. N. MXVIII. (bb) Anno D. N. MXIX. (cc) Anno D. N. MXX. Contract. Chron. Sigebert. Chron. Helv. Lib. IV. cap. 39. Chron. Elsat. Lib. IV. cap. 46.

cri in Selgestat, pro pace cleri, et utilitate Ecclesiastica, ubi multa, summa providentia, fuerunt instituta. In hac Synodo sancta, sicut ex gestis ejus legimus, fuerunt praesentes Burcardus Episcopus Vormatiensis, Vernharius (dd) *Episcopus Argentinensis, Bruno Augustensis, frater Heinrici Imp. Everardus Episcopus Bambergensis, Meginhardus Episcopus Herbipolensis; praeter Abbates plures, Fuldensem, Hirsfeldensem, Laurisheimensem.* Heinricus post illa multis rebus praeclare gestis, ex Italia rediens fato functus est III. Eidus Julii. *Consulentibus principibus, successorem Conradum* (ee) *destinavit, virum egregii generis, et egregiae libertatis, quippe qui numquam submiserit se alicujus servituti*, inquit Sigebertus. Egregii sane generis. Habuit enim patrem Heinricum, avum Othonem, Allemanniae et Bavariae Ducem, proavum Luitolfum Othone primo Imp. generatum. Quod ideo adnotavi, quia de ejus stirpe, nemo, quem noverim, curatius investigavit, aut quidquam certi tradidit. Regnandi initium, ut alias, principum discordia et invidia, anceps et turbidum. Rebellarunt enim continuo (gg) Conradus patruelis, Carinthiae Dux, Ernestus Dux Allemanniae ex Gisela conjuge privignus, Velfo Comes Altorffi, aliique, et foedere inito, totam pene Germaniam concitarunt. Ea occasione discordiae, referunt Acta, *cum maximum placitum* totius nobilitatis Argoviae, Turgoviae, et vicinitatis, *fieret juxta pontem fluvii, qui Glat* (hh) *dicitur, venit illuc Comes Radeboto, et accersivit de cella Sancti Meginradi Abbatem venerabilem nomine Embricium, et eum rogavit, ut pro DEI amore ipse faceret hic Monasterium construi, et cetera quae fuissent necessaria habitacula Monachis, et suos fratres ad hoc implendum destinaret; Cui cum ipse Abbas vix assensum praeberet, multis Comitis et uxoris ejus precibus motus, locum commendatum in suum magisterium suscipiens* (ii) *mox huc destinavit Reginboldum Monachum in omnibus actibus ejus laudabilem virum, qui nuper antea a Salodoro Castro ad conversionem venerat, et ei praecepit, ut ipse praepositus esset hic, et quidquid utilitatis hic ordinare potuisset facere non differret. Misit et alios fratres, qui eum adjuvarent, et libros, quorum quidam adhuc hic sunt, et missales, et vestes, et alias varias supellectiles. Et sic primum huc venerunt Monachi.* Constituta in hunc modum Monasterii Murensis fundamenta. Nomen loci, quod illic antiqui muri, ruderaque, et aedificiorum ruinae. An ab Romanis, et Vindonissa, et per eorum cultum? Acta: *Locus iste qui inde quod agrum nostrum, et agros rusticorum hic juxta superiorem vicum subterranei muri antiquitus constructi inveniuntur, nominatur* MURA. Multam vero in his omnibus Itae praecipue diligentiam, industriam, pietatem, liberalitatem, et curam, eadem testantur Acta. *Ad ista autem omnia adjuvit eum* Reginboldum *satis bene Comitissa Ita in omnibus quibus potuit, tam caementarios acquirendo, et illos hic pascendo, et mercedem dando, quam in vestibus, et aliis in rebus, huc dando.* Ceterum superiorem in principum conjurationem nomen quoque dedisse suum Vernerum Argentinensem, non absque consciis fratribus, traditum ferunt Chronico Ebersheimensi, et annalibus Elsatiae, qui comperto proinde a se Caesaris animum alienatum, posseque sede deturbari, opibus suis, fratrumque firmandis animum intenderit, plura Episcopatus beneficia, et, si quae vacua erant, iis tradiderit, arces, opida, vicos, agros, jura, judicia: Rathboto quoque ingentem pecuniae vim, Castro et munimento inexpugnabili, paterno in solo constituendo, cui HABESBURG esset nomen, quod eo habentiam suam conferre destinaret. In Vindonissensi Comitatu pauca per ea tempora munimenta erant, quae vim majorem tolerarent. Vindonissa in ruina: Castrum Vindonissense, sive Altenburg, loco plano et patenti, nisi qua flumine Arula ambitur, murorum quidem mole ingenti, sed per aetatem fluxa et praecipiti. Arovia, Pons Arulae, Biberstein opida parum firma. Arcem Rorae fossae muniebant, situ destituebatur, molli clivo, et accessibili. Collis supra Altenburgum paulo erectior, Vuildbesberg vulgo nominabant, ab Arula, prope ad Ursam, per passus circiter mille, clementi jugo, et ferme aequali, sese porrigebat, qua Arulam, et Occidentem respicit aliquantum sublimior. Ejus collis verticem, qua maxime ab flumine attollitur, Rathbotus capere constituit, ibique HABSBURGUM, fratris sui nomine, ponere, rudi opere, sed ad vim impenetrabili. Unus aditus versus Aquilonem aderat, cetera rupium ingentia praecipitia claudebant; eum aditum duplici fossa occupavit, propugnamentisque, ut adhuc rudera, et lapidum congesti ad ingressum cumuli ostendunt, firmavit. Interiora arcis, et ejus pars magna superest nunc etiam, coliturque. Mulier anus, et exita aetate nobis ad ea loca visentibus mira recensebat, quae a majoribus accepisset, monstrabatque Comitum septem, ut ipsa adfirmabat, in eodem arcis ambitu disjuncta habitamenta, sive totidem familiarum separatas sedes. Et esse potuit. Cum pluribus annis simul vixerint Rudolfus, qui postea imperavit, et fratres, Albertus et Hartmannus, itemque omnium pater Albertus, Rudolfus quoque avus, una cum Rudolfo patruo, et liberis ejus. Sed neque sic fore omnia tuta Rathbotus ducens, nisi, qui novam munitionem tuerentur, pariter adessent, omnem pene vicinam nobilitatem Argoviae, Turgoviae, Frickgoviae, Hegoviae, et Cletgoviae, Rhenique et Allemanniae concivit, largitione, praemiis, promissis. Postremo in sua fratrumque voluntate futuros sacramento plerosque adegit. Nec multo post Habsburgum Vernerus tetendit sperans ex pecuniarum summa, locum, ut ante omnes fortissimum, ita pulcherrimum inventurum. Cuncta, ut diximus, prope informia fuere, et praeter situm, saxorumque ingentem congeriem, et rude caementum, delectabile nihil, aut amoenum. Rogatus Rathbotus quo tantas opes profudisset, postera sese die rationem daturum respondit. Igitur omnem vicinam nobilitatem, per noctem, collem ex plano, qua potuit, circumvenire jussit, primoque mane in armis esse. Nox ita, uti jusserat, transacta. Coepta luce, cum forte arcem manu militum armisque, ad exortum solem late coruscantibus, circumdari Vernerus animadvertisset, deprachensum se, et inimicas esse cohortes ratus, ingenti metu trepidare, prorsusque in hostium potestatem venisse arbitrari. Nam neque adhuc propugna-

(dd) Sic saepe legas apud Aimonem pro Vernero, ut apud Contractum et Rhenonem Valtarius pro Valtero: Guntharius pro Gunthero, alia sexcenta apud scriptores illorum temporum. Magis mutarunt Itali qui Beringarios scripserunt. (ee) Anno D. N. MXXIV. (gg) Anno D. N. MXXV. (hh) Glat fluv. prope Tigurum. (ii) Anno D. N. MXXVI.

pugnamenta erant, quibus in longum resisterent, et commeatus, ut re nova, non suppetebant, arcem nisi in paucos dies teneri posse compertum omnibus erat. Rathbot denique angustias exolvit ademitque: utriusque amicos et auxiliarios et clientes esse dictitans, illa, quam requireret, pecunia emtos et obnoxios. Mox intromissos, omnes Episcopo honorem habere jussit. Ille admiratus fratris prudentiam et industriam, probatoque ejus maximo opere consilio, vultu hilari succedentes accepit, muneribusque aliis alios adfectos, laetos lubentesque domos quemque suas dimisit. Hoc HABSBURGI certum et principium primum. Et illud idem forte est, quod Albertus Argentinensis voluit (kk)? Nam ejus Vernerum, Episcopum Argentinensem, conditorem auctoremque, ex ipsius mox testimonio ostendemus, ut nugas et deliramenta tandem relinquamus, quae Latzius, quaeque alii super hac re prodidere, conditorem scilicet Rapatonem nomen ab Avendo, quod Ottobertus posuerit; aut ab Aventino Urbis monte, ut Volaterranus et Arnoldus Vion, sumsisse; qui Avendum, aut Aventinum viderit numquam, nec forte audiverit, certe numquam possederit. Multo tempore in hunc modum transacto, neque adhuc Comes Cuno iter Romam susceperat, instigantibus licet, et monentibus assiduo sorore et Rathboto, neque promissa exequuturus videbatur. *Postremo*, inquit Actorum scriptor, *pigritia victus, venit ad Tallwyl villam, quae est juxta Turicinum lacum, et huc sine dubio pertinet, et ibi locum, et omnia sibi commendata, DEO et sanctae genitrici illius MARIAE, et sancto Petro, et omnibus sanctis DEI tradidit, seque ita pacto, de quo adjuratus fuerat, absoluit.* Non longa Cunoni ex eo vita fuit, magnis per ea tempora opibus, et insigni inter Imperii proceres auctoritate. Habuit uxorem Richuaram Cunonis Oeningae (ll) Comitis, et Richlindis, Othone I. Imp. et Adelheidae genitae, filiam, quae Rudolfum Rhinfeldae Comitem, et Allemanniae Ducem, postremo contra Heinricum IV. electum Romanorum Regem, peperit, et Adelberonem Vormatiae Episcopum. Erat ante conditum Monasterium vico Muri paroecia, presbyterumque tum quidem Voconem decumae alebant: Ea Ecclesia et reditibus an frui Monachi possent, in conditionem, ut illi tamen secum secularem presbyterum haberent, qui populo praeesset, Rathbot et Reginboldus profecti Constantiam Varmannum Episcopum consuluere. *Ille devotioni ejus congaudens*, adjungit Actorum conditor, *cum consilio prudentium virorum omnia quae voluit concessit, dicens Ecclesiam inde non destrui, sed potius construi; centum homines majus servitium DEO exhibere posse, quam unum: se numquam velle laudem DEI minuere, sed augere magis. Hac licentia, et consolatione accepta, iterum idem Comes Radepoto, suadente domina Ita uxore sua, eumdem presbyterum, cum istam Ecclesiam Episcopo reddidisset, alio constituit esse, eique duas alias delegavit, unam ad Etickoven, alteram ad Esickoven. Sicque domino Reginboldo, et omnibus sequacibus suis, qui sunt Monachi, Episcopo concedente, et Radebotone tradente, sine ulla contradictione, liber aditus et ingressus patefactus est, ut nemo eis neque in spiritualibus, nec secularibus praesit, nec obsit, nec opprimat, nec oppugnet, sed in illorum potestate omnia consistant, et regant.* Haec autem facta pene omnia suasu et stimulis Itae idem scriptor saepius adnuit, qui ob ea, alio in loco, rationem reddit, cur potius fundatio Monasterii Episcopo Vernero; quam Itae tribuatur, aut Rathboto. *Hoc enim*, ait, *propterea sapientibus viris visum est melius, quia ipse in his tribus personis potior inventus est, ut eo firmior ac validior sententia sit, quam si a femina constructum esse diceretur.* Sed Ita brevi postea defecit. Obiit eodem Anno D. N. MXXVI. X. Kal. Augusti, et Muri sepulta est. Ejus quoque apud Heremitas per plura beneficia grata memoria, excessusque ejus libro Vitae in hunc modum notatus. X. KALENDAS AUGUSTI OBIIT ITA COMITISSA UXOR COMITIS RADEBOTONIS DE VINDONISSA. Proditum Chronico Ebersheimensi ejus Monasterii Abbatem hoc tempore Vernerum Episcopum, apud Conradum Caesarem detulisse, quod cum multa, quae Episcopatus essent, fratribus indulsisset, sui quoque Monasterii, cujus advocatus et patronus erat, vicos nonnullos, Sultz, Burckheim, Nordhause, Hundesheim, alios, ad eosdem transferre conaretur. Caesarem Vernero, fratribusque rescripsisse, bonis Monasterii abstinerent, si quae per vim possideant, restituerent, gratiam si suam, et Imperii vellent, inde in Italiam abiisse, neque per ejus absentiam Monachos quidquam obtinere potuisse. Uxorem paucis mensibus Rathbot Comes Altenburgi morte secutus. Desiit esse A. D. N. MXXVII. feria VI. Christi Vindicis et servatoris nostri nece et cruciatibus, annua memoria, omnibus piis lamentabili. Ea in A. D. IX. Kal. Aprilis inciderat. Corpus ad Murense Monasterium detulere, ibique sepeliere. Acta: *Interea vero, mortuo Radepoto Comite, corpus ejus translatum est huc, et sepultum ante altare S. Crucis.* Illum Latzius et Heuterus filios procreasse quatuor adserunt (mm), *Vernerum successorem, auctorem coenobii Vettingensis prope Baden in Helvetiis, etc. Theodericum ex Lotharingiae Duce expulso auctorem Comitum Rhinfeldensium, Albertum, et Beringerum, qui ante diem juvenes obierant, et Itam Rapatoni Comiti ab Altenburg collocatam.* Qua in re multiplici erratione involvuntur. Nam de Vettingensis Monasterii origine alibi dictum, et sub Friderico II. Imp. A. D. N. MCCXXVII. conditum, ex instrumentis fundationis ostendimus. Neque ejus auctorem esse Vernerum, sed Heinricum Rapersuillae Comitem, cui ex pluribus peregrinationibus Vuandelbare cognomentum. Neque Theodoricus umquam Radeboti et Itae filius; sed hujus frater, illius adfinis; aut ipse Lotharingia umquam privatus, sed Gerhardus illius filius. Comites quoque Rhinfeldenses non ex eo, sed ex Cunone, ejus et Itae fratre uterino, quam Itam Rapatoni Comiti ab Altenburg collocatam dum adserit, recte sentit; dum Rathboti filiam Rapatoni, Comiti ab Altenburg, matrimonio datam scribit, solitum se praebuit. Observantior, an prudentior in Migrationibus (nn), Rathboti filios tres tantum ponit, Albertum, Vernerum, et

(kk) Ejus verba posuimus supra Lib. I. cap. 2. (ll) Ad lacum Constantiensem.

(mm) Comment. Lib. I. cap. 12. (nn) Lib. VIII. Migrat.

et Othonem, et Richensam filiam. Eos fuisse, praeter ceteros scriptores, qui eadem tradidere, Acta quoque confirmant, morte Rathboti narrata: *Post ejus obitum filii ejus* OTHO, ADELBERTUS, *et* VERNERUS *diviserunt sibi locum istum, prout iis placuit.* Habuit etiam filiam RICHENSAM, quae Uldarico, Uldarici, cognomento Divitis Filio Comiti Lentzburgiensi, nupsit. Adolescentes autem, et tenerae admodum aetatis, fuisse iisdem chartis proditum. Othonem annorum quindecim, Adelbertum tredecim, Vernerum decem, Richensam biennem. Omnibus tutorem Landolum patruum relictum, uti patrimonii Verneri Episcopi administrum, et procuratorem. Iisdem diebus VII. scilicet Kal. Aprilis, festo die paschatis, Conradus II. a Joanne XX. Imperatorium titulum, eo nomine primus accepit, latera stipantibus Contone Angliae (oo), et Rudolfo Burgundiae Regibus. Mox, rebus Italiae constitutis, in Helvetiam et Tigurum venit. Embricii Heremitarum Abbatis privilegia confirmavit, XIV. Kal. Septembris Ind. X. regni III. Imp. I. Chronicon Ebersheimense saepius memoratum ad eandem quoque urbem ejus monasterii Abbatem venisse tradidit, novis de Vernero Episcopo ad Conradum querelis, sed inter alia spretam Imperatoris reverentiam, contemta mandata, superbiam, insolentiam, pro maximis sceleribus ingeminasse. Motum Imperatorem. Sed cum Episcopi contra opulentiam, Comitumque Vindonissensium factionem secum putaret, animo anxium, et per incerta tractum. Nam neque principem virum, magna dignitate, maximis opibus, sine turba publice puniri, et ob unius querimoniam, fortean parum certam, tot offensiones incidere grave pariter et periculosum arbitrabatur. Tota enim ferme Allemanniae, Elsatiae, et Helvetiae, Brisiacaeque nobilitas sanguine, et adfinitate, postremo et beneficiis, et amicitia, aut foedere Vindonissensibus adnexa. Comites inprimis Lentzburgienses, Egesheimenses, Rhinfeldenses, Rupenses Burgundi, Ferretae, Kiburgi, Nellenburgi, alii. Hac perplexitudine, de principum quorumdam consilio, per speciem legationis, Constantinopolin Vernerum mittere decrevisse, occultis ad Orientis Imperatorem nunciis, rebellem et regiae Majestatis contemtorem, perpetuis vinculis attineret, aut insula includeret. In Insula paulo post taedio et moerore exsulem distabuisse. Haec in Chronico Ebersheimensi, ut dixi, observata, malivolentiane, et falso; an ex veritate, et meritis, apud auctorem fides sit. Acta sane Murensia, et Hermannus Contractus qui tum vivebat, neque quae gerebantur ignorare poterat, Constantinopolin missu Imperatoris Vernerum profectum, ibique natalitiis diebus eodem hoc anno, aut sequenti, vita functum, sed absque vi, tradiderunt. *Confirmatis his pactis*, inquit Actorum scriptor, *Vernerus Episcopus, jussione Conradi Imperatoris, ad Constantinopolitanam urbem abiit, ibidemque defunctus est, anno domini nostri millesimo vigesimo septimo, dominica Incarnationis; indictione decima.* Contractus ad eumdem annum. *Vuerinharius Argentinae praesul Constantinopolin ab Imperatore legatus dirigitur, ibique in sequenti anno defunctus Wilhelmum successorem accepit.* Utcumque ea sint, in legationem abiturus Vernerus testamentum condidit, HABSBURGIENSES COMITES, qui aetate praecederent, HABSBURGUMque possiderent, Murensis Monasterii advocatos et protectores instituit, illudque in eadem, qua ipsum jure et libertate relinquebat, tuerentur et defenderent injunxit, multa ad Monasterium privilegia addidit. Acta haec Argentinae Nonis Septembris. Quibus de omnibus istuc sumsi ex ipso autographo exemplum (pp).

NE QUA ingeniorum pervicacia, quae ordinavimus, pervertantur, vel transeuntibus aetatibus oblivioni tradantur, praesenti testamento tam praesentium, quam succedentium generationum memoriae commendamus, qualiter ego VERNARIUS Strasburgensis Episcopus, et castri, quod dicitur HABESBURG, fundator, monasterium in patrimonio meo, in loco, qui MURE dicitur, in pago Argoia, in Comitatu Rore, in honore sanctae et individuae Trinitatis, et sanctae DEI genitricis MARIAE, omniumque sanctorum construxi, quod titulo beati Martini Episcopi in perpetuum dicavi, cui praedia, quae haereditario jure mihi contigerant, per manum germani fratris mei LANCELINI, qui utpote militiae cingulo praeditus defensor patrimonii mei exstiterat, cum legitima possessione villarum, familiarum, agrorum, silvarum, pratorum, montium, omniumque appendicium contradidi. Statuimus etiam, ut fratres inibi sub monachica vita, secundum regulam beati Benedicti, degentes, Abbatem sibi libera electione, sive de sua, sive de alia congregatione praestituant. Quod si eligendo quandoque, quod DEUS abnuat, fratres discordes fuerint, pars sanioris consilii quem elegerit, unanimiter omnes obtineant, qui non superfluitate, vel morum improbitate, seu tyrannica dominatione, dissipare, sed provida ordinatione, et industri sagacitate, res Monasterii, ut fidelis dispensator, studeat disponere. Nec cuiquam in beneficium, sed pro legitimo reditu praestare praesumat. Ipse autem Abbas, communicato fratrum consilio, advocatum de mea posteritate, quae praefato Castro HABESBURG dominetur, qui major natu fuerit, tali conditione eligat, ut si quas oppressiones intolerabiles monasterio intulerit, et inde secundo et tertio commonitus, incorrigibilis exstiterit, eo abjecto, alius de eadem progenie, qui in eodem sit Castro HABESBURG, sine contradictione, subrogetur, hoc adjecto, ut si masculinus sexus in nostra generatione defecerit, mulier ejusdem generis, quae eidem Castro HABESBURG haereditario jure praesideat, advocatiam a manu Abbatis suscipiat, quam advocatiam, nec ab Rege, nec ab alia persona, nisi a solo Abbate, cuiquam suscipere liceat. Et si quis aliter ad eam accesserit, ipsa, quam illicite usurpaverat, omnimodo privetur. Porro nec ipse Abbas eam-

(oo) Gotfridus Viterbiensis parte XVII.

(pp) Testamenti apographum, ex ipso autographo sumtum, consensu et benivolentia Reverendiss. D. Joannis Jodoci Murensis Abbatis dignius.

eamdem advocatiam, ut beneficium, sed ut quamdam commendationem, et Monasterii tuitionem cuiquam committat. Sed nec ipse, qui praestitutus fuerit advocatus, quidquam de rebus Monasterii, sive in fundis, sive in mancipiis, sive de ipsa advocatia, cuiquam praestare audeat. Ad ampliorem etiam ejusdem Monasterii honorem et utilitatem, perpetua lege sancimus, ut si quis de nostris ministerialibus, cujusque sexus, quidquam de rebus suis, sive in agris, sive in mancipiis, sanus, aut in aegritudine positus, illuc dare voluerit, sine manu, sive respectu domini sui, sine cujuslibet personae reclamatione, libera hoc faciat facultate, et quod tradiderit postmodum, nec dominus, nec conjunx, aut filius, aut filia, aut quisquam aliquo modo abalienare praesumat. Minor autem familia ejusdem Monasterii, et familia dominorum, qui Castro HABESBURG praesident, eodem jure, ac lege, et sua teneant, et pensum servituris reddant. Si quis demum huic nostrae conscriptioni aliqua temeritate contra ire nisus fuerit, eum vinculo anathematis innodatum usque ad condignam satisfactionem pontificali auctoritate damnamus, sigilli (qq) quoque nostri impressione hanc chartam, ut quod continet ratum permaneat, signamus.

ANNO AB INCARNATIONE DOMINI MILLESIMO VIGESIMO SEPTIMO INDICTIONE DECIMA REGNANTE CONRADO IMPERATORE AUGUSTO SCRIPTA SUNT HAEC.

Atque hic, ut supra diximus, HABESBURGI auctor, haec origo vera, certaque, et deinceps qui VINDONISSENSES sese primo Comites aut ALTENBURGIENSES nominaverant, postremo omnes se HABSBURGIENSES dixere, HABSBURGIENSIUMQUE inde, et AUSTRIACORUM, toto terrarum orbe, fama, et gloria. Vanitas hinc quoque Vionis (rr) clara et manifesta, qui sub Friderico Ahenobarbo Imp. a Perleonibus, montis Aventini Comitibus, Habsburgum, quasi Aventini burgum conditum, uti saepe memoravimus (ss), et ab illis, exsulibus et rebellibus, Habsburgienses Comites, et Austriae Duces, et Archiduces porro derivat. Postquam legationem Vernerus Episcopus iniit, Landolus, quem, uti prius patrem, Bezelinum alii, et Lancelinum, Vecelinumque nonnulli vocant, non solum Rathboti fratris filiorum tutelam suscepit, sed etiam, donec nepotes adolescerent, Murensis Monasterii advocationem, quamvis de eo nulla in Actis mentio, sive quia illi non adeo multorum deinceps annorum vita fuit, aut potius quatenus ad aliud monasterium, ut videbimus, opes suas, et curas convertit, et in Elsatia fere, et Brisiaca agitavit. Imperator Tiguro Ulmam profectus, conventum ibi principum habuit (tt), Heinricumque filium ex Gisela, consensu procerum, Caesarem designavit, qui ab eo ordinationis annos suis diplomatis numerare coepit. Inde exercitum in Ernestum Allemanniae Ducem privignum, et Velsonem secundo rebelles, Vernerumque Kiburgiensem Comitem, quem sibi adjunxerant, vere ineunte, misit: illum ducatu, alterum comitatu exuit, Kiburgum, et in eo Vernerum obsedit, et post mensem tertium, dilapso furtim Comite, expugnavit, et diruit. Postremo deditionem omnes fecere, factorumque gratiam, precibus Giselae, quae pro Ernesto filio praecipue calidissimas fuderat, obtinuere. Mox Cunrado per Hungaricum et Polonicum bellum implicito, tertio rebelles Castrum Valckenstain, ad Harciniam silvam, Mangoldi Nellenburgiensis Comitis Cunrado fidi, et a secretis, obsedere. Mangoldus suos liberaturus, quas potuit eo copias duxit. Acie XVI. Kal. Septembris (uu) certatum. Interfecti Ernestus Dux, et Comes Vernerus, ceteri fusi. Mangoldo victoria, et simul ex vulnere mors relicta. Ducatum Allemanniae Hermanno IV. alteri privigno concessit Imperator. Per eadem tempora Rudolfus Burgundiae Rex, taedio morboque, et aetate, cum nullis legitimis susceptis liberis sibi extrema adesse sentiret, coronam, sceptrumque, et cetera regni, ad Cunradum Imp. misit (xx), Heinricumque Caesarem, ex nepti Gisela pronepotem, (Giselae enim, Gerburga sorore Rudolfi et Hermanno Allemanniae Duce generatae, mariti tres. Primus fuit Bruno Marchio Saxoniae, ex familia Aucupis: alter Ernestus I. Dux Allemanniae: tertius Cunradus II. Imp. Heinrici III. pater) haeredem ex asse instituit: Othonem Campaniae Comitem, ex sorore Berchta nepotem, exclusit, aliis de causis, maxime quod regnum, insita mortalibus cupidine, ante habere, quam exspectare maluisset, popularium factiones, et in regem rebelliones, concivisset, fovissetque. Sed Comes Otho, tamquam ex inofficioso, arma sumsit, brevique Burgundiae minoris, et totius regni, nemine resistente, potitus est. Interea incepit Landolus, adsumto in societatem Cadeloco juniore, Aragoviae Comite, Cadeloci senioris, de quo diximus (yy), filio, Rhinfelda oppido haud procul, in valle reducta, Feraque fluvio irrigua, condere nobilium feminarum Monasterium, quod MONTEM CHRISTI nuncupavit, vulgo Oelsberg nominant, quatenus vallis illa refert illius similitudinem, quam apud Hierosolyma Hortus olivarum, secretaeque Christi liberatoris nostri, et frequentes in eo preces reddunt celebrem. Illud Landolus pater, praelio Hungarico, haud procul inde pugnato, voverat, spoliaque, et manubias ejus gentis et victoriae eo destinarat. Ceterum Cunradus Imp. audito quae in Burgundia adcrant, ineunte hieme ex Polonia exercitum victorem contra Othonem in Helvetiam et Burgundiam minorem duxit, Muratum, et Neoburgum opida per frigoris asperitatem frustra tentavit (zz). Hibernis igitur Constantiae exactis, anni insequentis vere primo, Tigurum profectus, ibi Ageltrudem viduam reginam, Humbertum primum Mauriennae Comitem, aliosque Burgundiae proceres obviam habuit, quibus benigne acceptis dimissisque, Basileam tetendit, in ea Giselam conjugem per bellum seposuit. Hinc in Burgundiam movit, Othonem toto regno expulit, et quidquid ejus est, Ararim usque recuperavit: Genevae ab Heriberto Mediolanensium Archiepiscopo, qui eo forte ab Imperatore petitum auxilia venerat, insignia

(qq) Sigillum e cera, sed aetate in frusta pluria et particellas. (rr) Paragrapho V. (ss) Lib. I. cap. 1. et 2. (tt) Anno D. N. MXXVIII.

(uu) Anno D. N. MXXX. (xx) Anno D. N. MXXXII. (yy) Cap. I. hujus Lib. (zz) Anno D. N. MXXXIII.

signia et coronam regni Burgundici sollenniter accepit (aaa), nomine Heinrici Caes. Filii. Burgundiae proceres, exemplo Burcardi Lugdunensis antistitis, Imperatoris dicto audientes fuere, praesidia suis munitionibus acceperunt, obsides dedere. Ita Burgundia post centesimum quadragesimum quartum, quam regnum esse coeperat, annum, Rudolfi primi auspiciis, juris et ditionis Germanicae facta. Quamvis sub ipsis jam regibus in multos principatus dissecta esset, qui suis Comitibus propritim parebant regebanturque, licet eos se e regum manu, sicuti postea Caesarum et Imperatorum, et eorum beneficio, tenere, fruique faterentur. Major enim Alpinarum gentium pars sub Humberti I. Mauriennae Comitis regimine constituta erat; Guidonem vero, cui Crassi cognomentum, comitatum Viennensem, nunc Delphinatus est, obtinuisse, Arelatensem quoque provinciam suos Comites habuisse, omnes consentiunt (bbb). Sunt pariter qui Vesontionensem Burgundiam, quae Comitatus Burgundiae titulum hactenus retinuit, in ditionem Othonis Comitis, de quo supra egimus, et ejus posterum pervenisse adfirment, cum alii Burgundionum Comitum genus ad Viennenses Comites referant. Jam in Burgundia minore praecipuae nobilitatis et famae Comites de Glana, qui se quoque ex comitibus Viennensibus ortos adserebant, praeter Gruerienses, Neoburgienses, Lentzburgienses, Froburgienses, Vindonissenses, sive Altenburgienses. Atque illi omnes in obsequio et fide Germaniae Caesarum et Regum ad Heinricum usque IV. permansisse videntur, quibus postea temporibus, occasione bellorum civilium, et discidiorum, potestatem Germanorum principum plerique excusserunt, ditionesque, quas quisque tenebat, suo, non alieno jure et auspiciis regere coeperunt. Pauci, maxime tractus Vindonissensis, observata in speciem Romani Imperii et nominis majestate, Caesaribus obsequentes remansere. Cunradus Geneva in Italiam profectus (ccc), agrestes, qui in nobilitatem arma ceperant, multis levibus proeliis fregit, et ad officium redegit; mox in Germaniam contra Sclavos Leutizos, qui Saxoniam vastabant, rediit, Leutizorum fines vastavit, multos cecidit. Hinc in Italiam exercitum reduxit. Sub id tempus defunctus est Landolus. Anno D. N. MXXXVI. Bellis, quae Heinricus Imp. et Cunradus multa gesserunt, plerisque interfuit, ab iis, ob praeclara facinora, militiae cingulum, sive equestrem, ut nunc vocant, dignitatem, in honorem et famam accepit. Reliquit ex AGNETE Burgunda, Rupensium, ut quidam volunt, Comitum stirpe oriunda, BERCHTOLDUM F. Is est Berchtoldus, cui BARBATO faciunt cognomentum, qui primus arcem ZERINGAM, prope vicum cognominem, condidit in Brisiaca, quae illi, et posteris in partem, ex Altenburgiensium Comitum haereditate avita, cessit, et inde Zeringensem Comitem, haud secus atque Habsburgienses ab Habsburgo novo castro patrueles Rathboto nati, se primum nominavit; Zeringensiumque famam et potentiam princeps fundavit et evexit. De quibus quaecunque se per curam, et diligentem veterum scriptorum investigationem, obtulerunt, haud inferiori studio referam, non divisim quidem, et capitatim; tamen cum fide, et singillatim, super sanguinis cum Habsburgiensibus communionem, gesta conjuncta, et mixtam gloriam, privatim quoque illis devinctus et devotus, quatenus utrumque Helvetiorum FRIBURGUM et Brisiacorum urbes clarissimas condidere, quarum altera mea, altera meae patria est, et solum natale. Scio plerosque Bezelini senioris filium Berchtoldum credidisse, tradidisseque, junioris fratrem; sed Chronologia et ratio temporis haud perinde convenit. Gebvillerus (ddd) Gebezone natum scribit, Becelini fratre, cui contradicunt monumenta S. Petri ad Harciniam, quae clare Berchtoldi Barbati patrem Becelinum nominant. Latzii (eee) nugas et sequacium memorare, an explodere, nihil attinet. Agnes mater Monasterio a marito fundato se abdidit, ibique professa sanctimonialem, magno virginum nobilium coetui praefuit. Othonis et Adelberti Rathboti filiorum, quorum curam et tutelam Landolus gessit, mortis et vitae annus incertus. De utroque ita Actorum Murensium conditor, cum divisionem inter fratres narrasset. *Post multos autem dies occisus est Otho Comes ab Erinliero quodam milite. Sepultus est in Argentina civitate, ante altare S. Laurentii, pro cujus anima dedit huc Comes Vernarius, frater ejus, praedium suum quod habuit ad Chusnach; Frater quoque Adelbertus cum moriturus esset ad Hoeninge, remisit tertiam partem suam, quam possederat in loco isto, et sic defunctus est. Cujus corpus huc delatum, positum est in sepulcrum patris sui Radebotonis, cum cujus corpore venit etiam candelabrum istud magnum huc, et sericum pallium, quod in festivis diebus jacet super altare Sanctae MARIAE.* An habuerint uxores, id quoque parum manifestum. Liberos non reliquisse, et in omnem haereditatem VERNERUM fratrum minimum concessisse, et stirpem continuasse, illud vero indubitatum. De eo igitur pergamus, et cum eo Comites Habsburgienses, cum superis prosperantibus, aggrediamur.

(aaa) Anno D. N. MXXXIV. (bbb) Hermannus Contr. Marianus Scotus Lambertus Schafnab. Otho Frising. Sigebertus. Recentiores Paradinus, Pingonius, Gollutius, Chronici Burgundici scriptor. (ccc) Anno D. N. MXXXVI.

(ddd) Lib. V. Epit. (eee) Lib. I. cap. 9. comm.

LIBER

LIBER QUINCTUS.

CAPUT PRIMUM.

VERNERUS I. COMES HABSburgi, et Elſatiae Landgravius, cognomento Pius.

ETSI vero Othonem, et Adelbertum, forte an etiam Landolum juniorem, HABSBURGIENSES ſeſe COMITES indigitaſſe probabile, primus tamen eſt VERNERUS quem publicis monumentis hoc inſignem titulo reperio. Is mihi igitur libri hujus primordium illuſtrabit. Neque ea tantum ratione, ſed quia is maxime fuit qui ex ſe ſtemma, et HABSBURGIENSIUM claritudinem et memoriam provexit et celebravit. Et vero etiam adeo ſupremi Numinis amore, et rerum divinarum ſtudio conflagravit, ut Pii cognomentum apud poſteros meruerit retinueritque, ornamentum et decus rarius et memorabilius, quanto fuerunt ea, quibus interfuit, tempora faediora, magis impia, ſaeva, et ſacrilega. Sed jam narrationis filum inſequemur. Otho Campaniae Comes, non contentus Burgundiam, per Cunradi Imp. in Italia impedimenta, vaſtaſſe, ferroque et igni omnia miſcuiſſe, nulla in re furori et vecordiae modum conſtituiſſe; Lotharingiam quoque Imperialem, Imperatoris in deſpectum, populabundus pervaſit, Tullum expugnavit et diruit, Barum quoque obſedit, et captum incendit. Ibi eum, ſecordius caſtra habentem, Gotelo, quem poſt Friderici mortem utrique Lotharingiae praeeſſe juſſerat Cunradus, ſubita manu circumvenit, acieque victum in fuga confodit, pluriumque annorum bello finem impoſuit (a). At vero Cunradus Mediolanenſes, Heriberti Archiepiſcopi factione rebellantes, multis cladibus adfecit, urbem obſedit, villas et ſuburbana omnia populatus, ad deditionem coegit, victis leges dedit, alios in exilium relegavit, praecipue Epiſcopos Placentiae, Cremonae, et Vercellarum. Peragrato hinc Latio, per Adriatici litoris oram, dum in Germaniam reditum parat, peſtilentia in exercitu, per aeſtum et aeris gravitatem, orta, magnam mortalium ſtragem fecit. Hermannus Dux ex eo contagio Tridentum cum adpuliſſet, vitam quoque exuit, ibique, multis Allemannorum lacrymis, ſepultus eſt. Cunradus Heinrico filio Ducatum Allemanniae commiſit (b), quo pacto Helvetia omnis, cis et ultra Urſam, unius dominationi conceſſit, uti et Elſatia. Anno ſequenti, cum Trajecti III. Nonas Junii pater obiiſſet, obtinuit imperium (c). Heinricus primo Conſtantiae conventum habuit. Ubi, *cunctis, qui contra ſe deliquerant, primum ipſe debitum omne dimiſit; deinde precibus, et adhortationibus omnes praeſentes Suevigenas, poſtea in aliis regni ſui Provinciis idem actum iri ſatagens, dimiſſis debitis et inimicitiis ſibi invicem reconciliavit, pacemque multis ſeculis inauditam efficiens per edictum confirmavit*, inquit Hermannus Contractus (d), qui haud procul aberat. Laudabili exemplo et imitabili. Inde Rheno ſecundo Ingelheim conceſſit, et Agneten Gulielmi Pictaviae Comitis F. Maguntiaci prius coronatam, ſibi matrimonio copulavit, nuptiasque regia pompa celebravit. In quibus tamen, *in vano hiſtrionum favore nihili pendendo, utile cunctis exemplum, vacuos eos et moerentes dimittendo, propoſuit*, notat idem Contractus. Interea contra eum arma ſumſerunt Burgundiae duo principes viri Reginaldus Reginae Agnetis avunculus, et Geroldus. Reginaldus Montem bellicardi obſidione cinxit, et oppugnavit (e), expugnaſſetque, niſi Ludovicus Comes, eruptione facta repuliſſet, profligaſſetque. Heinricus contra rebelles, antequam copiis adoleſcerent, eundum ratus, exercitum Salodurum uſque tulit, omnem belli molem in Burgundiae Comitatum, quem occupaverat Reginaldus, ſive ab Othone patre acceperat, tracturus. Sed Agnes avunculum adduxit, pacem, quam bellum mallet. Deditionem igitur fecit Saloduri X. Kal. Febr. (f) Conceſſus illi Burgundiae Comitatus. Antuates, Aventicenſes, Vindoniſſenſes, reliqua ferme ejus regni ad flumen Urſam in Provinciae formam redacta; unde et poſtea *Provinciam Burgundiam*, non Burgundiae regnum, ſuis diplomatis, et privilegiis Reges, et Imperatores dixere. Et hujus etiam magnam partem Reginaldi poſteri obtinuerunt. In Saxoniam hinc Heinricus profectus, Goslare Othoni Palatino a Vietelsbach Ducatum Allemanniae conceſſit, res Germaniae amplius conſtituit. Quibus paratis, exercitum in Italiam duxit (g), tres de pontificia dignitate contendentes Bonifacium, Gregorium, Silveſtrum repulit; Suidigerum Epiſcopum Bambergenſem, Sutrina Synodo, pontificem, et Clementem II. nominavit. Ab eo, anno ſequenti ingrediente (h), Imperialem accepit. Dum haec aliaque fiunt, nupſit Richenſa, Verneri ſoror, Uldarico Comiti Lentzburgienſi, Arnoldi filio, Uldarici Divitis nepoti, Arnoldi et Hemmae, Adelrici Curiae Comitis ultimi filiae, pronepoti, quae ei peperit Uldaricum, Arnoldum, ſive Arnolſum, et Rudolfum. Plerumque Aquis morabatur Uldaricus, quem etiam Comitatum Lentzburgienſes poſſidebant, cum fratres, major natu Arnolfus et minor Rudolfus, Lentzburgi agitarent. Inde eorum error, qui Richenſam duobus diverſis collocatam ferunt, alteri Lentzburgienſi; alteri Aquenſi, ſive Badenſi. Heinricus ex Italia in Germaniam redux Ulmae frequentem principum

(a) Anno D. N. MXXXVII. (b) Anno D. N. MXXXVIII. (c) Anno D. N. MXXXIX.

(d) Anno D. N. MXLIII. (e) Anno D. N. MXLIV. (f) Anno D. N. MXLV. (g) Anno D. N. MXLVI. (h) Anno D. N. MXLVII.

cipum conventum habuit, mortuoque Othoni a Vitelsbach in Allemanniae Ducatu (i) Othonem Marchionem Schuinfurtensem Francum substituit. Nondum omnino Burgundia quieverat, superabant, quae eam, tamquam, incerto gubernatore, navim, agitarent. Igitur Heinricus Imp. cetera controversa expediturus, Salodurum venit, ibique rogationum dies peregit (k), cum Burgundis colloquium habuit. Ex iis offensi quidam cum abscessissent, postea gratiam repetierunt. Saloduro Tigurum rediit, pentecosten illic celebravit. Post Tribuarias comitia principum fecit, et ab iis, ut Heinricum F. triennem Caesarem reciperent, Eidibus Decembris impetravit (l). Eumdem anno proximo Aquisgrani coronandum curavit. Inde in Italiam rediit, brevique reveniens, natalitia insequentis anni Tiguri egit, ibidemque Heinrico F. etsi quintum annum non excederet, Othonis Montisferrati filiam Berchtam, etiam infantem, matrimonio conjunxit, postremo esse desiit, III. Nonas Octobris (m). Successit, ut petierat, Heinricus IV. F. sub tutela matris Agnetis. Imperatoris mortem brevi secutus Otho III. Dux Allemanniae Marchio Schuinfurti. Heinricus Caesar de consilio matris, Ducatum dedit Rudolfo Comiti Rhinfeldensi, Cunonis Verneri avunculi filio; frustra repugnante, et contra tendente Berchtoldo Brisiacae Comite, patruele, cui virtutis praemium et spectatae indolis eumdem Ducatum Heinricus III. pater, vivo adhuc Othone Schuinfurtensi, promiserat, dato in pignus et memoriam annulo. Rudolfus non solum Ducatum obtinuit, sed etiam Mathildem Caesaris sororem, Abbate Ursbergensi auctore et teste. Scribit enim (n): *Otho de Schuinfurt Dux Suevorum IV. Kal. Octobris obiit, et Rudolfus de Rhinfelden, qui postea Rex esse contendit, Ducatum accepit. Quod magnum fuit seminarium earum quibus regnum perturbabatur commotionum. Eumdem enim Ducatum, vivente adhuc Othone Duce, Heinricus Imp. Berchtoldo Comiti, qui post Carinthiorum accepit Ducatum, promiserat, eique annulum suum, veluti ejus rei commonitorium, dederat. Quem ille diligenter servans post amborum obitum, Imperatoris scilicet et Ducis, Imperatrici Agneti, Imperium tunc disponenti, obtulit, eamque annulum agnoscentem pro Ducatu sibi promisso commonuit. Sed quia praedictus Rudolfus, mox post Imperatoris obitum, filiam ejus Rumoldo Constantiensi Episcopo commendatam (utrum consilio raptam, an dolo, nescitur) uxorem duxit, receptum jam in gratiam eumdem Ducatum illi cum filia Imperatrix dedit. Quod animum Berchtoldi non parum commovit, pro qua commotione lenienda Ducatus Carinthiorum ei promittitur, quem postea filio suo aequivoco, ipsius rogatu, Heinricus Rex commisit.* Surgebat interea omni apparatu et frequentia Monasterium Muri. Etenim non Monachos solum ad pietatem praepositus Reginboldus, sed *pueros nobiles quamplurimos*, ut testantur Acta, ibidem liberalibus disciplinis imbuebat, magnusque ad eum concursus erat. Jamque eo eduxerat templum, ut dedicari posset, nisi mors antevenisset. Vernerus, Reginboldi obitu cognito, sumtis secum aliquot ex Monachis, ad Heremum Deiparae matris se contulit, successoremque ab Abbate Hermanno, (eratis ex Comitibus Vitoduranis) Burcardum tenuit, cujus multa finiendis, quae coeperat Reginboldus, cura et diligentia fuit. Acta post Reginboldi mortem: *Post cujus depositionem Vernarius Comes, filius Radebotonis, qui sibi penitus*, post fratrum obitum, *locum vindicaverat, pergens cum fratribus quibusdam, qui hic congregati fuerant, ad Cellam Heremitarum, obtinuit ab Abbate Hermanno, ut huc alius praepositus pro eo mitteretur, id est Burcardus, valde reverendus vir, qui erat natus de Gossouua, ad Heremitas ante a principio nutritus. Qui cum huc venisset, quidquid adhuc in Monasterio imperfectum invenit, etc. perfecit, et complevit, nec non libros, qui nondum perscripti erant, perfecit, etc. quantum boni facere potuit in omnibus instituit, etc. Emit etiam praedia quaedam, id est, Alicken, et ad Brunvill, ad Utbinhausen, ad Rheinfridsuil.* Eadem tempestate obiit Conradus Dux Carinthiae. Heinricus Caesar in lenimentum et amicitiam Ducatum Berchtoldo Comiti Zeringiae, paulo ante a se conditae, consignavit. Anno D. N. MLXI. Ex eo Zeringenses inter Duces. Postremo, paratis omnibus, quae necessitas poscere videbatur, Vernerus Rumoldum Constantiensem Episcopum accersivit, qui Muri templum dedicaret, perfecitque V. Eidus Octobris (o). De hac re Acta pluribus. *Vernarius Comes, et idem Burcardus praepositus congregaverunt frumentum, et vinum, et carnes, et omnia quae necessaria erant, et advocarunt Episcopum, et fecerunt dedicari hanc Ecclesiam, quinto Idus Octobris, feria secunda, luna vicesima sexta, a Rumoldo Constantiensi Episcopo, Anno Dominicae Incarnationis millesimo, sexagesimo quarto, indictione secunda, anno decemnovennalis circuli primo bissextili, Vernario Comite, Burcardo praeposito, cum aliis pluribus nobilibus, et feminis coram adstantibus. Dedicata est autem haec basilica in honorem Domini nostri JESU CHRISTI, deinde in honorem sanctissimi MARTINI Turonorum Episcopi. Continentur autem in isto Altari reliquiae ejusdem sancti Martini, Briccii, Silvestri, Stephani Papae, sancti Uldarici Episcopi, Galli, Magni, Othmari. In ipsa autem dedicationis die, manifestata et collocata, et data sunt, et confirmata a Varnario Comite super Altare S. Martini omnia praedia quae Dominus Reginboldus huc emit, et adquisivit, sive quae ex aliorum donationibus collata sunt, cum dote, et decima prioris Ecclesiae, quam ipse pater reverendus Reginboldus cum Monachis ante destruxit, ac Episcopi legitimo banno confirmata, cum ministris, servis, ancillis, ac famulis, et omnia ad haec pertinentibus.* Haec quidem Acta. Dedicatum autem hoc templum, et Monasterium praecipue titulo et memoriae S. Martini, quod is communis omnium Vindonissensium patronus, et maxime semper ab Comitibus Vindonissensibus cultus, et observatus, utpote qui Vindonissae, tamquam capitali, dum in Italiam itat aut redit, de fide, et Christiana pietate, verba fecisse tradatur, veluti et apud Uranios et Suitios, eidem Episcopatui Vindonissensi, ut nunc Constantiensi, subjectos, qui eumdem Divum pro tutelari hactenus etiam coluere. Ceterum timens Vernerus, ne, secundo jam inde praeposito petito, sibi aliquid Heremitae dominatus Muri vindicarent, et ex ea consuetudine jus quaererent, auctor Monachis fuit, Abbatem inter se creandi.

(i) Anno D. N. MXLVIII. (k) Eodem anno. (l) Anno D. N. MLIII. (m) Anno D. N. MLVI. (n) In suo Chron.

(o) Anno D. N. MLXIV.

di. Lectus Burcardus praepositus, annos septem Abbatis dignitate praefuit. Acta: *Explicatum est Abbatem Hermannum hoc anno*, millesimo sexagesimo sexto (p), sexto idus Aprilis, *mortuum. Timens ergo Vernarius Comes, quod fratres de Heremitis vellent postea aliquid, vel potestatem habere in istum locum, consilio habito, electus est a fratribus ipse Burcardus in Abbatem* (q). *Hic fuit primus Abbas istius loci. Cumque fuisset Abbas factus, sicuti antea consuevit facere, ita et tunc fecit, locum in omnibus ornando, et confirmando, et regularem vitam fratribus instituendo, ipsamque congregationem augendo. Qui cum septem annis, et aliquid pluris huic loco praefuisset, idibus Januarii, feliciter recessit ex hoc seculo, sepultusque est ante Monasterium istud, sicut ipse rogaverat, ut in dominicis diebus fratres sepulcrum ejus cum processione circumirent.* Heinricus Caesar interea per lubidinem omnia patrare, nullum erga Deum, adversus homines injuriae, insolentiae, avaritiae genus omittere, pleraque vi, non jure meditari. Episcopatus, abbatias, sacerdotia, palam nundinari, opima coenobiorum praedia sectatoribus suis, histrionibus et adulatoribus, turpi largitione, tribuere, divortium etiam cum Berchta conjuge cogitare. Ante omnia regni principes parui facere, deprimere, novos et viles attollere, nobilium eosdem matrimoniis miscere, prorsus nihil relinquere, unde malivolentiam, et iram, principumque rebellionem, et subditorum in se concitaret. Defuncto Abbate primo (r), biennium inde finiundo Monasterio impetravit ab Vernero fratrum unus Venelo, antequam succederetur. Acta: *Post cujus obitum mansit locus iste duobus annis sine Abbate, quia Venelo frater nostrae congregationis petiit hoc a Comite usque dum perficeret claustrum. Quod postquam complevit elegerunt fratres Uldaricum quemdam Disertinensis Monasterii Monachum in Abbatem.* At vero Caesar deteriora consilia prosecutus, cum forte Bambergae natalitios dies celebraret (s), Berchtoldo Ducatum Carinthiae ademit, nulla idonea causa, illumque Marquardo, suo propinquo tradidit. Tota tum quoque pene Saxonia contra Regis injurias arma sumsit, ad millia sexaginta pugnatorum, unde in Allemanniam transiit. *Berchtoldo de injuria querenti, quam sanctis obtestationibus*, inquit Lambertus (t), doctus Monachus, et eorum temporum aequalis, *se purgavit, quod Ducatum ejus nulli alii tradidisset, sed Marquardus, privata praesumtione, honores publicos homo ineptissimus temerasset. Ille licet haec ficta esse sciret, et regis malitiam, non tam voluntate, quam fortunae violentia correctam esse, tamen suscepit satisfactionem, promisitque operam suam Reipublicae utilitatibus nusquam defuturam. Hunc igitur, quia vir erat summae prudentiae, et popularis eloquentiae, cum duobus Episcopis Rex legatum misit ad Saxones.* Nihil obtinuere. Unde ingens exercitus in Saxoniam ductus. Adfuerunt enim super Berchtoldum Duces Zuendibaldus Bohemiae, Velfo Bavariae, Rudolfus Allemanniae, Gotfridus Lotharingiae, is qui postea, immortali gloria, regnum Hierosolymorum armis recuperavit, instigatore omnium acerrimo Rudolfo Allemanno, non tam Regis amore, aut justitia causae, quam quod anno superiori regni affectati insimulatus suspicionem hanc, novis erga Regem studiis, abstergere cupidissime volebat. Data illi acies prima, antiquo Suevorum privilegio, pugnatumque horis novem continuis, et postremo victi Saxones (x). *Nec tamen facile existimari poterat, quot hac, aut illa acie, caesa essent millia; hoc tamen palam constatae, plus hic nobilium, plus illic cecidisse plebeiae multitudinis, et propter amissionem clarissimorum virorum majus victores, quam victos tulisse dispendium* (y). Novam cum in eosdem Saxones, mense Octobri, pararet expeditionem, *Rudolfus Dux Suevorum, Velf Dux Bojariorum, Berchtoldus Dux Carentinorum Regi auxilium petenti denegaverunt, poenitentes, ut ajebant, superiori in expeditione in irritum fusi tanti sanguinis, offensi et Regis immiti et implacabili ingenio, cujus iracundiae incendium nec lacrimae Saxonum, nec inundantes campis Thuringiae rivi sanguinis restinguere potuissent.* Scripserant interim Romam Germaniae Episcopi de Caesaris in constituendis Episcopis, dandisque et adimendis sacerdotiis, et officiis Ecclesiasticis, temero abusu, simoniaque, et nundinationibus; Multi quoque imperii principes querelas suas singillatim addiderant, quibus regis imperium per injurias, saevitatem, dissolutionem, luxum, et lubidinem intolerabile, et indecorum videbatur. Impulerunt postremo Gregorium VII. pontif. cum frustra ante meliora suasisset, officiique et dignitatis admonuisset, ad legatos Goslariam, ubi tum concilium principum erat, mittendos, qui nunciarent *Regi, ut, secunda feria, secundae hebdomadae in Quadragesima, ad Synodum Romae occurreret, criminibus, quae objicerentur, causam dicturus, alioquin sciret se, absque omni procrastinatione, eodem die, de corpore sanctae Ecclesiae, Apostolico anathemate, abscindendum esse*, quam legationem cum aegerrime Heinricus accepisset, legatos male habuisset, pontificis in ludibrium et contemtum Vormatiae omnium Germaniae Episcoporum, et Antistitum conventum indixit Anno D. MLXXVI. IX. Kal. Febr. utque Gregorium vitio creatum pronunciarent, vanaque esse et irrita quae decerneret, multis pollicitationibus, sed ante, propter caelibatus ab eo latas leges, eidem infensis plerisque persuasit. Gregorius contra in Concilio Romae (z) VIII. Kal. Mart. Heinricum regio Germaniae et Italiae titulo, juratoque principum et subditorum obsequio privavit, mox cum factione universa piorum caetu et meritis exclusit. „Ipso tempore, Rudolfus Dux Suevorum, Velf Dux „Bojariorum, Berchtoldus Dux Carentinorum, Adelbero Episcopus Virtzburgensis, Hermannus Episcopus Metensis, et alii plerique principes, convenientes in unum, consilia conferebant, in tantis calamitatibus, quibus Respublica vexabatur, quid facto opus „esset. Regem post bellum Saxonicum eundem permanere qui fuerat, nihil eum de levitate, de crudelitate, de pessimorum hominum convictu, et familiaritate mutasse. Ad hoc tantum tam insignem suam „adversus Saxones victoriam profecisse, ut ille sui „omnium sanguinis jus potestatemque acciperet, et ad „perniciem bonorum omnium, et ad omne, quod

N „animo

(p) Ita annales, et veteres memoriae Heremi. (q) Anno D. N. MLXVI. (r) Anno D. N. MLXIX. (s) Anno D. N. MLXXII. (t) Anno D. N. MLXXIII. (u) In suo Chron. ad eundem An. Otho Fris. Lib. I. cap. 6. de gest. Frid.

(x) Anno D. N. MLXXV. (y) Idem scriptor, mehercle bonus, Ursbergensis. Nauclerus gen. XXXVI. (z) Anno D. N. MLXXVI.

„ animo concepisset, flagitium, impunita libertate, „ grassaretur. Nihil sibi deinceps spei, nihil praesidii „ reliquum esse, si forte, ut sunt humana, ipsum offen„ dissent, cum in deditities, contra jusjurandum, con„ tra fidem principum, tam faeda, tam crudelia exer„ cuisset. Haec causa, non solum ipsos, sed etiam „ cunctos regni principes vehementer commoverat. „ Facta est igitur conspiratio non modica, et magis ac „ magis indies roborabatur. *Igitur*, hi, aliique quos „ Reipublicae calamitas movebat, Ulmae conventu ha„ bito, statuerunt, ut omnes, quicumque Reipublicae „ consultum vellent, XVII. Kal. Novembris, Tribua„ riam convenirent, et, variis cladibus, quibus per „ multos jam annos pax Ecclesiastica turbabatur, tan„ dem aliquando malorum pertaesi, finem facerent. „ Iisdem diebus Othonem Constantiensem Episcopum Heinrici partes acriter tutantem Dux Rudolfus Episcopatu ejecit, et quem nominarat Summus Pontifex Altmannum Batavii Episcopum Constantiae quoque praesidere jussit. Tempore condicto, et conventu principum, super reliqua Heinrici, ab tenera aetate, flagitia, ejus imperio ostensum, „ Ecclesias, et mona„ steria destructa; victualia servorum DEI, versa „ esse in stipendia militum; studium religionis et re„ rum Ecclesiasticarum, transisse ad arma militaria, et „ ad communitiones exstruendas; non quibus vis et „ impetus arceatur barbarorum, sed quibus patriae tran„ quillitas eripiatur, ut liberae gentis cervicibus jugum „ servitutis imponatur. Nullum usquam esse viduis „ et orphanis solatium; nullum oppressis et calu„ mniam sustinentibus refugium; non legibus reveren„ tiam; non moribus disciplinam; non Ecclesiae auc„ toritatem; suam non Reipublicae manere dignita„ tem. Ita unius hominis temeritate sacra et profana, „ divina et humana, fasque nefasque confusa esse, et „ implicita. „ Tenuit tamen Dux Rudolfus, cum ceteri ferme Principes omnino exuendum regno censerent, ut ad proximum Purificationis diem conventus alius Augustae Vindelicorum haberetur, cui praesideret pontifex. Idem cognitor et judex Heinrici criminum esset. Ab eodem, intra annum, piorum societati restituatur; secus perpetuo tum causa et regno excidat; denique in ejus se potestate fore polliceatur; Excommunicatos a se removeat, neque comitatu alio, quam statuerint principes, utatur: privatam vitam agat tantisper, nulla regni apparatus pompa, nullis dignitatis insignibus, Ecclesiis et rebus publicis abstineat. Haec, aliaque id genus fuerunt regni principum, conventu Tribuariensi postremo, decreta. Heinricus igitur judicii et accusatorum severitatem reveritus, nihil prius habuit, quam ut diem anteveniret, et ab Gregorio, quocumque modo et conditione, absolutionem obtineret. Itaque in Italiam, nullo ingenuo comitatu, profectus, Canussii, agri Rhegii castello, ubi, ejus adventu audito, substiterat Gregorius, cum ad comitia Augustam tenderet, multis poenitudinis signis, ingentibus promissis, ea conditione. IX. Kal. Februarii anathemate solutus est (aa), si Germanorum principum in concilio se sisteret, et criminibus, quae objicerentur, ipso, si e Republica videretur, anquirente pontifice, responderet, objecta refelleret, illo judicio staret, omnibus interea regiae dignitatis positis ornamentis, et Reipublicae administratione interposita. Non paruit. Sed varia et ancipiti primo tergiversatione, postremo, omnibus humanis et divinis legibus, quibus se pontifici et principibus obstrinxerat, posthabitis, contemtis, et proculcatis, efferata adversus Gregorium lubidine, debacchari caepit, seditiones concivit, et ne Canussio, aut in urbem redire, aut in Germaniam ad Comitia proficisci posset, aditus omnes et exitus occupavit: mox, quibus ejus consuetudine interdictum, Episcopos adscivit Dietmarum Bremensem, Burcardum Lausanensem, Bennonem Osnaburgiensem, Burcardum Basiliensem, Othonem Constantiensem, alios Germaniae, tum etiam Italiae primores concitavit, exercitus et copias undiquaque fecit. His cognitis Germaniae proceres, auctoribus maxime Maguntiacensi antistite, Episcopis Metensi et Herbipolitano; Ducibusque, Othone quondam Bavariae, Berchtoldo Carinthiae, sive Zeringiae, Rudolfo Allemanniae, Velfone tum Bavariae, plurimisque aliis, Comitii Forchtheimi factis, Heinricum deposuerunt; regnum et Imperii dignitatem in Rudolfum Allemanniae Ducem transtulerunt. III. Eidus Martii. Is Forchtheimio recta Maguntiacum profectus, coronam et reliqua insignia regni ab Sigfrido Archiepiscopo accepit XII. Kal. Aprilis: mox Constantia Othonem, quem Heinricus restituerat, iterum depulit, Bataviensem regere jussit. Constantia Augustam advectus, pentecostes solennitatem ibidem fecit. Ubi Heinricus interim de Rudolfo Rege nuncium accepit, magnis itineribus, in Germaniam acceleravit. Quia cetera virum et montium insederant Velfo et Berchtoldus, Luitolfi Carinthiae Ducis, Marquardo nati, ope et ductibus, vere adulto, Salisburgiensem agrum, mox Ratisbonam, armata manu tenuit, militem in Rudolfum duxit, eumque Sigmaringa opido ad Danubium, post, tota Allemannia, in Saxoniam rejecit, Sueviam, et quidquid amicum Rudolfo, vastavit, opida diruit, arces incendit, maximum terrorem et stragem Germaniae superiori attulit. Crebra hinc per metum, an levitate (vitio, civilibus bellis solemni) ab Rudolfo discessio, plures Heinricus donis, et promissis corrupit. In iis Ulricus Lentzburgiensis, Richensae Habsburgiae maritus, potens, factiosus, itemque Hermannus Comes palatinus, alii. Contra Burcardus Nellenburgiensis, et ejus frater Augiae Eberhardus Abbas, itemque Hugo Montisfortis, praeterea Kiburgi Comites, S. Gallenses, Tigurini, et major Helvetiae, Brisiacae, et Elsatiae pars, in primis Vernerus Habsburgiensis, tamquam matruelem, Rudolfum ad extrema prope tutavere. Ante omnes Berchtoldus Zeringus ea sanguinis, qua Vernerus, cum Rudolfo conjunctione, et acerrimo adversus Heinricianos odio. Sed cum prosperare caepta Heinrici animadverteret, adeoque praeter Saxoniam, Rudolfo satis tutum nihil, aut fidele, ita animo et valetudine Berchtoldus defecit, ut paucos intra dies, mente alienata, Limburgi occiderit, Anno D. N. MLXXVIII. magno partis, quam fortiter defenderat, detrimento (bb). Habuit uxores duas RICHUARAM, cujus stirpis, aut conditionis, me fugit (cc); et ex ea filios BERCHTOLDUM II. qui successit, et HERMANNUM I. marchionem, quem Ursbergensis Abbas quatriennio ante patrem obiisse notat

Cluniaci

(aa) Anno D. N. MLXXVII.

(bb) Ursberg Chron. (cc) Anno D. N. MLXXVIII.

Cluniaci Monachum, dubito an vere (dd). Videtur enim patri superfuisse. Altera fuit BEATRIX Ludovici Comit. F. quae GEBHARDUM Hirsaugiae Monachum, postea Constantiensem Episcopum, et legatum Apostolicum genuit, de quo Trithemius (ee), ubi nobiles narrat, qui sub S. Gulielmo Abbate religionem Hirsaugiae inierunt. *Gebhardus filius Ducis Allemanniae, et frater Ducis Berchtoldi, vir non solum nobilitate sanguinis clarus, sed etiam sapientia, facundia, et eruditione scripturarum insignis, contemto seculo, pro DEI amore, sub sancto patre Gulielmo in hoc nostro coenobio monachus factus est. Hinc postea Constantiensis Episcopus ordinatus multa huic Monasterio Hirsaugiensi, una cum fratre Duce Berchtoldo, bona fecit.* Sepultus est Berchtoldus I. cum Richuara, eodem Hirsaugiae Monasterio, quod multis beneficiis, ut testatur idem Trithemius adfecerat, locupletaratque. Cognomen illi faciunt BARBATI. Primus castrum, ut supra diximus, in Brisiaca ZERINGAM condidit, indeque sibi et posteris cognomen sumsit, quamvis Menlius tradat, fuisse Berchtoldum II. filium, qui Zeringam posuerit Brisiacensem; Berchtoldum primum in arce Carinthiae Zeringa sedem habuisse, cum eum ab Heinrico IV. ducatum accepisset et inde Ducem Zeringensem nominatum vulgo. Ego praeter Ducis titulum ex Carinthia, et in ea, nihil habuisse Berchtoldum pene mihi persuadeo. Quam de Comite Kiburgiensi, a quo solum condendo castro, emisse volunt Albertus Argentinensis, et Gebvillerus, referunt historiam, fabulam quoque arbitror. Cum satis clarum sit Kiburgienses Comites in Turgovia dominatum habuisse, et Kiburgum in ea arcem, multo ante quam Brisiaca, ut scribunt, Comites Kiburgienses ejicere potuerit Berchtoldus, conditam, habitamque fuisse. Ceterum Pontifex Gregorius, ubi mutatam Heinrici mentem expertus est, legatos subito in Germaniam misit Bernardum Cardinalem, et *Bernardum Abbatem de Massilia, virum eximiae conversationis, et multarum in Christo virtutum* (ff), qui acta principes edocerent, simul pacem, si qua possent, et res Imperii componerent. Eos, cum ad Vindonissensis Comitatus fines pervenissent, jussu Caesaris, Ulricus Lentzburgiensis intercepit, Lentzburgumque tractos diu vinculis continuit. Exeunte Augusto, rursum Heinricus in Allemanniam invasit, cuncta obvia diripuit, et exscidit, praecipue quae Hugonis Montisfortis erant. Postea, tota pene Germania, ortae caedes, strages, incendia, funera. Contra Berchtoldum Zeringensem maximum exercitum Vernerus Argentinae, et Burcardus Basileae Episcopi, eduxere, ejusque in Brisiacis incensis vicis, aciem contulerunt. Pugnatum plusquam civili bello. Postremo fusi Episcopi, victoria penes Zeringensem fuit. Is victores manipulos, adscito in societatem Velsone Bavaro, contra Heinricum porro traducturus, dum properat, manus utrumque Regem miscuisse accepit, longaque et cruenta apud Ustrotum flumen pugna, utrimque fugam initam, victoriam in medio mansisse; Rudolfum in Saxoniam rediisse. At Heinricus, licet attritis viribus, Allemanniam tertio adflixit, nec tamen virorum principum quemquam domare, aut ad partes traducere potuit, extra Hugonem Monfortensem, qui, amissis denique omnibus, deditionem fecit. Germaniae tunc potentissimi milite, pecunia, auxiliis, Berchtoldus et Velso. Et Berchtoldus Vissenacum S. Galli castrum expugnavit (gg), quod Ulricus Abbas Heinricum tuebatur, itemque Cimberium, utrumque ad Harciniam: Harciniae adcolas omnes subegit, eos, et quoscumque nactus, Heinricum ejurare coegit, Vecelinum Burglensem Baronem, quia obnitebatur, interfecit, reditus S. Galli omnes suos apud subditos intercepit, et ne quid Abbati praestarent, inhibuit. Idem fecere Velso Bavarus, circa Altorffum et Ravensburgum, Otho Marckdorffi, Marquardus Brigantii, Hermannus Kiburgi Comites, multique alii, Heinrici partibus hostes, et infesti. Velso quoque Rhetiae deditionem caede, et flama ultus est: Othonem Curiae comitem debellavit, Rudolfique obsequio reddidit. Heinricus interea conventum suorum fecit, Rudolfum Ducatu Allemanniae privavit, eumque Friderico Hohenstauffae, Vormatiam inter et Spiram sitae, Comiti, belli artibus et divitiis insigni commisit, quoque magis adligaret, Agneten, Ursbergensis Abbas vocat Adelheidem, filiam una tradidit. Sed neque is, magis licet opibus, et Imperatoris auxiliis, Allemanniae totius potuit umquam potiri. Obstitit fortiter Rudolfus, Berchtoldo et Velsone Ducibus, quamdiu vita suppeditavit; Ubi exstinctus, eam tamen solum Allemanniae partem tenuit, quam Suevi antiquitus insederant. Cetera Allemanniae, Harciniam, Neckargoviam, Turgoviam, Brisiacam, Mortnoviam frustra ipse posterique tentarunt. Obtinuit Berchtoldus Zeringensis, et qui ab eo. Unde Sueviae se, non Allemanniae Duces ferme dixerunt; abolevitque Allemanniae prope, ea de causa, nomen. Ineunte hieme, rursum Reges apud vicum Feldheim congressi sunt. Utraque parte per lassitudinem collabente, Cuno comes inopinato, recenti manu Rudolfenses invasit, pepulitque. Multi Saxonum inter fugiendum, per nebulas Heinrici castris illati, caesis, qui custodiebant, impedimenta diripuere, praedamque ingentem fecerunt. Sed ab ejus pugnae eventu Heinricianis animi aucti firmatique. Rudolfus rursus in Saxoniam, Heinricus in Franconiam recessit. Eodem tempore, duxit Berchtoldus Zeringensis Agneten Rudolfi Regis ex tribus filiam unicam superstitem, dotemque Allemanniae Ducatum, et Comitatum avitum Rhinfeldensem accepit. Post paulum, Gregorius, ex concilii sententia, in Laterano, Heinricum iterum imperio abdicavit, Rudolfum confirmavit, Imperialemque coronam transmisit, et ad vindicandam acriter contra Heinricum Ecclesiae libertatem animavit. Heinricus vicissim synodum quorumdam Germaniae Episcoporum pridie Kal. Junii habuit (hh), utque Gregorium pontificia dignitate, suis sententiis, indignum judicarent, Imperiique et Reipublicae perturbatorem adfirmarent, impetravit. Eodem quoque Episcopos Italiae triginta, quos Brixiae, VII. Kal. Julii convenire jusserat, perpulit. Lectus ab utroque conciliabulo, contra Gregorium, Vigbertus Ravennae Archiepiscopus, qui se Clementem III. nominavit, nullo in numero. Paucis hinc mensibus Imperii summam casui permittere regibus placuit. Eidus Octobris proelio dictae, Provincia Misnia, locus Ellerstrami fluminis planities. Pugnatum in

(dd) Ex literis ad me scriptis Reverendissimi, et Amplissi. D. Joh. Pistorii D. (ee) Chronico Hirsaug. (ff) Lambertus Schafnab. Chron.

(gg) Anno D. N. MLXXIX. (hh) Anno D. N. MLXXX.

in noctem, lux utrosque, non arma, aut animus deseruere. Certaminis praemium et honos, mortuo, die sequenti, ex vulnere Rudolfo, Heinrici fuit. Suscepit Rudolfus ex Adelheide, Othonis Marchionis Montisferrati filia, (alii Froburgiensem tradidere) Berchtae Heinrici conjugis sorore, filios duos Berchtoldum et Othonem, quorum ille in pueritia, hic adolescens, et jam Dux Allemanniae defunctus est. Filias tres, Agneten, Berchtoldi Zeringensis uxorem, Adelheidem, Colomanno Regi Hungariae nuptam, et Mathildam Austriae Marchioni, Menlius Ernestum vocat, matrimonio junctam, qui contra socerum Heinrici sectator praelio Ustrutensi cecidit. Rudolfus Mersburgi Saxoniae sepultus est. Adelheid vero uxor, cum per multas miserias et animi dolores vitam Tiguri, bellis undique strepentibus, toleravisset, indeque Rhinfeldam se recepisset, paucis mensibus, dilectum conjugem subsecuta est (ii), et apud S. Blasium, regia tamen pompa, tumulata, quemque adeo honorem vivens obtinere non potuit, post mortem, exoleta et exstincta aemulatione et invidia, ultro detulere. Inter tanta, quae Germaniam ferme universam per ea tempora oppresserunt mala, quidquid liberum ab hostibus et bello, pacatumque fuit, id omne temporis Vernerus Habsburgiensis pietati et religioni tribuit. Itaque ut Monasterio suo Murensi melius prospiceret, nihilque non moliretur, unde Monachis erga locum amor et voluntas glisceret, religionisque incrementum et fama accederet, Villbertum Hirsaugiae, et Sigfridum Schafhausiae Abbates accersivit, et, ut de situ judicarent, ceteraque, quae usus postulare videretur, constituerent, rogavit, adeoque locum eorum arbitrio locique libertatem tradidit, agerent, compararent, quaeque fratribus utilia, quaeque Monasterio decora arbitrarentur. Acta, narratis aliis: *Rogatu Vernarii Comitis venerunt huc Abbates, id est, Viliberd Hirsaugiae Abbas, et Sigfridus de Schafhuse, et inspexerunt locum, placuitque eis locus iste, reversique ad eumdem Comitem monuerunt eum, ut pro salute animae suae dimitteret locum liberum, ac rusticos et Ministros suos separaret a Cella. Quos ille benigne et prudenter in hoc audivit, dixitque eis, ut ipsi componerent, ac dictarent chartam libertatis secundum quod optimum et utilissimum fore scirent, ut ipse eam postea Rege, et principibus, ac populo corroboret et confirmet.* Exstincto capite uno civilis belli, non tamen incendium quoque consedit, pertinaci Rudolfensium adversus Heinricianos contentione et invidia. Sed praecipue per Allemanniam belli licentia grassabatur. Illam Berchtoldus propter uxorem vindicabat; ejusque magnam partem armis tenebat. Fridericus ab Hohenstauffa contra Heinrici soceri donatione et titulo nitebatur, cetera ejusdem favore, et ope recuperaturum confidebat. Hinc utrimque super partium studia caedes et vastitates, Zeringensi opibus, militum fama et frequentia, bellique artibus superiore. Sed Heinrico in Italiam cum exercitu profecturo, praecipuum componendae Germaniae studium fuit. Id frustra et inane erat, durante ducem inter utrumque dissidio. Quamobrem, adscitis in consilium arbitriumque nonnullis regni primoribus, pacis et concordiae has utrique leges dixit et edidit. Fridericus quam tenebat Sueviam regeret, et quia Suevia Allemanniae pars major, Allemanniae quoque titulum, si vellet, ferret: Berchtoldi essent cetera ad Rhenum, et Harciniae, Turgoviaeque et Brisiacorum, et Mortnoviae, Neckargoviae, in primis Tigurum, et praefecturam Tigurinam, et quidquid in ea juris et advocationis Imperialis est, ipse, posterique possiderent (kk). Honos etiam additus, Zeringae se Ducem nominare posset, Zeringaque ex Comitatu in Ducatum evecta. Non tamen Berchtoldum propterea Heinricus placavit, aut in partes traduxit. His nihilominus constitutis, vere ineunte in Italiam abiit, Romam ferme per biennium obsessam habuit (ll). Ad Vernerus cum in suo novo Monasterio pluria superesse, fierique, quae haud perinde probaret, largamque Ulrici Abbatis licentia disciplinam animadverteret, simul audisset, eos, qui in Harcinia ad D. Blasii agitabant Monachos, novam et sinceriorem vitae rationem instituisse, Ulrico, ut eo tenderet, fratresque nonnullos, qui eum imbiberent morem, et vitae consuetudinem, secum duceret eo, suasit. Cum is abnuisset, veritus illam asperitatem disciplinae, Muraque relicta, Disertinum, unde venerat, se recepisset, iter ipse Comes negotiumque suscepit, et ab Giselberto Abbate Monachos quatuor, quos ei rei maxime idoneos censuerat, obtinuit. Acta: „Contigit autem interim ut „fratres de Cella S. Blasii, quae antea vocabatur Al„ba, de fluvio qui praeterfluit, mutarent suam prio„rem consuetudinem, audiensque Comes Vernarius „multa inde laudabilia, hinc autem, id est, ab isto „loco, multa quae sibi displicerent, cogitare caepit, „ut hic faceret illam consuetudinem, vocavitque eum„dem Uldaricum, qui, sub nomine Abbatis, quam„vis non esset benedictus, jam multis annis praefuit, „dixitque ei, et consiliatus est, ut et ipse illuc perge„ret, et duceret secum de fratribus, quos vellet, ut „illic discerent illam consuetudinem, et hic observa„rent. Ille nolens acquiescere tali consilio, timens „illam consuetudinem, dimisit Abbatiam, et omnem „potestatem, quam habebat, tradiditque in manus „ejus, ac reversus est in locum suum unde venerat „huc prius, id est, Disertinense Monasterium. Sic „ipse Comes pergens ad supradictam Cellam Albam „obtinuit ab Abbate illo, qui vocabatur Giselbertus, „ut mitteret huc fratres suos, quorum ista sunt no„mina Ruprecht, qui postea factus est hic Abbas, O„brecht, Heinrath, Sigfrid. „ Eodem tempore, et Heinrico absente, Saxoniae, Allemanniaeque, et Rheni principes Hermannum Lucemburgi Comitem Regem nominavere, strenuum, et privatis opibus magni nominis virum, sed imperio brevi, et infelici. Jam vero Vilibertus Hirsaugiae, et Sigfridus Schafhausiae Abbates, libertatis Murensis leges condiderant, aliaque, quae in decus, et in bonum Monasterii verterent, comparaverant. Igitur ea ad Vernerum, ut jusserat, detulere, utque reciperet et probaret, rogaverunt. Quibus lubens, meritoque cum annuisset, adfines propinquosque, inprimis Giselbertum Abbatem, Comites Rudolfum a Thierstein ex Ita filia generum, Burcardum a Nellenburgo propter Regulindam sororem adfinem, aliosque viros principes et amicos acceri-

(ii) Sunt qui Adelheidem anno praecedenti, et vivente adhuc marito, mortuam tradunt.

(kk) Anno D. N. MLXXXI. Otho Frising. Lib. I. cap. 8. et 9. de gest. (ll) Sigonius de Reg. Lib. IX. Naucl. generat. XXXVII.

cersivit, pridieque Eidus Novembres (mm) ad Monasterium se contulit, ibique S. Martini tutelaris loci festum diem magna frequentia et solennitate peregit. Postero die, in eorundem omnium praesentia, ad templi primum altare Monasterium, et quidquid ejus sunt, e manu sua et potestate misit, DEO et Virgini matri, Petro Apostolorum principi et Martino patrono in perpetuum dedit, et consignavit, dedicavitque, Monachis quem mallent cumque advocatum legendi, et administrandi licentiam reliquit. Quibus de rebus Actorum haec ampliora: „Vernarius, congregatis principibus suis et Ministris, venit huc in „vigilia S. Martini, una cum Giselberto Abbate de „Cella S. Blasii, et fratribus illis, quos supra memo„ravi, et iisdem Abbatibus, aliis quoque principibus, „id est Rudolfo de Thierstein, nec non Burcardo Co„mite de Nellenburg, multisque aliis, tam liberis, „quam servis, fuitque hic in eodem festo die, et post „festum accessit ad primare altare, et dimisit locum „liberum penitus ac perfecte, ut nullus posterorum „suorum, vel haeredum posset ullam rationem habe„re, vel excogitare ad istum locum. Tradiditque „domino DEO, sanctae MARIAE, sancto Pe„tro, sancto Martino, in conspectu principum, quos „supra recensuimus, et in conspectu Ministrorum, ac „servorum, tam suorum, quam Ecclesiae istius, jussit„que recitari eandem chartam libertatis. Quae cum „perlecta esset, et populo exposita, ipse accepit eam, „et commendavit in potestatem Giselberti Abbatis, et „fratrum ejus, qui huc destinati fuerant, ut ipsi ser„varent ac custodirent, et tractarent locum, et omnia „pertinentia ad eum taliter, qualiter voluissent Domi„no DEO in die judicii reddere rationem. Postea „monuit idem Comes servos Ecclesiae, ut indicarent „sibi, cujus Ecclesiae liberae jus voluissent habere, „ac illi elegerunt jus Ecclesiae de Lucera. Quod il„le eis benigne statim concessit, jussitque fratribus, „ut eligerent ipsum advocatum quemcumque vellent. „Jussit deinde libros, et omnem supellectilem Mona„sterii supra tapetem ponere ante altare, interroga„vitque fratres qui sub anteriori consuetudine hic fue„runt, si vellent obedire fratribus, quos huc addu„xit. Quorum cum quidam resisterent, et contradi„cerent, dixit eis, ut, aut obedirent eis, aut hinc di„scederent, et sinerent istos quiete vivere. Et sic, „commendatis omnibus rebus Monasterii, infra et ex„tra fratribus, qui huc de Cella Alba venerant, ab „altare recessum est. Haec autem omnia facta sunt „Anno millesimo octogesimo secundo Dominicae In„carnationis, indictione quinta. De prioribus ergo „fratribus qui hic fuerant, quidam discesserunt, qui„dam autem manserunt. Fratres autem qui huc ve„nerunt, praeposuerunt sibi Rupertum ad priorem, ac „disjunxerunt et separarunt rusticos, ac ministros Co„mitis Vernarii, a Cella ipsa, Vernario fideliter eos „in hoc adjuvando, aut mutuantes praedia Ecclesiae, „cum Ministris Comitis Vernarii, aut rusticos prae„diis Ecclesiae praeponentes." At vero Hermannus Marchio, Berchtoldi Zeringensis frater, haud inferiori rerum divinarum amore et studio, et ejusdem tempestatis adeo faedae, turbidae, profanae et impiae taedio et despectu, quam potuit secretissime, nullis omnino, praeter conjugem, quae illi Hermannum II. filium, et successorem genuerat, a quo hodierni Marchiones Badenses, et Hochbergenses, consciis et arbitris, cum eidem sua, et communem sobolem commendasset, Cluniacum in Burgundiam se surripuit, Monachumque induit. De eo haec Trithemii intelligo, vita S. Gulielmi Abbatis Hirsaugiensis, sanctitate et miraculis praestabilis. *Fuit eodem tempore* (nn) *quidam Marchio potens et dives, nomine Hermannus, qui divino spiritu attractus, mundum pro DEI amore, cum omnibus rebus et pompis contemnens, occulteque fugiens, nemine praeter uxorem sciente, ad Monasterium Cluniacense divertit incognitus, assumtoque a S. Hugone Abbate sanctae conversationis habitu, pro summi pastoris amore, pastor pecorum Monasterii ejusdem factus est. Hujus praestantissimi viri uxor, post conjugis praefati excessum, Deum bonorum suorum volens instituere haeredem, sumtus et impensas Sancto Gulielmo Abbati, ad novum construendum Monasterium inchoatum praestitit. Quae tandem, nescio qua ex causa, usque adeo fuit offensa, ut sanctum opus intermitteret, et, retractis manibus, relinqueret imperfectum. Ex his tamen, quae antea contulerat, tantum superfuit impensarum, ut reliquum pene totum, quod restabat, perficeretur.* Haec de Hermanno, et conjuge Trithemius. Ceterum vereor utne sint, quibus id mirum videatur et novum, quod ab hoc Hermanno, et ejus filio cognomine Marchiones Badenses et Hochbergenses, qui hodie in magnis opibus et claritudine agitant, oriundos tradimus. Enimvero plerique omnes, qui nos scribendo de eorum origine antecesserunt (oo), diversum sentiunt, traduntque Hermannum Veronae Marchionem ab Friderico Imp. I. Ahenobarbo, cui obses traditus erat, his primum regionibus impositum, eumdemque Imperatorem ex Comitatu Badensi constituisse Marchionatum, et, uti diximus, Hermannum Veronensem Marchionem primum. Quae sane contra veterum monumentorum fidem et auctoritatem ab iis ficta et reperta sunt, qui Principes ad inopina quaeque attentos et curiosos, novitatis illecebris adulabundi eo gratiores et ingeniosiores se fore confidunt, quo ab eorum origine, et quam habent regione, longius exortos, et propagatos praedicant. Etenim Hermannum III. Hermanni II. Filium, Hermanni I. Monachi Cluniacensis N. multo prius, quam Fridericus Ahenobarbus ad Imperium venit, aut in Italiam iter habuit, Badensem fuisse Marchionem manifesto ostendit Cunradi II. Imp. diploma, in quo expressum eum *Hermannum Marchionem de Batha* nominat. Ait enim, A. D. N. MCXXXIX. se privilegia Vicrami Fabariae Abbatis confirmare, *in praesentia Alberonis Archiepiscopi Trevirensis, Ortliebi Episcopi Basiliensis, Friderici Ducis, Cunradi Ducis, Matthaei Ducis, Hermanni Marchionis de Batha, Adelberti Comitis de Habesburg, etc.* Sed Fridericus ipse Imp. I. nonne donationem ab antistita Eristeinensi factam Hermanno eidem Marchioni curtis Basinckheim, quam Marchiones Badenses nunc quoque possident, confirmavit anno regni secundo? Clarum ex ejus diplomate facto eodem loco *Ernstein IV. Idus Julii, Anno Dominicae Incarnationis MCLIII. Ind. XIV. regni*, ut diximus, *secundo*, quo tempore nondum Italiam cum exercitu intrave-

(mm) Anno D. N. MLXXXII.

(nn) Chronic. Hirsaug. ad eumdem an. MLXXXII.
(oo) Cosmogr. Sebast. Lib. III. Volf. Lazius Lib. VIII. migrat. alii.

traverat, nec proinde Hermannum obſidem inde tranſportaverat, multo minus Marchiae Badenſi praefecerat. Imo an non veriſimile eſt Berchtoldum I. Barbatum in filios, aut ipſos inter ſe, haereditatem diviſiſſe, Berchtoldo II. Ducis titulum, et majorem partem: Hermanno Marchionis, tamquam minori, et dignitate proximo, cum non poenitenda ditione attribui potuiſſe, imo debuiſſe? Nugatur enim, ut pleraque, Latzius (pp), qui Hochbergenſium Marchionum ditionem Berchtoldo et Cunrado Zeringis ademtam, Marchionibus Veronenſibus ab Friderico I. traditam memorat, cum Ducem utrumque ob rebellionem proſcripſiſſet. Duxit vero Hermannus II. Juditham Badenſem, quae cum ad eum dominium Badae detuliſſet, vulgo dedit cauſam vocandi Marchionis Badenſis, cum prius Marchionem ſe, nullo addito alio titulo, indigitaret, quem poſtea titulum Hermannus III. Juditha genitus, aſſumtis quoque maternis armorum inſignibus, maxime celebravit et ad poſteros tranſportavit. Neque tamen negaverim, Hermannum IV. Hermanni III. Filium ſub eodem Friderico, Marchionem ſe quoque Veronenſem ſcripſiſſe, et dominum Badae. Sed gubernationis ea denominatio fuit, non originis. Fridericum enim Imp. everſo funditus Mediolano, domitaque Langobardia, et in plures partes diviſa, ſingulis partibus, imo pene urbibus, Germaniae proceres praefeciſſe, teſtantur Italici ſcriptores, in primis Bernardinus Corius (qq). Quo tempore Hermannum Marchionem Badenſem Veronae impoſitum, tamquam in beneficium arbitror, et plane mihi perſuadeo, quam deinceps in titulum adhibuit, et pauci poſt eum retinuerunt, magis memoriae, quam poſſeſſionis. Sed hoc quoque haud leve pretium erit, nobiliſſimam familiam ab externorum injuriis, et variis ingeniorum ludibriis vindicaviſſe, tandemque veluti poſtliminio, antiquae et avitae origini et dignitati, hoc eſt, ſibi reſtituiſſe. Jam eo, unde receſſimus, redeamus. Heinricus poſtremo, poſt longam obſidionem, Vaticanum tandem expugnavit, IV. Nonas Junii (rr), Gregorio, cum paucis Cardinalibus, in arcem elapſo. Eamdem omnibus copiis circumſedit. Romani ad extrema redacti diem tranſigendi cum Rege petiere. Kalendas Novemb. dedit. Eo die, cum ſe Gregorius praeſentiae committere ejus, qui tot exſecrationibus devotus eſſet, nec ſuae, neque Apoſtolicae dignitatis exiſtimaret, conventum recuſavit. Romani deditionem fecere. Ipſe Salernum evaſit. Hoc eodem anno ſumſerunt advocatum Monachi Murenſes et Prior Rupertus Luitolſum Baronem a Regensberga nobilem, eaque tempeſtate potentem: Is tunc etiam advocationem S. Galli obibat. Eadem Acta: *Conſilio autem inito, omnis congregatio elegerunt ſibi eſſe advocatum, ſecundum ſcita privilegii, Lutolſum, patrem Lutolſi a Regensberg, et Othonis. Huic commendaverunt illi locum, et omnia ad eum pertinentia.* Heinricus, ſubactis Romanis, in Urbe natalitia egit. Campaniam inde, et Apuliae partem pervaſit. Hinc XI. Kal. Aprilis in Laterano conventum Epiſcoporum habuit, Gregorium abdicavit, Clementem verum pontificem, licet falſo pronunciavit. Ab eo Imperatoris III. nomen et coronam accepit pridie Kal. ejuſdem menſis (ss). Denique in Germaniam rediit, relicto Romae, cum valido praeſidio, Clemente. Aeſtate, quae ſecuta eſt, adeo atrox peſtilentia invaſit, ut, inter cetera, praeſidium Germanicum funditus hauſerit. Et Romani, capta occaſione, ſive ſolita mobilitate, et libertatis lubidine, Clementem expulere. Durabat grave et cruentum inter Egkhardum Augiae, et Ulricum S. Galli Abbates bellum. Sed, hoc tempore, hic Othonem Epiſcopum Conſtantienſem; ille Berchtoldum Zeringum auxiliares habuere. Berchtoldus ſuas et Augienſis copias bifariam diviſit, expedivitque, partem Adelgezoni, ſtrenuo militi, an militiae duci, tradidit, qui Turgoviae ſuprema, et quidquid S. Gallenſium ſiniſtra Acronii eſt, Goſſoviam, Heriſſoviam, reliqua Rheticarum alpium, Urnacum uſque, populatus, villas vicosque incendit, praedam maximam inde expulit (tt). Ab altera laci ripa paria exſecuti Berchtoldus et Egkhardus, uſque ab Brigantio Conſtantiam, Leutientium tractum, Epiſcopo haud mediocria damna fecerunt, nihilque intactum reliquerunt, Marckdorffo quoque direpto et incenſo. Nec multo poſt, quidquid reliqui fuit, Burcardus Nellenburgienſis, in Egkhardi fratris gratiam, exſcidit et corrupit. Eadem tempeſtate obiit Ulricus Comes Lentzburgienſis, etiam dives, ut avus, cognominatus: et ſane ejus amplae et rarae tunc temporis opes. Tenebat enim comitatus duos Lentzburgienſem, et Aquenſem, ſive Badenſem, praeter opida Surbſe, Sempacum, Tugium, cum externa juriſdictione. Eum ſecuta paucis poſt diebus uxor Richenſa Habsburgienſis. Succeſſerunt filii Ulricus Lentzburgi, Arnoldus Badae, Rudolfus Tugii Comites. Tradit Chronicon Murenſe, hoc ipſo tempore Sueviae militem in Helvetiam tranſiſſe, et Berchtoldi in Burgundia caſtrum, quod Caeſariani obſidebant, non fortiter ſolum liberaſſe, ſed hoſtium deinde aliquot arces expugnaviſſe, prorſus cum praeda et gloria ad Zeringum reverſos eſſe. Exeunte anno, auctoritate et gratia Hermanni Regis, et Ducis Velfonis ope, expulit Berchtoldus Othonem Conſtantiae Epiſcopum, Gebhardumque fratrem, qui Hirſaugiae Monachum agebat, inſtituit, XI. Kal. Januarii. Ipſum Gregorius pontif. confirmavit per Cardinalem Oſtienſem, tum in Germania legatum. Otho in exſilio naturae conceſſit. At vero Germaniae Catholici Epiſcopi, praeſidente eodem legato Oſtienſi, Quinctiliburgi primo Clementem, dein Heinricum, et omnes ejus Epiſcopos, et ſectatores, anathematis damnarunt; Conventus, vice verſa, Maguntiaci, praeſente Heinrico, Gregorium, et Hermannum, falſum pontificem, Regemque declaravit (uu). Variae inde, ut ante, ſed contentiones atrociores. Et eatenus Vernerum inter et nepotes Lentzburgienſes pax et amicitia ſtetit, ſive matris Richenſae reverentia et preces continuerant. Ubi ea morte defuncta eſt, nepotes avunculo bellum intulere, maternae haereditatis obtentu, quam mortuis ante Adelberto et Othone fratribus, pro parte fraudaſſe arguebant. Sed cauſa praecipua, quae tum Imperium totum exercebant, factiones erant; his Heinricum ſectantibus: Vernero auxilia Zeringo agnato, contra Hermanni Regis hoſtes, ſuppeditante, qui ejus ſectatorum fortiſſimus et opu-

(pp) Eodem Lib. VIII. migr. (qq) Parte I. Hiſt. Med. parte E. ad annum MCLXII (rr) Anno D. N. MLXXXIII. Sigebert. Ursberg. Nauclerus. Sigonius.

(ss) Anno D. N. MLXXXIV. (tt) Urbergenſis Abb. Chronica Augiae, S. Galli, Muri Mſcr. (uu) Anno D. N. MLXXXV.

opulentissimus. Vastata primo impetu quae dederat foris. Postremo Vernerus paci et pietati, quam bello et discordiis pronior, satisfecit. Miscuerat sese bello, Habsburgiensis in gratiam, Luitolfus Regensbergensis. Ne ideo detrimentum aliquod Monasterio Muri inde, et ejus contentionis occasione, adveniret, advocationem reliquerat, Monachisque legendi alium Advocatum potestatem. Substituerunt, sequenti anno, Baronem Richuinum a Russek vicinum. Acta de Luitolfo : *Qui cum parvo tempore hoc in loco praefuisset, propter bellum, quod fuit inter Vernarium Comitem et nepotes ejus de Lentzburg dimisit advocatiam, monuitque fratres, ut sibi alium advocatum providerent. Illi autem alium sibi accersiverunt in advocatum, scilicet Richuinum de Russeta.* Obierat Gregorius constantissimus pontificum, illique Victor successerat, et brevi discesserat. Eo mortuo, Urbanum II. pontif. sublegere, qui rebus Ecclesiae restituendis quamprimum invigilandum ratus, in Apuliam ad conventus agendos cum Cardinalibus abiit, Melphisque primum concilium habuit. Ibi Clementem, et Heinricum, ceterosque eorum fautores, confirmatis Gregorii et Victoris decretis, est detestatus. Exstat epistola ad Gebhardum Constantiensem Episcopum, in qua inter cetera ait (xx), *se primum Ravennatem antistitem, Sedis Apostolicae invasorem, diris devovisse, deinde eos qui armis, pecunia, consilio, aut obedientia, Ecclesiasticos honores ab iis accipiendo, socios se sceleris fecere; tum eos qui eorum congressu utantur, sine poenitentia in societatem non esse recipiendos censuisse.* Quinque tantum (yy) per ea tempora Catholici in Germania Episcopi, Gebhardus Constantiensis, Hermannus Mediomatricum, Altmannus Batavii, Adelbero Herbipolitanus, et Vernerus Mersburgiensis. Dum haec ferme fiunt, Zeringensis cognita Ulrici Abbatis, quem Aquileiae Heinricus, Luitolfi Carinthiae Ducis, et Marquardi Istriae marchionis, fratrum precibus, patriarcham instituerat, absentia, insito et perpetuo erga fratres, ob eumdem Carinthiae ducatum, odio, Monasterium S. Galli oppressit, diripuit, incendit : Rosacum quoque, et proximos vicos populatus est (zz). Heinricus vero in Italiam contra Urbanum exercitum duxit, ibique annos ferme septem, varia fortuna, egit. Cum Mantuam venisset Arnoldum S. Galli Monachum, contra Gebhardum Zeringensem Constantiae Episcopum instituit, Ulrico Abbati per vim, si aliter nequiret, Constantia et Episcopatu potiatur, imperavit. Cives urbem cum milite adequitantem telis fundisque repulere. Igitur quae ante moenia erant diripuit Ulricus, et incendit. Cum praeda recedentes insecuti Constantienses, quidquid S. Gallensium fuit, ad ipsorum usque opidum, inflammavere (aaa). Eosdem mox S. Gallenses, spoliis onustos et vindicta laetos, incuriososque apud Taurum flumen oppresserunt. Multi interfecti, alii capti, et in S. Galli opidum rapti. Excivit ea clades in fratris opem Berchtoldum, qui, subita manu, non solum quae Abbatis erant, ut saepius antea, sed etiam civium bona et villas incendit, et exscidit, nihilque non hostile exercuit. Agitarant hactenus Murenses Monachi Ruperto priore, sine Abbatis titulo et dignitate, creveratque Monasterium opulentia, libertate, privilegiis, ut eo honore dignum arbitrarentur. Quamobrem Comitem Vernerum deprecati sunt (bbb), ea in re, uti in ceteris, auctorem se, et adjutorem praeberet. Quod cum annuisset, ad Giselbertum scripsit, qui Gotfridum secundum Abbatem misit. Acta : *Fratres autem qui hic fuerunt dicentes, locum liberum esse, hic debere esse Abbatem, rogaverunt supra dictum Comitem, ut adjuvaret eos, quatenus possent ipsimet habere Abbatem. Cujus obtentu venit huc tunc Gotfridus a Cella S. Blasii. Hic fuit secundus Abbas istius loci, vir valde religiosus, ac monasticae vitae institutor probatissimus.* Ingravescentibus hinc magis ac magis per Germaniam, et Helvetiam, Elsatiamque factionibus, et Imperatore absente bellis : cum haud aeque, quam necessitas poscebat, Richuino Baroni advocato facultates protegendi suppeterent, querelasque frequentes ad Vernerum Monachi ferrent, ipsum etiam jam alienationis poeniteret, Richuino in remunerationem Schuartzenberg dedit, advocationem resumsit. Postremo multis Regulindae uxoris precibus et monitis Nonis Februarii (ccc) Oltingam liberos Othonem, Adelbertum, Itamque, et ejus maritum Rudolfum a Thierstein, nepotes etiam Lentzburgienses Comites Ulricum, Arnoldum, et Rudolfum, alios totius regionis viros principes plurimos adscivit, horumque et in primis Regulindae conjugis consensu et voluntate Murense Monasterium secundo manumisit, et in eam conditionem libertate donavit, ut jus advocationis ejus et posterorum esset. Illam natu major Habsburgiensis stirpis, uti jam ab initio Vernerus Episcopus constituerat, ab Abbate acciperet, non vindicaret, ut haereditariam. Ea forma instrumentum factum, omniumque sigillis munitum, Egkhardo Baroni a Kusnach ad lacum Tigurinum tradidit, qui porro Romam portaret, suoque, et suorum nomine, ad D. Petri Apostolorum principis altare consecraret, daret, dicaret. Nulla in Egkhardo mora fuit. Romam vectus, pontificem non offendit. Urbanus enim II. per Italiae turbas et factiones, et Caesaris odium, persecutionemque in Galliam recesserat, et apud Clarum Montem Arverniae concilium indixerat. Cardinales qui ad urbem erant Egkhardum benigne accepere, laudataque inter tot impia per Italiam et Germaniam facinora, probra, sacrilegia, Comitis Verneri egregia pietate et integritudine, sumtoque in protectionem S. R. Ecclesiae Monasterio, cum literis, quibus transacta testabantur, Baronem domum remisere. Sed his super negotiis postremo audiamus scriptorem Actorum. „ Richuinus itaque advocatus, cum non admodum posset tueri locum, fratres vero saepissime Vernario causas suas et necessitates conquererentur, cum non posset eorum ferre instantiam, poenituisset quoque eum locum istum a se penitus separasse, tam hortatu et rogatu fratrum, quam etiam sua voluntate, dedit praedium quoddam, quod vocatur Schuartzenberg, eidem Richuino, recepitque ab eo advocatiam in suam potestatem. Deinde cum ad villam Oltingen (ddd) pervenissent pene cuncti comprovinciales principes, venit illuc cum Luitfrido Abbate, et ejus quibusdam Monachis, constituitque ibidem, et confirmavit,

(xx) Anno D. N. MLXXXVI (yy) Nauclerus. Sigonius. (zz) Anno D. N. MLXXXVII. (aaa) Anno D. N. MLXXXVIII. Chron. S. Galli, et Muri, Mscr.

(bbb) Anno D. N. MLXXXIX. (ccc) Anno D. N. MXCI. (ddd) Vicus est dextro Vocetii latere.

„ inavit, in conspectu omnium, ut qui senior sit in
„ filiis suis advocatiam accipiat ab Abbate; non pro
„ aliquo proprio jure, vel haereditate, sed secundum
„ scita privilegii cuncta accipiat, cuncta faciat, cuncta
„ defendat. Cumque hoc firmasset, commendavit
„ idem Comes locum, et omnia ad ipsum pertinen-
„ tia in manus cujusdam nobilis viri, nomine Eghar-
„ di de Kusnach, castello quodam, quod est juxta Tu-
„ ricinum lacum, ut ipse super altare S. Petri Romae
„ omnia traderet, eo pacto, ut singulis annis circa
„ medium Quadragesimae aureus nummus, qui duos
„ nummos et dimidium monetae de Thurego appen-
„ dat, persolvatur. Qui cum Romam venisset, nescio
„ quid causae exstiterit, quod non potuit adire Papam,
„ sed ipse omnia, sicuti sibi commendatum fuit, im-
„ plevit, ac censum persolvit, intimavitque cuncta rite
„ et perfecte Cardinalibus, qui tunc Romae fuerunt:
„ Cumque hoc audissent, gavisi sunt valde, scripse-
„ runtque chartam libertatis, et miserunt huc, quae ita
„ se habet. IN NOMINE PATRIS, ET
„ FILII, ET SPIRITUS SANCTI.
„ Nos Cardinales Romanae Ecclesiae notum facimus
„ omnibus CHRISTI fidelibus, quod egregius
„ Comes VERNHARIUS DE HABSBURG
„ cum uxore, et filiis suis, Monasterium, quod Mure
„ dicitur, in honorem S. Martini constructum, de ju-
„ ris sui dictione, in jus sedis Apostolicae emancipa-
„ vit, ipsumque cum omnibus ad hoc pertinentibus per
„ manus Eghardi nobilis viri, super altare beati Petri,
„ ut moris est, contradidit legitime, videlicet pro re-
„ demtione peccatorum suorum, et uxoris suae RE-
„ GULINDAE, et filiorum parentumque omnium.
„ Ea autem conditione praedictus Comes hanc tradi-
„ tionem fecit, ut idem Monasterium sub ditione, et
„ in defensione Sedis Apostolicae maneat in perpe-
„ tuum, omni ea libertate, qua et alia hujusmodi libera
„ sunt Monasteria. Ita tamen ut singulis annis dein-
„ ceps aureus denarius in tributum, de eodem Mona-
„ sterio, Apostolicae sedi persolvatur. Hoc factum
„ est Nonis Februarii, per Comitem VERNHA-
„ RIUM in manus praedicti viri nobilis Eghardi,
„ adstantibus viris nobilibus, Uldarico Comite, fratri-
„ busque ejus Arnolpho, et Rudolfo, aliisque quam
„ plurimis. Eo quidem pacto facta est haec donatio,
„ et traditio, ut jam dictus Eghardus petitionem dicti
„ Comitis adimpleret, et eamdem traditionem, quam
„ scribi fecerat, super altare Sancti Petri, quod et fa-
„ ctum est, poneret. Notificamus autem omnibus, ut
„ nullus umquam, temerario ausu, hoc donum audeat
„ contraire. Quod si, quod absit, evenerit, quisquis
„ ille sit, super se Omnipotentis iram DEI sentiat,
„ et perpetuo beati Petri, et nostram maledictionem.
„ Contrario, faventibus et volentibus per auctorita-
„ tem beati Petri datam divinitus perpetuam benedi-
„ ctionem. AMEN. „ Atque hactenus quidem
Acta, sive Actorum quod superest fragmentum. Ce-
tera desunt, si quae sunt. Nam vix multo ultra pro-
gressum reor. Quae, etsi stilo, qualem tempora fe-
rebant, interserenda putavi, antiquitatis causa, simul
in argumentum, contra tot HABSBURGIENSIS
familiae, et AUSTRIAE DUCUM, et
ARCHIDUCUM originis novos architectones,
qui optimos Principes, sua vaniloquentia, temere huc
usque, variis eorum de ortu et stirpe figmentis et
somniis, an adulamentis induxisse et circumduxisse,
quique dum dicerent, et gratiam pararent et pretium,
quae dicerent, et unde, susque deque habuisse viden-
tur. Denique pietatis mercedem uti ostenderem,
quando ex hoc Murensi Monasterio, et Heremitarum
antiquissima, certe tutissima HABSBURGIEN-
SIUM COMITUM memoria. Urbanus pon-
tifex, Concilio Claromontano (eee), inter alia, cla-
ra et memorabili oratione, expeditionem Syriacam, et
bellum sacrum contra Saracenos suasit et persuasit, au-
ctore et concitore Petro Heremita Hispano (fff).
Cui bello ne nomen daret, opesque conferret Verne-
rus Habsburgiensis, mors obstitit. Sed cum denique
finem adesse cognovit, adscitis ex Elsatia, ubi tum
fere morabantur, filiis, pauca de exitu suo praefatus,
extremo, quia Othonis turbidum ingenium, contra
Adelberti modestiam, suspectabat, de concordia mul-
ta addidit, simul temporis admonuit, Imperii et
Germaniae graves motus ostendit, qui adversum con-
stantes et inter se fidos, frustra essent, utrumque, si
discordarent, facile opprimerent. Pronis auribus, abs-
que iis, quae de excessu erant, omnia fratres accepe-
re, spemque magnam ex se patri reliquerunt. Ipse
paucis post diebus mortuus est. A. D. N. MXCVI.
Aetatis nono et septuagesimo, et Muri sepultus III.
Eidus Novemb. Vernero in Commentariis Latzius
(ggg) Hildegardim Ferretensem dat uxorem. Eam
dem Pontus Heuterus et de Rhoo attribuunt, nomi-
nantque. At clarum ex supradictis, REGULIN-
DAM vocari Verneri conjugem, de gente ut con-
troversum sit. Quod si in hoc historico consessu ar-
bitrari liceat, NELLENBURGIENSEM cre-
dam fuisse. Argumentum habeo, quod cum Verne-
rus Monasterium Muri manumissurus, ut ad eam rem
ostendimus, liberos, cognatos, et adfines adscivisset,
videam quoque adfuisse Burcardum Comitem Nellen-
burgi, Regulindae patrem, aut potius fratrem. Fi-
lium, praeter Othonem et Adelbertum, adjungunt ii-
dem Latzius, de Rhoo, Chronicaque Helvetiae et El-
satiae, Vernerum Argentinae Episcopum. Probabi-
lius quam Heuterus, qui ipsum Comitem, de quo huc
usque egimus, Vernerum, post uxoris interitum, sa-
cris initiatum, et Episcopum Argentinensem deinceps
factum adserit, quamvis etiam Chronicon Elsatiae cum
priore Vernero miscet et confundit. Sed nullus hoc
tempore catalogo Episcoporum Argentinensium Ver-
nerus. Vana igitur et confusa utriusque opinatio est.
Quod etiam Latzius, et ex illo Eintzingerus, et Heu-
terus, Vettingensis Monasterii auctorem ferunt hunc
Comitem Habsburgiensem, in eodem haerent. Com-
pertum quando est centum viginti post annis de illa Vet-
tingensi fabrica primum cogitatum, Heinricum vero
Comitem Rapersuillae posuisse, quod supra etiam
ostendimus, et alibi probavimus. Sed praeter O-
THONEM, et ADELBERTUM I. filia
quoque illi nata ITA, quam Rudolfo Comiti a
Thierstein, non Bernardo, uti putat Menlius, nuptum
datam diximus.

CAPUT

(eee) Anno D. N. MXCV. Gulielmus Tyrius Lib. I. cap. 15. Continuator Aimonis Lib. V. cap. 48. Paul. Aemilius Lib. IV. Joannes Mariana de reb. Hisp. Lib. X. cap. 5. (fff) Albertus Abb. Stadensis Chron. Genebrardus Lib. IV. Chronolog. Trith. Chron. Hirs. (ggg) Lib. VIII.

CAPUT SECUNDUM.

OTHO II. COMES HABSburgi, Elsatiae Landgravius.

PRIMUS annus OTHONIS nobilis fuit per expeditionem Occidentalium principum in Asiam, et transmarinas provincias, recuperandis locis, terrisque, quas vestigio, suaque praesentia, vita et sanguine illustrasse ante omnes et consecrasse Christus servator noster pie creditur, ducibus maxime Hugone Magno Philippi Francorum Regis fratre, et Gotfrido Duce Bullionii, Bohemundoque Apuliae principe. Illi multis terra marique periculis, ingentibus proeliis, urbium insignium expugnationibus, captis postremo Hierosolymis, Christianae pietatis hostes Syria, post annum expeditionis quartum expulere, Regemque primum Orientis Gotfridum jussere, XVII. Kal. Augusti (a). Heinricus inter ea tantae gloriae, et regnorum expers, ex Italia, quam diu adflixerat, Ratisbonam, inde Maguntiacum venit, ubi cum principibus paucis consilia pacis agitavit. Postea Heinricum filium, contra Cunradum natu majorem, qui numquam ab Urbani pontif. et Catholicorum principum auctoritate et consiliis discesserat, Aquisgrani Caesarem coronandum curavit (b). Ea injuria ita Cunradum adfecit, ut paulo post extabuerit. Plerique venenum suspexere. Conventu rursum suae sectae principum Maguntiaci celebrato, concilium generale indixit ad Kal. Februarias anni sequentis, cuncta postremo componendi, quae inter ipsum Romanosque Pontifices intercederent. Desiderium quoque ostendit, relicto in Germania Heinrico, traducendi in Syriam exercitus. Quae praeclara in speciem, mox occultis et contrariis consiliis, corrupit. Die enim consilii neque ipse interfuit, nec expeditionis transmarinae curam habuit, principesque complures, quos ad itineris societatem incenderat, solita perfidia, elusit. At Episcopi Italiae, plerique Germaniae, cum ad VII. Kal. Aprilis (c) frustra exspectavissent, sacris denique perpetuo interdixere, superiorumque pontificum censuras et anathemata confirmavere. Cum igitur Heinricus senior omnia humana et divina jura falleret, proculcaretque, plerique omnes principes rebellionem, et ab eo discessum minarentur, manifestum regni periculum esset, Heinricus Caesar F. impulsus est, ut a patre dissideret, et ad Pascalem pontificem, qui Urbano successerat, et Catholicorum partes transiret, auctore maxime Theobaldo Vogburgiensi, et plerisque Bavariae, Allemanniae, Franconiae proceribus. Ab anathemate, quo, quamdiu patrem secutus est, obligatus tenebatur, absoluit ipsum Gebhardus Episcopus Constantiensis, pontificiae sedis tunc per Germaniam legatus (d). Facto hinc Nordhausiae Saxonum consilio, cum nulla regni cupidine parentem deseruisse, sed divinae caussae, et publicae tranquillitatis studio et bono, pontificiaeque dignitatis reverentia, adjurasset, haereses eorum temporum damnasset, dissensiones abolevisset, Germaniam exercitum circumduxit. Dato ad postremum cum patre apud Maguntiacum colloquio, cum ad sanitatem filius multis adhortatus esset; si faceret, sese porro regnum non moraturum, et in ejus potestate futurum adseveravisset; cum nihil pater, nisi generali ordinum decreto, facturum respondisset, comitia totius regni in dies natalitios, eodemque loco promulgata. Eodem tempore, defecit Fridericus Comes ab Hohenstauffe, primus suae familiae Sueviae Dux, belli artibus insignis, Heinrico seniori ad noxam usque fidelis. Successit filius Fridericus II. Unoculus. Ceterum natalitiis diebus, magno et celebri omnium ordinum Maguntiaci conventu, principes Heinricum V. Caesarem declaraverunt, communique consensu confirmatum contra patrem regnare jussere. Missi ad seniorem, qui se in arcem Ingelheim abdiderat, ornamenta regni qui poscerent, referrentque. Iis subito filium induere, auctoribus maxime Albanensi Episcopo, et Gebhardo Constantiensi, pontificiis legatis (e). Tum quoque Heinriciana, et Clementina haeresis, cunctis adprobantibus, condamnata, decretumque, ut Episcopi haeretici sedibus deturbarentur, mortui sepulturis eruerentur, qui ab iis instituti essent, usque ad concilium generale, functione submoverentur. Lecti quoque qui ad Pascalem legarentur egregia virtute Episcopi, in quibus uti legationis princeps, Gebhardus Constantiensis. Heinricus senior cum se deinceps aeternae saluti consulturum, ceterorum curam omissurum promisisset, Leodicum secessit. Ubi, longa imperandi adsuetudine, aut insita perfidia, bellum contra filium reparantem, et populos sollicitantem, extrema hora oppressit VII. Eidus Augusti, ingenti omnium gaudio. Unde Abbas Ursbergensis, auctor haud omnino malus. *Miserabile est*, inquit, *dictu, tanti nominis, tantae dignitatis, tantique animi virum, sub professione Christiana mundum tantopere lucratum, nec ad instar cujuslibet pauperis defuncti pium vel compassivum a quavis inter tot Christianos persona promeruisse, sed potius universos tam ibidem, quam ubivis vere Christianorum corda simul et ora, infinito nimis tripudio, sui oblitos rumore replesse.* His Pascalis ad constituendam Ecclesiam jam erectior, ut Augustam Vindelicorum, quo ab Caesare accersebatur, veniret, se in viam dedit (f). Cum interea Heinricum ab remittendis Ecclesiarum ordinationibus abhorrere, nec satis Germanos placatos esse accepisset, in Galliam deflexit, et Trecas concilium indixit. Superatis media hieme Alpibus Cluniaci natalitia celebravit (g). Conventu Trecensi, cum alia multa Ecclesiae detrimenta reparata, tum sacerdotiorum collatio rursus, ingenti consensu, laicis adempta. Heinrico per legatos jus in eo suum minui, jam inde usque ab Carolo M. retentum, expostulanti spatium datum Romam adeundi, et generali in concilio, causam suam probandi. Sub hoc ferme tempus Otho Habsburgiensis rebus humanis est ereptus. Discordia enim, inter ipsum et Baronem a Buttenheim Hessonem nata, processit eo, donec animis incitatis, Comes Baronis vulnere in ipsa Buttenheim arce occidit. Anno D. N. MCIX. VI. Eidus Novembris. Alii dicunt fuisse Baronem Hessonem ab Uffenberg Brisiacae qui trucidarit. Corpus Muri sepultum. In errore consueto Latzius et Heuterus qui in Saxonia cum Heinrico IV. militantem periisse tradunt.

(a) Anno D. N. MXCIX. (b) Anno D. N. MCI. (c) Anno D. N. MCII. (d) Anno D. N. MCV. (e) Anno D. N MCVI. (f) Naucl. Sigonius Lib. X. (g) Anno D. N. MCVII.

dunt. Iidem tribuunt conjugem Hillam Ferratanam, ex qua VERNERUM II. et ADELHEIDIM, *Comitis ab Homberg et Fricktal conjugem*, susceperit. Gerardus ab Rhoo filium alterum facit Rudolfum, qui sine liberis finierit, itemque Chronographi Helvetiae et Elsatiae. De filiis duobus et nomine convenit. Adelheid, non illa Comiti ab Homberg tradita, sed Emiconi (Menlius Gulielmum vocat) ab Hunenberg Comiti nupsit, teste Murensi genesi (h).

(h) Othonem hastiludiis interfuisse Augustae Vindelicorum admodum adolescentem, An. MLXXX. notavit Armorum Rex.

CAPUT TERTIUM.

VERNERUS II. COMES HABSburgi, Elsatiae Landgravius.

POST interitum patris successit VERNERUS sub tutela Adelberti patrui. Eadem tempestate comitiis regni Ratisbonae habitis Italicensem expeditionem in proximum Julium (a) indixit Henricus Caesar, coronae et imperii ornamentis sumendis, mox provinciae componendae. Bipartito exercitu viam ingressus; ipse per montem Penini, quem majorem S. Bernardum vocamus, in Italiam descendit, et cum eo, inter plures, Adelbertus Habsburgiensis; partem per saltum Tridentinum praemisit. Romam V. Eidus Aprilis Dominica Quasimodo anni insequentis D. N. MCXI. intravit, pacem et amicitiam cum Pascali pontif. datis invicem obsidibus, fecit (b). Pontificis nomine dedit Petrus Leonis filium Gratianum, et duos, alterum ex filio, alterum ex filia, nepotes. Caesar vero Hermannum Marchionem Badensem, Comites ad hunc Gotfridum a Caloe, Volmarum Hombergensem, et Adelbertum Habsburgiensem. Inde coronam ab eodem Pascali pridie Eidus ejusdem mensis accepit. Eodem anno et die (c), obiit Berchtoldus II. Berchtoldi I. filius, Dux Zeringiae primus, Germaniae principum sui temporis facile princeps, pace belloque clarissimus. Male Gebvillerus, et nonnulli alii Birchtilone, de quo superius memoravimus (d), genitum tradunt. Berchtoldi mentionem habet Otho Frisingensis Episcopus insignem, cum divisiones Allemanniae, quas ante tetigimus, retulisset, *Berchtoldus iste*, inquit (e), *quamvis in hoc negotio imperio simul et justitiae cesserit, tamen strenuissimus et fortissimus fuisse traditur. Unde et adhuc ab antiquioribus de ipso dicitur, quod si quando nuncius aliqua tristia ipsi apportans, secundum quod fieri solet, haesitare voluisset, dixerit: Dic, dic: Scio enim quod denique laeta, tristia; vel tristia praecedant laeta. Quare tantumdem mihi est, primo audire nubilosa, cum postmodum auditurus sim serena; quam primo, auditis serenis, post auditurus sim nubilosa. Magna vox, et viro forti digna, qui nativorum volubilitatem, sine literis, naturali percipiens ingenio, nec in diebus bonorum, immemor malorum elevatus; nec in diebus malorum, immemor bonorum fuit fractus.* Praecesserat ipsum morte frater Gebhardus, Episcopus Constantiensis, et legatus per Germaniam Apostolicus, pridie Eidus Novembris, anni superioris, egregia quoque relicta per Imperium, et Romanam apud sedem, memoria sui. Berchtoldus reliquit ex Agnete, Rudolfi Romanorum Regis contra Heinricum IV. electi filia, (Latzius ignare dixit Velfone Altorffensi genitam) Berchtoldum III. et Cunradum Duces Zeringenses. Berchtoldus, et Rudolfus pueri exstincti sunt. Agnetem filiam, (Menlius per errorem Brigittam vocat) quam Stephano Audaci, aut Capitis Audacis, Comiti Burgundiae collocavit, ex qua Gulielmus natus, cognomento Puer. Addit alteram filiam Luitgardim Menlius, quae nuptum tradita Gotfrido Comiti a Caloe, Utam Velfonis conjugem peperit. Unde Zeringensium et Velforum prima necessitudo. Sepultus est apud S. Petrum Harciniae, ante altare S. Crucis, quod Monasterium A. D. N. MXC. aedificare magno sumtu coepit: Dedicavit Gebhardus frater tertio post anno, Kal. Augusti: Berchtoldus filius perfecit. Agnes conjux maritum secuta eodem anno, XIX. Kal. Decembris, et prope Berchtoldum condita. Heinricus, peracta Romae coronatione, in Germania redux, Spirae, mense Septembri, patris exsequias, post annum ejus interitus quintum, magna principum frequentia, egit. Inde Argentinam ascendit, et conventum proximorum principum fecit. Interfuerunt enim *Albertus Moguntinus, Bruno Treverensis, Cunradus Saltzburgensis Archiepiscopi, Burcardus Monasteriensis, Bruno Spirensis, Cuno Strasburgensis, Adelbero Metensis, Richardus Virdunensis, Eberardus Eistatensis, Ulricus Constantiensis, Rudolfus Basiliensis Episcopi, Fridericus Dux* Sueviae Unoculus, *Herimannus Marchio* Badensis, *Godefridus Comes de Caloe, Fridericus Comes de Zulra*, alii (f). Compositis hinc inde Germaniae rebus, Maguntiacum regressus nuptias cum Mathilde Angliae Regis filia celebravit (g), quam impuberem penes se jam aliquot annis habuerat, eduxeratque ut suam. Mox ad superiora Rheni rediit. Basileae dies plures substitit. Vernerus Comes occasionem ratus, quod pater, avusque nequiverant, ille ob brevem vitae terminum, et regis absentiam: hic per Germaniae et Imperii dissidia, Imperatorisque exsecrationes et bella, ad Heinricum adiit, utque suum Muri monasterium, quod, ut majores, ipse quoque super altare S. Martini, DEO opt. max. Virginique matri, et Apostolorum principi, verae aeternitatis cupidine dedisset, dicassetque, in suam et Imperii tutelam acciperet, protegeretque deprecatus est, comitante pariter, et idem obsecrante Adelberto patruo. Suscepit haud invitus Heinricus, ejusque rei hoc rescriptum dedit, Adelberto inter testes posito.

In nomine (h) sanctae et individuae Trinitatis. Heinricus, divina favente clementia, quintus Romanorum Imperator Augustus. Omnium sanctae DEI Ecclesiae fidelium, praesentium scilicet, et futurorum cognoscat industria,

(a) Anno D. N. MCX. (b) Dodechinus supp. Mar. (c) Anno D. N. MCXI. (d) Lib. IV. cap. 1. et 2. (e) Lib. I. cap. 8.

(f) Instr. ab eo ibid. data praecipue Heremitarum, VII. Nonas Octob. Ind. IV, regni VI. Imp. I. (g) Anno D. N. MCXIV. (h) Ex ipso autographo.

ftria, quod in regno noftro regulare quoddam Monafterium fitum eft, in Provincia fcilicet Burgundiae, in Epifcopatu Conftantienfi, in pago Argouve dicto, in Comitatu Rore, quod Mure nuncupatum eft, quod tempore Cunradi Imperatoris in honore S. Martini Epifcopi conftructum eft, et honorifice DEO dicatum eft, a Vernhario Strasburgenfi Epifcopo, parente (i) fcilicet Vernharii Comitis de Habsburg. Nunc autem idem Comes, a quo praefatum Monafterium, five Abbatia, haereditario jure poffeffa eft, nutu Dei tactus, et inftinctus, ipfum fcilicet locum Mure, cum omnibus nunc in praefentiarum, feu quarumcumque rerum, ex toto fuper altare S. Martini reddidit, delegavit, et contradidit Domino DEO, S. MARIAE, S. Petro Apoftolo, S. Martino Epifcopo, et S Benedicto in proprietatem, et poteftatem praedicti Monafterii Abbati, nomine Luitfrido, ejusque fucceforibus in difpofitionem liberam. etc. Hujus rei teftes funt Burcardus Monafterienfis Epifcopus, Rudolfus Bafilienfis Epifcopus, Vido Curienfis Epifcopus, Dux Fridericus *Sueviae Unoculus*, Dux Berchtoldus *Zeringiae*, Comes Gotfridus palatinus *Rheni*, Hermannus Marchio *Badenfis*, Comes Arnolfus de Lentzburg, Rudolfus frater ejus, Adelbero Comes de Froburg, Adelbertus Comes de Habesburch, etc. Datae IV. Nonas Martii, Ind. VII. Anno Dominicae Incarnationis MCXIV. regnante Heinrico quinto Romanorum Rege, anno VIII. imperante III. Actum eft Bafileae in Chrifto feliciter. Amen.

Incefferat, eodem tempore, ingens inter Abbatem Heremi, et Suitenfes de finibus controverfia. His Rudolfus Lentzburgienfis Tugii dominus jungebatur ex foedere, praefecturaque, quam apud eam communitatem tunc gerebat, tum vero fuos quod limites verfus Tugium perftrictos quoque quereretur. Illi Ulricus Comes Rapersvillae, Heremitarum advocatus aderat. Gero ex Comitibus Froburgi Heremi Abbas faepius jam Suitenfes finium regundorum arceffierat, ab iis valles, montesque pafcuos per vim, ultra terminos, teneri. Abnuerant femper judicium Suitenfes, infito libertatis ftudio, an, ut ferebant, poffeffionis antiquitate. Contra Gero Abbas Othonis I. et Heinrici I. Impp. refcripta in fuum favorem, et decreta oftendebat, et quos pepigerant terminos, iis parerent. Diu haec utrimque agitata, fumtis quoque in re praefenti arbitris, qui terminos requirerent, finesque regerent. Poftremo Heinricus, et ipfe confultus, fecundum Heremitas, *aequo judicio optimatum* (k), *ac fidelium fuorum pronunciavit, adftantibus, et collaudantibus, Burcardo Monafterienfi Epifcopo, Rudolfo Bafilienfi Epifcopo, Ulrico Conftantienfi Epifcopo, Vidone Curienfi Epifcopo, Eppone Navarienfi Epifcopo, Ducibusque Friderico* Sueviae, *Berchtoldo* Zeringiae, *Godefrido Palatino Comite* Rheni, *Hermanno Marchione* Badenfi, *Arnolfo de Lentzburg, et Ulrico, Adelberone de Vroburch, Adelberto de Habesburch, Rudolfo de Fricca, Berchtoldo de Nuringa, Friderico de Zulra, aliisque multis. Data VI. Idus Martii, Ind. VII. Anno Dominicae Incarnationis MCXIV. regnante Heinrico quinto, etc. Actum eft Bafileae etc.* Haud me Zeringenfium, et Habsburgiorum gefta, famam, et dignitatem clarius prodere poffe arbitror, quam fi eorum frequentibus inftrumentis, actionibusque publicis praefentiam adnoto, oftendoque, adeoque principalibus in negotiis, et expeditionum eventis interfuiffe, faepius rerum geftarum teftes, plerumque participes, multo partem maximam, tamquam regni principes, et primores. Comperto, non paucos defectionem meditari varias ob caufas, Heinricus partim amicorum fuafu, tum querelis omnium, Maguntiaci rurfum comitia egit (l), quibus aditum omnibus, fatisfactionem ad objecta, juvenilium delictorum emendationem promifit. Inde malivolentiam quorumdam principum declinans, in Italiam abiit, variisque cum Pontificibus, ob jurifdictionem, et collationem beneficiorum certaminibus renatis, bello quoque et Gelafii in Galliam fuga (m), cum illi Callistus II. fucceffiffet, novaque in eum decreta et anathemata per Cunonem Epifcopum Praeneftinum Coloniae et alibi promulgaffet, Comitiis, quae Herbipoli principes eam ob rem indixerant (n), relictis in Italia copiis, inopinatus adparuit, plerisque fatisfecit, magnam fpem de cetero omnibus reliquit. Eodem tempore, et Anno D. N. MCXVIII. condere coepit Berchtoldus III. ex vico in Brifiaca, per metallarias officinas haud infrequenti, nobilem et eximiam urbem haud procul arce Zeringa, quatuor fcilicet paffuum millibus, quam FRIBURGUM vocari voluit. Heinricus vero poftremo, Vormatienfi conventu (o), cum pontifice Callifto in gratiam rediit, inveftituram, ut vocant, per annulum et virgam refignavit, regalium et beneficiorum confirmationem fibi et Imperio fervavit. Pacis hujus, quia memorabilis, et per tot bella et exfcidia quaefita, et tamdiu defiderata, apponere inftrumentum, pretium exiftimavi, eo lubentius, quia inter teftes Vernerus. Heinricus ita fe obligavit (p).

In nomine fanctae et individuae Trinitatis. Ego Heinricus DEI gratia Romanorum Imperator Auguftus, pro amore DEI et fanctae Romanae Ecclefiae, et Domini Papae Callixti, et pro remedio animae meae, dimitto DEO, et fanctis DEI Apoftolis Petro et Paulo, fanctaeque Catholicae Ecclefiae, omnem inveftituram per annulum et baculum, concedo in omnibus Ecclefiis, quae in regno vel Imperio meo funt, canonicam fieri electionem, et liberam confecrationem, poffeffiones et regalia B. Petri, quae a principio hujus difcordiae, usque ad hodiernam diem, five tempore patris mei, five etiam meo, ablata funt, quae habeo, eidem Romanae Ecclefiae reftituo: quae autem non habeo, ut reftituantur fideliter curabo. Poffeffiones etiam omnium aliarum Ecclefiarum et principum, et aliorum tam clericorum, quam laicorum, quae in guerra ifta amiffae funt, confilio principum, vel juftitia, quae habeo,

P 2

(i) Parentem pofuit pro confanguineo, noto nunc quoque et vulgato Gallis, Italis, Hifpanis intellectu: Ita quoque avunculus pro quocumque propinquo, patruo etiam. (k) Ex inftr. Heremi.

(l) Anno D. N. MCXV. (m) Anno D. N. MCXVI. (n) Anno D. N. MCXVIII. (o) IX. Kal. Oct. (p) Anno D. N. MCXXII.

beo, reddam; quae non habeo, ut reddantur, fideliter juvabo. Et do veram pacem Domino Papae Callixto, ſanctaeque Romanae Eccleſiae, et omnibus qui in partibus ejus ſunt, vel fuerunt. Et in quibus ſancta Romana Eccleſia auxilium poſtulaverit a me, fideliter juvabo, et de quibus fecerit mihi querimoniam debitam ſibi faciam juſtitiam. Haec omnia acta ſunt conſenſu et conſilio principum, quorum nomina ſubſcripta ſunt. Adelbertus Archiepiſcopus Moguntinus, Fridericus Archiepiſcopus Colonienſis, H. Ratisbonenſis Epiſcopus, Otto Bambergenſis Epiſcopus, Bruno Spirenſis Epiſcopus, H. Auguſtenſis Epiſcopus, Godebaldus Trajectenſis Epiſcopus, Uldaricus Conſtantienſis Epiſcopus, H. Fuldenſis Abbas, Heinricus Dux *Bavariae*, Fridericus Dux *Sueviae*, Bruno Dux *Saxoniae*, Dietboldus Marchio *Cambienſis a Vochburg*, Gotfridus Palatinus Comes *Rheni*, Otho Palatinus Comes *a Vietelsbach*, Engelbertus Marchio *Iſtriae*, Beringarius Comes *Habsburgi*, Theodoricus Comes *Montisbellicardi*, et alii complures.

Mox toto imperio unanimi principum voto, et omnium deſiderio et gaudio, pacem promulgavit (q). Eodem anno cum forte Berchtoldus Zeringus Molzheimium, Elſatiae inferioris opidum tranſiret, a civibus noctu oppreſſus et interfectus eſt. Ex Sophia Heinrici Nigri Bavariae Ducis filia nulli nati liberi. Translatus eſt ad D. Petri Harciniae, et aede Capituli ante Abbatis ſedem ſepultus, quod Monaſterium, ut ſupra diximus, pater condiderat, ipſe perfecerat, dedicaratque A.D.N. MCXIII. XI. Kal. Octobr. Succeſſit Cunradus frater. Sophia Leopoldo, Stiriae Marchioni, ſecundo nupſit, et Othagarum Marchionem ultimum generavit. Heinricus interim Imp. peragrata Germania, cum omnibus jus et juſtitiam judiciumque dare, conſervare, reddere moliretur, Argentinae Chriſti conſerv.toris noſtri natalitia celebravit (r). Eo principes plures Lotharingiae, Burgundiae, Elſatiae, Rhenanarum partium convenere. Adfuit et Cunradus Baro, et Eques a Seldenburc, utque, quem Angelorum Montem Monaſterium apud Silvanios conſtruxerat, in ſuam protectionem ſuſciperet impetravit. *V. Kal. Januarii, Dominica, Luna IX. Ind. III. Anno Dominicae Incarnationis MCXXV. Teſtes fuerunt Anſericus Biſuntinenſis Archiepiſcopus, Geroldus Lauſanenſis Epiſcopus, Uldaricus Conſtantienſis Epiſcopus, Berchtoldus Baſilienſis Epiſcopus, Arnoldus Spirenſis Epiſcopus, Stephanus Metenſis Epiſcopus, Bruno Argentinenſis Epiſcopus, alii quoque principes, Cunradus Dux* Zeringiae, *Gulielmus Comes* Burgundiae, ſive Viennenſis, et Salinenſis, *Gotofridus Palatinus* Rheni, *Rudolfus Comes de Lentzburg, Adelbertus Comes de Habesburch, Adelbero Comes de Froburc, Vernerus Comes de Hohenberg* (s). Anno ſequenti ineunte (t), cum forte in Aventicis ageret Gulielmus Comes, Stephani et Agnetis Zeringiae Fil. cognomento Puer, cui praeter Burgundiae comitatum, Aventicenſes, Antuates, et alia plura in Helvetia, et minore Burgundia parebant, inimicorum fraude, prope Paterniacum, cum multis nobilibus, inter quos Petrus et Ulricus Glanae Comites, nefarie V. Eidus Februarii obtruncatur (u). Ejus morte intellecta, Reginaldus Matiſconenſis et Cabellionenſis Comes, proximus agnatus, quae reliquerat, armata manu, ſubito corripuit, fruſtra contra nitente Imperatore Heinrico, et ſi quae praetenderet, jure ageret, Imperiique principum, quatenus ea Imperii beneficia erant, ſententiam exſpectaret, edicente. Ille opum confidentia, ſtemmatisque, et regii, quem ferebat ortus, indignum reputando alteri ſubeſſe, et ad mandata obſequi, inſitae animo vanitati cetera cuncta poſthabuit. Igitur Heinricus habito principum conſilio, ipſum proſcripſit, ut rebellem et contumacem, comitatuque Burgundiae, et ceteris in Aventicis privavit, cuncta fiſco et camerae adjudicavit, factoque exercitu, cui Cunradum Zeringenſem praefecerat, in Burgundiam duxit. Reginaldo magna ſpes in Montione arce. Eam bello ſedem, ſitu et operibus munitam legit, fido et forti milite, commeatuque, et aliis in uſum firmavit; poſtremo illa ſe quoque incluſit. Itaque eo copias omnes Imperator vertit, et cuncta moenia exercitu circumvenit (x). Crebrae hinc eruptiones, et miſſilibus et telis diu ac noctu certabatur. Deſtinatum erat Reginaldo non ante deditionem facere, quam commeatus deficerent, horum abundantia, et interea taedio, Heinricum obſidione diſceſſurum, aut conditiones tolerabiles daturum. Nam expugnari poſſe animum non inducebat, quod contra fuit. Diebus enim aliquam multis per obſidium toleratis, denique vires omnes et opes in expugnationem Zeringenſis intendit, ingentique clamore, miſſiliumque et tormentorum ſtrepitu et vulneribus praeſidiarios repulit, et in arcem introrupit. Reginaldus captus, et Spiram, poſt Argentinam deductus, ceteri ferro necati. Argentinae, principum conventu facto, cum multi multa ſuaderent, plerique in Reginaldi favorem diſſeruere, adoleſcentis, et egregiae, ut videbatur, virtutis, bonitatisque. Quamobrem omnium pene precibus omnia pollicentem, liberum Imperator eſſe juſſit, Burgundiaeque comitatui reſtituit, ſexto menſe, quam in cuſtodia habuerat. Hinc domitis, qui rebellarant Vangionibus, dum ad Rheni inſulas convertitur, Trajecti abſumtus eſt, XV. Kal. Julii. Principes Imperii, regiis Vormatiae comitiis, Lotharium Saxoniae Ducem, Caeſarem II. nominavere III. Kalend. Septembris, coronavit Eidibus ejuſdem menſis (y) Aquiſgrani Fridericus Archiepiſcopus Colonienſis, non abſque competitoribus Friderico Sueviae Duce, Heinrici defuncti ex ſorore nepote, Leopoldo Auſtriae Marchione, et Carolo Flandriae Comite. Bellum ex illo ortum per partes, Friderico maxime et Cunrado ejus fratre, Franconiae Duce, rebellantibus. Sed interventu et auctoritate D. Bernardi Claraevallis Abbatis in gratiam Bambergae, in comitiis, utrumque Lotharius recepit. Reginaldum, eodem tempore, et novo rege, novarum quoque rerum lubido invaſit, ſimul nupera damna, cuſtodiaque talium inſolentem animum ſtimulabant: Et, ſine liberis defuncto Heinrico Imp. qui avita haeredi-

tate

(q) Otho Friſ. Lib. VII. cap. 16. Gulielm. Tyrius. Lib I. cap. 13 Platina, Panvinius, Volaterranus, Nauclerus, Trithemius (r) Anno D. N. MCXXV. (s) Ex autographo. (t) Anno D. N. MCXXVI.

(u) Ex monumentis Monaſt. Altaeripae prope Friburgum in Aventicis, quod Comites Glanae olim nobiliſſimi condiderunt. (x) Ursberg. Chron. (y) Anno D. N. MCXXVII.

ſtate Burgundiam ſibi vindicabat, quin jure et ipſe non ſolum beneficio totius Burgundiae jam potiretur, non videbat rationem aut cauſam. Igitur Sacramentum Lotharii accipere juſſus, renuit; Sui ſe juris, aliena imperia non morari. Burgundiae ſemper Reges fuiſſe. Titulo abſtinere, cetera regni habere (z). Germanos non ex aequo bonoque, ſed praecedentium Regum et Comitum vecordia ignaviaque Burgundiam uſurpare. Fuerit Heinrico Imp. poſtremo, ex avita haereditate jus et pars; illo abſque haerede exſtincto, eodem cuncta redire. Non importune a ſe detrectari, quod per injuriam exigatur. Addebat alia, juventa et ambitione, mox fautoribus praeceps. Lotharius, acto apud Spiram conventu, cui plerique Burgundiae optimates interfuerant, Reginaldum rurſus proſcripſit, Burgundiae adminiſtrationem Cunrado Zeringo, qui proximam minori Burgundiae praefecturam Imperii Tigurinam regebat, opibusque et militiae laude plurimum valebat, dedit (a), non modo, tamquam Comitis Gulielmi ex ſorore nepotis legitimo haeredi, ſed in praemium quoque et ſumtum, pro ſe geſti contra Fridericum et Cunradum Allemanniae Duces et Franconiae paulo ante belli. Inde Rectoris et Ducis etiam Burgundiae titulo, advocatique Tiguri, ipſe poſterique uſi: Burgundiaque transjurana iterum, poſt tot tempeſtates, ſuos Duces habere caepit. Ex eadem pariter occaſione, plurimorum annorum, et cruenta per partes bella, non ſine Habsburgienſibus, Cunradi propinquis, et minoris Burgundiae ex Germania venientibus, obviis, et primis; quorum bellorum cauſa nonnullas in Burgundia minori arces Cunradus alias novas condidit, ut Morgeam in Antuatibus: alias inſtauravit, ut Minniduri, et Ebroduni: poſteri vero etiam opida poſuerunt, ut in tempore oſtendemus. Notat Chronicon Murenſe, hoc quoque tempore Adelbertum Habsburgienſem bellum in Elſatia habuiſſe, Monaſterium in ſuis vineis, et aedificiis damna haud mediocria tuliſſe, quibus de cauſis, et contra quem, non item memorat. Eadem prope tempeſtate (b), obiit Arnoldus ſenior, qui et Arnolfus, Comes Lentzburgi, Ulrici, et Richenſae Filius: reliquit filios quatuor, Ulricum, Arnoldum, Vernerum et Cunonem, qui etiam Badae (c) Comites nominati, quod vivente, et regente Lentzburgi patre, Badae ferme agitarent, et Richenſam filiam, quae Hermanno Comiti Kiburgienſi tradita nuptum. Lotharius vero, menſe Februario, Baſileae conventum principum habuit, et Epiſcoporum ejus praecipue tractus (d). Adfuerunt Anſericus Archiepiſcopus Veſontionenſis, Bruno Argentinenſis, Uldaricus Conſtantienſis, Otho Halberſtatenſis Epiſcopi, Rudolfus Augiae, et Berchtoldus Murbaci Abbates (e). Cunradus Zeringus, Hermannus Marchio Badenſis, Sigebertus Elſatiae inferioris, Ulricus Egesheimenſis, Adelbertus Habsburgienſis, Vernerus a Thierſtein, Berchtoldus Neoburgienſis, Comites alii. Paucis poſt menſibus obiit etiam Hermannus II. Marchio, primum qui ab opido Bada uxoris ſumſit uſurpavitque titulum. Sepultus eſt Beckenaviae Monaſterio a ſe condito. Reliquit filios Hermannum III. et Albertum. Lotharius poſtea, Romam profectus cum exercitu, Innocentium pontificem, contra factionem Petri Leonis, Sedi Apoſtolicae reſtituit. Ab eo imperialia ornamenta (f) III. Nonas Junii accepit. Mox in Germaniam rediit, peractisque Coloniae feſtis natalitiis, Mersburgi magna ſolennitate et pompa filiam Gertrudam Heinrico Superbo Bavariae Duci collocavit feriis pentecoſtes. Interea dedicavit Geblardus (g) Argentinenſis Epiſcopus Gebvillariae in Elſatia Eccleſiam, *in praeſentia Comitum Adelberti Habsburgienſis, Rudolfi Lentzburgienſis, et Arnulfi filii, Volmarique Hombergenſis* ut docet dedicationis inſtrumentum. Et Lentzburgienſi Rudolfo alteri Richenſae, et Ulrici filio, haud diuturna ab illo vita ſuperfuit (h). Reliquit filios tres Uldaricum, Rudolfum et Arnolfum. Ita ſeptem, duobus ex fratribus, tunc Lentzburgi et Badae Comites ſuperſtites. Sed Lotharius rurſus in Italiam, magnis Innocentii precibus, profectus (i), Anacletum falſum pontificem et Rogerium ejus protectorem tota Italia expulit, rebusque praeclare geſtis, cum Germaniam victor et triumphator repeteret, gravi et exitiali morbo repente oppreſſus, in viliſſima Aenum inter et Licum fluvios caſa, pridie Kal. Octobres defunctus eſt, non minus pietatis, quam fortitudinis laude celeberrimus (k). De eo enim Antiſtes Ursbergenſis. *Erat ſtrenuus belli ductor, praecipuus in armis, providus in conſilio, terribilis inimicis DEI et ſanctae Eccleſiae, veritatis amicus, juſtitiae ſocius, qui quamdiu vixit totum Romanorum Imperium titubare non potuit.* Et Petrus Diaconus, homo Italus, Lotharii aequalis. *Erat caecorum baculus, eſurientium cibus, miſerorum ſpes, lugentium conſolatio, atque ita in ſingulis eminebat virtutibus, ut omnes perfecte haberet.* Rara in principe laude, et quam iſtic in exemplum adponere volui. Interregnum per menſes ſex fuit. Poſtremo conventum principes indixerunt ad proximam pentecoſten Moguntiacum. Sed cum eo Heinricum Bavariae, et poſt Lotharii ſoceri exceſſum, Saxoniae Ducem, qui etiam Imperii inſignia penes ſe habebat, magna manu venturum, et per vim regnum invaſurum vererentur; multi procerum in primis Adelbero Treverenſis, Arnoldus Colonienſis, Buggo Vormatienſis, alii, et inter eos, Cunradus Dux, cum fratre Friderico, ante condictum diem, circiter mediam quadrageſimam Confluentiae Rheni convenere, ibique eumdem Cunradum Franconiae Ducem, dixere Regem III. Eidus (l) Martii, praeſente Theodevino Cardinali Apoſtolicae Sedis legato. Aquasque Grani mature ductum coronaverunt, XIV. Kal. Aprilis. Heinricus Bavarus ad illa, Cunradusque Zeringus, et alii primorum: Saxoniae maxime proceres, et Palatinus Rheni, qui electioni non interfuerant, turbare, eamque ut vanam aſpernari. Inde pernicioſum inter Zeringenſem, et Fridericum, Friderici Ducis filium exortum bellum. Confecto Fridericus exercitu, Tigurum inopinato circumvenit, paucisque diebus expugnavit (m), praeſidium impoſuit, Cunradum, tota prae-

Q

(z) Imo pro Rege geſſiſſe ſe memorat Guntherus Lib. X. „Regemque ſuperbus agebat.„ (a) Anno D. N. MCXXVIII. Dodechinus Chron. Vandaliae Mſcr. (b) Anno D. N. MCXXIX. (c) Ex inſtr. fundationis Monaſterii Varae ad Lindemagum. (d) Chronic. Baſil. Lib. II. cap. 15. (e) Diplomata ibid. data. Anno D. N. MCXXX.

(f) Anno D. N. MCXXXIII. Dodechinus Sigeberti ſuppl. Sigon. Lib. XI. (g) Anno D. N. MCXXXIV. (h) Anno D. N. MCXXXVI. (i) Anno D. N. MCXXXVII. (k) Trithemius Chron. Hirſ. Auctor Libelli de Guelphis, alii plerique. (l) Anno D. N. MCXXXIX. (m) Otho Friſ. Lib. I. cap. 26. de geſt. Ahenobarbi.

praefectura, deturbavit. In Brisiacam raptis, eadem celeritate, copiis, Zeringam arcem munitissimam caepit, et quidquid iis partibus firmum et Zeringo fidum subjugavit, itaque brevissimo tempore imparatum, et nihil minus quam bellum ab eo sperantem oppressit et attrivit, uti Cunrado patruo deditionem facere coegerit. Mortuo interea Friderico Unoculo, successit in Sueviae Ducatu, idem de quo memoravimus, Fridericus, cui Barbarossae, sive Ahenobarbo, post Imperatori Itali fecere cognomen. Caesar, perducto ad officium Zeringensi, Germanicis rebus constituendis, Argentinae principum concilium mense Aprili et Majo agitavit. Ibidem privilegia monasterii Fabariae confirmavit Vicramo Abbate. *In praesentia* (n) *Alberonis Archiepiscopi Trevirensis*, *Ortliebi Episcopi Basiliensis*, *Friderici Ducis* Sueviae, *Cunradi Ducis* Zeringiae, *Matthaei Ducis* Lotharingiae, *Hermanni Marchionis de Batha*, *Adelberti Comitis de Habesburch*, *Volmari Comitis de Homberch etc. V. Kal, Junii, Ind. II.* Eodem die, et loco Heremitarum quoque regalia adprobavit, precibus Verneri I. Abbatis, *adstipulatione praesentium* (o) *regni principum, videlicet Archiepiscoporum Alberonis Trevirensis Archiepiscopi et Apostolicae Sedis legati*, *Bisuntinensis Archiepiscopi*, *Stephani Metensis Episcopi*, *Alberonis Leodiensis Episcopi*, *Ortlibi Basiliensis Episcopi*, *Bucconis Vormatiensis Episcopi*, *Embrichonis Wirceburgensis Episcopi*, *Varneri Monasteriensis Episcopi*, *Friderici Ducis* Sueviae, *Cunradi Ducis* Zeringiae, *Matthaei Ducis* Lotharingiae, *Herimanni Marchionis* Badensis, *Berchtolsi Comitis Nuringae*, *Friderici Comitis* Zollerani, *ceterorumque fidelium, etc. Anno Dominicae Incarnationis millesimo centesimo trigesimo nono, Indictione secunda V. Kal. Junii regnante Cunrado Romanorum rege secundo. Anno vero regni ejus secundo: data Argentinae.* Id observandum, quod secundum Romanorum se Regem Cunradus nominat, cum duo tamen ipsum antecesserint Cunradi, magnae uterque virtutis, et regiae dignitatis. Sed Cunradum primum non videtur inter Romanorum Reges numerare, quod finibus Germaniae non excesserit, Italiam non ingressus sit, non Romam in potestate habuerit, aut ibi coronam receperit. Cujus judicium quidam scriptores, cupidius nescio, an arrogantius amplexi, eo quoque audaciae, an vecordiae, provecti sunt, ut Heinricum primum Aucupem, dignum Magno Othone parentem, eadem de causa, ex Romanorum Regum albo expunxerint, contra tot postea Heinricorum Impp. rescripta et diplomata. Sed de his forte, et id genus aliis, alias. Anno sequenti, Cunradus exercitum contra Bavarum duxit, Vinsberg castrum Velfonis, Heinrici fratris, obsidione cinxit (p). Ibi Verneri Abbatis Heremi etiam bona confirmavit et possessiones, quas in vico Rumlang agri Tigurini, Eberhardus et Juditha ejus conjux, communisque filius Heinricus Monasterio donaverant, testesque hujus rei idoneos adhibuit, *quorum nomina haec sunt*, *Theodeuvinus sanctae Rufinae Episcopus Cardinalis*, *et Apostolicae Sedis legatus*, *Baldemarus Laurishcimensis Abbas*, *Hermannus Marchio* Badensis, *Adelbertus Comes* Habsburgiensis, *Poppo Comes*, *Verinherus Comes de Baden*, *Udalricus de Lenziburch*, *Anno Dominicae Incarnationis millesimo centesimo quadragesimo*, *indictione III. XVII. Kal. Decembris. Regnante Cunrado Romanorum Rege secundo, Anno vero regni ejus tertio. Actum est in obsidione castri Winberch*, quo bello, et oppugnatione illud memorabile referunt. Cum enim deditionem facere propugnantes coegisset Caesar, solisque faeminis auferendi licentiam, quae libuissent, indulsisset, cetera in praedam et caedem militi permisisset, mulieres, liberis et ceteris posthabitis maritos Castro humeris exportavere (q), raro et nobili debilioris et infidi sexus, conjugalisque amoris experimento, quarum fidem et dilectum, repugnante licet Friderico nepote, qui de viris mentionem nullam habitam volebat, non solum Cunradus probavit, sed impunem et laudabilem declaravit. Ea expeditione facta, domum reversus Adelbertus Habsburgiensis decubuit, et vita fortiter gesta excessit, anno sequenti ingrediente (r), Regum et Imperatorum, ut ex pluribus instrumentis hactenus ostendimus, comitatu, et bellicis expeditionibus clarissimus. Absque uxore fuerit, an uxorem habuerit, non reperi. Biennio ferme postea, Anno D. N. MCXLIII. III. Eidus Novembris obiit quoque Vernerus, Adelberti nepos, haud magna et singulari memoria sui, nisi in Murensis Monasterii, et religionis studio et zelo, avitis insistendo vestigiis. Manlius et Gebvillerus ajunt Vettingae sepultum, cujus Monasterii locupletator et fautor praecipuus fuerit. Sed vanum id esse et falsum, supra quoque ostendimus, cum multis post annis, Vettingensis Monasterii posita sint fundamenta, tempore videlicet Friderici II. Sane Vettingae plures Comites Habsburgiensis sepulti, sed fere ex Lauffenbergensibus, uti postea videbimus. Vernerus igitur Muri quoque conditus, relictis filiis, VERNERO III. et RUDOLFO, quorum alter patri successit, alter brevi esse post eum desiit, uterque ex ITA ab Homberg. Verneri Comitis filia, Rudolfi nepte. Homberg arx sedes Comitum ejusdem nominis, et origo, in valle Friccensi sita est. Veterem dixerunt, ad novae discrimen, quam condiderunt Comites postea sinistro Jurassi latere, quo in loco inferiorem Hauvenstein vocant, e regione fere Castri Froburgi. Hombergensium Comitum antiqua et clara memoria. Ipsi Ecclesiae et Episcopatus Basiliensis advocati et protectores erant. De Vernero enim supradicto, ita ejus temporis instrumenta Anni MCXXV. *Vernerus Basiliensis Ecclesiae Advocatus.* Anni vero MCXLI. *Vernerus Comes Advocatus Ecclesiae Basiliensis.* Aliud exstat apud S. Albanum Basileae (s), in quo disertim gentis nominatio, Anni MCXXCIV. *Vernerus Comes de Homberch, Advocatus Ecclesiae Basiliensis.* Erat Verneri filius, Itae frater. Postquam Comites Hombergenses defecerunt; Arx vetus ad Comites Habsburgienses, Lauffenbergae dominos, et inde ad principes Austriacos: nova ad Episcopatum Basiliensem, cujus erat beneficium, recidit.

(n) Ex Schudii Chron. (o) Ex Autograph. (p) Anno D. N. MCXL.

(q) Trith. Hist. Hirsaug. Scriptor de Guelphis. (r) A. D. N. MCXLI. (s) Chron. Basil. Lib. I. cap. 10.

CAPUT

CAPUT QUARTUM.

VERNERUS III. COMES HABSburgi, et Elsatiae Landtgravius.

NON me fugit, qui hactenus HABSBURGIENSIUM originem stemmaque prodidere, omnes VERNERUM III. hunc, de quo agimus, Vernero II. natum ignorasse, aut utriusque nomen, vitamque in unum contulisse, patrem filiumque eundem putasse. Major apud me fides libelli fundatorum Murensis Monasterii super antiqua instrumenta. Is libellus expressim Vernero Othonis filio, non Adelbertum, ut illi, sed Vernerum, illum scilicet, quem proponimus, et Rudolfum tribuit filios: Hoc eodem porro Vernero Adelbertum natum. Sic enim genealogiam ducit, cum Othonem, et ex eo genitum Vernerum memorasset. *Ita de Thierstein, sive Homberg genuit Vernerum et Rudolfum de Habsburg. Idem Vernerus genuit Adelbertum, Gerthrudem de Mimpelgard, Richensam de Fierrito.* Quod vocat Verneri matrem, quam Hombergensem superiori capite diximus, *Itam de Thierstein, sive Homberg*, id quoque crediderim, ea maxime ratione dictum, quod etiamsi diversae omnino eaedem familiae fuerint, et utraque comitivae dignitatis, in eadem tamen antiquitus valle Friccae arces Thierstein et Homberg stetere, connexique adeo fuerunt hi tres comitatus Thierstein, Homberg et Rhinfelde, ut limitarem apud lapidem, prato, cui Esermat nomen est, comites convenientes, conversis inter se tergis, quisque in suum dominium respicere potuerit. Ceterum pacata Bavaria, Caesar frequentem Argentina conventum principum egit (a). Ibi enim interfuere, praeter ceteros, *Embricus Vireeburgensis* (b), *Burcardus Argentinensis, Ortliebo Basiliensis Episcopi: Berchtoldus Murbacensis, Vilibaldus Stabulensis, Fridericus Augiensis, Valterus Selfensis Abbates. Fridericus Sueviae, Cunradus Zeringiae Duces: Hermannus Marchio Badae, Rudolfus de Homberg, Volmarus de Froburg, Vernerus de Habesburch, Othelricus de Gameringe, Evecarius de Kurchberg, Berchtoldus de Callendin, Ludovicus de Oetingen, Theodoricus de Montbilingard, Othelricus de Egesheim, Sigifridus de Bonnenburg in Saxonia, Adolfus de montibus in Vuestfalia, Simon de Sarburg, Berchtoldus de Nuenburg Comites, Berchtoldus de Tannecka, Heinricus de Rhinfelden, Cunradus de Chrenchingen, Heinricus de Cussenberg, Barones*, alii plures. Sequenti anno (c), dedicavit Hermannus Constantiensis Episcopus templum Gosvillae Vindonissensium *in praesentia Cunonis* (d) *Abbatis de Mura et Verneri Comitis de Habesburch.* Sed Cunradus, rursum Spirae comitiis habitis (e), primus Germanorum sacrae militiae nomen dedit, auctore Eugenio pontif. oratore et legato D. Bernardo Clarae vallis Abbate. Exemplum secuti plerique Germaniae principes, eo intentius, quod prioris expeditionis expertes fuerant. Ferunt tantum cursum ad videndum D. Bernardum esse factum in eam urbem, ut illum suis humeris Caesar attollere, ne ab circumfusa multitudine comprimeretur, fuerit coactus. Igitur pridie Nonas Februarii, ineuntis anni (f), expeditioni se Cunradus accinxit, cum Friderico nepote, et Guelfone Ducibus, hoc Bavariae, illo Sueviae, aliisque principibus permultis. Adfuisse illi dicuntur super pedites, millia equitum septuaginta, adeo ut ad Eugenium scripserit D. Bernardus: *Exhauriri urbes et opida, nec temere inveniri, quem septem mulieres virum unum praeberent.* Magnus apparatus et spes, eventa haud perinde prospera, Emmanuelis Constantinopolitani Imperatoris fraude et invidia. Rediit enim anno proximo (g) in Germaniam Cunradus, nulla re prope gesta, copiis ferme omnibus inedia, aeris intemperie, ciborum insolentia, barbarorum incursu exhaustis, non sine Christiani nominis, toto Oriente, magno decremento et prope contemtu. Inde, cum se coronae accipiendae, tum Insubriae et Apuliae non tam constituendis, quam recuperandis, in Italiam transiturum jurasset, repentino morbo oppressus, non sine veneni suspicione a medicis dolo malo Rogerii dati, XV. Kal. Martii vita Babenbergae exutus est, secundo et quinquagesimo anno duodecimi seculi, cum Imperatoria ornamenta Friderico nepoti tradidisset, ea conditione, ut si judicium suum probavissent Germaniae proceres, Sueviae Ducatum Friderico filio adolescentulo permitteret (h). Principes Francofurti, magna omnium exspectatione et voto, III. Nonas ejusdem mensis Fridericum regnare jusserunt: Ipse Sueviae Ducatum Friderico patrueli, ut promiserat, tradidit. Francofurto Aquilgranum continuo profectus, totius pene Germaniae et Langobardiae nobilitatis comitatu, VII. Eidus ejusdem Martii, Dominica laetare, coronam Germanici regni accepit. Paucis post mensibus, obiit etiam Cunradus Dux Zeringensis, sepultusque est in Monasterio D. Petri ad Harciniam. Reliquit ex Clementia, Gotfridi Namurci et Lucemburgi Comitis filia, ex stirpe et sanguine Caroli M. liberos quinque Berchtoldum IV. Zeringiae Ducem, Rudolfum Leodicensem Antistitem, et Maguntiaci electum Archiepiscopum: Adelbertumque qui Neckargoviam tenuit, et castrum Teccense, a quo Duces postremi Teccenses. Genuit enim ex Adelheide Adelbertum II. Ducem Teccensem. Sepultus ipse, et posteri in opido Auue infra arcem Teccensem. Ultimus ex Ducibus Teccensibus fuit Ludovicus Patriarcha Aquilegae, qui in Concilio Basiliensi pestilentia exstinctus est, XIV. Kal. Septembris, Anno D. N. MCCCCXXXIX. Ducatus ad Comites Virtenbergenses pervenit, qui postea inde Duces, Maximiliani I. Imp. optimi decreto. Habuit praeterea Hugonem Brisiacae et Mortnoviae dominum, qui sine haerede finiit: et postremo filiam Clementiam Heinrici Leonis Ducis Saxoniae et Bavariae uxorem, cum qua Anno D. N. MCLXII. divortium fecit. Cunradus filius quintus ante patrem defunctus est. Et de Cunradi quidem Ducis anno mortis constat inter scriptores. Eodem enim, quo Cunradus Caesar excessit, prope tempore desideratum Zeringum satis compertum est. De die et mense discrepant. Namque alii, IV. Nonas Junii diem supremum implesse volunt; quos jam quidem secuti sumus: alii, et forte rectius, IV. Eidus Januarii. Ut,

(a) Anno D. N. MCXLIV. (b) Ex diplomatis illis concessis. (c) Anno D. N. MCXLV. (d) Ex instrum. dedicat. (e) Anno D. N. MCXLVI.

(f) Anno D. N. MCXLVII. (g) Anno D. N. MCXLVIII. (h) Anno D. N. MCLII.

ut ſit clarae ſane virtutis, et militiae ſcientiae fuit, praecipuaeque apud Reges auctoritatis. Clementia uxor obiit ſeptimo poſt anno D. N. MCLIX. Fridericus Caeſar, compoſitis utcumque Belgii Saxoniaeque et Rheni negotiis, Conſtantiam, quo Italorum praecipue conventum indixerat, properavit. Ad Monaſterium Eriſtein, haud procul Argentina, cum perveniſſet, donationem curtis Baſinckheim, quam Berchta Abbatiſſa, et Eccleſia Eriſteinenſis fecerat Hermanno Marchioni Badenſi, ſua auctoritate, et diplomate ratam habuit. *Teſtes interfuerunt Burcardus Argentinenſis Epiſcopus, Cunradus frater* Caeſaris Palatinus Rheni, *Sibetus Comes de Franckenſburgk, Wernerus Comes de Havegesburgk* (i) *Berchtoldus Comes de Nuenburg, Anſelmus Argentinenſis Advocatus, Hugo Comes de Thuingen, Ludovicus Comes de Vuerdeneberg. Datum Ernſtein, quarto Idus Julii Anno Dominicae Incarnationis milleſimo centeſimo quinquageſimo tertio, Indictione decima quarta, regni ſecundo.* Conſtantiae Laudenſium, et Comenſium de Mediolanenſibus querelas audivit, auxilium adflictis promiſit (k). In Galliam inde legatum Ulricum Lentzburgi comitem miſit. Poſtremo de conventus ſententia uxorem Adilam, Theodebaldi Marchionis Cambienſis de Vochburg F. *propter impedimentum conſanguinitatis* (l), ut tradidit Abbas Urſbergenſis, a ſe removit. Parata mox expeditione, primo auctumno, alpes cum exercitu ſuperavit, Inſubriae et Flaminiae, quantum tempus tulit, res compoſuit. Romae poſtremo Imperator ejus nominis primus ab Adriano XIV. Kal. Julii coronatus in Germaniam rediit. Durabat interea bellum Burgundicum, illudque, veluti haereditarium Berchtoldus, Cunradi Filius ſtrenue gerebat, auxilio maxime Comitum Lentzburgi, Froburgi, Habsburgi et Kiburgi. Denique hoſtem Juraſſum ultra repulit, et totius Burgundiae minoris principatum occupavit. Reginaldum comitatus Burgundiae excepit integra fide, et belli intactus. Frequentes hinc, et poſtea utrimque praedationes, incendia, caedes. Juraſſus ſolus dividebat, clementi jugo, tritiſque per commercia, dum pax erat, et unicus dominatus, itineribus. Fridericus denique medium ſe interpoſuit, pacemque hac conditione fecit. Comitatus Burgundiae Reginaldo uti pareret. Cetera Zeringi eſſent, Aventici, Antuates, Vindones et nonnulla quoque in Allobrogibus (m), et Sebuſianis. Pro titulo vero regni Arelatenſis, quo cum hactenus Zeringi uterentur, ipſum Imperio et ſibi vindicabat, Berchtoldo trium Epiſcopatuum Lauſanenſis, Genevenſis, et Sedunenſis advocatias dedit, ductaque ejuſdem Reginaldi filia unica Beatrice, Virceburgi nuptias celebravit. Virceburgo Norimbergam, mox Ratisbonam contendit (n). Ibi controverſiam de Bavariae Ducatu, quae Heinricum Saxoniae Ducem, et Heinricum Auſtriae Marchionem, Bavariam tum, Cunradi II. Caeſaris dono, obtinentem, plures annos tenuerat, ſoluit, aboleuitque. Marchio Ducatum Bavariae in manum Imperatoris dedit; eumdem continuo ipſe Saxoni commiſit, ea conditione, ut juri, quod in nonnulla Auſtriae loca habebat, praecipue ab Aniſo amni ad uſque flumen Aenum, quae Marchia ſuperior vocabatur, quamque ab Bavariae Ducibus Auſtriae Marchiones beneficio accipere ſolebant, renunciaret, Auſtriae principatum libere Heinricus, et poſteri poſſiderent, quam uti magis illuſtraret, utriusque cis, et ultra Aniſum Auſtriae dominationem in unum contulit, et ex iis conjunctis Ducatum, ſub duobus vexillis, fecit (o), HEINRICUM ex Marchione DUCEM PRIMUM nominavit, XV. Kal. Oct. Indict. II. regni anno V. Imperii II. Ejus rei diploma, ſi quis requirat, ne fruſtra ſit, infra adponere volui.

In nomine ſanctae et individuae Trinitatis. Amen. Fridericus, divina favente clementia, Romanorum Imperator, ſemper Auguſtus. Quamquam rerum commutatio ex ipſa corporali inſtitutione poſſit firma conſiſtere, vel ea quae legitime geruntur nulla valeant refragatione convelli, ne qua tamen rei geſtae poſſit eſſe dubietas noſtra debet Imperialis auctoritas praecavere. Noverit igitur omnium Chriſti imperiique noſtri fidelium praeſens aetas, et ſucceſſura poſteritas, qualiter nos, ejus cooperante gratia, a quo caelitus in terram pax eſt miſſa omnibus, in curia generali Ratisbonae, in nativitate ſanctae MARIAE celebrata, in praeſentia multorum religioſorum et Catholicorum principum litem et controverſiam, quae inter dilectiſſimum patruum (p) noſtrum Heinricum Ducem Auſtriae, et chariſſimum nepotem (q) noſtrum Heinricum, Ducem Saxoniae, diu agitata fuit, de Ducatu Bavariae, hoc modo, terminavimus. Quod Dux Auſtriae reſignavit nobis Ducatum Bavariae, quem ſtatim in beneficium conceſſimus Duci Saxoniae: Dux autem Bavariae reſignavit nobis Marchiam Auſtriae, cum omni jure ſuo, et cum beneficiis omnibus, quae quondam Marchio Leopoldus habebat a Ducatu Bavariae. Ne autem in hoc facto minui videatur honos, et gloria dilectiſſimi patrui noſtri, de conſilio et judicio principum, Uladiſlao illuſtri Duce Bohemiae, ſententiam promulgante, et omnibus principibus adprobantibus, MARCHIAM AUSTRIAE, in DUCATUM commutavimus, et eumdem Ducatum, cum omni jure, praefato patruo noſtro HENRICO, et praenobiliſſimae uxori ſuae THEODORAE in beneficium conceſſimus, perpetuali jure ſancientes, UTI ipſi, et liberi eorum poſt eos, indifferenter filii et filiae, eumdem DUCATUM AUSTRIAE, haereditario jure a regno teneant et poſſideant. Si autem praedictus Dux Auſtriae, patruus noſter, et uxor ejus abſque liberis deceſſerint, libertatem habeant eumdem Ducatum affectandi cuicumque voluerint. Statuimus quoque ut nulla magna, vel parva perſona, in ejuſdem Duca-

(i) Pro Habesburg. (k) Urſberg. Nauclerus gen. XXXIX. Corius parte I. Sigon. Lib. XII. (l) Erant duabus ſororibus geniti, Juditha et Mathilde, illa Friderici mater; haec Adilae. (m) Inde Allobrogum Ducem Berchtoldum vocat Gunterus. (n) Anno D. N. MCLVI.

(o) Stero Annal. Trith. de Ducib. Bavar. Cuſpinian. Auſt. (p) Heinricus hic, et Friderici Imp. pater Unoculus Dux, erant fratres uterini. (q) Non erat proprie nepos, ſed matruelis, natus ex Heinrico Superbo, fratre Judithae Friderici Imp. matris. Quamvis nepotem quoque hac in materia vocet Guntherus Ligurini Lib. V.

Ducatus regimine, sine Ducum consensu vel permissione, aliquam justitiam praesumat exercere. Dux vero Austriae, de Ducatu suo aliud servitium non debet Imperio, nisi quod ad curias, quas Imperator praefixerit in Bavaria, evocatus veniat. Nullam quoque expeditionem debeat, nisi forte quam Imperator in regna vel Provincias Austriae vicinas ordinaverit. Ceterum ut haec nostra Imperialis constitutio omni aevo rata et inconvulsa permaneat, praesentem inde paginam conscribi, et sigilli nostri impressione insigniri jussimus, adhibitis testibus idoneis, quorum nomina haec sunt: Pilgrinus Aquileiensis Patriarcha, Eberbardus Archiepiscopus Salisburgensis, Otto Episcopus Frisingensis, Cunradus Episcopus Pataviensis, Eberhardus Episcopus Bambergensis, Hartmannus Episcopus Brixiensis, Hartwicus Episcopus Ratisbonensis et Tridentinus, dominus Velso, Dux Cunradus frater Imperatoris, Fridericus filius Regis Cunradi, Heinricus Dux Carinthiae, Marchio Engelbertus de Istria, Marchio Albertus de Baden, Diethboldus Marchio de Voheburg, Heinricus Comes Palatinus de Rheno, Otto Comes Palatinus, et frater ejus Fridericus, et alii quam plures.

Signum Domini FRIDERICI  Imperatoris invictissimi.

Ego Reinhaldus Cancellarius, vice Arnoldi Moguntinensis Archiepiscopi, et Archicancellarii, recognovi. Regnante Domino Friderico Romanorum Imperatore in Christo feliciter. Datum Ratisbonae XV. Kal. Octob. Ind. IV. Anno Dominicae Incarnationis MCLVI. Anno regni ejus V. Imp. II.

Quod quidem diploma ideo adjeci, ut inde AUSTRIAE principatus, quem nunc HABSBURGIENSES COMITES, de quibus agimus, tenent, possidentque, et ab eo AUSTRIAE DUCES et ARCHIDUCES vocantur, privilegia certiora et clariora sint, et ejus tituli origo ex Marchionibus notior et manifestior. Bellum hinc contra Polonos gessit Fridericus. Et quia eo Uladislai Bohemiae Ducis, alii Ladislaum (r) nominant, singularis virtus et fortitudo exstiterat, Ratisbonae rursum conventu ob Italiae turbas celebrato, eumdem Uladislaum primum Bohemiae Regem salutavit, coronaque, et regalibus ornamentis decoravit, Anno D. N. MCLVII. Atque ex eo Bohemia, quae hactenus Ducibus paruerat, Reges habere incepit, singulari Bohemorum fama et gratia. Sed eodem conventu secunda in Italos, Mediolanenses praecipue decreta expeditio, qui in contemtum non tam Imperatoris quam totius Imperii, Laudam Pompejam funditus everterant. Igitur anno insequenti mense Majo, comitantibus Uladislao Bohemo, Friderico Duce Sueviae, aliis quam plurimis, Alpes evasit. Ante omnes Berchtoldum Zeringum militiae egregium cum expeditis praecedere jussit. Unde illa Guntheri.

Virum magnis spectatum saepe periclis,
Allobrogumque Ducem, cujus sub jure fatigat
Lenis Arar, placidas Rhodano quas commodat undas;
Huic nomen Berchtoldus erat, cum milite multo,
Praecursare jubet.

Secutus Fridericus Trezam munimentis validam expugnavit, Laudensibus novam urbem condidit. Postremo VIII. Eidus Augusti Mediolanum centum ambitu stadia complectentem, centum armatorum millibus circumvenit, vineas arboresque ceteras fructiferas exscidit, aedificia suburbana succendit, agros populatus est, multisque cladibus attritos et vulneribus, fameque et inopia fessos et domitos deditionem facere coegit VI. Eidus Septembris. Dati obsides nobilissimi civitatis ducenti. Inde ad jus dicendum Italicis, Roncaliis apud Padum consedit. Regem Bohemum, Archiepiscopum Moguntinensem, et Zeringum in Germaniam remisit. Sed Mediolanenses ex malis et toleratis vigorem brevi et animum resumsere, obsidum inter turbida et ancipitia cura exigua, aut metu. Quamobrem Reginhaldum Cancellarium, Othonem Palatinum a Vietelsbach, et Comitem Gotzuinum Mediolanum, ut novos consules designarent, Magistratusque alios crearent, profectos, facto impetu, cives, veteris libertatis jactura, aut amissam recuperandi importuno et praecoci desiderio, oppugnavere, vixque elabendi, summo cum periculo, facultatem reliquere. Quae ubi ad Imperatorem fama, mox ipsi pertulerunt, nova ex Germania auxilia excivit, imprimis Berchtoldum Zeringensem, et Heinricum Saxoniae et Bavariae Ducem. Berchtoldum Cremonensibus belli ductorem, cum Cunrado Palatino Rheni, dedit. Ipse Cremam, magnis opibus obsedit (s), Mediolanensi faederi junctam, et post longam et acerbam oppugnationem redactam in potestatem funditus evertit, VI. Kal. Februarii. Aestate sequenti (t) rura, et Mediolanensium suburbana vastabundus pervasit. Eodem tempore, Maguntiacenses, factione Burcardi praepositi S. Petri, et Gotfridi S. Jacobi Abbatis, Archiepiscopum suum Arnoldum trucidavere (u), in eodem S. Jacobi extra urbem, quo saepius religionis causa itabat, Monasterio. Caedis auctores, quasi ad praesidium sceleris Rudolfum Zeringensem Leodici Episcopum, Berchtoldi fratrem, antistitem subrogaverunt. *Erat* enim, inquit Cunradus Archiep. *idem Rudolfus vir potens, amicus ipsius Imperatoris, consanguineus, propinquus.* Rudolfus dum Romam iter habet accipiendae Pontificis gratiae et confirmationis, paulo post per viam Lausannae obiit, teste eodem, qui ei successit in Archiepiscopatu, Cunrado, Othonis Palatini a Vietelsbach fratre. Hinc eorum error qui Lausannae Episcopum fuisse ferunt, et ad annum hujus seculi nonagesimum pervenisse. Sepultus est ad D. Petri Harciniae. Obiit eodem quoque anno Hermannus III. marchio Badensis, relicto Hermanno IV. Fil. Verum eo incolumi, ratus haud quaquam Italiam se quietam et pacatam habiturum, Fridericus, omnibus copiis, intentiori cura, IV. Kal. Junii (x) Mediolanum obsidere caepit, multisque proeliis, et varia fortuna, denique

(r) Guntherus Lib. VI. Lig.

(s) Anno D. N. MCLIX. (t) Anno D. N. MCLX. (u) Dodechinus suppl. Fragment. rerum Mogunt. Trith. Chr. Hirsaug. (x) Anno D. N. MCLXI.

nique obsidionis mense decimo domuit et subegit; Urbem a fundamentis evertit, saleque perpetuae sterilitatis macula Kal. Martii adspersit, Anno D. N. MCLXII (y). Papiam hinc concessit, ubi ei Genuenses per legatos sacramentum dixerunt, Nonis Junii, in praesentia Imperii principum Rinaldi Archiepiscopi Coloniensis, Ortliebi Episcopi Basiliensis, Hermanni Episcopi Constantiensis, Utonis Episcopi Virceburgensis, Hermanni Episcopi Hildesfeldensis, Cunradi Comitis Palatini Rheni, Heinrici Ducis Austriae, Gulielmi Marchionis Montisferrati, Theodorici Marchionis Saxoniae, Othonis Comitis Palatini a Vietelsbach, Alberti Comitis de Anhalt, Heinrici Comitis a Pfortzeim, Rudolfi Comitis a Pfullendorf, Uldarici Comitis Lentzburgiensis, aliorum plurium maxime Italiae nationis. Subacta hoc modo Insubria, Italia aliquatenus pacata, exeunte Auctumno, in Germaniam convertit, Constantiam IX. Kal. Decembris venit. Ibidem Hermanni Episcopi, quantum ad protectionem, Monasterii Creutzlingae privilegia confirmavit. Fuerunt *testes Cunradus Vormatensis Episcopus, Vido Hyppoliensis Episcopus, Vernerus Abbas S. Galli, Velfo Dux Spoleti. Fridericus Comes Palatinus de Tubingen, Hugo Comes frater ejus* Montisfortis, *Rudolfus Comes* Pfullendorffensis, *Vernerus Comes* Habsburgiensis, *Hartmannus Comes* Kiburgiensis etc. *VIII. Kal. Decemb. Ind. VIII.* Mense Octobri, insequentis anni (z), tertio in Italiam militem duxit. Hiberna Ticini habuit. His vero expeditionibus, Italiaeque et Germanniae bellis, et si Vernerum Habsburgiensem plerisque interfuisse credam, quia tamen per scriptorum incogitantiam, et monumentorum penuriam, nihil ejus praeterea habeo compertum, adfirmare non ausim, et veritatem professum ab adulatione, non modo vanitate, procul esse decet. Discessit Anno D. N. MCLXIII (a). relicto ex GERTRUDA, (cujus familiae, me ignorasse fateor; quidam Starckbergensem fuisse scripserunt) successore ADELBERTO III. filio unico: filiabus GERTRUDA, et RICHENSA. Illa Theodorici Montisbellicardi; haec Joanni Ferretae, Comitibus nupsere.

(y) Corius parte I.

(z) Anno D. N. MCLXIII. (a) Alii ante obiisse tradunt Anno scilicet MCLIX.

LIBER SEXTUS.

CAPUT PRIMUM.

ADELBERTUS III. COMES HABSburgi et Elsatiae Landgravius.

DUXIT ADELBERTUS uxorem ITAM, Rudolfi, Uldarici F. Pfullenduri, (Pfullendorf vocant Sueviae nunc Imperiale opidum) et Brigantii Comitis ejus stirpis postremi filiam, Heinrici Superbi Saxoniae et Bavariae Ducis, Velfonisque senioris Ducis Spoleti, Marchionisque Tusciae et Sardiniae principis, ex Vulfide sorore neptem. Ea adfinitate tractus et ipse in bellum quod eodem tempore Velfo, Palatino Tubingensi cruentum intulit. Strangulaverat (a) Hugo III. Palatinus Velfonis quosdam nobiles, arcemque eorum Meringam exsciderat. Saepius repetundarum admonitus spreverat, dictaque ignominiosa addiderat. Quamobrem Velfo filium cognominem, qui Italicas, quas diximus, Provincias regebat, in Germaniam revocavit, ratus juventa et robore Hugoni parem aut superiorem; Ipse in ejus locum in Tusciam tetendit. Junior subito militem fecit, plurimum nobilitatis in partes traduxit, magnis copiis arcem et opidum Tubingae VIII. Eidus (b) Septembris circumsedit. Inventi postero die qui de pace agitarent. Sed ex Velfonis equitatu pauci interea velitabundi moenia adsultare, tela, minas jacere, postremo arrogantia et conviciis cunctas opido Hugonis copias extraxere. Sumtum totis viribus utrinque proelium. Ab Hugone erat Fridericus Dux Sueviae, spes omnis et incitamentum belli, comites Zollerani, multi alii: Sed pro Velfone Episcopi tres, Spirensis, Vormatiensis, Augustanus, Berchtoldus Dux Zeringiae, Berchtoldus Marchio Vochburgiensis, Hermannus Marchio Badensis, Rudolfus Comes Pfullenduri, Albertus Comes Habsburgi, duo fratres Comites a Caloe, duo de Berge, Hartmannus Comes Kirchbergensis, Heinricus Comes Veringensis, cum pleraque Germaniae superioris nobilitate, longe numero superiori. Igitur hic copia; ille virtute nitebatur. Aderant in moenibus feminae, pueri, senes, incitamenta per clamores, ejulatus, preces, tum vero ab arcis pinnaculis tormenta, missiliaque in hostem magna vi adigebantur. Pulsus denique, parva quidem suorum caede, Velfo, sed captis pene nongentis. Ita enim armis se munierant, ut capi facilius, quam sauciari telis possent: Ingens praeda simul in potestatem redacta. Ad hujus cladis nuncium subito ex Italia in Germaniam cum Friderico Imp. revertit senior Velfo, tantumque apud Imperatorem potuit, ejus uti sententia et jussu captivis libertas, inter partes pax esset. Sed neque firma nec diuturna; Velfone juniore cetera omnia, quam cum damno et ignominia quietem optante. Ad id ex rebus secundis Hugonis insolentia, contemtusque accesserant, valida removendis male tranquillis suscitabula. Igitur vix anno vertente (c), ex impro-

(a) Libellus de Guelfis. Chronicon Vingartens. Naucle-rus. Ursberg. (b) Anno D. N. MCLXIII.

(c) Anno D. N. MCLXVI.

Improviso fines Hugonis invasit, aedificia incendit, arces Villariam et Caeli montem evertit, maximam praedam, plurimos mortales cepit. Perculsus Hugo re inopinata, Friderici Sueviae Ducis rursus auxilium implorat, quem Velfoni per aemulationem infensum haud ignorabat: Ille Uladislaum Bohemiae Regem. At is occasionem nactus, non solum Friderico, Imperatoris, a quo in se prima Bohemici regni dignitas et gloria, patrueli tandem gratificandi; sed etiam ostentandae virtutis et opulentiae, exercitum ingentem fecit, illique filium praefecit, Germaniam pene universam, veluti turbine rapidissimo pervasit, omnia ab Bohemorum saltu, ad Lemannum usque lacum, Bavariam, Sueviam, Helvetiam totam, caedis, incendii, vastitatis replevit; hostem, socium, amicum juxta habuit, ut aliquanto plus laboris Hugo hauserit, Bohemis auxiliaribus coercendis; quam Bavaris hostibus reprimendis. Imperator cum in Italiam recogitaret interposuit iterum inducias, post Ulmae pacavit, misso in Rhetiam, tamquam exsilium, Hugone. Mox quartam in Italiam expeditionem (d), ineunte Novembri suscepit. Undecimo postea Januarii sequentis anni, Romam versus exercitum contra Alexandrum III. Pontif. duxit. Mediolanenses interea, nullo ejus consensu, auctore, ut plerique credunt, Angleriae Comite, urbem suam reaedificare caeperunt, Cremonenses, Mantuanos, Bergomenses, Brixianos, Ferrarienses in faederis societatem, et in Friderici exitium perpulere. Ipse mense Junio Urbi vicina vastavit, quarto Kal. Augusti cum Romanis conflixit et vicit, Vaticanum expugnavit, cetera ad deditionem coegit. Inde Kalendis Augusti a Pascali, quem contra Alexandrum Pontificem nominari curaverat, cum uxore coronam et Imperialia ornamenta secundo accepit. Haud longum fuit ab illo cum exercitum, tamquam in divinam pro Alexandro vindictam, pestilentia faeda et saeva corripuit, multosque primorum exstinxit, in quibus fuit Rinhaldus Archiepiscopus Moguntinus, belli in Alexandrum auctor praecipuus et incentor, Episcopi Leodicensis, Verodunensis, Ratisbonensis, Spirensis, Basiliensis: Duces Velfo junior Bavariae et Spoleti, Fridericus Sueviae, Comites, Beringerus Sultzbacensis, Berchtoldus Pfullendurensis, Rudolfi filius unicus, Itae Habsburgiensis frater, Heinricus Veringensis, alii. Reversus magnis post laboribus, et periculis in Germaniam Fridericus, Heinricum F. Caesarem designavit (e), Fridericum alterum F. Sueviae Ducem ejus nominis quintum. Eodem tempore (f), Rudolfus Comes Pfulloduri, fessa aetate, et proli faciundae inhabili mortuo, uti diximus, Berchtoldo filio cum praeter Itam Habsburgiensem haeredem non haberet, Friderico, qui opibus cumulandis per Germaniam ob liberorum multitudinem maximopere studebat, comitatum Pfullendorffensem, advocationem Episcopatus Curiensis, et quidquid Imperialis beneficii tenuerat, tradidit, peregrinationeque paucis post annis in Syriam suscepta, in itinere absumtus est (g). Pro illis refert Joannes Nauclerus, Imperatorem Adelberto Habsburgiensi, Rudolfi genero, concessisse *Comitatum Thuricensem, et adjacentia Seckingensis Ecclesiae, cum praediis conquisitis*. Qua quidem narratione, in errorem ducit. Non enim Thuricensem Comitatum dedit Fridericus Adelberto, quem Zeringenses cum urbis praefectura, Imperii nomine regebant, sed vicos Tieticum, Slierum, Urdorffum, nonnullos alios comitatus Badensis, sane ultra Lindemagum amnem, et in agro Tigurino, Imperii beneficia, sed masculina, quae ideo mortuo Ulrico, Lentzburgi et Badae postremo Comite sui stemmatis, ad Imperatorem redierant, nec per Richensam ad Kiburgienses transierant. De Sanctionensi sive Seckingensi praefectura et advocatione, ceterisque ad eam pertinentibus, Lauffenberga opido et arce, Lacobrigum sive Cletgoviae Comitatu et Harciniae vicinis, etiam dubito, an dederit Fridericus, et hoc tempore. Namque paulo post, ut ostendemus, Othonem filium fecit Sanctionis, Lauffenbergae et Glaronae advocatum, eamque ipsum advocationem, tertio et vicesimo post anno reperio tenuisse (h). Quidquid ejus sit, certe, mortuo Othone, Habsburgienses obtinuere, posseditque Rudolfus Adelberto genitus, et reliqui ab eo, seque inde HABSBURGI COMITES, et LAUFFENBERGAE DOMINOS dixere, ut suo loco videbimus. Sed ex ea quoque opum accessione cognomentum Adelberto DIVITIS, post multas, quam Guotramus secundus usurparat, aetates pariter redditum credo. Sed ut advocationis Curiensis administrationem caperet, Fridericus Mengam ad se Eginonem Curiae Episcopum accersivit, ejusque consensu et voluntate advocatiae feodum, et ipsam advocatiam, quam ut praediximus, ab Rudolfo Comite Pfullodurano acceperat, Friderico filio Sueviae Duci commisit, ea conditione, ne ipse alteri cuiquam tradat. Hujus facti vero gratia Eginonem ab omni servitio curiae et imperii sui, quoad suppeditat vita, absolvit, et ut absolutum pariter Heinricus Fil. habeat, injungit et declarat (i). *Hujus rei testes fuerunt, Rudolfus Leodiensis Episcopus, Berchtoldus Dux de Ceringe, Hugo Palatinus Comes de Tubinge, Comes Rudolfus de Pfullendorf, Comes Ulricus de Lentziburg, Comes Hartmannus de Kuburg, Comes Manigoldus de Vebringe, Comes Burchardus de Colre, Cunradus de Schuffenriets, Gotfridus de Gundelfinge, Egenolfus de Urselinge, Suicherus de Aspermont, et Ulricus frater ejus, Heinricus et Ulricus filii ejus, Cunradus de Medezen, et alii quam plures. Acta sunt haec anno Dominicae Incarnationis millesimo centesimo septuagesimo, Ind. tertia, regnante Domino Friderico Romanorum Imperatore gloriosissimo, Anno regni ejus decimo octavo, Imperii decimo quinto. Datum apud Mengen XVIII. Kal. Julii.* Compositis Sueviae rebus, multisque hinc inde per Germaniam constitutis, Sanctionem quoque pervenit, antistitaeque et sanctimonialium nobili collegio auctor fuit, ut filium tertio natum Othonem, quem Comitem et Palatinum Burgundiae creaverat, utroque Burgundiae et Matisconis comitatu, materna haereditate donaverat, sui Monasterii, opidi, et Insulae Sanctionis, Lauffenbergaeque, communitatis etiam Glaronensis et aliarum jurisdictionum, ditionumque advocatum sumerent, obtinuitque anno septuagesimo secundo ejusdem seculi: quo anno Ulricus ille, de quo diximus, potens et fortis Lentzburgi et Badae Comes, Rudolfi Fil. post tot fratrum et patruelium interitum ulti-

(d) Romam tetendit. Anno D. N. MCLXVII. (e) Anno D. N. MCLXIX. (f) Anno D. N. MCLXX. (g) Anno D. N. MCLXXX.

(h) Ex instr. quo Glaronensium Otho, et Uraniensium fines rexit, 3. Kal. Sept. Anno MCXCVI. (i) Anno D. N. MCLXX. Ex Schud. Chron.

ultimus suae stirpis, Friderici Imp. fidus consiliarius, et Dux belli obiit. Haereditatem adiit Richensa, Arnolfi ejus patrui filia, quae Kiburgiensi Comiti Hartmanno nupta, comitatum utrumque Lentzburgiensem, et Badensem, sive Aquensem, opidaque Sempacum, Surbse, Tugium, alia ad Kiburgienses pertulit ampla et locupleti dote. Imperator Sanctione Basileam tetendit, ibique Canonicam Beronensem, post Comitum Lentzburgiorum primorum fundatorum obitum, in suam protectionem suscepit, collegii bona et possessiones confirmavit (k). Fuerunt *hujus rei testes Ludovicus Episcopus Basiliensis, Matthaeus Dux Lotharingiae, Berchtoldus Dux de Zeringe, Rudolfus Comes de Pfullendorf, Vernherus et Fridericus fratres de Homberg, Arnoldus de Rosenburg, Ulricus de Eschibach, Joannes de Butinchon, Ulricus et Hartmannus de Chienberg et alii quamplures. Acta sunt haec Anno Dominicae Incarnationis millesimo centesimo septuagesimo tertio, Indictione sexta, regnante Domino Friderico R. Imp. invictissimo, anno regni ejus vigesimo, Imperii vero decimo nono. Data Basileae quarto Nonas Martii feliciter* (l). Peragrata aliquantum et stabilita Germania, qua publica, qua privata, Fridericus quinto in Italiam expedivit, Segusium Subalpinorum opidum expugnavit et diripuit, itemque Astam, mense Octobri (m). Post ea Alexandriam, quam in ejus contemtum et dedecus de pontificis nomine rebelles posuerant, cum omnibus copiis obsedit, mensemque quartum oppugnavit, donec discessu Heinrici Leonis, Saxoniae et Bavariae Ducis, incertum ab hostibus corrupti, an metu anathematis, deserere ad extrema pene perductam coactus, non sine magno periculo, Italia quoque relicta, Taurinorum et Novariensium auxiliis, in Burgundiam evasit. Mox in Germaniam transiit (n). Heinricum Leonem proscripsit, et utroque Ducatu Bavariae et Saxoniae spoliavit: Illum Othoni Palatino seniori a Vietelsbach, sive Schirensi, tradidit: hunc Bernardo Anhaltino Comiti, Alberti filio. Leoni praeter Brunsuiciam nihil superavit. His Auctoribus, qui eosdem hodie regunt Ducatus, processere. Italorum hinc insolentia et superbia multo atrocior, brevi rursus exercitum Alpes transportavit, Mediolanensium fines pervastavit, proelio cum iisdem facto inferior recessit (o). Otho etiam filius, quem contra Venetos, ob receptum ab iis Alexandrum pontif. cum classe miserat, fraude circumventus in hostium potestatem venit. Fortunae ea inconstantia, cum deteriora speraret, postremo ad pacem cum pontifice inclinavit. Venetias igitur profectus, aliquot mensibus per pacis tractamenta, et amicitiae transactus, IX. Kal. Augusti denique convenit (p). Conditiones pacis fuerunt, Pontificem Romam Imperator reduceret: Mediolanensibus annorum sex inducias daret, eo modo schismati finis, et Italiae quies esset. Berchtoldus Zeringus interea, notata pluribus expeditionibus Burgundiae nobilitatis malivolentia et despectu, ut adversus peregrinum et Germanum, alienae linguae, diversi moris, insolentiamque et pervicaciam ex illo oriri, quod cum pluribus et munitissimis arcibus undique ipsa teneretur, rara essent, quae obstarent opida, de urbe in Aventicis condenda, quae dominaretur, Aventicorumque, post Aventici Helvetiorum quondam capitis, interitum, caput esset, animum advertit, persecitque, ex ea, quam incolebat, arce, A. D. N. MCLXXIX. quam urbem ob liberam loci et hominum, quos voluit habere, constitutionem, Friburgum nominavit. Eo multas ex Elsatia, Brisiacis et omnibus Aventicis praesignes familias, tamquam in coloniam duxit; jus scriptum, et multa privilegia, quo magis frequentaretur, addidit. Fridericus vero Imp. comitia Maguntiaci habuit, Heinrico Caes. Fil. Constantiam Rogerii Siciliae Regis filiam unicam matrimonio conjunxit. Eodem tempore, beneficia quaedam accepit a Canonicis Salodorensibus Ulricus Comes Novicastri, cujus rei instrumentum, *ut ratum et inconcussum haberetur, sigillo Ducis Berchtoldi rectoris terrae confirmatum est, praesentibus fratribus Ducis Adelberto et Hugone, Comite Egenone de Uren, Burcardo de Ussenberg, Hessone de Graneschon, Ulrico cognato ejus de Strasberg, Vernero de Ushausen, Heinrico de Chiena, Heinrico et Ulrico fratre ejus de Bechburg, Ministerialibus Ducis, Adelberto de Tore, Hugone de Jegisdorf, Heinrico de Crochtal, Cunone de Ergesingen, et fratre ejus Rudolfo, Rudolfo de Copingen, Ulrico et fratre ejus Berchtoldo de Utzendorf, etc. Actum est hoc anno Domini MCLXXXI.* quae ideo inserui, ut adpareat, qui maxime ea tempestate, ex minori Burgundia Zeringi aulam et comitatum frequentarint ministrarintque. Imperator postremo mense Martio (q), Constantiae maximum conventum celebravit, Italiaeque civitatibus, rogatu maxime et precibus Heinrici filii, qui regnum Italiae summo opere ambiebat, finitis induciis, pacem solidam et perpetuam multis conditionibus dedit VII. Kal. Julii. Mox septimam et ultimam expeditionem in Italiam iniit (r). Mediolanenses advenientem multo applausu et honore susceperunt. Ibidem nuptias Heinricus cum Constantia fecit, ingenti pompa, et frequenti principum et civitatum concursu, legationibus et donis, quae brevi peperit eadem in civitate Fridericum Rogerium ab utroque avo nominatum, qui postea imperavit (s). Haud multo post vivendi finem fecit Berchtoldus IV. Dux Zeringiae, rector Burgundiae. Reliquit ex Hedwige Berchtoldum V. Agnetem, quam Eginoni Comiti ab Urach, unde Furstenbergenses, collocarat, et Annam, quae Vernero Comiti Kiburgiensi, Ulrici F. Hartmanni nepoti, nupsit. Obiit Berchtoldus Anno D. N. MCLXXXVI. VI. Eidus Septembris. Sepultus apud S. Petrum. Per ea tempora gravia et exitiabilia Saracenorum in Oriente Christianos exercebant bella. Sed ubi denique pontifex Gregorius eorum internicionem accepit, Hierosolyma capta, templa vastata, Domini pollutum sepulcrum, crucem salutiferam in impiorum manus venisse, regnique Hierosolymorum nono et octogesimo, quam Gotfridus Bullionius inceperat, anno pene datum finem, ad omnes principes, populosque Christianos in auxilium, et terrae sanctae recuperationem literas dedit, cunctosque ad sacram expeditionem vehementer magnis et amplis promissis exhortatus est. Fridericus

Imp.

(k) Anno D. N. MCLXXII. (l) Ex ipso Autographo, consensu et licentia Reverendi et illustris D. Nicolai Holdermeyeri Praepositi, et Domini Beronensis, et eximii Collegii. (m) Anno D. N. MCLXXIV. (n) Anno D. N. MCLXXV. (o) Anno D. N. MCLXXVI. (p) Anno D. N. MCLXXVII.

(q) Anno D. N. MCLXXXIII. Nauclerus gener. XL. (r) Anno D. N. MCLXXXIV. (s) Bernard. Corius parte I.

Imp. eam ob rem, (t) ineunte Januario, comitia frequentia Norimbergae et alibi peregit, seque belli sacri ducem professus, Edictum, quod vocant, Pacis prodidit, totoque imperio promulgavit, mox gloriosum crucis signum accepit, et cum eo omnes prope Germaniae et Occidentis principes, Philippus Franciae, Richardus Angliae Reges, Duces Fridericus Sueviae, Otho Burgundiae, Berchtoldus Zeringiae, Comites Hermannus Palatinus Rheni, Adelbertus Habsburgiensis, alii plures (u). Multi quoque antistites Vesontionensis, Virceburgensis, et Bataviensis, Basiliensis. Et Berchtoldus quidem Zeringensis, et Habsburgiensis Adelbertus continuo se itineri dederunt, brevique, numquam intermissa navigatione, Tyrum, quam Conradus Marchio Montisferrati obtinebat, adpulerunt. Erant Marchionem inter et Regem Guidonem simultates. Et ille rogatu civium urbis imperium ceperat, regemque advenientem excluserat. Igitur cum castra ante Tyrum Guido posuisset, nuncium in urbem ad Zeringensem et Adelbertum misit, *quatenus Hierosolymorum Regi et Christianae Reipublicae opes et auxilia attulissent, ea ne ob privata odia desidere, et praesidiis attineri, sed in communem hostem ducere vellent. Sese in Saladinum, posthabitis etiam adversum Tyrios et Marchionem irae caussis, meditari. Copias suas adderent, et virtutis Germanicae ante omnes experimentum praeberent, victoriae primum fructum caperent, simul insequentibus auspicium et exemplum pararent et relinquerent* (x). Nulla mora in duce, aut Comite fuit. Continuo suos ex urbe in regia castra eduxere. At Saladinus audito Germanorum adventu, Guidonis opes invalescere, relicta Belli Fortis Castri obsidione, ex inopinato Regem opprimere constituit, jamque castris successerat, et vallum oppugnabat, cum Christiani raptis armis et facto impete furentem et suos ad fortiter gerendum voce, ferro, exemplo animantem repulere, in fugamque dedere, insigni fortitudine et hostium strage, plurimis ab insequentibus in vincula et servitutem retractis. Patrata hac feliciter pugna, cum de cetero bello consilia capere tempus et occasio postularent, obsidionem Tiro Ptolemaidem transferre, ibique ceteros ex Occidente principes opperiri decrevere. Interea Fridericus Imp. cum Heinrico F. et pleraque Germaniae nobilitate, IX. Kal. Maj. (y) die festo D. Georgii militiae Christianae tutelaris, per Hungariam Orientem versus exercitum ducere caepit; neque oraculum Joachimi Abbatis in Calabria, apud Monasterium Floris eximia vaticiniorum laude florentis audivit, qui nondum tempus venisse, quo Hierosolymae Christianorum armis vindicentur, cum consuluisset, respondit. Constantinopoli natalitia Domino egit, et hiberna. Festo paschatis insequentis anni (z), Bosporum trajecit, multas Asiae urbes expugnavit, hostes saepius cecidit, maximis periculis, fameque et itineris ingentibus difficultatibus superatis, in Ciliciam victor penetravit ineunte Junio. Castris ad Saram positis, alii Saleph, aut Fararum, et Ferrum vocant, antiqui nominaverunt flumen Cydnum, amoenitate undae per aestum illectus, postremo, intentato alueo, refrigerandi causa, fluvio se tradidit, voragineque absumtus est, IV. Eidus ejusdem mensis. Nonnulli aquis veneno quorumdam Italicensium fraude corruptis, periisse; alii, quibus adsentior, vadum inter primos pertentasse, Saphadinum, Saladini fratrem persequentem, lapsu equi haustum prodidere (a), Imperii Anno XXXVIII. aetatis LXX. In Germania regnare post patris mortem incepit Heinricus VI. Copiarum curam sumsit Fridericus Dux Sueviae. Is primo exercitum morte Imperatoris moestum et anxium, simul longinquitate itineris defessum et languidum Antiochiam duxit, ibi Hermannus IV. Marchio valetudine extabuit. Superfuerunt filii Hermannus V. Fridericus et Heinricus. Paucis diebus per recreationem et reparationem virium exactis, versus Ptolemaidem signa processerunt. Id ubi compertum Dodequino, quem ab Aegypto petitis copiis praefecerat Saladinus, iter intercipere constituit, magnoque impetu et clamore in Caesarianos, ex insidiis irruit, pugna ancipiti, et victoria nutanti, Saracenis numero; nostris virtute confidentibus. Sed jam Christiani pedites lassitudine et hostium multitudine cedere caeperant, cum Fridericus paternae virtutis haud degener, facto equitum cuneo, ex adverso in hostem prorupit, locoque movit. Motam ubi inimicam aciem animadvertere Leopoldus Dux Austriae et Adelbertus Habsburgensis (quem, cum dilecta manu, paulo ante Friderico ab obsidione Ptolemaidis obviam Rex Guido cum Marchione Montisferrati miserat, itineris ductorem, et in praesidium,) ingenti animo et terrore reliquum peditem intulerunt, hostilesque maxime equos petere et suffodere jussere. Magna tum facta caedes. Et Dodequinus undique circumventus fuga salutem petiit. *Nostri*, inquit Continuator belli sacri (b), *strage hominum ingenti, locum, in quo steterant, ubique repleverunt, ut prope difficilius esset fugientem hostem insequi, quam confertissimum antea fuerat disjici.* Profectus hinc Ptolemaidem, in obsidione illa celebri, exstinctus valetudine Fridericus, exercitum reliquum ferro, fraudi, praedae, caeli solique insolentiae et injuriae reliquit. Accessit mortuorum ex faetore et corruptione aeris, pestilentia, qua per exercitum graviter saeviente, in Germaniam rediere Berchtoldus Zeringensis, et Adelbertus Habsburgiensis (c), cum in Galliam quoque Philippus Augustus, relicta majori copiarum parte, sub Othone Burgundiae Duce, revenisset. Heinricus Caesar, post Friderici fratris mortem, Sueviae Ducatui praesidere jussit Cunradum II. fratrem. Zeringensem intestinum bellum, et subditorum rebellio excepit. Aventici enim, et Antuates, aliique, cognita Imperatoris longinquis in regionibus absentia, Rectorisque Berchtoldi, simul hunc optimum quemque et fortissimum sacrae expeditioni sumsisse socium, rebellionis consilia, quae jam diu coxerant, effudere, factaque conjuratione, contra Rectorem arma corripuerunt, caput ex se qui praeesset, constituerunt, justum exercitum comparavere, volentibus popularibus, qui praeterquam quod externum principem, ut diximus, et justitia severum aspernabantur, nobilitatis praetentu, facilem sperabant veniam si coepta sequius evenissent. Berchtoldus, primo ex Syria adventu,

S

(t) Anno D. N. MCLXXXVII. (u) Anno D. N. MCLXXXVIII. (x) Continuator belli sacri Lib. II. cap. 3. Antoninus parte II. Nauclerus gener. XL. (y) Anno D. N. MCLXXXIX. (z) Anno D. N. MCCX.

(a) Ursberg Chro. Bernard. Corius part. I. Continuator belli sacri Lib. II. cap. 6. Sigonius Lib XV. Gullimanus Lib. V. cap. 27. et seq. Chronicon Vingartense. (b) Lib. II. cap. 7. (c) Anno D. N. MCXCII.

ventu, subitario milite ex Brisiacis facto, in Tigurinos properavit, tum apud Vindonissenses et Elsatas Adelberti Habsburgiensis opibus et praesentia copiis adauctus, dilectum Burgdorffi habuit, attentior, quam in subditos et rebelles ducturus. Inter ipsum et hostem Arula medius fluebat, longos per amfractus, praecipiti ripa, paucis locis, etiam hibernis diebus, vadosus. Igitur Arbergam, ubi pons in opidum pertinebat, movit, trajectoque exercitu, recta Aventicum tetendit. Haud inde procul campis, qui inter opidum et Paterniacum jacent, hostes obviam habuit, congressosque fudit et fugavit; in nonnullos, ut concitores belli animadvertit, aliis Burgundia interdixit, praecipuos in vincula Burgdorffium transportavit. Eum locum ex arce, vicoque opidum fecit, moenibus et fossis, turribusque circumdedit, et supra portam, quae ad forum vetus nunc ducit, tamquam in monumentum, haec pauca adnotari voluit. BERCHTOLDUS DUX ZERINGAE, QUI VICIT BURGUNDIONES, FECIT HANC PORTAM. Versus Antuates Minnidurum, ex antiquo opido Barbaricis temporibus ad paucas domos redactum, in decus quoque pristinum et formam reparavit, non praesentius adversum tumultuantes praesidium ratus, quam si creberrimis oppidis tenerentur. Domitis ferme absque sanguine Aventicis, et eorum sociis, major motus metusque superfuit, turbantibus Interlacensibus, Haseliis, Dunensibus, Sebedaliis, quique propiora alpium colunt, concitatis etiam ab altero latere Valensibus. Omnibus, ut cultu asperiore, ita militiae melioribus. Sed Dunenses, ceterosque, expugnatis, quae pro regionis ingressu objecerant, vallis et aggeribus, veniaeque spe, si mature ab armis discederent, ostensa, haud magno labore compescuit. Erga Valenses major opera et periculum fuit. Nam, super insitam gentis ferociam, situ quoque defendebantur, inter summas et prope invias alpes in longum porrecta valle, angustiis rupium, et Rhodano, qui mediam scindit, et ab ejus capite originem trahit, inclusi et muniti. Sed Berchtoldus, sive nihil virtuti suae invium putaret, aut clariorem ex difficultate victoriam, et his postremo subactis, quos scopulis et saxis, quam armis et fidentia tegi crederet, reliquos postea in officio et metu mansuros, per Alpium eam partem, quam adcolae Grimsel vocant, vastam ad ea tempora et incognitam exercitum duxit, limite reperto, nullis humanis vestigiis, sed quem capreae silvestres frequentarant, ea angustia, vix ut singuli incedere possent. Ob quae frustra fuisset Rector, nisi ex Gemmio, eodem montium tractu, sed magna inter se capedine, armatos ostendisset, quibus excipiundis dum Valenses intendunt, in vallem, ea qua caeperat parte, ipse irrupit. Caesum incensumque quidquid confidentia, aut fors obtulit. At qui in montes se et rupes receperant, ingenti impetu, et fragore late resonantium silvarum et montium, praerupta saxa in subjectos, aegreque per angustias enitentes praecipitare, truncorumque et lapidum tamquam turbidissima tempestate, exercitum cooperire, strenuum ignavumque juxta opprimere, lacerare, omnia turbare, et una ruina involvere. Habeo auctores (d), qui sic disjectos adflictosque internicione delesse, vixque Berchtoldum et Adelbertum, paucis comitibus, evasisse prodiderunt. Alii contra memorant (e): vallem igne ferroque vastatam, Valesianos in deditionem venisse. Sed utcumque ea se habeant, ex supradictorum Dunensium et ceterorum rebellione consilium Berchtoldo natum Bernae condendae exemplo patris, qui Aventicis continendis duodecim ante annis Friburgum posuerat. Notat Chronicon Vandaliae sive Antuatium, bellum postea Zeringum cum Comite Sabaudiae Petro habuisse, exutumque ab eo castris et captum', neque ante dimissum, quam Antuatibus, et magna agri Aventici parte cesserit. Quae omnia procul a vero, referre volui, quia eadem inde credo, sumta, Historiae Sabaudiae scriptores repetivere (f). Ceterum, cum sicuti diximus, Philippus Galliae Rex domum redisset, cumque Richardus Anglus multis praeclare gestis postea secutus, Christianorum in Oriente spes, et opes haud parum minuisset, mors Saladinum, re inopinata, oppressit. Ea morte, Coelestinus pontifex recipiendae postremo Hierosolymae fiduciam cepit, eo magis, quia Saladini filius Noradinus, cum patruo Saphadino de imperio in contentionem inciderat. Igitur Heinrico Imp. paterna vestigia insisteret, auctoremque se et Ducem Christiani nominis in Orientem exhiberet, persuasit. Crucem is Argentinae accepit, dumque quae bello usui aut necessitati molitur, Siculorum audita rebellione et Apulorum, eo mentem prius vertere et copias coactus est (g). Ne tamen voto, aut Orientalium exspectationi deesset, Heinricum Saxoniae Ducem expeditionem suo nomine obire, exercituique praeesse jussit, legatis additis, Cunrado Maguntiacensi, et Cunrado Virceburgensi antistitibus. Hos secuti Hermannus Thuringus, Heinricus Brabantinus, Heinricus Palatinus Rheni, Cunradus Marchio Moraviae, alii plures, et inter eos sacris bellis exercitatissimus Adelbertus Habsburgiensis, praeter Episcopos Bremensem, Halberstatensem, Bataviensem, Ratisbonensem. Sumtus et Pannonico itinere, Fridericus, Leopoldi filius Dux Austriae. Ab Alexio Angelo Constantinopolitano Imp. benigne accepti, et commeatibus aucti Graecorum classe Tyrum pervenere. Berythum mox, quo tamquam propugnaculo fortissimo hostes se tenebant, signa verterunt, factoque ingenti proelio, opidum expugnavere. Procedebatque Christiana res haud improspere, cum nuncius de Heinrici Imp. morte allatus, discidioque ob successorem inter principes exorto, castra et omnium animos magnopere perturbavit (h). Itaque animis alio aliorum conversis, cum suis ex ea contentione, uti saepius antea, quisque timeret, Maguntiacensis etiam se absente et inconsulto, electionem quamcumque aegerrime toleraret, milites dilabi, subsequi ductores anno expeditionis secundo, domum prope omnes rediere. Adelbertus rebus multis fortiter gestis, magna bellicae laudis gloria, paulo post ingentibus terrae marisque laboribus confectus, exstinctus est. Anno D. N. MCXCIX. Successit ex ITA Pfullodurensi RUDOLFUS filius. ITAM filiam (male Manlius Magdalenam vocat,) Heinricus Liningae Comes Hermanni Filius duxit uxorem. De Adelberto porro haec notabilia idem Manlius, unde-

cumque

(d) Chronic. Bernens. Mscr.

(e) Vandaliae Chron. Mscr. Vernherus Schodelerus Chro. Tom. I. Mscr. (f) Paradinus in histor. Sabaudica, et qui nuper scripsit stemmata gentilitia Sabaudiae Vandeburgius. (g) Anno D. N. MCXCVI. Continuat. Lib. II. cap. 16. et seq. (h) Anno D. N. MCXCVIII.

cumque illi notata. *Hic*, inquit, *tam invicto robusteque animo fuit, ut portas ac januas numquam obstrui curaverit, et tam opulentus, ut omnium rerum inopia laborantibus ad se aditus pateret*. Condidit inter alia opidum et arcem Valdshuot (i) ex vico Germanorum quondam contra Romanos, qui e regione sinistra Rheni ripa Confluentiae agitabant, praesidio et excubiis, quasi Silvae Harciniae Custodia, firmum et memorabile.

(i) Chron. Helv. Lib. XII. cap. 4. Chron. Basil. Lib. I. cap. 21.

CAPUT SECUNDUM.

RUDOLFUS I. COMES HABSburgi, et Landtgravius Elsatiae, Dominus Lauffenbergae.

MAGNAE in hoc et paternae virtutes animi et corporis. At eum talem, dum ab extrema Noae arca Habsburgienses Hieronymus Gebvillerus trahit, pene ultimum per viam perdidit, nec genealogiae suae inseruit. Omiserunt pariter et ignorarunt Wolfgangus Latzius, Michael Eintzingerus, Heuterus, Belforestius, Rosierius, ceteri prope omnes. Ceterum hunc de quo agimus, RUDOLFUM I. Adelberti II. filium, et Adelberti III. patrem, Rudolfi vero regis primi fuisse avum, non solum Genealogiae libellus fundatorum Monasterii Muri fideliter notavit; sedetiam publica probant aliorum monumenta. Exstat Vettingae instrumentum unum, quo Rudolfus Comes Habsburgi et Elsatiae Landgravius, ejusque patrueles Rudolfus Canonicus Basiliensis et dein Episcopus Constantiensis, Gotfridus et Eberhardus Habsburgienses, omnes tres fratres, Dieticum et Slierum vicos vendiderunt Abbati et Monasterio Vettingensi, in quo disertim hic Rudolfus Rudolfi Regis avus, Adelbertus de quo supra scripsimus, proavus nominatur. Ejus instrumenti exemplum etsi perlongum, et multa in eo praeterea quae nihil ad institutum, quo fides tamen testatior sit, et supradictorum auctorum oblivio clarior, totum integrumque infra adposui ex ipso autographo sumtum. Illud vero ita se habet:

COMITES de Habisburch (a), videlicet, Rudolfus Landgravius Alsatiae, Rudolfus Canonicus Ecclesiae Basiliensis, Gotfridus et Eberhardus fratres, ejusdem Landgravii patrueles, universis Christi fidelibus praesentium inspectoribus in perpetuum. Cum sit hominum vita brevis, memoria labilis, malitia inexplicabilis et multiplex; contractus, qui fiunt in tempore, praecipue de magnis rebus et arduis, ne labantur cum tempore, scripturae testimonio non immerito, nec improvide transmittuntur ad notitiam posterorum. Noverint igitur, quos nosse fuerit opportunum, quod cum Nos Curtes, et praedia nostra in Dietinckon et in Slierron sita, jure proprietatis ad nos, et nostros progenitores pertinentia, a praedilecta Domina et matre mea, videlicet, praedicti Landgravii, HEILVVIGI commitissa, cui ipsae curtes et praedia, in recompensationem donationis propter nuptias, titulo pignoris, fuerant obligata, per certam et legitimam permutationem redemerimus, mediante bono consilio et maturo, sicut in instrumento super hoc ex parte ipsius comitissae specialiter confecto, demonstratur, nos comitatu et jure ipsius comitatus, nec non jure patronatus Ecclesiae in Dietinckon cum advocatia, super dotem ejusdem Ecclesiae nobis, videlicet jam dictis tribus fratribus Rudolfo et Gotfrido et Ebirardo Comitibus, ad manus nostras et dominium reservatis totaliter et exceptis, jam dictas curtes et praedia, cum servis nostris, qui ad ipsas curtes, seu ad glebam terrae curtium pertinent, et cum omnibus locis, bonis usibus, usufructibus, appendiciis et juribus, ad easdem curtes, tam jure proprietatis, quam Imperialis infeodationis et consuetudinis attinentibus et annexis, videlicet, domibus, agris, pratis, hortis, cultis, incultis, pascuis, compascuis, impascuis, viis, inviis, silvis, arbustis, frutectis, viridariis, virgultis, carectis, harundinetis, libero ingressu et egressu, tabernis, molendinis, furnis, aquaeductibus et decursibus, lacunis, paludibus, piscariis, fundis, vadis, ripis, piscationibus, venationibus, aucupiis et cum universis libertatibus instituendi, destituendi, districtibus, bannis et juribus dominii proprietatis, seu advocatiae, quocumque nomine censeantur, nec non cum omnibus, quae jam sciuntur, vel si qua per hominum oblivionem, malitiam, fraudem, dolum, negligentiam, a praedictis curtibus et praediis, minus legitime alienata, defalcata, qualitercumque vel subtracta, vel distracta, pr.efatis curtibus et praediis attinere ab hac die, in antea poterunt comprobari. Advocatiam quoque seu jus advocatiae super dotem Ecclesiae in Slierron, et quidquid juris in eadem habemus Ecclesia, quidquid etiam juris in saepedictis universis et singulis bonis et hominibus, tam nos, quam bonae recordationis progenitores nostri Comites, videlicet Albertus, mihi Landgravio pater, nobis tribus fratribus patruus, Rudolfus avus, Albertus proavus (b), ratione proprietatis vel infeodationis ab imperio usque in praesentiarum, divisim vel conjunctim et communiter habuisse, possedisse, quasi possedisse, dinoscuntur, a termino scilicet, qui dicitur Attenfluo, ze deme genuetim Marckfteine et rivulo, supra superiorem villam Altstetim usque ad rivulum, qui dicitur Bruggebach, et a montis adjacentis declivo, quod vulgo dicitur Schneschleiphe, usque ad fluvium Lindemacum, et per totum eumdem fluvium et ejusdem augias, a loco, qui dicitur Chreuvilsfurt, usque ad pontem Badin, honorabili-

(a) Instrumenti exemplum ex ipso autographo transscriptum, annuente et bene cupiente Reverendiss. D. Petro Vettingensis Monasterii antistite profecto dignissimo.

(b) Rudolfus Rex I. Albertus pater. Rudolfus avus. Albertus proavus.

rabilibus in Christo Abbati et Conventui de Vettingen Cisterciensis ordinis, Constantiensis Dioecef. et eorumdem Monasterio, mutuo conventionis partium consensu, praedicta domina consentiente, libere et expresse interposita ab eadem super hoc de ratihabitione, et in posterum non contradicendi vel impugnandi personaliter, et voluntarie juramento, bona fide, quae in hujusmodi contractibus requiritur, sine omni dolo et fraude, nomine nostro et nostrorum haeredum, justo et legitimo jure venditionis titulo, verbis legalibus, secundum consuetudinem provinciae, super hoc adhibitis, unito, non solum nostro, verum etiam vasallorum nostrorum et ministerialium consilio et consensu, publice libere vendimus, resignamus, tradimus, donamus, pro quingentis et quadraginta marcis argenti, ponderis Turicensis, ad manus nostras sub legitimo pondere solutis, traditis et receptis, et in ipsos religiosos, et ipsorum monasterium, omne jus, quod in praedictis hominibus et bonis, in terra super terram; in aquis, super aquis, habuimus, praesentibus transferimus, eosdem ponendo et mittendo in possessionem, quasi possessionem praedictarum rerum, et jurium corporalem. Tria etiam feodalia bona, quae vulgo dicuntur Manlehen (c), praedictis curtibus et praediis attinentia vendimus, resignavimus, tradidimus, saepedictis religiosis, sub hac forma. Duo ex his feodalibus bonis, quorum unum Rudolfus miles, dictus Barrer; alterum vero filii fratris Arnoldi, nunc Monachi in Vettingen, quondam dapiferi nostri, habent in feodum, de manibus ipsorum possessorum emere, vel potius redimere debemus ad jus et proprietatem ante dictorum Abbatis et Conventus, sine omni eorumdem damno et labore. Sed de tertio feodali bono, quod Diethelmus pincerna noster habet in feodum, iidem Abbas et Conventus emendo, redimendo facient quod sibi viderint expedire, auctoritatem nostram super hoc de cetero, ex aliqua necessitate juris, vel facti, nullatenus requirendo. In omnibus aliis feodalibus bonis nobis jus et dominium reservamus; Eisdem tantum religiosis saluo in omnibus jure libertatum, districtuum, bannorum, secundum quod praemissum est, sine contradictione, ac impedimento quolibet, remanente. Praeterea servos nostros, qui secundum tenorem antedictum, ad curtes, et ad glebam terrae pertinent, cum saepedictis bonis vendimus, resignamus, tradimus, transferendo, nisi sint in Turego, vel in aliqua nostrarum munitionum ad praesens residentes. Item in liberis hominibus, et Ecclesiarum quarumcumque servis, qui nobis ratione advocatiae subsunt, intra districtum et terminos praenotatos, quamdiu iidem ibidem remanere voluerint, quia inviri per nos et nostros officiales seu Ministros, non debent ullatenus removeri; vel qui se aliquo motu alias transferentes, postmodum reversi fuerint, omne jus, quod in ipsis habemus, religiosi habebunt antedicti, nobis nihil juris in eisdem hominibus, quamdiu intra terminos saepedicti districtus residentes fuerint, reservato. Item pedagia, seu thelonea, quae vulgo dicuntur Zoelle, in Dietinckon hactenus solvi consueta, juri nostro et dominio specialiter excipimus et reservamus, quae tamen deinceps apud Altstetin, vel alias extra districtum Abbatis et Conventus de Vuettingen, si de jure fieri poterit, recipi, colligi, efficaciter procurare volumus et debemus. Sunt autem haec jura, quae in praedictis bonis et districtibus ex nostra venditione, resignatione, traditione, Abbati et Conventui competunt ante dictis. Omnia judicia secularia hominum in Dietinckon et in Slierron, nisi ea quae poenam sanguinis requirunt, vel forum Ecclesiasticum tangunt, seu expresse pertinent ad Comitatum, praedictorum Abbatis et Conventus auctoritate et ordinatione, in Dietinckon et Slierron exerceri debent et haberi. Ad tria tamen placita, quorum unum proximo post Hilarii; secundum proximo post Vualtburgis; tertium proximo post Martini die non feriato habetur, universitas praedicti districtus, secundum quod Abbas pro tempore mandaverit, ordinaverit, indixerit, tenetur convenire judicio Abbatis, vel sui procuratoris ibidem paritura. Item, qui judicio per praeconem secundum consuetudinem indicto se contumaciter absentaverit, Abbati de Vettingen suo judici nomine poenae persolvet tres solidos, monetae usualis, nisi idem qui contumax reputatur, per legitimum impedimentum se valeat excusare. Item, sine Abbatis auctoritate, nullus debet habere res venales in termino vel districtu praenotato, maxime cum omnes banni, exceptis bonis in Baltosuuile, et in Schoeninberch ad Abbatem pertineant saepedictum. Item in nemore Dietinckon, quod dicitur in dem Harde, praeter licentiam Abbatis, non debet arbor aliqua resecari. Villanis tamen in Spreitinbach ad domos suas construendas, vel reparationem earumdem petentibus, secundum consuetum moderamen, ligna praedicti nemoris non debent denegari. Item jus piscariae, quae infra Chreuvisfurt, et pontem Badin hactenus ad nos integre pertinuit, deinceps ad praedictum Monasterium debet sine impedimento quolibet pertinere. Item residentes in Dietinckon, a terminis villanorum in Slierron usque in rivum, qui dicitur Bruggebach, jura pascualia et compascualia, sine laesione segetum et foeni libere possidebunt. Item homines de Spreitinbach et de Vuile, ultra rivum, qui dicitur Egislebach, non habent jus aliquod resecandi arbores ad usus aliquales. Item curtis in Slierron idem jus, cum curte in Dietinckon habebit, et habere debet in omnibus judiciis et bannis, et aliis, quae pertinent ad jurisdictionem judicialem. Ad pleniorem etiam cautelam et contractus firmitatem, pro nobis et nostris haeredibus, renunciamus omni juri, constitutioni, consuetudini, editis et edendis, inventis et inveniendis, et omnibus aliis, occasione quorum praefatus contractus, ingenio hominum,

(c) Manlehen. Beneficia masculina, quae ad faeminas non transeunt.

minum, vel malitia, ex nunc impugnari possit aliqualiter, vel cassari. Nihilominus ad cavendum de evictione, et praestandum sine difficultate qualibet Vuarandiam (d), super praefatis bonis, hominibus, districtibus, bannis et juribus, ubicumque fuerit necesse, saepedictis religiosis et eorum Monasterio, Nos et nostros successores praesentibus firmiter et fideliter obligamus, promittentes, quod universos et singulos defectus, si qui praesenti instrumento a jurisperitis de cetero notari poterunt inesse, emendari, corrigi et suppleri promptissime faciemus; attendentes, quod in contractibus, plena; in testamentis plenior; in beneficiis, plenissima interpretatio et fides debeat adhiberi. In testimonium autem et robur omnium praemissorum praesens instrumentum de nostro rogatu, consensu, confectum, conscriptum, antedictis religiosis, et eorum Monasterio tradimus, sigillis venerabilium in Christo, DEI gratia Ebirhardi Constantiens. Bertholdi Basiliens. Episcoporum et illustrium Hartmanni senioris, Hartmanni junioris de Kiburg, et Rudolfi de Raprechtschuuil Comitum: Et honorabilium in Christo Heinrici Basiliens. Heinrici Grandivallens. praepositorum et nostris, nec non consulum, seu universitatis civium Turicenn. pariter communitum. Ego saepedictus Ebirhardus sigillo praedictorum patruelis mei Landgravii et Gotfridi et Rudolfi Canonici Basiliens. fratrum meorum Comitum, quia proprium nondum habeo, utor in hac parte. Acta sunt haec in Turego, praesentibus quorum nomina sunt haec. Rudolfus Comes de Raprechtschuuil, Rudolfus de Vuedisuuiler, Marchuuardus de Rusegge, Hugo de Vessimberch nobiles. Heinricus praepositus Imbriacensis, Magister Cunradus Cantor, Heinricus Plebanus S. Petri, Hugo Bochelinus, Canonici praepositurae Turicenn. Diethelmus pincerna de Habisburch, Burchardus de Tegiruelt, Rudolfus dictus Barrer, Bernerus de Vuil, Heinricus dictus ab deme Turne, Vuernerus de Tumritun. Sed de Turicensibus Heinricus Bruno senior, Cunradus Albus, Ulricus de Schoeninvvert, Ulricus de Clothun milites. Hartmannus de Baldevvile, Vernerus Helt, Rudolfus Minister de Badin, Burchardus scultetus de Bremigarton. Sed de civibus Turicensibus, Ruedigerus et Hugo, dicti Manessin, Heinricus et Reinhardus fratres de Chlotun dicti, Rudolfus Krieck, Rudolfus dictus de Beggingen. Anno Dominicae Incarnationis MCCLIX. XVI. Kal. Novembris, Indictione tertia, Alexandro Papa quarto Romanam Ecclesiam gubernante.

Haec quidem instrumentum. Rudolfum autem, illum Elsatiae Landgravium fuisse, qui denique ingenti gloria Habsburgiae gentis et Reipublicae bono, Imperio primus praefuit, Germaniamque in pristinum decus et dignitatem restituit, docent ex Alberto filio nepotes Albertus et Otho literis, quibus eamdem venditionem multis post annis confirmarunt, ne forte Gebvillerus et ejus sectatores, alium, tamquam ex machina moliantur. Alberti testimonium tale est.

Nos Albertus (e) Dei gratia Dux Austriae et Stiriae, Dominus Carniolae, Marchiae et Portusnaonis, Comes in Habsburg et Kiburg, Landgravius Alsatiae, nec non Comes Phirretarum, ad universorum notitiam cupimus pervenire, quod accedentes ad nostram praesentiam honorabiles et religiosi viri, Abbas et Conventus Monasterii in Vuettinge, devoti nostri dilecti, nobis humiliter supplicarunt, ut instrumentum quoddam super certa venditione sibi facta, per Divae memoriae Dominum Rudolfum, Regem Romanorum avum nostrum, tunc temporis Comitem in Habsburg, ac alios progenitores et antecessores nostros, ipsis traditum, sub nostro sigillo eisdem rescribere, et eos, juxta ejusdem instrumenti tenorem, in eadem venditione manutenere et defendere dignaremur, cujus quidem instrumenti tenor per omnia talis est. COMITES DE HABSBURG, etc. Nos igitur, etc. Datum in Baden Anno Domini nostri MCCCXXVI. Idus Octobris.

Othonis confirmatio in eadem prorsus verba, nisi quod omissum, *Nec non Comes Phirretarum*, Facta est tertio post antecedentem anno. Magno documento quam lubrica et errabilis sit industria, nobilibus familiis inquirundis, prodendisque, prisca si monumenta et instrumenta desint, aut scriptorum veterum prudentes memoriae. Ex hoc enim eodem etiam instrumento satis probatum, falsa et ficta esse quaecumque Arnoldus Vion tradidit, de Habsburgiensium origine, ex Petro III. Perleonio, Adelberti patre et Rudolfi primi Regis, ut ipse voluit avo, ut ab eo, et ceteris ejusdem opinionis, an vanitatis, refutandis, convellendisque postremo manum abstineamus. Verum Imp. Heinrico Panormi Siciliae opido defuncto, Philippus, qui fratrum supererat, et paulo ante interfecto Durlaci Cunrado, Sueviae Ducatum obtinebat, Friderici Rogerii, Heinrico nati, quem Caesarem pater designarat, tenera adhuc aetate et imperandi inepta, regnum adfectare, parare, amicos hortari, alios donis corrumpere, plures promissis onerare. Contra Innocentius III. pontif. Berchtoldum Zeringum ostentare, militiae et opibus florentem, et qualem tempora postularent. Exstant ejusdem Pontificis ad Berchtoldum epistolae fragmenta, ex quibus juris Canonici concinnatores Cap. XXXIV. tit. IV. primi libri Decretal. perfecerunt, qua ostendit electionem Imperatoris ad Germaniae principes pertinere, sed Pontificis Romani esse electum examinare, approbare, inungere, consecrare, coronare. Hortatur postremo eumdem Ducem, utne Philippi partes amplectatur, sed easdem, vel si sacramentum praestiterit, deserat, narrans impedimenta, quibus Philippus ad imperium pervenire non possit, *excommunicationem publicam, per jurium manifestum et persecutionem divulgatam, quam progenitores ejus, et ipse praesumpserunt in Apostolicam sedem et alias Ecclesias exercere. Nobilitatem*, inquit,

(d) Pretii aestimationem antiq. Germanicum vocabulum in latinum inflexum vuanandia.

(e) Ex ipso Autographo.

tuam monentes per Apostolica scripta mandamus, quatenus a praefato Duce recedas, omnino non obstante juramento, si quod ei ratione regni fecisti, cum (eo, quantum ad obtinendum Imperium, reprobato) juramentum ejusmodi non debeat observari. Quod ideo notavi, quia prave et corrupte plerique legunt, citantque. Namque tradunt alii eam epistolam scriptam ad Ducem Thuringiae, alii ad Ducem Laringiae, nonnulli ad Ducem Caringiae, aut Carinthiae, vel Zerangiae, cum haud dubium sit, quin ad Berchtoldum Zeringae, aut Zeringiae Ducem, de quo agimus, missa fuerit, inter Germaniae principes bello, paceque facile principem. Ceterum, cum Zeringus Imperium refutasset, sponte, an accepta ab Philippo pecunia, cujus cupidiorem plerique tradunt, sive majores faciundos sumtus retinendae semel captae dignitati, quam opes ferrent, intelligebat et modesta, tutaque, quam cum periculo sublimia anteposuerat, principes regni, majori ex parte, praecipue Archiepiscopi Moguntiacensis, Treverensis, Magdeburgensis, Vesontionensis, Episcopi Ratisbonensis, Augustensis, Frisingensis, Vormatiensis, Spirensis, Constantiensis, Duces Saxoniae, Austriae, Bavariae, Moraviae, Rex quoque Bohemiae, Philippo imperium Mulhausii Elsatiae, aut ut alii volunt, Thuringiae opido, VIII. Eidus Martii (f) confirmavere. Pauci Innocentii decreta, et mentem secuti, Othonem Heinrici Leonis quondam Saxoniae et Bavariae Ducis filium, Regis Angliae ex sorore nepotem, cui ex tam ampla patris dominatione praeter Brunsuiciam nihil supererat, Regem contra sublegerunt. Hinc, uti alias bella et cetera inter partes foeda, cruenta, atrocia. Philippus enim contra Othonianos, qui in Elsatia erant, subito exercitum duxit, Moltzheim, Epfich, Haldenburgum, Rubeacum expugnavit et diruit, Argentinae suburbia, suburbana incendit et vastavit, cives et eorum Episcopum, Comitemque a Dachsburgo Adelbertum deditionem facere, et Othonis factionem deserere, auctoritate maxime et opibus Zeringi coegit (g). Conventu hinc Maguntiaci, mense Augusto habito Coloniam Rheno secundo vectus, cum Adolfo civitatis Archiepiscopo pacem fecit, ab eodem coronam regni Germanici Aquisgrani suscepit (h), Othonem ultra Albim repulit. Qui cum postremo imparem se animadverteret, pactis cum Philippi filia nuptiis, imperium ejuravit. Neque longa postea Philippi dominatio fuit. Otho Palatinus a Vietelsbach per proditionem in cubili Babembergae crudeliter ferro necavit, XI. Kal. Julii (i). Principes continuo Francofurtum delati, Othonem qui abdicarat, imperio restituerunt, non absque Innocentii favore et ambitu. In Sueviae ducatu successit Fridericus Rogerius Siciliae Rex, Philippi nepos, nominis VI. Per ea tempora et superiora bella, patronum et defensorem Rudolfum Habsburgiensem opida ex vicinis nonnulla, civitatesque, et communitates liberae, sua sponte et stipendio adsumserant, in quibus Silvanienses fuere, et Montis Angelorum apud eos Monasterium. Sed discessurus in Italiam Otho tribus communitatibus Uraniae, Suitiae et Silvaniae, Germaniaeque adeo superiori universae praefectum Rudolfum dedit (k), et Imperii vicarium, sive advocatum provincialem, ceteraque regii juris et fisci commisit, vectigalia, tributa, portoria, collectas, capta in id pecuniae summa, simul nobilitati propinquae edixit, Habsburgiensi se absente, tamquam suas vices agenti parerent, opemque contra tumultuantes, aut contumaces ferrent. Ita Romam profectus cum Ducibus Bavariae, Lotharingiae, Zeringiae, Carinthiae, Moraviae, Archiepiscopis Trevirensi et Magdeburgensi, Episcopis Virceburgensi, Spirensi, Argentinensi, Vormatiensi, Basiliensi, Constantiensi, Bataviensi, Curiensi, Augustensi, Eistadiensi, Pragensi, Olmucensi, et maxima Saxoniae praecipue nobilitate, Imperator IV. ejus nominis praestito Ecclesiae solito juramento ab Innocentio IV. Nonas Octobris coronatus est. Sed cum fidem per lubidinem et avaritiam subito profanasset, Ecclesiae dignitatem non solum non tueretur; sed etiam oppugnaret, opida aliena vexaret, omnia latrociniis et praedationibus infesta haberet, eodem pene tempore, sacro anathemate percussus et indignus imperio judicatus est (l). Interim Habsburgiensis praefecturam ingressus, nonnulla quae Montis Angelorum Monasterio apud Silvanios secum controversa erant, per commutationem composuit, praesente filio et consentiente Adelberto. Dedit enim Comes Monasterio quidquid in valle montis Angelorum ab Imperio habebat, ad eum usque locum et terminum, qui Monasterii et Silvaniorum jurisdictionem nunc quoque segregat, et inter Surinam, Aach nunc vulgo nominant, et Sultzbach fluvios situm est. Ab Abbate vicissim accepit, quae quondam Valterus eques Reidensis Baronum Sarnensium haeres, apud Sarnam, maximum Silvaniorum superiorum vicum, adsignarat. Ejus rei instrumentum ita se habet (m).

Labilis humani generis fluxus actuum suorum memoriam praecipitare solet in oblivionis abyssum. Quapropter memorandi actus, ne defluant, membranae tenaci literaliter influant. Hinc est quod scripturae nobis inseri placuit, qualiter concambium duorum praediorum inter Ecclesiam Montis Angelorum, et Rudolfum Comitem de Habesburch, et Landgravium Alsatiae, et filios ejus factum est, unum vicinum praedictae Ecclesiae, videlicet in inferiori monte inter fluvium Suranum, et notum limitem, tam silvam quam montes per girum dividentem, usque cd cursum ripae Sulcebach, ista, inquam, omnia tam culta quam inculta, cum silvis, montibus, aquis, aquarumque decursibus, praedictus princeps caenobio Montis Angelorum contradidit, delegavit et ex toto se deinceps abdicavit, cum advocatia perpetualiter a supradicta Ecclesia libere possidenda. Contra Ecclesia praedium, quod ipsa dinoscitur absque contradictione possedisse in Sarnen, cum omni jure, quo Valterus miles illustris de Reiden, illud memoratae Ecclesiae contulerat, per manum Heinrici Abbatis, omnibus fratribus suis in simul consentientibus, ante dicto Comiti, justa commutatione consignavit, ac se deinceps abdicavit. Acta apud Lucernam Anno Dominicae Incarnationis MCCX. Ind XIII. Innocentio III. Romanae sedi praesidente, Othone quar-

to

(f) Anno D. N. MCXCIX. (g) Anno D. N. MCC. et seq. (h) Anno D. N. MCCV. (i) Anno D. N. MCCVIII. (k) Anno D. N. MCCX.

(l) Anno D. N. MCCX. (m) Ex ipso autographo.

to ejus nominis apicem Imperii gubernante. Testes qui huic traditioni interfuerunt sunt hi, Petrus venerabilis Abbas Murensis, Heinricus Abbas Montis Angelorum, Valterus praepositus Lucernensis, Uldaricus Cellarius, Heinricus Plebanus, Eberhardus Stannensis Plebanus, Heinricus Sacerdos de Boches, Rudolfus Comes et filius ejus Adilbertus de Habesburch, Marchuuandus Advocatus de Rottinburch, Heinricus de Heidecco, Arnoldus et frater ejus Hesso de Rinacho, Rudolfus de Halstab, Rudolfus de Russeco, Rudolfus de Tribsein, Burcardus de Vualtesuuile, Vernherus de Bohes et alii, tam milites quam burgenses plures. Ut autem ista firma et inconvulsa maneant semper, Heinricus Abbas et Rudolfus Comes sigillorum suorum impressione ea roborarunt.

Quod quidem instrumentum, ut alia postea, lubentius eo interposui, quod in illo Rudolfus LANDGRAVIUS ALSATIAE nominatur, ut exinde certum sit antea Elsatiae HABSBURGIENSES, et antiquitus praesedisse, neque primum fuisse, quod hactenus omnes (n) rerum Austriacarum scriptores tradidere, Adelbertum Rudolfi hujus filium et Rudolfi Regis patrem, qui LANDGRAVII titulum adhibuerit. Adfirmavit etiam apud me Gotfridus a Ramminge antiquitatis observantissimus, vidisse apud S. Trutbertum instrumentum. *Datum in claustro majoris Ecclesiae Argentinensis Anno Dominicae Incarnationis MCLXXXVI.* cum sigillo Adelberti, de quo superiori capite diximus, Rudolfi hujus patris, cujus circumscriptio erat. SIGILLUM ADELBERTI COMITIS DE HABESBURCH, ET LANDGRAVII ALSATIAE. Eorum auctorum, nisi fallor, origo erroris, quod duplicem Elsatiae Landgraviatum superiorem et inferiorem non videntur animadvertisse, et de inferiori, quem tenebant Habsburgienses, certamen post Heinrici ultimi Landgravii mortem incidisse, inter Oetingenses, Hochbergenses et Habsburgienses, quod postremo Oetingenses evicerint. Successisse enim volunt Heinrico Ludovicum Oetingae Comitem, primum suae stirpis Elsatiae inferioris Landgravium. Alii, quibus adsentior prodidere, illum eumdem Elsatiae inferiorem Landgraviatum, Argentinensem Episcopum, quatenus Episcopatus beneficium erat, post Heinrici obitum recepisse, neque alteri commisisse, titulo ejus deinceps usum esse. Unde Joannes Nauclerus (o). *Anno MCCXXXVIII. Heinricus ultimus Alsatiae Landgravius, sine haeredibus obiit. Cujus quidem titulus cum feudis, beneficiis et ministerialibus ad Episcopum Argentinensem devolvitur, atque hodie manet. Nam id ipsum unde prodiit, tandem rediit.* Ita quoque Joannes Trithemius (p). Anno MCCXXXVIII. *Heinricus ultimus Alsatiae Landgravius obiit, qui multa ab Imperio Ecclesiaque Argentinensi et aliis feuda tenuerat, quae illo mortuo, ad suos dominos sunt reversa. Porro titulus Comitatus provincialis apud Ecclesiam Argentinensem remansit in praesens.* Neque tamen hoc negari potest, Comites Oetingae diu postea titulo eodem Landgraviorum Elsatiae inferioris usos, eoque in Landgraviatu praecipue possedisse Brumat, Arnsberg, Niderbrun, Franckenheim, S. Hippolytum, Voerd et in hoc ferme habitasse, unde et se dominos et Comites quandoque Voerdae dixerunt, donec Joannes a Liechtenberg, Episcopus Argentinensis, ab Joanne Ulrico, ultimo Landgravio et Voerdae domino, et ejus consanguineis Oetingae Comitibus omnia redimeret (q), Anno D. N. MCCCLVIII. Noto vero etiam in superiori instrumento, quod Rudolfus PRINCEPS nominatur. Ex quo colligo, super potentiam et opes, HABSBURGIENSES COMITES jam ab antiquo, in eorum fuisse numero, qui soli Imperio adnexi, proindeque liberi, et sui juris, ideo COMITES PRINCIPES, aut PRINCIPALES dicebantur, ad eorum differentiam, qui feuda sua, sive beneficia ab aliis Principibus, Ducibus, Comitibus accipiebant, illisque eo pacto obnoxii reddebantur. Unde et se idem Rudolfus, ut mox videbimus, RUDOLFUM DEI GRATIA LANDGRAVIUM ALSATIAE ET COMITEM DE HABESBURCH vocat. Claro indicio, nemini suos debuisse Comitatus, quam DEO aeterno et omnipotenti, cujus respectu Imperii Majestatem solam revereatur et unicam. Familiam profecto suam Habsburgienses in principalem morem instituisse, habuisseque, quivis intelliget qui Dapiferos et Pincernas de Habsburg primae nobilitatis viros, hinc inde, hoc in opere, ex insertis instrumentis adnotaverit, reliquorumque ex eo ministerialium, ut vocabant, splendorem et dignitatem, conjectura adsecutus fuerit. Ceterum, Othone, sententia et decreto pontificis exuto, plerique principes Bohemiae, Sueviae, Austriae, Bavariae, Thuringiae, Friderico Rogerio, Siciliae Regi, cui puero sacramentum non pauci dixerant, regnum, conventu Francofurtensi, ratum jussere (r). Eam electionem pontifex confirmavit. Missi qui eum ex Sicilia in Germaniam perducerent Heinricus Nifensis et Anshelmus Justingensis, viri strenui et industrii. Quae ubi ad Othonem renunciata sunt, vastata interim Apulia, in Germaniam maturavit, Norimbergaeque suae factionis conventum peregit. Fridericus vero tandem ad capessendam Rempubl adductus, cum recto in Germaniam non posset itinere, occupatis ab Othone Alpium claustris, multis per montium avia difficultatibus superatis, cum exiguo comitatu postremo Curiam Rhetorum tenuit. Inde ab Reinhardo Episcopo et S. Galli Abbate, Heinricoque Barone a Saxo Constantiam perductus est (s). Otho contra e Thuringia advolans, Uberlingae e conspectu castra posuit, omnes comprehendendi Friderici occasiones captavit. Ipse, Ulrici Comitis Kiburgi, Rudolfi Habsburgiensis, Rudolfi Rapersuillani et aliorum vicinorum Comitum et nobilium, Ecclesiasticorumque, quibus praedia paterna, et Imperii large dividebat, opibus et copiis Basileam concessit mense Septembri. Basileae Othocari Bohemiae regis privilegia non solum confirmavit, sed etiam nova addidit.

· Fridericus (t) divina favente clementia Romanorum Imperator electus et semper Augustus,

(n) Joannes Cuspinianus. Volfgangus Latzius. Michael Lintzingerus. Gerardus de Rhoo. (o) Gener. XLII. (p) Chron. Hirsaug.

(q) Chron. Elsatiae inf. aliquot cap. (r) Anno D. N. MCCX. Corius. Continuator Lib. III. cap. 10. (s) Anno D. N. MCCXII. (t) Ex Joanne Cochlaeo hist. Hussitarum. Lib. IX.

ſtus, Rex Siciliae, Ducatus Apuliae et principatus Capuae. Cum decus et poteſtas Imperii etc. Hujus rei teſtes ſunt iſti, Archiepiſcopus Barenſis, Epiſcopus Tridentinus, Epiſcopus Baſilienſis, Epiſcopus Conſtantienſis, Epiſcopus Curienſis, Abbas Augienſis, Abbas S. Galli, Abbas de Viſſenbach, Berchtoldus de Niphe regalis Curiae Protonotarius, Comes Ulricus de Chiburg, Comes Rudolfus de Habesburch et Landgravius de Alſatia, Comites Ludovicus et Hermannus de Froburg, Comes Vernherus de Hohenburch, Arnoldus nobilis de Vart, Rudolfus advocatus de Raprechtſuile, etc. Acta ſunt haec Anno Dominicae Incarnationis MCCXII. menſe Septembri XV. Indictionis, Regni vero Domini noſtri Friderici illuſtriſſimi Romanorum Imperatoris electi et ſemper Auguſti primo, Regni vero Siciliae XV. Datum in nobili civitate Baſilienſi per manus vice Protonotarii VI. Kal. Octobris.

Ibidem Heinricum ex Comitibus a Veringe Epiſcopum Argentinenſem, cum aliquot equitum turmis obviam habuit. Quibus comitantibus, Rheno ſecundo, delapſus Haginoam obſtructas portas cum offendiſſet, opidum obſedit et paucis diebus deditione recepit. Haginoae paululum moratus inter cetera, anno ſequenti ineunte, privilegia Monaſterii Montis Angelorum confirmavit (u), eaque bona in primis quae ex permutatione ab Rudolfo acceperat.

Fridericus DEI gratia (x), Romanorum Rex ſemper Auguſtus, et Rex Siciliae. Omnibus Romani Imperii fidelibus, tam praeſentibus quam futuris, ſit notum, qualiter regulare Monaſterium quod Mons Angelorum nuncupatum eſt, etc. Omnia bona ſua acquiſita largitione fidelium, ſpecialiter in inferiori monte, ex utraque parte fluminis Suranum, a fidelibus noſtris Comitis de Habesburch, nec non etiam de Froburch, et eorum hominibus noviter acquiſita, ſub imperiali mundiburdio (y) etc. Hujus rei teſtes fuerunt Sigifridus Maguntinenſis Archiepiſcopus, Bernardus Barenſis Archiepiſcopus, Dietherieus Traverenſis Archiepiſcopus, Comes Rudolfus de Habsburch, Comes Albertus de Eberſtein, Adolfus de Schouvenburch, Richardus de Bernouue, Rudolfus de Raprechtsvvare, Heinricus Marſchaldus de Callendin, Vernherus dapifer de Bollandia, Philipus de Bollandia, et alii quamplures. Signum etc. Acta ſunt haec Anno Dominicae Incarnationis. MCCXIII. Regnante Friderico glorioſo Romanorum Rege Auguſto et Rege Siciliae, anno regni ejus Romani primo, regni vero Siciliae quinto decimo, Indictione prima. Datum apud Haginaugiam IV. Nonas Januarii.

Otho Fridericum uſque Briſiacum perſecutus, cum in Berchtoldo Zeringenſi reliquum ſpei poſuiſſet, ipſe ad Fridericum tranſiſſet, dilabente jam quoque milite rebus deſperatis, in Saxoniam ſeſe abdidit. Fridericus, maxima principum frequentia, Aquiſgrani ab Theoderico Colonienſi Archiepiſcopo coronatus eſt circiter VIII. Kal. Auguſti. Mox in Germania res conſtituit, Lotharingiam, Eburones, Brabantiam, quae cum Othone fecerant, ad officium revocavit, Aquisgranumque rediens, ibidem pontificis auctoritate ſecundo coronam accepit, utque aliquam DEO et Eccleſiae gratiam referret, voto ad ſacram ſe expeditionem obligavit. Eo tempore (z), nefandam nobilitas Burgundica, cum bello et rebellione manifeſta parum proficeret, contra Zeringum Rectorem fraudem concepit, adſumta in ſceleris ſocietatem et conſcientiam uxore. Eo maxime praetentu, quod cum apud Ducem, egregia fertili juventa, jam ferme quinquennium, poſt prioris uxoris obitum exegiſſet, nunquam peperiſſet, nec ex marito valetudine et aetate adfecta, prolem ſperare poſſet. *At ſi duo, quos ex priori conjuge Berchtoldus ſuſcepit, pueri excreverint, grave ipſorum, uti erga novercam, imperium, infeſtiorem nobilitatis inter duos ſervitutem. Vindicem igitur libertatis ſe, et patriae nobilitatisque parentem praeberet. Servitum ſatis externis, nec aliam libertatis ſpem, niſi ſtirpe Zeringenſi radicitus exciſa. Praemium illi ampliſſimum, omnem nobilitatem obnoxiam et devinctam. Non defuturos Burgundiae principes, qui ejus nuptias ambituri ſint; longe ante alios futurum qui obtinuiſſet.* His aliiſque incitamentis, metu, cupiditateque vecordem perpulerunt, ut ſpecie medicinae pueros necaret. Altero quam ſumſerant die, uterque vita ſolutus eſt. Neque dubium de veneno fuit, auctor latebat. Conjecta igitur in vincula familia, et inter ceteros uxor, inſito novercarum odio ſuſpecta. Nec illa poſtremo negavit; venenum ſeſe ab nobilitate accepiſſe, magna longaque eorum pertinacia fatigatam et victam. Conjurationem ſaevam et incredibilem, nec ante ſtragem, et exſcidium totius familiae et nominis quieturam. Zeringus de uxore ſupplicium ſumſit, caput ejus eodem cum pueris loculo in baſilica S. Urſi et Victoris Salodori, ubi tum forte agebat, condidit, ubi ante annos ſexaginta in ruina chori veteris reperta et translata ſunt. Mox hac tanta domus clade et Burgundiae facinore et rebellione vehementer perculſus, animo aegro et ultionis avido, ad Fridericum Caeſ. acceſſit, et utramque urbem Friburgum et Bernam in ejus manum, et Imperii tutelam tradidit, ea conditione, ut ne umquam ab eo avelli et ſeparari, aut alteri, quam Caeſari addici et mancipari poſſint, easque iiſdem privilegiis coleret, quibus aliae liberae Imperii urbes et civitates uterentur et fruerentur; ſperans, quatenus ejus exſcidium nobilitas infeſta et arrogans moliretur, inde illi porro internicionem venturam. Neque animus aut votum feſellit. Pauca antiquae nobilitatis tota minori Burgundia dominatio. Imperant florentque duae illae urbes. Paulo poſt Friburgi Briſiacorum, quo relicta Burgundia et damnata conceſſerat, aegritudine animi et moerore, exſtinctus eſt. Anno D. N. MCCXVIII. IV. Nonas Martias (a). Sepultusque ibidem, aede Diviparae dextro latere, ſupra portam, ultimus Zeringenſium Ducum, multis rebus praeclariter bello paceque geſtis, totius Germaniae facile principum. Habuit uxores duas Mathildam Vogburgienſem Bavaram, alii dicunt fuiſſe familiae Comitum ab Hohenloe, ex qua Berchtoldum et Cunradum, de quibus

(u) Anno D. N. MCCXIII. (x) Ex autographo. (y) Protectione clientali.

(z) Anno D. N. MCCXIV. (a) Manlius XVI Kal. Mart.

quibus diximus, suscepit: alteram Agnetem cujus stirpis, me ignorare fateor. Nam qui Kiburgensem, sive Burgdorffensem vocant, longe aberrant, falluntque nominum similitudine decepti et decipientes, cum certum sit Kiburgienses, post Berchtoldi hujus excessum, Burgdorffi dominium adivisse, neque ante Burgdorffum castellum, ut nominant Zeringorum monumenta, Comites habuisse. Reliquit Berchtoldus V. et postremus sorores duas, quae ejus haereditatem inter se diviserunt. Agnes quae Egononi Comiti ab Urach nupsit, sortita est Comitatum Zeringensem, cujus Friburgum caput, ceteraque ad Harciniam: Anna vero, quam Vernerus Ulrici filius Comes Kiburgi duxit, obtinuit quaecumque proprietatis erant apud Aventicos, Vindones, Burgdorfi, Duni, Grasburgi et illis adjuncta, advocationem quoque trium Episcopatuum Lausannae, Seduni, Genevae. Cetera quae Imperialis juris et beneficii erant, uti ipsos Aventicos, Vindones, Antuates, Valesianos, sive ipsam minorem Burgundiam, Tigurum et praefecturam Tigurinam, Opidum et comitatum Rhinfeldensem, in suam Imperii nomine Fridericus Caesar potestatem recepit. Paucis diebus post Berchtoldi V. obitum, Kalendis scilicet Maji, ejusdem anni, haud absque divinae providentiae manifesto favore et consilio natus est, ex ADELBERTO Rudolfi filio et HEILUIGE uxore, Ulrici Kiburgi Comitis et Elisabethae Burgundae filia, RUDOLFUS ille, qui non solum Zeringensium amicorum et consanguineorum famam et gloriam reparavit, sed Habsburgiensium Comitum gentem, ad supremum dignitatis et potentiae in terris fastigium evexit, reservantibus ipsi Imperii Romani Majestatem Superis, quam Berchtoldo ostenderant magis, quam annuerant. Rudolfum infantem ex lavacro salutifero sustulit Fridericus Caesar, cum rebus Germaniae stabiliendis, forte tum Brisiaci (b) in Elsatia agitaret, puerumque maximopere semper amavit, et haud secus quam suos, magna cura postea in aula educari voluit. Ceterum Germaniae statu, ut diximus, magna parte constituto, Romam profectus Caesar, Imperator Romanorum II. in Vaticano ab Hugolino Episcopo Ostiensi, Honorii pontificis jussu et auctoritate coronatus est, multasque possessiones Ecclesiae Romanae dedit, et novo se voto ad sacrum bellum adstrinxit. X. Kal. Decembris Anno D. N. MCCXX. Anno sequenti, quia sibi in Italia moras longiores intelligebat, Conventu Virceburgensi ab principibus impetravit, uti Heinricum filium, duodecim annos natum, Caesarem designarent, qui se absente in Germania regeret. Engelbertus Coloniensis Archiepiscopus Aquisgrani coronavit VII. Eidus Maj. Magna erat per ea tempora Comitum Kiburgiensium Verneri et Hartmanni Heiluigis Habsburgiensis fratrum potentia, factio et clientelae. Nam super tres clarissimos Comitatus Kiburgi, Lentzburgi et Badae, Burgdorffum quoque et nobilissimam ditionem Annae Zeringensis uxoris dotem Vernherus obtinebat, longe lateque imperitabant. Unde generata primo in subditos et clientes superbia et saevitia, post DEI quoque et Imperii oblivio et contemtus. Igitur alii alios vexare et opprimere, sedibus et agris avitis expellere et deturbare, mox in Monasteria et collegia sacerdotiaque manus injicere, sacra profana haud magno inter se discrimine habere. Sed praecipue in Canonicos Beronenses eorum furor desaeviit, quorum possessiones, quae ea tempestate florentissimae erant et amplissimae, non in Argovia modo, sed in Elsatia quoque, et Brisiaca jam ab primis conditoribus Comitibus Lentzburgi, non tantum rapinis et incendiis, quia eorum lubidini obluctabantur, faedarunt, popularuntque, sed ipsos adeo Canonicos et presbyteros omnes, Berona et Canonica ejecerunt, fortunisque omnibus exuerunt. Erat tum Collegii praepositus Theodoricus vir egregiae constantiae et virtutis. Is primo quidem Comites apud Cunradum Constantiensem Episcopum accusavit, qui sacrorum communione sane interdixit, sed non propterea ab eis ademta recepit, quamtumvis sententiam anathematis summus quoque pontifex confirmavisset. Quamobrem, quod unicum supererat refugium ad Fridericum Imp. Theodoricus, labore ingenti et rerum omnium pene inopia, in Italiam contendit, narratisque Kiburgiorum facinoribus et injuriis, et jam sextum sui et collegarum durare exsilii annum, Imperatorem perpulit, ut utrumque Comitem proscriberet, filioque Henrico Caes. uti proscriptos per Germaniam pronunciaret, injungeret, ab ipsa proscriptione non prius liberandos, quam praeposito, et suae Ecclesiae satisfecissent. Regii edicti exemplum infra positum est (c).

Fridericus Dei gratia Roman. Imperator semper Augustus et Rex Siciliae, universis principibus Allemanniae, tam Ecclesiasticis, quam secularibus et aliis Imperii fidelibus, ad quos literae istae pervenerint, gratiam suam et omne bonum. Universitati vestrae tenore praesentium volumus esse notum, quod veniens ad praesentiam nostram Dietericus Beronens. Ecclesiae Praepositus, fidelis noster, sua Celsitudini nostrae conquestione monstravit, qualiter Vernherus et Hartmannus Comites de Kiburg, eidem Ecclesiae suae damna enormia irrogantes, eum et alios Canonicos suos, in eadem Ecclesia Domino famulantes, de gremio ipsius Ecclesiae turpiter ejecerunt, quod nec ipse, nec aliquis concanonicorum sex jam annis elapsis, ad serviendum DEO ibidem audeat apparere, et licet per Constantiensem, videlicet dioecesanum Episcopum, excommunicationis sententia contra eos, propter hoc fuerit promulgata, et terra eorum supposita interdicto, ipsi nihilominus in contemptum DEI et Ecclesiae adversus ipsum, et Ecclesiam suam, in nullo satisfacere procurarunt, in eadem pertinacia contumaciter permanserunt, sic, quod eadem excommunicationis sententia per summum pontificem extitit confirmata, propter quod praefatus Praepositus in praesentia venerabilium Cicenn. Tridentin. et Brixin. Episcoporum et aliorum quam plurium, tam Imperii quam regni magnatum, Excellentiae nostrae humiliter supplicavit, ut quod ad Imperiale spectat officium exinde prosequi dignaremur. Nos igitur protervam praedictorum Comitum contumaciam attendentes, ad petitionem quoque praedicti Constant. Dioecesani

V Episco-

(b) Ex instrumento dato Brisiaci Tigurinae Eccles. initio seq. Aprilis Ind. VI.

(c) Ex Archivis Beronensibus.

Episcopi, cujus censuram Ecclesiasticam DEI timore postposito, dicti Comites per triennium, sicut asseritur contemnentes, ab infestatione ipsius Ecclesiae non desistunt, cum absonum sit, imperio nostro tam enormes Ecclesiis DEI violentias irrogari, quas ex collata nobis plenitudine potestatis defensare modis omnibus et fovere tenemur, praesentibus, praedictis principibus et ceteris, tam Imperii quam regni magistratibus, praedictos Comites excommunicationis sententiam contemnentes, sententialiter praescriptos denunciamus, mandantes, ipsos de cetero velut proscriptos ab omnibus evitari. Praeterea Heinrico Romanorum Regi filio nostro, per literas nostras dedimus in mandatis, ut eosdem Comites pro praedictis perpetratis excessibus proscriptos denunciet, et ab ipsa proscriptione ipsos decernimus non solvendos, nisi praedicto praeposito condigne satisfaciant et Ecclesiae suae sicut debent. Data in Campania apud Montem S. Joannis, die XXIII. Februarii XI. Ind.

Paucis post diebus, cum Ferentinum inde transisset Imperator, ab eo privilegiorum sui collegii confirmationem pariter impetravit, renovato Friderici I. diplomate.

Fridericus divina favente clementia, Romanorum Imp. Augustus et Rex Siciliae. Quanto de manu Domini potiora suscepimus, etc. Hujus rei testes sunt, Albertus Magdeburgensis Archiepiscopus, Egelhardus Cicensis, Gernodus Brandeburgensis, Cunradus Hildesimensis, Heinricus Vormatiensis, Berchtoldus Brixinensis, Albertus Tridentinus, Joannes Virdonensis Episcopi, Hugo Abbas Morbacensis, Heinricus praepositus Constantiens. majoris Ecclesiae, Dietboldus Marchio de Hochburch, Gulielmus Marchio Montisferrati, Reinoldus Dux Spoleti, Heinricus de Heberstein Comes, Heinricus Comes de Diets, Sigifridus Comes de Vienna et alii quam plures. Acta sunt haec Anno Dominicae Incarnationis MCCXXIII. mensis Martii XI. anno Imperii III. regni Siciliae XXV. Datum apud Ferentinum.

Kiburgiensibus Rudolfus Habsburgiensis quoque suas in prosequendis Beronensibus copias adjunxerat, per amicitiam et adfinitatem, valida humani ingenii tentamenta, lubidini eorum et arrogantiae gratificatus, sive non omnia iniqua credebat, quae ab Collegio petebantur, et potuisse Comites aliquo pacto mitigari, tanta auctoritate et opibus et fundatorum legitimos haeredes. Sed utcunque ea se cuncta habuerint, brevi profecto in viam recti bonique Rudolfus rediit, animumque ab injuria, et maleficio ad mansuetudinem, et ingenitam pietatem mature revocavit. Pro damnis factis Beronensi Ecclesiae amplam et locupletem restitutionem fecit, errorem suum eodem tempore et publicavit et factorum poenitentiam exegit. Instrumentum super ea re factum ita se habet.

RUDOLFUS DEI gratia, Landgravius Alsatiae et Comes de Habesburch, universis fidelibus Christi in perpetuum. Noverint universi praesentes et posteri quod nos una cum dilectis filiis nostris, Alberto et Rudolfo Comitibus, curtes, vineas, ac res alias, quas Cunradus Plebanus de Bomnath, quoad viveret, habere debuit, et quidquid relicta felicis recordationis Heinrici, militis de Othmarsheim, nomine dotis adhuc possidet, et in vita sua tantum possidere debet, totum hoc, cujus proprietas ad nos spectare dignoscitur cum omni jure, libere et absque conditione qualibet, Beronensi Ecclesiae in honorem beati Michaelis dedicatae, quam laeseramus, tradidimus perpetuo possidendas, sunt autem in universum quatuor jugera vinearum, et scopoza una, in villa Bamnath (d), Huoba in Sappenheim, curia in Slierbach et quidquid idem plebanus, et supradicta domina in parochia Othmarsheim hactenus habuerunt. Advocationem vero harum rerum Basiliensi Ecclesiae per manum Hugonis, ejusdem Ecclesiae Cantoris, transmisimus hac conditione, ut venerabilis Dominus Heinricus Dei gratia Basiliens. Episcopus, qui nunc praesidet, ejusque successores, eam Beronensi praeposito Theodorico suisque successoribus, et non concedat alii in perpetuum, ita quod eadem advocatia, nec per venditionem, nec per infeodationem, nec alio modo, ad manum laicam deveniat de cetero, sed Beronensi praepositurae inhaereat, nec aliquo modo alienetur ab eadem. Actum apud Brugga, Anno Dominicae Incarnationis MCCXXVII. XVIII. Kal. Septembris, praesentibus Arnoldo Abbate de Mure, Theodorico Beronensi praeposito, per manum cujus haec tradita beato Michaeli sunt, Ruedegero de Vindischen, Alberto de Brugga, Ulrico de Botzenberg, Heinrico de Schinzenach plebanis et Petro plebano de Hochdorf, Heinrico de Buttenheim, Diethelmo, Berchtoldo pincernis, Cunrado de Vulpisberg, Arnoldo et Valtero de Vuolan, Heinrico, Eppone de Remmingen, Burchardo de Pfirreto, Cunrado de Fricco, Joanne de Aimoso, Hugone qui cognominatur Asinus, militibus. Rudegero Manessin de Turego, Cunrado Sculteto de Homberg, Burcardo de Herline et aliis quam pluribus. In assertionem hujus rei praesentem chartam sigillo nostro et sigillis filiorum nostrorum fecimus communiri.

Confirmationem Alberti filii infra quoque adscripsi.

Albertus Dei gratia Landgravius Alsatiae, Sculteto, advocato et consiliariis de Muhuh, salutem et omne bonum. Universitati vestrae notum facimus quod nos una cum Rudolfo patre et Rudolfo fratre nostro de Habesburch, committimus proprietatem universorum, quae bonae memoriae P. miles de Othmarsheim ministralis noster in morte reliquit, tam haereditatem, quam patrimonium, totum hoc Tiedrico Beronensi praeposito, et per eum tradidimus Bero-

(d) Genus est mensurae agri.

Beronensi Ecclesiae pleno jure, super his Beronensi Ecclesiae pro nobis patre, et fratre nostro, per praesentes literas plenariam Vuarantiam exhibentes, etc.

Sequenti anno satisfactionem magis Rudolfus auxit, oblatis ad altare S. Michaelis possessionibus Merlinsbergae vico Argoviae sitis.

Rudolfus Comes de Habesburch, Landgravius Alsatiae, omnibus Christi fidelibus in perpetuum. Noverint praesentis et futurae aetatis homines, quod nos, cum multa mala per incendium et rapinam Beronensi Ecclesiae intulissemus, reversi tandem ad cor, praeter bona illa, quae in Othmarsheim, et Slierbach, Bamnath et Sappenheim, eidem Ecclesiae, secundum formam quarumdam literarum super hoc scriptarum et repositarum in armario Basiliensi, contradidimus etiam tres scaupotas sitas in Merlinsberg, in Argoia, ademtas a quodam servo nostro nomine Arnoldo de Merlinsberg, ad Ecclesiam Beronensem personaliter accedentes, super altare beati Michaelis Archangeli obtulimus, hac conditione, ut eadem dicta Ecclesia dictas scaupotas pleno jure possideat, advocatia tamen penes nos dum vivimus et haeredes nostros, post nos remaneat, sic tamen, ut nec nos dum vivimus, nec haeres, post nos aliquid inde, jure Advocatiae possideat, nisi cum vel nos vel haeres post nos, ad dictam Ecclesiam accesserimus, ea die (e) staupum ibi tamquam canonicus accipiat. Praeterea Canonici dictae Ecclesiae in communionem orationum suarum receperunt et anniversarium suum se celebraturos promiserunt in perpetuum. Acta sunt haec in villa Beronensi, Anno ab Incarnatione Domini MCCXXVIII. praesentibus Arnoldo Abbate de Mure, etc.

Haec Rudolfus. Ex quibus sane colligas, ut humana quandoque cupiditas petulans, insana, exlex transversos rapuerit; insita tamen religione animi Habsburgienses, res divino cultui mancipatas non modo semper permagni fecisse; sed easdem plerumque locupletasse, fovisse, virorum religiosorum pietatem et preces maxime coluisse, et praecipuo in honore et pretio habuisse. Dum haec aliaque diversis animorum motibus geruntur, et Fridericus Imp. multis pontificis et amicorum precibus in Syriam cum exercitu trajicit, ortum inter Berchtoldum ex Ducibus a Teck Argentinensem Episcopum et Comites Ferretanos, eorumque socios Eginonem Friburgi Comitem, et duodecim utriusque Elsatiae et Rheni urbes imperiales acre et cruentum bellum. Argentinenses et Episcopus contra tot confoederatorum Comitum et urbium opes, et copias, Adelbertum Habsburgiensem Rudolfi filium rerum suarum summae praefecere. Vastata utrimque obvia. Postremo pridie Eidus Junii (f), acies inter Blodesheim et Hirnfeld in Harudibus concurrere. Pugnatum acriter, et saevius quam inter propinquos et adfines. Victoria penes Adelbertum fuit, fusi, fugati hostes, capti plurimi, praeda ingens facta. Ea clades pudore iraque magis Ferretanos et urbes succendit. Petita ab Heinrico Caes. auxilia. Cum promisisset jam elati et ferociores, plures Episcopi et Habsburgiensium vicos per Elsatiam utramque inflammavere, praedas egere, multos mortales trucidavere. Contra Adelbertus iterum progressus cum Ferretanis, Caesarianos magno rursus proelio vicit et debellavit (g). Ab illo enim pax secuta anno tertio belli. Fridericus interea Syriam delatus, paucis castellis expugnatis ad Aegyptium principem Soldanum nominabant, nuncios de pace et induciis misit brevique confecit, Hierosolymis et Joppe receptis. Sed in Italiam cum rediisset, novaque discidia exorta essent, plerasque Ecclesiae urbes subjugavit, nova ex Germania auxilia excivit, agrum Romanum saede populatus est. Denique pace cum Gregorio pontifice reparata, reversus in Germaniam Heinricum Bavariae Ducem novas res molientem compescuit. Inde in Frisiam duxit. Eo absente defecit secundo Bavarus, aliosque simul principes regni impulit. Heinricus Caesar continuo ad patrem, qui quae gerebantur, nunciaret, Conradum S. Galli Abbatem legavit. Hujus quoque abitu cognito, quae possederat, Thiethelmus junior Comes Toggenburgi, aliique invasere. Igitur cum se suosque undique vexari, rapique Heinricus adverteret, ad Uranienses, Suitios, alios vicinos misit qui auxilia peterent, tam necessario tempore tot hostibus. Quod cum negarent Uranienses, nisi eos ab Rudolfi praefectura, cujus potentiam praecipue, ut insidiosam suspectabant, eximeret, nec ultra per praefecturas et obligationes ab Imperio abalienaret. Expedivit Caesar Arnoldum nobilem ab Aquis, qui quae petebant, hoc rescripto concedere se ostenderet.

Heinricus Dei gratia Romanorum Rex et semper Augustus, fidelibus suis universis hominibus in valle Uraniae constitutis, quibus praesens litera fuerit ostensa, gratiam suam et omne bonum. Volentes semper ea facere, quae ad vestrum commodum vergere possunt, ecce vos redimimus et eximimus de possessione Comitis Rudolfi de Habesburch, promittentes vobis, quod vos numquam a nobis vel per concessionem seu per alienationem alienemus. etc. Datum apud Haginoam VI. Kalend. Junii Ind. IV (h).

Habsburgiensi dedit Caesar pro praefecturae redemtione alia quae Imperialis juris erant, et majoris momenti, in quibus fuisse crediderim Comitatum Rhinfeldensem cum arce, cui saxum indiderant nomen in Insula Rheni, haud procul opido Rhinfelda, qui Comitatus post Zeringensium interitum, ut diximus, ad Imperium redierat, sed quem Rudolfus vindicabat, titulo repetito ab Cunone primo Rhinfeldensi Comite, Itae Radeboti conjugis, a qua ipsi et antecessoribus origo fratre uterino. Certe ab hoc tempore possederunt Habsburgienses. Opidum tamen Rhinfelda inter Impe-

(e) Poculi vinarii species. (f) Anno D. N. MCC. XXVIII. Chron. Hirsaug. Chron. Elsat. inf. Lib. IV. et VIII. Chron. Basil. Lib. II.

(g) Anno D. N. MCCXXX. Chron. Argent. Mscr.
(h) Anno D. N. MCCXXXI. Ex Chron. Schudiano.

Imperialia permansit ad Ludovicum usque Imp. IV. qui Habsburgi Austriacis principibus, ut in tempore monebimus, pignori tradidit. Eodem anno, Beronensi Ecclesiae mancipia aliquot Rudolfus dedit; tanto eidem Canonicae promtior et inclinatior, quanto fuisse injuriosum magis poenitebat.

Quoniam labilis est humana memoria, ne congesta hominum in oblivionem decidant, scripturae memoriae commemorantur. Innotescat igitur universis hoc scriptum inspecturis quod ego Rudolfus Comes de Habesburch, Landgravius Alsatiae, Ecclesiae Beronensi Vernherum et Itam pueros Heinrici de Marglimchum in dimidia parte contradidi; alteram vero partem, cum omni jure advocatiae, mihi et haeredibus meis obtinui et ex eis geniti mihi, et successoribus meis, cedent in parte dimidia, in altera autem parte Ecclesiae supradictae. Ut autem hoc factum ratum habeatur, praesentem paginam jussi sigilli nostri munimine roborari. Acta sunt haec Anno Incarnationis Domini, MCCXXXI. Testes sunt Ulricus Plebanus in Vuillisouve, Petrus Canonicus Beronensis Vernherus Plebanus in Dietinckon, Rudolfus nobilis de Eschibach, Rudolfus pincerna de Habesburch, Heinricus miles de Vuinickon et alii quam plures.

Neque longa postea Rudolfo vita fuit. Supremum diem matura aetate et honorata obivit, anno sequenti ineunte vere D. N. MCCXXXII. SENIOREM vocabant ob filium cognominem. Habuit enim ex AGNETE, *Gottfridi Comitis ab Hohenstauffe, quod inter Vormatiam et Spiram situm est*, filia, ADELBERTUM III. sive ALBERTUM (k), utroque enim modo notatur instrumentis et idem nomen est; et RUDOLFUM II. VERNERUMque qui adolescens obiit. HEILVIGIM et GERTRUDAM, quas fratres duo Hermannus, Ludovicus, Froburgi Comites duxere. Male, ut saepe, Latzius Heilvigim Comiti Friburgensi, qui tum Ego I. nuptam refert. Nec melius Chronographus Elsatiae, qui Helvigim eamdem Hermanno ab Homburch, Gertrudam Marchioni Badensi vult elocatas.

(i) Ex autographo. (k) Genealogia fundatorum Murensis Monasterii.

CAPUT TERTIUM.

ADELBERTUS III. COMES HABSburgi et Landgravius Elsatiae.

POST patris mortem prima cura fratribus fuit animam ejus votis et benefactis prosequi, memoriamque ejus in Ecclesia, nobili suae munificentiae pretio, retinere et perpetuare. Igitur continuo possessiones quasdam Canonicae Beronensi elargiti sunt, cui ob tutelarem Divum coelestis exercitus Ducem et principem Michaelem praecipue, postremis temporibus addictum noverant. Testatur hoc quod in promtu superest instrumentum.

Adelbertus et Rudolfus (a), Comites de Habsburch, universis praesentem paginam inspecturis rei gestae notitiam. Notum sit omnibus, tam praesentibus quam futuris, quod nos duas schopozas in Reichenuuile emptas ab ministeriali nostro, scilicet Arnoldo, qui dicitur Kamtpollo, pro remedio animae patris nostri Rudolfi, Comitis de Habsburch, cum omni jure contulimus Ecclesiae Beronensi, advocatiam earumdem praepositurae ejusdem Ecclesiae conferentes. Testes hujus rei sunt, Arnoldus Abbas et Rudolfus custos Murensis, et Heinricus, et Thiethelmus, et Burcardus fratres pincernae de Habesburch, et Heinricus de Vuerschen miles, et alii quam plures. Acta sunt haec Anno MCCXXXII. IV. Idus Aprilis.

Hinc haereditatem diviserunt. Adelberto aetate provectiori, Comitatus Vindonissensis et Elsatiae provincialis, multo potior pars. Rudolfo, cui Taciturni fecere cognomentum, Lauffenberga arx et opidum, Sanctionis advocatio, Valdshuot arx et opidum et circa Harciniam ultra Rhenum Lacobrigi sive Klegkowe comitatus, aliaque nonnulla obvenere Sanctionis Ecclesiae Dominia et adjuncta. Atque ab his duplex Habburgiensium familia, Adelberto et ejus posteris, sese HABSBURGI COMITES et ELSATIAE LANDGRAVIOS nominantibus: Rudolfo vero et ex eo genitis HABSBURGI pariter COMITES, et LAUFFENBURGAE DOMINOS se dicentibus. Sed hi HABSBURGI titulum inter praecipua, dum fuerunt, usurpavere; illi AUSTRIAE postea DUCES, et ARCHIDUCES appellati, regnorum et Imperiorum Domini et Monarchae. Galeae quoque insignia divisa. Adelbertus leone dimidiato: Rudolfus cycnorum collis gemmatis usus est. Iisdem ferme temporibus, Heinricus Caesar Gregorii pontificis, Mediolanensiumque et totius ferme Italiae literis et secretis legationibus fatigatus, juventa et imperandi libidine, postremo animum induxit contra patrem Fridericum sentire et machinari; ea tempestate (b) Neapoli agentem. Obtrudebantur inter alia juveni incauto et fraudum obnoxio, *in omnium odio versari patrem* (c), *multa ejus adversus Ecclesiam flagitia esse. Imperii non solum, sed totius Italiae et Siciliae privationem imminere. In Italia non jam modo Mediolanenses, sed ceteras civitates prope omnes defecisse. In ipso spem unicam superare. Si consenserit faederi in patrem, Mediolanenses Langobardici regni coronam ultro oblaturos; quam parenti hactenus denegarint. Cetera sua sponte esse accessura.* Missi ab Heinrico ad id negotium Mediolanum legati: Mediolanenses vicissim Manfredum Comitem Cortae urbis praetorem, Heinricum Maguntiacum, Ubertum Vignatem, alios delegavere, qui sacramentum dicerent, Langobardiae verbis, primoque ejus adventu, regni Italici insignia pollicerentur. Omnibus

(a) Ex ipso autographo. (b) Anno D. N. MCCXXXIV. (c) Bernard. Corius alii.

nibus his inter eos ſecretis, ſed quae Fridericum non fugerent. Itaque in Germaniam maturavit, cetera pleraque omnia, ſed in primis conjurationem diſſimulando. Tigurum primo, poſt Baſileam, mox Colmariam venit. Erat Heinricus Haginoae, magno ex conſcientia metu et trepidatione. Adſciverat antea in aulam praecipue nobilitatis, principum et civitatum totius Elſatiae, Baſilea Spiram uſque et Maguntiacum, liberos, tamquam in pignus et obſidium, ſive lenimento adverſus patrem, eorum ad quos pertinerent, intercesſu et opibus, multique operam promiſerant. Sed ubi in re praeſenti Imperator fuit, ſtudium et pollicitamenta poſt periculum et formidinem fuerunt. Fridericus Colmariae, ſive ut alii volunt, Vormatiae frequentem principum et civitatum conventum celebravit. Heinricum captum occultis itineribus et fido milite, ex Germania in Apuliam tranſportatum Coſentiae incluſit, ubi paulo poſt (d) aegritudine, an dolo exſtinctus eſt, DEO, inquit auctor Chronici Hirſaugici verius an acerbius non diſputaverim, *meritis ejus vicem reddente, qui nobile regnum Allemaniae praedonibus fecerat eſſe commune, qui religioſos et Eccleſiaſticos violenter oppreſſerat injuſtis ſervitiis et exactionibus, qui Provinciam uſque adeo direptioni expoſuit impiorum, ut nulla jam eſſet itinerantibus pacis ſecuritas.* In Heinrici locum Germaniae proceres, conventu Maguntiacenſi, Cunradum fratrem Sueviae Ducem multis patris promiſſis ſublegere, Colonienſis coronavit Aquiſgrani, nono aetatis anno. Quieta hinc Germania, menſe Septembri (e), in Italiam exercitum quam antea ampliorem duxit, multamque ex Germania nobilitatem et inter alios Rudolfum et Adelbertum Habsburgienſes, Adelberto natos. Ea adoleſcentibus, quorum alter jam octavum decimum, alter decimum ſeptimum aetatis annum agebat, prima belli tirocinia eſſe pater voluerat, inclinato praecipue in Rudolfum Imperatoris animo, cui pro parente eſſet, quemque inter nobiles aulae pueros in tantam ſpem educaverat; ſpectata ſimul utriuſque indole. Auxilia ad hoc miſerunt ex Italicis Bononienſes, Faventini, Cremonenſes, Parmenſes, alii. Contra erant Mediolanenſes, Paduani, Vicentini, Treviſiani, Mantuani, Ferrarienſes, alii plures. Imperator Mincium copias traduxit, Marcariam inopinato oppreſſit et diruit, locum pro praeſidio Cremonenſibus dedit. Inde Vicentiam properavit et primo Novembris captam exſcidit, poſt in Mantuano militem hibernare juſſit. His rebus proſperiter geſtis, ad Fridericum tranſiit Manfredus, Rhegii praetor, Mantuani quoque pacem petiere, Bonifacio Mantuae marchione deditionem faciente. Ipſe clarum montem Brixianorum, nono Octobris ſequentis anni cum omnibus copiis cinxit, captumque viceſimo primo ejuſdem menſis diripuit et vaſtavit, multa Saracenorum, quo milite ad atrociora miniſteria Fridericus utebatur, crudelitate. Ab Claro monte in Mediolanenſes exercitum tranſportavit, Gambaram, Pratum Alboini, Pavonum opida occupavit et incendit (f). Ad Pontem Nigrum circa Eidus Novembris caſtra poſuit. E regione Mediolanenſes conſedere. Pluribus inter velitationes diebus conſumtis, denique viceſimo ſeptimo ejuſdem menſis acies depugnavere, victique et profligati poſtremo hoſtes, praecipua Mediolanenſium et Placentinorum ſtrage, capto etiam Mediolanenſium curru, ſignis civitatis et tribunali, bellique religione inſigni, Caroccium vocabant. Qui effugerunt praelio Mediolanenſium, Bergomates pleroſque intercepere, victorique et irato Imperatori in ultionem et ludibrium cruciatumque miſere. Auctum tam eximia victoria militem volentiorem Paduam rapuit, primoque impetu cepit, mox eumdem in hibernacula Cremonae locavit, vaſtatis interea Brixianis et Veronenſibus. Denique opes omnes adverſum Mediolanenſes reduxit. Quod ubi Innocentio pontif. compertum, legatos duos deſtinavit Jacobum Cardinalem Praeneſtinum Epiſcopum in Galliam, qui crucem contra Imperatorem in eo regno, Hiſpaniaque et Anglia, Germaniaque promulgandam curaret (h); et Gregorium Montelongum protonotarium Apoſtolicum, qui idem in Italia praeſtaret. Id factum multos ab Friderico alienavit. In Italia quidem Actiolinum quem Vicentiae praefecerat, Vercelinumque cum Taruiſianis: Bononienſes quoque ad pontificias partes tranſierunt. At is cum Mutinenſibus, Parmenſibus et Rhegianis Plumatium caſtellum obſedit et tertio menſe cepit et evertit. Duodecimo Septembris arma infeſta Mediolanenſium agro intulit Landrianum et Baſgape populavit, ad caſas Scanaſias caſtra et plures dies poſuit. Eo Cremonenſes currum ſuum duxere: Multi pariter Mediolanenſes Imperatori fidem ibidem juravere. Eorum conſilio et ductu ad Caeſarate caſtra tranſtulit. Haud procul inde Mediolanenſes ſigna conſtituerunt, aquis ex Ticinello et Addua per foſſas deductis muniti. Sed poſtero die, foſſas tranſmittere Germanos aggreſſos Paſſibanus ex nobili et antiqua Piatenſium familia, militiae et domi egregius cum Mediolanenſi pedite excepit. Fit atrox et cruenta pugna, omnibus copiis utrimque effuſis, et in incerto diu victoria fuit. Poſtremo Cremonenſes amiſſo curru fugam iniere: Secuti eos Ticinenſes. Fridericus ſole jam occaſo, reliquum militem in caſtra reduxit. Quae proelium inſecuta eſt nocte, Mediolanenſes etſi propius victoriam fuerant, armis tamen diffiſi, inſidiis Fridericum obtruncare tentaverunt, corruptis Petro Vineae ſecretario; Gulielmo et Franciſco Sanſeverianis, Timaldo, Normanno, praetorii praefecto, Andrea Sicale exercitus ductore generali, Pandulfo Faſinello, aliis nonnullis primis palatii. Proditione retecta, conjurati variis cruciatibus periere. Fridericus tam improbum facinus, et fraudem exſecratus in Apuliam ſe recepit. Habeo auctores qui ſuperiori in proelio, captum Adelbertum Habsburgienſem Mediolani in cuſtodia extabuiſſe: alii in acie fortiter pugnantem interiiſſe prodiderunt. Non deſunt qui eumdem Baſileae Canonicum, ibidem ſexto ab hoc anno obiiſſe notavere: Rudolfum ſolum bello huic et proelio interfuiſſe. Jacobus Menlius non hoc tempore, ſed inter nobilem illam Parmae obſidionem captum, Parmae annos novem cuſtodia habitum, et poſtremo ibidem mortuum memorat, cum Argentinenſis Canonicus et Cunradi Regis, Friderici filii, Cancellarius eſſet. Addit et fabulam auditu haud injucundam: Cum jam nonum annum Parmae Albertus in cuſtodia ageret, Parmenſem prae-

(d) Anno D. N. MCCXXXV. (e) Anno D. N. MCCXXXVI. (f) Anno D. N. MCCXXXII. (g) His de bellis et factis copioſe Corius, Mediolanenſ. Hiſt. parte II. Paulus Morigia antiq. Mediol. Lib. I. alii.

(h) Anno D. N. MCCXXXIX.

praefectum convivium nobilium feminarum feciſſe, ibi inter eas fuiſſe unam, quae ceteris laetitia et hilaritudine diffluentibus, continuo ſuſpiria traheret. Cauſam in communi feſtivitate triſtitiae requirentibus, reſpondiſſe eamdem, ſibi vero permirum id videri quod adeo laetae et lubentes agitarent omnes, cum tot annos nobilis ille et eximiae virtutis et pulcritudinis, juvenis Germanus in carcere vitam addictam et moeſtam toleret, nulla commiſeratione aut liberandi ejus cura. Omnes tum in coronam feminas coiviſſe et coronae medio praefectum, nihil opinantem, dolo ſubinduxiſſe, redactumque hoc modo in ſuam poteſtatem, cum petentibus nihil ſe negaturum ſpoſpondiſſet, juvenis Germani liberationem e cuſtodia flagitaſſe et impetraviſſe. Albertum paucis poſt diebus nihilominus Parmae defunctum et tumulatum eſſe. Quae omnia ficta, et in veterum fabularum morem Amadiſis et Floriſelli compoſita, paulo poſt oſtendemus. Igitur poſteaquam Imperator in regnum Neapolitanum tetendit, Rudolfus et Adelbertus Habsburgienſes cum pleriſque gentis primoribus in Germaniam rediere. Hujus anni extremo, multi praecipue Galliae proceres, Duce Theodebaldo, Rege Navarrae in Syriam trajecerunt (i). Eos, anno ſequenti, ſecuti Richardus Comes Cornubiae Anglus, nonnullique Germaniae primates, inter quos Adelbertus ſenior Habsburgienſis fuit. Sed priuſquam ſeſe Albertus in expeditionem daret, in primis curis habuit, pacem et amicitiam cum vicinis Comitibus, Ferretanis praecipue et Friburgenſibus componere, proculque omnem belli et contentionis metum poſt ſe relinquere. Mox convocatis ad Monaſterium Muri ſuarum ditionum primoribus, in primis Rudolfo et Adelberto filiis, inſtituti ſui rationem pluribus explicavit, admonens rogansque proceres, eamdem quam ſibi eouſque praebuerant, fidem et obſervantiam, liberis porro ſervarent. Hinc ad hos converſus quaeque honeſta, quaeque utilia eſſent propoſuit, injunxitque. Fidem ante omnia et promiſſa ne fallerent, pietatem ſemper colerent, conſiliariis, licet in ſpeciem commodis, reipſa falſis et ad rem intentis, ne aures, aut animum darent; bella ne adſectarent aut inciperent, niſi coacti et ultima experti. Eadem ſemel incepta egregia virtute et conſtantia perſequerentur, rerumque gerendarum praecipuum in celeritate ponerent. Paci tamen univerſae privata quoque commoda poſthaberent. Poſtremo ita ſtatuerent Habsburgi Comites virtute non fraude; honoris publici et utilitatis communis cura et cupidine; non per inſolentiam et propria emolumenta, eam apud mortales in opinionem et famam perveniſſe, ut pauci quidem ſui ordinis praeeant, plerique concedant. Qua via ſi ſequantur, non in dubium vertere, quin majoribus parta non modo retineant, ſed etiam augeant et in ampliorem dignitatem provehant. Ita vero faciant ſeſe hortari imo jubere. Cum ad illa magnus ejulatus exortus eſſet, et per frequentes lacrimas omnes ejus deſiderium manifeſto teſtati eſſent, et liberum omnium ipſe tutorem et curatorem fratrem Rudolfum declaraſſet, equum inſcendit, adſumtiſque prima ex nobilitate triginta Comitibus Maſſiliam verſus tetendit, et reperta claſſe in Syriam navigavit, paucisque diebus Ptolemaidem appulit. Ibi dum exercitum luſtrant, Salah princeps Damaſci nuncium miſit, qui inducias peteret, obtinuitque conditionibus iſtis, Belfortem caſtrum et Saphet opidum reſtitueret, totumque Hieroſolymorum agrum: Cum Babilonio tyranno inducias, aut pacem, niſi communi omnium conſenſu et nomine, ne iniret; contra eumdem, Aſcalonem et Joppen dum reparant, ne interpellare poſſit, auxilium praeberet. Eo pacto, omnibus in reaedificanda Aſcalone occupatis et enitentibus, ibidem inter labores et aeris inſolentiam, Adelbertus aegritudine confectus eſt. Anno D. N. MCCXL. Manlius proelio interiiſſe refert ex Chronico Heinrici Conſtantienſis et Aſcalone ſepultum, proque Chriſti martyre laudatum, cultumque. Latzius (k), uti ſaepe alias, longe ab vero et opinione omnium receſſit, qui Marchtal Sueviae (Monaſterio Praemonſtratenſis ordinis ſupra Ulmam) ſepultum praefatione Genealogiae tradidit. Idem Latzius in migrationibus (l) Adelbertum *quatuor*, ait, habuiſſe *in matrimonio claras feminas, primam Itam Rudolfi Comitis a Pfullendorf filiam, matrem Rudolfi Caeſaris; ſecundam Comitiſſam ab Egtheim, unde Vilerthal adeptus erat, et Landgraviatum Elſatiae; tertiam Kiburgienſem Comitiſſam, et quartam comitiſſam Montisfortis. Ex his procreaſſe multos liberos, ex prima Rudolfum V. in Caeſarem Romanorum electum, ex ceteris Hermannum, Heinricum, Carolum Canonicum Baſilienſem, Albertum Canonicum Argentinenſem, captum a Mediolanenſibus ſub Friderico II. et filiam, Eitellio Joanni a Zollere nuptam, matrem Friderici primi Burggravii Norimbergenſis, quos omnes nulla poſteritas ſecuta eſt, adeo ut Rudolfus Caeſar ſucceſſionem tenuerit.* At vero in Commentario Auſtriacae familiae (m), *ex duabus conjugibus tuliſſe*, refert, *prima quidem Helduige Comitiſſa a Kiburg Albertum et Carolum Canonicos Conſtantienſes: ſecunda vero Ita, Comitiſſa a Pfullendorf et Brigantia, Rudolfum Caeſarem, Albertum in obſidione Parmae captum atque mortuum, cum Cunradino, pulſo Regi Siciliae et Apuliae, Sueviae Duci, propinquo ſuo auxilium tuliſſet, Hermannum et Heinricum Comites et Canonicos, Berchtam Comitiſſam a Cuſſenberg, quae ſecundis nuptiis, domino ab Ochſenſtein Alſato conjuncta fuit, et Eliſabetham, Eitelfriderico a Zollern nuptam, primo Norimbergenſi ſuae ſtirpis Burggravio.* Manlius quoque duas habuiſſe tradit in matrimonio feminas Adelbertum, primam Itam, Petri Montisfortis et Brigantii Comitis filiam, quae non peperit: alteram Heiduigim Kiburgienſem, quae Berchtam peperit Friderico Zollerano nuptam et Reginam, quam primis nuptiis duxit Comes Cuſſenbergenſis Cunradus, ſecundis Gulielmus Baro ab Ochſenſtein filios Carolum, Adelbertum juniorem et Rudolfum. Uterque parum ſcite et veraciter. Ut enim de liberorum numero non pergam, illud profecto certum eſt, Rudolfum Caeſarem non ex Pfullendorffenſi genitum, ſed ex HEILWIGE KIBURGIENSI, Ulrici et Eliſabethae, Hugone Comite Burgundiae palatino et Eliſa generatae filia, Hartmanni et Richenſae Lentzburgienſis nepte; eaque ratione poſt Kiburgienſium omnium interitum Kiburgum, Lentzburgum et cetera eorum ad HABSBURGIENSES perveniſſe, ut poſt videbimus. Itam quoque Pfullendorffenſem et Bri-

(i) Corius et Continuator Lib. III.

(k) In praefat. comm. Geneal. Auſtr. (l) Lib. VIII. Migr. (m) Lib. I. cap. 11.

Brigantiam) non Adelberto Caesaris patri, sed Adelberto proavo veluti supra ostendimus, collocatam; hoc modo matrem, proaviamque Caesaris longo inter utramque intervallo Latzium miscuisse interpolasseque. Unicam quoque eamdem fuisse Heiluigim Adelberti III. conjugem satis constat (n), superfuisseque viduam marito ultra vicesimum annum, instrumenta antiqua testantur, et Muri postremo sepultam. Ex ipsa vero Chronica Helvetiae et Elsatiae, filios Adelberto faciunt, Heinricum et Hermannum, qui pueri obierint, Carolum et Adelbertum Canonicos Basilienses et Rudolfum Caes. filias, Martham, quae Adelhausii Friburgi Brisiacorum religionem professa, alteram quae Cussenbergensi et denique Ochsenstein nupserit. Gerardus a Rhoo eamdem conjugem et liberos, addit Elisabetham, quam Eitellius Fridericus Comes Zolerans duxerit. Pontus Heuterus Commentariis Latzianis non egreditur, eodemque nebularum navigio invehitur. Postremo Michael Eintzingerus tres tantum ponit filios Rudolfum Caes. Adelbertum et Carolum; filias easdem. Monumenta Murensia tres tantum quoque statuunt et eos esse censemus, agnoscimusque, RUDOLFUM Caes ALBERTUM, qui aliquantum processit: et HARTMANNUM, qui adolescens obiit; filias ELISABETHAM et BERCHTAM, quarum altera juncta fuit Friderico Zollerano Comiti, ex qua Burggravii Norimbergenses et hodierni Brandeburgici Electores; altera primis nuptiis tradita Emerico comiti Strasbergensi, cui Othonem peperit, Alberti I. Caes. in Burgundia gubernatorem, Emerii II. patrem: secundis Othoni Ochsensteinio, Othonem genuit, ejusdem Caesaris Alberti proelio, quo Adolfus cecidit, vexillarium.

(n) Ex instrumento antepolito, Cap. II.

CAPUT QUARTUM.

RUDOLFUS III. COMES HABSBURGI ET KIBURGI I. Landgravius Elsatiae, cognomento magnus, Romanorum Imperator primus P. P. Pius, Felix, semper Augustus.

AD hunc virum quando venimus, ejus porro militiae domique res cum cura fideque expediam. Ille enim est, qui praeclaram hactenus COMITUM HABSBURGIENSIUM famam non solum firmavit, sed ad culmen usque gloriae et dignitatis promovit, tantaeque virtutis fuit, ut Romano Imperio reparando, restituendoque post quadringentesimum, quam Germani possederant annum fuerit solus, et praeterea nemo, tot, tamque eximia privatis adhuc rebus praestitit, ut regium decus factis antevenisse videretur, nihilque nisi summae fortunae experimentum deesse. Sed ejus gesta decoraque reputando, illum in primis militiae ingentem et gloriae cupidinem reperio aluisse. Itaque posteaquam prima adolescentia ex Italia cum fratre rediit, militem semper circa sese habere, fortissimum quemque praemiis promissis allicere: Ubi obtinuisset juxta secum tractare, benigne appellare, donare. Bellicis interea exercitiis ante omnes esse, equo, hasta, ferro antevenire, certare, vincere, cetera aliis facile omnia, armorum artes sibi vindicare, summam ibi et perpetuam voluptatem habere, postremo nihil pensi, aut arduum ducere, unde nomen magnum et apud praeclaros militiae gloria et fama augesceret. Ad ea vero, super insitam animi generositatem, Gotfridi quoque patruelis aemulatu accendebatur, quem non multo aetate priorem, et tum Burgdorffum, et adjunctam ditionem Kiburgiorum nomine regentem, insignis de Bernatibus victoria celebrat. Omnes igitur virtutis experiundae occasiones quaerenti Hugonem a Tuffenstein vicinum Baronem casus ostendit, juvenem animosum, fortem, ceteris prope parem, fortuna inferiorem. Levis injuria fuerat et verborum tenus, sed gloriae aviditas et paris impatientia magnam fecerant. Itaque Anno D. N. MCCXLII. Baronis arcem obsedit. Situs eam et praesidium tutabantur, utroque firmo, sed in situ plus auxilii inerat. Consumtis per obsidium aliquot diebus, cum oppugnatio parum procederet, aestuare Rudolfus et animo angi. Id militiae, ductu suo et auspiciis primordium, cetera perinde ventura esse, praecipuum illic aestimationis momentum verti. Honorem jam quoque et famam ad injurias accedere, eo graviora, quanto eas condonare facilius, quam illorum jacturam pati honestius esset. Denique dolo quam frustra, niti, animum induxit, corruptisque per eruptionis simulationem praesidiariis, in castrum evasit. Hugo in primo aditu fortiter pugnans obtruncatus est, arce direpta et incensa, militi cetera cessere. His veluti invitamentis, animoque per aetatem et militum favorem incenso et praecipiti, proxima quaeque captare, plusque juvenilem impetum, quam consilia valere. Quamobrem qui res repeterent mox inde ad Rudolfum patruum Lauffenbergae dominum misit. Ipsum patre per bella absente, et post ejus obitum curatorem, suas fratrumque res parum ex fide tractasse, possessiones alienasse, mutasse mancipia, sanguinis et aequitatis necessitudinem haud magni fecisse. Illa omnia quamvis patruus negaret, et ad testamenti tabulas rationesque vocaret, non tamen tantum potuit, ut nepotis copias averteret. Is Lauffenbergensem agrum, subita manu invasit, multos vicos diripuit et incendit, animalia, aliamque praedam abegit, ferme loca omnia cum equitatu hostiliter accessit, et cum omni deinde multitudine ad suos rediit. At Lauffenbergensis profundius Rudolfi animum scrutatus, neque praedatione illa et vastitate contentum et nisi praeveniret, graviora insuper adportaturum Gotfridum, Eberardumque majores liberum expediri jussit et in Vindonissensem Comitatum per Vocetium irrumpere. Juvenes celeritate usi, sicuti praeceptum erat, ita mandata peregere, Pontemque Arulae opidum ex improviso, antequam fama eorum esset, aut Rudolfus subveniret, direptum nonnullis interfectis, inflammavere, vicos quoque plures, utroque montis latere vastaverunt. Crebrae hinc, sed haud aeque noxie populationes et velitationes fuere, donec paucis quae petebantur concessis, senior nepotem mitigaret. Non desunt qui Tuffensteinium Baronem, de quo supra

pra egimus, hujus occasione belli, cum Lauffenbergensium partes sequeretur, demum interfectum tradiderunt. Anno sequenti obiit Hermannus V. Marchio. Reliquit ex Hermingardi Hermannum VI. per Gertrudae conjugium Austriae Ducem primum, ex quo Fridericus Austriae Dux postremus: et Rudolfum, qui Marchionum Badensium stirpem ad haec usque tempora propagavit. Sub idem tempus gravi imperio Italiam premebat Fridericus, magnaque adversus sacrum ordinem praecipue saevitia et crudelitate grassabatur. Gregorius enim pontifex Innocentii decessoris sui adversus eum anathemata, decretaque et crucis publicationem instaurarat, quod contra pacta conventaque superiorum principum, Friderici imprimis Ahenobarbi avi Italiae statum convelleret, laceraretque, quod D. Petri patrimonium per vim teneret, jurisdictionem et libertatem Ecclesiasticam impediret et corrumperet, expeditioni sacrae obstaret, multa alia contra decus et jus Imperatorium patraret. At ille postremo exercitum Urbem adduxit, furoreque et vecordia, quoscumque cruce insignes offendit, aliis in crucis formam quatripartito caput diffidit, plurimis frontem in eumdem modum candenti ferro dehonestavit, clericos ante omnes pluribus suppliciis excruciatos necavit, templis, Monasteriis ejecit, prorsus nulla impietate et insania temperavit. Denique Innocentium IV. qui Gregorio IX. post brevem Caelestini IV. pontificatum, successerat, Italia expulit. Rudolfo inter illa per nobilitatis et militum frequentiam sumtus gliscere et impensis exhauriri, quaeque majoribus ad claritudinem in longum suffecerant, ipsi, pro animi amplitudine et magnificentia, brevi diffluere. Igitur, sive ita esset, aut ipse in re esse credebat, Hartmannum seniorem avunculum, junioremque Kiburgi Comites flagitare caepit, maternae dotis nomine, quasi conventis in matrimonium minus satisfecissent. Illi obnitebantur (a). Sed senioris de nepote ingens spes et amor, opinioque aderat, cumque liberos non haberet, haud dubie successorem destinaverat. Magnam interim pecuniam pluries largitus, magis coercuerat, quam sedarat. Etenim nobilitas eo duce, quidlibet ausa impulit, ut, quae denique per pacem et amicitiam suapte ventura erant, bello et discordia antecaperet. Igitur Aquensem Comitatum, qui proximus et confinis erat, primo occupavit, post Vitodurum et Kiburgum, Mersburgumque, cetera quoque capturus magno militum adplausu, quippe qui sibi praeter gloriam nihil reliquum faceret, omnia commilitantibus indulgeret, nisi uterque Comes in eam, quam vellet, pecuniam promisissent, si capta restitueret, praetenta desereret, ceteris omnibus in illam summam renunciaret. Accepit conditionem Habsburgiensis, non tam sibi et fratribus quod eo pacto satisfactum censeret aut vellet, quam quod ea interim in usum, cetera nihilo minus post accessura confideret. Quod ferme quidem contra vertit. Etenim senior Hartmannus commotior, magisque quam Rudolfus credebat ab eo alienatus, nepotes ut universa haereditate privaret, Argentinam accessit et quaecumque tenebat Ecclesiae Argentinensi, cum Hartmanni junioris voluntate tradidit et consignavit, mox rursum pro beneficio recepit, proprietate perennitus Episcopatui reservata. Praeerat tum Heinricus ex Comitibus ab Stalicke. Factae ejus rei literae ex quibus haec pauca addidi.

(a) Anno D. N. MCCXLIV.

Noverint (b) universi praesentes et futuri, quod ego Hartmannus Comes senior de Kiburg, ad honorem DEI omnipotentis, et beatae MARIAE Virginis pro remedio animae meae et omnium parentum meorum, libera donatione et sine omni pacto et cum consensu, et bona voluntate Hartmanni fratruelis mei contuli, tradidi et donavi Argentinensi Ecclesiae universas proprietates meas, videlicet, Kiburg, Vinterthur, Baden, Ustre, Vindegge, Vandelberge, Schennis, Liebenberg, et etiam Libenberg, Morsberg, Sedentenbern, cum omnibus aliis possessionibus, quae ad me spectabant, etc. Actum Herbolsheim Anno Dominicae Incarnationis MCCXLIV. VII. Idus Maji.

Anno sequenti vernalibus diebus, duxit Rudolfus uxorem GERTRUDAM (c), Ludovici Froburgi Comitis filiam, Rudolfi praepositi Zoffingensis, Hermanni Comitis ab Hohenberg, et Hartmanni Comitis Froburgi sororem, ex qua quotquot habuit liberos suscepit. Sed Innocentius pontifex ex Italia Genuesium popularium, et maxime Amediae Sabaudiae Comitis opibus, et comitatu in Galliam elapsus Lugdunum venit, ibique ex Cardinalium quos secum eduxerat et Ludovici Regis sententia, concilium, quod in Lateranum induxerat, peragere constituit. Missi toto orbe nuncii, qui publicarent, et ante omnes ad Fridericum, ne suae causae deesset. Multi antistites, principumque legati advenere. Imperator ne interesset, Italiam nondum pacatam, causam habuit. Pontifex Concilio adfecto, cum Fridericum saepius frustra citavisset, nec quisquam ad monita respondisset, decreto patrum, ordinumque, sententiam abdicationis pronunciavit XVIII. Kal. Septembris, quatuor maxime ex causis, prima, quod jusjurandum pluries violasset; altera quod Cardinales et alios antistites haud paucos, in vincula conjecisset; tertia fuit, ob certissima argumenta, quibus haereticum se probabat; quarta quod Siciliae regnum, Ecclesiae patrimonium vastasset diripuissetque. Verba abdicationis fuere. *Nos volentes divinam sententiam nostrae praeponere sententiae denunciamus Fridericum Rogierium a DEO excommunicatum, atque ab honore Imperii, atque regni Siciliae depositum. Nos ergo ipsi divinae sententiae nostram addentes sententiam, excommunicamus ipsum Fridericum Rogierium, et ipsum ab omni honore Imperii pariter et regni Siciliae deponimus* (d). Mox ad Germaniae proceres scripsit, alium Regem legere maturarent et Concilii sententiam exsequerentur. Convenere Virceburgi nonnulli et Sigfridi Maguntiaci antistitis studio et auctoritate, Heinricum Hassiae et Thuringiae Landgravium, Misniae Marchionem, Ludovici et D. Elisabethae F. Caesarem dixerunt. Bellorum ex eo et turbarum Germania impleta; Conrado hinc regnum et patrem, armis tegente: inde Heinrico ad spes novas et oblatam dignitatem adnitente. Apud Francofurtum uterque reges castra posuere, et praeteritis paucis diebus, per breves pugnas, denique Imperium in casum tradere constituerunt. Proelio nonis Augusti facto, Heinricus superior fuit (e). Conradus in Italiam ad patrem fugit. Ab

(b) Ex Chron. Schud. Mscr. (c) Anno D. N. MCCXLV. (d) Antoninus, Corius, Blondus, Platina, Nauclerus. (e) Anno D. N. MCCXLVI.

Ab eo tamen firma et constans magna Germaniae pars, et praecipue avitum patrimonium Suevia. Igitur Heinricus arma circumferre, pauca castella expugnare, alia tentare, Reutlingam cum inani eventu oppugnasset, obsidium Ulmam transtulit, urbem ejus exitio nobilem. Namque post paulum, fossas incautius circumgredientem ex moenibus allata sagitta interemit. Moniti rursum ab Pontifice Summo Principes regni Gulielmum Hollandiae Comitem, Florentii F. pauci Novesii congregati, praeside Cunrado Coloniensi Archiepiscopo et Petro Caputio ad Velum aureum Cardinali Diacono praesente, regem nominaverunt (f). Pridie Kal. Novemb. ingressum Aquisgranum sequenti die idem Coloniensis praesul coronavit, praesentibus jam ferme reliquis Imperii primoribus, Arnoldo Treverensi, Gerhardo Maguntiacensi Archiepiscopis, Ludovico Palatino Rheni, Duce Bavariae, Brandenburgensi, Saxone, Boheino, multis aliis utriusque ordinis. Cum tamen neque in Gulielmo quoque satis praesidii esse videretur, plerique se Rheni et magnae Germaniae partis principes et urbes faedere, contra quamcumque vim conjunxere, in quibus tres Archiepiscopi, Electores, Episcopi, Richardus Vormatiensis, Heinricus Argentinensis, Berchtoldus Basiliensis, Jacobus Metensis, Ludovicus Palatinus Rheni, Comites Liningae, Silvestres, Tubingae, Virnbergae, Ferretae, alii. Urbes Colonia, Maguntiacum, Vormatia, Spira, Argentina, Basilea, et utriusque Elsatiae Brisiacum, Colmaria, Slestadium, Mulhausium, Haginoa. Agitabant in Apulia Fridericus et Cunradus; ille remissior, et tamquam soli caelique ad ea loca dulcedine fractus et emollitus, an tamquam hostium in se machinamenta despicabundus (g): Cunradus exercitum quem in Germaniam duceret contra Gulielmum, moliebatur. Interea magna Eberhardum Constantiensem Episcopum, et Berchtoldum S. Galli Abbatem discordia intervenit (h); Episcopi praecipue insolentia, qui novis Abbatem exactionibus onerabat, insolitaque postulata urgebat, ventum utrimque ex contentione in bellum est, et proxima quaeque vastata. Sed Episcopo ex transrhenanis auxiliis vis major: Berchtoldus belli ducibus antistabat; adscitis Rudolfo Rapersuillae, cui vexillum commiserat, Hartmanno Kiburgi et Habsburgi Comite Rudolfo. Tradiderat et Cralto Comiti Toggenburgiensi ex sorore neptem, ut magis devinciret, sed illi fide et adfinitate Episcopi promissa et e vicino rapinae cariores fuere. Quidquid Abbatiscellanis montibus cultum et habitum ad flumen Urnacum est pervasit et diripuit, maximam pecoris copiam abegit, villas et magalia incendit. Contra Abbatis miles ductu Comitum Constantiae suburbana inflammavere, vites excidere, magnam quoque praedam fecere. Postremo acie decertaturi apud Episcopi Cellam opidum Constantienses: Niderbeuri vico Abbas et socii subsedere, dumque pugnae signum incensis utrimque animis exspectant, ortus de pace sermo eo processit, donec positis armis, ambo antistites convenerunt. Venit interea (i) Cunradus Caes. in Germaniam auctisque in Suevia et Bavaria viribus, in Elsatiam inferiorem contra Heinricum Argentinensem Episcopum exercitum duxit, acerrimum Gulielmi Batavi propugnatorem.

(f) Anno D. N. MCCXLVII. (g) Bellosa. (h) Anno D. N. MCCXLVIII. (i) Anno D. N. MCCXLIX. Chron. Elf. Lib. IV. cap. 63. Nauclerus gen. XLII.

Defecerat enim tota inferior Elsatia, Slestadio excepto, multa opida et castella partim Episcopus exsciderat, partim subegerat. Igitur ad opidum S. Crucis, Colmaria haud procul rex obsidionem tulit, brevique expugnatum evertit. Mox comperto validiores in se movere Episcopum copias, in Sueviam tantum non fugiens, et inde cognita Friderici patris morte, in Apuliam maturavit. Excesserat XVIII. Kal. Septembris (k), vel ut Stero, Corius alii prodidere, Eidibus Decembris, morbo, an Manfredi nothi dolo, incertum habuere. Blondus, Sabellicus, Platina, Corius, alii dolo: Collenutius morbo periisse scripserunt, Rassani, ignobili Apuliae opido, aetatis anno sexagesimo quarto, Imperii octavo et tricesimo, ejus seculi quinquagesimo. Conradus contra Innocentium, qui Lugduno, mortuo Friderico, in Italiam redierat, Apuliam, Siciliam, et quidquid ferme patrimonii fuit, recepit, ingravescentibus ejus absentia multo atrocius in Germania per factiones bellis. Eisdem temporibus (l) et contentionibus, quia damna quaedam intulerant Monasterio Vettingensi Rudolfus et Albertus, Caesariana dum castra sequuntur, aut suos contra hostes arma ferunt, praesertim Barones Regensbergenses, in venditione possessionum, quas augias vocabant in jurisdictione Dieticonensi, pretii magnam partem remiserunt in compensationem (m), ut ex subjecto instrumento liquet.

Rudolfus Landgravius (n) Alsatiae, et Albertus frater suus, Comites de Habisburg, universis Christi fidelibus praesentium inspectoribus in perpetuum. Vita brevis, memoria labilis, malitia temporis, mutatio personarum exigunt et deposcunt, legitimas hominum ordinationes scripturis commendari ut calumniantibus via malignandi eo facilius praecludatur. Noverint igitur quos nosse fuerit opportunum, quod cum venerabilibus in Christo, Abbati et Conventui Monasterii de Vuettingen, Cisterciensis ordinis, Constantiensis Dioecesis, per nos et nostros in publicis et communibus bellis, seu specialibus et alias damna plurima, sicut iidem asserunt et nos recognoscimus, fuerint irrogata, nos augias nostras vulgo Brunnouve dictas, in villa et banno, et terminis Parochiae Dietinckon sitas, praedictis Abbati et Conventui et eorum successoribus, et Monasterio, pro LXX. libris monetae Basiliens. cum omni jure, quod nobis in eisdem competebat vel competere videbatur, bona fide, sine omni fraude vendidimus et tradidimus, proborum consilio mediante, sub hac conditione, ut cum praedictae augiae longe ultra summam pretii praedictam, quam ex ipsa venditione, ad usus nostros recipimus, valere censeantur, residuum pretii earumdem, tam in recompensatione seu satisfactione damnorum praedictorum, quam remedium nostris cedat et nostrorum parentum animabus, in hoc facto taliter ordinantes, ut easdem augias partim ratione venditionis, partim ratione donationis, partim ratione satisfactionis, sine contradictione qualibet, praedictus

(k) Anno D. N. MCCL. (l) Anno D. N. MCCL. (m) Anno D. N. MCCLII. (n) Ex autographo.

Abbas et Conventus, et eorum successores in perpetuum valeant possidere. Praedictis etiam religiosis, et eorum Monasterio, nos et nostros successores praesentibus firmiter et fideliter obligamus ad praestandam eisdem de praedictis augiis, plenam vuarandiam in omni loco et tempore, ubi et quando super hoc fuerimus requisiti. Ad majorem quoque praemissorum firmitatem, renunciamus omnis juris subsidio Canonici et civilis, consuetudinibus, constitutionibus editis et edendis et omnibus aliis, quocumque nomine censeantur, occasione quorum praemissa ordinatio per nos, vel nostros successores, aliquo ingenio vel malitia, seu calumnia hominum nomine nostro et nostrorum retractari posset, aut aliqualiter impugnari praesens instrumentum de nostro rogatu et consensu confectum et conscriptum, saepe dictis religiosis conferendo, tam venerabilis patris et Domini Berchtoldi Dei gratia Episcopi Basiliensis Ecclesiae et Domini Arnoldi ejusdem Ecclesiae praepositi, quam nostris sigillis patenter et legitime communitum. Nomina autem praemissae ordinationi praesentium sunt haec; Heinricus et Hermannus de Gruninberg et Joannes de Bonstetten, nobiles. Diethelmus Pincerna, Arnoldus Dapifer de Habisburg, Valterus, et Hermannus, et Arnoldus de Volon, Gerardus et Hermannus et Berchtoldus de Tegiruelt, Volcherus et Cunradus et Rudolfus filii ejus, cives de Bruche. Fratres Heinricus Cellarius et frater Ulricus conversus de Albis Monasterii memorati. Acta sunt haec in ponte Vuodinouve Anno Domini MCCLII. in mense Majo, decima die mensis ejusdem, indictione decima feliciter.

Ex quo id quoque magis testatum est HABSBURGIENSES etiam inter arma et tot malorum, quae ea consequuntur portenta, semper pietatis meminisse justitiae et rectitudinis, quod supra tetigimus. Inde quoque quilibet agnoscit Albertum Habsburgiensem in Germania vixisse hoc tempore, bellasseque, neque, ut plerique tradunt, sub Friderico in Italia periisse, aut captivam vitam finisse. Sed posteaquam vita quoque Cunradus expulsus est, idemque per scelus Manfredus sustulit, tum vero atroci et exitiabili, veluti solutis habenis, Germania omnis concussa discidio est. Nam neque Gulielmo vires dignitati pares aderant, aut in tantum auctoritate adoleverat, et longis infestisque Pontificum et Imperatorum contentionibus, regni statu convulso, disciplina, obsequiaque tamquam incerta aboleverant, dumque in hunc aut alterum studia inclinant, omnium imperium exuerant, adeo nihil usquam pristini moris, nulla legum reverentia, nullus magistratuum honos, aut metus, prorsus omnia, aequumque, nefasque, pari discrimine polluerant. Principes ipsi Imperii, quos Reipublicae cura, decusque propius tangere debuerant, mutuis sese armis petere, lacerare, subditos novis exactionibus et collectis; ceteros vectigalibus insolitis et portoriis exspoliare, perdere. Nobilitas aut pariter se, aut vicinas et liberas urbes vexare, lacessere, dolo, vique persequi. Civitates quoque secum per factiones et partes dissidere, turbare. Omnes interea rapinis grassari, aliena invadere ferro, incendiis saepius injuriam ulcisci, omnino quidquid effrena lubido suadet, illud idem pari vecordia perpetrare, divina, humana, sacra, profana ex aequo habere. Eadem causa fuit non paucis urbibus et communitatibus, quarum opes minus validae, aut ad injuriam opportuniores erant, praefectos et militiae Duces adsciscendi, quibus Reipublicae curam summamque committerent, quorumque auctoritate vel per quietem agitarent, aut auspiciis et ductu pericula repellerent. Itaque tres Communitates Urania, Suitia, Silvania, quam in avo potentiam ut libertati infidam formidaverant, ubi periculum advenit, apud nepotem Rudolfum ultro quaesiere, stipendioque et prece rebus suis praesideret, haud invitum perpulerunt. Nam et inde militem sperabat, et grave tum cum Berchtoldo ex Comitibus Ferretanis, Basiliensi Episcopo certamen inciderat. Jura quaedam in Comitatu Elsatiae, super antiquam Habsburgiensium et Ferretanorum aemulationem, usurpata Episcopo dicebantur, ceterum ex partibus odium incenderat, Berchtoldo pontificum contra superiores Reges decreta et Gulielmi imperium defendente; Habsburgiensi Batavum spernente, et regum memoriae fido. Sed Rudolfo praeterea aderant Gerardus a Goesgau, Heinricus a Palma, Rudolfus a Vetisuilla, Heinricus a Chienberga, Gerungus a Tegerfelda omnes Barones et militiae cingulo insignes, totaque ferme utriusque Episcopatus Constantiensis et Basiliensis nobilitas. Eo milite per intempesta noctis inopinato Basileam adgressus proximum suburbium diripuit et incendit, multaque praeda ad suos reversus est (o). Absumtum eodem igne sanctimonialium D. Magdalenae Monasterium. Id facinus tamquam sacrilegum, Berchtoldus Episcopus sanctimoniales admonuit Innocentio pontifici notum facerent, querelas adjungerent et preces, damna inprimis exponerent. Fore enim ut repararentur, aut sacris exclusi auctores facinoris omnium odium inciderent. Summus Pontifex in hunc modum rescripsit (p).

Innocentius Episcopus servus servorum DEI venerabili fratri - - - - Episcopo Basiliensi salutem et Apostolicam benedictionem. Dilectae in Christo filiae, Priorissa et Conventus Monasterii monialium poenitentium beatae Mariae Magdalenae Basiliensis, sua nobis conquestione monstravit, quod nobiles viri Rudolfus Comes de Habesburch, Gerardus de Gesinckon, Heinricus de Palma, Rudolfus de Vediswiler, Heinricus de Kienberch, et Gerungus de Tegerveld milites, quondam Friderico olim Imperatori, et Cunrado nato ejus, contra Ecclesiam adhaerentes, cum quibusdam complicibus suis Basiliensibus et Constantiensibus civitatibus et dioecesibus ad Monasterium ipsum, manu armata noctis tempore hostiliter accedentes, ac ipsum DEI timore postposito, ausu sacrilego devastantes, incendio eisdem, Priorissae et Conventui in personis et bonis suis laesiones, ac damna non modica intulerunt. Quocirca fraternitati tuae per Apostolica scripta mandamus, quatenus si ita est, dictos sacrilegos tamdiu appellatione remota, excommunicatos nuncies

(o) Anno D. N. MCCLIII. (p) Anno D. N. MCCLIV.

cies et facias ab omnibus arctius evitari, donec passis injuriam satisfecerint competenter, et cum tuarum testimonio literarum ad sedem venerint Apostolicam absolvendi ipsos, quod de damnis illatis et irrogatis injuriis satisfactionem plenariam dictis Priorissae et Conventui, ut tenentur, impendant, monitione praemissa, per excommunicationis sententiam in personas, et interdictum in terras ipsorum, appellatione remota, compellens, non obstante, si aliquibus a Sede Apostolica sit indultum, quod excommunicari, suspendi, vel interdici, aut extra certa loca evocari ad judicium, seu terrae ipsorum per literas Sedis ejusdem supponi nequeant Ecclesiastico interdicto. Datum Anagniae XII. Kal. Septembris, pontificatus nostri anno XII.

Sed Innocentio brevi postea Neapoli exstincto (q), Episcopo mandata exsequendi animus defuit, pacemque Rudolfi et amicitiam bello et pontificio decreto antetulit. Etsi vero Germaniae superiora Gulielmo parum obsequerentur, tamen, quasi Germanici Imperii certus, conventum Coloniae habuit exeunte Junio (r), ac in proximi anni Martias Kalendas expeditionem Italicam accipiendae coronae indixit, juventa, manuque et ingenio promtus, si fortuna perinde adfuisset. Etenim dum cetera expeditionis molitur, graviter ex improviso nuncius perculit, Frisios Hollandiam irrupisse, praedamque ingentem exegisse, bellum crudele habere. Unde ex metu, ne per absentiam atrociora inirent, in Frisiam convertit Decembri mense. Regionis solum aestivis diebus, aquis, vadisque prope invium, tempus anni aperuisse, firmasseque videbatur. At ipsum paucis comitibus, paludes tentare ausum, priusquam exercitum transmitteret, vorago frustra enitente equo hausit: aut coorta Frisiorum ex insidiis manus; nam utrumque tradidere incognitum, ignarumque oppressit V. Kal. Januarii, aetatis anno septimo et vicesimo. Eodem quoque tempore obiit Albertus Habsburgiensis, cum in Elsatia ferme egisset, Vettingae sepultus est, primus suae stirpis, redditque omnium rerum possessio, mortuo jam ante Hartmanno ad Rudolfum. Sed Gulielmi mors gravem Germaniae proceres inter discordiam de Imperatore novo generavit. Scripserat Alexander pontifex, Gulielmi exitio audito alium subito subrogarent, neque in incerto regni spes et opes sustinerent. Illi per plures Conventus in diversa trahebantur, dumque alter alteri nemo concedit ad externos postremo (s), contra Germanicae nationis decus et dignitatem, Imperiique instituta et leges, per contentiones se converterunt, sive tum quoque promissis et auro corruptae mentes peregrinam gloriam famae domesticae praeposuere. Richardum alii Cornubiae Comitem, Joannis Regis Angliae F. Heinrici tunc regnantis fratrem, Comitiis Francofurtensibus circiter Eidus Januarias Regem nominaverunt; in quibus fuerunt Conradus Coloniensis et Gerhardus Maguntiacensis Archiepiscopi, Ludovicus Palatinus Rheni, et frater ejus Heinricus Dux Bavariae. Contra Arnoldus Trevirensis et ceteri, in ejus despectum pridie Kal. Junii Alfonsum X. Castiliae, et legionis regem, cognomento sapientem, etiam externum, sed Richardo potentiorem Caesarem dixere. Suevici nonnullo ad hoc sanguinis favore, matre Beatrice, Philippi Caesaris filia et Friderici Ahenobarbi nepte. Missi ad utrumque designationis nuncii. Et Richardum, paucis diebus, Aquisgranum perductum, Coloniensis Antistes Imperialibus ornamentis insignivit. Inde Rheno adverso, Basileam usque advectus est. Verum, ubi Imperii titulum oneri sibi magis et sumtui esse, quam honori et emolumento animadvertit, principes alios exhaustis, quos ostentarat thesauris, diffluere, sese relinqui, solitaque obsequia deficere, neque obtinendo aut restituendo regno, opes et fortunam suppeditare, unde prius venerat, brevi porro in Angliam inops et inglorius reversus est. Alfonsus honorem magnum et gratum habuit (t). Ne tum inire aut frui posset, Philippi fratris rebellio et eo sollicitante, imminentes Hispaniae Mauri praepediere. Rudolfus eodem anno post fratris obitum, quasdam venditiones, Beronensi Ecclesiae a nobilibus suis a Baldeg factas adprobavit.

Rudolfus Comes (u) de Habsburg universis in Christo fidelibus salutem et rem gestam. Opus justitiae agitur cum bonae fidei contractus debito statu conservantur: Sciant igitur universi, quod Domina vidua, Hartmannus miles M. et M. Canon. Beron. dictis de Baldegga praedia sua in Vualde in deme Gerute, Magistro Petro Canon. Beronen. titulo legitimae venditionis tradiderunt de nostra voluntate et consensu, renunciantes pro se et suis successoribus prorsus omni juri sibi in eisdem bonis competenti, ut a dicto Petro in praedictis bonis difficultas, vel impedimentum nequeat in posterum ullo cavillationis articulo generari, praesentes literas, nostram auctoritatem eisdem protestando, sibi duximus concedendas, nostri sigilli munimine, cum sigillo dicti Hartmanni militis et Ecclesiae Beronensis nomine et vice partium communitas. Acta sunt haec Anno Domini MCCLVII. X. Kal. Maj. Indictione XV.

Et exeunte eodem anno.

Universis praesens scriptum inspecturis Rudolfus Comes de Habsburg salutem et rei gestae notitiam. Tenore praesentium profitemur, quod nos venditionem unius scopolae in Vualde a dilecto ministeriali nostro Hartmanno militi de Baldegga, de qua a nobis fuerat infeodatus, Magistro Petro Canon. Beronens. nomine et vice praedii legitime factam, ratam et gratam habentes, ipsam praesentibus duximus confirmandam. Ut autem dicta venditio veritatis suffulta remedio in posterum nequeat aliqua calumnia perturbari, praesens instrumentum fecimus sigilli nostri munimine roborari. Acta sunt haec Anno Domini MCCLVII. XII. Kal. Januarii.

Paucis post diebus litem et controversiam capitalem, quae Communitatem Uraniorum universam multos jam

Y 2

(q) VII. Eidus Septembris eodem anno. (r) Anno D. N. MCCLVI. (s) Anno D. N. MCCLVII. Stero annal.

(t) Gonzalo de Illescas pontif. hist. L. V. cap. 39. et de regibus Castiliae et Legionis cap. 12. (u) Ex autograph.

jam annos exercuerat, per factionem duarum familiarum Iselingorum et Fruoberorum, Rudolfus tamquam praefectus, tandem abolevit, electis ex tota Communitate XL. viris, qui de contentione judicarent, et sexaginta librarum argenti poena denunciata infractoribus pacis in suum fiscum redigenda et totidem parti laesae tribuenda. Acta sunt Altorffi vico Uraniorum maximo, Dominica ante Nativitatem Domini, eodem anno. Interfuerunt praeter Rudolfum Comitem, ejus adseclae et amici, Valterus a Vuolhause, Rudolfus a Palma, Ulricus a Russegge, Ortolfus ab Utzinge, Petrus a Chiemberg Barones, Rudolfus et Heinricus a Kussenach, Hartmannus a Baldech, alii. Tertio ab hoc anno, ejus seculi nono et quinquagesimo mense Octobri, facta venditio Dieticonis et Slieronis, vivente adhuc matre Rudolfi Heiluige, ut ex instrumento cognoscitur, cujus copiam supra fecimus. Gotfridus Habsburgiensis suo et fratrum nomine, eam adprobavit mense Decembri Corbiniaci.

Universis Christi fidelibus (x) praesentium inspecturis Gotfridus Comes de Habispurg in perpetuum. Cum praedil. cti mei, videlicet, patruelis meus Rudolfus Comes de Habisburg, Landgravius Alsatiae, et Rudolfus et Eberardus fratres mei, praedia, possessiones, jura, districtus, bannos, quae in Dietinckon et in Slieron tam idem patruelis, quam ego et iidem fratres mei divisim vel conjunctim, seu communiter in terra, super terram, in aqua, super aquam, dinoscimur habuisse, honorabilibus in Christo Abbati et Conventui de Vuettingen Cisterciens. ordinis, Constantiens. Dioecesis, et ipsorum Monasterio, pro quingentis quadraginta marcis argenti, ponderis Turicensis, nomine suo et meo, nec non auctoritate publice libere vendiderint, resignaverint, tradiderint et donarint, Comitatu et jure ipsius comitatus, nec non jure patronatus, Ecclesiae in Dietinckon, cum advocatia super dotem ejusdem Ecclesiae, mihi et fratribus meis Rudolfo et Eberhardo, Comitibus, ad manus nostras et dominium reservatis totaliter et exceptis, sicut in instrumento publico super hoc facto plenius invenitur. Ego, ne factum proprium videar impugnare, praedictas venditionem, resignationem, traditionem, donationem, sponte, bona fide, sine omni dolo et fraude ratas habeo et pergratas, et omnia praedicta bona et jura praefatis religiosis et eorum Monasterio, ad pleniorem cautelam trado praesentibus et resigno, firmiter promittendo et me firmissime obligando, quod infra quatuordecim dies, postquam ad patriam fuero reversus, omnia, quae praenotati patruelis et fratres mei, circa praemissum contractum nomine meo fecerunt, vel se facturos promiserunt, obligaverunt, vel adhuc facient et promittent, sine difficultate qualibet et protractione perducam ad effectum, secundum quod praefati Abbas et Conventus a me duxerint requirendum. Et in hujus rei testimonium non solum praesentem literam, sed etiam publicum instrumentum, super ipso contractu specialiter confectum, et sigillis venerabilium in Christo Constantiens. Basiliens. Episcoporum et quorumdam aliorum insignitum, eisdem transmitto, inter alia mei sigilli munimine patenter communitum. Datum et actum Corbiniaci in Ecclesia S. Leonhardi Anno Domini MCCLIX. in festo S. Luciae, Ind. III. praesentibus, quorum nomina sunt haec, Venerabilis pater Dominus Guido Abbas S. Leonhardi Corbiniacens. Prior, fr. B. Capellanus, Magister P. Clericus Abbatis jam dicti. Eberhardus frater meus, Mangoldus de Buochheim miles, et frater Ruegerus Monachus de Vettingen.

Paulo ante confirmavit Rudolfus venditionem factam ab Hartmanno nobili a Vange Ecclesiae Beronens.

Universis (y) praesentem paginam inspecturis Rudolfus Comes de Habsburg et Landgravius Elsatiae, notitiam rei gestae. Noverint igitur omnes, quos nosse fuerit opportunum, quod nos venditionem praedii siti in Ibimose, factam ab Hartmanno ministeriali nostro de Vuangen Ecclesiae Beronens. gratam et ratam ex parte nostra et nobilium Comitum Gotfridi, et Rudolfi et Eberhardi de Habsburg dilectorum patruelium nostrorum habemus. In hujus rei testimonium praesentem literam dictae Ecclesiae Beronens. nostri sigilli munimine confirmamus patenter communitam. Datum sive Actum apud Arouve Anno Domini MCCLIX. II. Nonas Novembris Indict. III.

Clara per ea tempora et celebris fama Germania tota, et per exteras gentes, Premislaum Bohemiae Regem, avito cognomento Othacarum ferebat, bellique laude, et gestarum rerum gloria longe super alios erat. Nam et brevi Austriam universam subjecerat, pacaratque, et Prutenis devictis, Carinthiaque pretio emta, et Carnis, et Forojulianis, et Veronensibus in deditionem acceptis, regni terminos ab Baltico mari, ad mediterraneum usque protulerat, nomenque Bohemicum et arma longe lateque diffuderat, animo ingenti, immodico, immoderato, laudis et Imperii insatiabili. Ad eum Rudolfus se contulit ineunte anno sexagesimo ejus seculi, fervidus et inquietus, ipso flore juventae, tricesimum enim secundum aetatis annum agebat, sive honorem inde et opes speraret, aut antiqui Germanorum moris aemulatu, quibus otio domi, bella per extraneas gentes quaerebantur, ingrata quiete, et faciliori inter ancipitia claritudine. Rex volenter accepit et laetus, perspectaque brevi virtute, maximis cumulavit honoribus regioque palatio, amplissima dignitate, praefecit. Neque etiam diu fuit, cum belli artibus quantum quoque posset expertus est. De Stiria Belam inter Pannoniae Regem et Othacarum certamen aderat. Illam expeditione Austriaca, Pannonio, veluti partem ex tanta praeda, ne coeptis reliquis obsisteret, Othacarus reliquerat; mox bello confecto, et rerum felici eventu, tamquam Austriae Ducatui junctam provinciam repetebat. Post etiam Pannoniae insita lubidine Regum, inhiabat. Spes augebat praeteritis annis, illi regno

(x) Ex autographo.

(y) Ex autographo.

regno ab Tartaris accepta clades, juventus interfecta, profuga, aut in ſervitutem rapta, regni opes et inſtrumenta belli avecta. Ad hoc oppida et arces exciſae aut fractae, Strigonienſi et Alba regia exceptis. Prorſus impares vires, et ſuper omnia Bela, pace quam bello melior. In Moravia rex uterque cum copiis obviam fuere. Belae praeter Hungaros Stephanus filius, et Apra Cumanorum dux, cum auxiliariis aderant. Equitatui, quo maxime pollebat, Othacarus Rudolfum praeſidere juſſit, et more gentis praelium inire. Pugna atrox et exitiabilis fuit, haud minus aeſtu, per anni tempus (z), feſſis et languidis, quam ferro et vulneribus debilitatis. Poſtremo Pannonii terga verterunt. Capta quoque eodem impetu caſtra. Bela paucis Comitibus Haimburgum tenuit. Fuiſſe Hungaro, refert Martinus Polonus ad hunc annum, circiter quadraginta millia equitum: Bohemo centum millia, in quibus millia ſeptem equorum ferro cooperti (a). Addit in conflictu et agitatione quadripedum tantum excitatum pulverem, ut medio diei homo hominem cognoſcere non potuerit. In fuga vero praeter acie interfectos ad proximum flumen, Teiſam vocant adcolae, ſubmerſa quatuordecim millia. Eadem victoria Stiria Auſtriae reddita, et Premiſlao animus multo impotentior et intolerantior factus. Qua ſuperbia, inſolentiaque Habsburgienſis offenſus, aut, quia Comitatui Elſatiae orto Argentinenſi bello timebat ex vicinitate, ſive omnibus imperaturum fata degenerare alieno obſequio renuebant, in Germaniam ſuperiorem ex Bohemia rediit. Haud me fugit Dubravium Epiſcopum hiſtoriae Bohemicae ſcriptorem (b) pugnam illam, in qua Rudolfi virtus maxime enituit cum Stephano, poſt Belae patris mortem, tradere apud Boſonium debellatam, quod quidem quantum ad Habsburgienſem pertinet, contra eſt. Nam cum Pannonum annalibus proditum ſit (c), Belam, ejus ſeculi anno quinto et ſeptuageſimo, in Budenſi Inſula poſuiſſe vitam, Rudolfo autem imperium delatum ſit tertio anno et ſeptuageſimo, manifeſtum ipſum, eodem anno, et aulae Othacari, et imperio praeeſſe non potuiſſe. Rectius crediderim notare Steronem (d) Pugnam illam conſeruiſſe quidem Stephanum, ſed vivente patre Bela. Poſt eam pugnam anno decimo obiiſſe Belam. Sed ubi Rudolfus in Germaniam ſuperiorem regreſſus eſt, multa eum et varia bella ſuſcepere, quae interim exercerent, poſtremo turbulentis Imperii rebus pararent, et tantae molis capacem redderent. Primum Argentinenſe fuit (e). Valterus ex Baronibus a Geroldſeck ut Epiſcopatum ingreſſus eſt, inſolita et nova exigere vectigalia, et jura ex civibus coepit. Ipſi contra ire et ſuperiorum Epiſcoporum privilegia, et civitatis leges, et inſtituta proferre, iis inniti et denique omnia malle, quam illa deſerere. Epiſcopus ni moram gerant, ſacrorum interdictionem minari: tum vero veluti ſubjectis facibus multitudo furere, arma rapere, factoque globo, urbe prorumpere, arcem Haldenburgum, quae cervicibus imminere videbatur, exſcindere, foſſas explere, collem univerſum pervadere, vaſtare. Quae ut per improviſum Epiſcopo advenerunt, ita maximo opere inflammavere. Itaque Canonicis, cleroque omni interdicti metu, et ſacerdotii, munerisque privatione urbem relinquere praecepit; dictoque audientes fuere. Unum Berchtoldum ab Ochſenſtein Decanum, aetas et valetudo excuſavere, alterum Heinricum a Geroldſeck cum Valtero propinquo ſimultas vetus, aut quia bellum improbabat. Canonicos ſecuta nobilitatis magna pars, ipſis et Epiſcopo devincta, aut obnoxia. Sed ubi urbe omnes exceſſere, tum vero ſacris omnibus interdixit, divinorumque officiorum et ſacramentorum uſum prohibuit, bellum ſumma ope paravit. Accita auxilia Trevirenſis Archiepiſcopi cognati, Abbatum S. Galli et Murbaci: in primis Rudolfus Habsburgienſis, et multi alii Comites, et nobiles. Cives viciſſim omnium domos, qui abierant, diruerunt, bona publicarunt, eorum memoriam funditus exſtirpavere. Epiſcopus denique locum caſtris Holtzheim inter et Lingelheim, ineunte Junio cepit, hoc etiam, quia praeſidio tenebatur, obſedit et occupavit, data, qui defendebant, in urbem redeundi facultate. Poſt tentoria Koenigshoffen transtulit. Eo ſecutus Trevirenſis. Sed ſuccedentes carros cum impedimentis civis Beutſpil nomine ex moenibus conſpicatus eruptione facta, paucis qui obnitebantur interfectis, armata manu in urbem perduxit. Quae ubi caſtris diſperſa ſunt, pudore, iraque et damno ſtimulatus Trevirenſis, adſumtis in expeditionem Liechtenbergenſibus, Hunenbergenſibus, nonnullis aliis exercitus primoribus, moenia cum ſuis copiis inveſit, portamque Aurelianam obtruncatis cuſtodibus intrumpit. Acris deinceps et ambigua illo in ſuburbio pugna fuit, non pauci utrimque interfecti, viris, feminis, pueris bellantibus. Repulſus poſtremo Trevirenſis feſto die D. Margaritae et induciae trimeſtres ſecutae. Interea multa Rudolfi nepotis fama et gloria, Hartmannum Kiburgienſem poenitere coepit donationis, in ejus injuriam et contumeliam Argentinenſi Eccleſiae factae. *Rogare igitur Epiſcopum per iram et animi dolorem facta remitteret, ſe non minus et ſua in ejus voluntate et obſequio fore. Et quid ab nepote ſperare poſſit experimentum cepiſſe.* Sed eadem multo ardentius Rudolfus per induciarum tempus flagitabat. Adhoc merita ſua, patriſque et majorum, quae apud urbem, Epiſcopoſque extarent, quoſque praeterito bello et aliis, ipſe ſumtus feciſſet, quid porro praeſtiturus eſſet pluribus enumerabat. Poſtremo, cum omnia Epiſcopus abnueret, *quia*, inquit, *tibi neque meritorum ulla ratio eſt, neque memoria, nec quid deceat et amicos retineat, aut reddat obnoxios magno ponis in diſcrimine, quando ita vis et experiri inimicum mavis, quam animum et facta benevolentis agnoſcere, et jam id quoque tua facta poſtulant, Rudolfum Habsburgienſem ex amico et auxiliari hoſtem, et eum infeſtum, accipe. Nam maternam haereditatem neque tu neque alius, donec hoc teget ferrum latus, eripies. Et quando aliena avidius, quam fas eſt hauris; tua tibi mox peritura ſcito.* Neque vana omnino ſententia fuit. Argentinenſes enim ubi praeter opinionem has exortas inimicitias accepere, continuo ad Rudolfum legatos miſerunt primores civitatis, qui praefecturam urbis et belli, contra Epiſcopum, ducatum offerrent. Quae res ut inopinata, ita Rudolfo gratiſſima fuit, quod ipſe facturus erat, ultro eos anteveniſſe. Igitur accepta urbis et belli cura, in id omnem operam vertit. Comites Hartmannum juniorem Kiburgienſem, Cunonem Friburgenſem et Henricum Neoburgenſem conſanguineos, alioſque quam pluri-

(z) Pugnata enim XIII. Kal Auguſti, aut ut alii, III. Eidus Julii. (a) Chron. Mar. (b) Lib XVII. hiſt. Boh. (c) Bontinius XVII. rerum Hung. (d) Annalium libello. (e) Anno D. N. MCCLXI.

plurimos in belli societatem traxit. Argentinenses, cum illis et magno equitatu urbem ingressum, ingenti omnium ordinum et multitudinis universae adplausu, resonantibus undique ad publicam laetitiam campanis, excepere. Progressus ipse in forum, eum ad locum, ubi illi postea statuam equestrem statuerunt, sacramentum omnes adegit, vicissim civitati fidem suam obligavit, dilectum habuit. Hinc crebrae excursiones et quidquid extra moenia Episcopensium fuit incensum et vastatum. Non minores ab illis clades accipiebantur. Pars suburbana civium villas, domos, vineas, prata, sata inter se, tanquam omni spe pacis interemta, partivere. Natalitiis diebus ineuntis anni (f) civium manus, Duce Rudolfo, nobilium a Vickersheim arcem eversuri, unde frequentia per excursiones damna veniebant, in vicum Brensuickersheim concessere. In eo vini copia reperta rei bene gerendae occasionem corrupit. Sed Episcopus hostium adventu cognito, suis subito signum dari jussit. Convenere mora nulla equitum peditumque ex pagis et castellis vicinis multae copiae. Cum illis collem, qui Vickersheim et Kolpsheim interjacet, insedit avidus pugnae et ex militum ampliori numero victoriae securus. Planitiem tenebat Rudolfus. Et in ipso spes omnis eventus, urbana plebe concitandis turbis quam sustinendis acriore. Utrumque exercitum ne congredi possent, torrens vado incerto et ripa praecipiti distinuit. Argentinenses, cum satis Rudolfo fuisset, omnem suspicionem metus, aliquanta mora subterfugisse, ordine servato in urbem redierunt. Pauci, quos potatio largior in somnum dederat aut titubantes disjecerat, trucidati ebrietatis et immodestiae poenas luere. Nonnullae sub haec hostium cohortes Villariam vallem (Villerthal) quae Rudolfi erat, introgressi populaverunt. Tenebant illa tempestate Episcopi Argentinenses multas in utraque Elsatia Imperii liberas urbes, illisque Imperatoris nomine praefectos dabant, justitiae arbitros et libertatis defensores. Sed ea tamdiu fuere, quandiu ab Imperatoribus metus et dignitas superavit. Ubi post Fridericum interregnum successit, ut aliis Imperii partibus, ita in urbibus illis plus praefectorum lubido et violentia, quam aequitas et modestia potuere. Tales inter alias erant Mulhausium, Colmaria, Kaisersberga. Igitur bello Argentinensi in partes ferme discessere: pars Episcopum; alii civium causam tuebantur. Colmariae erat civis, Joannem Rasselmannum vocabant, qui summum tum magistratum in ea urbe gerebat, opibus et popularium favore, et propinquorum copia, etiam privatus, facile princeps. Eum ut suspectum, factio Episcopi urbe et magistratu dejecit, et ne de eo referri posset, legem pertulit. Ipse injuriae impatiens, simul quia Rudolfi amicitia utebatur, ad eum se recepit, et de Colmaria dolo occupanda consilia communicavit. Dies, nox, hora insidiarum constituta. Rudolfus ut firmior esset, ab Gotfrido patrueli subsidium postulavit. Rasselmannus vero dolio per fraudem opido illatus, cum amicis, quae cum Habsburgiensi convenerant, et proditionis ordinem comparavit, temporique eorum opera unam portam tenuit. Substiterat haud procul uterque Comes, signumque opperiebantur. Quod ubi ex incenso ab hasta straminis manipulo, sicuti constitutum erat acceperunt, facto impetu, illa quae patebat porta, in opidum perrupere, ingentique clamore, HEIC HABSBURGUM, ingeminato, ita hostes exterruerunt, ut nemo opponere, aut contra tendere animum induxerit, multi ex urbe seminudi et inermes profugerint. Ita Colmaria in potestatem redacta: cives sacramentum Rudolfo dixerunt. Haec ubi Mulhausium perlata sunt, quae non minus atque Colmaria intestinis inter partes contentionibus aestuabat, non pauci, secretis cum Rudolfo nunciis egere, eorum quoque curam uti acciperet. Si cum milite urbem accessisset, portas se aperturos et in ejus potestate fore. Sicuti rogaverant Rudolfus exsecutus est. Sed Mulhausio capto, major ab arce, quam Episcopi praefectus tenebat difficultas, et belli moles se ostendit. Eam cum se dederet frustra flagitavisset acri civium studio, nam inde extorsiones, et injurias frequentes acceperant, ejusque exscidium precabantur, Rudolfus circumsedit. Obsidio in hebdomadam duodecimam tolerata obsessos ad extrema adegit. Cum eruptionem omnibus deficientibus, tentatos Comes repulisset, deditionem fecere. Arx funditus eversa, turribus duabus receptis, quae moenium partem claudebant. Mulhausii et arcis compos, cum alia quoque castella pleraque in potestatem venissent, totius Elsatiae inferioris imperium Rudolfus consecutus est, adeoque quidquid, Saletione, Rubeaco excepto; Basileam usque porrigitur, in ejus dominationem concessit. Interea qui Colmaria evaserant, paucis vicinae nobilitatis in auxilium sollicitatis, eadem qua Rudolfus arte, urbem recipere conati sunt, eamque obscura nocte introgressi, magna item sublata voce, hic Episcopus, Rasselmannum excitavere, qui ne majus flagitium esset, amissa urbe, quam prius recuperatae gloria, paucis e familiaribus et vicinis una raptis, medio se pugnantium globo intulit, fortiterque dimicans primus obtruncatus est. Amici ejus caede non tam fracti, quam jam quoque ad ultionem animati, multo atrocius in hostem invasere, paucisque eadem qua venerant, porta elapsis, ceteros omnes trucidaverunt. Dum haec utraque Elsatia geruntur, claram victoriam Argentinenses de Episcopo retulerunt, quae adeo ipsum adfecit, ut paulo post moerore ac taedio vitam exuerit. Quidam (g) Rudolfum pugnae praefuisse, alii secus tradidere, pugnatamque eam dum Mulhausianam arcem obsidet. Ego ejus quidquid est in medium relinquo. Episcopo exstincto et lassitudine belli, Canonici cum civibus in gratiam redierunt Anno D. N. MCCLXIII. Henricumque a Geroldseck qui civitate non excesserat, et in civium causam propendebat, veluti concordiae et pacis arbitrum Episcopum legere, qui ut Rudolfum quoque devinciret, nec Canonicis minus, quam civibus amicum et benivolentem haberet, instrumentum donationis Kiburgiensis avunculi reddidit, et in sumtum, praeteritique belli operam, magnam pecuniae summam. Instrumentum Rudolfus accepit, pecuniam, eadem magnificentia non modo repudiavit, sed etiam quas tenebat, Episcopatus urbes restituit. Eodem tempore interfectus Richardus Cornubiae Comes (h), quem nonnulli principum Caesarem salutarant. Tigurini, qui ejus partes acriter contra Cunradi-

(f) Anno D. N. MCCLXII.

(g) Chron. Arg. Mscr. Chronicon Elsat. inf. Lib. IV. cap. 64. et seq. (h) Polydorus valetudine exstinctum tradit, alii vi adhibita.

radinum, Cunradi Caesaris filium susceperant, is paulo ante in Germaniam superiorem ex Bavaria venerat, ubi hactenus mater Elisabetha Othonis Bavariae Ducis filia Ludovici palatini et Heinrici Ducis soror aluerat, continueratque ingentis spei adolescentem, et Sueviae Ducatum amicorum et clientum, avunculorumque opibus recuperarat, Tigurinos, tamquam veteris Allemanniae partem, post Zeringensium obitum, repetebat) ea caede perculsi et nullo imperante, multis undique turbis, ad Uldaricum Regensbergae Baronem vicinum, et opulentum legatos destinavere cum precibus, urbis et Reipublicae protectionem susciperet, omnia se clientelae officia executuros, stipendiumque, pro suis opibus amplum et honoratum praestituros. Ille animi immodicus, superbiaque et opulentia vecors, negavit sibi aut eorum argento, aut clientela opus esse; aurum et subditos superare. Quod si dominum se accipere malint, daturum operam, ne sui eos imperii poeniteat: secus nihilominus tanquam retibus pisces circumseptos, involutosque tenere, castrisque et arcibus, et oppidis praedominari. Tenebat ab uno urbis latere Regensbergam arcem et opidum, et Glantzenbergam opidum quoque et arcem: ab altero Grueningam opidum et arcem: e conspectu supra ad montem Albim arces fortissimas Balderam et Utlibergam, et circum circa alias plures. Insolens responsum, ut Tigurinis, contra quam rebantur, accidit, ita maturare coegit, ne forte Regensbergensis aliquid repentino moliretur, eamdem conditionem Rudolfo deferendi, quem cum Regensbergensi inimicitias exercere, et liberalitate et virtute fortissimum quemque devinxisse, militemque dilectum in manu habere compertum habebant. Rudolfus Tigurum profectus civium sacramentum accepit (i), quaeque bello, quaeque paci, adnitentibus cunctis instituit. Ibi talibus occupatum, ab Hartmanno avunculo nuncius, cum multis de Vitoduranis querelis, nova cura implevit. Illi mortuo anno superiori juniore Hartmanno, relicta unica filia Anna, quam Eberhardus Habsburgiensis Gotfridi frater duxerat, cum valetudine et aetate, breve quoque vitae spatium Hartmanno crederent, libertatis appetentiores et rerum novarum lubidine, Castrum Vitodurum, paulo supra opidum situm, antiquissimum et validissimum, Romani quondam praesidii monumentum exsciderant, multaque alia petulantiae et vecordiae ediderant, prorsus seniorem ira et ultionis desiderio incenderant. Igitur adscitum Rudolfum, quando propinquiores non aderant, haeredem ex asse instituit, Kiburgum et cetera Kiburgensium Comitum tradidit, ultionemque de Vitoduranis. Paucis hinc diebus vita solutus est, Anno D. N. MCCLXIV. VIII. Kal. Decembris. Erat Uldarici F. Hartmanni, qui Diessenhofe apud Rhenum ex vico opidum fecit, Nep. ultimus Kiburgensium Comitum. Sepultus est Monasterio Sancti Montis, ubi pater quoque et avus requiescunt (k). Annae junioris Hartmanni filiae, relicta ea, quae ex aviae Annae Zeringensis haereditate ad Kiburgienses venerant, nempe Comitatus Burgdorffensis, aliaque in Aventicis et Burgundia, in quibus Friburgum. Ea urbs, cum Berchtoldus Zeringae Dux et Rector Burgundiae postremus, Imperio, una cum Berna donasset, in suamque et Imperii protectionem Fridericus II. recepisset, inter Imperii turbas, et quae secuta sunt schismata, Hartmannum seniorem, junioremque Kiburgi Comites, patronos et defensores susceperat, in eorumque se fidem et clientelam commiserat, cum eodem quoque tempore, Bernenses in Comitum Sabaudiae protectionem concessissent. Atque ab Anna processerunt, qui licet per Eberardum maritum ex Habsburgiensibus oriundi, Kiburgi se et Burgundiae Comites provinciales indigitarunt, multisque postea annis pluribus aucti opibus, Burgdorffi egerunt floruerun tque, ut suo loco videbimus. Ceterum Rudolfus hac ratione, tribus amplissimis Comitatibus Kiburgensi, Badensi, sive Aquensi, et Lentzburgensi, eodem tempore et una haereditate repente auctus, ingenti virum, arcium, vicorum, opidorum numero, magnus et opulens, nullique Germaniae Comitum secundus, nihil Vitoduranorum injurias praevertere voluit, exercituque inopinato opidum clausit. At illi, postquam ex periculo, metus superbiam, insolentiamque posthabere docuit, arbitrio sese obsessoris tradidere. Eo Rudolfi rerum incremento accessit aliud haud poenitendum ex Friburgensibus. Illi etsi Annae, ut superius diximus, in clientela erant, Eberhardoque Comiti parere videbantur; tamen quia parum ex illo praesidii, aut non tantum, quantum tempora et imminens Sabaudiae Comes poscere videbantur, Rudolfum per Cunradum a Vetisuilla, urbis praetorem adierunt, utque se et suos in protectionem acciperet, rogavere, conditionibus, quibus salva Annae progenie, quemque gerebat utero, et donec partus adolesceret, summum illi imperium deferebant. Quod ut tum summo ipse in honore habuit; ita postea non destitit, donec eam sibi ab Eberardo et Anna urbem vindicavit, et tamquam propugnaculum, contra Sabaudos opposuit. Quod et illi et posteris quamdiu voluerunt, prospere vertit. Friburgensium annales et instrumenta hanc suae urbis praefecturam anno superiori Rudolfo traditam volunt. Et credibilius est; nempe statim post Hartmanni junioris mortem, cum in Hartmanno seniori ob aetatem parum opis inesset, multo minus per inopiam in Eberhardo Annae marito. Sed Regensbergensis haud dubium sibi ab Rudolfo bellum animadvertens, vindicandis antiquis injuriis, (habeo enim scriptores qui Rudolfum ab eo bello attritum, primis juventae annis, prodidere) aut rursus Tigurinorum in gratiam, contra auxilia paravit, et belli societate plures, opibus et militia insignes per amicitiam et communem metum, aut Habsburgiensis prosperarum rerum odio, colligavit (l). Tales fuere Comites Arbergenses, Nidoviani, Toggenburgienses, Barones Eschibacenses, Palmenses, Vartenses, Rhimggenbergenses alii plures. Neque Basiliensis antistes expers consilii esse dicebatur. Tantis opibus societatis et suapte cupidine, Regensbergensis bellum antecepit, Tigurinorumque suburbana incendit praedasque egit. Monitus ex templo Rudolfus cum equitibus quinquaginta, et Comitatus Aquensis peditatu et Kiburgiensis, urbem ingressus est. Frequentes tum utrinque populationes et pugnae, Rudolfoque ferme secundae. Ne tamen semel in Regensbergensis manus veniret ejusdem Baronis morio praestitit. Quam rem etsi ludicram, quia tamen ex parvis quoque ingentia saepe momenta rerum

(i) Anno D. N. MCCLIV. (k) Mscr. Chron. Tig. de Monasteriis agri Trig.

(l) Chron. Tigur. Mscr.

rum vertuntur; sive in magni et immortalis viri memoria, nihil leve aestimare decet; aut adeo nihil est quod curiositas recuset, adscribere pretium duxi. Dictitaverat inter suos Baro longum se Habsburgiensis nasum aliquando confracturum, intellectoque Kiburgo, ubi fere hujus occasione belli agitabat, Tigurum venturum, loco destinato insidias disposuit: Morio, tantas ob unius, uti rebatur, nasum copias comparari admirabundus insita simplicitate et experiundi cupidine, quanta maxime potuit celeritate, Kiburgum properavit, datoque in arcem ingressu, cum in Rudolfi conspectum venisset, attentiusque corporis habitum et oris contemplatus esset. *At enim vero*, inquit, *tibi haud tanta nasi longitudo est, ut comminuendo tot copiis indigeat herus, mihi vires, et animus est soli eo usque conterendi, donec ejus nullum vestigium supersit*. Comes his verbis non modo promtas et vicinas in se copias intellexit, sed assumto fortissimo quoque, in Baronem et insidiatores de improviso vectus, magna edita eorum caede repulit et in fugam conjecit. Sed cum trahi bellum intelligeret, pluresque suorum per breves pugnas interire, nec quidquam profici, integris Baronis arcibus et opidis illis porro expugnandis, qua vi qua fraude animum intendit. Baldera se primam obtulit, Castrum ad Albim antiquum, Ludovici Germaniae Regis Caroli M. nepotis, ut fama erat opus, ejusque filiarum Hildegardis et Berchtae habitatione et cultu quondam celebratum. Id cum vi obtinere diffideret, dolo circumvenit. Equites triginta arcem adequitare jussit, pedites totidem insidiis inter arbusta, quae circa adolescunt constituit, cetera paravit. Equites ut praeceptum erat arcem accedere, minas jacere, gladios rotare, gestu, voce, convicio hostem elicere. Et praesidiarii fraudis incauti, et numero superiores, arce prorupere, fugamque simulantes late persecuti sunt. Interea qui in insidiis aderant impetu facto, vacuam arcem adorti incendio subdidere: Quo rei gestae signo, Rudolfus in hostem repente ex fuga conversus, plerosque interfecit aut cepit. Utlibergae, unde in urbem late patebat prospectus, quaeque Tigurinis ante alias gravis, et in quam Regensbergensis maxima erat spes, eodem Albis dorso alio astu potitus est. Habebat in ea Baro equos albos duodecim, et numero pari venaticos canes. Totidem et colore similes equos canesque Rudolfus paravit, et arcem haud procul opportuna nocte abdidit, turmam Tigurinorum equitum prope subsistere jussit, qui ubi monuisset, veluti hostem insequerentur. Alia in usum, aut fallendi hostis praecepit. Coepta luce qui arcem tenebant, more solito pabulatum, et in praedam, albis in equis exsiliere. Quos ubi praetergressos Habsburgiensis cognovit, longiusque populabundos vagari subita eruptione, versus arcem fugam cepit, et eum persequi Tigurini. Vigiliae ex equorum numero, canumque et colore, suos rati in arcem recepere. Ita Utliberga arcium omnium earum regionum firmissima in Rudolfi potestatem venit. Tigurini funditus everterunt. Hic rerum successus non solum Rudolfum et Tigurinos ad exscindendas Regensbergensis opes ardentius animavit, sed etiam amicos et faederatos ab eo alienavit, in illo superbiam et copiam attrivit et exhausit. Igitur auxilia faederati ferme negitare, Habsburgiensis gratiam requirere, nihil eo Duce invictum, nihil satis tutum arbitrari. Baro sumtu per praesidia intolerabili, alia quae supererant vendere, alia in pignus largiri, bello continuando grande aes alienum conflare. Sed Rudolfus fortunae via grassari optimum ratus Glantzenbergam infra Tigurum propter flumen Lindemagum, quod lacu Tigurino egrediens primo Arulae, mox Rheno miscetur, arcem et opidum sic quoque intercepit. Naves duas armato milite, per mercimonii speciem versus Basileam, secundo flumine demisit, haud ignarus Glantzenbergenses invasuros tamquam hostes et jaculis petituros, postremo aliqua fraudi casum futurum. Ipse cum equitatu, quernea silva supra opidum ad eventum consedit. Naves brevi Glantzenbergam defluxere. Ibi eas Glantzenbergenses jaculis, fundis, glandibus, ita uti crediderat Rudolfus, adorti sunt. Vectores et remiges haud tam damnis, quam clamore et ejulatu, gestisque simulabant, deni que veluti naufragii periculo et specie deditionis, ripae navigia adplicuere. Tum vero omnes, tamquam ad certam praedam, festinare, erumpere, alius alium praevenire, portas et opidum deserere, simul Rudolfo rei bene gerendae locum facere Opidum incensum, Campanae pro monimento et cetera Tigurum translata, Kalendis Septembris. Tot, tantisque cladibus Regensbergensis adflictus (m), ditioneque omni prope orbatus, (Regensbergam arcem et opidum Lutolphus frater minor possidebat, nec se bello miscuerat) cum in amicis nihil praeterea opis, et omnia contraria essent, Rudolfi postremo fidei se commisit (n), et quae reliqua erant, illo consentiente, urbi traditis, delatus Tigurum, quos protegendos aspernatus erat, magno rerum humanarum spectaculo, altores habuit. Dato ex urbis publico interea ad vitam, aliquot post annis defunctum apud Franciscanos sepeliere. Prosequebatur Rudolfus singulari D. Augustinum Episcopum Hypponensem memoria et cultu, et ejus ordinis Monachos ante alios fovebat amabatque. Ea causa fuit maxime, cur iisdem Tiguri, cum ibidem frequens esset, per praetentum bellum, locum condendo Monasterio minori in opido, precio emerit donaritque, multis additis in Monachorum sustentationem possessionibus. Monasterii jacta fundamenta hoc ipso anno quinto et sexagesimo, praesente Comite (o). Materiam omnem lignariam suppeditavit, pace inter ipsum et Habsburgiensem, Tigurinosque facta, Comes Toggenburgiensis Crafto. Dum haec geruntur, frequentes literas ad Rudolfum dedit Berchtoldus a Valkenstein, ad Harciniam S. Galli Abbas, fortis, severus, sui Monasterii et juris rector et defensor imperterritus, quatenus Kiburgensium haeres erat, qui multa sui Monasterii beneficia et jura habuissent, eorum more antiquo fidelitatem faceret, obsequiique sacramentum praestaret. Quae cum frustra fuissent, postremum diem dixit, quo die, nisi in officio esset, tamquam ingratum et inficiatorem omnibus privaret. Sed neque sic Rudolfum movit Abbati infensum et iratum, quod praeterito bello Argentinensi, eum auxilium Episcopo portasse sciret, non tam aequitatis desiderio, aut adversus Episcopum amore, quam obtinendi ab eo Vitoduri, et alia Kiburgiensium Comitum, secretisque criminationibus apud ipsum effecerat, ne quae tunc postulabat consequeretur. His de causis utrinque inimicitiae et postea bellum. Verum enimvero

(m) Schodelerus Chron. fan. I. (n) Anno D. N. MCCLXVI. (o) Chron. Tig. Mscr. de Monasteriis agri Tig.

vero bello Regensbergensi confecto, compositis Tiguri utcumque rebus, pace parata, inde ad Pontem Arulae et Habsburgum Rudolfus concessit, paucisque diebus per requiem sumtis otii impatiens, seu potius divino nutu, venatum cum aliquot nobilibus iit. Ea in venatione aliis alio sparsis, dum et ipse praedam quaerit aut premit, tintinnabuli sonitus ad aures accidit, qualis deferenda sacrosancta synaxi esse solet. Cognoscendae avidus rei, flexo equo quo sonus ferebat, eo iter subito vertit, brevique torrentis in ripa sacerdotem exuentem se offendit. Ex quo percontatus, quid ita et iis locis esset. *Cogit me*, inquit, *ex proximo amici valetudo compendia sectari, ne morbo superante sacris destituto, et vitae mortisque arbitro, secus de salute si eveniat in me culpa inhaereat. Huc cum adpuli pontem avulsum reperi, eo ad transuadandum vestem pono.* Quae ubi Comes intellexit, repente ab equo in genua procidit, liberatorisque sui praesentis pacem et gratiam precatus. *Imo vero*, ait, *hunc a me equum accipe, et quod officium necessitasque monet festinantius obi.* Reverso post divinae rei ministro et equum multa cum gratia, religionisque et humanitatis laude restituente: *Absit ego*, inquit, *illum equum inscendam, aut meorum alius, quem Dominum et conditorem meum gestasse certum habeo. Quod si adeo praeter opinionem, aut tua merita, haec tibi a me venire censes, teque adeo munere indignum, pios in usus adhibe. Illi nempe ego dedi et dicavi, a quo mihi honores et opes, vita et anima.* Postero die, contulit se Rudolfus ad Monasterium Fare, quod inter Tigurum et Aquas situm, Lindemago adjacet, ad sanctimonialem propinquam et aetate grandem invisurus. Quae ubi eum accepit vultu sereniore, voce contenta et futuri secura: *At tibi ego* inquit, *hesterna luce, superos placatos et benivolos denuncio, proque pietatis et liberalitatis officio, rerum tibi posterisque summum et supremum in terris honorem, et opulentiae fastigium adfirmo; laeta, fausta, incredibilia promitto; Perge, age, uti incepisti, viam porro insequere.* Sacerdos vero is, de quo diximus, Archiepiscopi Maguntiacensis a secretis et officiis post factus, crebros de Rudolfo Habsburgiensi sermones miscuit, non solum apud Maguntiacensem, sed alios quoque principes ejus virtutes extulit, illi per ea tempora paucos pares, neminem superiorem. Indeque Rudolfi, super alia toto Imperio fama et gloria, donec Imperator concordantibus suffragiis, uti suo loco ostendemus, pronunciaretur. Haec, quae retulimus, in antiquis et probis manuscriptis reperta obticere consilium non fuit, rei raritate et vaticinii eventu, simul ut benefactorum pretia ostenderem, et quibus artibus magna saepe Imperia parentur, retineanturque. Acta sunt haec Anno D. N. MCCLXI. Quamvis Vernherus Schodelerus (p) tabularius et praetor Bremgartinus, et Chronicon unum e Tigurinis (q), quatuordecim ante annis evenisse adnotarint. Res certa, de annis ut discrepent. Auctor libri de Monasteriis agri Tigurini adserit, Rudolfum non modo equum, quem insidebat, Sacerdoti tum donavisse, sed bona et possessiones simul adsignasse, alendo in posterum in Sacerdotis ejus paroeciae usum equo; hocque tam clarum et commemorabile pietatis et religionis exemplum accidisse inter Fare Monasterium et Aquas, cum per pra ter tum bellum Tigurum proficisceretur. Ceterum domito Regensbergensi, etsi socios belli plerosque fors eadem averterat, Toggenburgienses tamen, tamquam magna ex tempestate, nondum conquierant, praedas subinde Utznaberga ab arce agitabant. Illa infra Utznacum opidum in colle praecipiti sita regioni, cui antiquitus nomen Termino, quod ibi Rhetorum Helvetiorumque fines essent, imperitabat. De his cum Tigurini ad Rudolfum retulissent, simul quia ab S. Galli Abbate parari exercitum acceperat, dilectum frequentem habuit, alios Kiburgum, Vitodurum, Morsburgum praesidio contra Abbatem misit; partem ipse Utznabergam duxit. Eo quoque Tigurini convenere. Utznaberga obsessa primo auctumno. Sed ea arcis firmitudo erat, quae obsessores facile prae se contemneret. Et jam sextus obsidionis mensis procedebat aspera hieme, et nullo profectu, dilabebaturque miles, Rudolfum spes quoque prope deseruerat, cum praesidiarii, veluti in ludibrium aut ex commeatuum abundantia, pisces vivos ab arce in castra abjecere. Quos ubi Rudolfus accepit. *Jam vero*, inquit, *nostra Utznaberga est.* Itaque aditus omnes et exitus longe, lateque inquiri cum jussisset, forte caprarium qui ostendit reperere. Qui in arce erant, postquam secreta palam esse notuit, proxima nocte arcem deseruerunt. Tigurini XI. Kal. Martii incendere. Indixerat eodem tempore Rudolfus, et patrueles Lauffenbergenses ad VI. Kal. ejusdem mensis inter liberalia oblectamenta, ludos equestres Basileae, frequensque nobilitas ex Elsatia utraque Brisiacis, Sequanis, et tota ferme Germania superiore convenerat. Eo quoque ipse, mox ubi Utznaberga potitus est, tetendit (r), copiis partim dimissis domum, aut ad illa quae Vitoduri erant, et vicinis locis praesidia. Plures dies inter varia spectacula abiere, dum ex suo quisque ingenio alio alium antecellere contendunt. Multi equos ostentare, alii armorum prudentiam, pars dexteritatem, non pauci ornamenta et varietatem et rara reperta, postremo plerique omnes ad famam et gloriam diversa via niti. Non deerant qui sese luxu et amoribus oblectarent, feminarumque coetus celebrarent. Ea pars maxime offendit. Itaque veluti limphatico furore, versa ex summa laetitia in extremam dementiam civitate, ingenti tumultu et clamore, plerique civium arma rapere, proximum quemque e nobilitate obtruncare, caedere, solo adfligere, pedibus premere, et conculcare, prorsus immanitatis et vecordiae nihil reliquum facere. Multi ex improviso per plateas et foro in medio trucidati, alii inter mulierum oscula oppressi, quidam earum e sinu rapti, et in frusta discerpti, plerique corpore mutilato faede multati. Ceteros denique hospitum fides, aut latebrae texere, nonnullis e moenibus salus reperta. Abierat paulo ante Vitodurum Rudolfus, exercitumque contra Berchtoldum Abbatem, qui Vilae magnis copiis considebat, ex hibernis et praesidiis eduxerat. Ibi eum nuncius eorum, quae Basileae evenerant adsecutus est, plures quoque eorum qui evaserant, eo concessere. Ancipiti malo itaque et injuriae tantae impatientia praeceps, cum et hic bellum retineret, et illo vindicta, precesque laesorum traherent, animo angi, et incerta consilia diu multumque versare. Postremo

 plus

(p) Chronicorum suorum Mscr. Tom. I. Chron. Tig. Mscr. (q) Etiam Mscr.

(r) Anno D. N. MCCLXVII.

plus recens ultionis desiderium, quam vetus adversus Abbatem simultas potuit. Conversus igitur ad proximos. *Me*, inquit, *plebis Basiliensis furor et impotentia maxime diversum agitant, plebis inquam: Nam quis magistratui eam crudelitatem et proditionem, aut populo imponat? plebs fuit et vilissimus quisque, quibus boni invidiae, mali quaestui sunt; quique per seditiones et tumultus vitam facilem; ubi modestia et disciplina valuere, ignoti et in obscuro degunt. De iis supplicium nos, amici et familiares perfidiose caesi, aut ex vulneribus in dubio vitae jure reposcunt. Ne officio fungamur Abbas hic in mora est. Et fatebor, multa mihi sui Monasterii beneficia supersunt, obsequium me quoque et fidem debere probe certum est. Quod hactenus recuso, culpa in eo est, qui maternam haereditatem dolosis officiis intercipere conatus sit, adeoque dum cupidini suo morigeraretur, quid seque meque dignum esset, nullo in loco habuit. Quod si vobis ita videtur, et injurias amicorum praevertere, quam propriis superesse, fortioris est animi, age, cum Abbate transigamus.* Omnibus adnuentibus, sequestrumque pacis et litis arbitrum requirentibus. *Imo vero*, inquit, *hic neque sequestro, neque arbitro opus. Illo in loco res est, ut ultra teneri non possit. Quotidie perire multos utrinsque exercitus vicinitate videtis. Summam in fastigio esse. Ego utrumque, et arbitrum, et sequestrum exequar.* Sumtis paucis Comitibus eo, ubi Abbas erat, prima vigilia Vilam advectus est. Ad portam praesidio roganti, *Rudolfus Habsburgiensis est*, inquit, *eum adesse, Abbati renuncia.* Ea res vero Abbati et ceteris omnibus magna et incredibilis videri, hostem, et eum infensum, nulla fide publica, tribus Comitibus, intra moenia rogare admitti. Ubi vero in palatium deduxere, alii audaciam, pars despectum, nonnulli fraudem et insidias interpretari, pauci, quibus major ex usu rerum prudentia et virtutis opinio erat, magnanimitatem et confidentiam obstupescere, omnes denique alius aliorsum sententiis discrepare, ceterum in Rudolfo, tamquam spectro et portento, oculos et ora fixa habere. Ille ut Abbatem juxta stetit, *Lis*, inquit, *utrumque intercedit. Ejus litis ergo hic me ego sisto. Tu aut arbitro aut reo utare. Nam si reum esse voles et damnaveris, haud mora erit, quin quod fas est, ex me consequare. Et ex arbitrio procul omnis fraus et injuria aberit. Arma contra te habere non nego. Sed quantum honori, et aequitati cetera omnia postducam, uti scias, justa ea sint, an injusta, te judicem fero.* Summa id facinus non Abbatem solum, sed circumstantes universos admiratione simul et laetitia implevit. Nam Rudolfi verborumque et factorum juxta fidem et praestantiam noverant; et ex tam ancipiti bello praeter omnium opinionem, ereptos esse se, pacemque poscere, quem victoriae propiorem haud dubie habebant, in prima publicae felicitatis parte rebantur. Non longa disceptatio fuit. Decem argenti pondo Comiti quotannis remissa. Ipse Abbati, Monasterioque fidei et obsequii jusjurandum fecit, quaeque rei Monasterii publicae, quaeque omnium bono curaturum, malam rem et nocitura abacturum. Sed ubi laetos omnes Rudolfus, et lubentes his factis, animadvertit, in Abbatem respiciens. *Nempe tu*, inquit, *his partibus antistes potens moderaris, tibique equites, nobiles, subditi plures; virtute et superis volentibus magnus es et opulentus. Mihi quoque opes haud poenitendae et nobilitas volens et exercitus miles. Quod si eos commisissemus, scilicet, illi sese mutuis vulneribus confecissent, et fortissimus quisque occidisset. Vulgum sua humilitas aut securitas flagitii, fuga et imbellia protexissent. Ita bonorum minus, plus reliquae multitudinis superfuisset, neque tantum ex victoria decoris et firmitudinis; quantus, nobilissimo quoque interfecto, ex ceteris pudor aut labes. Et denique ab nobilitate nobilitatis certum exscidium et exterminatio, animis ad vindictam incensis accessisset. Nec invidia satis superque laboramus. Vilissimi quique nostris ex incommodis sua commoda metiuntur. Homines praeposteri. Perinde, quasi nostrae res adflictae illorum fortunas stabiliant. Postremo animum induxere nobilitate exstincta et interfecta, aequiora omnia fore, illam suae felicitati obesse, communem rem usurpare, privatae insidiari. Ex eo oderunt et exitium machinantur. Nam quae modo Basileae designarunt? Pudet pigetque, tam diu publicae fidei violatae poenas non expetisse, manesque tot innocentissimorum, sanguine perfidorum, non pridem expiatos an satiatos. Enimvero quid non praeterea contra nos audebunt, si tanta tam foeda facinora impune tulerint? Immanis et effera bellua multitudo est: quo plus remittis, plus violentiae, plus ferocitatis accedit. Vinclis, catenis, ferro coercenda est. Nempe subditos quoque nostros eadem mox licentia pervadet, et dum, ex nefandis flagitiis, modestiae et misericordiae laudem quaerimus, profecto ludibrio et miseriae omnibus paulo post erimus. Imo age, et florentissimum hunc militem adversus flagitiosissimos fidei et hospitalitatis temeratores et hostes converte. Me seu commilitonem, aut Ducem habere voluerint, certe enitar, ut et superstitis protectorem imperterritum, et per fraudem exstinctae nobilitatis vindicem acerrimum superesse sciant.* Promtis auribus Abbas, et qui nobilium aderant, Rudolfi dicta accepere; exercituque utrimque deducto, meliorem partem Basileam transtulit, suburbana vastavit, diripuit, incendit, praeda, caede, flamma, cuncta miscuit, plures interceptos supplicio adfecit, nihil hostilitatis, nihil vindictae intermisit. Accesserunt plures ex Elsatiis, Sequanis, Brisiacis, quos injuria propius tetigerat, qui suapte incensum atrocius stimulabant. Nec cessavit, donec omnibus quos offenderant, ex eorumdem, quos offenderant arbitrio, satisfacturos sese Basilienses pollicerentur, obsidesque in eam rem darent. Temperatum dein ab civium bonis, bellum adversus Episcopum mansit. Eodem pene tempore (s), Carolus Andegavensis, quem Pontifex regno Neapolitano et Siciliae praefecerat, acie profligatum, cum Friderico Austriaco, Hermanni Badensis Marchionis, et Gertrudae Austriacae F. Cunradinum, et utrumque ex fuga retractos supplicio Neapoli adfecit, IV. Kal. Novembris, feria secunda. In illis Austriae et Sueviae Ducum mascula progenies exstincta. Ceterum adversus Habsburgiensem offensiones antiquas intenderat Basiliensis Episcopus, haud dubio adversus civium causam favore et auxilio. Sed prius bello Regensbergensi et Toggenburgensi, utrimque pecunias contra Rudolfum submiserat, Abbati quoque S. Galli secretis nunciis opem et militem promiserat. Ad hoc Brisiacum occupaverat, quod superioris Elsatiae et sui juris, post Sueviae Ducum exitum, Comes contendebat, Neoburgum pariter,

(s) Anno D. N. MCCLXVII.

riter, eodem Rheni tractu, Heinrici propinqui opidum, in fidem receperat. Henricus enim Comes Friburgensis haud multoprius, civium sacramentum accepturus, Neoburgum venerat, stuprumque nobili foeminae intulerat, eo negarant, Episcopoque sese dediderant. Igitur his et aliis de causis, utrimque acre et diuturnum exortum bellum. Rudolfus Brisiacum paulo post potitus dolo, cives sacramentum adegit, positoque praesidio, quidquid eadem Rheni ripa erat, vastavit; tum vero Rheno relicto, Richenstein, prope Dornacum, arcem cepit, et Vallem grandem ingressus, praedam ingentem fecit, villas incendit, animalia abegit. Contra Episcopus vicum Blodersheim in Harudibus, quem paulo ante in opidi speciem muro, fossaque Rudolfus circumdederat, diripuit, fossas explevit, turrim Othmarsheim evertit, vicos populatus est. Rhenum quoque inde transiens Castrum Rhinfeldense, Stein nominatum, civium Rhinfeldensium opibus et auxilio, qui illi uti fraeno, semper infesti fuerant, occupavit, arcem Hertemberg, paulo etiam ante conditam incendit. Postremo apud Sanctionem uterque exercitus, exiguo admodum inter se spatio castra posuere. Neque de praelio dubitabatur. Et Rudolfo bene gerendae rei spes creverat trecentis equitibus, quos S. Galli Abbas miserat, Episcopo quoque abalienatus, quod vini aliquot carros in usum Monasterii licentia belli averterat, et praedam paulo ante fecerat. Intercessit Marchio Hachbergensis, aliique principes viri, quorum auctoritas apud utrumque Episcopum et Comitem tantum valuit, ut armis interim positis, Butkii, equitum Theutonicorum domicilio, paulo supra Rhinfeldam convenerint. Unde induciae in proximum triennium natae (t). His induciis Episcopus, pro Blodershemii exscidio, magnam pecuniae summam Rudolfo dedit, ipse Brisiacum restituit, et Saxum Rhinfeldense recepit. Eadem conventione Stellatorum factio, quam civitate Episcopus expulerat, quaeque ad Rudolfum transierat, ad sua quisque redierunt. Habsburgiensis in gratiam S. Galli Abbatis quem habebat militem, contra Montfortios ad Hugonem Comitem Verdenbergensem, cui grave cum illis bellum erat, auxilio tulit, et in illa campi S. Petri, vulgo Feldkirch, nobili expeditione, multa militiae praeclara facinora fecit. Interea obiit Abbas Berchtoldus, feriis Pentecostes (u). Ejus morte per Monachorum et civium dissensionem, Monasterio gravis illata clades, aliis Ulricum a Guttinge Abbatem nominantibus; aliis Henricum a Vartenberg. Hujus apud Monachos major gratia et auctoritas: illum cives, nobiles, subditi praeferebant. Igitur in partes quisque transiere. Heinricus Arborem Felicem concessit; et cum illo pincerna a Landeck, nobiles a Rosaco et Bichelse, alii plures: sed illum in primis fovebat Eberhardus Episcopus Constantiensis, et Albertus Abbas Augiae. Ulricum sequebantur Monasterialium potiores, in quibus nobiles a Ramschuag, ab Elgau, a Glatburg, qui et Gielii ditissimi per ea tempora *ministerialium*, et longe ante omnes potentia, milite, fama Rudolfus Habsburgiensis. Accedebant Montfortii Comites opibus haud contemnendis. Et hi quidem cum Ramschuagensibus per obscura noctis Eberhardi Episcopi opidum Bischofcellam ingressi direptum incenderunt. Novum quoque Ravensburgum opidum prope Lindaugiam, quod Vartenbergensis nomine Ulricus a Rosaco tenebat, pariter exsciderunt, arcem expugnare non potuerunt. Verum, cum quotidianas caedes et incendia, vastitatesque fieri animadverteret Rudolfus, nec quidquam profici, Monasterium inter has factiones ire pessum, et subditorum opes everti, ad S. Gallum profectus, opidi cives et incolas, itemque Vilenses et plerosque montanorum, quorum res et militiae laus praeceteris erant, nomine Guttingensis, sacramento adegit, universos in suam protectionem accepit. Ab eo magna Vartenbergensium declinatio, et fermo de electionis aequitate apud Gregorium Pontificem per advocatos disceptare caeperunt. Is tum Lugduni Concilium agitabat, gravissimoque denique scripto, Germaniae principes monuerat, Ecclesiae defensorem et Imperio caput darent: si negligerent sese porro, quod e Republica Christiana foret, alia ex natione sumturum, Imperiumque translaturum. Et jam exierat induciarum tempus (x), Basiliensisque Antistes, quo firmior esset, Ulricum Comitem Ferretae, et Theodibaldum filium sibi adjunxerat, foedus cum utroque in proximum decennium fecerat, Episcopumque Argentinensem ad belli societatem perpulerat, praeter fratres Novi Castri, Arbergae, Nidovii Comites, et adfines sive sororios Comitem Toggenburgi, Barones Roetelae et Gransonii. Habebat Rudolfus Sanctione firmum praesidium. Unde crebrae fiebant excursiones Rhinfeldam versus, et alios Episcopi auxiliares. Tuffenstein arcem, quam paulo ante ab Baronibus ejusdem nominis Episcopus emerat et munierat, ut bello commodam, aliquandiu obsessam postremo expugnavit et incendit: hinc Grandem vallem rursus populatus est. Episcopus vicissim, et Neoburgienses Rudolfi Elsatiae vicos, praecipue Harudum diripuere, neque Monasterio Othmarsheimi manus abstinuerunt, magnam praedam exegerunt, quam recepturus Comes, cum paucis equitibus ad urbis usque portas frustra insecutus est. Eodem tempore XVII. Kal. Septembris forte, an dolo, Sanctione excitatum incendium totum ferme opidum exhausit. Illa calamitate tamquam occasione, Episcopus usus eo militem duxit, quidquid superfuerat, diruit, moenium quoque quadratos et scalptuis nobiles lapides, Rheno secundo Basileam vehi jussit. Rudolfus ulturus cladem, nocte, cui D. Bartholomaeo dies sacer illuxit, Basileae S. Crucis suburbium, nunc a D. Joanne nominant, nondum moenibus et fossa in urbem receptum inflammavit. Mense Decembri arcem Veer ad Harciniam munitissimam obsedit, et deditam pariter incendit, capto in ea Theodorico Roetelae Domino, Episcopi ex sorore nepote. Sed annus qui insecutus est (y), multiplici utrimque strage, variaque fortuna bellum in supremo habuit. Rudolfus ubi primum tempus militiae patiens fuit, quotidianis excursionibus, Basileam incessere, suburbana incendere, vineas caedere, praedas facere, nihil tutum extra aut integrum pati, prorsus cives et incolas moenibus et fossa includere. Ineunte Aprili, muros paucis Comitibus adequitantem et tamquam provocabundum, forte Hugo Mareschalcus equestris ordinis et urbis praetor conspicatus, eruptionem cum omni equitatu fecit, peditem subsequi jussit. Rudolfus ratus id quod erat, se ob Comi-

(t) A. D. N. MCCLXIX. (u) A. D. N. MCCLXXI.

(x) Anno D. N. MCCLXXII. (y) Anno D. N. MCCLXXIII.

Comitum parvitatem peti, in eo rei bene conficiendae praetorem spem posuisse, paulatim retrocedere et veluti fugam meditari, donec ad eas quas instituerat, insidias hostes attraheret. Basilienses fraudi faciles ardentius eo sequi, finemque malorum, ea victoria, sperare. Ast ubi ad insidiarum locum praecipitaverunt, undique circumventi caesi plurimi, alii capti, inter quos Hugo, alii quoque interfectum tradidere. Qui succedebant pedites, cognita equitum clade, effusa in urbem fuga se receperunt. Mense Augusto collem Binningae occupavit, urbemque per plures dies obsessam tenuit, nemine egredi auso, sive civibus parum fideret Episcopus, et ideo congressibus abstineret. Vicina interim populatus, praesertim Neoburgensium, copias deduxit. Mox reparato majore exercitu, totam urbem qua versus Elsatiam tenditur, circumvallavit. Ipse tentorium in colle, qui D. Margaritae imminet, fixit. Aderant cum suis Heinricus Comes Friburgensis, sive Neoburgensis, auxilia ad hoc Tigurinorum et S. Galli Abbatis, multi quoque nobiles se adjunxerant, Rudolfo amici et militiae avidi, simul memoria acceptae in ea urbe cladis nondum placati. In castra postremo, et factio stellae urbe prorupit. Ejus principes erant Eptingeri, Vicedomini, Reithii, Ramsteineri, Ufheimeri, Rhenani, Neuvensteinii, Fricenses, alii. Sed ut Rheni ripam utramque magis contineret Rudolfus novum navigiorum genus excogitavit, quae per partes solubilia, quo postularet usus, carris interim portarentur, post exiguo labore, et arte in unum coirent, et aquis immitterentur. Illis Rhenum, maxime Neoburgensibus et Rhinfeldensibus infestum habebat. Nec minus crebrae, et saepius cruentae pugnae et velitationes erant, nihilque extra moenia reliquum Episcopo aderat, cuncta vis hostilis abstulerat, ager vastus arbore, satis, tectis, pagi incensi, pecus abactum, fugati aut caesi coloni. In urbe quoque trepidatio ingens et pleraque suspecta, prorsus illi neque res neque spes bona ulla, et mala abunde omnia erant, quibus extremo fatigatus inducias ab Rudolfo petiit et obtinuit. Contentionis arbitrium Episcopus Heinrico Marchioni Hachbergensi: Rudolfus suo et Heinrici Comitis cognati nomine Burggravio Norimbergensi cognato detulere. Si per negotia non vacarent, illis Heinricus Comes Furstembergae ex parte Rudolfi: pro Episcopo Heinricus senior a Geroldseck succederent. Iidem ex aequo et bono, aut jure ad proximas Eidus Octobres pronunciarent. Pax interea et liberi commeatus essent. Literae compromissi utrimque factae, dataeque X. Kal. Octobris. Convenerant tandem sub idem tempus plerique Germaniae primores Francofurti comitiaque de novo Rege agitabant, diversi sententiis et exitu ancipiti. Decimus post Richardi Angli interitum annus exierat, neque alius ei successerat. Alfonsus Hispanus supererat quidem, sed in illo exiguae spes, et nullum praesidium longis terrarum spatiis, et propriis bellis distinebatur. In Germania principes multi opibus et laude florentes erant, ceterum plerosque regni turbae et dissidia averterant, plures supremum in terris fastigium optare, quam gerere ex dignitate posse, in sese fiduciam habere, adeo omnia longum interregnum et licentia corruperant. Postremo tres Imperii capaces, incertum an accepturi vulgo ferebantur, Menradus Comes Gorrigii et Terioli, magna sapientiae fama, et apud omnes auctoritate, Heinricus Marchio Misniae, et Landgravius Thuringiae et Rudolfus Habsburgiensis. Sunt qui ab Friderico Comite Zollerano, cum de iis tantum disputaretur, Habsburgiensem duobus prioribus additum tertium retulere. Sed adversus Rudolfum maxime Vernerus Moguntiaci Antistes partium studia inclinaverat. Nam praeter ejus Presbyteri, de quo supra diximus, crebros de Rudolfi factis et virtutibus sermones, singulari Comes beneficio devinxerat, Romam enim paucis ante annis profecturo Vernero, cum tamquam Argentinensem praefectum, et Elsatiae Landgravium, ad Alpes sese deduceret, rogavisset, non solum Rudolfus morem gessit, sed ex Italia redeuntem rursus susceperat, liberaliterque et magnifice habitum ad Moguntiacos fines comitatus erat, salvum et incolumem inter tot pericula et grassationes praestiterat. Igitur ubi Trevirensem et Coloniensem Archiepiscopos, ne contra se sentirent adduxit, frequensque conventus principum fuit, ita in Concilio verba eum fecisse ferunt. *Magna me spes tenet ex vestra frequentia rei bene expediundae. Numquam tot principes tanto Germaniae componendae desiderio convenere. Numquam quoque fateor amplius usus fuit. Nam quid referam, quae per hos viginti tres annos acciderunt, postquam Fridericus excessit et regnum potius sine moderatore, quam certo capite fuit. Conradi et Thuringi magnum experimentum vita brevis abstulit, quae si suppeditavisset, regnum nihilominus per partes adflixissent, nec nisi alterutrius exitio, malorum finis evenisset. Gulielmum postea quidam substituere, majori virtute quam fortuna juvenem. Ubi is quoque absumtus est, Richardum alii Anglum, ceteri Alfonsum Hispanum maluere. Et ille Germaniam sane ingressus, nescio majore an dedecore, quam advenerat spe, suam se rursus in insulam abdidit. Hispanus suae dignitatis et vestri beneficii immemor, aut incuriosus, verbis vos et promissis magis, quam re et factis hactenus remoratus est. Postremo semper qui regni se rectorem ferret; nemo qui regeret fuit. Interea ubique caedes, rapinae, vis, injuriae et cetera licentia et impunitate oriri sueta mala. Ea quia intolerabilia videntur, prohibere est animus. Omnis spes in novo Imperatore est. Ceterum in manu vestra eventus, si dignum tanto imperio, si tantis malis superiorem magis, quam parem legeritis. Quod vos per Imperii Majestatem, per Germaniae nationis decus et famam, etiam atque etiam rogo animadvertite. Ceteri mortales si fortes et constantes, pii et benefici, comes aut liberales, satis laudantur. Haec omnia nisi in Imperatore adsint, frustra ex singulis laudem petat. Fortem, constantem, nec periculorum pavidum, nec secundis insolentem esse necesse est. Quoque majestate propius DEUM accedit, eo minorem gerere se, amare eum et in oculis habere, praeteriti gnarum nec secordem futuri, praesentia ex aequo moderari, avidum gloriae, pecuniae liberalem. Quo facilius est de Imperatore disserere, quam Imperatorem agere. Sed ex illis cum praesentem rerum statum, ad tempora priora mecum reputo, quidque Germaniam maxime florentem habuerit, quid rursum praecipitarit; duo praecipua ad ejus felicitatem valuisse reperio, junctam cum pietate Imperatorum fortitudinem, quarum altera alteris quandoque defuit, altera saepius superfuit. Ubi convenere; viget, valet Respublica; si alterum ab altero abest; manca est, debilis est, aut nimis insolescit, aut parum cordata est. Possem vobis memorare Othones, Heinricos, Cunrados, Lotha-*

Lotharios qui, variis quisque artibus, Imperio praefuere. Omnium Fridericus II. exemplum erit. Nihil eo Imperatore fortius, nihil bellicosius, aut animosius, et quamdiu fides, pietasque constitit, etiam felicius fuit. Ubi ambitio invasit, divinique et humani juris contemtus, et pro religione sacrorum omnium ludibrium transversum egere, ibi vero omnia retro fluere, bellis universa agitari, ipse in omnibus esse, moliri omnia, agere, versare; nihil procedere. Postremo electo alio, Imperio quoque indignum vestris sententiis judicavistis. Ita ab pessimo ad optimum quemque Imperium transfertur. Sed hoc tempore, id vero maxime, ut eveniat, omnes eniti decet. Tranquillo mari et ventis secundantibus, cuivis ad clavi Magisterium aditus est. Quod si adsurgit unda, incumbit Boreas, strident rudentes, alius alio sese quisque abstrudunt, gubernator assidet. Germania omnis per factiones et partes divulsa est, quantis quisque pollet viribus, eo vicinis intolerantior, gravior suis per lubidinem, non ex aequo agitant. Et jam imperium aspernari, cupiditatem pro legibus sequi, postremo inter raptus, et lanienas, et caedes aetatem habere, in morem vertit. Scio haec tanta et tam inveterata abolere rem difficilem. Sed ad hoc incumbimus. Et adhuc superest Germaniae vigor, neque ita effoeta est virium, aut debilis Imperiorum, quae non his quoque, ut olim temporibus, praestantes militia et fide prodat feratque. Superant vigentque, quos eo magis idoneos duco, quo minus ad hoc Imperii fastigium adspirant. Magna sane et comperta Meinradi Teriolensis virtus; praestabilem quoque Misniae Marchionem reor; nisi hac tempestate, et his turbis, Rudolfus Habsburgiensis, potior videretur. In eo haec insunt omnia, genus clarum et antiquum, opes haud contemnendae, aetas annis matura, belli pacisque prudentia ingens et gloria, domi modestia, foris magnificentia, ante omnia recti verique constans et perpetuus amor et tenor. Magnus ad hoc in manu exercitus, et nobilitas prope totius Germaniae superioris obnoxia. Quod si ad colligandos animos nexu sanguinis et adfinitatibus nihil apud mortales est efficacius, ei quoque filiae sex, forma et indole eximiae, et cujusvis magnae fortunae pares, ampla conciliandis Imperii primoribus materia. Sunt etiam juvenes filii tres, paternae virtutis aemuli et conjugii expertes, firma stabilimenta regni. Denique ita animum induxi, plures esse per Germaniam opulentia et cultu, fastuque et jactantia superiores, neminem ad isthaec tempora Habsburgiensi aptiorem. Haec ubi locutus est, alius alia varie adsentiri. Sed orationis postremum praecipuos maxime adfecerat. Igitur Ludovicus Palatinus Rheni Zolleranum subito rogitare, Habsburgiensis filiam sibi an Imperatoris sponderet. Neque ille conditionem aversatus, amicitiae fiducia et adfinitatis, aut rei dignitate, dato in rem quoque praesentem pignore spopondit. Quod ubi Saxoniae Duci Alberto, et ut vult Albertus Argentinensis, Othoni Marchioni Brandeburgiensi compertum, paria promissa cum postulassent, accepere. Ita eodem conventu, filiae Rudolfi tres Palatino, Saxoni, Brandeburgio, auspice et sponsore Zollerano, promisae. Ipse omnibus suffragiis, praeterquam Othacari Bohemi, quascunque rationes et contestationes Alfonsi legati in consilio tuendi sui regis adferrent (z) denunciarentque, REX ET IMPERATOR renunciatus est III. Kal. Octobris, caelestis militiae principi Michaeli sacro et solenni. Missus cum principum decreto, idem Comes Zolleranus Rudolfum in castris apud Basileam, transactionis mora inducias agitantem, (alii apud Pontem Arulae accidisse volunt) ingenti omnium laetitia et applausu ROMANORUM REGEM salutavit, IV. Nonas ejusdem mensis Octobris. Rudolfus Basilea sive Pons Arulae fuit, recta Francofurtum cum eo, quem habebat, milite et comitatu, et inde magna jam principum frequentia (fuisse equitum viginti millia notavit Albertus Argentinensis, ejus temporis maxime vicinus) Aquisgranum subito vectus, imperialem coronam accepit feria tertia, post festum diem D. Lucae Evangelistae, Anno D. N. MCCLXXIII. Quod ideo notavi, quia varia super die Electionis, coronationisque omnes huc usque prodidere. Ita autem rem esse testantur etiam vulgati, eo tempore, versiculi, quos etsi male versos, addere volui, quia Rudolfi clarum in iis virtutum testimonium.

Comes in Habsburg et in Kiburg, Landgraviusque
Alsatiae, merito tituli pollens utriusque.
Franckenfurt, festo Michaelis, stemmate septus
Magnatum, regni Romani culmen adeptus.
Hectora pugnando, Titum bona dando, Catonem
Moribus exsuperans, regit omnia sub ratione.
Ecce coronatur, leo surgit, ad alta levatur,
Regno ditatur, ceu diva Sibylla profatur,
Bis sexcentos septuaginta tres nota CHRISTI
Annos, quando REX *factus,* RUDOLFE *fuisti.*
Te Regem procerum fecit DEUS *ipse procerum,*
Cordeque sincerum, nunc mitem, nuncque severum,
Teque coronat ea procerum collectio luce,
Quando dies Martis est post solennia LUCAE.
Papa sedet DECIMUS GREGORIUS. *Hic quoque* PRIMUS
RUDOLFUS REX *est, si gesta notare velimus.*

Sed de his et aliis, quaeque Rudolfi imperio gesta, abunde in Caesaribus Austriacis. Ipse DOMUS AUSTRIAE fundator, auctor et conditor, quam Caesareae dignitatis insignibus in tantum divina Majestas auxit et illustravit, prae ceteris omnibus omnis aevi familiis et gentibus, ut DECIMUM TE IMPERATOREM AUGUSTUM RUDOLFE INVICTISSIMUM juxta et FELICISSIMUM ediderit, editurum, qui in omnes generationes succedant, RUDOLFOSQUE adeo felicis nominis et ominis multiplicent, referant, perennent. Ita voveo et auguro, in hoc finio et conquiesco.

(z) Steph. Garivaeus Lib. XIII. cap. 12. Hist. Hisp.

LIBER SEPTIMUS.

CAPUT PRIMUM.

RUDOLFUS I. COMES HABSburgi, Lauffenbergae Dominus.

HIC mihi liber, veluti additamentum erit et corollarium, postremis de Habsburgi Comitibus, qui ad avitum, praeter Lauffenbergae Dominium, nihil tituli addiderunt, multa tamen et clara memoria viguerunt, longe licet et extra comparationem Austriaci eadem ab origine antecesserint potentia, fama, gloria. Atque haec ego quidem, ne quis a me Habsburgiensium aliud rerum merito et jure reposcat, sciantque magni illi rerum et imperiorum Domini et testatum habeant, quando hanc illis operam sumsi dedique, pro viribus perfectam integram dedisse, dicasse.

RUDOLFO igitur primo Habsburgi Comiti, et Elsatiae Landgravio, uti priori libro diximus filii duo fuerunt, ADELBERTUS, et RUDOLFUS quem nonnulli Taciturnum, ex sermonis raritate, nuncuparunt. Ab illo RUDOLFUS I. IMP. et deinceps AUSTRIAE DUCES, et ARCHIDUCES felici et immortali propagine. RUDOLFO TACITURNO generati HABSBURGI COMITUM nomen retinuerunt, neque ad id adjunxerunt aliud, quam ex Lauffenberga opido Rheni denominationem. De eo brevis et obscura memoria, absque iis, quae superius recensuimus. Defunctus est Anno D. N. MCCXLVII. et Sanctione sepultus. Quamvis alii Vettingae dicant tumulatum, et fortasse probabilius. Habuit uxorem GERTRUDAM Luitholdi, nobilissimi Regensbergae Baronis filiam, ex qua nati filii sex, GOTFRIDUS, RUDOLFUS, Praepositus Basiliensis et postea Constantiensis Episcopus, EBERHARDUS, VERNHERUS, OTHO, HARTMANNUS, qui postremi tres, sicuti et Rudolfus Episcopus, absque progenie abiere, et in iis Vernherus et Hartmannus Vettingae sepulti. Neque de iis inventum mihi aliud aut notatum. De Eberhardo singulatim postea dicam, quatenus qui ex eo et Anna Kiburgia uxore procreati, paternam ab Habsburgo denominationem deseruerunt, et Kiburgi Comites, materna ex haereditate sese vocarunt.

CAPUT SECUNDUM.

GOTFRIDUS I. COMES HABSburgi, Lauffenbergae Dominus.

INDOLE, et virtute bellica multum potuisse GOTFRIDUM, ea quae adversus patruelem Rudolfum, aut pro eo gessit, de quibus superius, argumento esse possunt. Sed praecipue insigni de Bernatibus victoria inclaruit. Praefectus enim (a), et Vicarius Hartmanni junioris Kiburgi Comitis in Burgdorffensi Lentzburgiensique Comitatu, ad quem ea tempestate, ut alibi notavimus, pertinebant Surbse, Sempacum, Tugium opida, parsque Suitiorum, qui Artensem tractum colunt, quia Bernenses (b) longo in agrum Burgdorffensem proferre ditionem suam moliebantur, aliquoties quidem repressit: sed cum in tutelam se Comitis Sabaudiae iidem tradidissent, et ejus auspicio et opibus Arulae, qui fluvius fines regebat, pontem imposuissent, hocque modo in alteram ripam quae Hartmanni erat, evasissent, multo majori spe et conatu rem augere et gerere coeperunt, florente maxime urbis statu Sabaudica protectione. Quae cum Gotfrido intolerabilia viderentur, ad urbem de improviso vectus, suburbana incendit, praedas egit, castra proximis campis fixit. At illi vim ab moenibus repulsuri, subitaria eruptione sese portis effuderunt, impetumque in hostem, magno animo, sed incauto, ediderunt. Gotfridus enim suis in phalangem conglobatis, non sustinuit modo, sed palantes et disjectos cum equitatu ad portas insecutus, plerosque interfecit, magnum numerum in praeterfluentem adegit, urbem gravi clade adfecit. Neque praeterea, quod sciam, traditum quidquam de hoc bello: Gotfridi frequens in instrumentis sui temporis mentio. Obiit Anno D. N. MCCLXXI. III. Kalend. Octobris. Conditus Vettingae. Uxor fuit ELISABETHA OCHSENSTEINIA. Ex qua filii GOTFRIDUS, qui paulo post patrem excedens, eodem tumulo insertus est, et RUDOLFUS, uterque sub tutela Rudolfi praepositi, et post Episcopi patrui.

(a) Ex instrumentis ab eo datis. (b) Anno D. N. MCCXLII. Chron. Bernens. Mscr.

CAPUT TERTIUM.

RUDOLFUS II. COMES HABSburgi, Lauffenbergae Dominus.

HIC stirpem Lauffenbergensem propagavit. Primis adolescentiae annis sub tutela Rudolfi patrui fuit, quem Praepositum Basiliensem, Constantienses Gregorii X. Pontif. auctoritate Episcopum adsciverunt, Anno D. N. MCCLXXIV. cum superiori anno, ut diximus, Rudolfus patruelis ad Imperii fastigium vocatus esset. Unde versus poetae quidem barbari, sed bonae mentis.

Sunt duo RUDOLFI patrueles et cognati,
Ad regimen dispar mirabili ordine facti.

Romam

Romam RUDOLFUS REX, te Constantia munit
PRAESUL RUDOLFUS, amborque sibi DEUS unit.
REX Romae, PRAESULque tibi Constantia, tali
Nomine, nunc primum datur, eventu speciali.
Ista duo mira spatium facit unius anni.
Unde DEUM laudent omnes, sed plus Alamanni.

Sed eandem tutelam cum sibi postea Albertus Dux Austriae, Rudolfi Regis filius vindicare vellet; Episcopus contra niteretur, multas per contentiones uterque in bellum venere. Episcopo aderant amici et confederati, urbes Constantia et Tigurum, opidum S. Galli et ejus Abbas Gulielmus, Comites Rudolfus Montisfortis, Hugo Scherensis, Mangoldus Nellenburgiensis: Albertum contra sequebantur Hugo Verdenbergensis, Rhineci dominus, Rudolfus Saragaunensis et alii Comites, urbesque super subditos Turgoviae, Argoviae, Elsatiae. Quo de bello alius erit dicendi locus. Obiit Rudolfus Anno D. N. MCCXCIII. Emit in Episcopatus nomen, et bonum ab Marquardo ab Khemnate equite Arborem Felicem, (Arbonam vocant) quidquid ejus moenibus clauditur: suburbia vero ab Ulrico a Bodma equestris quoque ordinis. Hoc pacto totam Arbonam suis successoribus vindicavit, quorum primus fuit Heinricus a Clingenberg, Rudolfi Regis quondam Cancellarius, et ab eo Frisingensi Episcopatui praefectus. Verum enimvero ubi tutelae annos Rudolfus Comes superavit, suique juris esse coepit, bellis quae Albertus I. Caes. propinquus gessit ferme interfuit. Ubi esse desiit, Heinricus VII. qui illi successit, praefectum Imperialem Germaniae superioris constituit, Turgoviae, Argoviae, Rhenanarum et Acronianarum urbium. Sic nominat instrumento, sive diplomate, quo Vilam Turgoviae opidum, Abbati S. Galli restituit, dato Tiguri, A. D. N. MCCCX. regni II.

Heinricus Dei gratia Romanorum Rex semper Augustus etc. Noverint igitur tam praesentes quam futuri, quod venerabili Heinrico Abbati S. Galli, etc. praesentibus etc. nobilibus viris Valramo de Lucemburg germano nostro, Guidone de Flandria consanguineo nostro, Rudolfo de Habsburg, tunc Advocato provinciali, Vernhero de Homberg, Hugone de Monteforti, etc.

Ubi ea praefectura defunctus est, aut invidia et quorumdam criminationibus idem Heinricus, substituto Eberhardo Barone a Burgle privavit, in Galliam profectus Monte Pessulano supremum diem obiit. Anno D. N. MCCCXIV. Corpus filii Vettingam transportandum curarunt, ubi prope patrem conditum. Habuit uxorem ELISABETHAM Rudolfi suae stirpis extremi Rapersuillae Comitis sororem, Rudolfi Fil. Ludovici (a) Comitis Hombergensis viduam, quae ei peperit JOANNEM et RUDOLFUM. Genuerat eadem ex Hombergensi Vernherum, cujus superiori diplomate mentio, qui Caesarem in Italiam secutus, Insubribus ab eo praefectus est (b), Rudolfum, Ludovicum, Ceciliam et Claram. Unde post Elisabethae mortem Rapersuillae Comitatus divisus est, pars ad Vernherum, hoc est Rapersuilla vetus, sinistra lacus ripa, et Marchia, sive Termini cum valle Vegi: Rapersuillam novam et cetera dextra laci, Habsburgienses obtinuere. Sed mortuo postea Vernlino, Vernheri filio absque liberis, totius Comitatus potiti sunt Habsburgienses. Anno D. N. MCCCXXX.

(a) Interfectus Ludovicus praelio prope Bernam Anno MCCLXXXIX.

(b) Bernard. Corius parte II.

CAPUT QUARTUM.

JOANNES I. COMES HABSburgi, Lauffenbergae et Rapersuillae Dominus.

POST patris mortem fratres haereditatem partivere, JOANNES Lauffenburgum et adjuncta: RUDOLFUS Comitatum Rapersuillensem tenuit. Sed hoc brevi post A. D. N. MCCCXV. XVI. Kal. Decembris, proelio Moragartensi interfecto et Vettingae sepulto, omnia Joannes occupavit. Friderici hinc Caes. III. Austriaci consanguinei partes contra Ludovicum Bavarum acriter tutatus est. Foedere cum Tigurinis suo uxoris et liberum nomine facto, A. D. N. MCCCXXXIV. eorum nihilominus exsules, qui urbis statu mutato, Rapersuillam concesserant, et de plebis violentia et injuriis multa conquesti erant, causa eorum probata, protegendos suscepit, et in rebus repetendis milite juvit. Unde acre Comitem inter et Tigurinos ortum dissidium. Durabat etiam controversia propter arcem Grinau Marchiae superioris infra Tucconium, e regione Utznaci sitam, cum Diethelmo Comite Toggenburgensi, cujus occasionem, quia inde Joannis exitium breviter dicam. Fuerunt fratres duo Rapersuilae Comites, Rudolfus et Ulricus: illi, ut aetate priori major Comitatus pars obvenerat, utraque Rapersuilla, totaque Marchia, Grinau et Tucconio demtis: huic Utznacum, et eadem quae recepta diximus, Grinau et Tucconium. Ulrici filia unica Toggenburgiensi nupsit, quaeque patris fuerant, ad Toggenburgienses transtulit, brevique nulla concepta prole, vitam exuit. Inde eadem repetendis Habsburgiensibus, qui Rapersuillanis successerant, nata causa, saepiusque alteri alteros Grinau ab arce expulerant. Hoc tempore tenebat Joannes, ex eaque anno superiori Diethelmum ejecerat. Is denique comperto utrimque odio, Tigurinos, ut sibi opem contra Habsburgiensem ferrent, rogavit, facileque obtinuit. Profecti cum navibus Tigurini, Lindemago adverso, Grinau ad usque arcem, Toggenburgiensem cum suis, eodem loco, obviam habuerunt, arcemque conjunctis copiis circumsedere. Sed Joannes palantes, et sparsos adhuc oppressurus tumultuariam manum utraque lacus ripa fecit, properatoque in hostem impetum dedit, ceciditque, fudit, et in naves fugavit, capto belli auctore Diethelmo. Debellatumque videbatur, nisi qui in naves profugerant, ira, pu-

 doreque

doreque et Comitis captivitate, collectis animis, eo unde dejecti fuerant, navigia rursus impulissent (a), adsumtisque plurimis, qui se e proximo in Toggenburgiensis gratiam ostenderant Suitiis, instructiori acie et firmiori in Habsburgiensem victorem, et eo incuriosum, se et proelium convertissent, qui rebus secundis, pugnaque paulo ante feliciter pugnata, animo elatior, congressum haud aspernatus paucis comitantibus, primum se in obvios intulit fortiterque pugnans, ingenti hostium strage postremo occubuit, XI. Kal. Octob. Anno D. N. MCCCXXXVII. Ejus caedes morte Toggenburgiensis expiata. Quamvis enim captivum et publicam fidem implorantem, qui evaserunt proelio, domini in ultionem membratim conciderunt. Patrem Joannem filii JOANNES, RUDOLFUS et GOTFRIDUS, quos ex AGNETE Joannis Elsatiae inferioris Landgravii filia sustulerat, sepelierunt Vettingae, VI. Kal. ejusdem mensis.

(a) Schodelerus. Tom. I. Chron. Tig. Mscr, haec omnia pluribus.

CAPUT QUINTUM.

JOANNES II. COMES HABSburgi, Lauffenbergae et Rapersuillae Dominus.

ISTE Rapersuillae; fratres Lauffenbergae egerunt. Et de illis pauca praeterea, nisi quod Rudolfum Hermannus ex Baronibus a Bonstette S. Galli Abbas, monasterialibus suisque subditis praefecit cum Imperio, idque ex commodo et honore, consensuque, ut literis super hoc factis testatur, conventus sui, Anno D. N. MCCCXLIII. in praesentia Ulrici praepositi, et aliorum conventualium, Decani S. Leonardi, Parochi S. Magni. Theodorici de Altstette, et filiorum Hermanni et Theodorici: Egolphi et Vetzelii de Grueninstein et filiorum: Heinrici, Eberhardi et Rudolfi Gieli; Ulrici de Arbona: Alberti de Busnang. Arnoldi de Bure, multorumque aliorum Baronum, nobilium, equitum, Monasterii beneficiariorum. Fuit etiam principum Austriacorum per Argoviam et Turgoviam praefectus, Anno D. N. MCCCLXXXIV. ut ex instrumento patet, ab eo dato Badae, eodem anno, die lunae ante Matthiae. Illi quoque suam in Comitatu Cletgoviae partem vendidit Gotfridus frater, ex instrumento facto Anno D. N. MCCCLXV. Obiit Gotfridus Anno D. N. MCCCLXXV. VI. Eidus Julii feria tertia. Rudolfus vero Anno D. N. MCCCLXXXVIII. Uterque Vettingae sepultus. At Joannem ex propinquitate, et inde paterni exitii memoria, ulciscendi perpetua cupido tenuit. Igitur cum exsulibus Tigurinis conjurationem fecit occupandae urbis, multis conditionibus, quarum summa erat, exsules ipse in patriam, patrimoniaque restitueret; illi aes ejus alienum dissoluerent. Nocte horaque condicta, conjurati in urbem convenere. Sed Bruneri praetoris vigilantia, fortitudineque, et civium constantia, et fide plures eorum capti, nonnulli interfecti, reliqui profligati per moenia et eadem, qua venerant, via evasere, aut repertis ad ripam lacus navibus. Captus etiam Joannes: Fratris captivitate intellecta, Rudolfus et Gotfridus Tigurinorum merces et mercatores per Valdneros nobiles Alsatas undique intercepere, adflixeruntque, donec Agnes regina Austriaca, quae apud Campum regis agitabat, inducias in certum tempus interponeret (b), quibus elapsis, bellum resumtum, et utraque Rapersuilla funditus ab Tigurinis subversae. Tractus hinc in partes, propinquorum amore et misericordine, simul quia vetus Rapersuilla et Marchia, sua beneficia erant, Albertus Austriacus, cognomine Sapiens, plures quoque urbes et nobiles, duorum nobilium opidorum exscidio et rei indignitate, ad opem ferendam moti. Tigurum omnibus opibus obsessum. Pacem multis conditionibus fecit inter dissidentes Ludovicus Marchio Brandeburgiensis: quibus postremo Joannes liberatus, Kalend. Sept. A. D. N. MCCCLII. Secuta postea variis de causis, alia Austriacorum et Tigurinorum, aliarumque civitatum bella, de quibus in principibus Austriacis. Obiit Joannes A. D. N. MCCCLXXXVII. Kal. Januarii, cum Rapersuillam, et quidquid ejus comitatus est, supra memorato Alberto Austriaco vendidisset, qui reaedificavit. Sepultus est Vettingae. Schudius, aliique nonnulli notarunt obitum Anno MCCCLXXX. XVII. Decembris. Sed cum certum sit inter eos fuisse, qui una cum filio cognomine bello Sempacensi inimicitias indixerunt, confederatis, dubium non est, quin post id bellum interierit et non ante. Reliquit ex ELISABETHA NIDOVIENSI successorem JOANNEM et ADELHEIDIM filiam, quae Heinrico Comiti Montisfortis nupsit.

(a) Anno D. N. MCCCL.

(b) Anno D. N. MCCCLI.

CAPUT SEXTUM.

JOANNES III. COMES HABSburgi, Lauffenbergae Dominus.

HUJUS multa antiquis scriptis et monumentis mentio. Interfuit enim proelio Sempacensi, Anno D. N. MCCCLXXXVI. Dein Principum Austriae praefectum palatii egit, Anno D. N. MCCCXC. Argoviam etiam et Turgoviam, et vicinas urbes rexit eorumdem principum commissu Anno D. N. MCCCXCVIII. et MCCCCV. Numeratur pariter inter eos Comites, qui Concilio Constantiensi interfuerunt, A. D. N. MCCCCXV. et sequentibus. Duxit uxorem exsortem AGNETEN nobilem ab Hohenlandenberg, quae unicam filiam URSULAM tulit, quae Alvico Comiti Sulcensi nupta ad Sulcenses Comitatum Lacobrigum sive Cletgaviam et Palmense dominium e conspectu Rhenaugiae transtulit. Sepulta est ipsa in Monasterio Rhenaugiensi: pater ut antecessores Vettingae, quo anno, nescio. Principes Austriae, extincta in Joanne ii..us lineae sobole mascula, Lauffenbergam et cetera ... Sanctionensis Monasterii beneficia recepere, ...entque et regunt, ordinario in arce opidi praefecto.

CAPUT

CAPUT SEPTIMUM.

EBERHARDUS I. COMES HABSburgi, Lauffenbergae Dominus.

RESTAT ut de hoc agamus et ejus progenie. Faciam, sed pressim, ut priora et paucculis, multa cum dicere possim. Plerique hucusque scriptores ea fuerunt opinione, EBERHARDUM hunc fuisse, qui Rudolfi Taciturni Habsburgiensis Comitis, et Lauffenbergae domini filius, paternos et avitos titulos posthabuerit, ceterum conjuge ab ANNA Hartmanni junioris Kiburgi Comitis, et Elisabethae Verdenbergensis filia unica et haerede, KIBURGI se COMITEM nuncuparit, a quo KIBURGIENSES, qui postea Burgdorffi et Duni imperitarunt, qui etiam Burgundiae se Comites provinciales inscripserunt. Alii et multo maxima pars contra sentiunt, et Kiburgienses illos Burgdorffi, ex alia quam Habsburgiensi stirpe arbitrantur. Indignum enim adfirmant et ignobile Habsburgiensibus, capere ab alia, quam sua gente et familia, denominationem, praesertim quae nulli antiquitate et praestantia post esset, et quam postremo sub idem tempus Rudolfus primus Imperator ante omnes illustrasset et extulisset. Igitur Kiburgienses illos, qui Burgdorffi egerunt, aut ab vetustis illis Kiburgiensibus, qui in Turgovia principatum ferme tenuerunt; aut aliunde: denique ab quovis alio genere, quam Habsburgiensibus esse. Haec illa de postremis Kiburgi Comitibus inter scriptores velitatio et pugna, levis profecto et incruenta, et quam tecto latere evaserim. Et primo quidem illud certum est Kiburgienses antiquos, quos diximus in Turgovia regnasse, ante Zeringensium omnium interitum Burgdorffi nihil habuisse; postea Comitatum Burgdorffensem, et denique ultimis ejus Comitibus pariter exstinctis, Dunensem et Friburgum in Aventicis obtinuisse, Annae Berchtoldi V. et ultimi Ducis Zeringiae sororis, Vernheri Kiburgi Comitis uxoris haereditate. A. D. N. MCCXVIII. Peperit Anna Zeringensis Hartmannum, juniorem nominatum ad discrimen, Hartmanni patrui, Ulrici et Elisabethae Burgundae filii. Seniori uxor fuit Margarita Thomae Sabaudiae Comitis filia, quae non procreavit. Junior uxores duas habuit (a): Prima fuit Anna Heinrici Rapersuillae Comitis cognomento Vandelbare Vettingae Monast. conditoris, et postea ibidem Monachi filia, quae sine sobole, Vettingae, aede Capituli, apud majores sepulta: altera Elisabetha Hugonis Comitis Verdenbergensis filia. Annam genuit, (male omnes hactenus Elisabetham vocarunt, et Hartmanno seniore natam adseruerunt,) quam pater Eberhardo huic Habsburgi Comiti et Lauffenbergae domino despondit, deditque, et brevi postea defecit Anno D. N. MCCLXIII. ineunte, qua ratione, ad Hartmannum seniorem rerum Kiburgiensium summa rediit, cui haud quoque longum ab eo vita superavit. Obiit enim anno sequenti, VIII. Kal. Decembris, relicto omnium haerede, Rudolfo Habsburgi Comite, qui imperavit, ex Heiluige sorore nepote, receptis solum Annae, quae ab Anna Zeringensi avia ad Kiburgienses pervenerant. Sunt qui Margaritae Sabaudae uxori usum fructum Comitatus Badensis reliquisse tradant, sed ab Rudolfo eam Comitatu exactam, et inde bellum inter Comites Sabaudos, et Habsburgiensem incidisse. Quibus de rebus nihil me certi reperisse antiqua manuscripta perquirentem, evolventemque dico. Bella, quae cum Sabaudis Comitibus Rudolfus Imperium adeptus gessit, non pro Comitatu Badensi gesta, sed ob Imperii fines ab iis per interregnum primis petitos et infessos. Igitur Anna Kiburgiensis tenuit eo pacto, cum Eberhardo marito, Comitatus Burgdorffensem et Dunensem, Friburgum, et alia in Aventicis, luculenta et diviti dote. Neque tamen propterea et hac uxoris opulentia, mutavit ipse primigenium et familiare nomen, et uxoris natale adsumsit. Habsburgiensem se Comitem dixit, et suae gentis insignia tulit, dum fuit. Neque aliter Heinricus Caes. VII. nominavit, privilegio Suitensibus dato, accepta pecunia, Eberhardus manumiserat Anno D. N. MCCLXIII.

Heinricus Dei gratia Romanorum Rex semper Augustus etc. Ad universorum notitiam volumus pervenire, quod nos hominibus habitantibus in Suitz, qui se de nobili viro Eberhardo quondam Comite de Habsburg redemerunt, et per pecuniam absolutionem et literas testimoniales super eo obtinuerunt, etc. Turego III. Nonas Kal. Anno Domini MCCCX.

Non negaverim alios tamen plerosque etiam Eberhardum de Kiburg vocavisse, ut Albertus Arg. quoque notat, nominatque. Anna sane omnibus quae dedit, privilegiis, aut fecit instrumentis, suum et nomen et sigillum nomini et sigillo mariti praeposuit, tanquam haeres unica, et domina legitima rerum Kiburgiensium. Unius hic adponam exemplare, quo Friburgiensium antiqua privilegia et jura confirmavit. Illud ita incipit.

In nomine Domini, etc. Ne labantur cum tempore, quae geruntur in tempore, consuetum extitit prudentibus ab antiquo eorum gesta literarum testimonio perhennare. Nos igitur Anna quondam filia Comitis incliti Hartmanni de Kiburgo junioris, et nos Eberhardus Comes de Habsburgo maritus ejusdem dominae Annae notum facimus universis tam praesentibus quam futuris, quod nos ob honorem et sinceram dilectionem quam habemus, et nos habere dignum est erga Friburgum in Oechtelandia, etc. Acta sunt haec in dicto Friburgo etc. Intrante Martio Anno Domini MCCLXXV. regnante gloriosissimo Domino Rudolfo Dei gratia Romanorum Rege.

Burgdorffi vero ferme egisse ostendunt pleraque ibidem facta, dataque instrumenta (b). Ubi quoque Eberhardus defunctus, et Franciscanorum Monasterio a se condito sepultus est. Anno D. N. MCCLXXXIV. Relictis HARTMANNO, EBERHARDO, ELISABETHA quae sanctimonialis, et Friburgi apud Franciscanos sepulta, et CATHA-

(a) Clara haec omnia ex instrumentis Archivi Friburgensis.

(b) Mihi multa visa, data alia An. MCCLXVI. alia MCCLXXV. et MCCLXXVI. et seq.

THARINA, quae Alberto Comiti a Verdenberg nupsit, omnibusque supra matrem, tutore et curatore Rudolfo Constantiensi Episcopo fratre.

CAPUT OCTAVUM.

EBERHARDUS II. COMES KIburgi I. et Burgundiae Landgravius.

ITA profecto fuit. Cum enim ex patre Eberhardo, praeter communem lucis usuram aliud nihil haberent, fratres, matris tum quidem in honorem, mox et memoriam, cujus solius haereditatem possidebant, KIBURGI COMITES, et BURGUNDIAE LANDGRAVIOS sese dixerunt. Neque mirum id adeo videatur, cum priscis usitatum; neque nostris temporibus deseruerit, patrio ut liberi nomine misso, ab genitrice vocabulum capiant, et ad posteros mittant. Utrumque vero hos Hartmannum et Eberhardum Eberhardi Habsburgiensis fuisse filios, praeter parentales apud S. Urbanum libros, et sepulcrales Burgdorffi memorias, manifestum etiam videtur ex tutela Rudolfi Episcopi patrui. Dum is sane eam tutelam exercet, Monasterium S. Urbani per omnes nepotum ditiones portoriis et vectigalibus exemit, Anno D. N. MCCLXXXVIII. privilegio super iis dato Rhenangiae. Ceterum hac in narratione Eberhardum quamvis juniorem, Hartmanno praeposui, quatenus ab illo series posteritatis. Et hic Duni; Eberhardus Burgdorffi agitabat, animo inquieto, mobili, belli et novarum rerum avido, potentiae et turbarum insatiabili. Hartmannus mitior et melior. Leopoldus I. Austriacus suo et fratrum nomine, etiam hunc Friburgo, quod Rudolfus Caes. ab Eberhardo patre Anno D. N. MCCLXXVII. permissu et voluntate Annae uxoris, sibi et posteris vindicarat, praefecit. Anno D. N. MCCCXIX. Nonis Febr. Argentinae. Sed ex hac morum et ingeniorum diversitudine primo contentiones et rixae, mox natum inter fratres odium mortale. Missis postremo Dunum Sicariis, in arce Eberhardus fratrem per fraudem trucidandum curavit Anno D. N. MCCCXXXII. pridie Kal. Nov. Variis post jactatus bellis et tempestatibus, dummodo Bernenses vicinos persequitur; rursus illi caede, vastitate, incendiis injurias propulsant, aut conjunctis iterum copiis proximos Comites vexant, et primam quamque bellandi occasionem capiunt, vitam in turbido, ancipiti, multis aerumnis et laboribus ad ultimam senectam perduxit, obiit Anno D. N. MCCCLXI. Burgdorffi sepultus. Habuit uxorem BERCHTAM Berchtoldi Comitis a Buocheck, (instrumenta a Boica vocant) Heinrici F. Landgravii Burgundiae filiam, ut volunt unicam, quo proinde, Anno D. MCCCLIII. defuncto, Comitatum Boicae, et Landgraviatum Burgundiae ad Eberhardum, et ejus successores pertulit. Buocheck arcem destruxerunt Bernates, bello quod cum Eberhardi filiis gesserunt. Reliquit enim ex eadem Berchta, RUDOLFUM, qui patri successit, HARTMANNUM et BERCHTOLDUM equites ordinis Theutonici, EBERHARDUM Canonicum Basiliensem, et JOANNEM praepositum Cathedralis Ecclesiae Argentinensis.

CAPUT NONUM.

RUDOLFUS COMES KIBURGI et Landgravius Burgundiae.

HIC Burgdorffi; Hartmannus Duni sedem habuit. Berchtoldus apud fratrem Argentinae ferme vitam duxit. Habuit Rudolfus uxorem ANNAM, Rudolfi Nidovii Comitis sororem. Quo interfecto Pirenescae (vulgo Beure) opido, supra Salodorum, bello Anglico, A. D. N. MCCCLXXV. absque progenie Comitatum Nidoviensem, cum Comite a Falkenstein, qui alteram Nidoviensis sororem habebat, occupavit, mox quia gravi aere alieno tenebatur Leopoldo II. Austriaco vendidit. Ipse non minus atque pater, quietis et pacis intolerans, cum Salodorum insidiis nocturnis, et proditione intercipere tentasset, indeque bellum gravissimum, et Burgdorffum obsessum ab Salodorensibus, Bernensibus, et eorum confederatis esset, dum auxilia et nummos, profligando bello, undique cogit, Basileae in morbum incidit, periitque A. D. N. MCCCLXXXIII. relictis liberis, sub tutela matris et Berchtoldi fratris, EGGONE, HEINRICO, BERCHTOLDO et VERENA, quam duxit Fridericus Comes Zolleranus, cognomento Muli. Post Rudolfi mortem, cum hostes gravius instarent, periculumque esset, ne Kiburgienses omnibus exuerentur, pacem Berchtoldus, suo et nepotum nomine, cum Salodorensibus et Bernensibus fecit, Burgdorffum, Dunumque Bernensibus tradidit, florenorum 57707. Anno D. N. MCCCLXXXIV. VII. Eidus Aprilis. Bernae pro se et suis jus Civitatis obtinuit. Neque de eo, aut ceteris fratribus praeterea quidquam habeo dicere. Vixerunt adhuc plerique Anno D. N. MCCCCV.

CAPUT DECIMUM.

EGGO COMES KIBURGI, ET Burgundiae Landgravius.

ULTIMUS fuit hujus stemmatis, de eo nihil ferme reperio aliud, uti neque de fratribus, nisi Bernensibus cum matre, Signoviense dominium et Uspunense, alia multa quoque Friburgensibus, quae supererant, vendidisse (a). Anno D. N. MCCCC. et sequentibus. Bechburg etiam novam arcem, ANNAE conjugis dotem, pignori Conrado a Lauffe credidisse, Anno D. N. MCCCCXIV. In concilio Constantiensi anno sequenti, cum fratre Heinrico interfuisse (b), adeoque eodem pene tempore videntur defecisse posteri duorum fratrum Gotfridi, et Eberhardi RUDOLFI HABSBURGI COMITIS TACITURNI filiorum, neque quemquam ex eorum propagine ad annum ejusdem seculi vicesimum pervenisse.

(a) Ex Chron. Bern. et Frib. Mscr. (b) Ulricus a Richental, de Const. alii.

ATQUE HAEC QUIDEM DE HABSBURGI COMITIBUS LAUFFENBERGAE DOMINIS, ET KIBURGIENSIBUS INDE ORIUNDIS. ADEOQUE DE ANTIQUA ET VERA ORIGINE DOMUS AUSTRIAE.

INDEX

INDEX
LIBRORUM ET CAPITUM.

LIB. I.

CAP. I. *DE HABSBURGIENSIUM COMITUM* origine variae opiniones, et prima eorum qui *ROMA* oriundos adserunt.
II. Refutatur. Ejus auctores paulo amplius discutiuntur.
III. Altera opinio, quae ex *FRANCIAE* regibus aut principibus natos adfirmat.
IV. Ea quoque confutatur.

LIB. II.

CAP. I. *VINDONISSENSES COMITES* fuisse, qui iidem *ALTENBURGIENSES*, et postremo nova ab arce *HABSBURGIENSES*. De *VINDONISSAE* clarissimae quondam civitatis antiquitatibus.
II. De *VINDONISSAE* exscidio postremo, *CASTRO VINDONISSENSI*, sive *ALTENBURGO*, et in eo *ROMANA LEGIONE*, *COMITUM*que origine, et quomodo *HABSBURGIENSES ROMANAE STIRPIS* videri possint.
III. De *VINDONISSAE* antiquis *COMITIBUS*, a quibus *HABSBURGIENSES*.
IV. De *VINDONISSAE* Comitatus finibus, ejusdemque nobilitate.
V. De *ELSATIAE SUPERIORIS* comitatu provinciali, et *SEQUANIS*.
VI. De antiquis *ELSATIAE* et *SEQUANORUM* locis et opidis.
VII. De *BRISIACA* sive Comitatu Provinciali *BRISIACORUM*.
VIII. De *HABSBURGIENSIUM COMITUM* et *AUSTRIAE PRINCIPUM* insignibus.

LIB. III.

CAP. I. *OTTOBERTUS* Comes *ALTENBURGI*, Elsatiae et Brisiacae Landgravius.
II. *AMPERTUS* Comes *ALTENBURGI*, Elsatiae et Brisiacae Landgravius. *ROTHARDUS*.
III. *HETTOBERTUS* Comes *ALTENBURGI*, Elsatiae et Brisiacae Landgravius.
IV. *RAMPERTUS* Comes *ALTENBURGI*, Elsatiae et Brisiacae Landgravius. *GEBO. HETTO* Episcopus Argentinensis.
V. *GUOTRAMUS I.* Comes *ALTENBURGI*, Elsatiae et Brisiacae Landgravius.
VI. *LUITFRIDUS I.* Comes *ALTENBURGI*, Elsatiae et Brisiacae Landgravius. *LUITHARDUS. LANCELINUS* Archiepiscopus, incertum, an Trevirensis.
VII. *LUITFRIDUS II.* Comes *ALTENBURGI*, Elsatiae et Brisiacae Landgravius. *HUGO I.*
VIII. *HUNFRIDVS I.* Comes *ALTENBURGI*, Elsatiae et Brisiacae Landgravius. *LVITFRIDVS III. HVGO II.*

LIB. IV.

CAP. I. *GVOTRAMVS II.* Comes *ALTENBVRGI*, Elsatiae et Brisiacae Landgravius, cognomento *DIVES*.
II. *LANDOLVS* qui et *LANCELINVS*, et *VECELINVS* Comes *ALTENBVRGI*, Elsatiae et Brisiacae Landgravius. *GEBHARDVS. BIRCHTILO.*
III. *RATHBOT* Comes *ALTENBVRGI*, Elsatiae et Brisiacae Landgravius. *RVDOLFVS. VERNERVS* Episcopus Argentinensis. *LANCELINVS*, qui etiam *VECELINVS*, a quo Comites et Duces *ZERINGIENSES*.

LIB. V.

CAP. I. *VERNERVS I.* Comes *HABSBVRGI*, et Elsatiae Landgravius, cognomento *PIVS. ADELBERTVS I. OTHO I. BERCHTOLDVS I.* Comes ZERINGIAE, et Dux CARINTHIAE.
II. *OTHO II.* Comes HABSBURGI, et Elsatiae Landgravius. *ADELBERTVS II.*
III. *VERNERVS II.* Comes HABSBURGI et Elsatiae Landgravius. *BERCHTOLDUS II.* Dux ZERINGIAE. *GEBHARDVS* Episcopus Constantiae. *HERMANNVS* Marchio, a quo MARCHIONES BADENSES et HOMBERGENSES. *BERCHTOLDVS* III. Dux ZERINGIAE. *CONRADVS* I. Dux ZERINGIAE.

IV. VER-

IV. *VERNERVS* III. Comes HABSBURGI et Elsatiae Landgravius. *BERCHTOLDVS* IV. Dux ZERINGIAE. *HVGO. RVDOLFVS* Episcop. Leodicensis. *ADELBERTVS*, a quo Duces TECCENSES.

LIB. VI.

CAP. I. *ADELBERTVS* III. Comes HABSBURGI et Elsatiae Landgravius, cognomine DIVES. *BERCHTOLDVS* V. et ultimus Dux ZERINGIAE.

II. *RVDOLFVS* I. Comes HABSBURGI, Elsatiae Landgravius et Dominus Lauffenbergae.

III. *ADELBERTVS* IV. Comes HABSBURGI, et Elsatiae Landgravius, cognomento PRUDENS. *RVDOLFVS* II. Dominus Lauffenbergae.

IV. *RVDOLFVS* III. Comes HABSBURGI et KIBURGI, Elsatiae Landgravius, cognomento MAGNUS, PRIMUS ROMANORUM IMPERATOR SEMPER AUGUSTUS. DOMUS AUSTRIAE AUCTOR et CONDITOR.

LIB. VII.

CAP. I. *RVDOLFVS* II. Comes HABSBURGI, Dominus Lauffenbergae, cognomento TACITURNUS.

II. *GOTFRIDVS* I. Comes HABSBURGI, Dominus Lauffenbergae. *EBERHARDVS. VERNERVS. OTHO. HARTMANNVS. RVDOLFVS* Episcopus Constantiensis.

III. *RUDOLFUS* III. Comes HABSBURGI, Dominus Lauffenbergae. *GOTFRIDUS.*

IV. *JOANNES* I. Comes HABSBURGI, Dominus Lauffenbergae; et Rapersuillae. *RUDOLFUS.*

V. *JOANNES* II. Comes HABSBURGI, Dominus Lauffenbergae et Rapersuillae. *RUDOLFUS. GOTFRIDUS.*

VI. *JOANNES* III. Comes HABSBURGI, Dominus Lauffenbergae.

VII. *EBERHARDVS* I. Comes HABSBURGI, dictus et KIBURGI, Lauffenbergae Dominus.


VIII. *EBERHARDVS* II. Comes KIBURGI, et Burgundiae (in Burgunde) Landgravius. *HARTMANNVS* I.

IX. *RVDOLFVS* Comes KIBURGI, et Burgundiae Landgravius. *HARTMANNVS* II. *BERCHTOLDVS* I. *EBERHARDVS. JOANNES.*

X. *EGGO* Comes KIBURGI et Burgundiae Landgravius. *HEINRICVS. BERCHTOLDVS* II.

FINIS.

Arma Rudolfi Comitis, Rudolfi Regis avi.



JOAN. HENRICI SUICERI
TIGURINI
CHRONOLOGIA HELVETICA,
RES GESTAS HELVETIORUM AD NOSTRA USQUE TEMPORA INDICANS ORDINE, ET BREVISSIME COMPLECTENS.

PRAEFATIO.

HELVETIORUM historias, pro rerum gestarum magnitudine, in orbe non satis esse celebres nemo non ignorat. Rationem Erasmus reddit, qui Helvetiam armis nobiliorem esse quam literis verissime dicit. Nam Helvetii, veterum Gallorum more, belli quam literarum studiosiores fuerunt, et eorum optimus quisque manu quam lingua promptior, facere quam dicere, sua ab aliis benefacta laudari, quam ipse aliorum narrare maluit. Ea de causa non fuit, qui res eorum gestas literarum monumentis mandaret, et eloquentia, cujus ea est bonitas, ut ne parvis quidem rebus suam lucem deneget, illustraret. Atheniensium res gestae satis amplae magnificaeque fuere: verum, ut Sallustius ait, aliquanto minores quam fama feruntur. Sed quia provenere ibi magna Scriptorum ingenia, per terrarum orbem Atheniensium facta pro maximis celebrantur. At Populus Romanus, etsi res maximas gesserit, aliquandiu tamen ea Scriptorum copia non fuit, qua tandem ejus res per eloquentiam extollerentur. Facta Helvetiorum scio non esse per omnia cum Assyriacis, Persicis, Macedonicis, vel etiam Romanis conferenda, tamen non minora quarundam aliarum gentium, quae pro maximis laudantur, existimo: quarum in numero res Graecas censeo. Quod vero plus minus sexaginta demum ante annos celebrari coeperunt, id factum est bono literarum et eloquentiae, quae postremis his temporibus etiam in Helvetia suos cultores habet.

Quandoquidem vero res Helveticae hactenus a quibusdam satis fuse et copiose, ab aliis autem fere compendiose nimis tractatae, atque ideo popularibus tenuioris fortunae graviores sunt, quam ut illorum tenuitas hos sumptus ferre possit, sive breviores ut illorum desiderio sufficiant, ante aliquot annos animum ad scribendum appuli, idque mihi negotium dari credidi, ut ex omnibus, qui res Helveticas unquam tractarunt, Scriptoribus, brevem quidem, veram tamen, plenam, perspicuam et ordine conscriptam historiam rerum ab Helvetiis gestarum conscriberem, et in id omnes ingenii mei exigui vires intenderem: Nullo ductus affectu privato, habito tantum respectu boni publici et famae communis patriae. Ceterum cum libri mei Antiquitatum Helveticarum pro variis mutationibus, praecipue Imperiorum, quibus Helvetia fuit subjecta, studiosum et attentum lectorem requirant, visum est me operae pretium facturum, si brevem quandam Chronologiam et totius historiae summam praemitterem, qua, tamquam in tabella sive speculo, imperia et res ab Helvetiis gestae summatim comprehensae, uno quasi intuitu cerni, memoriae mandari, et magno cum fructu, non solum tres Antiquitatum, sed etiam reliqui sequentes de libertatis Helveticae defensione libri legi et intelligi a quovis possint.

Placuit denique majoris evidentiae causa, et terrae et gentis, praecipuarumque in Helvetia mutationum, summariam quandam descriptionem adjungere: ne quid omnino, quod memoriam juvet, deesse videatur.

HELVETIAE
BREVIS DESCRIPTIO.

HELVETII, Galliae populus, primum Celtis, deinde Belgis annumerati, inter Alpes, Rhenum, montem Juram, lacum Lemannum Rhodanumque flumen siti: ab Austro Italis, ab Occasu Gallis, a Septentrione et Ortu Germanis finitimi sunt. Fines eorum in longitudinem millia passuum CCXL. in latitudinem C. patent.

Omnis Civitas Helvetia in quatuor pagos divisa est, quorum unum incolunt Tigurini, alium Verbigeni, tertium Nuichthones, quartum Antuates. Tigurini ab antiquissima ejus pagi metropoli Tiguro (alias etiam Turicum sive Turigum a Conditore dictum) nomen sortiti sunt. Veteres Coloni Turigini (Romanis, per metathesin literarum Euphoniae gratia, Tigurini dicti) hodie Turgeani dicuntur. Hi omne solum, quod Rhenum inter et Ursam jacet, possident. Verbigenos a Tigurinis Ursa flumen, a Nuichthonibus Arola dividit. Pars tertia, quam Nuichthones, prius Aventini (appellati obtinent, initium capit a flumine Arola, continceturque Jurae montis ramento. Antuates ab extremis Helvetiae finibus oriuntur: pertinent ad lacum Lemannum et Novocastrensem, spectant occidentem solem.

Appellationem nominis Helvetii a Plutone Inferorum Deo acceperunt secundum nonnullos, ut qui Deum infernalem patrem haberent (quod de se omnes Galli praedicant). Nam veterum Gallorum lingua, quae etiam nunc Helvetiis in usu est, *Hell* infernum et *Vatter* patrem significat: Unde Hellveteri, quasi a Plutone infernali patre nati, Romanis faciliore pronunciatione, Helvetii dicebantur.

Gens antiquae originis non multos post diluvium annos has terras possedit: sicuti prima initia urbium Tigurinae et Salodorensis testantur, quae statim post Treverim dicuntur conditae, temporibus Abrahae Patriarchae, paulo minus duobus millibus ante Christi incarnationem annis. Ut omnes Helvetiae annales testantur.

Helvetii suopte ingenio humani et liberales erga quosvis, frugales in victu et vestitu, studiosi rerum, quae ipsos ad virtutem acuerent, minimeque amantes earum, quae ad effoeminandos animos pertinent. Ipse populus Magistratus suos ex se ipso eligebat: semper liber, nullius potestati subjectus, imperiique impatientissimus erat, ut historia Orgetorigis apud Caesarem I. Lib. belli Gall. testatur. Praeterea omnium historicorum testimonio fortissimi et bellicosissimi fuerunt, adeo ut nomen Helvetiorum non vicinis modo Gallis et Germanis, sed et ipsis Romanis rerum Dominis, formidabile fuerit. Quae causa fuit, uti postea victis Helvetiis ab Aulo Caecinna ad Vindonissam Helvetia divisa provinciis Sequanae et Rheticae adjiceretur: Huic Tigurini qui orientem Solem spectant, illi reliqui tres Pagi, Ursa flumine a Tigurinis divisi et Occasum spectantes, annumerarentur. Unde vetus illud et Romanis olim formidabile nomen Helvetiorum prorsus extinctum et abolitum est. Nam tumultuantibus postea Alemannis, Tigurini, Imperii Romani impatientissimi, societatem cum iis pacti, communi auxilio Romanis insurgebant, eorumque provincias infestabant, usque dum Romanorum jugo excusso, Alemannorum adsequerentur nomen. Interea Burgundi et Nuichthones, Germaniae populi, in Galliam migrarunt, Anno Christi CCCCVI. et devicta Provincia Sequana, omnem ab Ursa flumine occiduam Helvetiam occuparunt, cujus pars fere praecipua a Nuichthonibus novis incolis Nuichthonia vocari coepit. Universa tamen Regib. Burgundiae paruit, et Burgundia minor nominabatur: Incolis *Bürgenden* diminutive dicta. Ceterum sequenti seculo Franci utramque Gentem Alemannos et Burgundos opprimere, Imperioque suo subjicere: Non sublata tamen hac distinctione Helvetiae, sed Tigurinis, Helvetiis Orientalibus, sub Allemanniae Ducatu, reliquis vero Occiduis sub Burgundiae regno comprehensis imperitare. Inde Tigurini Alemannorum, ceteri vero Burgundorum nomen adepti sunt.

Hodie vulgo foederati nominantur, ab illo perpetuo foedere, quo ipsi, a Francis et Germanis Imperatoribus libertate concessa, invicem sunt constricti. Vocantur etiam Suizeri, a quodam nostrae gentis nobili vico cum agro adjacente Suitia dicto: ubi foedus Helveticum initia sua habuit, cujus ab incolis exercitus Austriaci, ad foedus illud rumpendum missi, ad Morgartum primo omnium fusi fugatique sunt. Bullingerus tamen existimat Helvetios Suizeros dictos ab eo bello, quod populus Tigurinus auxilio Friderici III. Imperatoris per VIII. continuos annos cum Suiziis, Glaronensibus ceterisque sociis Helvetiis gessit.

His nostris temporibus nomine foederatorum non solum, qui veterem illam Helvetiam incolunt, appellantur, sed omnes sociae civitates et pagi, qui se perpetuo foedere Helvetiis conjunxerunt. Basilea videlicet, Scaphusia et Roteuila trans Juram montem et Rhenum extra

tra Helvetiam sitae: Rhaeti item, Lepontii et Valesiani Alpium incolae: ut hodie foederatorum fines veteris Helvetiae terminos longe exsuperent, et in longitudinem millia passuum CCXL. in latitudinem vero CLXXX. pateant.

Sed quoniam Helvetii multo maximam partem totius foederis tenent, et primi ejus authores Helvetii fuerint, adhaec Cantones, sive (ut vulgo vocantur) Pagi foederis omnes, exceptis Basilienfibus et Scaphusianis, intra veros Helvetiae limites situm habeant, exteriores autem vel socii vel subditi Helvetiorum sint, non immerito omnes foederati communi nomine Helvetii appellantur.

Hodie universa Helvetia in pagos, socios et Praefecturas dividitur. Pagi seu Civitates (Itali et Galli Cantones, nos *Ort* vocamus) sunt tredecim, quae perpetuo foedere in unam quasi civitatem coeunt, quarum nomina, ut publice in Conciliis sedent, haec sunt: Tigurum, Berna, Lucerna, Uria, Suizia, Subsylvania, Tugium, Glarona, Basilea, Friburgum, Salodorum, Scaphusia et Abbatiscella. Socii sunt, oppidum et Abbas Sangallensis, Rhaetorum foederati populi, Episcopus Sedunensis cum universa, cui imperat, Valesia, Rotevila, Mulheusia, Bipennae et Novocastrum: His annumerentur duae istae literarum cultu clarae, usu armorum nobilitatae et mercatura celebres civitates, Geneva et Argentina, quae antiquum foedus cum aliquibus Helvetiae civitatibus, a majoribus suis pactum, nuper cum Tigurinis et Bernatibus renovarunt. Praefecturae sunt regiones et oppida, quae Pagorum imperio reguntur, Turgea, Aquae Helvetiorum (vulgo Bada,) Regusci, Sarunetes, et libera Provincia in Comitatu Rore. Populi praeterea trans Alpes in Italia siti, Lugani, Locarnenses, Mendrisiani, Madiae vallis incolae cum Bilitionensibus. Caeterum non omnes Pagi imperium aequale in has provincias habent, sed pro tempore quo in foedus recepti, et pro auxilio in bello lato, diversa sunt Pagorum in illas jura.

Tribus hodie loquuntur linguis Helvetii et his foederati: Germanica per universam fere Helvetiam est usitatissima. Eadem Rhaeti et Lepontii nonnulli utuntur. Habent etiam Rhaeti quidam propriam suam linguam ab aliis longe diversam. Praeter illam et Germanicam Rhaeti, sicut etiam Lepontii, Italica loquuntur lingua. Antuates Sabaudica, id est, corrupta Gallica utuntur. Valesiani Viberi Germanicam, Veragri Sabaudicam, Seduni medii utramque in usu habent. Verum ex multis conjecturis constat Germanicam, quae etiam nunc in Helvetia primas tenet, veram et genuinam Helveticam esse: sicut Glareanus in Caesarem annotat, et doctissimus D. Aegidius Tschudius, in suo de Rhaetia alpina tractatu, pluribus argumentis demonstrat.

Helvetia rebus omnibus, quae de bona aliqua terra praedicari solent, abundat, sive coeli clementiam, aëris temperiem, fontes dulcium aquarum, sive etiam thermas corporibus male affectis saluberrimas, spectes. Habet Helvetia suas ferri et chalybis optimi fodinas: sed et argenti venas in montibus Glareanis, aliisque vicinis repertas fuisse constat. Ursa flumen aurum arenis trahit: Idem Emanna minor, qui Ursam influit, praestat, magno argumento in montibus, in quibus oritur, aurum nasci. Sunt qui existiment esse auri venas eo loci, quo thermae Fabarianae scaturiunt, cujus satis manifesta signa in petris appareant. Valesia mittit argentum, cuprum, plumbum, et ferrum: scatet etiam ibidem fons salis. Caeterum in Helvetia nullae fere praeter ferri secturas sunt. Gens enim militiae dedita rem metallicam, cujus ignara est, negligit: neque patitur peregrinos fodinas facere, ne sylvae caeduae in carbonum usum caedantur, et pascua in montibus optima pereant aut vastentur, et regione peregrinis repleta indigenis magna et multa inde incommoda nascantur.

Sunt etiam maxime admiranda naturae opera in Helvetia, quorum in historiis non similia commemorantur: in primis lacus ille celebris prope Lucernam in monte fracto, Pilati cognomen habens: in quem, si ab homine de industria aliquid conjiciatur, tantae subito tempestates concitari dicuntur, ut earum inundationes toti regioni interitum minentur. Extat item meatus sive caverna in monte quodam Abbatiscellano, in quam si quid conjicias, ingentes ventorum procellae non sine vi maxima inde proveniunt, teste Vadiano viro doctissimo et harum regionum experto. Nec praeterierim fontem in valle Hasela, in monte *Engstlen* nominato, haud procul ab Arolae fontibus, qui nullo anni tempore fluere consuevit, praeterquam Julio, Junio et Augusto mensibus, cum pecora et armenta ibi pascuntur: fluitque certis tantum horis, mane et vespere, quando a pastu ad potandum pecora abiguntur: Et si quid impuri in eum immittas, fluere fons cessat, demumque post aliquos dies aquae redeunt. Pari modo fontes calidi, Fabarianus in Rhaetis, et Marianus apud Valesios Leucianos, Septembri mense cursum sistunt, et Majo eundem redintegrant. Apud Glaronenses, quod non sine causa mirantur omnes; in monte VVepchio sinus est, in quem aqua frigidissima collecta pluribus morbis medetur, si affecti ter sese in eum immerserint. Juvat in primis aciem oculorum, et auditum in senibus recuperat, ut experientia constat. De his omnibus Stumpfius in Helvetiae Chorographia testatur. Quid memorem congelatas et lapidis in morem induratas glacies, ab incolis Alpium *Gletscher* vocatas? nec non inveteratas illas et perpetuas nives in summitatibus Helveticarum Alpium visendas, ubi ne in media quidem aestate nives liquescunt, et hyems perpetua ibi habitat. Quae res non sine causa inter miranda Dei opera censentur.

Praeter haec omnia Helvetia his nostris temporibus maxime culta, fertilis et ferax est omnium rerum, quae necessitati humanae serviunt. Nam campestria loca copiose vinum et omnis generis frumenta ferunt, cui summa pomorum, pyrorum ejusdemque generis similium fructuum abundantia accedit. In montanis armentorum innumerabiles copiae et minoris pecoris infiniti greges nutriuntur, unde carnis, casei, butyri et lactis est abundantia, non solum Helvetiis, sed etiam vicinis populis. Taceo innumeros armentorum greges, qui ex Helvetia trans Alpes et Rhenum in Italiam et Germaniam quotannis aguntur.

Quoniam vero Helvetia omnis generis est ferax, idcirco ubique locorum colitur ac populosis urbibus, oppidis et vicis habitatur. Nam intra veteris tantum Helvetiae limites ultra septuaginta urbes et oppida numerantur, exceptis sociorum oppidis et iis quorum moenia hodie in ruinis jacent, quae etiam nunc suis privilegiis vivunt. Unde cuivis facile est conjecturam facere, pagorum et vicorum apud Helvetios innumerabilem fere multitudinem esse.

Habet insuper Helvetia plurimos lacus et flumina piscosa, lacuum majorum et minorum infinitus pene numerus est: Eorum qui navibus habitantur XXIV. numerum excedunt. Sed praeterea fluvii navigabiles, Rhenus, Limagus, Ursa, Arola, Rhodanus et Dura: reliqui fluvii, torrentes et rivi piscium feraces prorsus innumeri sunt, unde Helvetii piscibus abunde cibantur. Summa, nulla divitis terrae bona desunt Helvetiis.

Sicut autem veteres Helvetii virtute et fortitudine eam gloriam sunt consecuti, ut antiqui Scriptores eos fortissimos omnium Gallorum vocarint, ita posteri inprimis bellandi sunt cupidi. Incolunt enim regionem montanam et frigidam, quae natura sua hominum genus non modo laboriosum, sed etiam robustum, asperum durumque alit, adeoque bello optimum. In exteris locis praeter viros nobiles rari sunt milites; Helvetii vero omnes quodammodo milites nascuntur, nec quisquam est integro corpore vel aetate, in quo non militaris animus eluceat, et quisque illorum militem dici gloriosum existimat: contra, ineptum militiae dici, ignominiosum reputat.

Hujusmodi animos magistratus in subditis plantat et alit legibus et consuetudinibus ad exercitia belli accommodatis: siquidem omnes coguntur, summae poenae metu, arma pro facultatum ratione sibi comparare, et ad belli necessitatem domi reservare. Praeterea communis quaedam est apud Helvetios consuetudo, ut quivis quotidie gladio armatus incedat, sive domi per urbem aut oppidum eundum, sive foris negotiorum causa peregrinandum sit. Si vero quis capitale aliquod crimen commiserit, et tamen Magistratus ei vitam condonare velit, is omnibus spoliatur honoribus, cujus indicio, gladii et armorum usus ei interdicitur, quod apud illos extremae ignominiae nota est.

Et quia nostra aetate bombardarum sive Sclopetorum usus in bello est maximus ad hostem laedendum, ut omnes in hoc armorum genere exerceantur, Magistratui in primis curae est. Ideoque in urbe, oppidis et vicis frequentioribus praemia proponuntur iis, qui se optime bombarda et arcu sive balista exercuerint. Quin etiam pueris arcu certantibus praemia proponi, et quasi a pueritia ad bombardas praeparari, solent.

Ludicra alia exercitia omnia ad hoc instituta videntur, ut omnes bello aptiores reddantur: cujusmodi in nuptiis et similibus festis diebus, maxime vero iis, qui Templorum dedicationibus, quoniam sacri erant, et Encenia vulgo dicuntur, fieri consueverunt, quando magnus numerus per cohortes divisus tympanis et armis instructus militari modo incedit. Quo ludi genere pueri quoque exercentur, ut mirere, si videas quam bono aptoque ordine militari gradu incedere et Sclopetos, hastas aliaque armorum genera tractare norint.

Lustrant etiam quidam Magistratus quotannis suos subditos, idque iisdem diebus anniversariis, quorum paulo ante mentio facta: item in nundinis, cumque exterarum gentium, Principum et urbium legationes, sive alii quidam hospites peregrini, magni nominis sunt excipiendi, aut si subditi novo praefecto Sacramentum dicunt: Quibus in lustrationibus quivis, pro suarum facultatum ratione, armis instructus comparet.

Nec minus ad militarem virtutem praeparant alia Helvetiorum quotidiana exercitia, qualia sunt cursus, saltus, lucta, vectis et lapidis projiciendi certamen, digladiationes et certamina in omni armorum genere, quibus omnibus publice et privatim praemia proponuntur. Est illis etiam natandi exercitium, cum lacus et flumina rapidissima tranant, quo vel omnibus orbis Christiani gentibus praestant. Quique montes paulo altiores incolunt, singulari studio tenentur venandi, in primis cervos, capreas, rupicapras, ibices, etc. Congrediuntur etiam cum ursis, lupis, lyncibus, apris et similibus.

Quod si in militiam abeunt Helvetii, arma sua domo secum portant, hic Bombardam, ille hastam fraxineam perlongam, alius halabardam sive securim cuspide praefixa, vel etiam sine cuspide: multi etiam praelongos gladios, quos humeris gestant et in praelio ambabus manibus tractant. Praeterea quisque ensem ambabus manibus habilem, et pugionem accinctum gestat. Corpus plerique armatura e solido ferro fabricata tegunt, multi loricis, alii thorace de boum aut urorum corio, sive etiam linea tela, crassa et multiplicata, minimisque foraminibus junctim filo consutis, confecta (quam Suetonius in Galba loricam linteam vocare videtur) teguntur. Pauperiores tantum galea caput muniunt.

Singuli sui Pagi vexilla et signa sequuntur, tympanisque et tibiis utuntur: Duces autem primarii fere omnes (si quid in castris enunciandum sit) tubis, Uranii vero et Subsylvani Urorum, Lucernates aereis cornibus utuntur.

Si

Si mercede Principi cuidam militandum est, Rex sive Princeps Duces militum eligit, qui deinde menstruo stipendio militem conscribunt et munera bellica pro voluntate distribuunt. Quod si pro patria domi vel foris sit belligerandum, tum subito omnes bello delecti sine mora concurrunt. Delectus habetur non uno eodemque modo, nihil tamen sine optimo ordine geritur, quandoquidem in pace certi duces, signiferi, tribuni militum et similes militiae praefecti constituuntur. Et si belli necessitas ingruat, magistratus de militum numero consultat, ne regio, omni praesidio destituta, hostibus praedae sit. Itaque in quibusdam pagis vir virum legit: in pagis autem tribubus certis sive aliis ejusmodi ordinibus distinctis, deliguntur primi quique, quos nondum pro patria arma tulisse constat, usque dum numerus destinatus compleatur. In quibusdam tribubus deligitur quartus, quintus vel sextus, prout necessitas requirere videtur. Quivis autem delectum se esse gaudet et sibi honori ducit. In castris vivitur legibus et omnes amore fraterno se invicem prosequuntur, depositis privatis, si quae prius intercesserant, odiis.

Helvetii ad invadendum hostem prompti, nullo impetu hostis, ne vehementissimo quidem terrentur: parta victoria, veniam deprecantibus, dant pacem. Et ne quod dissidium ex praedae distributione oriatur, si qua est parta, ex aequo dividunt. Verum de legibus militaribus alias dicetur.

Pari modo bonas leges pacis tempore, bonarum item literarum studia colere, justitiam conservare, nemini sine justa causa bellum inferre, injuria affectis auxilio esse populus Helveticus consuevit. Qua de causa multi externi et a foedere Helvetico alieni, ad Helvetiorum opem confugerunt. Quin etiam leges de homicidio, pace et his similibus rebus constitutae servantur quam arctissime: nec quicquam est quod huic optime constitutae Reip. desit.

Sunt denique Helvotii hac aetate liberales et hospitales erga quosvis tam peregrinos quam domesticos. In primis vero erga egenos et mendicos benefici sunt, quibus victum suppeditant nec hospitium denegant. Ea de causa in nulla regione plures sunt peregrini mendicantes quam apud Helvetios.

Praeter publicos, Ecclesiasticum et Politicum, tres in Helvetia sunt hominum ordines. Primus est nobilium, quorum alii extra urbes habitant et propriis Dominiis, arcibus ac judiciis praesunt, suisque privilegiis et titulis gaudent: quibus tamen nihil per tyrannidem agere nec propria bella gerere permittitur, sed cuivis accusanti jure tenentur respondere, et se submittere judicio ejus Pagi in quo habitant: Urbani Reip. praeficiuntur frequenterque publica munia exsequuntur, dum fiunt praefecti regionum, duces militum, etc. Alter ordo est civium, urbes et oppida nec non vicos primarios habitantium, hi aut mercaturam, aut opificia, multi denique agriculturam exercent. Tertius est eorum qui vicos, pagos et villas incolunt, et hi sunt agricolae, aut vinitores, aut armentarii.

Helvetiorum porro Rempubl. Dn. Josias Simlerus ex professo, et quam diligentissime descripsit duobus libris, quo ejus cognoscendae cupidos ablegamus, etc.

CHRONOLOGIAE HELVETICAE PARS PRIMA.

Prior numerus annum creati mundi, posterior annum ante natum Christum, postremus annum ante conditam urbem Romam, denotat.

ANNUS mundi	Ante Christum.	Ante cond. Romã.	
1656	2314	1562	HOC anno mundus diluvio interiit, superstite Noa cum filiis: A quibus deinde genus humanum propagatum, universum terrae orbem inhabitavit. Japeti posteri cunctas a monte Tauro et Cilicia terras ad ultimas usque Hispanias occuparunt, et ab iisdem Helvetia quoque inter Italiam, Galliam et Germaniam sita, tum primum coli et habitari coepit.
1964	2006	1254	Treviris, primum et vetustissimum Galliae oppidum, a Trebeta Nini filio condita.
1980	1990	1238	Circa haec tempora Turicum castrum juxta Limagum flumen ad lacum Tigurinum a Turico conditum urbis Tigurinae initium fuit. Non multo post castellum castro additum Tigurum vocitatum est.
1984	1986	1234	Viginti annis post Treverim conditam Salodorum Helvetii condidere.
2230	1740	988	Iis fere temporibus Helvetii cum Germanis continenter bellum gerebant, quotidianisque praeliis cum Germanis contendebant, cum aut suis finibus eos prohiberent, aut ipsi in eorum finibus bellum gererent. Hac de causa Suevus Rex Germanorum maxima vi adortus Helvetiam universam a Rheno ad flumen Limagum occupavit, et in dextra Limagi ripa, oppidum, Turico castro oppositum condidit: Quod non multo post profligatis Germanis, cum castro et castello Turico junctum, in unam coaluit civitatem. Unde Suevus secundus, post Turicum, conditor urbis Tigurinae perhibetur. De hoc testantur annales Helvetiorum.
3218	752	0	Roma a Romulo condita.
3332	638	114	Ancus Martius Romae regnabat. Elico Helvetius fabrilem artem exercens, transcensis alpibus Romam pervenit, ibique duobus annis commoratus, rediens domum dulces Italiae fructus secum ferebat. Quem secutus Aruns Clusinus, vino Italico Helvetios, ad opem ferendam emollit. Illi memores dulcium fructuum vinoque optimo allicefacti et expugnati, Aruntem in Italiam sequuntur. Haec est prima (cujus ab antiquis Scriptoribus fit mentio) Helvetiorum in Italiam expeditio. Occupaverant prius magnam Germaniae partem, ad Moenum usque flumen, Tacito teste. Ubi vero Italiae fertilitatem persensissent, neglecta Germania Italiae inhiabant. Unde postea pars ista Germaniae ab Helvetiis deserta Eremus Helvetiorum est dicta.
3381	589	163	Galli Helvetiorum auxilio, expeditionem in Italiam adornantes, Thuscos suis sedibus expulere. Illi sub Rhaeto Duce in Lepontias alpes migrantes novas quaerunt sedes. Hinc Lepontiae Alpes, a novis incolis, Rhaeticae cognominatae sunt, et Thusci, a Duce Rhaeti appellati, hodie Grisoni vocantur.
3580	390	362	Circa hunc annum Brennus, Siguini Regis Vesontini gener, Aventicum Helvetiorum expugnat.
3583	387	365	Helvetii a Senonibus Gallis mercede conducti sub Brenno Senonum Duce in Italia militabant, et Clusium oppidum oppugnant. Tandem Senones irritati, Helvetiorum auxilio Roma capta, Capitolium oppugnarunt, denique direpta, incensa et exusta urbe, ingenti praeda ditati domum redeunt, Polybio teste.
			Post haec Galli citeriores et ulteriores sese invicem bello lacessebant, Romanis interea annis XXX. securis agentibus.
3739	231	521	Boji Galli in Romanos expeditionem adornabant: Duces vero Aetas et Gallus Helvetios mercede accersebant, insciis Boiis. Igitur Boji Helvetiorum adventu territi, proditionem metuentes, cum Helvetiis praelio dimicant, seseque mutuo conficiunt.

Hoc

ANNUS mundi	Ante Christum.	urbis cond.	
3745	225	527	Hoc forte anno Boji denuo in Helvetia mercenarium militem conſcribentes Romanis bellum indicunt : Quo territi Romani, maximis undique copiis collectis, ſe Gallis opponunt. Praelio primum Romani ſuperati, poſtea ductu Atilii et Aemilii coſs. univerſum Gallorum exercitum ad internecionem caeciderunt.
3747	223	529	Romani cum Gallis Inſubribus bellum gerunt, quos prorſus ex Italia ejectos et expulſos cupiunt. Galli Helvetiorum auxilio freti in aciem copias educunt : ſed clade accepta reliquiae Inſubrum in montana Alpium confugiunt, ibique habitant.
3858	112	640	Cimbri ex Dania, Suedia, Norvegia, etc. oriundi cum Teutonib. Baltici maris accolis, Romanas provincias infeſtant, et in Illirico Carbonis Romani Coſ. exercitum vincunt.
3863	107	645	M. Junii Sillani Conſulis exercitus in Gallia Narbonenſi a Cimbris deletus eſt.
3865	105	647	Cimbri cum Tigurinis Helvetiis et Ambronibus Gallis ſocietate juncta tripartito agmine Provinciam Narbonenſem vaſtabant.
3866	104	648	L. Caſſius Roman. Conſ. occiſus, exercitusque ejus a Tigurinis pulſus, et ſub jugum miſſus eſt.
			Eodem anno exercitus Marci Aurelii Scauri a Cimbris, Tigurinis et Ambronibus fuſus, et Scaurus a Bolo, Rege Cimbrico, gladio confoſſus occubuit.
3868	102	650	C. Manlius Coſ. et Q. Servilius Caepio cum exercitu a Cimbris, Tigurinis eorumque Sociis ſuperati et ad internecionem caeſi, hominum circiter CXX. millia in Romanorum exercitu ſunt deſiderata.
3869	101	651	C. Marius Dictator creatus, exercitum contra Cimbros eorumque ſocios duxit, et in Provincia ad Aquas Sextias Teutones et Ambrones funditus ſuſtulit.
3870	100	652	Marius Dictator Cimbros, qui jam Alpes in Italiam tranſcenderant, ad Veronam fundit, fuſosque perſequitur. Tigurini vero qui Norico q. in ſubſidiis inſederant, teſte Floro, reliquias Cimbrorum excipiunt, domumque reverſi, iiſdem ſedem et habitationem juxta ſe concedunt. Illi montana et inculta, propius Alpes, coeperunt colere: A quibus Suitenſes, Sylvanii infra ſylvam, et Haslenſes oriuntur.
3912	58	694	Helvetii expeditionem in Galliam adornabant ſuaſu et hortatu Orgetorigis : propterea quod ipſe ſuae civitatis imperium obtenturus eſſet : ſed ex vinculis cauſam affectati imperii dicere coactus, miſere vitam finiit.
3914	56	696	Poſt Orgetorigis mortem nihilominus Helvetii, id quod conſtituerant facere conantur: oppida ſua omnia cum vicis incendunt et comburunt, totius Galliae ſe potituros confiſi. Caeſar Helvetios itinere per Genevam prohibet. Ipſi per Sequanos iter facientes in Heduis difficili et ancipiti praelio victi a Caeſare, foedus cum eo faciunt et redeuntes proprias ſedes reviſunt.
3916	54	698	Servius Galba Dux Caeſareanus, cum legione duodecima et parte equitatus, bellum Valeſiis intulit. At parte aliqua ſuorum amiſſa, exercitum in Antuates et inde in Allobrogas perduxit.
3922	48	704	Caeſar oppidum Agaunum in Valeſiis reſtaurat. Et iiſdem temporibus per Silium Nervam legatum Alpinas gentes in poteſtatem redegit.
3924	46	706	Julius Caeſar Imperator Romanorum declaratus, ſolus quinque annis imperat.
3926	44	708	Quidam nobiles Romani poſt Caeſaris et Pompeji civile bellum a Caeſare proſcripti in Helvetiis Sylvanis ſupra ſylvam, conſederunt : ut Helvetiorum annales referunt.
3929	41	711	Auguſtus Romanorum fit Imperator. Imperat LVI. annis.
3961	9	743	Forte XXXIII. anno Auguſti, Rhaeti a Tiberio et Druſo victi in poteſtatem rediguntur.
			Viberi, Seduni et Veragri communi nomine Valeſii dicti, Romano Imperio paruere.
			Iiſdem temporibus Tiberius gravia bella cum Germanis Tranſrhenanis, auſpiciis Auguſti Caeſaris geſſit, condiditque Forum Tiberii et Solium Caeſaris oppida ad Rhenum ſita.
			Rauricam, a Germanis devaſtatam, Auguſtus per Munatium Plancum reſtaurari curavit, eoque Coloniam civium Romanorum deduxit.
3970	0	752	In fine XLI. et initio XLII. anni, Imperii Auguſti, Dominus et Salvator noſter Jeſus Chriſtus, aeternus Dei filius, natus eſt verus homo ex intemerata Virgine.

ORDO ROMANORUM CAESARUM, QUI HELVETIAE IMPERARUNT.

Prior numerus annum Chriſti quo quiſque regnare coeperit, poſterior quot annos quiſque regnarit, denotat.

Annus initii Ann. Chriſti.	Nomen Imperatoris.	Regnavit Ann.	Menſ.	Res Helveticae.
16	Claud. Tib. Nero.	23		Rhaeti a Romanis propugnati, iiſdem contra Germanos auxiliantur.
39	C. Caeſar Caligula.	3	10	
43	Tiberius Claudius.	13	8	
57	Claud. Domitius Nero.	13	8	Helvetii ad Vindoniſſam praelio ſuperati ab Aulo Cecinna Imperio Rom. parere coacti, Provinciis Sequanae et Rhaeticae adnumerabantur, Urſa flum. diviſi.
71	Galba 1. Otto 2. Vitellius 3.			
71	Veſpaſianus.	9	11	In oppugnatione Hieroſolymitana auxilia ex Helvetiis accerſuntur.
81	Titus.	2	10	
83	Flavius Domitianus.	15	5	
98	Nerva Cocceius.	1	4	
99	Ulpius Trajanus.	19	6	
119	Aelius Hadrianus.	20	11	
140	Antoninus Pius.	23	3	
163	Antoninus Philoſophus cum Lucio. Aurelio Commodo Vero.	19		Sub his Lucius et Emerita Rhaetis Chriſtum praedicabant, ibidemque Martyrii coronam acceperunt.
181	L. Aur. Antonin. Commodus.	13		
194	Aelius Pertinax, Didius Julianus, et Septimius Severus.	18		Anno Chriſti 200. nomen Alemannorum innotuit, qui Romanas provincias infeſtare coeperunt.
212	Antoninus Baſſ. Caracalla.	7		Alemanni contra Romanos conjuraverunt, vocabantur tamen adhuc Germani.
219	Popilius Macrinus.	1	2	
220	Varius Heliogabulus.	4		
224	Alexander Severus.	13		
237	Maximinus.	3		
240	Gordianus.	6		
246	M. Julius Philippus.	5		
251	Decius.	2		
253	Gallus Hoſtilius.	3		
257	Licinius.	2		
259	Gallienus.	1[illegible]		
270	Flavius Claudius.	2		
272	Val. Aurelianus.	6		
278	Val. Probus.	6	3	
285	Carus.	2		
287	Diocletianus.	20		Sub hoc legio Thebaea in Valeſia martyrizatur Anno 291.
307	Conſtantinus Chlorus.			Anno 300. Alemanni irruptione facta urbes Helvetiae diruunt; Victi tamen a Conſtantino Chloro ad Vindoniſſam pedem referunt. Reſtaurantur urbes Helvetiae: Forum Tiberii per Certum, Conſtantia per Conſtantium, Vitodurum per Aurelium Proculum, et Tigurum per Decium urbis praefectum, ſub quo Foelix et Regula martyrium paſſi ſunt Tiguri. Hirtatus praefectus Salodorenſis Urſum et Victorem Martyres fecit.
309	Conſtantinus Magnus.	31		
340	Conſtantinus II.	1		
341	Conſtans.	13		
345	Magnentius.	3		
357	Conſtantius.	8		
360	Julianus.	2		
367	Jovinianus.	1		
368	Valentinianus.	12		
380	Valens.	2		
382	Gratianus.	6		
388	Theodoſius.	11		
399	Honorius.	29		Sub hoc deficere coepit Occidentis imperium.

Nam

Nam anno 406. Burgundi Sequanam Provinciam in Gallia, et simul Helvetiam Occiduam, Ursa flumine ab Orientali divisam, occupant. Eodem modo Franci partem reliquae Galliae vi capiunt: et Alemanni Rhaetiam, et Helvetiam Orientalem huic adjunctam, infestant, tandemque sibi vendicant. Franci denique Burgundos et Alemannos sibi parere cogunt. Ideoque faciem Chronologiae mutabo et uno ordine Romanos Imperatores, Burgundicos, et Francicos Reges juxta proponam, moxque Alemannos, in Romanorum Imp. locum substituam, utque alii aliis successerint suo loco et ordine ita disponam, ut cuivis attendenti facile sit videre successionem Imperii in Helvetia.

Anno Christi.	Imp.Rom.	Reg.Burg.	Reg.Fran.	Res Helveticae.
406	8 Honorius.	1 Gundicarius		Hoc anno Burgundi et Nuichthones Germaniae populi, facta in Galliam incursione, Helvetiam occiduam ab Ursa flumine Genevam usque protensam cum provincia Sequana occupant. Primus Rex Burgundorum Gundicarius erat.
407	9	2		
408	10	3		
409	11	4		
410	12	5		
411	13	6		
412	14	7		
413	15	8		Quoniam Franci postea universae Helvetiae imperarunt, commodum existimavi Francorum Regum ordinem hic adjungere.
414	16	9		
415	17	10		
416	18	11	1 Varamund.I.	
417	19	12	2	
418	20	13	3	
419	21	14	4	Aetius Dux Romanus gravia cum Burgundis bella gerit
420	22	15	5	
421	23	16	6	Franci in Galliam irrumpunt et Treverim occupant.
422	24	17	7	
423	25	18	8	
424	26	19	9	
425	27	20	1 Clodomir.2.	
426	28	21	2	
427	29	22	3	
428	1. Valentinianus ultimus Occidentis Imp. ante Carolum Magnum.	23	4	
429	2	24	5	
430	3	25	6	
431	4	26	7	
432	5	27	8	
433	6	28	9	
434	7	29	10	
435	8	30	11	
436	9	31	12	
437	10	32	13	
438	11	33	14	
439	12	1 Sigismund9	15	Alemanni vicinam Galliam infestant.
440	13	2	16	
441	14	3	17	
442	15	4	18	
443	16	5	19	
444	17	6	20	
445	18	7	21	
446	19	8	1 Meroveus.	
447	20	9	2	
448	21	10	3	
449	22	11	4	Atila Hunnus infinito pene copiarum numero Helvetiam invadit, omnesque urbes et oppida, quantumvis munitissima, expugnat, diripit et diruit. Sigismundum regem Burgundiae ad Basileam acie victum obtruncat. Tandem in Gallia superatus et magna clade affectus, domum redit.
450	1 Tigurini Orientalem Helvetiam inhabitantes, pertaesi jugum Romani Imperii excutiunt et Alemannis se adjungunt.	12	5	
451	2 Alemanni.	2 Gundibald.	6	
452	3	3	7	
453	4	4	8	

Anni

Anni Christi.	Reg. Burg.	Reg. Alem.	Reg. Franc.	Res Helveticae.
454	5	5	9	
455	6	6	10	
456	7	7	11	
457	8	8	12	
458	9	9	13	
459	10	10	14	
460	11	11	15	
461	12	12	16	
462	13	13	1 Hildericus.	
463	14	14	2	
464	15	15	3	
465	16	16	4	
466	17	17	5	
467	18	18	6	
468	19	19	7	
469	20	20	8	
470	21	21	9	
471	22	22	10	
472	23	23	11	
473	24	24	12	
474	25	25	13	
475	26	26	14	
476	27	27	15	
477	28	28	16	
478	29	29	17	
479	30	30	18	
480	1 Gundibald. F.	31	19	Gundibaldus filius, fratribus peremptis, solus regnat.
481	2	32	20	
482	3	33	21	
483	4	34	22	
484	5	35	23	
485	6	36	1 Clodoveus.	
486	7	37	2	
487	8	38	3	
488	9	39	4	
489	10	40	5	Clodoveus Clothildam Burgundam uxorem ducit.
490	11	41	6	
491	12	42	7	
492	13	43	8	
493	14	44	9	
494	15	45	10	
495	16	46	11	
496	17	47	12	
497	18	48	13	
498	19	49	14	
499	20	50 Clodoveus Francus Alemannos ad Tolbiacum vincit et in servitutem redegit.		Hoc anno Helvetia Orientalis, quae se Alemannis adjunxerat, Francorum Imperio subjicitur.
500	21	16 Clodoveus M. Rex Franc. et Aleman.		Hoc tempore S. Fridolinus vixit, qui post donatam sibi Glaronam regionem in Helvetiis, Sacconium monasterium in Rauracis condidit.
501	22	17		
502	23	18		
503	24	19		
504	25	20		
505	26	21		
506	27	22		
507	28	23		
508	29	24		
509	1 Sigismundus.	25		Clodoveus Gundibaldum Burgundum de regno dejecit, et filium Sigismundum, tributarium factum, in patris locum substituit.
510	2	26		
511	3	27		

Anni

Anni Christi.	Reg.Burg.	Reg.Alem.etFranc.	Res Helvetieae.
512	4	28	
513	5	29	
514	6	30 Clodoveus moritur, relicto regno filiis Hildeberto, Lothario, Clodomiro et Dieterico. Qui regnum partiti sunt ut Hildebertus Parisiis, Lotharius Suessionibus, Clodomirus Biturigib. circa Aureliam, et Dietericus Alemannis imperaret.	

Anni Christi.	R.Parif.	R.Sueff.	R.Bitur.	R.Alem.	R.Burg.	
515	1 Hildebert.	Lotharius.	Clodomirus.	Dietericus.	7. Sig.	
516	2	2	2	2	8	
517	3	3	3	3	9	
518	4	4	4	4	10	
519	5	5	5	5	11	
520	6	6	6	6	12	Sigismundus Rex Burg. filium suum Sigericum in gratiam novercae clam necari imperat.
521	7	7	7	7	13	

Clodomirus Rex Biturigum Sigismundum Burgundiae Regem, ob commissum in filio Sigerico latrocinium, acie devictum perimit. Filius Godemarus necem patris ulturus, recollectis viribus, Clodomirum praeliantem obtruncat. Hildebertus autem et Lotharius fratris vindicandi causa, Godemarum regno paterno exuunt et per mare in Africam ad Wandalos fugere cogunt, totiusque Burgundiae regnum ad se transferunt.

Partitio Regni fit talis.

Anni Christi.	Reg. Parisior.	Reg.Burgund.	Reg. Aleman.	
522	8 Hildebertus.	1 Lotharius.	8 Dietericus.	
523	9	2	9	
524	10	3	10	
525	11	4	11	
526	12	5	12	
527	13	6	13	
528	14	7	14	
529	15	8	15	
530	16	9	16	
531	17	10	17	
532	18	11	18	
533	19	12	19	
534	20	13	1 Theodebertus F.	
535	21	14	2	
536	22	15	3	
537	23	16	4	
538	24	17	5	
539	25	18	6	
540	26	19	7	
541	27	20	8	
542	28	21	9	
543	29	22	10	
544	30	23	11	
545	31	24	12	
546	32	25	13	
547	33	26	14	
548	34	27	15	
549	35	28	16	
550	36	29	17	
551	37	30	18	
552	38	31	1 Theobaldus F.	
553	39	32	2	
554	40	33	3	
555	41	34	4 Theob. moritur: Haeres Lothar.	Gothi pulsi ex Italia in Helvetiis apud Uranios considunt.

Anni Christi.	Reg. Parisior.	Reg. Burgund. et Aleman.	Res Helveticae.
556	42 Hildeb. moritur: Haeres Lotharius.	35 Lotarius solus.	
557		36	
558		37	
559		38	
560		39	
561		40	
562		41	
563		42	
564	43 Lotharius moritur. Filii sunt: Herbertus, Hilfricus, Gontramus, Sigbertus: isti partiuntur regnum ut sequitur.		

Anni Christi.	Suession. Rex.	Burg. Rex.	Alem. Rex.	Parisior. Rex.	Res Helveticae.
565	1 Hilfricus.	1 Gontramus.	1 Sigbertus.	1 Herbertus.	
566	2	2	2	2	
567	3	3	3	3	
568	4	4	4	4	
569	5	5	5	5	
570	6	6	6	6	
571	7	7	7	7	
572	8	8	8	8	
573	9	9	9	9 moritur.	
574	10	10	10		
575	11	11	11		
576	12	12	12		
577	13	13	13		
578	14	14	14		
579	15	15	1 Hilfuert. F.		
580	16	16	2 uxor. Brunhild.		
581	17	17	3		
582	18	18	4		
583	19	19	5		
584	20	20	6		
585	21	21	7		
586	22	22	8		
587	1 Lotarius F.	23	9		
588	2 Mater Fredgund.	24	10		
589	3	25	11		Dietfrid Dux Burgundiae Minoris sive Helveticae.
590	4	26	12		
591	5	27	13		
592	6	28	14		
593	7	29	15		
594	8	30	16		

Anni Christi.	Franc. Rex.	Burg. Rex.	Aleman. Rex.	Res Helveticae.
595	9 Lotarius.	31 Gontramus.	17 Hilfvert.	Paterniacum Monasterium conditur.
595	10	32	18	Wandelmarus Dux Burgundiae Minoris II.
597	11	33 Moritur.	19	
598	12	20 Hilfuert solus.		I. Luitfrid. Dux Alemanniae.
599	13	21		II. Hunc sequitur Unzelinus sive Cunzelinus.
600	14	22 moritur.	Filii	
610	15	1 Dietericus. B. R.	1 Dietbertus. A. R.	
602	16	2	2	
603	17	3	3	
604	18	4	4	
605	19	5	5	
606	20	6	6	
607	21	7	7	
608	22	8	8	
609	23	9	9	Prothadius Dux Burgundiae Minoris III.
610	24	10	10	

Anni Christi.	Franc. Rex.	Burg. Rex.	Aleman. Rex.	Res Helveticae.
611.	25	11	11	
612	26	12	12	
613	27	13	13	
614	28	14	14	
615	29	15	15	Lacus Thunensis apud Helvetios incaluit adeo, ut pisces prae calore morerentur.
616	30	16	16	
617	31	17 Dietericus fratrem Dietbertum debellatum interficit et Alemanniae duobus annis imperat. Quem Brunhildis mater haustu veneni enecat, et cum nepotibus duobus adhuc annis regnat. Quibus cum avia interemptis Lotharius solus regnat.		
618	32			Helvetii orientales in Burgundiam minorem irruptione facta omnem occiduam Helvetiam direptionib. et caedib. vastant.
619	33			
620	34			
621	35 Lotharius solus.			
622	36			
623	37			
624	38			

Francorum Reges.

Anni Christi.	Francorum Reges.		Res Helveticae.
625	39 Lotharius.		
626	40		
627	41		Dagobert. filius Lotharii a patre Burgundiae et Alem. praeficitur.
628	42		
629	43		S. Gallus fit Eremita. Sigbert Dux Alemanniae IV.
630	44		
631	45		
632	1 Dagobertus Filius.		Gonzo sive Cunzo Dux Alemanniae V.
633	2		
634	3		Circa haec tempora Episcopalis sedes Vindonissa Constantiam transfertur.
635	4		
636	5		
637	6		
638	7		
639	8		
640	[illegible]		
641	10		
642	11 Moritur. Filii partiuntur regnum.		
643	1 Clodoveus Burg. Rex.	1 Sigebertus Aleman. Rex.	
644	2	2	Talto Comes in Turgovia vixit.
645	3	3	Flaucatus Major domus Burgundiae sive Palatinus Burgundicus vixit.
646	4	4	Vilboldus Dominus Burgundiae M.
647	5	5	
648	6	6	
649	7	7	
650	8	8	
651	9	9	
652	10	10	
653	11	11	
654	12	12	
655	13	13	
656	14	14	
657	15	1 Hilfuert Grimus. F.	Helvetia Alemannica bello infestatur.
658	16	2 Interficitur.	
659	17 Clodoveus solus.		
660	18		
661	19		
662	20 Filii		
663	1 Lotarius B. R.	1 Hildericus A. Rex.	
664	2	2	
665	3	3	
666	4	4	

Annus Christi.	Franc. Reg.	Alem. Reg.	Res Helveticae.
667	1 Dietericus frater.	5	
668	2	6	
669	3	7	
670		8 Hildericus solus.	Dictericus propter tyrannidem monasterio inclusus vitam agit monasticam.
671		9	
672		10	
673		11	
674		12	
675		13	
676		14	
677		15	
678		16	Interfecto Hilderico revocatur Dietericus e Monasterio ad Imperium.
679	1 Dietericus frater.		
680	2		
681	3		
682	4		
683	5		
684	6		
685	7 Dietericus II.		
686	8		Leodigarius martyrizatur.
687	9		Pipinus Palatinus vixit.
688	10		Palatinorum potentia crescere coepit.
689	11		Martinus Dux Alemanniae VI.
690	12		Godefridus Dux Alemanniae VII.
691	13		
692	14		
693	1 Clodoveus III. sive Ludovicus F. Dieter.		
694	2		Conditur Monasterium majus in urbe Tigurina a Ruperto Duce militum Regis Ludovici.
695	3		
696	4		Wighardus frater Ruperti condit Monasterium primum Lucernense.
697	1 Hildbert frater. Dieterici II. filius.		
698	2		
699	3		
700	4		
701	5		
702	6		
703	7		
704	8		
705	9		
706	10		
707	11		Luitfrid filius Godefridi, Dux Alemanniae VIII.
708	12		
709	13		
710	14		
711	15		
712	16		
713	17		
714	18		
715	19 Hildbert moritur.		
716	1 Dagobert. II. Filius.		
717	2		Carolus Martellus Palatinus vel major domus Regum Francorum.
718	3		
719	4		Daniel cognomine Hildbert, evectus a quibusdam ad imperium regni Francici, a Carolo Martello cum sociis vincitur.
720	1 Lotarius Dieterici II. filius et frater Hildeberti.		S. Otmarus primus Abbas S. Galli.
721	2		
722	3		
723	4		
724	5		Vatilo et Odilo Duces Alemanniae IX.
725	6		

1 Diete-

Anni Christi.	Reges Francorum.	Res Helveticae.
726	1 Dietericus III. Filius Dagoberti II.	
727	2	
728	3	
729	4	
730	5	
731	6	
732	7	
733	8	
734	9	
735	10	
736	11	
737	12	
738	13	
739	14	
740	1 Hildrich frater, Dagoberti II. filius	
741	2	Carolo Martello Palatino mortuo succedit Pipinus filius.
742	3	
743	4	
744	5	
745	6	
746	7	
747	8	
748	9	
749	10	
750	11	
751	12	
	Pipinus Caroli Martelli Palatini filius, cum et ipse fuisset major domus annos decem, consensu Procerum factus est Rex Francorum; authoritate Zachariae Pontificis: Hilderico Rege in Monasterium incluso, et ut regium nomen deponeret coacto.	
752	1 Pipinus.	In Helvetia orientali Valram Comes Turgovius et Victor Curiensis Comes apud Rhaetos, dominabantur.
753	2	
754	3	
755	4	
756	5	
757	6	Ruthardus Comes Kiburgensis et Turgovius vixit.
758	7	
759	8	
760	9	
761	10	
762	11	
763	12	
764	13	
765	14	
766	15	
767	16	
768	17	
769	1 Carolus Pipini Filius. Postea cognomento Magnus dictus.	
770	2	
771	3	
772	4	
773	5	
774	6	
775	7	
776	8	Carolus per Helvetiam Romam proficiscitur.
777	9	
778	10	
779	11	

Anni Christi	Reges Francorum			Res Helveticae.
780	12			
781	13			
782	14			
783	15			
784	16			
785	17			
786	18			
787	19			
788	20			
789	21			
790	22			
791	23			
792	24			
793	25			
794	26			
795	27			
796	28			
797	29			
798	30			
	31	Carolus M.		
799	32			
800	33			
801	34	Carolus, ob res magnas fortissime gestas, Magni nomen est adeptus. A Pontifice Leone III. Imperator Occidentis declaratur, et coronatur faustis acclamationibus.		
802	35		2	
803	36		3	
804	37		4	
805	38		5	Hunifridus, Comes Curiensis apud Rhaetos et Dominus Histriae, condidit Monasterium Schennis in castris Rhaeticis.
806	39		6	
807	40		7	
808	41		8	
809	42		9	
810	43		10	Hoc anno Carolus M. Ecclesias in Helvetiis liberalissime donavit. Inprimis vero Monasterium magnum Thuricense ad dignitatem Praepositurae Imperialis evexit, urbemque Tigurinam eximiis privilegiis ornavit.
811	44		11	
812	45		12	
813	46		13	
814	47		14	
815	1	Ludovicus Fil.		
816	2			
817	3			
818	4			
819	5			
820	6			
821	7			
822	8			
823	9			
824	10			
825	11			Urbs et Episcopus Curiensis in fidem et patrocinium Imperii recipiuntur.
826	12			
827	13			
828	14			Helvetii Suitenses, Subsilvani et Haslenses in Italiam evocati, Saracenos Italiam infestantes et Romam diripientes, nefaria fuga Italiam relinquere cogunt. Quamobrem ab Imperatore libertate donati sunt.
829	15			
830	16			
831	17			
832	18			
833	19			
834	20			
835	21			

Anni Christi.	Reges Francorum.	Res Helveticae.
836	22	
837	23	
838	24	Ludovicus Helvetiam, Alemanniam et Burgundiam filio Carolo Calvo regendas tradit.
839	25	
840	26 Ludovicus moritur.	Rupertus et Adelbertus de Imperio Rhaetiae dimicant : sed Adelbertus superior evasit.
841	1 Carolus Calvus Helvetiae Dominus.	
842	2	

843 Filii Ludovici, Lotarius, Ludovicus et Carolus Caluus de Imperio conveniunt, ut Lotarius Italia, Provincia, et terris ab Alpibus intra Rhenum et Mosam (exceptis quae ad Alemanniam pertinent) jacentibus cum dignitate Imperiali sit contentus, Carolus Galliae Imperium obtineat, Ludovicus vero Bavariam, Saxoniam, Turingiam et Alemanniam habeat. Hac partitione facta Helvetia divisa, Alemannica Ludovico Germaniae Regi, Burgundica Lotario Imperatori paruit: Nec unquam postea Galliae Reges quicquam juris in illam habuerunt. Itaque successionem Gallorum Regum intermittam, et seriem solummodo Imperatorum Romanorum, Dominorum item Burgundiae et Alemanniae juxta proponam, ut in promptu sit videre cui quisque parti imperaverit.

	Imper. Rom.	Reg. et D. Burg.	Reg. et D. Alem.	Res Helv.
844	1 Lotarius L. F.	1 Lotarius Imp.	1 Ludovicus L. F.	
845	2	2	2	
846	3	3	3	
847	4	4	4	
848	5	5	5	
849	6	6	6	David Lausannensis Episcopus interficitur.
850	7	7	7	
851	8	8	8	
852	9	9	9	
853	10	10	10	
854	11	11	11	
855	12	12	12	
856	1 Ludovicus F.	1 Lotarius F.	13	
857	2	2	14	
858	3	3 Hugbertus Abbas Dux Burg. M	15	
859	4	4	16	
860	5	5	17	S. Meinradus Eremita latrocinio opprimitur.
861	6	6 Conrad Comes, Dux Burg. M.	18	
862	7	7	19	Monasterium sive Collegium foeminarum Tigiri a Ludovico Aleman. Rege conditur.
863	8	8	20	
864	9	9	21	
865	10	10	22	
866	11	11	23	
867	12	12	24	
868	13	13	25	
869	14	14	26	
870	15	15 Lotarius moritur.	27	
871	16	1 Conrad. regnum obtinet.	28	
872	17	2	29	
873	18	3	30	
874	19	4	31	
875	20	5	32	
876	1 Car. Caluus Rex Galliae.	6	1 Carolus Crassus Filius.	
877	2	7	2	Monasterium foeminarum nobilium Tigiri consecratur.
878	2 Lud. Balbus F.	8	3	
879	3	[illegible]	4	

Anni Christi.	Imp. Rom.	R. et D. Burg.	R. et D. Aleman.		Res Helvet.
880	1 Carolus Crassus, Rex Alem.	10 Conradus.	5 Carol. Crassus F.		
881	2	11	6		
882	3	12	7		Carolus Crassus Santgallum venit.
883	4	13	8		
884	5	14	9		
885	6	15	10		
886	7	16	11		
887	[illegible]	17	12		
888	1 Arnolphus ex fratre nepos.	1 Rod. F. Rex creatur.	1 Arnolph. nepos.		Arnolphus Rodolphum Burgundiae Regem bello persequitur.
889	2	2	2		
890	3	3	3		
891	4	4	4		Boso Lausanuensis Episcopus Salodori inauguratur.
892	5	5	5		
893	6	6	6	1	Berchtoldus et Erchingerus fratres Duces Alemanniae vixerunt.
894	7	7	7	2	
895	8	8	8	3	
896	9	9	9	4	
897	10	10	10	5	
898	11	11	11	6	
899	12	12	12	7	
900	13	13	13	8	
901	14	14	14	9	
902	15	15	15	10	
903	16	16	16	11	
904	17	17		12 Bercht.	
905	18	18		13 Erch.	
906	19	19		14	
907	1 Ludovicus F.	20		15	
908	[illegible]	21		16	
909	3	22		17	
910	4	23		18	
911	5	24		19	
912	6	25		20	
913	1 Conradus I. Dux Franconiae.	20		21	
914	2	27		22	
915	3	28	1 Burchardus Dux.		
916	4	29	2		Bercht. et Erch. Alem. D. truncati capitib. Diruitur arx in Stamheim.
917	5	30	3		
918	6	31	4		Rodolf. Burg. Rex a Burchard. Alem. Duce ad Vitodurum praelio superatur.
919	7	32	5		
920	1 Heinricus I. Dux Saxoniae.	33	6		Imperium Romanum ad Germanos transfertur.
921	2	34	7		Rodolf. Burg. Rex Regem Italiae se facit
922	3	35	8		
923	4	36	9		Burchardus Santgallum diripit.
924	5	37	10		
925	[illegible]	38	11		Ungari Helvetiae partem populantur.
926	7	39	1 Hermannus.		
927	8	40	2		
928	9	41	3		
929	10	1 Conradus Fil.	4		
930	11	2	5		
931	12	3	6		
932	13	4	7		

Anni Christi.	Imp.Rom.	Reg.Burg.	Duc.Alem.	Res Helvet.
933	14 Heinricus I. Dux Saxoniae.	5 Conr. Fil.	8 Hermannus.	
934	15	6	9	
935	16	7	10	
936	17	8	11	
937	1 Otto Filius.	9	12	Monasterium Sangallense restauratur. Ungari ad Sacconium acie victi.
938	2	10	13	
939	3	11	14	
940	4	12	15	
941	5	13	16	
942	6	14	17	
943	7	15	18	
944	8	16	19	Conradus Burg. R. Imperio Germanico ab Imperatore subjicitur.
945	9	17	20	
946	10	18	21	
947	11	19	22	
948	12	20	1 Luitolph. Ottonis Imp. F.	
949	13	21	2	
950	14	22	3	
951	15	23	4	
952	16	24	5	
953	17	25	6	
954	18	26	7	
955	19	27	8	
956	20	28	9	
957	21	29	1 Burchardus II. Burch. I. Fil.	
958	22	30	2	Sangallum moenibus cingitur.
959	23	31	3	
960	24	32	4	
961	25	33	5	
962	26	34	6	
963	27	35	7	
964	28	36	8	
965	29	37	9	
966	30	38	1 Otto Luitolphi Filius.	Monasterium in monte Duelli extructum.
967	31	39	2	
968	32	40	3	
969	33	41	4	
970	34	42	5	
971	35	43	6	
972	36	44	7	
973	37	45	8	
974	1 Otto II.	46	9	
975	2	47	10	
976	3	48	11	
977	4	49	12	
978	5	50	13	
979	6	51	14	
980	7	52	15	
981	8	53	16	
982	9	54	17	
983	10	55	1 Conradus.	
984	1 Otto III.	56	2	
985	2	57	3	
986	3	58	4	
987	4	59	5	Conzelinus Comes Habsburgensis vixit.
988	5	60	6	

Anni Christi.	Imp.Germ.	Reg.Burg.	Duc.Alem.	Res Helvetic.
989	6 Otto III.	61 Conrad.	7 Conradus.	
990	7	62	8	
991	8	63	9	
992	9	64	10	Conspiratio Rusticorum in Turgovia contra nobilitatem.
993	10	65	11	
994	11	1 Rodolfus Conradi Fil.	12	
995	12	2	13	
996	13	3	14	
997	14	4	1 Hermannus.	
998	15	5	2	
999	16	6	3	
1000	17	7	4	
1001	18	8	5	
1002	1 Henricus II.	9	6	
1003	2	10	7	
1004	3	11	1 Hermannus F.	
1005	4	12	2	Monasterium Duelli Steinam ad Rhenum transfertur.
1006	5	13	3	
1007	6	14	4	
1008	7	15	5	
1009	8	16	6	Templum Episcopale Basileae novum extructum.
1010	9	17	7	
1011	10	18	8	
1012	11	19	1 Ernestus.	
1013	12	20	2	
1014	13	21	3	
1015	14	22	1 Ernestus Fil.	
1016	15	23	2	
1017	16	24	3	
1018	17	25	4	Templum Basileense dedicatur.
1019	18	26	5	
1020	19	27	6	
1021	20	28	7	
1022	21	29	8	
1023	22	30	9	
1024	1 Conrad. Franconiae Dux.	31	10	
1025	2	32	11	
1026	3	33	12	
1027	4	34	13	
1028	5	35	14	Basilea immunitate concessa Imperio subditur Germanico, sublato jugo Regni Burgundici.
1029	6	36	15	
1030	7	37	1 Herman. Fr.	
1031	8	38	2	
1032	9	1 Heinricus Imperatoris F. Otto cum illo.	3	Wernerus Comes Kiburg. cum multis nobilibus caeditur.
1033	10	2	4	Rodolf. B.R. moriens Imp. regnum tradit.
1034	11	3	5	
1035	12	4	6	Moratum et Novocastrum ab Imp. obsessa.
1036	13	5	7	
1037	14	6	8	Imperator Tiguri hyemabat.
1038	15	7	1 Heinricus Imp. F.	
1039	1 Heinric. F.	8	2	Burgundia M. deditionem facit.
1040	2	9	3	
1041	3	10	4	Moratum et Geneva ab Imp. expugnantur.
1042	4	11	5	
1043	5	12	6	Comitia Imperialia Constantiae habentur.
1044	6	13	7	

Anni Christi.	Imp. Rom.	Reg. Burg.	Duc. Aleman.	Res Helvet.
1045	7 Heinricus F.	14 Heinr. Imp F. Otto cum illo.	1 Otto Ottonis tertii nepos.	
1046	8	15	2	
1047	9	16	3	
1048	10	17	1 Otto.	
1049	11	18	2	
1050	12	19	3	
1051	13	20	4	
1052	14	21	5	Initia urbis et Collegii Scaphusiani in hunc annum incidunt.
1053	15	22	6	
1054	16	23	7	
1055	17	24	8	
1056	18	25	9	Heinricus Imp. Tiguri nuptias celebrat.
1057	1 Heinricus IV. F.	1 Reinoldus Comes B. M.	1 Rodolphus.	Heinricus Burgundiam M. Reinoldo Comiti regendam tradit; Unde postea Burgundiae Rectores dicti sunt illius successores
1058	2	2	2	
1059	3	3	3	
1060	4	4	4	
1061	5	5	5	Comitia Imperialia Basileae habita.
1062	6	6	6	
1063	7	7	7	
1064	8	8	8	
1065	9	9	9	
1066	10	10	10	
1067	11	11	11	
1068	12	12	12	
1069	13	13	13	
1070	14	14	14	
1071	15	15	15	
1072	16	16	16	
1073	17	17	17	
1074	18	18	18	
1075	19	19	19	
1076	20	20	20	
1077	21	1 Wilhelmus.	21	Imperator iter per Helvetiam facit in Italiam.
1078	22	2	22	
1079	23	3	23	
1080	24	1 Reinoldus.	24	
1081	25	2	1 Fridericus Stauffensis.	Bellum Abbatis Sangallensis cum Berchtoldo Zeringensi et sociis in Turgovia.
1082	26	3	2	
1083	27	4	3	
1084	28	5	4	
1085	29	6	5	
1086	30	7	6	Bellum Abbatis Sangallensis cum Berchtoldo Zeringensi et sociis in Turgovia durat.
1087	31	8	7	
1088	32	9	8	
1089	33	10	9	
1090	34	11	10	Vermiculi volantes in maxima quantitate per Helvetiam circumvolant.
1091	35	12	11	
1092	36	13	12	
1093	37	14	13	
1094	38	15	14	
1095	39	16	15	
1096	40	17	16	Profectio in Syriam ad Bellum sacrum.
1097	41	18	17	
1098	42	19	18	
1099	43	20	19	
1100	44	21	20	

Anni Christi.	Imp. Rom.	Reg. Burg.	Duc. Aleman.	Res Helvet.
1101	45 Heinric. IV.	22 Reinoldus.	21 Frid. Stauff.	Circa haec tempora Imperator jurisdictionem Imperialem Turegum, Berchtoldo Zeringensi tradit, eumque Advocatum constituit.
1102	46	23	22	
1103	47	24	23	
1104	48	25	24	
1105	49	26	1 Fridericus Fil.	
1106	50	27	2	
1107	1 Heinric. V. Fil.	28	3	
1108	2	29	4	
1109	3	30	5	
1110	4	31	6	Comes Habsburgius in arce Butenheim obtruncatus
1111	5	32	7	
1112	6	33 Reinoldus deponitur.	8	
1113	7	1 Conrad. Zering.	9	Bellum Conradi Zeringensis cum Reinoldo Burgundo.
1114	8	2	10	
1115	9	3	11	
1116	10	4	12	
1117	11	5	13	
1118	12	6	14	
1119	13	7	15	
1120	14	8	16	Monasterium Angelbergicum in Subsylvanis conditum.
1121	15	9	17	
1122	16	10	18	
1123	17	11	19	
1124	18	12	20	
1125	1 Lotarius II.	13	21	
1126	2	14	22	
1127	3	15	23	
1128	4	16	24	
1129	5	17	25	
1130	6	18	26	Comitia Basileae habita.
1131	7	19	27	
1132	8	20	28	
1133	9	21	29	
1134	10	22	1 Frid. Barbarossa filius.	
1135	11	23	2	
1136	12	24	3	
1137	13	25	4	
1138	1 Conradus III.	26	5	Barbarossa Tigurum expugnat et Turicum castrum diruit.
1139	2	27	6	
1140	3	28	7	
1141	4	29	8	
1142	5	30	9	
1143	6	31	10	
1144	7	32	11	
1145	8	33	12	
1146	9	34	13	
1147	10	35	14	
1148	11	36	15	
1149	12	37	16	
1150	13	38	17	
1151	14	39	18	
1152	1 Fridericus Barbarossa.	1 Berchtoldus Zeringensis IV.	1 Frid. Imperatoris Conrad. Filius.	
1153	2	2	2	
1154	3	3	3	
1155	4	4	4	
1156	5	5	5	
1157	6	6	6	

Anni Christi.	Imp. Rom.	Reg.Burg.	Duc.Aleman.	Res Helvet.
1158	7 Frideric. Barb.	7 Bercht. Zer. IV.	7Frid.Imp.Conr.F.	Reinoldus Burgundus et Berchtoldus Zeringensis intercessione Imperatoris pace facta conveniunt, ut Reinoldus transjurana, Berchtoldus vero cisjurana, quae et Burgundia minor, sit contentus.
1159	[illegible]	[illegible]	[illegible]	
1160	9	9	9	
1161	10	10	10	
1162	11	11	11	
1163	12	12	[illegible]	
1164	13	13	13	
1165	14	14	14	
1166	15	15	15	
1167	16	16	16	Ludus equestris Tiguri habitus.
1168	17	17	17	
1169	18	18	18	
1170	19	19	19	
1171	20	20	20	
1172	21	21	21	
1173	22	22	22	
1174	23	23	23	
1175	24	24	24	
1176	25	25	25	
1177	26	26	26	
1178	27	27	27	Diessenhofium moenibus cingitur. Friburgum Nuichtoniae conditur.
1179	28	28	28	
1180	29	29	29	
1181	30	30	30	
1182	31	31	31	
1183	32	32	32	Comitia Constantiensia celebrata.
1184	33	33	33	
1185	34	1 Berchtoldus V.	34	Cappellae prope Tugium conditae.
1186	35	2	35	
1187	36	3	36	
1188	37	[illegible]	37	
1189	38	5	1 Fridericus.	
1190	1 Heinricus VI.	6	2	Berna in Helvetiis condita.
1191	[illegible]	7	1 Conradus.	
1192	3	8	2	
1193	4	[illegible]	3	
1194	5	10	[illegible]	
1195	6	11	5	
1196	7	12	6	
1197	8	13	7	
1198	1 Philippus.	14	8	
1199	2	15	9	
1200	3	16	10	
1201	4	17	11	
1202	5	18	12	
1203	6	19	13	
1204	7	20	14	
1205	8	21	15	
1206	9	22	16	
1207	10	23	1 Fridericus.	
1208	1 Otto IV.	24	[illegible]	
1209	2	25	[illegible]	Bellum circa Sangallum in Turgovia. Berchtoldus a nobilitate proditus vix evasit per praerupta Valesiae saxa.
1210	3	26	4	
1211	4	27	[illegible]	
1212	1 Fridericus II.	28	6	
1213	2	29	7	Imperator per Helvetiam ex Italia in Alsatiam proficiscitur.
1214	3	30	[illegible]	
1215	4	31	9	
1216	5	32	10	Magna Santgalli pars igne exuritur.
1217	6	33	11	

Anni Christi.	Imp. Rom.	Reg. Burg.	Duc. Aleman.	Res Helvet.
1218	7 Otto IV. sponte Imperio cedit.	1 Wernerus Comes Kiburg.	12 Fridericus.	Burgundia minor jure haereditatis ad Comites Kiburgenses devenit.
1219	8	2	13	
1220	9	3	14	
1221	10	4	15	Bernates omni auxilio destituti Sabaudiae Comiti sese dedunt.
1222	11	5	16	
1223	12	6	17	
1224	13	7	18	
1225	14	8	19	Diethelmus Toggenburgius insidiis fratris necatur. Abbas Sangallensis fratricidam bello persequitur.
1226	15	9	20	
1227	16	10	21	
1228	17	11	22	
1229	18	12	23	
1230	19	13	1 Conradus.	Civium et Cleri Tigurini ingens discordia.
1231	20	14	2	
1232	21	15	3	
1233	22	16	4	
1234	23	17	5	
1235	24	18	6	Bernates ob rem fortissime gestam a Sabaudo libertate donantur, et Imperio Romano restituuntur.
1236	25	19	7	
1237	26	20	8	
1238	27	21	9	
1239	28	22	10	
1240	29	23	11	Cives Tigurini Clerum ex urbe ejiciunt.
1241	30	24	12	Godefridus Habsburgius Bernam obsidet.
1242	31	25	13	Bellum in Turgovia circa Vilam.
1243	32 Frid. Imperio deponitur.	26	14	Godefridus Habsburg. Brugas oppidum diripit.
1244	33	27	15	
1245	34 Heinricus Landgravius.	28	16	
1246	35	29	17	
1247	35	30	18	
1248	37	31	19	
1249	38 Conradus F. et	32	20	
1250	1 Wilhelmus Comes Holandiae.	33	1 Conradinus.	Fridericus II. Imp. moritur.
1251	2	34	2	Clerus in urbem Tigurinam recipitur.
1252	3	35	3	
1253	4	36	4	Tigurinorum primum cum Uriis et Suitiis foedus.
1254	5	37	5	
1255	6	38	6	
1256	Wilhelmus caeditur, etc.	Hartmannus.	7	

Omnes isti post Fridericum a multis non habentur in Imperatorum numero. Ideoque ab anno 1250. a morte Frid. II. usque ad annum electionis Rodolfi Habsburgii 1273. Interregni 23. annos numerant. Alii a morte Wilhelmi ad Rodolphum, tantum 16. annos Interregni computant.

Alphonsus Castiliae Rex et Richardus Anglus discordia principum electi Imperatores, uterque cito periit. Alphonsus fines Germaniae non adiit: Richardus difficulter aliquot annos titulotenus Imperio praefuit. Affectavit etiam Conradinus, Dux Allemanniae, Conradi filius, Friderici II. nepos, imperium, sed captus et obtruncatus periit.

CHRONOLOGIAE HELVETICAE PARS ALTERA.

DE ALEMANNIAE DUCATU.

Quando Sueviae nomen acceperit, utque Helvetia Orientalis eidem detracta fuerit.

POST extinctam familiam Carolinam, quae in stirpe mascula defecit, Imperium a Francis ad alias Germanorum principum familias translatum est. Quo tempore Alemannia terminis angustioribus contracta Sueviae nomen accepit, ejusque Duces Alemanniae quidem, frequentius tamen Sueviae Duces sunt appellati · Quamvis propter ordinem Chronologiae Alemanniae nomen retinuerim.

At vero pars Orientalis Helvetiae Francorum Regum temporibus Alemanniae Ducatui erepta fuit, quippe Episcopis Constantiensibus et Abbatibus Sangallensibus, dono Imperatorum immunitate concessa, in suos dominantibus: Mox etiam Comites Kiburgii et alii Orientalis Helvetiae toparchi, libertate concessa, in Imperii tutelam recepti sunt. Sola jurisdictio in omne Turegum, Ducibus Sueviae permittebatur usque ad tempora Heinrici IV. qui Berchtoldi Zeringensis mitigandi causa, eam illi tradidit, ut Imperatoris dono urbis et utriusque Collegii Advocatus diceretur. Mortuo vero Berchtoldo V. ultimo Zeringensi Duce, Collegiorum et urbis Tigurinae advocato, Fridericus II. cives Tigurinos in Imperii tutelam recepit, circa annum Christi MCCXVIII. multisque aliis privilegiis ornavit. Sic omni jure Ducibus Sueviae erepto, Helvetia Orientalis soli Imperio paruit.

Qui tempore Interregni in Helvetia imperaverint.

IMperabant tum temporis in Helvetia Orientali Tigurum, Constantia et Sangallum liberae Imperii civitates, Urii, Suitii et Subsylvani, liberae conditionis homines: Lucernates item et Glaronenses, monasticis quidem familiis, Murbacensi et Sacconiensi obstricti, sua tamen libertate et immunitate gaudentes. Imperabant praeterea Episcopi Constantienses: Abbates Sangallenses: Landgravii Kiburgii et Turgovii: Comites Toggii, Rapersuilenses, Badenses et Habsburgii: Liberi denique Barones Regenspergii Graeningae Domini, Barones item Aeschenbachii Domini in Schuartzenberg, Snabelberg et Rüsseg, cumque his alii.

In Helvetia vero Occidentali sive Burgundica, quae et Burgundia minor appellatur, dominabantur non tantum Comites Kiburgii et Habsburgii Burgdorffii habitantes, sed etiam praeter urbes Imperiales Bernam et Salodorum, Episcopi Basilienses, Lausannensis et Genevensis: Comites item Sabaudiae, Novocastrenses, Arbergii, Nidovii, Remontenses, Grueriani, et caeteri Toparchae.

SEQUITUR CHRONOLOGIAE ORDO.

Prima ſeries eſt annorum Chriſti.
Secunda eſt annorum Caeſarum Germanorum, cum nominibus.
Tertia denique ſummam rerum Helveticarum continet.

A morte Frid. II. numerantur XXIII. anni Interregni ad Rodolphi electionem.

ANNI INTERREGNI a morte Wilhelmi Imperatoris ad Rodolphum I.

Imperatores Germani.	Anni Chriſti.	Res Helveticae.
	1250	
	1251	
	1252	
	1253	
	1254	
	1255	
	1256	
1	1257	
2	1258	
3	1259	
4	1260	In hunc annum incidit initium bellorum, quae Helvetii (hodie foederati die Eydgenoſſen) pro libertate tuenda adverſus Nobilitatem geſſerunt.
5	1261	
6	1262	Tigurum a Conradino Sueviae Duce proſcriptum Richardus Imperator eximit.
7	1263	Vitodurani turrim Windthurn ſolo aequant.
8	1264	Familia Comitum Kiburgiorum in Hartmanno ultimo extinguitur, haeredes ſunt Habsburgii. Rodolphus Alemannicos, Eberhardus Burgundicos dominatus, haereditatis jure obtinet.
9	1265	Tigurini, auxilio Rodolphi Habsburgii, Huldricum Regenſpergium bello perſequuntur.
10	1266	
11	1267	Uzenberga, arx Regenſpergii, a Tigurinis deſtruitur. 9. Aprilis.
12	1268	Oppidum Glanzenburg, et arces Vurtpia, Utliberga, Balderia, etc. Regenſpergii refugia, a Tigurinis diruuntur.
13	1269	
14	1270	Abbas Sangallenſis a Comitiſſae Raperſuilanae viduae exercitu praelio ſuperatur, in Marcha. Waltherus Baro Elconienſis pugna Adorfienſi fit ſuperior.
15	1271	
16	1272	Epiſcopiſcella in Turgea oppidum igni exuritur. Reinfeiden ſupra Baſileam ad Rhenum expugnatur. Suburbia Baſilienſia comburuntur.
	1273	Rodolphus Habsburgius Comes, auxilio Tigurinorum et Abbatis Sangallenſis, Baſileam hebdomadas VII. obſidione premit. Interim Electores qui Francofurtum convenerant Rodolfum Imperatorem eligunt. Qua re nunciata, obſidio ſolvitur, et Baſilienſes Imperatori reconciliantur.
1 Rodolph.		Rumholdus Ramſlenianus cum Huldrico Abbate Sangallenſi de Abbatia belligerat. Imperator Sangallum urbem in Imperii tutelam recipit, et Huldricum de Ramſuago, Abbati urbique dat Advocatum. Imperator Schuartzenbach oppidum in Turgea condit. Imperator Tigurinos pro veteribus et recentibus officiis eximiis privilegiis donavit, eorumque vexillum, honoris ergo, purpureo diademate coronavit. Imperator Urios, Suizios et Subſylvanos Nobilitati Helveticae reconciliat. Rodolfus Habsburgius Imperatoris agnatus Raperſuilenſem ducit, et Raperſuilae fit Dominus.
2	1274	
3	1275	Berna et Friburgum antiqua foedera renovant et confirmant.
4	1276	
5	1277	Imperator cives et Canonicos Tigurinos reconciliat. Runo Abbas Sangallenſis Abbatiſcellanum Ammanum captum vinculis conſtrinxerat. Igitur Abbatiſcellani Clanxiam arcem obſident.

Anni Christi.	Imper. Germ.	Res Helveticae.
1278	6 Rodolfus.	In oppido Sempach mulier nobilis leonem peperit.
		Imperator Ottocarum Bohemiae Regem praelio victum obtruncat. Qua pugna fideli opera Tigurinorum est usus; quorum C. equestri dignitate ornati in prima acie constitere et fortissime dimicantes plerique cecidere, quorum insignia honoris causa Tiguri in Franciscanorum templo depicta sunt.
		Eodem praelio Vitodurani re fortiter gesta, privilegiis non contemnendis ornati sunt.
1279	7	Imperator filio Rodolpho Sueviae Ducatum cum Turgeae Comitatu tradit. Is Conradum Comitem Friburgensem bello persequitur.
		Imperator arces Schoeneck et Richenstein in Rauracis diruit.
1280	8	Pistor Tigurinus a Senatu ob maleficia punitus, sui vindicandi causa majorem urbis partem, ad dextram Limagi sitam, incendit. Quo incendio universa fere, paucis domibus ereptis, absumpta est. Kriegius in annum MCCLXXV. ponit.
1281	9	Sangallum libertate donatur.
1282	10	Mulhusiani, tumultu excitato, incommodo sese invicem afficiunt.
		Wilhelmus Abbas Sangallensis ab Imperatore proscriptus, cum Imp. duobus annis continenter bellum gerit.
1283	11	Episcopus Basiliensis Pourentrut et Milan expugnat.
1284	12	
1285	13	Zofingenses Imperatori sese dedunt salvis privilegiis suis.
1286	14	Bernates Baronem Wyssenburgensem Simmiae vallis Dominum praelio vincunt, Jagbergum expugnant et oppidum Vimisium diruunt.
		Bernae magna pars incendio absumitur.
1287	15	Judaei ob nefaria facinora patrata Berna ejiciuntur. Ipsi, se contra publicam Imperii fidem expulsos, conqueruntur. Quamobrem Imperator Bernam eodem anno bis obsidet, nec expugnare valet.
1288	16	Fridericus Episcopus Curiensis a Comite Werdenbergensi, infra Valdulciam praelio superatus capitur. Ille carcere aliquandiu detentus, tandem e turre praecipitatus moritur.
1289	17	Albertus Austrius numeroso exercitu Bernam cingit. Bernates eruptione facta numero inferiores vexillum amittunt, virtute tamen superiores idem recuperant et Austriacos in fugam vertunt.
1290	18	Imperator Wilhelmum Sangall. Abbatem gravi bello persequitur, arces Clanziam et Wildbergam diruit, Ybergum obsidet: Abbas fuga trans Rhenum elabitur. Toggenburgum vetus deditionem facit, et Griessenberg destruitur.
1291	19	Imperator Suitiis privilegia sua confirmat.
		Bernates praelio ad collem, qui de tonitru nominatur, Austriacis superiores fiunt, iisdemque signa militaria decem eripiunt, Belpiamque et Gerenstein arces solo aequant.
		Comitissa Rapersuilana cum Tigurinis foedus init.
1292	1 Adolf.	Wilhelmus Abbas Sangallum redit, et bellum cum Imperatore redintegrat. Imperator moritur.
		Nobiles Ramsuagii ex improviso Sangallum occupare tentabant. Sed ea spe dejecti postea cum Sangallensibus in Riederholz adversa fortuna pugnarunt.
		Episcopus Constantiensis, Abbas Sangallensis, Tigurini et Constantienses Buchorn oppidum, ad lacum Acronium situm, vi captum diripiunt.
		Regio Abbatiscellanorum a Comite Werdenbergio Sarunetum Domino vallatur ferro et igne.
		Tigurini Abbatis Sangall. socii Vitodurum obsident, et praesidium Austriacum, quod eruptionem fecerat, repellunt. Crastino vero, cum per dolum Tigurinis nunciatum esset, Episcopi Constantiensis auxiliares copias advenire, ipsi inermes obviam procedunt, et per insidias ab Austriacis circumventi, incommodum accipiunt. 13. Aprilis.
1293	2	Villa in Turgea oppidum, Austriacis sese dedit; oppidani Suartzenbachium migrant, oppidumque igne injecto vastatur. Albertus Austrius Landsberg arcem Turgeae destruit. Abbas Clanxium subito restaurat.
1294	3	Tigurini cum praefecto Austriaco pacem et foedus feriunt.
1295	4	Basileae sexcentae domus et homines XL. incendio absumuntur.
		Zofinga urbs Imperialis ab Alberto Austrio occupatur et libertate privatur.
1296	5	Albertus Aust. Suandam apud Glaronenses diruit, et Burchardum Suandensem, populi Advocatum imperialem, isthinc expellit.

Tigu-

nni rifti.	Imper. Germ.	Res Helveticae.
	6 Adolf.	Tigurini Imperatoris nomine adversus Graeningenses, qui Alberto adhaeserant, expeditionem suscipiunt.
297		Lutholdus Regenspergius cum Tigurinis foedere jungitur.
298		Tigurini Rodolphum Rorbassanum nobilem ut hostem aggrediuntur. Lis tamen sine sanguine dirimitur.
	1 Albertus	Imperator Adolphus Imperio abdicatur et Albertus eligitur. Albertus pugna inter Spyram et Vormatiam superatum Adolphum interficit. 8. Julii. Albertus Imperator, conventu Vitoduri habito, Nobilibus et urbibus Helveticis privilegia sua confirmat. Albertus Nobilitatis instinctu Tigurum ex improviso obsidet; sed frustra consumptis aliquot diebus, solvit obsidionem, civitatemque in Imperii fidem recipit.
299	2	Wilhelmus Sangallensis Abbas Altstettum in Reguscis capit. Pace facta Imperatori reconciliatur. Villa Turgeae cum Imperatoris licentia restauratur. Oppidani domos suas Suartzenbachio Villam transferunt, et Suartzenbachium exhaustum deseritur.
300	3	Imperator numerosum exercitum in Helvetiis et superiore Germania conscribit, ad Batavos debellandos.
301	4	
302	5	
303	6	Civitates nonnullae Helveticae et Rhenanae contra grassatores, qui omnia itinera latrociniis infesta reddebant, foedus inierunt. Conjunctis itaque viribus in Simmiam vallem adversus Baronem Wyssenburgium proficiscuntur et oppidum Vimisium diruunt. Imperator Uriis, Suitiis et Subsylvanis negat confirmationem privilegiorum, sperans se filiis suis principatum potentia eximium hoc modo comparaturum, si civitates, libertate erepta, servire cogantur. Basilienses Ramsteniam cum aliis quinque arcibus et castellis fortissimis destruunt.
304	7	
305	8	
306	9	Biennates cum Bernatibus foedus faciunt. Bernates cum Friburgensibus Minnidurum Sabaudi Comitis obsident.
307	10	In haec tempora et annos Imperii Alberti incidit historia foederis Helvetici ex occasione injuriarum et tyrannidis, quam praefecti Austriaci apud Uranios et Undervaldios exercebant. Nam cum Albertus Imperator numerosa prole ditatus opibus et potentia suos augere cogitasset, cum alibi suam ditionem amplificare, tum in Helvetiis novum principatum instituere coepit: Et Imperator factus multa quae Imperii erant Austriis asserere et omnibus vicinis molestus et intolerabilis esse. Unde ne a liberae quidem conditionis hominibus, quales erant Urii, Suitii et Subsylvani, abstinuit, quin apud illos jura quaedam monasticis familiis extorqueret, eaque occasione, praefectos, non Imperiales, sed Austriorum nomine ipsis mitteret, qui varia injuriarum exempla edebant. His igitur incommodis affecti Urii, Suitii et Subsylvani inter se societate pacti exactis praefectis libertatem suam armis fortissime defenderunt. Injuriarum et tyrannidis praecipua haec sunt exempla. Landenbergius, qui Austriorum nomine Subsylvanis praeerat, diviti cuidam ejus Pagi civi nulla de causa aliquot boum juga abigere servos jubet: Forte boves aratrum trahebant, quos servus Landenbergii solvens, arroganter ipsosmet rusticos aratra trahere jubet: Filius itaque civis Arnoldus nomine, injuria commotus, stimulo quem manu tenebat, servo verberato digitum frangit et ad Uranios confugit. Landenbergius patrem ad se adductum et utroque lumine privatum, maxima bonorum parte mulctat. Paulo post Wolfenschiessius nobilis, Landenbergii in istis locis vicarius, civis cujusdam honesti uxorem, matronam honestam, forma egregiam, deperire coepit, quam absente marito et balneum parare cogit, et nudam in eodem apud se sedere jubet, post id illicitum concubitum impetrare sperans. Quod mulier proba praesentiens maritum qui haud procul domo aberat domum vocat: ille rei indignitate percitus, Wolfenschiessium in ipso balneo, securi capite ictu vehementiore contuso, necat. Haec cum in Subsylvanis gesta fuissent Grislerus Uraniorum praefectus occultam quandam conspirationem sentiens, illius investigandae causa Altorsi in foro pileum praelongae perticae imponit, et publice omnibus imperat, uti transeuntes huic honorem, ipsi principi debitum, exhibeant ac si ipse praesens foret. Sperans se hac arte

aliquem

Anni Christi.	Imper. Germ.	Res Helveticae.
	10 Albertus	aliquem hujus conspirationis conscium deprehensurum : Caeterum ex omni numero unus Wilhelmus Tellius despecto pileo transire solebat, ob quam causam accusatus, collocato ad scopum filio natu minimo eoque charissimo, et supra caput pueri imposito pomo, cogitur ad pomum ceu metam jaculari. Ipse Tellius insigni ausu re feliciter peracta insuper vinctus a praefecto Cussinacum ad perpetuos carceres abducitur, in quo itinere excussis compedibus praefectum immanissimum tyrannum trucidavit. Acta sunt haec mense Novembri Anni 1307.
1308		Interea foederatorum numerus augetur de die in diem et Calend. Januarii Anno 1308. per insidias capiuntur arces Rozbergum et Sarna in Subsylvanis, Landenbergius praefectus captus cum omni familia ad fines deducitur dato juramento ne unquam in has regiones redeat.
		Eodem tempore arces tyrannorum refugia apud Urios et Suitios diruuntur, missisque legatis tres illi pagi foedus in decennium fecere et jurejurando sanciverunt conditionibus mutui auxilii pro libertate tuenda, etc.
		Albertus rebus his auditis statuit pagos bello persequi, sed ad Ursam flumen a conjuratis aulicis interfectus, quod animo destinaverat, persequi non potuit, et filii in tempus magis opportunum distulerunt, de quo postea multa.
1308	11	Laupa Imperatori in tutelam Imperii traditur.
		Bernates et Friburgenses Minnidurum iterum obsident.
		Imperator Episcopi Basiliensis arcem Furstenstenam oppugnat.
		Tigurini mandato Imperatoris praepositum Constantiensem capiunt.
		Imperator Vindonissae trucidatur.
		Basileae duae factiones, una Episcopi, Imperatoris altera, tumultum excitant.
1309	1 Henricus VII.	Suitenses privilegio donantur : Ne quis praeter Imperatorem illis imperet, neve ab alio Advocatum, sive praefectum expectent.
		Imperator Romam proficiscens ex itinere Bernam divertitur.
		Monasterium S. Urbani bello petitum Imperatoris opem implorat. Ideoque Salodorenses Gutenbergam Imperatoris jussu capiunt.
		Alberti Imperatoris filii, patris vindicandi causa Liberam provinciam trans Alpam montem, (quae Baronis Aeschenbachii fuerat) occupant, diruunt oppidum Masuandum, arces denique Schnabelburgum in Alpe, Faruangam in Pago Verbigeno, Vartum et Multbergum in Irchelo monte, etc. Et si qui erant qui interemptores patris nullo fere jure cognationis attinebant, vel aliquo modo ipsorum fortunam miserebantur et auxilium ferebant, omnes promiscue caedebantur. In una arce Faruanga 63. eximiae nobilitatis viri capti, securi percutiebantur. Eo bello maximam Nobilitatis Helveticae partem periisse, et arces munitissimas destructas esse constat. Donabantur spoliis, hoc bello partis, Monasteria Königsfelden Vindonissae, et Toess monialium prope Vitodurum.
1310	2	Imperator Tigurum veniens Suitios privilegiis ornat. Ipsi Artum et Kussnacum ad Tuginum lacum a Comite Habsburgio emunt.
1311	3	Cum Suitii et Eremitanus Abbas multos annos omnia facerent et paterentur invicem quae ab hostibus expectari solent : Tandem intercedentibus Tigurinis pace facta reconciliantur.
		In Arola fluvio paulo supra Bernam LXXII. homines naufragio perierunt.
		Bernates oppidum Bremogartum urbi suae vicinum funditus diruunt. Arces Palmeggam et Munsingam solo aequant.
1312	4	Tigurini, Scaphusiani, Sangallenses et Constantienses foedere inito consociantur.
1313	5	Tigurini nonnulli cum Suitiis ob controversias quasdam dissidebant, qui tamen per Eberhardum Burgelensem, sui temporis Advocatum Tigurinum reconciliantur.
		Minor urbis Tigurinae pars, in sinistra Limagi ripa, igne fere tota absumpta est, a via cursoria ad pontem usque Limagi.
		Vitoduri pars superior periit incendio, quo homines XX. sunt absumpti.
		Constantiae in domo Judaei exoriebatur incendium : Ipse, quod Sabbatum esset Judaicum, ignem restinguere noluit, unde maxima pars urbis conflagravit.
		Lunae tres uno tempore in coelo visae, juxta quas Cometa exarsit.
1314	1 Ludovic.	Maxima dissidia et animorum exacerbationes in Helvetia oriebantur propter duos simul electos Imperatores Fridericum Austrium et Ludovicum Bavarum. Nobilitas et urbes quaedam Friderici partes tenuerunt : At Urii, Suitii et Subsylvani a Ludovici partibus stabant. Advocati Imperiales, quorum plerique partibus Friderici favebant, tyrannidem in liberos homines exercebant, ideoque consociatis armis e civitatibus ejiciuntur, et Ludovicus animos civitatum promisso auxilio, confirmabat.

Anni Christi.	Imper. Germ.	Res Helveticae.
	Ludovicus.	Suitenses Monasterium Eremitanum occupant.
		Urbs et Monasterium Sangallum cum templis et campanis omnibus incendio conflagravit, sex tantum domibus salvis manentibus. 15. Octob.
1315	2	Episcopus Basiliensis et Comes Kiburgius in Burgdorff junctis viribus bellum Novocastrensi Comiti inferunt: Prius tamen quam praelium committeretur uterque fuga dilabitur. Kiburgius postulat stipendium pro auxilio lato ac propterea Biennam Episcopi obsidet. Adventante Episcopo iterum fuga sibi consulit.
		Leopoldus Austrius in Urios, Suitios et Subsylvanos proficiscitur, a quibus ad Morgartum acie victus fugit. 16. Novemb.
		Iidem Comitem Strasbergium ex Subsylvania trans Brunicum montem fugere cogunt, plurimis de ipsius exercitu desideratis.
		URII, SUITII et SUBSYLVANI foedus primum in literas referunt et juramento confirmant, in die Nicolao sacro.
		Lucernates bello petuntur ab Uriis, Suitiis et Subsylvanis.
1316	3	Bellum Suitensium et Glaronensium pace facta finitur.
1317	4	Comites Kiburgii in Burgdorff, cum Austriis foedere icto, ne Subsylvanis commeatus subvehatur, prohibent.
1318	5	Salodorum, quod Caesaris Ludovici partes sequeretur, ab Austriis septimanas decem obsidetur. Bernates CCCC. militum subsidio misso, interim Kiburgio, Austriorum socio, omnem regionem igne ferroque vastant et Rerrenriedt arcem vi capiunt
		Comites Kiburgii cum aliis Nuichthoniae toparchis Valesiam cum exercitu intrant, sed victi tristes domum redeunt.
		Leopoldus Austrius et Wernerus Comes Hombergius Marchiae Dominus, cum Uriis, Suitiis et Subsylvanis pacem ad aliquot annos faciunt.
1319	6	Huldricus Hevensis Baro et Tigurini reconciliantur.
1320	7	Eberhardus Kiburgius, a servis Hartmanni fratris, in Tunia arce trucidatur. Qua re Tunenses offensi, causa fuerunt Hartmanno ut Bernatibus arcem et oppidum Tunense venderet, illorumque beneficio ut feudum reciperet.
1321	8	Episcopus et urbs Basiliensis foedus cum Tigurinis, cumque illorum Advocato Imperiali, faciunt ad annos aliquot.
1322	9	
1323	10	Johannes Habsburgius Rapersuilae Dominus cum Austriis adversus Urios, Suitios et Subsylvanos foedus init.
		Uriis, Suitiis et Subsylvanis ab Imperatore mittitur Advocatus Johannes Arbergius Comes, qui defensionem libertatis illorum pollicetur.
		Huldricus Russeccanus Baro, a Tigurinis captus, iisdem reconciliatur. 9. Octob.
1324	11	Rudolphus et Hartmannus Werdenbergenses Comites Austrios sequuntur. Henricus vero frater illorum germanus partibus Imperatoris favet.
		Austriaci Constantiam de improviso occupare conati, civium concurrentium impetu repulsi, plures quam centum eo conflictu cecidere.
		Bernates et Friburgenses Wildensteinam arcem destruunt.
		Laupam Gransonii Domino oppigneratam, Bernates de voluntate Caesaris redimunt.
		Bernates et Friburgenses Illingam et Erzenbachium expugnant.
		Bernates, socio Kiburgio, oppidum Landrense bis obsident, in gratiam Episcopi Basiliensis, annis 1324. et 1325.
1325	12	Tigurum, Constantia et Lindovia foederatae fiunt urbes.
1326	13	Leopoldus Austrius moritur.
1327	14	Inter Eberhardum Kiburgium et urbes Tigurum, Bernam, Friburgum, Basileam, Argentoratum, Sangallum, Lindoviam et Uberlingam fit foedus.
		Albertus Claudus Austrius Mulhusium obsessum expugnat.
		Civitates Helveticae cum Rhenanis foedus confirmant et renovant.
1328	15	
1329	16	Sangallenses multis toparchis et civitatibus consociantur.
1330	17	Clingenbergius Eques, cum Rotevilanis infeliciter pugnans, cecidit.
		Johannes Habsburgius Rapersuilae Dominus, fit haeres Marchiae, triumque arcium, nominis Wartenbergici, haud procul Basilea dissitarum. Hunc, agnati Albertus et Otto Austrii, urgent, ut traditis Dominiis suis, beneficii loco ab illis recipiat.
		Fridericus Austrius moritur, Otto perseverans in bello, Colmariam obsidet, tandem fit pax.

Anni Christi.	Imper. Germ.	Res Helveticae.
	Ludovicus.	Imperator Tigurum Austriis oppignerabat, sed Tigurini privilegiis prolatis ostendebant se ab Imperio alienari non posse.
1331	18	Tigurum excommunicationis Papalis fulmine ictum, ob fidem Caesari servatam, octodecim annis communione Ecclesiastica et usitatis Romanae Ecclesiae ceremoniis caruit. Sacerdotes et Clerici partim ejecti et expulsi, partim sponte urbem deseruere: soli Franciscani per unam portam egressi, per alteram rediere in urbem. Bernates Mullinensem arcem obsidione liberant. Episcopus et urbs Basiliensis, sociis Bernatibus, Salodorensibus, Biennatibus, etc. arcem Guminam expugnant et incensam comburunt.
1332	19	Tigurini in Colmarienses proficiscuntur; sed lite dirempta reconciliantur. Salodorenses proditi, commisso praelio, vincuntur a Comite Kiburgio. Wissenburgius Baro, Haseliae vallis incolis, pugna fit superior. Occulta conspiratio adversus LUCERNATES causa fuit sanciendi foederis cum Uriis, Suitiis et Subsylvanis.
1333	20	Lucernates in Ergoviam bellum moventes a praesidio Rotenburgico intercipiuntur. Tigurini, Bernates et Basilienses auxilio Argentinensium Schuanoviam arcem praedatorum receptaculum, subruunt. Urii Rhaetos in Ursellis vincunt.
1334	21	Haselianae regionis incolae pretio se redimunt a Dominis suis et Bernatum tutelae sese committunt. Tigurini excommunicati hostium suorum arces dejiciunt Schonerwerd, Freyenstein, Hohentuffen et Schlatt.
1335	22	Cum quidam proceres Reipubl. Tigurinae rem male administrassent sontes exilio multabantur, et facie Reipubl. mutata, tribus 13. constitutae, ex quibus Consul et Senatores eligerentur. Eques unicus urbi Rotevilae bellum indicit.
1336	23	Suitii hospitali (sic pauperum hospitia publica vocamus) Rapersuilano bellum inferunt: mox pace lis dirimitur.
1337	24	Exules Tigurini Johanni Habsburgio Rapersuilae Domino se conjungunt. Qua de causa Tigurini Rapersuilam obsident, et navibus trajecto lacu Grinovium petunt. Sed Comes instructo exercitu montem proximum insederat, et Tigurinos e navibus in terram descendentes, ex improviso adoritur, inque naves fugere compellit. Qua clade indignantes et ira concitati Tigurini denuo terrae appellunt, et de integro praelio decernunt, a quibus caesus est Habsburgius et cum eo plures eximiae nobilitatis viri, captaque hostium signa sex. 21. Septemb. Reconciliantur exules Tigurinis, Augustae Vindelicorum, Imperatoris opera. Exules grandi pecuniarum summa multati, quinque praeterea annis urbe prohibebantur.
1338	25	Berna Imperium Caesaris excommunicati recusabat: Ideoque omnis Nobilitas vicina in ejus perniciem conspiravit. Bernates arcem Korberg igne comburunt.
1339	26	Imperator Friburgensibus concedit ut Laupam a Bernatibus redimant. Bernates undique hostibus cincti offerebant se juri, sed frustra. Occupant igitur Simmiam Vallem, Arbergum obsident, et ad Laupam commisso praelio insignem victoriam reportant. Incendunt praeterea Burgistein arcem, Tunum obsident, et praelio ad Schonenberg Friburgenses vincunt.
1340	27	Exules Tigurini non servantes pacem, intercessione Agnetis Reginae Ungariae civitati reconciliantur. Bernates Hutvilam oppidum incensum comburunt. Per eosdem Signovia, Langnovia, Burgdorffum, Longa vallis, Pyrenestica, Arbergum, Erlacum, Nydovium, Tunum, aliaque oppida et celebriores vici vel vastati vel deditione capti sunt. Tandem Ungarica Regina Agnes pace conciliata bello finem imposuit. Tigurum, Constantia et Sangallum societatem ineunt ad annos quatuor. Mox Tigurini Altolandenberg et Schonenberg dejiciunt et diruunt.
1341	28	
1342	29	Tigurini diffidentes cum Scaphusianis reconciliantur, Brugis in Ergovia. Tumultus Constantiae excitatus cito sedatur.
1343	30	Paterniacum foedus cum Bernatibus facit. Bernates ob quosdam suorum a Friburgensibus trucidatos Schuarzenbach, Valetam et Gugisperg comburunt. Bernates Sabaudiae Comiti auxilia mittunt. Rheni, Limagi et Ursae inundationes agro Tigurino et aliis quam plurimis locis damno fuere.

Bernates

Anni Christi.	Imper. Germ.	Res Helveticae.
		Bernates hostibus suis Tunensibus et aliis frumentum quod in agris erat succidunt.
1344	31 Ludovicus.	Hoc anno frugum inopia annonae caritatem efficiebat, et Constantiensis Episcopus quotidie 4000. homines aluit.
		Foedus inter Tigurinos, Scaphusianos, Sangallenses et Constantienses hoc anno est factum.
		Campo S. Petri (vulgo Feldkirch) ignea materia coelo delapsa aliquandiu flagrabat, postea fine damno eodem unde venerat ascendit.
		Rosenberg arx in Abbatiscellanis per insidias a Gielanis occupabatur: Verum iidem paulo post per insidias interfecti sunt.
1345	32	Naufragio prope Rapersuilam homines quadraginta perierunt.
		Tigurini cum Basiliensibus et Scaphusianis foedus ineunt.
		Paulo supra Rheinfelden homines 130. naufragio Rheno submersi interiere.
1346	33	Bernates praelio ad Lubeckstaldam vincuntur.
		Iidem coacti sunt annonam armata manu e Spiez petere, propterea que hostibus suis messem iterum succisis frumentis intercipiunt.
		Berna moenibus ampliatur.
1347	1 Carol. 4.	Ludovicus Imp. moritur.
1348	2	Tigurum et Basilea foederatae fiunt urbes.
		Basilea et Salodorum ab excommunicationis anathemate liberantur.
1349	3	Tigurinus Clerus, anathemate pontificio abolito, post annum decimum octavum demum in urbem rediit.
		Grassabatur pestis tribus integris annis, multi hinc inde Judaei capite damnati, morte multabantur, quod veneficii accusati essent.
		Johannes Habsburgius Rapersuilae Dominus cum exulibus Tigurinis sociali foedere coibat adversus cives Tigurinos.
		Bernates et Friburgenses foederati Comiti Grueriano arcem Triemam incendunt et comburunt.
1350	4	Multi Comites, Barones atque Nobiles nocte, quae diem Matthiae sacrum praecessit, exulum opera, Tigurum proditione occupare conati sunt. Verum re frustra tentata, multisque nocturno tumultu caesis, Comes Toggius, navigio effugere tentans, Limago suffocatur: magnus Nobilium numerus captus: nonnulli truncati capite, caeteri ad rotam damnati. Solus Habsburgius et Boustettanus Baro capti in vincula conjiciuntur.
		Praefecti Austriaci foedus cum Tigurinis faciunt.
		Tigurini Rapersuilam vetus diruunt et Castellum, novam Rapersuilam occupant: Et quoniam Habsburgici nullas pacis conditiones acciperent, Tigurini oppidum et arcem Rapersuilam funditus destruunt.
		Nobilis quidam Waldnerus Sultzanus Tigurinis, ob captum Habsburgium, bellum infert, quo bello Argentinenses et Basilienses implicati cum Tigurinis pacem faciunt.
		Comes Gruerianus Friburgensibus bellum facere audet, qua de causa Bernates Grueriani arces Mannenberg et Laubegck capiunt.
1351	5	Basilienses Blamontem obsident.
		Berna et Salodorum foedus ineunt.
		Bernates Arbergium Comitatum emunt.
		Moratum et Berna foedere junguntur.
		Urii, Suitii et Subsylvani Habsburgum ad Lucernensem lacum comburunt.
		TIGURINI cum Lucernatibus, Uriis, Suitiis et Subsylvanis perpetuo foedere junguntur, et communi consensu principem locum nanciscuntur. Septembri deinde mense Albertus Austrius satis firmo exercitu, 22000. militum, Tigurum aliquandiu frustra obsedit. Pace tandem facta obsidio solvitur. Verum Austrius pactis non stetit, et Badae praesidia disponit: Propterea Tigurini excursionibus Comitatum Badensem ad Limagi et Arolae confluentem usque vastant, omniaque aedificia ad thermas incendunt. Inde praelium ad Tetuilam committitur, quo Tigurini exiguis copiis validum Austrii exercitum fundunt, hostibusque vexilla 6. eripiunt.
1352	6	Foederati Helvetii Monasterium Beronense in Ergovia cum septem aliis vicis comburunt.
		Austriaci Kussinacum ad Tuginum lacum incendunt.
		Bernates cum Biennatibus foedus faciunt.
		Glaronenses, quos anno superiore Helvetii superaverant, hoc anno cum Tuginis ab Helvetiis in foedus recipiuntur, et Pagis adnumerantur.

Anni Christi.	Imper. Germ.	Res Helveticae.
1352	6 Carolus.	Praesidium Austriacum Bremogardi collocatum excursionibus agrum Tigurinum infestat, et sub ipsis moenibus Tigurinis praedam agit. Itaque Tigurini eruptione facta 25. hostium obtruncant, et praeda recuperata reliquos in fugam disjiciunt. Eodem anno iterum obsidetur Tigurum 15. Julii, et pacis conditionibus Habsburgius carcere liberatur. Glaronenses Tigurinis milites 200. auxilio misere, qua re comperta Austriaci agrum Glaronensem cum exercitu ingrediuntur, et desideratis 50. non sine damno repulsi sunt,
1353	7	Joannes Habsburgius Alberto Austrio Tigurinorum hosti Rapersuilam tradit. Montis Brunici et lacus Brientii accolae Dominorum suorum imperia detrectaverunt, quorum a partibus Subsylvani stabant: Contra, Berna Dominorum partibus favente fit conflictus, quo Bernates victoria potiti incolas imperio suorum Dominorum parere cogunt. Inde res ad grave aliquod bellum spectare coepit, intercessione tamen reliquarum civitatum Helveticarum lis dirimitur, BERNA in numerum Pagorum Helveticorum recipitur; cui honoris ergo secundus post Tigurum locus assignatur. Eodemque anno Civitates Helveticae VIII. quas veteres nominamus, perpetuum foedus sanciunt. Controversia Bernatum cum Argentinensibus, Tigurinis, Lucernatibus, Basiliensibus et Friburgensibus Brisgoicis arbitris componitur. Imperator Carolus inter Austrium et Tigurinos inducias pangit.
1354	8	Basilea minor Calendis Maji incendio conflagravit 30. hominibus desideratis. Imperator Tigurum venit et civitatibus foedera renunciare suasit: Civitates autem mortem potiorem aestimant. Austriacum praesidium Rapersuilae impositum Tigurinorum fines invadit; Vallum, quo Meilani se munierant pugnando capit, 50. qui in praesidiis erant interfectis. 14. Augusti. Imperator auxiliis quae undique ab Imperio mittebantur Tigurum obsedit. Civitates foederatae Tigurinis praesidia mittunt, quibus visis Imperator obsidionem solvit.
1355	9	Austrius praesidium 500. equitum Ungaricorum Regenspurgo et Badae imponit, qui in Tigurinos grassabantur: sed intercepti a Tigurinis 60. uno conflictu cecidere, reliqui dispersi concitatissimis equis effugere. Imperator pacem inter Tigurinos et Austrium constituit. Basilienses Illsurtum obsident. Dominus Brandisius cum suis subditis civitate Bernensi donatur.
1356	10	Austrii cum Tigurinis foedus in quinquennium sanciunt. Basilea ingenti terrae motu concutitur 18. Octobris, quo plurimae domus conquassatae corruerunt et plures quam 100. homines perierunt, reliqui fuga elapsi aliquamdiu rure habitabant. Conciderunt eodem terrae motu in tractu Basiliensi 60. arces et Castella, praeter templa et alia ejusmodi aedificia.
1357	11	Basilea iterum terrae motu conquassatur.
1358	12	Godefridus Habsburgius novam et veterem Rapersuilam Austriis vendit.
1359	13	Tigurini foedus, quod cum Austrio pacti erant, ulterius ad septennium prorogant.
1360	14	
1361	15	
1362	16	Urii omnia jura Monasterii Wettingensis in Uraniis redimunt, et oneribus Ecclesiasticis liberantur. Carolus singulari quodam foedere cum Tigurinis jungitur, quibus omnia privilegia, vetera jura, et foedus recenter cum Helveticis civitatibus pactum confirmat. Consentit etiam ut Tigurini in foedus urbium Imperialium ad lacum Acronium sitarum recipiantur, quod ad mortem Caroli durare debuit. Ornabatur praeterea Tigurum eo privilegio, ut curiae Imperialis judicium (Germanice Hoff-Gericht) ibi exerceri possit: eo prorsus modo quo Rotevilae. Primus Judex Rodolphus Comes Arbergius constituebatur.
1363	17	Lacus Tigurinus prae nimio hyemis frigore glacie concrevit, ut anates et aliae aves aquatiles Tiguri per vias publicas incederent, et in aquae fontanae receptaculis cibum quaererent.
1364	18	
1365	19	Foedus Tigurinorum cum Austriis renovatum est.
1366	20	Angli in Alsatiam excurrunt; caeterum audito Caroli Imperatoris adventu, pedem retulerunt,

Tigu-

i.	Imper. Germ.	Res Helveticae.
6	20Carolus.	Tigurum, Berna, Lucerna et Salodorum copias auxiliares Basileam contra Anglos mittunt. Rudigerus Manessus Tigurinus Eques Sangallensi urbi Advocatus Imperialis constituitur. Basilienses adversus Egonem Comitem Friburgensem a Friburgensibus evocantur Endingam. Praepositus Augiae Insulae, in lacu Acroniò sitae, bellum Constantiensibus infert.
7	21	Biennates cum Bernatibus foedus ineunt, propterea Episcopus Basiliensis Biennam ex improviso occupat, civium aliquos in arcem captivos deducit, incensamque urbem comburit. Caeterum Bernates urbem et arcem expugnatam recuperant captivosque liberant. Episcopus Oltam Oppidum Comiti Novocastrensi, qui auxilium promiserat, oppignerat, neque tamen bellum audet patrare.
8	22	Bernates et Salodorenses in Grandem vallem adversus Episcopum Basiliensem excurrunt omnia vastantes. Inde bellum pace commutatur.
9	23	Inter Leopoldum Austrium et Suitios Tiguri pax constituitur, qui propter Tuginos hostili animo exardebant.
o	24	Wernerus Rinacus Praepositus Tigurinus quosdam Lucernates, in agro Tigurino captos, vinculis constrinxerat. Itaque Tigurini Rinacum cum suis exilio multabant.
1	25	Urii Godefridum Habsburgium interceptum capiunt, quem Rudolphus frater, pacis conditionibus, carcere liberat. Diessenhofen oppidum igne penitus conflagravit, unica tantum domo salva manente. Basilienses sociis Nidovio et Novocastrensi Comitibus Falckensteniam arcem, quo se grassatores quidam receperant, expugnant. Granzeus Dominus, Bernatum auxilio, arces quasdam capit. Basilienses Blauensteniam arcem obsident.
2	26	Scaphusianae urbis magna pars et una 70. homines consumuntur igne.
3	27	Sabaudus perpetuo foedere Bernatibus jungitur. Valesiani Paterniacum obsident.
4	28	Basilienses Pfeffingam et Haseburgum arces exurunt. Leopoldus Austrius Anglorum 80000. in Helvetiam evocavit. Sed victi praeliis ad Butisylvam, Ynseium et Frauenbrunnam, reliqui vastatis Helvetiis, Alsatis et Sequanis domum se recepere.
5	29	Basiliensis Episcopus Nydovium occupat. Comitis Nydovii haeredes bellum patrant, et Episcopus Nydovium deserere coactus fuit. Antonius Turrianus nobilis Valesianus Seonam arcem de improviso occupat et Episcopum, Guisquardum Gradecium nomine, comprehendit, deque rupe arcis praecipitem dat. Qua de re Seduni ad arma concurrunt et Turriani arces atque oppida vi expugnant et diruunt.
6	30	Leopoldus Austrius Basileae Bacchanalia celebrat, tumultuque excitato Nobiles quidam Austriaci periere. Authores capite damnati. Pax inter Austrios et Helvetios ulterius confirmatur. Turicus Brandisius exercitu e Simmia valle, cui dominabatur, collecto in Valesiam irrumpit ut Turriano opem ferat. Ipse cum exercitu periit.
7	31	Valesii Episcopum Eduardum Valesia pellunt, et Amedaeus Sabaudus frater Eduardi Valesianos bello petit eorumque regionem vastat.
8	32	Bombardarum usus in Germania repertus.
9	1Venceslaus.	
o	2	
1	3	
2	4	Bremogardum ad Ursam igne conflagravit. Rodolphus Kiburgius nocturno tempore Salodorum proditione tentabat occupare: Frustratus multos suorum amisit. Conabantur eadem nocte, quae diem Martini sacrum praecedebat, Austriaci Tunum et Arbergum oppida simili proditione, capere, ni pugnando oppidani prohibuissent. Quo facto pax inter Austrios et Helvetios violata est. Tentabant igitur Tigurini, eadem arte, Rapersuilam insidiis intercipere, ni irrito successu frustrati essent. Bernates Bucheccum diruunt.
3	5	Helvetii communi opera Burgdorffium ad integras 4. septimanas obsident. Interim Bernates et Salodorenses in agrum Kiburgicum excurrunt, Stretlingam diruunt, Trach-

Anni Christi.	Imper. Germ.	Res Helveticae.
	Vencesla.	Trachfelualdam et Grimmenfteniam capiunt. Oltam obfident fruftra. Glaronenfes Windeccum comburunt.
		Ad Vallum Rotenburgenfe Auftriaci vincuntur.
1384	6	Auftrius Donato Comiti Toggio Kiburgum, Vitodurum et Bulacum oppignerat.
		Kiburgius Bernatibus Burgdorffum vendit et pacem facit.
		Bafilienfes Bratelam incendio vaftant.
		Bernates Sabaudo auxilia in Valefiam mittunt, Sedunum incenfum comburunt et Epifcopus Eduardus reftituitur.
1385	7	Urbes Suevicae, Rhenanae et Helveticae contra Leopoldum Auftrium foedus ineunt.
		Lucernates oppidum Wolhufen et arcem Kapfenbergam capiunt, Torbergiumque tyrannum fedibus fuis ejiciunt.
		Lucernates, Urii, Suitii et Subfylvani, circa natalem Chrifti Rotenburgum caftellum deftruunt praefidiaque difponunt Sempachi et Richfeae.
1386	8	Auftrius Dux a Suevicis urbibus pacem auro redimit, Rhenanas pugnando vincit; Inde omnes belli vires in Helvetios convertit.
		Helvetii Mejenbergum expugnant et paulo poft comburunt.
		Rychenfeam Auftriaci capiunt, trucidatis 200. Helvetiis: Reliquos utriusque fexus omnisque aetatis homines cum oppido comburunt.
		A Calend. Januariis ufque ad diem Joanni Baptiftae facrum, Helveticis civitatibus 4. principes, 7. Comites, 30. Barones et 169. nobiles feciales fuos miferunt, per quos, in Auftrii gratiam, bellum indicebant.
		Huldricus Landenbergius arcem fuam Regenfpergam Tigurinis committebat, ut commeatu et reliquis ad bellum neceffariis inftruerent. Id cum Tigurini feciffent nec ullas inde infidias vererentur, Landenbergius arcem Auftriacis tradit. Tigurini igitur Pfefficonam Landenbergii arcem, haud procul Kiburgo diftitam, capiunt et comburunt, triginta duobus, qui in praefidiis erant, interfectis.
		Leopoldus Auftrius, quam maximo poteft apparatu, loca Tiguro vicina occupat. Itaque Lucernates, Urii, Suitii et Subfylvani 1600. milites urbi praefidia mittunt. Cujus Leopoldus non ignarus, profectionem Sempachum verfus inftituit. Propterea praefidium Tiguro folvit et nocturno itinere tantum promoti, eadem qua Auftrius venerat hora, 9. Julii Sempachum venit. Pugnatum eft utrinque infeftis animis, victoria penes Helvetios fuit. Ceciderunt eo praelio cum Leopoldo Auftrio, Principes, Comites, Barones et Nobiles equites ad duo millia.
		Lucernates deftruxerunt altum Rinacum, Bernates Torbergum et Koppingam, comburunt Vilifoniam, Hafenburgum.
		Auftriacum praefidium e Friburgo Vileram et Dingam arces Bernatum capiunt.
		Glaronenfes Windeccum inferius diruunt.
		Tigurini cum Lucernatibus Mullinam in Marchia deftruunt.
		Septem Helvetici Pagi Vefenium capiunt.
		Leopoldus Auftrius, Leopoldi filius, Helvetiis bellum denunciat.
		Bernates arces Tachsburgum, Caftella, Maggeburgum et Schoenefelfium capiunt, et hoftibus frumentum demetunt.
		Bafilea major ampliatur et fuburbia moenibus cinguntur.
		Pyreneftica igne conflagravit.
		Tigurini Meerfpergum prope Vitodurum capiunt et Sultziam arcem comburunt.
1387	9	Tigurini in Vanavallem excurrentes a trecentis equitibus Auftriacis, et parte peditatus non contemnenda, circumventi, fortiffime dimicantes victoria funt potiti, praedamque domum reportant. Expugnarunt eodem anno Bulacum oppidum et arces Regenfpergam et Rumlingam: Mosburgum igne vaftarunt.
		Simmia vallis fuperior a Bernatibus occupatur.
		Bernae 140. domus igne funt abfumptae,
		Bernates auxilia fua Sabaudo in Valefiam mifere, fitque pax pro voto Sabaudi.
		Induciarum inter Helvetios et Auftrium pactarum jura, Auftriacorum perfidia non fervantur.
1388	10	Auftriaci Vefenium, oppidanorum proditione, capiunt, et Helveticum praefidium trucidant.
		Lacus Tigurinus ad Raperfuilam ponte fternitur.
		Pyreneftica a Bernatibus capta, igne vaftatur.
		Auftriaci Glaronenfium fines invadunt, praelioque ad Navalia decernitur, cum Glaronenfes Auftriacos virtute fuperarent Nobilitas infignem cladem accepit.

Vefe-

i.	Imper. Germ.	Res Helveticae.
8	Venceslaus.	Vesentiani, dubitantes Glaronensium vim experiri, suum oppidum incendunt, comburunt, aliasque sedes quaerunt. Helvetii Rapersuilam obsident et aliquandiu frustra oppugnant. Austriaci ad montem, qui a Scarabeis nomen habet, praedam abigunt; Tigurini ex urbe sine ordine et signis insequentes suorum quosdam amittunt. Tigurini cum Lucernatibus, Suitiis et Subsylvanis Badam descendunt et ad thermas domus triginta, nec non suburbia ad Mellingam et Bremogardum comburunt. Bernates et Salodorenses Nydoviam arcem cum oppido capiunt. 6. Idus Julii. Surfea oppidum et arces Bura, Schenken, Tannenfels et Aristovia in Ergovia ab Helvetiis diruuntur. Rapersuilani trajecto lacu agrum Tigurinum vastabant: Sed intercepti a Vadisuilanis Tigurinis, 16. amissis in fugam convertuntur. Bernates hoc anno bis Austriacos, qui Friburgi in subsidiis erant, ad montem Schoenenberg vincunt et in fugam disjiciunt. Tigurini cum Tuginis sociis in Bremogardenses movent et praedam agunt: Bremogardenses insequentes ad Lunghofium caeduntur. Bernates Zofingam praedatum proficiscuntur, jamque Austriacis egredientibus in porta pugnam faciunt et Austriacos pedem referre cogunt. Sabaudus in Valesiam exercitum ducit, acie victus milites 4000. multosque eximiae Nobilitatis viros amittit. 20. Decemb. Austriaci, Vitoduro in agrum Tigurinum excursione facta, ad montem Tigurinum victi redeunt. Tugini insidiis Austriacorum intercepti ad Faruam caeduntur.
)	11	Bernates et Salodorenses arces Gouenstein et Biberstein, nec non Coemiterium Fricanum, opere et natura munitum, expugnant. 8. Idus Jan. Lucernates Januario Ergoviam vastant igne atque ferro. Tigurini 12. piscatores Austriacos in lacu capiunt. Austriaci satis firmo exercitu Burgdorffum tendunt, quos praesidium Helveticum ad Bikingam fundit, atque fugat, captis 50. Hac clade indignati Austriaci sarctoris operam conducunt, qui anno sequenti Burgdorffum igne concremavit. Tigurini vicum et monasterium Embracinum incendio vastarunt. Urbes quaedam Imperiales inter Austrium et Helvetios pacem ad annos 7. faciunt. Tigurini nundinas Pentecostales ab Imperatore impetrant.
)	12	
	13	
:	14	Fridericus Basiliensis Episcopus civitati urbis partem minorem, trans Rhenum sitam, vendit. Ludus equestris Scaphusiae habetur. 4. Non. Nov. Abbas Sangallensis cum quibusdam imperii civitatibus adversus Abbatiscellanos foedus facit.
:	15	Octo Pagi Helvetici, veteres nuncupati, cum Salodorensibus leges militares primum ferunt et scribunt. Tigurini de privato quodam foedere ab Alberto Austrio appellati recusarunt, et nonnulli, qui Austrio promissis spem fecerant, exilio multantur.
4	16	Terrae motus plurimis in locis Helvetiae sentiebatur. Septem annorum pax, inter Helvetios et Austrium facta, ad annos viginti producitur. Aestas hujus anni ob fervorem et siccitatem terrae notabilis erat.
	17	Seconiense Monasterium jura sua in Glaronenses iisdem vendit: ita Glaronenses ab omnibus servitutis oneribus sese redemerunt.
5	18	Provinciale judicium Turgeorum Vitoduri veteris exercebatur, praesidente Ottone Comite Tiersteinio, alii Eberstenio dicunt. Zofinga cum tabulis privilegiorum testibus et thesauro oppidanorum penitus igne conflagravit unica tantum domo excepta.
7	19	Arx Torbergia Carthusianis dedicabatur.
3	20	Berna, Lucerna et Basilea dissidentes reconciliantur.
)	21	Constantiae incendium grassabatur.
)	22	Advocatia Imperialis in omne Turegum Tigurinae urbi ab Imperatore dono dabatur. Barones Monsaceni foedere Glaronensibus junguntur.
	1 Rupert.	Imperator Venceslaus Sangallensibus Advocatiam urbis tradit. Venceslaus Imperio deponitur.

Sangal-

Anni Christi.	Imper. Germ.	Res Helveticae.
	Rupertus	Sangallenses cum Abbatiscellanis foedus adversus Abbatem faciunt. Haec fax belli Abbatiscellani fuit.
1402	2	Fridericus Toggius Comes civis Tigurinus factus Tigurinis Gryffensee praefecturam vendit.
1403	3	Abbatiscellani Nobilitatem e regione sua expulerunt; et hosti Abbati Clanxiam arcem diruunt, inque civitatem Lucernatum, Uriorum, Suitensium et Subsylvanorum recipiuntur.
		Abbas cum sociis exercitum quinque millium conscripsit, et in loco (cui a granario nomen est) ab Abbatiscellanis victus plurimos egregios milites amisit. Sangallenses reconciliati Abbatiscellanis a partibus illorum stabant, et Abbas cum Friderico Austrio foedere jungitur.
1404	4	Dissidium, quod inter Tuginos oppidanos et exteriores conventus fuit, componitur.
1405	5	Tigurini Rosbacum, ad lacum infra Meilam tunc situm, diruunt.
		Bernae Aprili mense 52. domus, et Majo deinceps domus 500. conflagrarunt: quibus incendiis homines 100. perierunt.
		Abbas Sangallensis in Abbatiscellanos arma movet, Socii Sangallum obsident, et Abbate ad Stossum victo, socii obsidionem solvunt.
		Abbas cum sociis iterum ad Clivum lupi, quadringentis amissis, ab Abbatiscellanis victus est.
		Abbatiscellani Rheguscis potiuntur.
		Iidem in vallem Athesinam proficiscentes instructissimum et paratissimum Austrii exercitum ibi in fugam dissiciunt vexilloque spoliant.
		Expugnatur ab iisdem Villa oppidum, capitur Abbas, Episcopicella deditur, Burgella igne ferroque vastatur. Eo bello 60. oppida et arces ab iis capta et exusta sunt. Marchiam item regionem Austrii, ad superiorem lacus Tigurini partem sinistram sitam, armis domitam Suitiis dono dant.
1406	6	Seditio Novocastri adversus Comitem' orta sedatur a Bernatibus, Friburgensibus et Salodorensibus. Praefectus et Canonici duo Seditionis authores morte multantur.
1407	7	Vitodurum, Bulacum et Regenspurgum jus civitatis Tigurinae ambiunt, metu Abbatiscellanorum.
		Bernates nonnulli Sanensibus auxilium adversus Comitem Gruerianum tulerunt, potitique sunt Jona et Rotburgo.
		Abbatiscellani Episcopicellam iterum capiunt, auxilioque Suitensium, Glaronensium et Villanorum Frouenfeldum obsident. Re tamen frustra tentata, indignantes Elgoviam ferro et igne vastant.
		Abbatiscellani Abbati reconciliantur.
		Sangallenses cum Abbatiscellanis Brigantum obsident. 8. Novemb.
1408	8	Austriaci profligatis Abbatiscellanis Brigantum obsidione liberant.
		Austriaci Ryneccum et Altstettum oppida in Rheguscis obsident: Abbatiscellani cum utrumque deseruissent Ryneccum in discessu igne comburunt.
		Suitii cum Abbatiscellanis Kiburgum frustra oppugnant.
		Bellum Abbatiscellanum finitur.
		Tigurini cum Glaronensibs privato foedere junguntur.
1409	9	Uxor Leopoldi Austrii genere Burgunda Basiliensibus bellum infert. Victis Austriacis ad Mugtum 20. Novemb. tandem 13. Decemb. pace bellum commutatur.
1410	1 Sigismundus.	Episcopus Constantiensis Tigurinis, facta pace reconciliatur. 9. Maji.
		Helvetii communibus armis (Bernensibus exceptis) trans Alpes in vallem de Oscella proficiscuntur, ibique expugnant oppidum Domon de Oscella: Partisque opimis spoliis domum redeunt.
		Cum inter Austrium et Basilienses conditiones pacis non servarentur, Basilienses circa Seconium et vicum Mumpfum regionem omnem depopulantur.
1411	2	Abbatiscellani, hostes Abbatis Sangall. qui ipsis novam litem intenderat, cum Tigurinis, Lucernatibus, Suitiis, Subsylvanis, Tuginis et Glaronensibus societatem jungunt.
		Helvetii secundo expeditionem in Ducatum Mediolanensem suscipiunt, expugnatisque arcibus quibusdam et regione depopulata domum revertuntur.
		Episcopus Constantiensis Tigurinis arcem Reinsfelden, ad Rhenum supra Eglisoviam, comburit: Ideo Tigurini Episcopo Tanneccum regionem igne et ferro vastant.
		Inter Leopoldum Austrium et Basilienses Helvetiis arbitris pax Badae confirmatur. Moritur Austrius et vidua foedere Basiliensibus sociatur, qui in bello contra Zerinium et Novostenium illi fidelem operam praestiterunt.

Pax

Anni Christi.	Imper. Germ.	Res Helveticae.
1412	3 Sigism.	Pax inter Helvetios et Austrios ad annos 50. producitur. Steina oppidum ad Rhenum situm inter Constantiam et Scaphusium, aere sese redimit ab Imperio Clingenbergii. Post 72. demum annos, sponte ac libens clientelae urbis Tigurinae sese committit. Wilhelmus Comes Brigantinus Kiburgici Comitatus Dominus Hermannum Hinvilanum civem Tigurinum captum vinculis constrinxerat: Ideoque Tigurini Comitem, aprorum venationi intentum et interceptum, captum cum suis Tigurum deducunt.
1413	4	
1414	5	Tigurini cum Marchione Badensi dissidentes eidem reconciliantur. Initium Concilii Constantiensis in hunc annum incidit.
1415	6	Valesiani Episcopo suo Wilhelmo et Raronio viro principi Mazam deferunt et cuncta illorum bona diripiunt. Destruunt etiam arces nonnullas quae ad ipsos pertinebant. Itaque Episcopus cum Sabaudo foedus facit eique arces quae integrae manserunt tradit. Sigismundus Helvetios, et ante alios, Suitios, eximiis privilegiis ornat. Papa Joannes XXIII. opera Friderici Austrii de Synodo Constantiensi subducitur. Itaque Imperator Friderico bellum infert, et Scaphusium occupat, dato privilegio, ne unquam postea ab Imperio alienetur, praeterea Vitodurum, Diessenhofium et Frauenfeldam cum omni Comitatu Turgeae in fidem Imperii recipit. Simili modo provinciam liberam ultra Alpem montem capit, et Tigurinis eam in perpetuum Feudum concedit. Praeterea hortantur Helvetios generalis Concilii patres, ad Austrium bello persequendum, nulla pacis, ad annos 50. factae, ratione habita. Moti itaque Tigurini authoritate patrum Concilii Dieticonam et Mellingam occupant, junctisque copiis Lucernatum, Suitensium et Tuginorum Bremogardum et Surseam capiunt, postea Badam obsident. Interea Suitenses Advocatiam Eremitanam D. Virginis invadunt, et Bernates auxilio Salodorensium et Bipennatum Ergoviam deditione capiunt, et arcem Hallvilanam comburunt, ob acceptum ab Wildecco, eo bello, damnum. Arx et oppidum Badense deditionem faciunt. Arx destruitur. Rapersuilani cum Suitiis pacem faciunt. Joannes Huss Bohemus contra datam Caesaris fidem igne comburitur. Imperator oppignerat urbi Constantiensi judicium provinciale et provinciam Turgeam; Tigurinis Comitatum Badensem, Bremogardum, Mellingam et Surseam cum adjacenti agro: Bernatibus quas ipsi occupaverant terras. Sed Tigurini reliquos foederatos in participationem oppignerationis admittunt. Campus S. Petri (vulgo Feldkirch) a Toggio et Rhaetis obsidetur.
1416	7	Pace constituta inter Sabaudum et Valesianos, arces Majoria, Turpilia et Montorsum Valesianis restituuntur, qui eas igne concremarunt. Hieronymus Pragensis ut Haereticus igne punitur. Terrae motus Basileam concutit.
1417	8	Episcopus Sedunensis et Raronius Bernatum socia arma adversus Valesianos exposcunt. Contra Valesiani Lucernatibus, Uriis et Subsylvanis se foedere jungunt. Seona arx in Sedunis a Valesianis igne vastatur. Bernates Lucernatibus, Uriis et Subsylvanis bellum indicebant, in gratiam Episcopi Sedunensis et Raronii. Verum intercessione reliquorum Helvetiorum lis componitur. Basileae, die Huldrico Sacro, 300. domus igne sunt absumptae. Oppidum et arx Campi S. Petri a Friderico Toggio, Tigurinis et Constantiensibus obsidetur, expugnatur et diripitur.
1418	9	Bernates excursione facta Valesiam igne et ferro vastant. Fridericus Austrius Imperatori reconciliatur et in integrum restituitur. Excipiuntur terrae quas Sigismundus Helvetiis in perpetuum oppigneravit, literisque confirmavit. Groeninga cum agro adjacenti Tigurinis oppigneratur. Sangallum urbs et Monasterium igne conflagrarunt, 17. tantum domibus salvis existentibus. Perierunt eodem incendio 26. homines. Finis Concilii Constantiensis in hunc annum incidit.
1419	10	Episcopus et Civitas Curiensis in jus civitatis Tigurinae recipiuntur. Bernates, Salodorii et Friburgenses hoc anno binas in Valesiam irruptiones faciunt, et accepto damno revertuntur. Tandemque pace bellum commutatur.
1420	11	Abbas Sangallensis cum Abbatiscellanis pacem facit, salvis et integris foederibus Helveticis.
1421	12	Herisoviani in Abbatiscellanis Rosenbergium grandi pecunia redimunt, seque in libertatem vendicant.

L Helve-

Anni Christi.	Imper. Germ.	Res Helveticae.
	12 Sigism.	Helvetii Imperatoris jussu cum exercitu in Boemiam proficiscuntur, et infecta re domum redeunt.
1422	13	Urii, Suitii et Subsylvani Bilitionum emunt.
		Dux Insubrum Bilitionum capit, quod Helvetii rursum obsident, et 900. Insubrorum caesis vexillum Mediolanensium capiunt. Ceciderunt in eo praelio Helvetiorum 375.
1423	14	Tigurini Bernatibus perpetuo foedere junguntur.
1424	15	Imperator Tigurinis Comitatum Kiburgensem vendit, Budae in Hungaria.
		Episcopus Basiliensis Basiliensium ope arces nonnullas recuperat et Episcopatui subjicit.
		Basilienses auxilia sua Palatino Comiti misere, ad obsidendas arces Grabam et Mulbergum, Equites 250 pedites 800.
		Rhenus immodice exundans muros Basileae minoris exuperabat.
1425	16	Helvetii Bilitionum proficiscentes hostes nullos reperiunt.
		Episcopus et urbs Basiliensis Elicurtum capiunt.
		Constantiensis Episcopus Abbatiscellanos a sacris excommunicat. Illi excommunicationem ratam habere nolunt (wöllen nicht im Ding seyn,) atque interea grassabantur in eos qui illos excommunicatos appellabant.
1426	17	Helvetii communibus armis vallem de Oscella vastant, et Dux Mediolanus auro pacem ab Helvetiis redimit.
1427	18	Abbatiscellani gravissime apud Imperatorem accusantur. Mandatur Helvetiis ut eos armis ad officium revocent: Illi vicinis et civibus bellum inferre nolunt.
1428	19	Fridericus Toggius Abbatiscellanos Gossoviae et ad Hoeneccum praelio superat.
1429	20	Ducenti Tigurini adversus Boemos Ulmam mittuntur.
		Abbatiscellani Helvetiis intercessoribus, omnibus suis hostibus reconciliantur et in Civitatem Helveticam recipiuntur.
1430	21	Dissidium inter cives et Senatum Constantiensem componitur.
1431	22	Fridericus Toggius per insidias Constantiam occupare volens, frustratur.
		Initium Concilii Basiliensis, quod annos 18. duravit.
1432	23	Immane hyemis frigus vites, arbores etc. perdit.
1433	24	Sequitur summa annonae caritas ut interdictum de non edendis carnibus, Veneris et aliis diebus in Turgea prorsus tolleretur.
1434	25	Pestis exiguo temporis spatio Tiguri 3000. homines absumpsit.
1435	26	Magna pars oppidi Tugii in lacum, juxta quem conditum est, subsidit cum interitu 60. hominum et bonorum insigni copia.
		Tigurini ob cives suos ab Argentinensibus injuria affectos, irati, magno negotio mitigantur.
		Badae in Limago 110. homines naufragio interiere.
		Fridericus Toggius cum omnibus suis terris et Dominiis in jus civitatis Tigurinae admissus est, ea conditione ut foedus, 5. annos post ejus obitum, duret. Verum offensus quod, Senatu Tigurino judice, cecidisset causa, aliud foedus cum Suitensibus pepigit. Orbus cum decessisset uxorem haeredem constituit. Quae res incendium et fax funestissimi belli, quod Tigurinum vocant, fuere.
1436	27	Fridericus Toggius in Monasterio Ruti fato fungitur: Vidua jus civitatis cum Tigurinis renovat, iisdemque Dominium Uznacense dono dat: Toggiani, partim in Tigurinae civitatis jure, partim in Suitensis permanere appetebant. Austrii Windeccum et castra Rhaetica redimebant, cujus incolae jure civitatis Suitensis et Glaronensis obstringebantur. Heinricus, Werdenbergius Comes, Sarunetes pretio redimere volebat; cujus imperium ipsi recusarunt, nisi civis Tigurinus fiat. Cum vero civis Suitensis esset factus, ipsi cum Rhaetis foedus inibant. Sic ditio Toggiana scissa in diversas partes, Sarunetes cum Rhaetis Tigurinorum partibus favebant: Werdenbergenses autem cum Austriis Suitiorum partes sequebantur. Assumebant etiam Suitii Glaronenses in societatem contra Tigurinos.
1437	28	Pactiones inter Tigurinos et Suitenses factae brevi post perturbantur, cum vidua terras Toggianas legitimis haeredibus traderet, qui in jus Civitatis Suitensis et Glaronensis contra Tigurinos concedebant.
		Heinricus Comes Sarunetes sollicitat et minis territat, ut Tigurinorum amicitiae renuncient. Illi in fide permanentes in verba Comitis jurare recusant. Conqueritur de hoc Comes apud Austrium, qui praesidia Freudebergi et Nydbergi disposuit. Sarunetes necessitate coacti, utramque arcem auxilio Tigurinorum et Rhaetorum demoliuntur.

Toggii

Imper. Germ.	Res Helveticae.
Sigismundus.	Toggii haeredes Suitensibus Windeccum et Schennisium Monasterium, praetereaque Uznacum cum agro oppignerant. Pari modo Heinricus Werdenbergius Sarunetensem Comitatum iisdem oppignerat. Contra Bernhardus Tiersteinanus Comes cum arce et agro Wartovia Tigurinorum amicitiam colit.
	Austrius Dux Tigurinis mercatoribus itinera Venetiana infesta reddebat.
29	Praesidium Austriacum e Campo S. Petri in Sarunetes excurrit: Sarunetes in Werdenbergicis caesis sese ulciscuntur.
	Episcopus Constantiensis bellum inter Tigurinos et Suitios componere studet.
	Cum insignis esset annonae caritas, Tigurini constitutiones quasdam, de frumenti mercatura in urbe sua, faciunt: de quibus Suitenses et Glaronenses conquerebantur.
1 Albertus II.	Lucernae conditiones pacis inter Tigurinos et Suitios feruntur ab Helvetiis, quas Tigurini recusabant.
	Tigurini instructis copiis contra Suitios et Glaronenses proficiscuntur, qui in Ezelio monte consederant, cumque levia quaedam praelia fecissent, inducias paciscuntur.
	Suitii et Glaronenses victis Sarunetibus eos foederi Tigurino renunciare cogunt.
1 Frideric. III.	Suitii et Glaronenses exercitum in Tigurinos ducunt. Tigurini quibusdam, amicitiam simulantibus nimium fidunt.
	Helvetii ditionis Tigurinae terras, Liberam Provinciam, Groeningam et Kiburgium Comitatum occupant. Arcem Liebenbergam igne vastant, Elgoviam expugnant, et turrim Lommissanum depraedantur.
2	Pax inter Tigurinos et Suitios infirma, Lauffam arcem ad Catarractam majorem Rheni sitam Austrii occupaverant. Nec multo post eadem a Fulacensibus recuperatur.
3	Tigurini Austriis et Imperatori reconciliantur, cum quibus foedere junguntur, salvo tamen foedere Helvetico. Tigurini Imperatori Kiburgium Comitatum dono reddunt, et Rapersuila Imperatoris voluntate Tigurinis consociatur.
4	Suitenses Tigurinos, ut a pacto cum Imperatore foedere discedant, hortantur: Id cum facere recusarent Tigurini, Suitenses eorumque socii tam Austriis quam Tigurinis bellum indicunt.
	Suitenses pontem Rapersuilanum comburunt, Rapersuilani Hurden vicum Suitensium incendunt.
	Imperator Tigurum 850. equitum praesidio firmat.
	Bremogardum et Bada foedus cum Tigurinis faciunt. Helvetii Bremogardum obsident, oppidani deditionem faciunt.
	Praelio ad Fryenbacum Suitenses superiores sunt.
	Tigurini Blykenstorfum comburunt.
	Helvetii sociis armis Hirtzelianum vallum magno labore et caede suorum aegre expugnant.
	Regenspurgum et Groeningam oppida Helvetii occupant, arcesque Regenspurgum et Regenspergam igne vastant.
	Helvetii instructissimum exercitum adversus Tigurinos ducunt, et in porta urbis ad Silam fluvium pugnam faciunt. Ubi Rodolphus Stussius Eques et Consul Tigurinus infatigabili pugna totum hostium agmen solus in ponte sustinuit, donec fortissime pugnans cecidisset.
	Rapersuila ab Helvetiis obsidetur.
	Tigurini cum Helvetiis pacem faciunt: sed eadem paulo post tollitur.
	Helvetii Lauffenbergam obsident, brevique post obsidionem solvunt.
	Freyenstenia ad Irchelum montem igne comburitur.
5	Induciis durantibus Gryffenberg arx munitissima ab Helvetiis occupatur.
	Expugnantur ab iisdem arces Spiegelbergia et Griessenbergia in Turgea sitae.
	Gryffensea oppidum agri Tigurini ab Helvetiis obsidetur aliquot septimanis, et fortissime defensum tandem deditionem facit. Ubi contra morem Helveticum 61. milites fortissimi truncantur capite.
	Helvetiis contra Tigurinos etiam Abbatiscellani auxilia miserant, quorum 10. in vico Hegnovio trucidati sunt.
	Helvetii Gryffenseam, Werdeccum, Liebenbergam et Sonnenbergam arces comburunt.
	Imperator Fridericus Reges Galliae et Angliae reconciliat, idque effectum dat, ut utriusque exercitus Ludovico, primogenito Gallorum regis filio, tradatur, qui Tigurum ad decimam septimanam obsessum, ab Helvetiis liberaret.
	Tiguro ab Helvetiis obsesso Thomas Falcensteinius oppidum Brugas insidiis captum diripit et incendit. Helvetii ejus rei vindicandae causa Farnspurgum Falcensteinii obsident.

Anni Christi.	Imper. Germ.	Res Helveticae.
1444	Fridericus III.	sident. Ludovicus Gallus exercitum praeter Basileam versus castra Helvetica Farnspurgum ducit, et cum Helvetiis ad Birsam flumen praelium committit, quos magna suorum clade tandem vicit. Interea Helvetii urbem Tigurinam frustra oppugnarunt plurimis suorum interfectis Renunciataque clade Farnspurgana obsidionem festinanter solvunt; quibus Tigurini, eruptione facta, non exiguo damno fuere. Praesidium Helveticum Bada erumpit, et Bulacum oppidum cum vico Embraceno penitus igne vastat. Tigurini Rapersuilanos ferro via facta frumento adjuvant, et annonam important oppido. Austriaci agrum Groeningensem depopulantur. Iidem Comitatum Saruneticum capiunt et Henricum Comitem Werdenbergensem jus civitatis Suitensis et Glaronensis renunciare et in Austrii verba jurare cogunt. Abbatiscellani Ryneccum diripiunt et comburunt.
1445	6	Tigurini ad vexandos hostes in Vanavallem et Comitatum Badensem proficiscuntur, multi vici aedificiaque incendebantur, et praeda ex omnibus locis agebatur. Helvetii trans Rhenum ad Campum S. Petri proficiscuntur et agrum Austriacum incendiis vastant, Sarunetum oppidum diripiunt: arcem, cujus oppugnatione 60. fortissimos milites amiserant, expugnare nequeunt, itaque praedam ex agro abigunt. Tigurini cum Suitiis ratibus junctis in lacu bellum gerunt. Equites Austriaci, in praesidiis Lauffenbergii positi, quosdam Helvetios, qui praedatum longius processerant, excipiunt: 7. interficiunt: 14. capiunt. Bernates, Basilienses et Salodorenses vicos et aedificia omnia quae in Frictalia et Sisgovia ad arcem Reinfeldensem pertinebant, incendunt et ferro circumquaque omnia vastant. Tigurini Bremogardi molas ad Rusam occuparunt, parumque abfuit quin oppidum cepissent. Sarunetes in Duriae vallem excursione facta viros 20. obtruncant et praedam armentorum ad 1100. capita ex montibus abigunt. Basilienses Tirmenacum et Waltikhofium diruunt. Austrii Basiliensibus regione vastata, vicos quosdam incendunt. Basilienses Pfirtum oppidum comburunt et praedas ex circumjacente agro agunt. Austriaci ad oppidum Reinfelden, quod ea tempestate Basiliensium erat, perveniunt, oppidani erumpunt, sed numero inferiores 14. amissis sese intra muros recipiunt. Helvetii Reinfelden praesidio firmarunt, et Austriacis messem intercipiunt. Helvetii auxilio Basiliensium Seconium tres hebdomadas frustra obsederunt. Suitenses rate advecti Rapersuilanos a lacu vexant. Illi hama arte parata ratem attrahebant, et Suitenses, rupto fune, periculum vix evasere. Praesidiarii Helvetii Bada erumpentes Seglingam Comitis Tengensis vicum incenderant, quorum 8. interfecti, 16. capti Eglisoviae capite poenas luunt. Helvetii Frouenfeldensem agrum depopularunt, et Frouenfeldenses eruptione facta ad Vigoltingam usque eos persequuntur, ubi clade accepta multos suorum amisere. Tigurini Brugas in Ergoviam excurrunt et ad Bruneccum praedam abigunt domumque deducunt. Basilienses Austriis 15. vicos et arcem Lielam in Brisgovia igne exurunt, et Austriaci pecora ac armenta Basiliensium abigunt. Praesidiarii Austriaci Tiguro in Turgeam erumpunt et Villam frustra oppugnant: postea in Toggiam procedunt et ad Kilchbergam victi Tigurum redeunt. Suitenses, Subsylvani, Tugini et Glaronenses Erlibachii; ad lacum Tigurinum, vindemiare tentabant: A Tigurinis autem praelio superati multis suorum amissis reliqui navibus effugere. Basilienses ad Stetten ab Austriacis victi 40. suorum amiserunt. Tigurini navali praelio superiores, Suitenses in fugam disjiciunt. Basilienses in regionem Lanseram excurrentes quosdam vicos incendunt. Tigurini noctu egressi adversus Suitios, in loco, cui a tegulis ligneis nomen est Schindellege, lucente luna decepti in se ipsos arma convertunt et se invicem obtruncant. Arx Ryneccum conflagravit et Abbatiscellani oppidum penitus diruunt. Badam Tigurini diu frustra obsederant, cumque ariete portam perrumpere tentarent, spe frustrati domum revertuntur.

Milites

.	Imper. Germ.	Res Helveticae.
6	7 Frideric. III.	Milites quidam Tigurini primo diluculo Badam venientes, portam unam occupaverant, oppidumque cepissent, ni, qui in subsidiis erant, tardius subsecuti fuissent.
		Tigurini Villam Turgoviae proficiscuntur, et oppidanos praelio lacessunt: quos erumpentes in fugam disjiciunt et in oppidum, pluribus amissis, compellunt.
		Austriaci ad Regatium Rhaetiae ab Helvetiis pugna commissa superantur.
		Basilienses ex sylva Hartziana praedam agunt, quibus Austriaci molas ad Bingam exurunt: Illi contra vicos 8. in Comitatu Pfirt incendiis vastant.
		Arx Reinfeldana a Basiliensibus opera et consilio oppidanorum demolitur.
		Valesiani et Episcopus Sedunensis cum Bernatibus foedus faciunt.
		Bellum quod populus Tigurinus cum Suitensibus et Helvetiis per annos 7. continuos gessit, componitur. Bellum fuit magnum et atrox variaque victoria.
7	8	Helvetii communi consilio numero 1500. Tigurum Bacchanaliorum causa proficiscuntur, ibidemque pax denique confirmatur.
8	9	Sabaudus Friburgensibus bellum indicit: Friburgenses Sabaudo Vilarse arcem comburunt, et Montenacum oppidum expilant.
		Bernates evocati in auxilium a Sabaudo, Friburgensibus patibulum concidunt et destruunt.
		Concilii sedes Basilea Lausannam transfertur.
		Austriaci Reinfelden recuperant.
9	10	Pace facta Basilienses Austriis reconciliantur.
		Foelix Pontifex Papatu se abdicat Lausannae, et ibidem Concilium finitur.
		Friburgenses adversus Bernates praedatum proficiscuntur, sed praelio ad Galteram victi domum redeunt.
		Bernates Friburgum praedam agentes et omnia igne ferroque vastantes proficiscuntur. Victi pluribus suorum amissis praeda vacui revertuntur. Paulo post eodem redeunt, Friburgenses autem suis moenibus sese continuere.
		Bellum Friburgense pace commutatur.
o	11	Octingenti Helvetii Norinbergensibus auxilio missi Marchionem Brandeburgicum praelio vincunt.
1	12	Casparus Sangallensis Abbas perpetuo civitatis jure civitatibus Tigurinae, Lucernensi, Suitensi et Glaronensi obstringitur.
2	13	Abbatiscellani foedus perpetuum cum Tigurinis, Lucernatibus, Uriis, Suitiis, Subsylvanis, Tuginis et Glaronensibus faciunt.
		Orta lite inter Sigismundum Austrium et Tigurinos ob aes grande conflatum a subsidiariis equitibus, quos proximo bello Austrius Tigurum miserat, partes dissidentes reconciliantur, ut Tigurini Comitatum Kiburgensem recipiant et actionem intermittant.
3	14	Ad Reinfelden 30. homines naufragio periere.
4	15	Scaphusiani se ad certum tempus foedere Tigurinis, Bernatibus, Lucernatibus, Suitiis et Glaronensibus jungunt.
		Sangallenses in foedus Tigurinorum, Bernatum, Lucernatum, Suitiorum, Tuginorum et Glaronensium certis conditionibus recipiuntur.
		Arbor Foelix et Sangallum singulari foedere invicem obstringuntur.
5	16	Milites quidam Helvetici arcem et oppidum Tengen incendunt, quod Comes proximo bello Tigurino quosdam Helvetios grassantes comprehendisset et capite multasset.
		Argentinenses nonnulli comprehensi a Nobilitate captivi Eglisoviam ducuntur, quos Tigurini arce et oppido capto, liberant.
		Tigurini et Comes reconciliantur invicem, et Tigurini a Comite Eglisoviam pecunia redimunt.
6	17	Helvetios inter et Comitem Tengensem pax constituitur.
		Abbas et urbs Sangallensis certis conditionibus Bernae conveniunt, ut Sangallenses Abbati pecuniarum summa numerata libertatem redimant.
		Juvenes nonnulli Tigurini uno die Argentoratum nave per Rhenum vehuntur; quo tempore Argentinenses ludum jaculatorium instituerant.
7	18	Rapersuilani, qui Helvetiorum amicitiam colebant, Oenipontem captivi ducuntur, et 100. Vitoduri Rapersuilam praesidio mittuntur.
8	19	Frouenfeldum Daniae Reginae, quae Austrio nupserat, tradebatur cum adjacenti agro.
		Wynfelden in Turgea ab Helvetiis diripitur.
		Urii, Suitii, Subsylvani et Glaronenses Rapersuilam capiunt.

Anni Christi.	Imper. Germ.	Res Helveticae.
		Burgelen in Turgea oppidum penitus conflagravit.
1459	20 Frideric. III.	Pius Papa Sigismundum Austrium anathemate feriit, et Helvetios ad eum debellandum hortatur: qui ad arma provocati Vitodurum obsident.
		Albertus Baro de Alto Saxo Frouenfeldum de improviso occupare conatur, irrito successu.
		Scaphusiani foedus cum Helvetiis ad annos 25. producunt.
1460	21	Civis quidam Cambidonensis Helvetios 350. evocat in auxilium contra Abbatem, qui in monte a fagis, der Buchberg, nomen habente, Abbatis exercitum 1300. militum fundunt atque fugant. Abbas parte dimidia suorum amissa 900. aureis Germanicis pacem ab Helvetiis redimit.
		Academia Basiliensis fundatur.
		Gradleri fratres e Gracio Styriae oppido jus civitatis Tigurinae redimunt, quibus Tigurini Eglisoviam arcem cum oppido vendunt.
		Gradleri opem Tigurinorum contra Sigismundum Austrium implorant, qui expeditione suscepta Fussacum expugnant et incendio delent: Brigantum et Torbura, ne vastentur, pacem a Tigurinis magno aere redimunt.
		Helvetiorum 6. Pagi Tigurinis socia arma jungunt, et Turgeam, quae Austriorum fuerat, occupant.
		Sonnenberga deditionem facit, Vitodurum duobus mensibus frustra obsidetur, et Diessenhofium dedit sese Helvetiis.
		Huldricus Rufus Sangallensis Abbas Helveticis 200. milites auxilio mittit, et Austrio bellum indicit.
		Bernates Schenckenbergam Marquardi Waldecii, qui Austrium adjuverat, capiunt.
		Pace facta inter Austrium et Helvetios bellum finitur.
1461	22	Pax per omnes Imperii fines constituitur.
1462	23	Fridericus Palatinus tres Principes Imperii uno praelio vicit, ope Helveticorum militum, maxime Tigurinorum, Duce Joanne Waldmanno Tigurino.
		Basilienses expugnant et diruunt Altum Koenigspergum.
1463	24	Rotevilani cum octo primariis foederis Helvetici Pagis foedus ad annos 15. faciunt.
1464	25	
1465	26	In Valesia pestis unius anni fuit, qua millia funerum in rationem Libitinae venerunt, et in solo vico Briga 300. homines sunt absumpti.
1466	27	Fridericus Imperator Abbatiscellanos eximiis privilegiis ornat; In primis ut criminale judicium nemine prohibente, exercere possint.
		Dux Insubrum Uraniis Vallem Leuinam tradit.
1467	28	Nobilis Regeshemius Mullhusianis bellum propter 6. solidos, doliario non persolutos, indicit.
		Tigurini Vitodurum aere a Sigismundo Austrio redimunt.
		Vadisvilani bello petuntur a Tigurinis, quod tributum pendere renuerent.
		Mullhusiani foedere sese Helvetiis jungunt.
1468	29	Helvetii communibus armis in campum, qui a bobus Ochsenfeld nomen habet, proficiscuntur, ibique Nobilitatem in praelium vocant: Territa Nobilitas Helvetiorum ferocitate diffugit. Helvetii Pfaffenzam et Sueickhusam arces, vicum Habsen cum aliis nonnullis et Tannae suburbia incendunt.
		Bilgerius Hendorfensis Scaphusianis bellum infert. Scaphusiani cum praesidio Helvetico in Hartziniam sylvam excurrunt, et Abbas S. Blasii se ab incendio magno aere redimit.
		Waldshutum 5. septimanas Helvetiorum fert obsidionem: pace facta obsidio solvitur.
		Berenburgum in Rhaetis ab Helvetiis destruitur.
1469	30	Huldricus Sangallensis Abbas Toggium Comitatum magno pretio redimit.
		Sigismundus Austrius Elsatiam, Brisgoviam et Suntgoviam Carolo Burgundiae Duci oppignerat, unde Burgundici belli causa nascitur.
1470	31	Curia in Rhaetis cum Episcopo Tigurinis foedere jungitur.
		Petrus Hagenbachius Caroli Burgundi in Elsatia praefectus Helvetiorum hostes ipsis invitis protegit.
1471	32	Quinque Conventus Valesianorum cum Lucernatibus, Uraniis et Subsylvanis foedus faciunt.
1472	33	
1473	34	Septem Valesianorum Conventus cum iisdem foedus ineunt.

Merca-

Anni Christi.	Imper. Germ.	Res Helveticae.
		Mercatores quidam Helvetii a Nobilibus grassantibus capti et Schuteram ducti, ab Argentinensibus carcere vi liberantur.
1474	35 Frideric. III.	Carolus Burgundus in Elsatiam venit magno comitatus equitatu. Quem cum Legati Helvetiorum convenire vellent, non sine contumelia repulsi sunt.
		Carolus equitatum Pfirtam subsidio mittit: Hagenbachius 4. oppida Rhenana praesidio firmare voluit, quod oppidani admittere noluerunt.
		Johannes Hotererus Sangallensibus bellum infert.
		Ludovicus Francorum Rex Helvetiis adversus Burgundum foedere jungitur.
		Elsati, Suntgovienses et Brisgoviani ab Austrio supplices repignerari petunt, ut aere soluto pignus recipiat, quod Burgundus se redditurum negavit. Itaque Austrius pretium redemptionis Basileam deposuit.
		Helvetii cum Austrio Sigismundo foedus haereditarium faciunt, quod tandem intercedente Luduvico Gallo, confirmatur.
		Duces Austrius et Lotharingius; Rhenanae urbes in Elsatia et Helvetii contra Burgundum foedere sese obstringunt.
		Hagenbachius praefectus Burgundicus Brisaci capitur. Austrius Helvetiorum ope terras oppigneratas vi recipit, et Hagenbachius, ob maleficia patrata, capite plectitur.
		Burgundi in Suntgoviam eruptionem faciunt. Ex adversa parte milites trecenti, ex Comitatu Pfirt in Burgundiam excurrunt, quorum pauci admodum vivi evaserunt.
		Imperator Helvetios contra Burgundum ad arma vocat. Illi Burgundo bellum indicunt et Elicurtum obsidione cingunt. Comes Remontius obsessis auxilium laturus, ab Helvetiis victus ex 30000. militibus 1800. amissis fugit.
1475	36	Sangallenses auxilium Caesari Novesium mittunt, quos Caesar collaudatos, et urso monili aureo honorifice donato, dimittit.
		Helvetii in Antuates Burgundi socios movent, Urbem, S. Crucem, Gransonium, Juniamque oppida cum arcibus capiunt.
		Burgundus de Helvetiorum successu certior factus pacem cum Caesare ad Novesium facit, cujus in conditionibus Helvetiorum sociorumque nulla fit mentio. Id Caesar Helvetiis eorumque sociis, pro fideli navata opera, praemii loco rependit.
		Helvetii cum sociis in Burgundiam proficiscuntur, oppida Ponterlin, Blamont, Grammont, et Valangin cum castris expugnant.
		Carolus Lotharingiam devincit et Reinhardum Ducatu fortunisque omnibus expulit. Praeterea in oppido Bry 250. Helvetios contra datam fidem suspendio necat.
		Valesiani perpetuo foedere Bernatibus consociantur.
		Helvetii communem profectionem in Antuates instituunt, capiuntque Stesisium (in quo ad 1000. militum trucidarunt) Ebrodunum, Ezelciam, Moratum, Modonam, Vibiscum, Turrim et Remontium. Losanna expilationem aere redemit; Geneva deditionem facit magnaque pecunia multatur. At Helvetiis domum redeuntibus, ad Burgundum omnes deficiunt.
		Sabaudus instructissimo exercitu 10000. militum Sedunum Valesiae obsidet. Valesiani primo quidem viribus impares, postea aucti Bernatum et Salodorensium subsidiis 3000. militum, Sabaudum acie devincunt. Nobilium ad 300. caesi praeter vulgus ignobile. Deinceps Viberi et Seduni Veragros debellant, Agaunum usque dejectis et dirutis omnibus castris, arcibus, munimentisque nobilium, et simul Raronium Valesia expellunt.
1476	37.	Ebrodunenses Comitem Remontium clam in oppidum recipiunt, Helvetii praesidiarii in arcem confugiunt; A quibus Comes cum oppidanis non satis tutus, oppidum habitatoribus vacuum linquere coacti sunt.
		Praesidiarii Granzoniam arcem Burgundo, fide data, dedunt. Sed fracta fide 500. Helvetii Bernates et Friburgenses, partim suspendio, partim lacu submersi vitam finiunt.
		Helvetii Carolum Burgundum acie ad Granzonium vincunt castrisque exuunt.
		Basilienses cum Montispeliardensibus Lynum occupant et praelio ad Granche superiores fiunt.
		Carolus Dux recollectis viribus exercitu 100. millium Moratum obsidet. Helvetii praesidium 1000. militum, Duce Joanne Waldmanno Tigurino, Friburgum miserant; Bernates eodem modo Moratum mille militum praesidio firmaverant. Carolus magna vi ter Moratum oppugnat 1500. suorum amissis, et tandem ab exercitu Helvetico ingenti pugna superatus foeda fuga vitam servavit. Burgundorum 30000. caesi sunt.
		Trecenti Insubri Burgundo auxilio missi, cum per Valesiam iter facerent, ab incolis

Anni Christi.	Imper. Germ.	Res Helveticae.
	Fridericus III.	lis trucidantur, qui ideo praelio ad Moratum non interfuerant. Ducenti etiam Burgundi Datteuriedtam excursione facta a foederatis praelio vincuntur et 30. interficiuntur.
		Comes Gruerianus socius Helvetiorum post pugnam ad Moratum hostes fugientes insequitur et Lausannam diripit. Equites nonnulli Insubri fuga Genevam delati non recipiuntur in urbem, quorum nonnulli Rodano summersi perierunt. Helvetii deinde communibus armis Genevam usque proficiscuntur et regionem universam deditione capiunt, grandi multa irrogata.
		Bania oppidum in Burgundia a foederatis expugnatur, Burgundorum 300. interfecti et Nobiles 80. capti sunt. Oppidum incendio vastatum est.
		Reinhardus Dux Lotharingiam ope foederatorum recipit.
1477	38	Carolus denuo cum exercitu Lotharingiam ingreditur et Nanceium metropolim gravissima obsidione premit. Reinhardus Helvetiorum et foederatorum opem implorat. Mittuntur ab Helvetiis 8000. et a foederatis 3000. qui Carolum exercitu 40000. militum instructum et vallo fossaque munitum aggrediuntur, cumque septies mille Burgundis caedunt: captis non paucis ex Nobilitate magnis viris.
		Duo millia Helvetiorum, praeter sui magistratus voluntatem, irrogatam Antuatibus multam repetere conabantur et Friburgum jam processerant. Rogati quid agerent: se stultitiae studere asserebant. Bernates pecunia data motum sedabant.
1478	39	Pugnatum est ab Helvetiis contra Ducem Mediolani ad pagum Jornico, ubi sexcenti Helvetii hyemare constituerant. Hos 15000. Insubri adoriebantur: victi, 1400. suorum amiserunt, reliqui in fugam acti. Helvetiis victoria et magna praeda cessit.
1479	40	Multi Principes Tiguri, ubi Helvetiorum legati convenerant, Helvetiorum amicitiam ambiverunt.
		Scaphusiani foedus quod cum Helvetiis fecerant ulterius ad aliquos annos producunt.
		Foedus, quod cum Tigurinis, Lucernatibus, Suitiis et Glaronensibus Abbas Sangallensis pro sui defensione fecit hoc anno incoepit.
1480	41	Helvetii Liebelsellam arcem in gratiam Episcopi Constantiensis depraedantur et diruunt.
		Helvetii Ludovico Gallorum Regi milites 7000. ex foedere nuper inito, Cabillonum usque mittunt auxilio.
1481	42	Friburgenses et Salodorenses in numerum Pagorum foederis Helvetici recipiuntur.
1482	43	Comites Wirtenbergenses cum Tigurinis foedus ineunt.
1483	44	Salodorenses arcem Münchenstein frustra obsident.
		Georgius Comes Werdenbergensis septem Pagis foederis Helvetici Comitatum Saruneticum oppignerat.
1484	45	Steina oppidum ad Rhenum Tigurinorum tutelae se committit.
1485	46	Sol toto corpore media luce deficit.
		Ludus jaculatorius Sangalli habetur.
		Glatburgum Turgeae per tumultum igne vastatur.
1486	47	Maximilianus Rex Romanorum eligitur et pax totius Imperii Romani constituitur.
1487	48	Episcopus Sedunensis adversus Ludovicum Sfortiam Insubrum Ducem, exercitum ex Valesiis et Lucernatibus in vallem de Oscella adduxit. Hos palantes et dispersos Dux triplici acie aggressus inopinatos oppressit, interfectis octingentis. Pugnatum est 28. Aprilis.
		Maximilianus Tigurinis, Bernatibus, Tuginis et Salodorensibus foedere unitur.
1488	49	Tigurini Sigismundo Austrio 200. milites Roboretum auxilio mittunt, et Veneti vincuntur.
		Sulzensis Comes Iestetum obsidet. Lucernates opem ferre parabant. Tigurini litem dirimunt.
		Alvicus Sulzensis Comes et Huldricus Baro ab Alto-Saxo in jus civitatis Tigurinae admittuntur.
		Initium Suevici foederis in hunc annum incidit.
1489	50	Monasterium Roschacense conditum a Sangallensi Abbate per Abbatiscellanos et Sangallenses destruitur.
		Carolus Francorum Rex ope 8000. Helvetiorum insigni victoria adversus Britonum Ducem potitur.
		Tumultu plebis Tigurinae excitato Johannes Waldmannus eques et consul urbis, cum Senatoribus quibusdam capite plectitur.

Basi-

	Imper. Germ.	Res Helveticae.
		Basilienses exercitu 3000. Heiterschen arcem occupant.
o	51 Frideric. III.	Abbatiscellani et Sangallenses, ob dirutum Monasterium Roschacense, a Tigurinis et Lucernatibus bello petuntur. Abbatiscellani pace facta Vallem Rheguscam tradunt Helvetiis: Sangallum obsessum pacem petit, magnaque pecuniae summa multatur et bello finis imponitur.
1	52	Constantiensis Episcopus Clerum Helveticum nimio tributo gravare conabantur. Id aegre ferentes Clerici, imperium Episcopi detrectabant. Tandem per Helvetios reconciliantur.
		Sangallenses nonnulli cives adversus senatum tumultuabantur: Authores comprehensi capite poenas luunt.
2	55	Ensishemii Elsatiae lapis, metallo ferreo haud absimilis, pondere 280. librarum, media luce cum tonitru de coelo delabitur in agrum oppido proximum. Qui memoriae causa ibidem in templo suspensus reservatur.
		Maximilianus Romanorum et Carolus Francorum Reges totis animis dissidentes per Helvetios reconciliantur.
3	1 Maximil.	Uznacum oppidum in Helvetiis igne conflagravit.
		Carolus Francorum Rex, cui tum temporis 8000. Helvetii militaverant, Italiam petit, cumque exercitu Romam ingreditur.
4	2	Arbor foelix ad lacum Acronium igne supposito conflagravit.
5	3	Carolus Gallus Helvetico milite Neapolitanum regnum occupat, et praesidium 1500. Helvetiorum, una cum nonnullis Germanis tam equitibus quam peditibus post se relinquit. In reditu vero ad Tarrum flumen pugna commissa fideli Helvetiorum opera usus est.
		Helvetii Caroli Regis praesidiarii, magnis rebus Neapoli gestis, divitias non contemnendas corraserant, morbo vero Gallico plerisque absumptis, reliqui victi Regnum amiserunt, et pauci admodum numero 148. domum redierunt. Per quos tum primum contagiosus postularum morbus ad nos delatus est. Qui per Hispanos ex India Occidentali in Hispaniam, ac inde in Italiam, a nostris demum, qui Gallo Neapoli militaverant, in Helvetiam et Germaniam est deportatus. Ideoque Hispanis Indicus, Gallis Neapolitanus, Italis et nobis Gallicus morbus, ad eam diem nobis incognitus, dicitur.
6	4	Tigurini Eglisoviae dominatum a Gradleris redimunt.
		Jodocus Sillinius Episcopus Sedunensis, quod factioni Gallicae addictus esset, Valesia pellitur.
7	5	Sangallenses ab Imperatore proscripti per Helvetios a proscriptione liberantur.
8	6	Helvetii nolunt cum Imperatore Suevico foedere conjungi, neque foedus haereditarium cum domo Austriaca renovare, unde Suevici belli causa extitit.
		Rhaeti et Austrii de quorundam locorum possessione litigabant, cumque Austrii nihil remittere vellent, neque obscura belli signa darent, Rhaeti perpetuo foedere Helvetiis conjungebantur.
9	7	Suevici foederis Principes Constantiam (quae se eis junxerat) conveniunt, et de bello contra Helvetios suscipiendo deliberant.
		Austrii Suevici belli initium faciunt et in Monasteriensem vallem excurrentes a Rhaetis excepti, amissisque 18. re infecta domum redeunt.
		Helvetii suos fines a Malsae campis ad Rhenum, dehinc secundum Rhenum ad Arolam flumen, ac inde in Burgundiam usque praesidiis firmant.
		Helvetii Constantiensi Episcopo Castellas, quod Suevis Gottlieben tradidisset, comburunt; et Rhaeti Episcopo suo, qui Austriis Furstenbergam concesserat, Stassbergum igne vastant.
		Brandisii Austriorum socii Majam villam proditione capiunt, et praesidium Rhaeticum trucidant.
		Rhaeti munitionem ad Lucii clivum expugnant interfectis Austriorum 400.
		Rex Francorum inito cum Helvetiis foedere auxilia sua promittit.
		Tigurini, Lucernates, Suitii, Subsylvani, Tugini, Glaronenses et Abbatiscellani transeuntes Rhenum, ad Treisam caesis 350. Suevis signa militaria duo et tormentum unum bellicum capiunt, ac Treisam vicum incendunt.
		Helvetii Vallem dulcem depraedantur, comburunt et Brandisium capiunt.
		Maja villa Rhaetis deditionem facit, 400. Austrii ibidem capti, Curiam ducuntur, et quidam proditionis accusati capite plectuntur.
		Helvetii Benderam et Rancvilam vicos incendunt, et Estiones Walgeuwer dicti in ipsorum verba jurant.

Anni Christi.	Imper. Germ.	Res Helveticae.
1499	7 Maximilianus.	Helvetii in Hegoviam profectione suscepta, multis arcibus direptis et dirutis, vicisque incensis depopulantur.

Pugna Hardae committitur. Helvetii caesis 1500. Suevis victores evasere, omniaque tormenta ac signa bellica in suam potestatem redigunt.

Austriaci qui oppidis Rhenanis in praesidiis erant, Bernatibus et Salodorensibus vicos quosdam incendunt.

Philippus Palatinus ad Rhenum bellum inter Helvetios et Suevos composuisset, ni Suevi a pace alieni fuissent.

Austriaci Vallem Monasteriensem igne ferroque vastant.

Maximilianus in Brisgoviam veniens omnes Imperii ordines ad bellum adversus Helvetios excitat.

Helvetii 300. ex Rauracis magnam praedam pecoris et armenti abigunt.

Milites Helvetici mille, in Sequanam regionem excursione facta, redeuntes 8000. Suevorum et Austriacorum obvios habent ad Sylvam quae fratrum nomine nuncupatur; ibique praelio commisso, Helvetii victores, hostium 600. caeciderunt. Inter quos Comes Tierstenianus et Nobiles quam plures ceciderunt.

Estiones a fide Helvetiorum desciscentes Suitiis vicum Gamsonium et quosdam alios incendunt.

Suevi Constantiam egressi Helveticum praesidium, quod proxime ad urbem fuerat collocatum, in fugam disjiciunt. Helvetii recollectis viribus Suevos praeda onustos adoriuntur et 2500. caedunt, reliquos fugere cogunt. Capta sunt eo praelio signa militaria duo et bellica tormenta majora quatuordecim.

Helvetii in Estionum regionem proficiscuntur et exercitum Austriacum Frastentzii vincunt, caesis hostium 3000. partaque praeda non contemnenda. Et tormenta majora 4. minora 500. capta sunt.

Helvetii in Clacoviam (quos nonnulli Latobrigos existimant) irruptionem faciunt, et Thungam occupant. Ubi vexillum unum, signa militaria 3. et tormenta bellica nonnulla parta. Capti Nobiles 16. Oppidum cum arce direptum et incensum est. Kussenbergum, Tulingia et Blumenberga deditionem fecerunt.

Helvetii 300. Suevorum 20. in Leimia valle una cum Ortenstenio Comite caedunt.

Tschudius Nobilis Glareanus ad singulare certamen provocatus, ab Austrio Constantiano praesidiario, victoriam reportavit.

Austrii in Vennones ad caput Oeni excurrunt, eisque multam irrogant, obsidesque 33. Meronam mittunt; Postea cum vexillo Tyrolensi Malsam proficiscuntur.

Rhaeti in Malsae campis 4000. Austriacos caedunt: Potiti sunt vexillo Tyrolensi, signis militaribus sex et tormentis bellicis majoribus 8. Reliqui Austriacorum fuga Meronam elabuntur et obsides 33. a Rhaetis datos in frusta concidunt.

Maximilianus Imperator in superiorem Germaniam veniens Vennonum regionem ad Oeni caput igne ferroque vastat. Contra Rhaeti cum Helvetiis sociis in Athesiam Meronam proficiscuntur, omnia longe lateque ferro, igne et direptionibus depopulantes.

Helvetii Valesiorum 800. ope Stocacum oppugnant.

Iidem Lauffenbergenses provocant et victos in oppidum refugere cogunt. Postea Bernoviam incendunt.

Equites Belgii 300. Monasterium Grandevallense incendio vastant.

Praesidium Helveticum prope Constantiam, Augiam majorem Rheni frustra occupare tentabat.

Helvetii qui Foro Tiberii et vicinis locis in praesidiis erant, Toggeram incendunt et hostium 60. interficiunt. Hostiumque, qui Waldshutum defendebant 3000. opem suis laturi pedem referre sunt coacti. Helvetii in castra redeunt omnia circa Waldshutum incendiis et caedibus vastantes. Eodem tempore 300. Austriaci, qui Waldshuti consederant, tentabant Lutgeram occupare. Ubi vero Toggeram incendio flagrare vidissent, Waldshutum redeunt.

Helvetii Nukirchum et Halloviam in Clacovia occupant.

Caesar universi Imperii vires in auxilium contra Helvetios vocat. Ludovicus Francorum Rex foedus cum Helvetiis facit, quibus tormenta multa majora bellica, cum omni apparatu, propriis sumptibus auxilio mittit. Imperator Ducem Mediolani contra Rhaetos evocat. Igitur Gallus exercitum trans Alpes Astam in Insubriam mittit.

Helve-

Anni Christi.	Imper. Germ.	Res Helveticae.
1499	7 Maximilian.	Helvetii in Hegoviam excurrentes praedam Enga reportant, quam ubi Suevi recuperare nequivissent, Teingam incendunt.
		Gielani Nobiles Helvetii, sub signo militari Rhenum transeuntes, omnes caeduntur.
		Suevi Lindovia navibus Ryneccum transvecti Helveticos praesidiarios Ryneccum cedere cogunt, 70. ex illis interfectis.
		Suevi Dorneccum, Salodorensium arcem, exercitu 15000. militum obsident. Salodorenses, Tigurini et Bernates primo obsidionis die cum Suevis congrediuntur et pugna commissa victoriam obtinent. In eo praelio supra tria millia hostium caesa, signa militaria 9. tormenta bellica majora 8. et praeda non contemnenda capta.
		Maximilianus Caesar cum Aquila Romana et magnis Germanorum copiis Constantia egreditur aciemque instruit. Ubi hac ostentatione Helvetios minime terreri conspexisset, in urbem revertitur. Quem Helvetii subsecuti frumentum, quod circa Constantiam maturuerat, demetunt.
		Pace facta Suevico bello finis imponitur.
		Praefectura rerum criminalium in Turgea, quae hactenus penes Constantienses fuerat, Helvetiis traditur.
		Sultzenses Comites veriti ne Clacovia regio pacis conditionibus ipsis adimatur et Helvetiis addatur, ipsi eam incendiis vastant.
		12000. milites Helvetici auspiciis Galli militantes Volturenam occupant. Horum postea 2000. Duca Valentinus conscribit, eorum opera Ducatum Forolivienseм devincit.
1500	8	Ludovicus Insubrum Dux 5000. Helvetiorum contra magistratuum edicta conscribit.
		Urii Bilitionum occupant.
		Huldricus Wirtenbergensis Dux cum Helvetiis foedus in annos 12. facit.
		Maximilianus Caesar foedus haereditarium cum Tigurinis, Bernatibus, Uriis et Subsylvanis redintegrat.
1501	9	Tigurinis cum 7. Pagis lis est ob vectigal Clotense.
		BASILEA et SCAPHUSIA nobiles ad Rhenum urbes in numerum Pagorum Helvetiae cooptantur.
		Helvetii Locarnum capiunt ob stipendium ipsis promissum et non solutum.
		Tigurini, Bernates, Urii, Suitii et Subsylvani in hoc conveniunt, ne posthac ab ullo Principe donum aut stipendium recipiant.
1502	10	Nicolaus Eremita in Subsylvanis moritur.
		Basileae 3000. homines peste absumpti sunt.
		Marchio Brandenburgensis bellum cum Norinbergensibus gessit, cui 200. Helvetii stipendia faciebant, quorum ope pugna commissa victor evasit.
		Bernates Comitis Grueriani clientes, quod maleficium esset patratum, bello petebant, Comes pace bello sine sanguine finem imposuit.
1503	11	Helvetii Francorum Regem rogabant: Siquidem Urii, Suitii et Subsylvani Bilitionum aere a veteribus possessoribus redemissent, ne ipsos ab ejus oppidi possessione et usu arceret. Cumque id Gallus se facturum negaret, Helvetii communi auxilio Locarnum obsederunt. Igitur Gallus Bilitiono tradito Locarnum obsidione liberat.
		Quatuor millia Helvetiorum Regi Gallorum, contra Magistratuum suorum edicta, militarunt in regno Neapolitano: qui fere omnes morbis atque ferro absumpti inobedientiae praemium reportarunt.
		Episcopus Constantiensis suis per segetes jam prope maturas obequitans, fulmine coelitus equo deturbatur.
1504	12	Tiguri arcubus et Bombardis ab Helvetiis certabatur.
1505	13	Mellinga oppidum igne supposito in universum fere conflagravit.
1506	14	Mullhusiani foedere in jus civitatis Basiliensis admittuntur.
		Bulacum oppidum Tigurinorum, praeter unam domum in universum absumptum est igne.
1507	15	Gallus 6000. Helvetiorum ope Genuam cepit.
1508	16	Imperator, Papa et Gallus Venetos Italiae principatu exuunt.
1509	17	Gallus sociis Helvetiis Venetos pugna devicit.
		Hoc anno foedus Helvetiorum cum Gallo finiebatur.
		Monachi 4. ordinis Praedicatorum Bernae, magicis artibus, ad imposturas suas confirmandas, utebantur. Re manifestata igne combusti sunt.

Anni Christi.	Imper. Germ.	Res Helveticae.
1510	18 Maximilianus.	Julius Pontifex foedere Helvetiis unitur.
		Wirtenbergensis Dux cum Rotevilanis bellum gerens cum iisdem per Helvetios reconciliatur.
		Francorum Rex amicitiam Helvetiorum ambiebat: qui offensi ejus amicitiam respuebant.
1511	19	Quidam Helvetii Episcopo Sedunensi, ob non solutum stipendium, bellum indicebant. Sed res transactione est composita.
		Galli qui Lugani in praesidiis erant tabellarium Suitensem interceperunt, et aquis submerserunt: Postea insigne Suitensium per ludibrium auctione publica vendiderunt. Cujus rei vindicandae causa Helvetii media hyeme transcensis Alpibus multos vicos regionis Luganensis incendio vastarunt.
1512	20	Rex Gallorum insigni victoria ad Ravennam potitur: nec tamen sine sanguine, Helvetiis utramque partem adjuvantibus.
		Supra Bilitionum in valle Palensa duo montes decidentes conjungebantur, ut torrentium ac rivorum ostia obstruerentur et aqua collecta lacum efficeret. Unde vallis incolae in montibus altiores et ab aquis tutiores sedes quaerere compulsi sunt.
		Helvetii Papae auspiciis militantes Mediolano et universo Ducatu recuperato Ducem in integrum restituunt. Ideo Dux Uriis, Suitiis et Subsylvanis Bilitionum reddit et communem civitatem Helvetiam, quatuor provinciis Italicis, ad eundem Ducatum pertinentibus, remunerat.
1513	21	Gallus frustra Helvetiorum ambit amicitiam.
		Ludovicus Francorum Rex Mediolani Ducatum recuperare conatur. Itaque Helvetii subsidium 4000. militum Duci mittunt, qui Novariam profecti Gallos ibidem operiebantur. Galli instructissimo exercitu Novariam aliquandiu frustra obsident. Qua re civitati Helveticae nunciata, iterum delectu habito exercitum 8000. miserant. Galli, ne utrinque ab Helvetiis intercludantur, obsidionem solvere. Helvetici praesidiarii suorum adventum non expectare, Gallos subsequi, et magno animo initium pugnae facere, Gallos in fugam disjicere, eorumque castris potiri. Parta est victoria non sine sanguine. Helvetiorum 1400. hostium 6000. desiderati sunt.
		Subditi Bernatum et Lucernatum seditionem moverant, ob suos in Novariensi pugna caesos. Sed is tumultus per Magistratum prudenter est sedatus.
		Abbatiscellani in numerum Pagorum civitatis Helveticae cooptantur.
		Maximilianus Caesar cum Helvetiis foedus ferit, quibus author fuit ut exercitum 30000. adversus Francorum Regem in Burgundiam ducerent, cui non contemnendum equitatum Duce Wirtenbergio adjunxit. Obsessa Divione Burgundiae metropoli, Tremulius praesidii Dux cum Helvetiis paciscitur, datis obsidibus qui Tigurum in custodiam tradebantur.
1514	22	Obsides duo delusis custodibus elabuntur, reliqui, quod Rex pacificationem Divionensem ratam non haberet, pecunia sese redimunt.
		Imperator foedere Helvetiis jungitur, quod annum unum post obitum ejus durare debuit.
1515	23	Aqua, quae in Valle Palensa ex obstructione ostiorum torrentium et rivorum sese per triennium collegerat subito erupit, nec sine damno inferiorum vallium est dilapsa.
		Franciscus Francorum Rex valido cum exercitu in Insubriam proficiscitur, idem faciunt Helvetii. Rex pacis tractationem instituit, in quam plerique Helvetiorum consenserant, ideoque exercitus Helvetici pars maxima dilabitur. Reliqui artibus Episcopi Sedunensis persuasi cum exercitu Gallico sub vesperam 13. Septembris pugnam faciunt, et fama victoriae Helvetiorum per totam Italiam dispersa fuit. Sed ea nocte Rex Veneti exercitus accessione auctus, tormenta disponere, aciem restaurare, omniaque praelio necessaria parare: summo mane cum Helvetiis congreditur, eosque pugna cruenta superavit. Helvetii victoria desperata, conservatis ordinibus, depositis in medio sauciis militibus et tormentis quae secum adduxerant, signis item militaribus octo quae hosti eripuerant, lento gradu Mediolanum rediere: ita ut ex toto hostium exercitu nemo equitum peditumve eos persequi sit ausus, et illorum receptus nihil simile fugae haberet. Ceciderunt utroque praelio Helvetiorum 5000. hostium 12000. inter quos Principes 8. et plures summae Nobilitatis viri. Tam cruenta Rex parta victoria, Helvetios postea aegerrime magna auri vi placavit: Tantae molis erat Montanam vincere gentem. Victis Helvetiis Rex Mediolano potitur.
		Tigurina plebs ob cladem Mediolanensem tumultum excitat.
1516	24	Maximilianus e Germanis et Helvetiis exercitu collecto denuo Mediolanum oppugnat, sed infecta re domum revertitur.

Ubi

Anni Christi.	Imper. Germ.	Res Helveticae.
1516	Maximilianus.	Ubi Rex diu multumque Helvetios ad pacem sollicitasset, auri magna vi numerata, et Provinciis quatuor, quae prius ad Mediolani Ducatum pertinebant, traditis, Regi pax dabatur. Factioni Gallicae addicti Valesiani Episcopum Sedunensem Valesia pellunt, quod Papae partibus faveret.
1517	25	Glaronenses Werdenbergam pretio emunt.
1518	26	Episcopus Sedunensis Valesia ejectus sacris interdixit Valesiis. Illi arcem Octodorensem incendio diruunt, et Episcopum redeuntem denuo expellunt.
1519	27	Huldricus Zuinglius Domo Sylvestri, vico Toggii Comitatus, oriundus. Prius Glaronensis, postea Eremitanae Ecclesiae pastor ad Tigurinae Ecclesiae parochiam administrandam vocatus, primam concionem Cal. Januarii habuit. Multa adversus Papam Romanum dixit et scripsit. Rotevila foedus cum Helvetiis fecit. Huldricus Wirtenbergensis Dux Rutlingam imperialem urbem ex improviso occupat, cui deinceps urbes Suevicae bellum indixerant. Dux praeter Magistratuum voluntatem 14000. milites Helveticos conscripsit, qui revocati a Magistratibus suis domum redeunt, et Dux principatu suo dejicitur. XVIII. Julii Carolus V. Hispaniae Rex in Imperatorem Romanum Francofurti eligitur.
1520	1 Carol.V.	Scaphusiani Halloviam Clacoviae capiunt, et Basilienses arcem Pfeffingen expugnant.
1521	2	Omnes Helvetii, praeter Tigurinos, foedus cum Rege Gallorum faciunt. Johannes Oecolampadius Basileae Evangelii praedicationem coepit. Helvetii Papae in Italia militare incipiunt. Carolus Helvetiorum privilegia Vormatiae confirmat. Helvetii Gallo 6000. milites in Picardiam auxilio mittunt. Helvetii iterum in Italiam Papae militatum abeunt. Papa Mediolanum Gallo eripit auxilio militum Helveticorum. Cives Tigurini sese invicem sacramento obligarunt, ne quis in posterum a quoquam Rege sive Principe stipendium aut munus ullum accipiat.
1522	3	Papa, Imperator et Dux Mediolanus Helvetios ad foedus frustra solicitabant. Helvetii communibus armis (Tigurinis exceptis) Gallo serviebant, et ad Bicocam insigni clade accepta domum rediere. Communis Helvetiae civitas rogata Francisci Gallorum Regis filium Carolum 9. ex Sacro Baptismate sustulit.
1523	4	Prima disputatio Religionis causa Tiguri est instituta. Milites Helvetici, Regi in Ducatu Mediolanensi militantes, pauperes, famelici et multis incommodis affecti domum redierunt. Disputatio altera contra missam et imagines Tiguri habetur, quae in diem tertium duravit.
1524	5	Basileae de Sacerdotum matrimonio publice disputabatur. Soles tres et totidem Irides cum dimidia, 2. Maji coelo visae sunt. Vininga vicus ad Limagum Tigurum infra conflagravit igne. Tigurini Religionis reformationem suscipiunt, et imagines, quae ad cultum prostabant, e templis removent 15. Junii. Scaphusiae arbores, fenestrae, tecta et reliqua similia aedificia grandine horribili collisae sunt. Carthusia Itinga in Turgea tumultu excitato diripitur et comburitur. Gallus Helvetiorum ope Ticinum obsidet. Jacobus vero Medices Mussii Castellanus Clavennam arcem et oppidum capit, quo astu Rhaeti et Helvetii ex castris domum revocati, et Franciscus Rex a Caesareanis circumventus, captus in Hispaniam est abductus.
1525	6	Huldricus Wirtenbergicus Ducatum suum recuperaturus Helveticum militem conscripsit, qui cum stipendii solvendi commoditas deesset, desertus a militibus ab incepto destitit. Rusticum bellum in Germania oritur et brevi finitur. Missa cum omnibus ceremoniis Pontificiis abrogatur Tiguri, cujus in locum verbi divini praedicatio, Coenae mysticae usus, et bonarum literarum studia instituuntur. Anabaptisticae haereseos semina jacta, Tigurinae Ecclesiae multisque aliis, negotium facessunt.

Anni Christi.	Imper. Germ.	Res Helveticae.
	Carolus V.	Rhaeti Clavennam recipiunt, arcem et oppidi moenia demoliuntur, Mesanci denique arcem destruunt ne hostibus receptui essent.
1526	7	Badae in Helvetiis de Religione disputatio habetur.
1527	8	Clerus Pontificius Constantia discedit.
		Milites quidam Helvetici Gallo in Mediolani Ducatu stipendia merebant.
		Tigurini Ecclesiastica bona, lege lata, in pauperum usus conferebant.
		Mussii Castellanus Helveticum exercitum in Italiam adduxit, qui victus mox domum rediit.
1528	9	Constantienses cum Tigurinis foedus feriunt.
		Per integrum Januarium mensem Bernae de Religionis articulis disputatum est. Inde reformatio Bernensis Ecclesiae secuta est. Cum vero Hasellae vallis incolae et Grindelvaldenses reformationi sese opponerent, armis ad obediendum compulsi sunt.
		Constantienses Ecclesiae reformationem suscipiunt et urbem contra vim hostilem operibus munitionibusque sepiunt.
		Soles 3. totidemque halones coelo sunt visi.
		Genevensium Ecclesia reformatur: idem fit in Turgea.
1529	10	Tigurini, Bernates et Constantienses de civili quodam foedere cum Basiliensibus, Sangallensibus, Mullhusianis et Biennatibus conveniunt. Post haec Basilienses in Religione reformationem instituunt.
		Friburgenses privato foedere Pagis quinque junguntur.
		Regnavit in Helvetia et tota Germania morbus sudoris pestiferi, quo correpti homines intra vigesimam quartam horam aut exhalabant animam, aut si virus exudassent, valetudinem paulatim recuperabant. Ea lues contagiosa prius incognita anno 1486. Angliam invasit, unde vulgo morbus Anglicus dicta est.
		Turgeani Liebenfelsam ob homicidium a Nobili Liebenfelsio commissum obsidebant. Captis deinceps Nobilibus quibusdam bello finis imponitur.
		Tigurini contumeliis plurimis a Quinquepaganis, ob religionem reformatam, affecti, armis injuriam persequi statuerunt. Cumque jam utrinque in acie constitissent, sine sanguine res pace componitur.
		Scaphusiani ad exemplum reliquarum reformatarum Helvetiae civitatum, Ecclesiam reformant, foedere cum iisdem inito.
		Plurima oppida, Monasteria et vici per Helvetiam reformationem Ecclesiae admittunt.
		S. Lucii in Rhaetis Abbas proditionis cum Mussii Castellano reus Curiae plectitur capite.
		Marpurgi Catorum, inter Theologos Helvetiae et Germaniae, disceptatio fuit gravis de quibusdam Religionis articulis: In primis de Coena Dominica.
		Rotevilae supra 400. homines ob religionem reformatam urbe pelluntur.
1530	11	Philippus Hassiae Landgravius et Argentinenses cum Tigurinis et aliis quibusdam reformatis civitatibus foedus ineunt.
		Vici nonnulli apud Glareanos reformationem Religionis instituunt.
		Sabaudi Nobiles, qui sedes urbi Genevensi vicinas habuere, in ejus exitium conjuraverunt: Signum illis cochlear fuit, unde Cochlearici foederis nomen est ortum. Bernates, Friburgenses et Salodorenses sociis ejus foederis bellum inferunt. Tandem Paterniaci pacis conditionibus bellum finitur.
1531	12	Bellum Mussii Castellani cum Rhaetis oritur. Helvetii (Quinquepaganis exceptis) Rhaetis auxilia sua mittunt. Dux Mediolanus belli molem in se recipit, et Helvetiorum ope eidem finem imponit.
		Quoddam dissidium inter Basilienses et Salodorenses componitur intercessione Helvetiorum.
		Salodorenses reformatione suscepta, paulo post Missam cum ceremoniis Pontificiis denuo admittunt.
		Quinquepagani arreptis armis in Tigurinos movent, eosque imparatos, Primo Capellis, postea ad Tuginum montem vincunt. Post haec pace facta plurimae Ecclesiae reformatae ad Papismum deficiunt.
1532	13	Civis quidam Basiliensis propriam uxorem gravidam cum filiola necat, seque deinceps de fenestra praecipitat.
1533	14	Salodori tumultu ob religionem excitato Missa restauratur.
		Quinquepagani, Salodorenses, Friburgenses et Valesiani privato junguntur foedere.

Terrae

Anni Christi.	Imper. Germ.	Res Helveticae.
	Carolus V.	Terrae motus in Turgea sentiebatur Novembri mense: Decembri sequente tres se invicem subsequentes terrae motus Basiliensi urbi magno damno fuere.
1534	15	
1535	16	Julii vicesimo quinto igne coelo delapso Bulacum oppidum, Lotsteta vicus et nonnulla aedificia alia conflagrarunt. Nobilitas Sabaudica Genevensibus denuo bellum infert. 415. Helvetii Genevensibus praesidio missi, in manus 1500. Sabaudicorum militum inciderunt, qui de superiore loco cum ipsis pugnarunt. Ab iisdem tamen victi Sabaudorum 440. sunt desiderati. Helvetiorum ceciderunt septem, lixae duo et mulier una, quae fortissime pugnans, 4. Sabaudos, priusquam caderet, interfecit. Hoc modo Helvetii victoriam obtinuerunt.
1536	17	Bernates conditiones pacis offerebant Sabaudo, et a Duce ludibrio habiti armis jus persequi statuerunt. In Sabaudiam itaque profecti universam, ad montium usque angustias et claustra viarum, qua Lugdunum itur, occupant. Reliquam, quae ultra dictas angustias est, Franciscus Gallorum Rex armis obtinuit, ut fere omni suo imperio dux exueretur. Quin etiam Valesiani terras agro suo vicinas Sabaudo eripuerunt. Et Bernates Remontii comitatu devicto, eo Friburgenses donant. Helvetii Gallo auxilia sua Avenionem miserunt adversus Imperatorem, qui Massiliam obsederat.
1537	18	Hutvila in Ergovia oppidum penitus igne conflagravit.
1538	19	Januario mense dirus Cometa apparuit. Basileam terrae motus concussit.
1539	20	Majo mense Cometes coelo arsit.
1540	21	Hic annus ob gravissimum aestum atque siccitates fuit memorabilis. Regenspurgum ignis absumpsit, arce cum suburbio superstite.
1541	22	Landenbergius Rotevilanis bellum intulit, et Helvetiis defensionem urbis suscipientibus pax dabatur.
1542	23	Helvetii in castris Galli stipendia merentes per Provinciam superato Pyreneo Pampelonam proficiscuntur. Ad Forum Tiberii 130. homines naufragio perierunt.
1543	24	Gallus militis Helvetici opera, Landresium, a Caesarianis obsessum, annonam intulit, et partem Luceburgici ducatus devincit. Gallus copiis Helvetiorum adjutus, Caesarianos in Pedemontio ad Carignanum acie vicit.
1544	25	Helvetii Gallo suas copias in Picardiam, adversus Anglos, auxilio mittunt. Pauci tamen Helvetiorum, qui frigoris hyberni patientiores mortem effugerant, prorsus miseri et calamitosi domum redierunt.
1545	26	Caesaris per Insubriam Vicarius Helvetiis interdixerat, ne frumentum Mediolani emant emptumve ducatu exportent. Qua de re multum in conventibus actum est.
1546	27	Concilium Tridentinum hoc anno incepit, et bellum Smalcaldicum est ortum.
1547	28	Andreas Schmidius Tigurinus communi Helvetiorum nomine pro filia Regis Francorum in Sacro Baptismo fidejubet.
1548	29	Constantienses, qui INTERIM admittere noluerunt, ab Hispanis ex improviso oppugnantur, nec tamen urbs expugnatur, postea cum a Caesare ut rebelles proscriberentur, tutelae Austriorum sese committunt.
1549	30	Helvetii, Tigurinis exceptis, foedus cum Gallo renovant.
1550	31	
1551	32	Groeninga Tigurinorum sola arce et unica domo excepta, funditus conflagravit incendio.
1552	33	
1553	34	
1554	35	Locarnenses, ob religionem reformatam Locarno et regionibus vicinis pulsi, a Tigurinis in urbem recipiuntur, et Serici texturam, quae ante annos 300. ibidem in usu fuerat, exercere denuo incipiunt.
1555	36	Galli Helvetiorum ope Ulpianum in Pedemontio expugnant. Genevae tumultus adversus Gallos, qui Gallia ob religionem pulsi fuerant, excitatur, et cito sedatur.
1556	37	Cometa ardens 12. noctibus est visus.
1557	38	Helvetii in Italia ad Pullianum a Caesarianis vincuntur. Iidem Burgopressam defendunt.

Anni Christi.	Imper. Germ.	Res Helveticae.
		Quinquepagani Glaronensibus litem moverant, quae difficulter sine caede et sanguine componebatur.
1558	1 Ferdinandus.	Carolus Imperio sese abdicavit, quod deinceps Ferdinando fratri tradebatur.
1559	2	Maxima insolitarum avium multitudo Salodori visa est.
1560	3	Ad Colloquium Religionis ergo Possiaci institutum Petrus Martyr S. literarum Professor Tigurinus mittebatur.
1561	4	Sabaudus commeatu Genevenses intercludit, non sine maximo urbis periculo.
1562	5	Theologi Tigurini ad Concilium Tridentinum fide publica venire jussi, expositis rationibus negabant. Helvetii Pontificii 17. signis Gallorum Regi adversus Evangelicos auxilio veniunt. Gallus Helvetiorum opera Rotomagum expugnat. Francorum Rex Principes Evangelicos acie vicit, magna suae Nobilitatis et 16. Capitaneorum Helveticorum clade.
1563	6	Ferdinandus Caesar in superiorem Germaniam secundum Rhenum proficiscens Basileae et Constantiae maximo apparatu recipitur.
1564	7	Helvetii foedus cum Gallo redintegrant. Summa per Helvetiam fuit annonae caritas ut frumenti modius 6. aureis Germanicis veniret.
1565	1 Maximiliā. II.	Gallus Tigurinorum foedus frustra ambiebat.
1566	2	
1567	3	Bellum civile propter religionem in Gallia redintegratur, ad quod Helvetiorum quidam Pagi Regi auxilia sua mittunt. Sabaudus et Bernates reconciliantur, et Bernates Duci Provincias, sive Comitatus tres restituunt, reliquos sibi reservant. Altstetum in Rhegusciis trium horarum spatio penitus conflagravit, 18. Julii.
1568	4	Helvetiorum 10000. in Galliam militatum abire parant. Condaeus Princeps per Legatos petierat, ut, aut de pace agant aut domi maneant. Id cum obtinere non posset, Tigurini poena capitis interdixerunt, ne quis suorum Regi militet.
1569	5	Hoc anno bellum in Gallia infestis animis gerebatur praecipue quorundam Helvetiorum opera.
1570	6	In lacu rivario (vulgo Walensee) naufragio 46. homines summersi pereunt. Rhaeti incuria Suitiorum et Glaronensium factum accusabant. Tandem lis amice componitur. Roteburgenses seditione mota Lucernam obsederant, cumque de multis magistratus sui gravaminibus quererentur, intercessione Helvetiorum magistratus cum subditis reconciliatus, utrinque arma deposuerunt.
1571	7	Aeris intemperies et insolitae tempestates segetibus et vinetis tantum nocuerunt, ut summa annonae caritas subsequeretur, et pretium modii frumenti 6. aureos Germanicos excederet. Seditio a subditis Lucernatum concitata denuo sedatur.
1572	8	Gallus ad Rupellam expugnandam 6000. Helvetios conscribit.
1573	9	Maximi per Rhaetiam motus et tumultus excitati, Helveticorum Legatorum prudentia sedantur.
1574	10	Curia in Rhaetis magna parte incendio conflagravit. Helvetii Hispano in Belgio militant.
1575	11	Urbium Helveticarum reformatarum legati in Galliam ad Regem de pace tractanda mittuntur et re infecta domum redeunt. Bernates cum Valesianis foedus renovant 14. Julii mensis: quo vespere 42. domus incendio absumptae sunt. Sana, vicus ditionis Bernensis, igne conflagravit paucis domibus cum templo, salvis relictis. Casimirus Palatinus exercitu valido Germanorum et Helvetiorum collecto Galliam petit. Helvetii Pontificii Gallo militantes in Delphinatu a Montbrunio ad internecionem caeduntur.

Cum

Anni Christi.	Imper. Germ.	Res Helveticae.
1576	1 Rodolf. II.	Cum utriusque religionis Helvetii partim Regi partim Principibus Gallis militarent, pace bellum est finitum.
		Ad certamen Sagittariorum Argentinae institutum, cohors civium Tigurinorum uno die per Limagum et Rhenum nave vecta, cibum Tiguri coctum, calidum et adhuc exhalantem, secum Argentinam attulit. Id quod ante 120. annos etiam factum annales referunt.
		Horrenda nec audita prius tempestas fragore tonitruum, vi ventorum et grandinum a Lemanno ad Acronium usque lacum per Helvetiam, maximo cum segetum, vinetorum et aedificiorum detrimento grassabatur.
		Curiae Rhaetorum pars magna igne supposito conflagravit.
1577	2	Vicus Eremitanus apud Suitios incensus penitus igne est absumptus, incendiariis Othmaro Stoerio Episcopicellano et sociis iisdem qui prius Curiam incenderunt. Tentaverant semel atque iterum Tigurinam urbem incendio delere, ni prohibiti fuissent.
1578	3	Othmarus incendiariorum princeps Curiae poenas dedit: Socii Tiguri, Suitiae et alibi mercedem pro factis receperunt.
		Helvetii Joanni de Austria nomine Regis Hispanici in Belgio militaverunt.
		Genevenses obsidionem ab Italis et Hispanis metuentes praesidium a Bernatibus accipiunt, et paulo post dimittunt. Qua re cognita Junio deinceps Itali et Hispani ex improviso Genevam expugnare conati, proditione detecta, re infecta discesserunt.
		Gallici Regis frater Alanconius cum exercitu Burgundiae imminet, et per Epistolam ab Helvetiis admonitus ab incepto destitit, et Burgundiae pax reddita est.
1579	4	Septem Pagi Pontificii foedus cum Basiliensi Episcopo faciunt. Quo confirmatus Episcopus multa insolenter egit: praecipue vero Basiliensibus litem movit, quae difficillime magno cum Basiliensium sumptu composita est.
1580	5	
1581	6	Cum post diuturnum bellum Galliae pax redderetur, Alanconius multis Helvetiorum millibus Belgium petit.
		Helvetii omnes, solis Tigurinis exceptis, Gallicum foedus redintegrant.
1582	7	Sabaudus Genevam proditione capere tentabat, detecta conjuratione, cognitisque proditoribus dignam factis mercedem accipiunt, et Genevenses urbem opere praesidioque muniunt. Ut igitur a Sabaudo imminens periculum evitarent Helvetiorum foedus ambiunt. De quo multum diuque frustra agitabatur. Tigurini tamen auxilium promiserant, et Sabaudus deterritus ne bellum patraret.
		Gregorianum Calendarium initium habuit, quod Helvetiis multum negotii facessit.
1583	8	Archiepiscopus Coloniensis Ecclesias suae dioeceseos reformare conabatur: Refragante autem clero alius qui Pontificiam defenderet religionem eligitur, hinc bellum inter utrumque oritur. Casimirus Palatinus reformatoris partes defendebat, cui Helveticae urbes reformatae praetoriam cohortem subsidio misere.
1584	9	Calend. Januarii dira fuit tempestas tonitribus, fulgetris et imbribus, ac si in media esset aestate. Die deinceps qui Ascensionis Christi sacrum proxime praecedit, horrida grando agrum Tigurinum et Turgeam verberavit, quae arboribus, vineis et segetibus tantum nocuit, ut summa annonae caritas eam sequeretur, quae ad nostra usque tempora duravit, et quibusdam annis modius frumenti 7. aut 8. aureis Germanicis veniret.
		Februario mense terrae motus ab Acronio lacu (ut ajebant multi) Lutetiam usque Parisiorum sentiebatur. Quo, ad Lemannum lacum mons concussus subsedit, et Lausannae camini aliquot et domus quaedam vetustae corruerunt.
		Majo sequenti 350. cives Tigurini amicitiae causa Bernam equitabant, quibus omnia amicitiae officia praestabantur.
		Senatus Tigurinus consensu civium et subditorum foedus perpetuum cum Republica Genevensi fecit, quod pridie Cal. Novembris est confirmatum et obsignatum.
1585	10	Rhaeti adversus exules Italicos, qui Volturenae imminebant, bellum suscipiebant. Qua re cognita exules dilabuntur et Rhaeti domum redeunt.
		Francorum Rex et Guisius dux hostilem invicem animum simulabant. Glaronenses et Rhaeti Regi merebant. Quinquepagani ad Guisium in Burgundiam proficiscuntur: qui re infecta miseri, morbosique domum redeuntes, plerique animam exhalabant.
1586	11	Arx et oppidum Clingnovia penitus conflagravit.
1587	12	Mullhusiani diffidentes infirmiores a potentioribus oppido pelluntur: Cumque multum diuque de componendo inter illos dissidio frustra ageretur, quatuor Helveticae

Anni Christi.	Imper. Germ.	Res Helveticae.
1587	Rodolf. II.	urbes exulum causam defendendam suscipiebant, Mullhusium obsident capiuntque, et post multam caedem et sanguinem eos reconciliant, non sine maximo illorum dispendio.
		Durantibus et fervescentibus bellis Gallicis inter Reges Gallum et Navarrenum Quinquepagani, Salodorii et Friburgenses Gallo auxilia sua mittere: et vicissim urbium Helveticarum, Glaronensium et Rhaetorum milites sub signis militaribus 51. Navarreno (praeter Magistratus sui consensum) stipendia merere. Hi copiis Germanorum equitum et peditum juncti per Lotharingiam in Franciam irrumpere, omnia ferro et igne ad Ligerim usque vastare. Cumque Navarrenus nusquam illis sese conjungeret, praetereaque stipendio et belli nervis destituerentur, pace cum Gallo facta, qui stipendia promiserat, domum per Burgundiam revertuntur, plurimis suorum amissis, qui vel morbo vel ferro extincti occubuerunt. Id bellum magno conatu susceptum, infelici successu brevi finitum postea Dampnisanum est appellatum.
1588	13	Tigurum, Berna et Argentina vetustum foedus renovant et in annos decem confirmant.
1589	14	Anno hoc ineunte Sabaudus aperto bello Genevenses petit. Illi 3. Aprilis castella Monton et Sanioire oppidumque Bonnam capiunt.
		Octo millia Helvetiorum Regi Gallorum Heinrico IV. militantes Genevois, Sabaudicam regionem urbi Genevensium proximam, capiunt. Majo deinde per Burgundiam ad Regem in Galliam proficiscuntur.
		Amedaeus, frater nothus Sabaudiae Ducis, exercitu in Genevois excurrit. Genevenses qui Ternerio in praesidio fuerant collocati, deditionem faciunt, quorum circiter 50. contra datam fidem suspendio necantur.
		Sabaudi instructissimo exercitu et machinis bellicis quam plurimis prope Castellum quod ad pontem Arnae Genevenses construxerant, castra ponunt, quibus cum Genevenses paucos intra dies quinquies praelio decertarunt. In praeliis magna pars praestantissimorum militum Sabaudicorum caesa: Nec non viri Principes quidam Hispani et Itali partim caesi, partim capti, Genevensium pauci desiderati sunt.
		Sabaudi arcem S. Catharinam in vico Soncy extruunt, quam postea belli arcem contra Genevenses constituunt.
		Bernates cum vexillo primario et 14000. militibus regionum Sabaudicarum ab Helvetiis, Regis nomine, devictarum, defensionem suscipiunt. Qui ope et auxilio Genevensium adjuti cum Sabaudis pugnam faciunt in Faucigny regione, et Sabaudorum 300. caedunt. Capti vero taedio belli, pace facta domum redeunt.
		Sabaudus oppidum Bonna in Faucigny, quod 400. Genevenses tenebant, obsidet. Genevenses cognito Bernatum discessu deditionem faciunt: qui omnes, contra fidem a Sabaudis datam, in frusta concisi sunt. Inde Sabaudus omnem suum agrum recuperat, omniaque oppida et castella circa Genevam, opere praesidioque firmat. Verum ubi pestis in ejus castris grassaretur, regione vastata dimissoque exercitu domum revertitur. Oppidum tamen et arcem Versois operibus munitionibusque sepsit, tormentis, annona praesidioque firmavit, Duce Barone de la Serra, ut Genevam inde continuis excursionibus defatigare prorsusque devincere possit. Id oppidum, quod inexpugnabile videbatur, Genevenses 6. Idus Novemb. noctu de quarta vigilia adoriuntur magno conatu, tandemque virtute et labore expugnant, caesis 300. militibus captaque praeda non contemnenda una cum tormentis omni apparatu instructissimis. Posthaec oppidum et arcem, dirutis munitionibus, solo aequant.
1590	15	Januario mense Genevenses oppidum et arcem Gezam capiunt, captamque destruunt plurimis Sabaudorum interfectis.
		Heinricus IV. Galliae et Navarrae Rex Helvetiorum ope hostibus suis in Druidarum campis fit superior: quo in praelio inter alios desideratus fuit ex hostium parte Comes Egmondanus, Comitis Egmondani, qui Bruxellis capite plexus fuit, filius.
		Aprili mense Genevenses Gallici ducis opera claustra viarum ad Rhodanum, qua Lugdunum itur, expugnant, et praesidiariis concisis, arcem demoliuntur.
		Sabaudus arcem in montium angustiis restaurat et Amedaeum fratrem nothum cum exercitu 6000. in Genevensem agrum emittit. Is omnia circumquaque incendiis et caedibus vastans nulli, nec sexui nec aetati pepercit, et pro libidine multa nefanda facinora patrabat. Idem praesidiarii hinc inde dispositi faciebant. Hoc modo sesquianno spatio, ager fertilissimus et omni frugum genere abundans, a proprio domino prorsus vastatur.
1591	16	Genevenses et socii cum Sabaudis equitibus ad Arvam praelio decertant et victoriam reportant.

San-

Anni Christi.	Imper. Germ.	Res Helveticae.
1591	Rodolf. II.	Sancius, exercitus Gallici Dux, Genevensium et Helvetiorum auxilio victoriam ad Bonnam obtinet adversus Amedaeum Sabaudum. Allobrogum eo praelio 800. ceciderunt.
		Helvetii Duce Sancio in Galliam ad Regem, cui Ligae Principes bellum inferebant, militatum abeunt.
1592	17	Duo diversae religionis Episcopi Argentinenses electi, Brandeburgicus et Lotharingicus, bellum in Alsatia gravissimum movebant. Argentinenses Brandeburgici partes fovebant, collectoque firmo exercitu Germanorum, nec non Tigurinorum et Bernatum, Lotharingo, qui Alsatiam jam occupaverat, bellum inferunt; Idque solum effecerunt ut ager undique vastaretur. Quod videntes Tigurini post spatium semestre domum revertuntur.
1593	18	Helvetii qui aliquot annos Gallo militaverant, quorum fideli opera Rex multis magnisque periculis usus fuerat, hoc anno dimissi domum redeunt.
1594	19	Anni hujus initio lupi (rarum in agro Tigurino animal) Rhenum nando superarunt et Tigurum circa visi. Horum unus quam proxime ad urbem puerum novennem rapuit et dilaniatum necavit, eodemque die captus in urbem perfertur. Reliqui, quo diffugerint incertum est.
		Helvetici milites sub quibusdam signis a Gallo conducuntur, ne qua res actum inaugurationis suae interturbaret.
		Iis temporibus Genevenses bello Sabaudico intente perseverabant.
1595 1596 1597 1598 1599	20 21 22 23 24	Hisce temporibus Rex Hispaniae et Veneti Rhaetorum foedus ambiebant. Rhaeti, praeterito Hispano, cum Venetis foedus faciunt. Qua de causa Mediolani Vicarius jussu regis, ex adverso Vallis Volturenae, contra foederis cum Helvetiis pacti conditiones, arcem expugnatu difficilem extruxit, Rhaetis belli pericula intentans. Verum ne quod inde malum oriatur intercessione Helvetiorum diu multumque agitatum est.
1600	25	Heinricus IV. Galliae Rex, hostibus suis superior in Sabaudiam ducit exercitum terrasque Genevensibus vicinas subigit, atque ipsis S. Catharinae arcem, expugnatam prius, demoliendam tradit.
1601	26	Pax inter Gallorum Hispanorumque Reges, nec non Ducem Sabaudiae constituitur, cujus conditionibus Genevenses comprehensi, tranquillitate publica gaudebant.
		Die Septemb. 8. horam circiter tertiam, ante Solis exortum, motus quidam validus terram concussit, binis vicibus, quem omnes totius Europae regiones senserunt. Nonnullis in locis aedificia quaedam infirma corruerunt.
1602	27	Junii mensis decima circa meridiem Chasma quoddam insolitum visum est per integram horam in meridionali plaga coeli, quod subinde coloribus varium sese exhibuit: Interdum Iridis speciem referebat, mox flavescere vel etiam albescere coepit, nonnunquam instar fornacis ardentissime rubescebat, tandemque evanuit. Eodem tempore arcus caelestis Iridi haud absimilis circa solem est visus. Ejusdem deinceps mensis 23. die in agro Tigurino tonitrua atque fulmina crebra atque terribilia multis horrorem incusserunt. Sexto postero qui 29. Junii fuit, in urbe, per integram fere noctem, continua sunt tonitrua audita, fulgura visa, ipsaque fulmina septies summa feriebant aedificia, ut multi perterriti supremum adesse diem opinarentur.
		Ipsa brumali nocte Sabaudi, qui aliquamdiu omnibus modis amicitiam et pacem simulaverant, postpositis conditionibus induciarum et foederis, urbem Genevensem nefario ausu occupare tentaverant, jamque hostis, deceptis custodibus per scalas ad id paratas, magno numero, murum conscenderat, cum cives altissimo somno consopiti nil tale suspicarentur, demum ab uno custodum expergefacti, proditos hostes, signo dato adoriuntur, magna vi atque virtute propellunt, inque fugam disjiciunt. Tredecim insignes nobilitate viri capti, eodem die, qui proxime periculosam hanc noctem secutus est, suspendio sunt necati: Ex reliquo numero 67. caesi, biduo post truncatis capitibus in profluentem Rodanum cum suspensorum cadaveribus projecti sunt. Capita omnium, numero 80. in muro, qua ascenderant, fixa erigebantur.
1603	28	Septimo Idus Septembris decima hora vespertina, ignea materia Draconis volantis et scintillantis, a meridie Septentrionem versus volare visa est. Videbatur Tiguri turris Carolinae, ad majoris Monasterii templum conditae, summitatem auro splendenti obductam, calore suo nonnihil obscurasse. Hujus meteori principium et finis, unde vel coeperit vel quousque volarit ignoratur, passim visum esse constat. Secuta sunt absque fulgetris tonitrua ex rarissimis et ubique pellucidis nubibus, non aliter sonantia, ac si minorum sclopetorum sonitibus, tormentorum majorum mixta tonitrua audirentur.

Omnes

Anni Christi.	Imper. Germ.	Res Helveticae.
1604	29	
1605	30	
1606	31	Omnes Helvetiorum pagi atque socii a Rege Gallorum evocati sub signis militarunt: Post sesquimensem amplo stipendio donati redeunt. Proditio jam tertia Genevae detecta est.
1607	32	Rhaeti propter intentatum ab Hispanis ex agro Mediolanensi periculum, suis in Volturena subsidium 1800. militum, sub signis sex, mittunt. Quarta proditio urbi Genevensium intentata a Sabaudis detegitur.

F I N I S.

PEREGRINI SIMPLICII
AMERINI
BELLVM CIVILE HELVETICVM

ANNO CHRISTI M DC LVI.

AD

HELVETIOS

PARÆNESIS.

REdit ad vos Bellum veſtrum, nec tamen acie horridum, nec litteris comptum, ſed brevi opuſculo, quia à vobiſmet ſeu ſub oculis veſtris geſtum, memorandum potius quam contexendum erat. Si veras periculoſiſſimi motus cauſas non uſquequaque ſum aſſecutus, condonabit id Benignitas veſtra in rebus Helveticis parum verſato. Mihi certe neque odium in partes, nec aſſentandi libido, quorum cauſas procul habeo. Et ſi quid peccatum, ignoratio veri, non diſſimulatio fuit. Id tamen Prudentiam veſtram ingenue monuerim: „Tantundem vos malæ famæ meruiſſe, arma temere capeſſendo, quan„tum bonæ, eadem tempeſtive deponendo, maturata pace. „Hanc vobis fidam precor & diuturnam: Sic me vos ametis.

PEREGRINUS SIMPLICIUS
AMERINUS.

BELLUM CIVILE

HELVETICUM

AN. D. N. M. DC. LVI. GESTVM.

BEllorum omnis inviſa conditio, ſed tum maxime exitiabilis, cum diſcordiarum Civilium inteſtinis furoribus agimur in mutuas cædes, laniena pluſquam inhumana, & plerumque atrociſſima, quando inter odiorum cauſas diſſidia Religionis ſunt, quæ ubi ſemel in apertum proruperint, raro ſine internecione partium ſopiuntur. Quo magis Helvetiis admirari & celebrare licet Divinæ circa eos Providentiæ rationem, qua factum, ut nuperrime exortum ob Religionis certamina Civilis Belli incendium, ſpe & opinione omnium citius deſederit, Patria à ſupremo, quod imminebat, exitio, utcunque incolumi. Hujus belli, quamvis non diuturni, acribus tamen conſiliis diu agitati, cauſas, initia, & ancipites motus, documento ad poſteros paulo altiore indagine traditurus, cæteros belli caſus & ambiguos eventus paucis expediam, ut quos uberius & felicius memorent ii, qui & conſiliis & manu ipſi præſentes rebus interfuere.

Sæculum proximè elapſum eo potiſſimum nomine infelix viſum, quod turbidorum ingeniorum ferax, quæ nova & periculoſa quam tuta & vetera malebant, Religionis tulerit diſſidium, quo utpote bellorum ſeminario involuta Germania infinitorum prope malorum exinde ſedes fuit. In Helvetia certe antiqui Capellenſis (ſic dicti à pugna ibi commiſſa) & nuperrimi, de quo ſcribimus, belli (quod prioris, licet pluſquam ſeculari intervallo, quaſi quoddam additamentum fuit) nulla alia verior cauſa afferri poteſt, quam idipſum à Religione divortium. Poſtquam enim novarum opinionum diverſitate, animorum conſenſio reſoluta, & ſanctiſſimum Fidei divinæ vinculum convelli cœptum, ſtatim gliſcere ſimultates: crebreſcere ſuſpiciones: Proteſtantes à Catholicis hæreſeos, hi ab illis ſuperſtitionis argui, commeatibus intercludi, ſperni ut impares viribus & opibus: tandem prorumpunt iræ, diſſociantur fœdera, & tota ſacrorum certaminum moles armis diſceptatur. Adfuit fortuna Catholicorum cœptis, & Thuricenſium res (nam. Bernates cunctanter in partes tranſibant) adverſis ad Capel-

lam & Tuginum montem præliis pene concidere. Superfuit tamen animus redintegrandi bellum, nisi popularium vulgus obstitisset, quorum intererat, salutem propriam utili potius conventione, quam novas opiniones, quas nondum penitus imbiberant, objectu corporum tueri. Coeunt igitur, & Præpositos Magistratus ad Pacis consilia capessenda hortantur, adacturi, si abnuissent. Nec diu aut anxie de conditionibus quæsitum, sed sciscitantibus Legatis suis, quomodo Religioni consultum velint, occulta dant mandata: irent & non reverterentur, nisi rebus compositis. Sic perscriptæ pacis leges, honorificæ Catholicis & ex quibus agnosceres Protestantes victis propiores fuisse. Acceptæ tamen ab his, & toleratæ, primo acerbius tanquam necessitate cladium expressæ; mox deposita ferocia mitescere paulatim animi, ubi suam Religionem in tuto, seque tot Monasteriorum Dominos, tot sacris proventibus auctos viderunt, quorum dulcedine pellecti, & pellicientes, felicius postea quam armis adolescentis Religionis initia firmavere. Enim vero magna inde ærariis accessio; & privatim quoque mercimoniis & quæstu crescebant opes, quibus callide uti & quoties Fidei suæ propagandæ spes, etiam abuti sciebant, cætera parci & cumulandæ publicæ præsertim pecuniæ avidi & cumulatæ rigide tenaces. Nec minor cura bellici apparatus, & rei frumentariæ ingens copia congesta, ut quibuscunque belli, si quando resumendum esset, oneribus in longum sufficerent. Affluentia divitiarum superfluunt animi. Hinc præfidentes sui Religionis incrementa apertius jam moliri, in Turgovia præsertim, & aliis communi Dominationi Helvetiorum obnoxiis Præfecturis, nec labori, nec sumptibus parcere, nil, quo destinata provenirent, intentatum relinquere. Sed angebat & obstabat, quod Catholici numero plures, & ideo suffragiis prævalidi, consilio plerumque prævverterent. Quare obviandum ratis, & ad occasiones intentis in optatis fuere Gustavi Suecorum Regis victoriæ, quas ad usque Confinia Helvetiæ, mira felicitate protulerat, Cæsaris rebus, à quo Catholicis subsidia sperabantur, in arcto positis, & dubiis adversisque præliorum eventibus, pene attritis. Quod Protestantibus temporum periodos accurate & indefesse observantibus pro Sapientia fuit, nam propriorum & Suecicorum armorum ostentatione evicere, ut imposterum res ad Religionem pertinentes, non jam suffragiorum vi, sed ex arbitrio parium utriusque Religionis Judicum in communibus Præfecturis, Turgoviæ & vallis Rhenanæ deciderentur.

E contra Catholici post pacem Capellensem de rebus arduis non semper ex dignitate Religionis, & utilitate Reipublicæ statuere: aliquando remissius agere, interdum etiam postulatis non iniquis pertinacius obluctari, pro ingenio scilicet illorum, qui negotiis adhibebantur, qui subinde novi atque alii ad comitia veniebant, & ideo prudentia & rerum experientia sæpe Protestantibus impares erant. Accessere studia partium in externos Reges, scindebanturque factionibus, & dum quisque gratiam Principum ambit, & in occasionem privati quæstus trahit, minor Reipublicæ & Religionis cura, ærarii vero & parandi adversus subitos casus subsidii fere nulla fuit. Unde plerisque Catholicorum publice inopia, divitiæ apud paucos, qui & ipsi studio magnificentiæ, & dispendioso honorum ambitu paulatim prolabebantur. Gnarum id Protestantibus, eoque acrius insistunt cœptis, omnia querelis & controversiis miscent, quas deinde ex præscripto pactionis Anni 1632. parium judicio expediri volebant, sero advertentibus Catholicis, quantum paciscendo è Re publica tribuissent, quibus tunc per difficultatem temporum excusatis, jam extricare se neque fas neque facultas erat, nisi quod Transactio ambiguis verbis concepta, locum dabat negandi, querelas tales esse, quæ ad Religionem præcipue spectarent, sed civilium causarum instar, suffragiorum numero decidendas. Hic iterum Judice opus, qui decerneret, cujus generis actiones essent & postquam non inveniebatur, fremere passim Protestantes, eludi pactorum vim: nullum ultra ex legibus præsidium: nihil reliquum esse, quam ut armis dudum sibi provisis vindicent, quod pacis artibus obtinere nequirent: esse sibi munitas urbes, annonam, armamentaria, viros Imperii patientes, & insigne præsertim vernaculi equitatus robur: advenisse tempus, quo tot injurias, tot verborum probra ulciscerentur: quo Pacis Capellensis acta sibi parum honorifica & quotidie in contemptum occini solita rescinderent, & vel Catholicos omnino opprimerent, vel saltem novas & honestiores pacis conditiones extorquerent. At non unius diei hoc opus; metuebatur bellum impeditum, arduum, cruentum. Quid enim si nationes sibi infestæ, Catholicis fœderum societate, & religionis necessitudine conjunctæ, in partes veniant? Paranda quoque contra vim externam aliena auxilia, & ascititiam opem paribus armis retundendam esse. Itur ad imperii Principes, qui proximi occurrebant, & fama percrebuit, longe quoque dissitas nationes in Conscientiam fœderis assumptas, quod, ut verum fuerit, auxilia certe nulla, aut irrita fuere, fato amicitiæ longinquæ raro proficuæ. Nihil horum fallebat Catholicos. Hi quoties vires suas circumspiciunt, accisas ambitiosis largitionibus singulorum opes, exhausta æraria, penuriam victus, deprehendunt; sed virtute tantum & Constantia opus esse clamitant, reliqua omnia in manu sita, & ex hostico paranda; sic Majores suos, quamvis per omnia hostibus inferiores, sola tamen divina ope fretos, & firmitudine animi illorum potentiam fregisse: Non esse ferendam ultra lasciviam quotidie exprobrantium tenuem censum, infirmas vires: ulciscendas Superum injurias, quorum sacra libellis & concionibus impie proscindantur: turbari jurisdictionem: non querimoniarum, non litium finem esse, quarum exitum plerumque in rem suam & perniciem Catholicorum scite vertere norint Protestantes: tam subdolam concordiam, & inquietam pacem, etiam bello bene mutari. Operiendum tamen id potius, quam sumendum esse arbitrabantur. Interim fidem amicorum retentant; renovant vincula plures ante Annos ob tutandam Religionem contracta, ut vim quam inferre nolebant, illatam saltem propulsare facilius possent.

Hæc rerum facies, hi animorum in Helvetia motus erant, quando bellum diu meditatum tali occasione erupit. Artæ in Suitensium ditione, jam inde à tempore turbatæ Religionis, aliqui nova dogmata avide hauserant, & pertinaciter retinentes in progeniem late excrescentem cum lacte transfuderant. Hi subinde à Prædicantibus accolis ementito lanionum habitu, per avios cœtus in instituto confirmati, tandem seu tædio tot per annos simulati Catholici ritus (nam tales hactenus se finxerant) seu cupidine laxioris vitæ, seu metu, ne in Religionem, an in flagitia, quæreretur (nonnulli ære alieno preme-

mebantur) nocte concubia deserunt avitas sedes, & si quid prædiorum supererat, cumque uxoribus & liberis Tigurum concedunt; ubi non gravate admissi, Thuricensibus tot familiarum accessione lætis facile persuadent, emigrasse se ob libertatem credendi, & ideo dignos esse, qui in Clientelam accipiantur. Nec dubitavere, quin ad Suitenses pro eis literas darent, queis arrogantius quam apud infensos, & insolentia transfugii concitatos, novis incolis arbitrium utendi, fruendi etiam iis, quæ reliquerant bonis postulabant. Quod perinde fuit Suitensibus, ac si Jurisdictio læderetur. Proinde responsum dant quale ira & dissimulatio gignit: venirent, responderent de transfugio contra patrias leges facto, aliisque criminibus, quorum arguerentur: simul in vincula conjiciunt plures utriusque sexus, qui remanserant, eorundem facinorum suspectos. Commoti his Thuricenses, & quidquid in Helvetia Protestantium erat, inferius existimatione sua rati, si omitterent cœpta, adornant Legationem communibus votis, ut impensius urgerent Suitensium modestiam, aut si in irritum recideret, telam belli, quod jam animis præceperant, minore invidia ordirentur. Inter hæc Suitenses, communicato cum sociis Catholicis consilio, in quosdam captivorum quæstionem exercuerant, & licet flagitiorum manifestos; hærebant tamen inter clementiam & severitatem, cum supervenientes Protestantium Legati eos dubitatione absolverunt. Etenim exposita ab his mandata, quibus libertatem captis, novis clientibus bona (transeundi pretium) & si secus fieret, jus postulabant, vim imperii pertentare visa, supplicium reis acceleravere, quod parce tamen irrogatum; insuper excusavere Suitenses necessitate exempli, & conservandæ dominationis. At Thuricenses indictis Badæ Comitiis acerbissime questi sunt, spretam Legationis dignitatem, seque parvam moram precatos, quoad legibus & fœdere ageretur, contemptui habitos, festinato captivis exitio; recte ne an secus, judicio experiri velle; simul emigrandi libertatem quibuscunque etiam in futurum petebant, connitentibus è diverso Suitensibus, se usos esse jure suo, & ut nemini obnoxios, ita nulli hominum rationem facti reddituros: deferre Thuricensibus ut primis fœderatorum lubenter, ut Dominis nolle: hanc sibi gratiam referri, quod nuper ipsorum Rebelles, ultro ditionem suam subituros, in fidem accipere recusaverint: Cur quod in eosdem statuissent ut contumaces, obsistente nemine, pœnis capitalibus afficiendo, id juris denegarent sibi in nefarios, incestuosos, Anabaptistarum sectæ immixtos, desertores, aliorumque scelerum compertos? Cæterum non se adeo iniquos esse, neque causæ suæ eo usque diffidere, ut judicium detrectare velint; manerent intacta sacra Religionis, & summi Imperii Jura, neve in controversiam deducerentur, de reliquis disceptaturos ex placito fœderum. Verum non jam hoc intendebant Protestantes: gravius & altius quid volvebant animo; libertatem credendi; conatum obliterandi acta Pacis Capellensis, curam proferendi Religionem etiam ultra Helveticos limites; & si quæ alia armis extorquere cogitabant. Ergo exclamant captiose hæc dici à Catholicis & declinando foro; resolvi legum vim, si ad certas tantummodo causas coarctentur, quin potius ut pro omnibus scriptæ, ita ad omnes valerent, neu, dividendo quæstionum materiem, eluderentur. Sic uno aut altero congressu altercando consumpto, male tectis odiis discessum est. Et res non obscure ad arma respiciebat. Paulum moræ injecit Orator Regis Gallici. Hic omnes Legatorum artes apprime edoctus, & ad motoris sui ingenium egregie compositus, insigni facundia præpollens dissidentes ad Concordiam crebris orationibus hortatus publice: privatim studia partium fovere credebatur, seque illis accommodare, prout Regis sui negotiis conducere visum: modo probare Catholicorum causam, laudare constantiam, polliceri auxilia ex fœdere; mox extenuare vires, extollere contra Magnitudinem Protestantium, quorum potentiam non esse contumacia irritandam dictitabat, tenerent subditi facultatem transferendi, quo vellent, sedes, id Cæsarem, id Magnos quoque Reges suis concedere, in reliquis integra fore Imperii, intemerata sacrorum jura: sic se fide Legationis interposita spondere. Accepta à plerisque Catholicorum conditio. Et missi statim, qui Suitensibus à corpore Comitiorum jam digressis, denuntiarent, ne quid innovando, spem pacis denuo affulgentem penitus abrumperent; prorogatum quippe Conventum Badensem, & ad condictum diem redituros Protestantes (Gallici Oratoris in hoc fidem, an suam ipsi credulitatem secuti fuerint Catholici, pacis avidi, mihi affirmare non expeditum). Protestantibus certe non eadem mens fuit, nam capessendi belli certis & expeditioni intentis imprimis curæ erat explorare subditorum animos, an duraturi essent adversus metum & bellicos labores. Ideo firmant alloquio, comitate, & ut cupidine vindiciæ imbuerent, subdunt rumorem (hujus modi artibus, quoties ita ferret, eximie instructi) Catholicos ubique terrarum exitium meditari Protestantibus, Authore Pontifice Romano, qui recenti edicto, (Jubilæum id erat aliis prioribus non absimile) idipsum suæ Religionis Principes monuisset. Dein jam infensos, acrius incendunt stimulis ignominiæ per cœtus, in circulis, in conviviis, ex suggestis quoque disserendo non jam fœderatos, socios, amicos se, antiqua nomina, sed sacrilegos, hæreticosque appellari à Catholicis, passim jactantibus, apud se custodiri publicas tabulas, queis Protestantes (vetus id commentum & nunquam satis coercitum) suam ipsi Fidem ut falsam & erroneam damnavissent. Reperti quoque, qui se à Catholicis submissos excitandis incendiis ultro faterentur insigni vecordia: Et quanquam prudentiores vile indicium aspernarentur, popularibus tamen odiis robur & incrementum addidere. Sic in promptu fuit ad arma concitare impotentes paganos & iræ faciles. Sed continebantur suis quisque domibus velut stativis, præsto esse jussi ad imperia ducum. Hi delecti ex iis, qui sub Gallis Suecisque diu merendo, regendæ inconditæ multitudini, & ad ardua quælibet sufficere credebantur. Sed experimentum contra fuit; & dedere exemplum, quod verborum largi plerumque factorum inopes sint; & quod ex iisdem castris ferociæ plurimum, disciplinæ militaris parum retulissent. Igitur Thuricenses initium anni 1656. bello auspicantur, non prævia denuntiatione, non renuntiatis amicitiis, in id sollicite intenti (& hoc ex disciplina Suecorum, quibus novus Dux militaverat) quomodo improvisi supervenirent Catholicis, qui quanto spei pacis propius admoti, tanto incautius agentes, hoc unum tamen (pontes ad Rusam sitos præsidiis firmando) anxie providerant, ne qua perrumperent

Bernenses, & junctis cum Thuricensibus copiis, eo acrius incumberent, validiores quoties simul ingruerent, aut utrinque premerent. Inter quae Catholicorum delegatos Badae praefinitum diem praestolantes (qui Protestantium aderant, occulte moniti, & nescio quae causati paulo ante discesserant) trepidus percellit nuntius: Thuricenses Rinavium, proximamque Insulam Rheno sitam veteri Cœnobio nobilem subita irruptione cepisse, & ponte quo utrinque continenti jungitur, simul ingenti praeda, sacra supellectile, vini, frumentique magna copia potitos esse. Habita indici fides, quia periculi participem se, & tranando flumen, aegre necem aut vincula vitasse clamitabat; nec aliunde innotescere potuerat, intercluso statim ab erumpentibus commercio, & interceptis hinc inde commeantibus; inter quos extitere Legati nuper ad Suitenses missi, ut memoravi, & retenti quantum celandis novis cœptis satis esset, dein remeare permissi sunt. Bernenses quoque eodem tempore ditionis suae itinera infestabant, quo magis pronum fuit conjicere, gnaros inopinatae expeditionis fuisse. Quod manifestius patuit, quando ut semper causam, ita paulo post etiam bellum amplexi sunt, aperte in partes transgressi, secutis exemplum Schaffhusianis, licet cunctanter, nam qui inter hos usu rerum & experientia probati, tutiora suadebant & diversa ab iis qui ingenio praefervidi, per praerupta laetaque in vulgus & ex discordiis clarescere, perque turbida augeri cupiebant. Et hi praevaluere, nisi forte nutantes impulit ardor Religionis, cunctis ostentibus flagrantior, seu crebris id precibus evicere Thuricenses, an astu rem moliti, nam hoc quoque vulgatum, mox & creditum fuit, postquam Shaffhusiani, velut lati per errorem auxilii pœnituisset, subsidiarias copias tam arcte continuere, ut non obscure conquesti sint Tigurini, eas sibi potius oneri quam levamento fuisse. At Basilienses, ut iisdem necessitudinibus immixti, ita non dispari studio agebant, per occulta tamen & magis fida, nempe prospera partium agnituri ut sua, adversa lenituri, ut aliena, & rebus afflictis pacis conciliatores accessuri; Quod volentibus Tigurinis fuit, quibus intercepto, ut retuli, Rinavio, reliquis ad Rhenum locis in Comitatu Badensi potiri facile contigit, incolis ultra fluvium, & quibusdam (ejusdem scilicet Religionis sectatoribus) etiam in jus Victoris concedentibus, promptius quam ut coactos crederes. Ad Forum Tiberii infirmum oppidum, haesere nonnihil dum accolae agrestes civibus permixti, imperite suggressos, egregie & cum clade rejiciunt. Sed non duravere ultra tormentorum minas, quibus in speciem admotis trepidare defensores militiae nescii, & mœnibus diffisi requirere auxilia, tandem ubi non subveniebatur, deserunt stationes, & dilapsis ad sua paganis, inquilini commune reliquis perfugium, qua per pontem patuit via, praeripiunt. Sic vacuus habitatoribus locus sed praeda non spernendus, Thuricensibus obvenit. Insignior fructus fuit occupati Klingnavii, quandoquidem impositis militibus, ad Confluentes usum Rheni adimebant Catholicis, sibi vero trajectum ad Arulam ultro citroque commeantibus opportunum firmabant; cujus rei utilitas tum maxime enituit, quando Catholicis Badam praesidio obtinentibus, hic fere solus ad Bernenses aditus Tigurinis supererat; qui sub idem tempus, quamvis modica suorum manu, etiam Turgoviam subegerant, provisa sibi dudum indigenarum conscientia, quorum pars longe maxima ejusdem cum aggressoribus Religionis, novo pro Thuricensibus sacramento adacti, eosdem quoque hostiles spiritus induerant adversus Catholicos populares suos, amotis & in custodiam datis Praefecto tum Catholico, caeterisque officii administris, consilio destitutos & spei inopes. Nihil tamen aeque fatigabat quam hostes domestici in visceribus haerentes, queis armis obniti, ut per omnia potioribus, temerarium, subjici ut aequalibus, intolerabile videbatur. Hinc prout quisque nobilitate conspicuus, deligunt exilium prae infami servitio, aut ambiguo reluctandi conatu. Domus, agri, supellex, in manibus eorum fuere, qui per flagitia & socordiam egentes sibi ignavi aut suorum decoctores, partis alieno labore inhiabant, ut gratuitis. Caeterum in Turgovia Monasteriorum satis frequentium opulenti proventus, longa pace coacervati, in usum militaris annonae cesserunt; nempe sacris profanisque horreis avare incubantes Tigurini, id maxime cavebant, ne aut ipsi minus abundarent, aut Catholici minus egerent. Et his quidem vacuum fuit accusare incuriam quorumdam è suis, quod petentibus sibi eosdem commeatus non tribuissent aut saltem in tutiora comportassent. Sed remedium non ita obvium erat, quamvis Monasteriorum Rectores ultro jam offerrent, quod amplius dare non possent. At summa belli moles Rapersvvilae incubuit. Oppidum id ad Lacum Thuricensem situm, quo ferme alluitur, ad orientem modico nexu terrae cohaerens, leniter assurgit in collem, cui Castellum veteris structurae supereminet, unde in subjacentia late prospectus. Valli fossaeque speciem magis quam vim retinet; nec mœnibus sua firmitas constat, quia per otium & quietem nulla belli meditamenta, & angustae civibus res, accisaeque per occasionem à potentioribus opes facultatem muniendi locum ademerant. Olim suis Dominis parebant, dein in Austriacorum ditionem translati, postremo quorundam è Catholicis tutelam potius quam dominium subiere, proprio municipali jure retento. Regio circum amœna, & ora lacus piscium mire fœcunda. Sed praecipuum invadendi oppidi pretium fuit locus magnis conatibus aptus, & perficiendis quae destinaverant Tigurini maxime opportunus. Enim vero per pontem, qui spatio mille passuum super octingentos, utramque ripam connectit, copias quo vellent deducere, & terris Suitensium (nam hi prae caeteris petebantur) immittere pronum erat: Et occupatum semel oppidum, totius lacus haud dubiam possessionem tribuebat, aperiebatque aditum ad Rhaetos, quos si consiliis suis innectere dabatur, Religionis suae semina etiam in Italiam inferre non vane sperare poterant. Sed his licet credulitate discordantibus, fixum firmumque erat, pacem alienam non lacessere, propriam immotam servare, quia bellum oderant, ut experti, moderata & composita imprimis suadente Hispani Regis Oratore, cujus innoxiis artibus tranquillitatem suam debebat gens alioqui facilis ad turbas, quibus olim diu & misere conflictati, nunc demum sapientiora induerant. Itaque obsessa Rapersvvila, intercepto Rinavio, caeterisque Rheni claustris, exciti undique Catholici conclamant: Violatum patrium morem, quo bellum prius denuntiari quam inferri debuisset, circumventos se à gentilibus suis, deceptos ab extraneis: nempe huc pertinuisse Oratoris Gallici

lici ad pacem cohortationes crebris orationibus expressas, verbis speciosas, re inanes ac subdolas, illamque reconciliationis spem novissime objectam, ut occultius fallerentur, adesse scilicet Thuricensibus Gallorum Conscientiam ex consiliorum societate, qua hi cupidine ampliandi Imperii, illi propagandæ Religionis desiderio, utrique odio Hispanorum Italiæ claustra perfringere cogitarent. Sed nondum eò decidisse constantiam suam, ut aut externis fraudibus, aut internæ perfidiæ succumbant; occurrendum potius discrimini, non defutura pugnantibus pro aris & focis Divina, & sociorum principum auxilia, modo Religioni, Patriæ, Libertati, denique sibi ipsis non deessent. Sic commotis omnium animis, brevi exercitus sub signis stetit, hostibus numero non impar, robore & fiducia sui etiam superior. Miraculo fuit alacritas popularium, quo ad bellum, quod sacrum vocabant, certatim confluebant. Prosequebantur uxores, non lacrymis & muliebribus lamentis, ut assolet, sed faustis comprecationibus properantes, ultro pugnæ, vindictæ, gloriæ accendebant. Et certe egregia à promptissimo exercitu facinora expectari poterant, si militum ardori, pari duces aut fiducia, aut concordia, aut peritia respondissent. Quidam & socordiam arguerunt (seu avaritia fuit) quod nulla explorandi cura, dum hostilium castrorum munimenta impenetrabilia credunt, & vulgo persuadent, certam rei bene gerendæ occasionem neglexerint; Id quod Hispani post compositas demum res, animadvertisse & graviter indoluisse perhibentur. Magnum equidem momentum servandæ Rapersvvilæ nemo non intelligebat, & ideo omnium curæ eo connitebantur; sed magis Superûm benignitate, quam humana vi, salutem oppido constitisse exitus docuit. Enimvero Thuricensium Dux, quod biduo ante oblata amicitia sui securum, & defensoribus vacuum impetu statim perrumpere poterat, blandimentis primo, dein lenta oppugnatione, & quidem loco sibi iniquo, & qua validioribus muris erat adeo adorsus imperite, ut nec per pontem aditum intercluserit, spatium dedit Catholicis submittendi auxilii, quod toto postea obsidionis tempore crebro factitatum, etiam errore cognito impedire aggressoribus liberum non fuit, hyeme scilicet, & memoria hominum rigidissima, & lacu pene toto, qua supra, qua infra pontem glacie obducto, & ideo navibus impervio. Igitur Thuricensis pudore irriti hactenus conatus in furorem verso, mutare oppugnationis genus, quatere tormentis mœnia, dilacerare turrim, missilem ignem, seu ignivomos globos ære graves injicere tectis, obruere immensa congerie lapidum compita, domos; nil defensoribus tutum relinquere. Sed nec horum virtus aut constantia desiderabatur, & Catholici commilitonum periculo anxii, selectam veteranorum manum ex Helvetica Legione Hispanorum stipendia in Italia merente, avitam, opportune subsidio miserant. Quin ut difficiliorem oppugnantibus obsidionem facerent, ipsorum castra adoriri placuit, erumpentibus eodem tempore & ex condicto præsidiariis, & hi quidem avide pugnam capessendo ad Thuricensium munitiones ferebantur, sed postquam præter spem, hostes sub armis, omniaque adversus vim subitam provisa invenere, nec suorum auxilia, prout convenerat, è Catholicorum castris præsto aderant, datis acceptisque vulneribus, majori tamen obsidentium clade, in oppidum redierunt, offensi sociorum cunctatione, qui dum ex itinere Wormspachium ab hostibus infessum tentant, dein rursus omittunt, nullum ibi partibus beneficium, Tigurinis verò evulgato scilicet præmature consilio, arma parandi spatium præstitissent. Pari fere socordia peccatum apud **Oberweil**, quem locum ab initio statim belli valida manu obtinebant Thuricenses cohibendis Bremgartensium excursionibus, an obsidium meditantes, si ex adversa Rusæ ripa copias suas Oppido admovere Bernensibus animus fuisset. Illi Bremgartensibus juxta atque accolis Paganis invisi, eos præsertim in se concivere, quos ex militari licentia rapinis divexabant. Igitur oppidani rati incautos & nihil hostile verentes opprimi posse, accitis rusticorum centuriis, deligunt noctem Kal. Januar. proximam, quam more gentis per festivas epulas transegerant; nec jam procul à munimentis aberant; cum quidam agrestium cæco timore correpti hærere, subsistere, nullis Ducum minis, nullis precibus flecti ut progrederentur; donec idem pavor (magnis semper conatibus adversus) velut contagio etiam reliquos invasit, summo Centurionum dolore, qui certam proturbandi hostis occasionem elabi sibi è manibus ægre patiebantur. Constat Thuricenses sui æque ac hostium adeo incurios egisse, ut somno vinoque graves, nec adventantes senserint, nec digredientes, postera demum luce periculi, quod Catholicorum ignavia evaserant, à muliercula admoniti. Fortius duo noti nominis Centuriones, Thuricensis unus, Suitensis alter, quorum hic in Ædicula ad Wolravium sacris intentus & ex insidiis appetitus, illum robore corporis parem, armis etiam potiorem, licet primo ictu saucius, & adempto gladii usu, pertinaci nihilominus colluctatione terræ allisit detinuitque, donec valido nisu denuo se proripere conantem, affectantium militum globus vulnere non uno confecit. Casu ducis, manipularium quoque certamen diremptum & victoria penes Suitensem, Thuricensis tamen haud inglorius fuit. At modica hæc, & tanquam ludrica belli audiebantur. Veræ omnium sollicitudines circa Rapersvvilam erant, in cujus exitio vel incolumitate grande in utramque partem momentum vertebatur. Catholicos insuper anxios habebat timor non vanus, ne Glaronenses & Rhæti Protestantes, circumventis popularibus suis Religione diversis, & vim simul ingruentium non laturis, à tergo incumberent. Sed illi quidem privatis simul hostibus publicæ quieti posthabitis, neutras partes etiam scripto professi, dubitationem statim exemerant. Rhætos vero, quanquam plerique ut retuli, nihil innovandum censerent, prope afflixit, ac in suam aliorumque perniciem impulit unius hominis temeritas. Hic inter primores gentis, opibus & clientelis validus, præter insitam ferociam & turbidos spiritus, ut Tigurinorum affinitatibus, ita & consiliis innexus, provisa sibi conscientia quorundam è proximis pagis, Curiam Rhæticam ingressus defertur Magistratibus moliri res novas; interpellatus tamen modeste & pacata omnia respondet. Mox armata stipatus manu, sedem Episcopi, quæ tanquam arx quædam Capitolina Civitati imminet, occupans, dum ibi res suas firmare, signoque dato conscios intromittere parat, ab accurrentibus undique civibus præventus, cum fidissimo satellitum trucidatur. Dilapsis reliquis duorum sanguine stetit seditio, & Reipublicæ sua rursus quies rediit. Nec ultra quæsitum, ne coarguere velle viderentur vanitatem illorum, qui perniciosissimi motus, seu Authores, seu participes habi-

habiti, ambitiosis & ultro oblatis excusationibus, invidiam facti à se amoliri conabantur. Properabat interea fortuna in diversa Helvetiæ parte Rempublicam unico veluti ictu in casum dare, aut si mitius censeas, discordantes ad pacem propellere. Bernates, quamquam à partibus fidei, & causam non dissociaturi, dubitaverant tamen satiusne esset tueri propria, an aliena infestando, irritare, quidquid Catholicorum, vastis undique terris suis obtendebatur. Terrebat præ cæteris Dux Sabaudiæ, qui ad Lacum Lemannum pulcherrima patrimonii parte olim ab his exutus, & quod rebellium suorum nuper contumaciam fovissent, etiam recens offensus, spem recuperandi avitas possessiones, & cupidinem vindictæ non eo usque dissimulabat, quin hibernis Legionum propius admotis, ad occasiones intentum, & si res turbarentur, ausurum se ostenderet. Friburgensium item & Solodurensium non inania nomina, validæ Civitates, robusta juventus, & bellis externis exercita cunctationem injiciebant; quamvis enim quieta hactenus maluissent, suscepto cum Basiliensibus conciliandæ pacis munere, gliscebant nihilominus vulgi studia in Catholicos eruptura sine dubio, si Author existeret. Idem ex Valesiis metus. Nec subditis quidem satis fidebant, gnari inesse adhuc semina seditionis nuper coercitæ, & audere sæpius inconditam multitudinem mutuo se respicientium & cohortantium ex consensu, quod singuli & inter se discreti sibi imputari nollent. At contra nitebantur nobilium plerique, & ii quorum in pace afflicta fides, & quibus nihil spei, nisi per discordias erat; seu forte nutantes impulit fatum imminens, quo proprio in quod ruebant, exitio destinabantur. Ita ex horum sententia maturata expeditio tam propere, ut exercitus bellico apparatu egregie instructus ad fines Præfecturæ quam liberam vocant, incesserit, vix dato Lucernensibus spatio, colligendi proprias & Provincialium vires, quas ingruentibus dum deinde opposuere, cum proturbati, quos ad limitanea tutanda præmiserant, hostilia cuncta & infestis signis adesse Bernensium agmen nuntiavere. Consederant ad Vilmergam ignobilem præfecturæ vicum, positis opportuno in loco castris, nec tamen communitis ob fiduciam sui & hostium contemptum, quos copiis impares & jam loco pulsos, metum non obscure fateri, & refugere aciem conjectabant. Sed eo ventum erat, ut aut pugnandum Lucernensibus, aut hostis cedentium vestigiis inhærens in ipsa ditionis suæ viscera admittendus esset. Utrumque periculi plenum, fugæ specie discedere etiam indecorum esse, fortissimi quique Tribunorum & Centurionum disserunt: sat huc usque peccatum consiliis nimium cautis, nunc ea capienda, quæ non possint laudari nisi peracta: Honestius, quin & tutius cum fortuna transacturos semel, quam si pavidi fluctuantes, & nusquam consistere ausi, facultatibus, terris, patriis denique sedibus, & ipsa urbe per partes & veluti membratim exuantur: non posse divinum Numen tot innocentium votis non flecti, non adesse pro aris, pro Patria, pro Libertate pugnantibus: aut si cadendum sit, fortium virorum esse, per virtutem potius, quam per ludibrium & contumelias novissimum spiritum effundere. Nec mora, dictis facta consiliis arma jungunt. Cito agmine in latus Bernensium invecti acrius aut remissius excipiuntur, prout in paratos impingunt aut improvidos. Nam duces tum demum aciem instruere conati sunt, cum exploratorum fidem licet vera afferentium, stolida ferocia, diu neglectam ipsa Catholicorum irruptio comprobavit. Neutro tamen fortuna inclinabat, dum eminus missilibus & jaculis irritis plerumque ictibus certatum est; Et tela è tormentis excussa, in declivi pugnantium capita innoxie prætervolabant, aut adversis collibus illidebantur. At ubi Lucernenses inferre gradum, ora mucronibus quærere, densare ictus jussi sunt, laxari Bernensium agmen: abrumpi male compositi ordines: & quia fere nemo Rectorum labantem aciem sustentabat, profligati primi reliquos fœda fuga abripiunt, tam insolito in omnes pavore, ut abjectis armis, aut si retinerent, nullo ad resistendum nisu, majore quadam quam humana vi perculsi viderentur: & prodidere non nulli, solem insueto lumine coruscantem (seu verum id, seu metu creditum) fulguris instar animos simul cum corporibus hebetasse. Fusis fugatisque insistunt continua cæde & promiscua, major tamen vulgi strages, cum Nobilium plerique ex acie se mature proripuissent. Quidam ut in multa pace corpora per otium curantes, è contuberniis extracti & trucidati sunt, pauci capti. Insectandi ardorem nox temperavit, quæ vincentibus adversa, cædium finem attulit, ne, dum sibi invicem per tenebras occursant, nec agnoscentes, nec agniti, mutuis cædibus in se ipsos sævirent. Et exceptæ sunt quorundam voces extremæ sortem suam miserantium, quod incauto amicorum ferro extruderentur victrices alioquin animæ, & quas etiam per hostes, quamvis multa strage à se irritatos, servare licuisset. In universum tamen Catholicorum non plus triginta desiderati. Quo insignior victoria fuit, cum e contra multum sanguinis, & quantum civilibus armis forte nunquam alias fusum esset. Advertere nonnulli pereuntium ora vulneribus fœdata, speciem sacrarum imaginum retulisse, quas procacissimi Bernensium per lasciviam mutilaverant. Cæterum Lucernenses hostium tormentis, vexillis, arcanisque libellis & divite præda potiti, exercitum quem sparso late terrore hostibus immittere poterant victorem, in iisdem stativis continuere innoxium. Quod pauci moderationem & prudentiam, plures interpretati sunt nimium amorem quietis, quam constantia & armorum ostentatione potius, quam intempestiva modestia exprimere, ratio fuisset ab hoste tam atrocem cladem, quoties ita ferret, non dissimulaturo. Fractis apud Vilmergam rebus, injecta rursus pacis mentio, non abnuentibus, quibus aliqua reipublicæ cura, quam longiori bello pessundari dolebant. At Thuricenses, quo proximam pacis spem præverterent, acriter urgere Rapersvvilam, qua capta, aut destinata feliciter proventura, aut si paciscendum esset, meliores conditiones fore; simul pudore hactenus irritæ obsidionis exsolvi cupientes ne irrisi ac vani eidem oppido assiderent, festinare oppugnationem multiplicato tormentorum numero; nec tamen quamvis continuatis per integrum diem ictibus, nisi modicam muri partem dejecere. Id sufficere visum ad irruptionem. Mox clangere tubæ, strepere tympana, fulgere armis virisque campi. Ut pugnæ signum innotuit, prorumpunt delecti ex singulis Centuriis, seu forte ducti, jamque valida manus intra mœnia se penetraverat, cum alia laborum facies occurrit & novum opus, quod defensores transversis compactum trabibus, irruentibus opposuerant. Ad cujus aspectum hærere primo aggres-

sores:

ſores: dein ſuperare contendunt. At præſidiarii tormentorum reboatu, ſonitu tubarum, & clamore hoſtili turbati ſtetere paulisper attonitis ſimiles; donec proprio periculo exciti detrudunt, qui nova munimenta tentabant, mox jaculis certo & librato ictu configunt nulla ſpe effugii, & inevitabili manendi neceſſitate obſtrictos, cum aditum qua venerant, & fugientibus regrediendum erat, per ſe ſatis anguſtum, alii atque alii militum globi, cogentium Centurionum impulſu ſuccedentes denſis ordinibus, occluſiſſent. Exardeſcebat nihilominus pugna, ni oppidani facta eruptione latus hoſtium invaſiſſent. Tum vero langueſcere oppugnantium impetus; Et quia à fronte ſubeuntium audaciam egregie retundi ſentiebant, ſimulque ex obliquo petebantur, rediere deſperata vi, & infracta partium fama. Notarunt periti inſcitiam Ducis, quod per mœnium ruinas, vix paucorum hominum capaces, ſelectam ſuorum manum intrudendo certæ morti objeciſſet.

Inter hæc fœderati, qui neutras partium aperte hactenus amplexi fuerant, urgere pacis conſilia; Eadem movere Orator Regis Gallici; nec tamen virilis animi fidem faciebat Catholicis, quoties priora reputarent, fictam benevolentiam, aut compoſitas cum Proteſtantibus res ſuſpectantibus. Acceptiora fuere Legati Sabaudici officia; ſeu meliores ad id negotium artes attulit, ſeu proprium id fuit ingenium viri, alliciendis hominum animis aptiſſimum. Cæterum diſcrimina belli, bona pacis omnes diſſerunt; hanc ex æquo utilem & manſuram; ſin ad iniquas conditiones altera partium adigatur, inſtabile bonum eſſe. Proinde ponerent odia, dum adhuc vires ſupereſſent & opes, ſuaque Patriæ facies conſtaret: nam ſi ſua ipſi viſcera dilaniare pergerent, quid tandem aliud niſi miſerabilem hoſti cuilibet acceſſionem fore? Leviores eſſe ſane ipſorum controverſias, quam ut civili ſanguine penſentur: has ex præſcripto legum, aut arbitrio meliorum potius quam feralibus armis cum exitio Reipublicæ terminarent: Id amoris in Patriam monumentum reliquis nationibus, ipſis denique partibus honorificum fore. Sic perpulere, ut inducias ad paucos dies paciſcerentur, reliqua ad Conventum Badenſem rejecta. Hinc certior jam pacis ſpes ad quam propriis inſuper cauſis ſtimulabantur. Catholici etiam vulgaribus expenſis impares crediti, immodicos tamen belli ſumptus hucusque conſtanter toleraverant; ſed fatiſcere paulatim æraria, & ſi bellum traheretur vix ſuffectura intelligebant: nec ſatis tutum inniti pecuniariis Amicorum principum ſubſidiis, quæ non magis certa ac ipſorum fortuna, & ambitioſos Quæſtorum ſinus ægre eluctantia, plerumque poſt res afferrentur. Præterea ducibus fluxa & nemini uni in reliquos Authoritas; multi præcipere, nemo exequi. Hinc crebri ſermones Vulgi, Præfectorum ſegnitiem, æmulationes, imperitiam criminantis, & fortuita quoque (ut eſt pronum ad ſuſpitiones) ad culpam & quandoque ad perfidiam trahentis. Præcipuus vero metus ex varietate fortunæ, & incertis belli eventibus, quos ſi iratum Numen adverſos dederit, quam deinde ſpem ſuperfore reſtituendi attritas ſemel res? niſi forte Religionis ſacra alienis auxiliis cum periculo libertatis tueri vellent. At Proteſtantes improſpero Raperſvvilæ obſidio; perditis ad Vilmergam rebus, adverſam hactenus fortunam experti & præſentia pertæſi, futura anxie proſpiciebant; nempe aſpera & confragoſa Catholicorum vile victoriarum præmium fore, ſi vincerent, e contra pulcherrimis Helvetiæ regionibus perniciem imminere, ſi vincerentur: Jam paganorum exaudiri infeſtas voces, ambuſtos frigoribus artus, mutila vulneribus membra, proditos ſe, aut in acie à nobilibus deſertos, conquerentium: Et haud dubie ſterilem & infauſtam militiam detrectaturos, ubi primum vernus tepor, bellorum rudes, & armis oneratos magis quam inſtructos, ad ſuetam agrorum culturam revocaſſet. Sed nihil æque movebat, quam auxiliares equitum peditumque Cohortes, quas Hiſpani Catholicis ex fœdere ſubmittebant, numero paucas, ſed vetere diſciplina ad omnem militarem patientiam induratas, & vivida odia bello illaturas. Perſtringebat ſuſpicaces animos videre in partibus Regem, cujus proſperis (ſi qui forent) ſucceſſibus reliquorum Principum æmulam conciri potentiam, longoque & inextricabili bello, atque Patriæ luctuoſo fomentum præberi, cujus Theatrum Helvetia, victori tandem indubie ſervitura ſit. Denique Civilem rabiem omnes deteſtari: ruinam Patriæ maturata concordia antevertendam dicere. Accidit ſane, quod jam bellum damnantes recenti erga belli mala odio affecit. Inceſſerat jam diu Catholicos cupido agendi prædas hoſtili ex agro. Pridie induciarum cum delectis tribus millibus (apta ſcilicet manu etiam ad pugnam ſi caſus daret) primo ſtatim impetu pellunt, ex munimentis Thuricenſes, dein oram lacus ad Wedisvilam impune deprædantur, non prohibentibus quibus ea Regio tuenda obvenerat, inter quos Schaffhuſiani ſtationem non egreſſi, & oſtentando magis arma quam inferendo, ancipitem famam meruere. Prædandi finem ſacietas fecit, ſimul induciarum tempus propinquans revocabat, & pars exercitus è Thuricenſium ad Raperſvvilam caſtris ſubſidio laborantibus adeſſe nuntiabatur. Hi digreſſos jam Catholicos inſectati, injecto quibuſdam mapalibus igne, populabundi cladem reddere parabant, cum urgentibus iisdem induciis, an noctis ad inſidias opportunæ incerta paventes militem in caſtra reduxere. Eundem exitum habuit Tigurinorum ex Oberweil in ditionem Tuginam irruptio, quæ intra modicam prædam & domorum incendia ſtetit. At poſtera demum lux aperuit exhauſtas rapinis villas, deformatos lares, fumantia tecta, pallidos recenti formidine incolarum vultus res ſuas deplorantium. Et quotam hanc malorum partem ſi diutius bellandum eſſet? ſi ſocialis ira hæc poſſit & audeat in fœderato ſolo, quid non metuendum ab exteris, non miſericordia, non humanitate nulloque alio affectu, niſi implacabili in alterutram partium odio imbutis? Igitur ubi Badæ convenere, remittentibus Proteſtantium Legatis, quæ prius pertinaciter affectata occaſionem bello dederant, acri ſed non diuturna diſceptatione compoſita Pax eſt; duratura, quandiu manſerit Helvetiis Supremi Numinis & rerum divinarum veneratio: uſus Religionis ex Germano ſenſu pactionum: ſua cuique Auctoritas ex placito fœderum: Amor in patriam ex dictato rationis, & perpetua æqui juſtique cura ex præſcripto Legum.

CONDITIONES

PACIS BADENSIS.

I.

Sincera constans & perennis amicitia sit inter partes cum injuriarum oblivione.

II.

Sumptus belli & damna ultro citroque immerito illata, etiam privatis, seu transactione, seu judicio arbitrorum persequi fas esto.

III.

Milites ad sua dimittuntor, noviter erecta munimenta diruuntor; occupata loca eductis præsidiis & Turgovia præsertim in pristinum statum restituuntor; Captivi absque lytro remittuntor, & ubique commeandi libertas esto.

IV.

Cuilibet Cantonum Religionis, & supremi Dominii Jura cum facultate judicandi in propriis terris intacta & intemerata manento, reliqua si in Controversiam veniant, Judicio Parium decidantur. In communibus Præfecturis Libertas Religionis esto ex placito pacis Capellensis seu Nationalis (vulgo Landfrieden) & Transactionis Anni 1631. aliarumque pactionum. Ex harum præscripto, orta forte certamina terminantor; sin dubium ingruat, an ad judicium parium pertineant, id à delectis arbitris prius evolvitor; Judicium subter fugientes, Cantones Pacis Conciliatores pro viribus compellunto.

V.

Circa facultatem emigrandi suis concedendam quilibet Cantonum id observato, quod ex usu & consuetudine aut ad libitum sit, nisi singularibus conventionibus aliud cautum.

VI.

Cæterum hæc Pax neutri partium præjudicato, neque in Consequentiam trahitor.

FINIS.

JOH. BAPT. PLANTINI
LAUSANNENSIS ET APUD CA-
STRODUNENSES HELV. V. D. M.

HELVETIA
ANTIQUA
ET
NOVA.

LECTORI BENEVOLO

JOH. BAPTISTA PLANTINUS S.

SIcut orbem deſcribere impeditum opus eſt et facundiæ minime capax, ut ait *Mela Lib. I.* Ita quoque de Helvetia noſtra multis rebus clara et illuſtri exacte et perfecte loqui facile non eſſe veriſſime dixerimus. Mirabitur ergo quiſpiam, qua ratione in hocce defæcato ſeculo ego muneri gravi implicatus, nemini cognitus, nulla authoritate valens, multorum ignarus, infimi inter literatos ſubſellii ſenator, tam difficile ac arduum opus ſuſceperim, et non bene tritum iter ingreſſus ſim. Operis magnitudinem agnoſco, pondus ſentio, infirmitates meas fateor, remoras et obices video, nummorum penuriam, hiſtoricorum librorum ſive typis excuſſorum, ſive manuſc. inopiam, a bibliothecis receſſum, amicorum paucitatem, paucorum notitiam, communicationis cum eruditis, et favoris apud Magnates defectum, linguæ Germanicæ ignorantiam, ingenii mei tenuitatem, &c. Ita ergo ſatius mihi fuiſſet ſilere, quam parum loqui, ſicut dicebat de Carthagine *Saluſtius*, ſed

Vicit amor patriæ, cui nos cedamus amori.

Hanc ignotam incolere duxi turpe, ad illam pro noſtro modulo illuſtrandam Strabonis, Amaſiam patriam diligentiſſime deſcribentis impulit exemplum, ita ut propterea nulli pepercerim labori, quem cum charitate inſpice, et cum benignitate ſuſcipe. Si hic meus conatus tibi prodeſſe non poſſit, nemini tamen obſuturum confido, mihi hoc tentaſſe vadum & hanc fregiſſe glaciem ſatis fuerit, modo aliquis uberiore ingenio et doctrina inſtructus, vel ab his noſtris etiam accepto ſtimulo plus aliquid audeat: ſi alicubi me erraſſe credas, ſcias me eſſe hominem, meque cum aliis erraſſe judica. Si tibi hoc placuerit opuſculum, ad meliora poſthac in publicum proferenda animos feceris. Quoniam vero, propria indagine difficilia tentare, aut (quod ajunt) ſine cortice nare, non cuivis datum eſt, rogatam cupio literatorum, & omnium antiquitatum ſtudioſorum humanitatem, ut in poſterum, quæ peculiaria habere poterunt, mihi communicare non dedignentur, meum erit agnoſcere, quorum vel ſcriptis, vel opera adjutus fuerim, illorumque nomina publice cum honore profiteri, & in ſcriptis noſtris apponere, non enim eo usque arrogantia aut vanitate laboro, ut quæ aliorum ſunt, mihi tribuere velim, unde etiam quam fieri potuit, Authorum, quorum opera uſus ſum, memini. Quod ſi quandoque illorum opinionibus ſubſcribere non potui, id a me aliquo malevolo affectu factum non eſt, ſed qua fieri potuit diligentia et induſtria, veritatem quærere mihi ſemper fuit propoſitum. In rebus dubiis conjecturæ unicuique liberæ. Non hic reticere poſſum, nec debeo, me Doctorum & in antiquitatibus verſatorum virorum opera uſum fuiſſe, quos hic honoris gratia nomino. Cl. ac Doctiſſ. Vir, *Dn. Huldricus*, Tigurinorum Antiſtes non ſolum eo favore me dignatus eſt, ut ad me Simleri MSC. miſerit, ſed & ſuis notis hunc librum cohoneſtarit. *Dn. Hermannus*, Reip. Bernenſ. Generalis Commiſſarius meritiſſimus: Et *Dn. Gaudardus*, J. V. Doct. Conſultiſſ. multum me ſuis obſervationibus adjuvarunt; maxime hic me ſuis officiis & beneficiis diverſimode obſtrinxit, ita ut publice mihi profitendum ſit, hunc librum lucis non parum ab ipſo accepiſſe, meque illi devinctum varie. Si Deus pace et vita mihi frui dederit, nihilque obſtiterit, cum tempore ſpecialem omnium Helvetiæ locorum deſcriptionem aliaque notatu digna, inprimis hiſtoriæ Helveticæ ab antiquiſſimis temporibus, ſynopſin tibi dabimus. Vale.

HELVETIA ANTIQUA ET NOVA.

Proëmium.

QUamvis EUROPAM aliis mundi partibus magnitudine non anteponi certum sit, certum tamen est apud veteres recentioresque Historicos & Geographos illas hanc incolarum multitudine, virtute & moribus, vivendi consuetudine, urbium pagorumque frequentia, omnium rerum ad vitam commode sustentandam necessariarum copia, præsigni denique cœli solique temperie multis intervallis superare. AFRICA olim unica fere sua Carthagine *superbivit. ASIA vix tribus urbibus* Babilone, Ninive & Hierosolymis *tumuit.* Cusco *PERUVIA*, Mexicoque *NOVA HISPANIA celebrantur. Gloriatur vero EUROPA infinitarum pene urbium miraculis & commodis. Hæc revera, Imperatorum, Regum, Principumque mater laudatissimarum Rerumpublicarum genitrix, felicissimorum ingeniorum nutrix, ac tandem Christianæ religionis altrix sola merito nominanda est.*

Atque hæc & alia in Europæ laudem omnes Geographicarum historicarumque rerum Scriptores canunt. HELVETIA etsi illius minima videatur portio, & non multis nota, suis tamen laudibus non caret, imo non minimam illius gloriæ partem jure sibi vendicat; Mitiore cœlo, & uberiore solo multis aliis provinciis gaudet: Non calore, ut Italia aut Hispania æstuat; Non frigore, ut Provinciæ Septentrionales, riget. Vix sive hominum robur & proceritatem, sive militum fortitudinem & constantiam alibi æque ut in HELVETIA reperias. Hanc tyrannidis flagrum, libertatis propugnaculum, fidelitatis speculum, Martis officinam, justitiæ thronum, hospitalitatis azylum & injuste oppressorum perfugium nominare licet. In Europæ fere medio tanquam regina sedet, & illius editiorem occupat locum. Hæc quasi Mundi dorso imposita videtur, ut quæ tota fere præ cæteris Europæ partibus in altissimos montes attollatur. *Caspar. Ens, Thes. apot.* 49. *Hæc* affinitatis multum cum ipsis terræ S. limitibus habet. Ut annotat *Clariss. D. Hottingerus, in Meth. Leg. Hist. Helv. pag.* 234. *Hæc* altissimis & præruptis montibus ac saxis aspera, multis lacubus ac stagnis intersecta, natura & situ undique munitissima est: *Ut habet idem Casp. Ens. Hæc* montana & excelsa regio plurimorum totius Europæ fluviorum mater est, *ut ait Quadus in descrip. Helvet. Apud enim Lepontios in summis montium jugis plures in omnem orbis plagam ruentes amnes oriuntur: Hinc fluunt in meridiem, Ticinus, Madia & Tosa; In septentrionem Arola & Ursa; In orientem Rhenus, sed qui in septentrionem recurvatur: In occidentem Rhodanus, qui post longum cursum in meridiem flectitur:* Olivar. in Melæ Lib. II. Cap. V. Epitom. Theat. Orthelii, &c. *Proprie vero oritur Rhenus anterior orientem versus, id est, Ost: Ursa, Nord-Ost: Arola fons existimatus, Nord-West: Rhodanus, Sud-West: Athosa, Sud: Media, Sud-Sud-Ost: Et tandem Ticinus, Sud-Ost versus: Ut observavit D. Gaudard. J. U. D.*

Qui fit ergo, quod Helvetia nostra multis rebus clara & illustris non multis sit nota, nec ab ullo plene aut plane descripta? Hoc certe stupore non caret. Scripserunt & ex Helvetiis quidem nonnulli, in quorum operibus multa adhuc desiderantur, aut saltem quorum opera (quoniam Helvetica lingua, multis incognita scripta sunt) non omnibus patent. Apud exteros Scriptores, multa ἄτοπα, ridicula & veritati contraria cernuntur. Historiæ etiam Helveticæ tam universales; quam particulares indigne a multis sive gentis odio sive ignorantia fuerunt tractatæ. Hotting. Meth. leg. Hist. Helvet. pag. 228. *Eja faustis avibus & bono cum Deo in tam præclaro opere occupati, illi pro tenui nostro modulo manum admoveamus.*

SYNOPTICA TOTIUS OPERIS TABULA.

HELVETIAE DESCRIPTIO EST

- vel generalis de
  - Regione ipsa, ubi Not.
    - Adjuncta quædam, circa quæ varia quæruntur.
      1. Sub qua Europæ parte Helvetia antiquitus fuerit habita?
      2. Quænam fuerit ejus longitudo & latitudo?
      3. Quænam ejus divisio?
      4. Quæ qualitas?
    - Partes quæ conspicuæ fiunt
      - Tum Terra, in qua nota
        - Montes & Sylvas.
          - Juram,
          - Alpes.
      - Tum aqua, ubi videri possunt
        - fontes.
        - fluvii.
        - lacus.
  - Regionis incolis, quorum videantur
    - In genere
      - Antiquitas & origo.
      - Varia nomina.
    - In specie
      - Lingua.
      - Mores
        - Privati quoad
          - corpus.
          - ingenium.
        - Publici conspiciuntur
          - vel in sacris seu religione.
          - vel in prophanis seu extra religionem
            - In rebus & virtutibus politicis
            - Et in rebus bellicis.
- vel specialis de qua alibi.

CAP.

CAPUT I.

Sub qua Europæ parte Helvetia antiquitus habita fuerit?

GEneralis Helvetiæ descriptionis opus aggressuri, illud hoc modo distinguemus, ut prius de regione ipsa, postmodum de regionis incolis locuturi simus. Circa ipsam regionem quædam in genere considerabimus & quidem; 1. *Sub qua Europæ parte Helvetia fuerit habita?* 2. *Quanam fuerit ejus longitudo & latitudo?* 3. *Quanam ejus divisio?* 4. *Quanam illius qualitas?* Primam quæstionem hoc capite excutiemus.

Sicut pro temporum varietate Europa varie distincta & divisa, ita quoque Helvetia sub diversis provinciis ab Antiquis comprehensa fuit. Prius tamen annotare juvat, incognitum fuisse Homeri & priscorum Græcorum tempore Europæ nomen; Ita ut *Hispani*, *Germani*, *Itali*, & quidquid Europa regionum continet, Celtarum nomine censerentur; Donec tandem facta regionum & populorum distinctione, unicuique regioni peculiare propriumque inditum fuit nomen, veluti *Hispania*, *Germania*, *Italia*, *Britannia*, *Gallia*, cujus tamen maxima pars, scilicet Celtica, una cum Germania nomen diutius retinuit. Sic strictius Celtæ vocabulum sumptum fuit, ut ex Cæsare & Strabone patet: Cæsar enim Gallias in tres partes dividit, *quarum unam* (inquit) *incolunt Belgæ*, *aliam Aquitani*, *tertiam qui ipsorum lingua Celtæ*, *nostra Galli appellantur*. Universos quoque Gallos a Græcis CELTAS appellatos opinatur Strabo Lib. IV. Sub his a Veteribus comprehensi sunt HELVETII: Cum enim Cæsar Helvetios, *reliquos Gallos virtute præcedere*, dicat, Gallos exinde fuisse, satis colligere est. Testatur quoque Tacitus Lib. I. *Helvetios Gentem esse Gallicam*.

Cum autem jam ante Julium Cæsarem Romani Galliam in *Braccatam*, (ita a certo vestis genere dictam) & *Comatam* distinguerent, Helvetia sub hac intellecta est; Sic enim Sabellicus Enn. VI. Lib. V. *Helvetii tenebant Galliæ Comatæ partem*, *quæ Rheno a Germania excluditur*.

Helvetiam sub Gallia Celtica a Cæsare comprehensam vidimus; Contra Plinius sub Belgica collocat Lib. IV. Cap. XVII. In hac fere est sententia Ptolomæus, qui Belgicam seu Germaniam (ut loquitur Willichius in Tacitum) triplicem fecit, unam quidem inferiorem, quæ intra Mosam & Rhenum usque ad Obrincam, id est, Mosellam patet, ubi sunt *Menapii*, *Batavi*, *Agrippinenses*, *aliique finitimi*; Alteram vero superiorem inter Obrincam & Rhenum usque ad Jurassum montem, ubi sunt *Nemeti*, *Treviri*, *Raurici* & *Helvetii*. Tertiam nominat magnam, quæ quidquid terrarum intra Rhenum & Vistulam est, capit. Hæc opinionum diversitas ex eo oritur, quod Cæsar, Plinius & Ptolomæus in limitibus, qui modo restringuntur, modo extenduntur, non conveniant. *Vide Merulam part. 2. Lib. III. Cap. XIX. suæ Cosmographiæ*.

Augusti porro temporibus, ut commodius Gallia gubernaretur, omnes in septendecim provincias ab Augusto distributæ sunt Galliæ, sicut in imperii occident. Roman. provinc. notitia recensentur. *Helvetia* autem sub provincia Lugdunensi quinta, maximam partem habita est. Postea etiam pars una *Rhætiæ*, altera *Sequaniæ* est attributa. Ammianus Marcellinus Helvetiam *Alpium Grajarum & Penninarum* provinciæ adscribere videtur, quando in hac Aventicum Helvetiorum caput recenset. Tandem occupata maxima ex parte, a Vandalis Burgundionibus Helvetia, Germaniæ pars una, Burgundiæ altera tributa est: Burgundiæ enim Reges, eam quæ est inter Juram montem & Alpes, usque ad fl. Ursam, regionem occuparunt, quæ Burgundia minor & transiurana, Ducatus & Comitatus respectu, vocabatur. Quod reliquum in Helvetia fuit, sub Alemanniæ ducatu comprehendebatur. Hodie vero omnes pene Geographi Helvetiam in superiore Germania collocant, siquidem labente tempore linguam & originem a Germanis accepere, sic enim Cluver. Lib. II. Cap. IV. Ant. Germ. *Helvetii Gallica licet gens antiquitus fuerint*, *intra Galliæ fines positi*, *tamen quia & ipsi olim Rhenum transgressi proximos Germaniæ agros obsederunt*, *ac postremum Alemanni ex ipsa Germania profecti Helvetiam agrum occuparunt*, *in Germania collocantur*.

Hic tamen aliqua distinctione opus est, non enim omnes Helvetii moribus & lingua Germanis similes sunt. Nam qui regionem, quæ vulgo Vaudi, (Vaulxii corrupte dixit Lambert. Wanderburchius in Historia Sabaud:) & vicina loca incolunt, non minus quam reliqui Helvetii dicendi sunt, etsi ab illis lingua & moribus non parum differant: Quod per transennam dictum esto, tum adversus quosdam Authores, tum contra eos, qui Vaudi incolas, Sabaudos per contemptum nominant. Quænam vero illa est consequentia? Regio Vaudi olim a Sabaudiæ Comitibus contra Imperii jura, usurpata fuit. Ergo illius incolæ sunt Sabaudi. Sed quis has morabitur ineptias? Certum ex Veterum monumentis Aventicum Helvetiorum caput, & celebriorem fuisse reliquis Helvetiæ partibus Aventicensem tractum: Quod si a regione, quæ Helvetia nuncupatur, illius incolæ Helvetii nuncupantur, certe non minus Vaudi incolæ quam reliqui, pro Helvetiis sunt habendi, cum eorum regio Helvetiæ pars fuerit. Sicut etiam Helvetia nominari & esse Helvetia non desiit, quamvis Romanis Imperatoribus subjecta, ita nec Regio Vaudi (*le Pays de Vaud*) ab Helvetia, tanquam a suo toto est divellenda, licet olim per multos annos Sabaudiæ Comitibus paruerit.

CAPUT II.

De limitibus, longitudine & latitudine Helvetiæ.

CÆsar ut primus Helveticæ fortitudinis domitor, ita etiam, ut opinor, Helvetiæ fines primus descripsit, quamvis non ita accurate, sic vero ille Lib. I. Bell. Gall. *Undique loci natura tuti Helvetii continentur*, *una ex parte flumine Rheno latissimo atque altissimo*, *qui agrum Helvetium a Germanis dividit*: *altera ex parte monte Jura altissimo*, *qui est inter Sequanos & Helvetios*: *tertia Lacu Lemano & flumine Rhodano*, *qui provinciam nostram ab Helvetiis dividit*. Juxta hanc Cæsaris descriptionem Helvetia scuti formam refert, cujus pars inferior Rheni, Rhodanique fontes attingit, & caput seu pars superior per montem Juram extenditur; ut suis in Cæsarem comment. Vigenereus annotat. Hanc descriptionem non omnino accuratam, aut saltem obscuram esse patet. Primo quod non appareat, quosnam Helvetia ab oriente limites habuerit, aut quomodo a Rhætis sepa-

rata fuerit? Quod enim legitur de Rheno Helvetios a Germanis dividente, id limites a septentrione tantum respicere videtur, siquidem Germani Helvetiis essent septentrionales. Secundo incertum, qua ratione Cæsar Helvetiam per Rhodanum limitare voluerit, cum Vallesianos apud quos Rhodanus fluit, ab Helvetiis distinguat: nisi quis dicere velit; quidquid terrarum continetur intra Rhenum & Rhodanum ab ipsorum fontibus, Lacum Lemanum & Juram ad Helvetios pertinuisse, aut ipsorum saltem imperio paruisse.

Quoniam vero hodie longius latiusque patet Helvetia (ab illa siquidem Cæsaris tempore Rauraci, *Rhæti & Vallesiani* excludebantur & tantum pro vicinis habebantur) eam sic generaliter describunt, aut circumscribunt Geographi. Helvetia sita est inter montem Juram, Lacum Genevensem, Italiam & Rhenum, ut loquitur Mercator; habens a septentrione Rhenum ab egressu Lacus Cellensis ad Rauracos usque, si paucula excipias: Ab oriente Sueviæ partem, Tyrolis comitatum, nec non partem aliquam ditionis Venetorum: A Meridie Bergomates, Mediolanenses & Salassos. Ab occidente Allobroges et Sequanos.

Obscurus fuit Cæsar in Helvetiæ limitum designatione, errat quoque quorundam saltem judicio, in longitudinis & latitudinis descriptione. Sic autem Cæsar: *Angustos se fines habere arbitrabantur, qui in longitudinem millia passuum* C C XL. *in latitudinem* C LXXX. *patebant*. Quemadmodum vero multi Cæsarem errasse credunt, ita non desunt, qui illum excusent, inter quos maxime conspicuus est Guillimannus Lib. I. Rerum Helveticarum his verbis: *Quantum ad longitudinem calculatio certa, nam a Stad, sive statione, ubi Helvetia incipit, ad claustra Rhodani, ubi ejus longitudo desinit, numerantur milliaria Helvetica triginta, ex quibus unumquodque passuum Italicorum millia octo conficit, quæ si inter se compares, rationem numerumque exactum reperies: De latitudine res paulo implicatior, tamen si a montis Jura culmine, ubi* la Verriere *dicitur, lineam ad culmen Grimsel, unde Arula scaturigo, maximaque Helvetiæ latitudo, producas, aut fallor, vel millia a Cæsare notata offendes*. Sed fallitur & fallit Guillimannus, Primo cum dicit Helvetiam incipere a *Stat*; *Stat* enim vel potius Stad (quia portus) est extra Helvetiæ fines, trans Rhenum, a regione Insulæ vulgo dictæ Maynou ad Lacum inferiorem Podamicum seu Constantiensem. Secundo non extendebatur olim sicut nec hodie, ad Rhodani claustra, sed tantum ad Genevæ, in finibus Allobrogum, pontem, qui ad Helvetios pertinebat. Tertio maxima Helvetiæ latitudo est ab illo loco dicto, *la Verriere*, in monte Jura, non ad culmen *Grimsel*. sed *S. Gottardi*, Helvetiam ab Italia separantis. Cluverius errorem apud Cæsarem utrobique esse asserit. Dicit enim longitudinem a Constantia ad Genevam esse tantum CLXXII. m. p. latitudinem maximam inter Arolam, & Rheni Rhodanique ortus LXVIII. m. p. Mirum autem non est, Cæsarem bellicis occupatum negotiis non exacte hoc cognovisse, sed tantum ex aliis retulisse, cum illum Helvetiam peragrasse non legamus: imo Pollio Asinius commentarios ejus, parum diligenter, et non integra veritate compositos putat: Verisimile quoque est, 1. Cæsarem fortiorem belli Ducem, quam bonum Geographum fuisse. 2. Numeros apud ipsum librariorum incuria corruptos, aut saltem discrepantium opinionum causam, non in Cæsare esse, sed in authoribus, inter quos non convenit & quot passuum millibus, unumquodque Helveticum milliare constare debeat.

Jacet autem Helvetia secundum quosdam, sub climate octavo, & parallelis decimo quinto & decimo sexto. Latitudo ejus, seu Poli elevatio incipit a quadragesimo quinto gradu & triginta minutis, ad gradum XLVII. & 30. minut. Longitudo non ita certa ob diversum Geographorum calculum, illam tamen, juxta quosdam, inter XXVIII. et XXXII. grad. aut circiter, collocamus. Dies maximus, a solis ortu ad occasum in Helvetia est quindecim & sedecim horarum. Hic vero etiam Vallesianos & Rhætos comprehendo.

CAPUT III.

De Helvetiæ divisione.

OMnium Authorum primus Cæsar de Helvetiæ distributione verba fecit, Lib. I. Bell. Gall. *Omnis* (inquit) *civitas Helvetia in quatuor pagos divisa est*. Duo hic occurrunt vocabula, quorum explicatio necessaria est; 1. vox Civitatis; 2. vox Pagi.

Varie a variis *Civitatis* etymologia proponitur; Martinus, illam a cio, id est, voco, deducit, ut *civitas* sit cœtus ad unum locum convocatus. Perottus a *coeundo* derivat, quod vinculo quodam societatis in unum cœtum coeant. sic nihil aliud est civitas, quam collecta hominum eodem jure viventium multitudo. *Cluver. Lib. I. Cap. XIII.* Aliis placet deductam vocem, a *coeo & vivo*, quia coeuntes in unum homines vivunt, ut tutior & ornatior sit communis vita, ut vult Isidorus, juxta *hos videtur Aristoteles civitatem definivisse, societatem liberorum hominum bene beateque vivendi gratia constitutam*. Nihil autem aliud per Helvetiæ civitatem, quam Helvetiorum Rempublicam intellexit Cæsar.

In vocis quoque *Pagi* etymologiam varie inquirunt Authores. Festus Pagum deducit a græco πηγὴ, aut παγὰ, dorice, id est, fons, scaturigo, quod qui ejusdem essent pagi, eadem aqua uterentur, unde fluxit illa Glareani divisio, de qua postea.

Alii derivant a πάγος, id est collis, quod pagi in collibus exstructi essent. Rectius Simlerus MSC. qui pagum dicit a pango, unde pactum, quia oppida & vici certis pactis sociarentur, & eodem foro uterentur. Intelligit autem Cæsar per pagum ampliorem regionis alicujus portionem, quam Germani per vocem *Gouw* aut *Gew* exprimunt. Hodie vero *Pagus* regionis alicujus tractum vel districtum denotat, quem vulgo Cantonem nominamus.

Quinam autem fuerint illi pagi, non dixit Cæsar, duos solum nominat, nempe *Tigurinum & Verbigenum*, duos alios reticuit: de his quoque apud alios veteres Scriptores altum silentium; eos itaque recentiores varie supplent & de illis quoque inter se varie disceptant.

Glareanus, Osualdus Molitor Glareani commentator, Vigenereus & alii, secundum quatuor celebriora Helvetiæ flumina, *Taurum, Limagum, Ursam & Arulam*, quatuor Helvetiorum pagos constituunt, sed hanc opinionem merito rejiciunt Simlerus MSC. & Guillimannus, nec firma est conjectura ab illa etymologia, de qua supra, petita: Legimus enim Suevos centum pagos, sed non centum fluvios habuisse.

Tschudius, Simlerus, Guillimannus & alii pagos nominant, & hoc modo distinguunt. Primus pagus

Tigu-

Tigurinus vocatur, complectebatur vero Tigurinos hodiernos, Tuginos, Uranios, Glaronenses, Abbatiscellanos, itemque S. Gallum, Rupertivillam, terminos Toggenburgenses & eam universam regionem, quæ circa Podamicum est & Rhenum, antiquumque nomen Turgow retinuit nomen, ut ait Guillimannus Lib. I. Rer. Helv.

Secundus *Urbigenus* (corrupte Verbigenus) pagus fuit, unde nomen Argöw; quidam hunc pagum (inepte tamen) ab *Ur* aut *Urgöw* prope Rhenum denominari crediderunt: comprehendebat pagus iste comitatus *Lentzpurgiorum*, *Aquensium*, *Habspurgiorum*, *reliquamque Argoviam*.

Tertius Aventicensis eum comprehendebat tractum, in quo sunt comitatus *Neocomensis*, *Nidoviensis*, *Strasbergensis*, *Arbergensis*, *Romontiensis*, *& Grueriensis*.

Quartus *Antuatius* complectebatur utrumque *Lemani* latus, a S. Mauritio ad Genevam usque.

Hæc pagorum distinctio, quamvis doctorum virorum sit, variis tamen erroribus insimulari potest. Primo *Tigurinus* pagus nimium extenditur extra Limagum: annotat Simlerus Stumpfium pagum *Tauriacum* a *Tigurino* male separare, posse ejusdem pagi subdivisionem fieri, quod ex variis diplomatibus ostendi posse ait. Secundo *Argoviam* ab Urbigeno derivare ineptum (quod illorum pace dixerim) & nodus in scirpo quæritur, cum in oppido Urba pagi Urbigeni præclarum extet vestigium. Tertio male distinguitur *Urbigenus* ab Aventicensi, cum hic illius sit portio; imo credunt nonnulli, *Urbam* prius illius pagi fuisse caput, cui postea successerit Aventicum. Quarto non apposite *Antuatius* nominatur ultimus pagus: *Antuates* enim inter Helvetios non ponit Cæsar; quod trans lacum erat *Allobrogibus* tributum, qui lacu ab Helvetiis dividebantur. Magis autem probatur Cluverii sententia: is Lib. II. Ant. Germ. Cap. IV. quatuor Helvetiæ pagorum descriptionem colligit ex Cimbrorum in expeditione Italica sociis, de quibus Eutropius Lib. V. *Cimbri*, *Teutones*, *Tigurini*, *Ambrones*, *Germanorum & Gallorum gentes*, *&c.* Certum vero est *Cimbros & Teutones*, Germanos fuisse: *Tigurinos*, *Ambrones*, *& Tugenos*, de quibus apud alios historicos, suppeditavit Helvetia. Sunt ergo hi secundum Cluverium pagi: *Tigurinus*, *Tugenus*, *Ambronicus & Urbigenus*.

Tigurini inclusi erant Rheno ac Limago, & exigua Juræ montis parte, ex adverso confluentium Arolæ & Limagi. Sabellicus de Tigurinis a Cæsare cæsis loquens, sic ait, Enn. VI. Lib. V. *Pagus qui tum cæsus est Turinus* (vitiose pro Tigurinus) *nominabatur*, *nunc Turegus est*, *ut quidam arbitrantur*. Tigurinos prope Oceanum fuisse asserit Florus, sed male & solus est, qui hoc dicat; vide Cluver. supra citato loco.

Tugeni, *aut Toygeni*, ut pronuntiat Strabo Lib. IV. vel *Tugini*, ut frequentius hodie pronuntiatur, Limago & Ursa, montiumque jugo inter horum fluminum fontes sito conclusi erant, manet adhuc horum nomen in oppido Tugio, vulgo Zug.

Ambrones, (Martino Polono *Ambronates*,) Sana, Arola, Ursa fluviis, & Alpibus includebantur; Dictos ita conjicit Cluverius a fluvio vulgo dicto Emme, medium agrum Ambronicum secante, a quo populi patrio sermone appellati, *thi Ammeron*, quod vocabulum Romani, B. interjecto fecere *Ambrones*, quasi *Ammerones*. Festus Grammaticus, sed non ita bonus historicus de *Ambronibus* ita loquitur referente Zuinggero Theat. Lib. XIX. *Ambrones Galliæ populi*, *cum subita maris inundatione sedes suas amisissent*, *animum rapinis adjecerunt & latrociniis*, *&c.* Festi vero errores vide apud Cluver. Lib. II. Cap. IV. Ant. Germ.

Urbigeni hos habebant fines, ab occidente æstivo Juram montem & Genevam ad fontes usque Byrsæ amnis, a meridie totam dextram Lemani ripam; ab oriente fl. Sanam & Arolam ad Tilæ, vel potius Telæ (ut ex actis annotat D. Hermannus Comiss. General. Bern.) usque confluentem: ex istius nominis reliquiis restant oppidum & flu. Urba, qua de re jam monuimus, ut & de vitiosa quorundam pronuntiantium, *Verbigenus* pro *Urbigenus*, lectione: multa Cæsaris exemplaria hac in parte corrupta esse censent Rhenanus & Cluverius. Sequioribus vero sæculis, cum *Helvetia* in Imperatorum aliorumque Regum potestatem concederet, pars una, modo Rhætiæ, modo Germaniæ, pars altera Sequaniæ & Burgundiæ attributa est, ut jam Cap. I. ostensum. Hodie Helvetia a plerisque Geographis in quatuor partes aut tractus (Germanis *Gew* dictos) distinguitur, videlicet in tractum *Aventicensem* (vulgo *Wiflispurgergow*) *Argoviensem* (*Argow* vel *Ergow*) *Tigurinum* (*Zürichgow*) & *Turgoviensem*, vulgo *Turgow*.

Simlerianam Helvetiæ divisionem hoc typo adumbravimus, & ex D. Hottingero amplificavimus.

(*)

CAPUT IV.

De Helvetiæ qualitate.

SEquitur nunc, ut hoc capite, secundum eam, quam nobis proposuimus, methodum de Helvetiæ qualitate agamus, de qua locuturis distinguenda sunt loca. Helvetia enim partim montibus, partim vallibus, partim etiam locis planis constat. Montana loca quod attinet, non eadem est ubique fœcunditas: *Summa enim Alpium juga*, ut ait Polyb. Lib. II. *tum propter locorum asperitatem*, *tum quia nives altæ premunt terram gelu*, *& perpetuo pene rigore constrictæ*, *tantum abest*, *ut ab hominibus colantur*, *ut nullum quidem vestigium extet hominum.* Sed audiendus quoque Strabo Lib. IV. *Per tota Alpium montana tumuli sunt terrestres*, *bonæ capaces culturæ*, *& valles bene conditæ*, *major tamen pars*, *maxime circa vertices sterilis est & infrugifera*, *ob artis colendi imperitiam* (quod de antiquis intelligendum) *& ob asperitatem terræ.* Quamvis ergo maximam partem Helvetia montosa sit, non tamen propterea sterilis omnino censenda est: videntur quidem montes esse naturæ verrucæ & tubera, ubera tamen sunt fluentia lacte, neque suis carent commodis. Abundant armentis nullibi majoribus, variique generis ferarum & volucrium carnibus: vix alibi tantam optimi butyri & casei copiam, quantam in Helvetiæ montibus reperias. Loquitur Plinius Lib. XI. Cap. XLII. de diversis caseorum generibus, qui suo tempore ex Alpibus afferebantur, & aliquo erant in pretio; sed hodie Helvetia omnes, in caseorum copia, bonitate & diversitate regiones superat: Etsi igitur non multa terræ semina mandent Helvetii montani, unde tamen vivant commode, satis habent: Sic enim Quadus ait. *Helvetii armentis abundant*, *unde ipsis annonæ facilitas*, *quam augent venatio frequens*, *aucupium singulare*, *piscatio ditissima*, *&c.* Imo suos caseos vicinis suis communicant, maxime Grueriani, qui artem casseariam apud Lugdunenses exercent. Qualis sit

(*) TABELLA DE HELVETIAE DIVISIONE.

Tribus hodie partibus universa constat HELVETIA

- Primo XIII. Populis, quos Galli & Itali Cantones, Germani Orth, pagos nonnulli vertunt. Hi in unam civitatem perpetuo coiverunt fœdere: quorum ordo est
  - Vel dignitatis & authoritatis, prout in comitiis Badensibus sedent, hoc modo; Tigurum, Berna, Lucerna, Uria, Suitia, Undervaldia, Tugium, Glarona, Basilea, Fryburgum, Salodorum, Scaphusia & Abbatiscella.
  - Vel temporis, quo unusquisque pagus fœderatus factus fuit
    1. URIA, SVITIA, UNDERVALDIA, debellatis Morgatensi prælio Austriacis æternum inierunt foedus. An. Chr. MCCCXV.
    2. LUCERNATES fœdus cum superioribus percusserunt, An. Chr. MCCC XXXII.
    3. TIGURINI cum Glaronensibus in fœdus recepti. A. Chr. MCCCLI.
    4. BERNENSES eodem Anno quo TUGENI, nempe MCCCLII. secundum Simlerum, aut MCCC LIII. juxta Hottingerum.
    5. FRYBURGENSES & SALODORENSES. Anno Christi MCCCCLXXXI. post exactum bellum Burgundicum.
    6. BASILIENSES & SCAPHUSIANI. An. Chr. MDI. confecto bello Suevico.
    7. ABBATISCELLANI. An. Chr. MDXIII.
- Secundo Superiorum sociis & confœderatis, quorum
  - Quidam fœdus habent commune cum maxima Helvetiorum parte: ut
    - ABBAS Sangallensis Tigurinos, Lucernates, Suitios, & Glaronenses perpetuo jure libertatis defensores, & Cœnobii advocatos instituit. An. Chr. M CCCC LI.
    - SANGALLUM oppidum Tigurinis, Bernensibus, Lucernatibus, Suitiis, Tugenis & Glaronensibus fit fœderatum. Anno Christi M CCCC LIV
    - RHÆTORUM fœdus superius seu Canum A. C. MCCCCXCVII. & fœdus Domus Dei MCCCCXCVIII. septem pagis prioribus.
    - VALLESIANI & eorum Episcopus æterno συμμαχίας fœdere juncti fuerunt 1. Bernensibus, MCCCC LXXV. 2. Cum VII. Pagis religioni Romanæ tantum addictis; Anno M D XXXIII.
    - MULHAUSIUM primam habuit cum Helvetiis societatem circa An. Chr. M CCCC LXIV. 2. An. Chr M D VI. jus civitatis a Basiliensibus accepit. 3. Cum XIII. Pagis fœdus iniit circa An. MDXV. 4. Hodie reformatarum quatuor civitatum fœdere potissimum gaudet.
  - Quidam speciale tantum fœdus habent cum quibusdam pagis.
    - BIENNENSES, Bernensibus primo fœdere conglutinati sunt. An. Chr. M CCCIII. & postea iterum aliquoties, usque dum tandem An. Chr. MCCC LXVII. civitatis jure utrinque coaluerunt, ut ait D. Hottinger.
    - NEOCOMENSES antehac Bernensibus, Lucernatibus, Friburgensibus & Salodorensibus certis pactis conjungebantur, hodie peculiariter Bernensibus obstringuntur.
    - GENEVA primo fœdus cum Fryburgensibus percussit. An. MDIX. Secundo cum Bernatibus. An. MDXXV. & MDXXVI. Tertio cum Tigurinis. An. M D LXXXIV.
- Tertio Præfecturis Helvetiorum imperio subjectis, quæ sic distingui possunt, ut
  - Aliæ sint, quæ communiter, quamvis non semper eodem jure, a majori Cantonum parte reguntur, suntque positæ,
    - Vel intra Helvetiæ limites
      - Comitatus tres
        - AQUENSIS seu Badensis VIII. veteribus pagis paret.
        - TURGOVIENSIS, VII. veteribus, additis Bernensibus, Fryburgensibus & Salodorensibus, quoad supremam in criminalibus jurisdictionem.
        - SARUNEGAUNENSIS (vulgo Sargans) VII. veteribus pagis subjicitur.
      - LIBERÆ PROVINCIÆ (vulgo die Freyen Aempter) a septem vetustioribus Cantonibus reguntur: Sicut etiam
      - RHEGUSCA (vulgo Vallis Rheni, Rheinthal) additis tamen Abbatiscellanis prius illius Dominis.
    - Vel extra Helvetiam, in Italia & sunt 4. omnibus pagis (exceptis Abbatiscellanis) subditæ, scil. præfecturæ.
      - LUGANENSIS
      - LOCARNENSIS
      - MENDRISIANA
      - VALLIS MADIÆ
      - (Dono Maximiliani Sfortiæ Mediolanensium Ducis, Helvetiis, quod eorum opera & armis Mediolanensem Ducatum recuperasset, concessæ.)
  - Aliæ vero quæ a quibusdam tantum.
    - A Suitiis & Glaronensibus, Uzenacum & Castra Rhætica, vulgo Gastelen.
    - Ab Uraniis, Suitiis & Undervaldensibus.
      - Urbs Bilitionum, vel Bellizonium, vulgo Bellinzona.
      - Vallis Brunia.
      - Riviera.
    - A Bernensibus & Fryburgensibus, 4.
      - Muratum.
      - Grandisonum.
      - Eschalenium & Urba.
      - Schwartzenburgum, non est in toto indivisum, sicut cæteræ tres præfecturæ præcedentes, quia Superioritas, Appellationes, jus criminale, constitutio legum & alia regalia insolide ad Bernates spectant, ut monet D. Herman. B.

ſit Helveticorum montium proventus, oſtendit Osvaldus Molitor in Paneg. Glar. poſtquam enim mentionem fecit pinguiſſimorum Alpium, pratorum, & armentorum per tres menſes in illis paſcentium, addit; *Serum inde, caſeum, butyrum, aliaque lactaria tanta ſunt copia, ut non tam Helvetia iis rebus expleatur, quam finitima quaque nationes. Transvehuntur namque in Sueviam, ultra Juram montem, in Italiam, multaque alia loca. Atque tam ingens redit pecunia, ut vix credi poſſit. Illud mihi compertum ex viginti bobus fructum annuum eſſe centum coronatorum, præter ſumptum omnem, quem in familiam, famulos & famulas diſtribueris. Omitto futuram copioſiſſimam, lac & liquidum & concretum, quæque ex lacte adhuc alia conficiuntur cibaria in quotidianum uſum.*

Quamvis autem Cæſar Helvetiæ agrorum tribuat bonitatem, olim tamen non ita, ut hodie cultam fuiſſe credibile eſt: Helvetiorum enim hodiernorum improbus labor omnem terræ ſterilitatem vincit, obſita ferme maxima iſtius regionis pars ſylvis quondam fuit; rariores hodie ſunt: quin etiam incolæ in illis, multis in locis, evellendis laborant atque ligna arida & ceſpites comburunt, unde fœcundum fit ſolum.

Sicut Helvetiæ plana agris frumenti, ſiliginis, hordei, avenæ, piſorum, fabarum, &c. feracibus, & pratis herbas magna luxurie producentibus ornantur; ita colles vineta plurimis in locis habent, nullibi vini magis feracia, quod alicubi generoſum ſatis eſt, maximam tamen partem auſterum; ſed de his opportunius in ſpeciali locorum deſcriptione. Annotare tantum juvat opinionem illorum, qui ad *Probi* usque tempora in *Gallia Braccata*, non in cæteris Galliis vitem ſolum fuiſſe putant; ſed hoc Plinii, de variis Galliæ vitibus, inter alias de Rhæticis, loquentis teſtimonio refutatur. Sua quidem ætate Diodorus in Gallia Comata nullum naſci vinum ſolere affirmat. Cæſar Lib. IV. Belli Gal. Suevos Germaniæ, Nerviis Galliæ temperantia pares facit. *Vinum (inquit) ad ſe omnino importari non ſinunt, quod ea re ad laborem ferendum remolleſcere homines atque effeminari arbitrarentur.* Unde ergo in Gallias, Helvetiam, Germaniamque vites adductæ? Certe ut Italia ex Græcia vites habuit, ita ex Italia reliquæ Europæ regiones habuerunt, ſi ſolam excipias Hiſpaniam: imo ſi Plinio credimus Lib. XII. Cap. I. Elico Helvetius faber ex Italia primus in Galliam ficus ſiccas, & uvas, oleum ac vinum attulit; atque hæc prima fuit occaſio invadendi Italiam Gallis & Helvetiis oblata, ut vult idem Plinius.

Varios quin etiam fructus Helveticum ſolum producit, non quidem mala medica, limonia, Aſſyria aut Aurantia, neque olivas, &c. Sed cotonea, perſica, armeniaca, imo & punica aliaque diverſi generis, ut & pyra, meſpila, ceraſa, amarylla, pruna, amygdala, nuces auellanas, caſtaneas, corna, glandes, &c. nec non etiam cucumeres, melones, cucurbitas, rapa, paſtinacas, raphanos, braſſicas, crambas, cepas, allia, &c. Quibusdam in locis etiam ficus & crocum.

Metalla quod attinet, iis prorſus non caret Helvetia, non aurum aut argentum fert, ut quædam aliæ Europæ regiones, ferri fodinas habet, cujus quidem maximus eſt in natura uſus, de quibusdam Valleſiæ fodinis vide *Munſt. Lib. III.* Nihil hic dicturi ſumus de feris noxiis, Urſis, Lupis, Vulpibus, &c. Nihil de venatione cervorum, leporum, aprorum, caprearum, &c. Nihil de aucupio perdicum, cothurnicum, turdorum, alaudarum, phaſianorum, otidum, &c. Nihil de piſcatione Trutarum, carpionum, percarum, anguillarum, ſalmonum, tincarum, cancrorum, &c.

Quibusdam ventis obnoxia eſt Helvetia maxime occidentalibus & ſeptentrionalibus, qui quandoque maxima cum vi, arborum eradicatione, & ædificiorum ruina bacchantur, ſicut apparuit anno hujus ſeculi quadrageſimo quinto; VII. Id. Sept. Admirandum quoddam de quodam vento refert Frey. D. M. in Admir. Gall. his verbis Cap. IX.

Ventus meridionalis in minore Burgundia, quæ jam Helvetia eſt præſertim Uranienſibus: omnia ſiccat & ſerenat (quod Auſtro non eſt familiare) vel una nocte viriditatem arboribus affert, uvis vero maturitatem colore mutato; aliquando ſummos tantum perflat montium apices, ita ut omnia vernent, dum valles nivibus ſunt oppletiſſimæ; eo furore ſpirat, ut tecta ædibus auferat integra: Nemo interea excitat ignem, quia fumis nullum permittit egreſſum.

Præcipue vero venti ſeptentrionales ordinarii ſunt, unde hyberno tempore frigida ſatis eſt Helvetia, ſed aere puro & ſalubri, ſi paludoſa quædam excipias loca, gaudet: unde propterea optimis Europæ regionibus adcenſenda; quare mirum non eſt, eam eſſe fertiliſſimam hominum genitricem: quanta enim hominum multitudine ipſa terra ſemper abundaverit, ex eo colligere licet, quod antiquiſſimis temporibus, non ob agrorum ſterilitatem, ſed propter terrarum anguſtias Helvetii in Germanicum ſolum ſint transgreſſi. Deinde etiam cum Cimbrico bello, duorum pagorum incolæ exciſi fuiſſent; tamen quadraginta non amplius annis poſt, in tantum rurſus excreverunt numerum, ut pro hominum multitudine, teſte Cæſare, & pro belli atque fortitudinis gloria, anguſtos ſe habere fines arbitrarentur, ideoque ad occupandum totius Galliæ Celticæ imperium ſuis finibus exirent. Superioribus quoque ſeculis cum inter Gallos & Hiſpanos ob Mediolanenſem Ducatum lis eſſet, Helvetii modo ad triginta, modo ad quadraginta millium numerum in Italiam non ſemel deſcenderunt, ut teſtantur Jovii & Guicciardini Italorum hiſtoriæ: imo, ut ſupputavit quidam, Italia ab Anno Chriſti MCCCCXCIV. ad MDXXIII. ex ſola Helvetia & confœderatis vicinis, ſubſidiarios habuit milites 137000. quorum non pauci fame, ferro, peſte interierunt; referente D. Hottingero. In his denique ultimis bellis maximus fuit in Galliis numerus eorum.

CAPUT V.

De monte Jura.

QUædam in genere de regionis adjunctis vidimus: ſuccedunt partes, cum terra, tum aqua, ibi montes & ſylvæ, hic fontes, fluvii & lacus.

Quoniam vero Helvetia altiſſima eſt totius Europæ regio, exinde eam inter montes ſitam conſtat: & revera montoſa magis eſt quam plana: inter celeberrimos autem tota Europa, montes ſunt, Jura & Alpes, quos Helvetia maximam ſibi partem vendicat. De Jura hoc capite agemus. Hujus Cæſar, Plinius variis locis, aliique quam plurimi ſcriptores meminerunt. A Ptolomæo *ἰουρασσος*; à Strabone Lib. IV. *ἰουράσιος* & *ἴορας*; ab aliis communiter Jura nominatur. Hodie pro locorum ratione accolis aliis atque aliis nominibus deſignatur, uti videbimus.

Quæritur, utrum Germaniæ an Galliæ mons ſit cenſendus? Reſpondet Merula Part. II. Lib. III. Cap. IV. Olim fere totus Galliæ, cum Belgicæ accenſeretur Helvetia, magna hodie ex parte Germaniæ. Cæſar Lib. I. illum *inter Sequanos & Helvetios*, Strabo Lib. IV. *in Sequanis*

quanis esse Juram, qui eos ab Helvetiis distinguat, affirmant. Nos hodie suæ longitudinis respectu totum fere Helvetiæ tribuimus. Porrigitur enim ejus longitudo ab oppido Vualtshuto, in Rauracorum finibus, ubi e regione Vualtshuti Arola se Rheno miscet, ad Rhodani Clusam usque, non procul a Geneva, ubi illius desinit longitudo, quæ ejusmodi fuit, ut illius incolæ, referente *Mercatore*, a Germanis *Longimani* dicti fuerint.

Alii volunt montem Juram incipere in Pago Tigurino apud oppidum *Regensperg*, & inde sub nomine *Lägerberg* per obliquum tractum *Baden* versus, *Dagerfelden*, *Klingnaw* & *Waldshut* usque pertingere: ut annot. D. *Huldericus* præstantiss. Tigurinorum Antistes.

Ut longus est hic mons, ita quoque altus, multis & ingentibus saxis subnixus, imo altissimum vocat Cæsar Lib. I. non tamen ubique æqualis altitudo, pro varia enim locorum ratione, modo hic deprimitur, modo alibi attollitur. Sic S. Claudii oppidum versus ejus altitudo, e longinquo satis cernitur. Sic brachium, quod se Basileam versus extendit & *Blauuen* dicitur, non parum in altitudine & asperitate crescit, quousque Delspergum veneris, ubi rursus in planitiem diducitur: ulterius Bellelæ monasterium versus progrediendo rursus crescit, ac deinde iterum unius milliarii spatio evanescit: hinc iterum saxosum horrendumque montis jugum ab oriente in occasum extenditur, quod pervium fecisse Cæsarem Munsterus scribit Lib. III. Varia, uti jam annotavimus, pro locorum diversitate accipit nomina. Haud procul arce *Habspurgensi* prope oppidum *Bruck Botzberg* audit a pago *Botzen*, qui cum aliis multis montis pedi allocatus est. *Munst. Lib. III.* Malum montem dictum volunt quidam, quod difficilis satis sit, præsertim pluvio tempore, ut annotat *Simler MSC.* Hanc Juræ portionem *Vocetum*, *vel Vocetium* Cornelii Taciti censent *Munsterus*, *Tschud*, *Lazius*, *Wurstisius*, *Marlianus* & alii. *Abrahamus* tamen *Ortelius* apud Tacitum *Vogesum* legendum minime dubitat, sed erroneam esse sententiam vult Cluverius, qui asserit Vogesum, aut (ut ille pronunciat) *Vosegum* montem esse in *Lingonum* finibus, a quo *Mosa* fluvius profluit; quod jam ante Cluverium sensit Marlianus, Cæsar Lib. IV. Prope *Fartspurgum* appellatur *Schaffmat*, id est ovium pratum, inter *Olten* & *Humburgensem* præfecturam, dicitur *Niderhawenstein*, id est, inferior sectus lapis, per saxa enim iter tactum est: inter *Uualdburgum* & *Balstallium Oberhawenstein*, id est, superior sectus lapis: ibi onusti currus grandibus per montis declivitatem, funibus demittuntur. Occasum versus procedendo nuncupatur *Vasserfald*, id est, aquæ ruina. Ulterius eundo, *Jurten*, prisco fere nomine appellatur; Multis quoque in locis ab oppidis & pagis nomen sumit, vel etiam peculiaribus insignitur nominibus, quæ omnia referre nimis longum esset, imo non ita cuivis possibile: In præfectura Yverdunensi est quoddam montis cacumen, dictum vulgo *Sauchet*, ubi medicales herbæ nascuntur. In præfectura Nevidunensi est alius altus satis mons, communiter *la Dolaz*. S. Claudii oppidum versus vocantur S. Claudii montes, qui longe lateque satis patent, & ad Rhodanum tandem terminantur.

Porro hic mons Jura fertilis satis est & pascuus, diversas & populis frequentes habens valles, quarum tamen nulla per transversum penetrat, ubicunque enim trajicere volueris, alta scansione opus est. Illustriores valles sunt, *Fricktal*, in Vocetio a pago cognomine; *Lauffental: S. Immertal*, vulgo *S. Imie*, cujus superioritas ad Episcopum Basileensem pertinet. Variæ quoque sunt sub *Neocomensi* Comitatu valles, nec ultimas tenet *Vallangin* Comitatus distinctus & separatus a Neocomensi, a quo dependent, *Vaulx de Rux*, *le Locle*, *la Sagne*, *les Brenets & Chaudefond*; sicut monet D. Herman. Sub comitatu Neocomensi est inter alias non contemnenda illa, quæ vulgo dicitur *Vaulx Travers*. Sub Bernatum dominio jacent communiter dictæ, *la S. Croix*, aut S. Crucis; vallis *Juriensis* (*Gallis*, *de Joux*) item vallis *Clevarum* (*aut ès Clées*) & vallis *Orbæ* (*Vallorbe.*)

Admirandis quoque non caret mons Jura, quædam refert Mercator? ut sunt *Virginis castrum*, a Cæsare, ut perhibent, constructum. *Fons Nivis* in æstate; *Puteus naturalis*, ad mediocris templi formam amplus, non multum altus, alicujus antri instar obscurus, perpetuo nivibus, glacie, forte an cristallo plenus. Indicat quoque Plinius in Jura & Vocetio, *abietem & betulam* laudatissimam crescere, unde bitumen incolæ faciant; Lib. XVI. Cap. XVIII. referente Merula; ad Plinii locum quod attinet, certum quidem est, maximas & bonæ notæ abjetes in Jura crescere, quibus ad rem nauticam usi fuerint Romani, ut ex quibusdam inscriptionibus Romani suo apparebit loco. Crescit quoque Betula (aut Betulla, ut in quibusdam Plinii exemplaribus se legisse testatur Dodoneus Pempt. VI. Lib. IV.) in Jura monte, ut & per universam fere Helvetiam; sed hoc non dicit Plinius peculiariter, ut refert Merula; Lib. enim supra citato. XV. XVI. & Cap. XVIII. Gallicam arborem facit mirabili candore atque tenuitate, terribilem Magistratuum virgis: quod vero Plinius ait ex hac arbore Gallos facere bitumen seu viscum, ego illud nunquam vidi aut audivi; aut illa conficiendi ex Betula visci, ars hodie ignoratur, aut erravit Plinius accipiens betulam pro aliqua alia planta, dum ei tribuit viscum, qui conficitur; vel ex baccis, visci arborei, græcis ἰξὸς & ἰξία dicti. Dodon. Pempt. VI. Lib. IV. Cap. III. Matthiol. in Dioscor. Lib. IV. Cap. LXXXVII. hoc glutini genere maxime utuntur Florentini teste eodem Matthiolo: Vel ex cortice Agrifolii, ut ex Ruellio refert Dodon. Pempt. VI. Lib. I. Cap. XX. quo utuntur maxime Galli & Helvetii apud quos Agrifolium est commune. Vel tandem ex cortice Lantanæ seu Viburni (fruticis in Helvetia vulgaris) radicis, aliquandiu sub terra macerato, ac decocto & tuso, teste eodem Dodon. Pemp. VI. Lib. II. Cap. XXI. Sed ad montem Juram redeamus. Tanta est variis in hujus montis locis, avellanarum copia, ob frequentes corylos, ut omnem pene fidem superare videatur, ex illarum enim nucleis, incolæ oleum ad usus domesticos conficiunt. Taxum quoque in Jura crescere asserit Munst. Lib. III. ex qua fiant arcus, & arcubalistæ, quæque ab Anglis hanc ob causam quæratur. Hanc arborem venenosæ facultatis esse vult Galen. Lib. VIII. simp. med. Dioscorides Lib. IV. & Plinius Lib. XVI. Cap. X. illius umbram noxiam, imo quandoque lethiferam esse dicunt: In Jura tamen minus perniciosa est, & ejus umbra periculo caret. Considerationem etiam meretur admirandus fl. Orbæ & ex lacu Juriensi (a monte Jura haud dubie denominati, & in illo quoque siti) exitus, ut recte monet D. Herman. cum enim ex illo lacu hic fluvius per subterraneos meatus & cavernas effluat, ita ut non appareat, tandem post longum satis intervallum & spatium ex rupe erumpit non longe a pago dicto *Vallorbe*.

Indicavimus jam supra, in Jura, montis esse jugum, quod pervium fecisse Cæsarem scribit *Munster*.

per-

perforato in portæ formam saxo: de hoc aliquid ex *Munstero* accurato illius descriptore dicendum. Portam illam, vel *Petra portam*, *Pierreport* vel *Petram pertusam*, *Pierre pertuis*, communiter nominant: longitudinem & altitudinem mensuravit idem *Munsterus* referens supra portam inscriptos hos versus.

Numinis Augusti via ducta per ardua montis.
Feliciter petram scindens in margine fontis.
Vel ut alii referunt
Nimis angusta via ducta per ardua montis.
Fecit iter scindens petram in margine fontis.

Hos vero versus carpit *Guilimannus* qui male compositos dicit ex inscriptione, quam sic refert. *De Reb. Helv. p.* 38.

NVMINI AVGVS
TORVM
VIA FACTA PER
--- V --- R -- IVM PATERNVM
IIVIRVM COL. HELVET.

Merula tamen qui inscriptionem supra portam satis claram deprehendit, nisi quod primæ vocis literæ, reliquis magis essent extritæ, eam sic se habere testatur

N-----ANGVSTI VIA DVCTA PER ARDVA MONTIS
FECIT ITER PETRAM SCINDENS IN MARGINE FONTIS.

An antiquitatem sapiat, non disputat ille. Per fontem intelligitur Byrsa amnis, qui ibi ex petra magna aquarum vi erumpit; plura vide apud *Munst. Cosm. Lib. III.*

CAPUT VI.

De Alpibus in Genere.

QUoniam infiniti fere sunt Authores, qui de Alpibus scripserunt, supervacaneum, & jam actum agere videremur, si de illis sermonem institueremus, fateor multos esse, qui de hac materia fuse ac docte in lucem multa ediderint: Nemini tamen mirum videatur, si, cum animus nobis sit nostram Helvetiam illustrare, ea quæ ad institutum nostrum facient, ex variis Doctorum scriptis excerpserimus, & quæ a quam plurimis fuse nimis, aut etiam confuse dicta, in breve, dilucidum ac methodicum traxerimus compendium.

Alpium ὁμωνυμία.

Primo igitur, ut a vocibus omnem amoveamus ambiguitatem; notandum *Alpium* nomen aliis quoque montibus, a variis Authoribus datum. *Pyrenæi* montes *Alpes* dicti *Ausonio* ad suum Paulinum scribenti *Epist.* 25.

Tristis egens deserta colat, tacitusque pererret
Alpinis connexa jugis.

Id est, montibus *Pyrenæis*, sic idem *Epist.* 23. ad eundem Paulinum.

Nunc tibi trans Alpes, & marmoreum pyrenum
Cæsarea Augusta domus est.

Hodie adhuc Occitani *Pyrenæos* montes vocant, *les Alpes*, & Hispani *Alpes*. *Agellius Alpinos Hispanos* ex Catone dixit; sic enim de Catone scribens loquitur. *Cum de Alpinis Hispanis scriberet, qui circa Iberum colunt, verba hæc posuit, &c.* Scribit quoque ad *Virgil. Georg. Junius Philargyrius* altos montes Gallis *Alpes* vocari; idem ait *Servius in Virgil. Georg.* 3. Itali etiam montem *Apenninum* (qui velut per totam Italiam spina dorsi est) nominant, *le Alpi*; ut annotat *D. Gaudard*. Contra *Otto Frisingensis Alpes* nomiat *Pyrenæum*, Italiam a septentrione *Pyrenæas Alpes* habere scribens. *Guntherus* in Ligurino *Pyrenæum*, inquit, complecti *Alpes & Apenninum*, atque has esse *Pyrenæi* partes. *Simler. com. de Alp.*

Nos hic *Alpium* nomen, cum *Polybio*, *Strabone*, *Ptolomæo*, *Herodiano*, *Cæsare*, *Plinio*, *Livio*, *&c.* iis tribuimus montibus, qui continua serie, ad hemicycli formam recurvata, *Italiam* a *Gallia* hodierna, *Helvetia*, *Rhætia*, *Germaniaque* separant: Nobis vero maxime de *Alpibus*, *quas Helvetii*, *Rhæti & Vallesiani* incolunt, sermo erit.

Alpium συνωνυμία.

Procopius Lib. I. Rer. Got. Alpes, *Celticos* montes voce generali vocavit. Quidam referente *Cluver. Riphæos* montes, ipsa *Alpium juga* esse crediderunt, supra quæ una tantum gens ad septentrionalem usque Oceanum incoleret, *Celtas* gentem illam nominant, quos illi cum veterum *Hyperboreis* eosdem putarunt. *Possidonius* vero, cum apud vetustissimorum quempiam, aliud illud *Ryphæorum* montium vocabulum, *Obii* legisset: *Alpes* autem, quas τὰ ἄλπια ὄρη vocabant Græci, crederet accipi pro *Ryphæis*, ex voce ὄλβια, conjecit vocem ὄλβια, quæ primum in ἄλβια, tandem in ἄλπια mutatam existimavit. Utriusque istius sententiæ tanquam erroneæ refutationem vide apud *Cluver.*

P. Merula ex *Stephano* annotat, Veteres non tantum ἀλπεινὰς, vel ἄλπεις, vel ἄλπεια ὄρη dixisse, sed & ἄλβια. Scribit etiam *Strabo Lib. IV.* τὰ ἄλπια, olim dicta fuisse, ἄλβια, & apud Japodes, montem, qui extremus est, ἄλβιον dici, quod eo usque *Alpes* se extendant. Vult quoque idem *Merula* ἄλβια esse *Phavorino*, σάλπιοι *Lycophroni*, ut sentit Interpres ejus *Isacius*. In singulari etiam numero *Alpis* legitur, ut in hoc versu

Ex templo frondosa fertur ab Alpe:
Sic Lucanus.
Agmine nubiferam rapto supervolat Alpem.

Videantur, *Ovidius*. III. de Art. am. *Juvenalis* Satyr. IX. *Sidonius* variis locis. *Priscianus* Lib. VII. *Anthonius* in Itin. *Tabul.* Legitur quoque Ἄλπιος apud *Dionysium Afrum*.

Alpium ἐτυμολογία.

Unde autem *Alpium* vox suam trahat originem, non idem omnes sentiunt. *Cluver. Lib. I. Ger. ant. Cap. VIII.* Celticum vocabulum esse affirmat, quo *Alpes* incolis olim dictæ fuerint patrio sermone, *Albon*, *Alben*, & *Alpen*. Agnoscit hodie nomen *Alpium*, teste *Simlero & P. Merula*, Germanicum idioma, cui tamen non id significat, quod *Junius Philargyrius & Isidorus* notant, quorum sententiam postmodum referemus. *Alp* enim & *Alpen* Germanis pascui vocantur montes, in quibus fœnum ad hybernos usus non colligitur, sed in quos pascendi tantum gratia, boves aliaque armenta mittuntur, ut; *zu Alp fahren*, vel *auf die Alpen fahren*, nihil aliud sit, quam armenta in montana ducere pascua, in quibus plerumque ternis mensibus æstivis ad summum agunt: Accedit, quod & nunc multis locis hos montes, *Alpen*, *die Alpen* Germani nuncupent.

Alii Gallicum volunt esse vocabulum, inter quos sunt supra memorati *Philargyrius & Isidorus*; sic enim iste. *Alpes proprie montes sunt Galliæ, de quibus Virgilius*, aerias Alpes, *& dicendo*, aerias, verbum *expressit a verbo; nam Gallorum lingua, Alpes montes alti vocantur: hæ sunt*

 enim,

enim, quæ Italiæ murorum vicem exhibent. Festus a nivium candore dictas *Alpes* censet, quod perpetuis fere nivibus albescant: Sabini enim *Alpum* dixere, quod postea Latini *Album*. Quidquid sit, aut hæc Festi originatio magis placet, aut incertam (quamvis nomen antiquum) esse arbitramur.

Utrum vero *Alpes*, Germaniæ, Galliæ, vel Italiæ adscribendæ sint, parum refert, cum Italiam a Germania Galliaque suo procursu, tanquam nativo muro separent, & ad tres illas Europæ provincias pertingant: Helvetia magnam illarum, earumque altissimarum partem sibi tribuit.

De Alpium longitudine.

Circa *Alpium* longitudinem variant Authores. *Celsus* tradit in longitudine centum millia passuum patere: refert *Plinius Lib. III. Cap. XIX.* Celium ad decem milliaria a mari Thusco ad Adriaticum; Timagenem vero ad viginti duo milliaria, *Alpes* extendere; sed hæ sunt Plinianæ quisquiliæ. Polybius Lib. III. *Alpes a Massilia incipientes, usque ad intimum maris Adriatici sinum protenduntur.* Unde multi *Alpium* longitudinem extendunt tantum a mari Thusco seu infero (aut potius a sinu Gallico) ad Adriaticum sinum, seu mare superum, vulgo, *Il Golfo di Venetia.* Sed alii eas longius extendunt; *Mela* in Thraciam usque; *Alpium* quoque *Pannonicarum* meminerunt *Tacitus* & *Sextus Rufus.* Terminos a quo, & ad quem sic describit Merula supra citato loco. *Alpes ad mare Ligusticum ortæ per Allobrogas, Helveticos, Carnos, Illyrios perpetuari fere videntur in Serviam usque, ubi in duo scissæ brachia, uno per Thraciam procurrentes ad Pontum Euxinum, altero per Macedoniam ad Actium promontorium finiuntur.* Atque hæc est causa, quod alia ab aliis Alpium longitudo statuatur.

De Alpium latitudine.

Latitudinem Alpium quod attinet, non minor est Authorum variatio, sicut refert *Plinius* ibidem. *Cornelius Nepos* in latitudine centum milliaria habere, *Livius* vero tria stadiorum millia, dicunt. Hac in re consulendi *Polybius Lib. II. Strabo Lib. IV.* aliique. Notandum obiter, *Alpium* nomine, omnes fere minores intelligi montes, qui prope Alpes hinc inde surgunt, unde pro locorum diversitate, non eadem semper est latitudo: sic inter Italiam & Germaniam Alpium latitudo major est, quam inter Galliam & Italiam.

De Alpium Altitudine.

De Alpium quoque altitudine ferras reciprocari video. Altas cum experientia multi agnoscunt, sic Catullus canit.

Sive trans altas gradietur Alpes.

Et Silius Italicus Lib. III. ut earum exprimat altitudinem, *Suposta cœlo saxa*, vocat: imo nusquam tam profundum esse mare, ut non Alpes tantum in cœlum attollantur, ait.

Quantum tartareus regni pallentis biatus
Ad manes imos, atque atræ stagna paludis
A supera tellure patet: tam longa per auras
Erigitur tellus, & cœlum intercipit umbra.

Legendus quoque, super hac re apud Strabonem Polybius. *Alpes cœlo vicinas* vocat *Platinas in vita Pii II.* Scribit Zabarella de Reg. aeris. Cap. VIII. *Ascendi (inquit) ad summitatem usque montis Veneris, in agro Patavino, ibique per totam diem babui aërem serenissimum, sed infra circiter medium montis videbam nubes, quæ me visione vallium prohibebant. Vesperi autem postquam de illo monte descendi, inveni factam eo die in infera parte magnam pluviam, cum in montis cacumine nihil pluisset.* Idem sibi per Alpes, & Apenninum iter facienti accidisse refert *Piccolomineus de meteor. Cap. XI.* Sed hæc consideratio parvi est momenti, ad ostendendam Alpium altitudinem, cum hoc etiam in minoribus montibus sæpe contingat. Referunt quamplurimi historici, esse montes, ex quorum verticibus, interposito brevi tempore, solis occasus & ortus videri possunt; quod etiam in summis Alpium cacuminibus contingit. Quidquid sit, nos cum *Simlero* & aliis asserimus, *Alpium* montes, omnium totius Europæ maximos, atque altissimos esse, quamvis id de Pyrenæis montibus, in *Hispanico affirmet Appianus.* Verum quidem, parem non esse ubique altitudinem, qua incipiunt, humiliores sunt, qua finiuntur, mitescunt, intermediæ Alpes plerisque locis altiores sunt. Solinus *Vesulo* monti, unde Padus oritur, maximam altitudinem tribuere videtur, eundem *exuperantissimum* inter Alpium juga nominans. *Lepontias* Alpes summas esse volunt alii, hoc argumento, quod inde ex monte Adula, in omnes orbis plagas, nobilissimi Europæ fluvii oriantur & defluant, sed idem in aliis quoque montibus cerni, ostendit *Simlerus Com. de Alp.* Rhæti suas Alpes omnium altissimas esse contendunt. *Mela Lib. III. Montium altissimi Taurus & Rhetico, nisi quorum nomina vix est eloqui ore Romano.* Vallesiani in suarum gratiam, superioribus litem movere non vererentur.

Nos eas Alpes aliis altiores esse credimus, quarum cacumina semper nivibus candent, quasque cum Polybio Lib. III. *Infames frigoribus Alpes*; vel cum Justino Histor. Lib. XXIV. *invia juga & frigore intractabilia loca*; aut cum Silio Lib. III. *clausas nivibus rupes*, & hyemis, tempestatum ventorumque domum, nominare licet: Illæ enim ad mediam aëris regionem magis accedunt, unde ut aliis frigidiores, ita & altiores sunt. Non hic moramur, quod de Olympo Solinus refert, aram in ejus cacumine Jovi dicatam esse, cujus altaribus si qua de extis inferantur, nec difflari ventosis spiritibus, nec pluviis dilui, sed volvente altero anno, cujusmodi relicta fuerint, ejusmodi reperiri; literasque in cinere scriptas usque ad alteram anni ceremoniam permanere; cum hæc poëtica figmenta redoleant.

CAPUT VII.

De Alpium admirandis.

Superiori capite Alpium ὁμονυμίαν, συνωνυμίαν, ἐτυμολογίαν, longitudinem, latitudinem, & altitudinem vidimus: Prætereunda vero nobis non videntur quædam de Alpibus memoratu digna. Nonne harum altitudo stupenda animos nostros percelleret? Numquid illarum longitudo latissime diffusa, in sui admirationem raperet? Quis non miretur, quibus fundamentis tanta moles nitatur, aut in quem usum altissima hæc juga natura extulerit? Nonne aspicientibus vicina illa cœlo cacumina, egregias illas naturæ pyramides, vastaque orbis amphitheatra, aliquis stupor incuteretur? Quis non alpestrium itinerum difficultates & pericula cernens, expavesceret? Nos *Alpes*, avium diversarum caveam, variarum ferarum receptaculum, fossilium multorum fodinam, armentorum pascua, piscium vivarium, apum alveare, fontium fluviorumque matrem, tempestatum prognostica, hominum seminarium, affluentemque lacte & melle terram, nominare possumus. Sed in specie quædam Alpium admiranda videamus.

Memo-

Memorabile ac multis populis ignotum, quod maxime verno tempore, in nudarum arboribus Alpium declivi accidit, cum liquefcunt & emolliuntur nives; tunc enim levi de caufa conglomeratæ ex alto nives decidunt, quæ ubi propter volui magnitudinem fimul fubfiftere non poffunt, hinc inde diffunduntur, ita ut quidquid fuerit obvium, fecum abripiat, & ad imos montium pedes deferat. Rhæti *Labinas*, fine dubio a *labendo*; Germani corrupta voce *Lauwinen*, & Helvetii gal. linguæ *Levantze*, aut *Valantze*, a *valle* (quod conglomeratæ illæ nives, in valles usque a fummis montium jugis decidant) vocant. Sed de his fufius *Daniel Eremita in Defc. Alp.* *Stumpfius Lib. IX. Simler. Com. de Alp. Guler. de Rhæt. Sprecher. Pall. Rhæt. Hotting. Meth. leg. Hift. Hel. pag.* 236.

Reperiuntur in Alpibus induratæ glacies, cryftallum referentes, de cujus ortu diffentiunt Authores: vehementiore gelu fieri ex nive vel glacie author eft *Plinius Lib. XXXVII. Cap. II.* Succum intra terram condenfatum ftatuit *Agricola Lib. VI. foff.* prior tamen amplectenda fententia videtur. Non tantum id nomen poftulat, fed & loci natales, invenitur enim in iis ubi hybernæ nives funt, in Alpium adeo inviis, ut plerumque fune pendentes eum attrahant, ficut ait *Jonftonus, in fua Thaumat. Nat. pag.* 149. Duorum generum cryftalli in Alpibus reperiri docent *Munft. Cofm. Lib. III. & Simler. Defc. Vall. Lib. I. & Com. de Alp.* Primum genus eft candidum & pellucidum, illudque præftantiffimum; Alterum fub obfcurum, nonnunquam crocei, aut alterius coloris, quandoque purpurafcens; unde a quibusdam pro Amethyfto gemma venditur.

Diverfa autem eft harum cryftallorum magnitudo, ferunt enim aliquando integras & non vitiatas ponderis quadraginta librarum, aut etiam quinquaginta reperiri: refert *Frey Adn. Gall. Cap. IX. In Gallicis Rhætorum & Helvetiorum Alpibus cryftallum five nivem fexangulam crefcere, altam, latamque duos tresque pedes, ita ut Carolus Pafchalis Regis Chriftianiffimi ad Rhætos legatus tale cryftalli fruftum tribus millibus aureorum emerit.* Cryftalli mirabilia funt, quod, cum tempore, ab arenis, terra, lapidibus, aliisque fordibus per fe purgetur; quod a folis calore liquari nequeat ob fummam frigoris intenfionem; quod ex ea diutius in ardentiffimis fornacibus liquata, egregii fiant calices, quod tandem vertiginis hoftis putetur, appenfa & pota; *Platter.*

Varii generis lapides eosque admirandos producunt Alpes. 1. Sunt multis locis lapides quidam nigri, qui metallorum inftar e terra effodiuntur, maxime apud Sedunos & Siderianos, vulgus *Steinkolen* vocat, alii *carbones bituminofos*, hi ad ignis ufum, carbonum ligneorum inftar adhibentur; hodie ex illis calx optima conficitur. *Simler. Defcr. Vall. Lib. I.* 2. In Prætura Plurienfi, in montibus ex adverfa Mairæ fl. ripa, lapis eft, ex quo antiquitus (atteftante Plinio Lib. XXXVI. Cap. XXII.) lebetes (*Lavezzi*) coquendis cibis utiles, aliaque vafa tornari folent; quæ ad circumvicinas regiones magna quantitate devehuntur. *Sprecher. Pallad. Rhæt. Lib. X.* Ea dicitur effe faxi illius natura, ut venenum injectum ad ignem ebulliat & rejiciat. *Simlerus de Republ. Helvet. Lib. II.* 3. In Præfectura Sanenfi ditionis D. D. Bernenfium, in monte faxofo, vulgo dicto *Doronaz* (forte ab herba Doronico) lapilli fubalbidi maximo numero, fabuli inftar, reperiuntur, qui ita funt comparati, ut in oculos immiffi, eos expurgent, eandem habentes efficaciam, quam femini *Orvalæ* tribuit *Antonius Mizaldus*, utiles fiquidem fint illi lapilli ad excutiendam oculorum caliginem, & ea quæ in illos inciderunt, educenda. 4. Sunt quoque in eadem præfectura igniarii filices optimi, in magna quadam rupe, colore nigri, & duriffimi, ad catapultarum rotatarum ufum peruttiles. 5. In monte fracto, apud Lucernates, eft quædam fpelunca, ubi nafcitur lapis Morochtus, vulgufua lingua *lac lunæ* nominat, quem fuperftitiofe & ftulte falutarem effe perhibent, adverfus quemcunque morbum, ægroti cujusvis, propter quem expreffe ipfius nomine a fpelunca petatur. *Simler. MSC.* Extat meatus five caverna in quodam monte Abbatifcellano, in quem fi quid conjicias ingentes ventorum procellæ, non fine vi maxima inde proveniunt, tefte *Vadiano* viro doctiffimo, & harum regionum experto. *Schwizer. in Defcr. Helvet.*

Omnis fere generis plantas in magnis montibus nafci memoriæ prodidit *Theophraftus*, ob locorum varietatis rationem, ficut ait *Simler. Com. de Alp.* hic nihil opus uberrima, ad alenda omnis generis armenta & pecora, commemorare pafcua, in quæ folutis nivibus ftatim deduci poffunt. Nihil hic de venenatis & noxiis herbis, Napello, Aconito, Thora (quam Valdenfem nominant) & aliis ejusmodi, fumus dicturi; quarundam tantum falutarium meminerimus.

Scorzonera haud vetus planta eft, primus eam *Matthiol. Lib. II. Cap. CXXXVII.* defcripfit. Inventa in Catalaunia a fervo Aphro. contra viperarum morfum præfentaneum effe remedium, idem qui invenit, oftendit; fuccum haurire neceffum eft illi, qui effugere conatur. In Alpibus crefcere Scorzoneram teftatur, experientia, imo quinque illius fpecies obfervavit *Clufius. ftirp. pan. Lib. IV.* Promifcue quoque videas in magno illo naturæ horto Gentianam, Elleborum album, Angelicam, Sefeli, Siler, Cirfium, Linguam cervinam & alias de quibus apud Botanicos, maxime autem apud Geffnerum, & Clufium. Refert *Frey. Cap. VIII. ad gal.* in monte Pila altiffimo, unde fluvius Doibius profluit, frequentem latiffimo folio plantam nafci, altera parte candicantem, & ab incolis defertam vocatam (*Cacalia* fuerit forfan aut *Petafites.*) In montibus altis, locis defertis, ac fecus vias provenit Sylibus, ut ait *Simler.* quam vulgo Carlinam, alii tefte *Dodoneo* Leucacantham vocant, cujus capitula carnofa, calice, floribus ac femine refectis, fuave edulium præbent. Qua ratione venenis omnibus refiftat, & aliis morbis profit vide *Dodon. Pemp. V. Lib. V. Cap. VIII.* Apud Rhætos maxime pullulat copia *Doronici* herbæ (cui nonnulli falfo vim deleteriam tribuunt, fi expertis medicis, *Gefnero, Bauchino, Camerario*, & aliis credimus) hac rupicapræ delectantur, unde Montani, *rupicaprarum radicem, Gemfswurz*, nominant tefte *Clufio Stirp. Pan. Hiftor. pag.* 525. Venatores paftoresque montani, hac adverfus vertigines, non minus quam *Auriculæ* urfi radice, & ad roborandas vires utuntur. *Frey. Adn. Gal. Cap. IX.* Reliquum, quod eft de herbis & fruticibus Botanicis, relinquimus: de arboribus & aquis alpinis alibi dicemus.

Animalia varii generis Alpinæ regiones alunt non minus quam planæ, imo firmiori corpore, & fortiora, quod exemplo cervorum & equorum alpinorum oftendit *Simler. Com. de Alp.* ibi quoque boves maximi, & vaccæ prægrandes vifuntur, tantæ ferocitatis, ut ne lupi eas aggredi quidem audeant, refert *Gefner. de Quadrup.* An. MDLI. in Rhætia inter Duriam & Velcuriam vaccas ex duobus pagis in pratum eductas tantum iniviffe certamen, ut nonnifi viginti

ginti quatuor cæde sopiri potuerit. Quemadmodum vero *non omnis fert omnia tellus*, ita etiam in Alpibus quædam animalia degunt, quæ alibi non facile reperiuntur.

Mures Alpini, seu Glires (Gall. Marmottes aut Marmotaines, Germ. *Murmelthier* vel *Murmentle*) autumno cavernas subeunt, ubi in extructis ex fœno, similive materia, cubilibus per totam hyemem, erinaceorum instar conlobeti tam graviter dormiunt, ut vel ex cavernis extracti prius non excitentur, quin per aliquod tempus ad solem aut ad ignem fuerint expositi: refert *Frey*. N. Viri D. Schawenstein, regio apud Lugdunenses Rhætico præsidio Præfecti jussu, ex altissimis Rhætiæ montibus, advectos istius generis mures, nonnisi apparente vere fuisse excitatos. Miro in colligendo fœno molimine utuntur. Unus humi stratus, pedibus erectis, supinus jacet, in quem, tanquam in quoddam plaustrum collectum fœnum conjiciunt cæteri, qui sic onustum, apprehensa mordicus cauda, in subterraneas cavernas trahunt. Quomodo autem apud Rhætos salsa illorum caro reponatur, & quo artificio in valle Telina capiantur, vide *Gesner*. *De his muribus agunt Plinius Lib. VIII. Cap. XXXVII. Matthiol. in Dioscor. Lib. II. Cap. LXIII. Munst. Lib. III. Cosm. Simler. Com. de Alp. &c.*

Ex caprarum sylvestrium genere sunt *Ibices* (Capricornos vocant quidem, Germ. *Steinbock*) in Alpibus; Natura frigus requirunt, cæcæ alias futuræ: Magni ponderis cornua ad dorsum reclinantur, eoque majoris, quo grandior procedit ætas: vetulis viginti circiter in iis nodi increscunt, & tum bina sedecim librarum pondus excedunt; Nulla est tam aspera rupes, quam saltu non vincant, salientium si excipere potest ungulas, ipsum asperum parietem scandere posse, quidam prodidere: referunt venatores, morituros præaltam conscendere rupem, ibi altero ad parietem cornu innixos perpetuo ambitu circumire, donec attrito moribundi corruant. *Jonston. ex Gesnero.* Ibex fœmina, Germanis *Ibschgeis* dicitur. *Simler. de Alp.*

Rupicapræ (feras capras *Græci*; Germ. *ein Gembs* vel *Gemß*; Alpinas capras quidam nominant) non quidem summas ita incolunt rupes, ut *Ibices*; Nec earum tanta est ad longe saliendum agilitas. Videantur de his *Simler. de Alp. Munster. Lib. III. &c.* consulatur quoque *Plinius Lib. VIII. Cap. LIII. & Lib. XI. Cap. XXXVII.* Testatur Frey, montanis in hisce capris Germanicum Bezoar reperiri paulo supra ventriculum, iisdem viribus, quibus aut Orientales, aut Indiæ Occidentales suum Bezoar celebrant; Singularissimum sistendæ dyssenteriæ promovendæque parturitioni, est remedium.

Lepores quidam minores sunt in Alpibus, qui hyeme maxime albescunt, ut habet *Gesnerus*, istius rei causas vide apud *Simler. de Alp.* Alii dicunt, candidos non dari lepores, sed tales hyeme apparere, dum nivibus tanquam alba veste teguntur. *Ut annotat Clariss. D. Huldericus.*

Ingens *vulturum* in *Alpibus* præsertim est copia, quibus hoc præter cætera, singulare est, quod nec pennati, nec lanati, nec pilos, villosque habeant, sed nescio, quid medium inter hæc omnia; monente magno *Scaligero*.

Præterea nusquam fere nisi in Alpibus, aut altis montibus inveniuntur *Urogalli*, quorum majores *Tetraones* Plinii esse creduntur, Germanis *Orhan*, vel *Urhan*, & *grosser Berg-fasan*, montani Phasiani nominantur. *Simler. de Alp.* De *Urogallorum* coitu portentosa scribit *Encelius Lib. III. de lapid. Cap. LIV.* Gallus quippe hujus speciei sperma ex ore, coitus tempore, in vere excreat & evomit, & voce magna gallinas ipsas advocat, quæ sperma ejectum ore legunt ac deglutiunt, ac tali modo concipiunt. Illas postea Gallus comprimit, & quasi ratum facit semen comessum. Super quas Gallinas non ascendit, illæ ova hypenemia pariunt. Sunt quoque alia duo sylvestrium Gallinarum genera candida, quæ in Alpibus potissimum degunt. Aliæ, *ein Grügelhan*, & aliæ, *ein Spilhan*, germanice vocantur, teste *Simlero*; videatur & *Munster. Cosm. Lib. III.*

Ingentem *Apum* in Lithuania & Podolia copiam esse testatur *Olaus Magnus*. Non abhorrent ab Alpibus apes, quæ ibi feliciter proveniunt; earum copiam facit pascuorum ubertas, odoris suavitas, florum abundantia, & saporis denique jucunditas, ut loquitur *Jonston. Thaum. pag.* 343.

Alpes *metallis* non carere ostendit *Simler. de Alp.* afferens causas, cur Helvetii rem metallicam negligant. Apud Rhætos metallicas argenti, cupri & plumbi fodinas *Sprech. Pall. Rhæt. Lib. IX.* & Apud Vallesianos *Munster. Cosm. Lib. III.* docent.

CAPUT VIII.

De Alpibus in specie.

HActenus de *Alpibus* in genere: In specie quædam nobis dicenda sunt. Cum vero multa *Alpium* nomina in veterum monumentis occurrant, diversas earum fuisse partes, credendum est: Aliæ enim sunt pro locorum diversitate, Alpes *Maritimæ*, seu *Ligusticæ*, aliæ *Cottianæ*, *Juliæ*, *Grajæ*, *&c.* De quibus apud Simlerum & alios. Nos earum Alpium specialiter mentionem sumus facturi, quæ huic operi illustrando inservire videbuntur.

Varia autem Alpium nomina desumuntur vel a Diis; ut mons Jovis &c. vel a Divis; ut mons S. Bernhardi, Gotthardi &c. vel a Ducibus & claris viris, ut Alpes Juliæ a Julio Cæsare, &c. Vel a populis illas incolentibus ut Rhæticæ, Lepontiæ, &c. Vel a situ, aliisque circumstantiis ut ostendit *Simler. Com. de Alp.*

Alpes Penninæ, Peninæ, vel Pœninæ (sic enim varia Authorum ut lectio, ita & vocis explicatio) ab Hannibalis Pœnorum Ducis transitu dictæ sunt, ut *Plinio Lib. III. Cap. XVII. Marcellino Lib. XV.* & veterum plerisque videtur. Alii *Penninas* quasi *Pinninas*, a celsi cacuminis, quo cæteras Alpes superant, eminentia, dictas censent: *Pinna* enim latina lingua, & *Pinne*, antiqua Saxonica, & adhuc Belgica significat quidvis acutum & elatum cacumen, summitatem, cuspidem, spiculum, aculeum, Gallice *la pointe de quelque chose: Pennum*, inquit ex Varrone Nonius, acutum Antiqui dicebant. Priorem opinionem rejicit *Livius* his verbis: *Neque hercule montibus his a transitu Pœnorum ullo Veragri incolæ jugi ejus norunt nomen inditum; sed ab eo quem in summo sacratum vertice penninum montani appellant.* Ad hæc annotat *Cluverius* Lib. II. Cap. IV. Ant. Germ. *Si proprium Dei nomen fuit Penninus, quomodo ab hujus primitivo vocabulo derivatum est Alpium cognomen* Penninum? *Nulla certe grammatica ratione; proinde verum genuinumque nomen Dei fuisse* Pen *& Romano ori Pennus, a quo jam recte derivatur Penninus.* Jovem autem Deum illum fuisse, ostendit idem Cluverius Lib. I. Cap. XXVI. Nisi quis dicere malit, Deum illum

illum fuisse pastorum Deum, qui dicebatur *Pan*, & forsan a Veragris *Pen*, de quo Virgilius:

Pan curat oves, oviumque magistros.

Verisimilior autem est Livii sententia, qua a *Penno*, *Pennina* Alpes denominatæ sunt: Ex *Polybio* enim *Lib. III.* apparet, Hannibalem per *Allobrogum* fines, aut Vocontiorum, id est, per Delphinatum transivisse, ut ait Sabellic. Enn. V. Lib. I. Ubi vero Alpes *Penninæ* sint, diversum sentiunt Authores. *Penninas* apud *Salassos*, *Plinius & Strabo* ostendunt, & cum supra *Augustam prætoriam* (Germ. *Augst*, Ital. Aosta) duæ per Alpes viæ sint, huic quæ ad orientem est, & ad Veragros ducit, *Pennini* nomen tribuunt. Meridiem magis versus, Jovius & Alciatus locant *Penninas*, ille ubi mons *Cinesius* (mont çenis) hic ubi *Druentia*: Sed utrumque *Simlerus* refutat. Ubi autem sint, ex *Livio* non est obscurum, qui *Pennini* jugi incolas *Veragros* nominat. Dicimus itaque has Alpes eas esse, quæ ab *Octoduro* (Martinach) *Augustam prætoriam* versus porriguntur, *summumque Penninum*, de quo Antoninus, cum esse montem, quem multi superioris & nostræ ætatis scriptores, communiter *montem Jovis* (mont-jou) vocant; aut secundum *Tschudum*, *Simlerum*, *&c.* hodiernamque appellationem *Mons S. Bernardi major*, *Monte maggiore di S. Bernardo*, *Grand S. Bernard*; *Pintzgeum* interpretatur *Lazius*. Male *Jovius Lib. XV.* Alpes S. Bernhardi olim a Græcorum transitu *Grajas* nominatas censet. Veteris nominis, *Pennini*, apud *Salassos* vestigium manet, in valle ab incolis *Pelinna* dicta, quæ Augusta prætoria, seu Salassorum ad *Penninum* ducit. *Vallesianorum* vallem esse opinatur *Rhenanus*, sed situs hoc non patitur. Existimat Viterbiensis Chron. par. II. Hannibalem per Alpes *Pyrenæas* (pro penninas) ubi *mons Jovis* nominatur, igne & ferro iter sibi aperuisse. Credit quoque *Luitprandus Ticinensis* per Alpes *Penninas* in *Italiam* venisse *Hannibalem*, scribens *Arnulphum* Imperatorem, per Hannibalis viam, quam *Bardum* dicunt, & *montem Jovis* ex Italia domum reversum. Scribit & *Jovius* apud Bardum, literas cotibus insculptas ostendi, monimentum Hannibalis, qui hac Alpes trajecerit. Est autem *Bardum*, vicus inter *Eporediam* (hodie Jurea) & *Augustam Salassorum*, ubi vallis arctissime coit, & fere clauditur, Germani, *Imbart*, vocant, cum ergo hic Hannibalis monimenta ostendantur, gravissimi tamen Authores alia via in *Italiam* Pœnum transivisse tradant, censet *Merula*, ejus exercitum in varia agmina divisum, pluribus locis trajecisse. *Penninos* ad totum Vallesianorum tractum extendit *Cluverius Lib. II. Cap. VI.* Unde illorum regionem *Penninam vallem* nominat; sed quod pace tanti viri dixerim, illas absque ulla Veterum authoritate orientem versus nimium extendit, sicut *Jovius & Marlianus* nimis ad meridiem, cum enim *Summum Penninum*, majorem S. Bernardi montem esse constet; probabile satis est, eas esse, quæ ab utroque *summi Pennini* latere existunt, & valles efficiunt, ex una parte *Octodurum* usque, ex altera *Salassos* versus, aut saltem non longe ab illis.

De summis Alpibus.

Varia quoque habent Authores de Alpibus, quas *Summas* vocat. *Cæsar. Lib. III.* scribens, *Antuates, Veragros, Sedunosque a finibus Allobrogum, & lacu Lemano, & flumine Rhodano, ad Summas Alpes pertinere.* Arridet hic *Simleri* sententia; arbitratur ille nomen *summi* apud Cæsarem, non aliquod proprium significare nomen, quo aliquæ Alpes ab aliis discernantur, sed esse appellativum, ut Grammatici loquuntur, & idem esse ac τὰ ἄκρα τῶν Ἄλπεων; vel *Alpium culmina*, ut dicuntur Cæsari; sic vocat *Livius summum verticem*, & *Antoninus*, *summum Penninum*, *summum Pyrenæum*, *&c.* Atque sic *summarum Alpium* appellatione voluit *Cæsar*, *Alpes penninas*, secundum *Rhenanum*, aut quæ sunt inter *Sedunos & Veragros*, ut generalius loquuntur *Alciatus*, *Marlianus*, *Jovius*, *Cuspinianus*, & alii. Errant vero *Glareanus*, *Tschudus*, *Stumpfius & Leander*, qui summas Alpes locant, ubi in omnes mundi plagas, eximia flumina evomuntur, suamque trahunt originem. Qualis est mons *S. Gotthardi*, cum suis vicinis, vide fusius *Simler. Com. de Alp.*

Quoniam vero *Alpes Penninæ*, maxima ex parte ad Vallesianos pertinent, nos illis aliarum Vallesiæ Alpium quædam adjungemus nomina, prout hodie pronuntiantur.

E regione Brigæ visitur, mons *Sempronius* aut *Scipionis*, hodie Germ. *Simpelberg*. Gall. *S. Plomb.* Ital. *Sampione*: a quodam Romano duce nomen accepisse conjectura est: *montem Brigam* a proximo vico nominavit *Marlian.* Ex hoc monte qua Brigam respicit fl. *Saltina* qua vero Italiam fl. *Athiso*, oriuntur; per hunc montem ad Lepontios transalpinos iter est; videantur *Munst. Lib. III. & Simler. in descr. Vall. Lib. I. & Com. de Alp.* Non longe a Sempronio sunt montes dicti, vulgo *Passes & Matter*; de quibus *Munst.*

In valle Pennina est mons *Arola* omni tempore glacie abundans, ut inquit *Mercator*. Ad *S. Mauritii* meridiem conspicitur mons summe altus, nivibus & glacie perpetuo albescens, accolis vulgo dictus, *la dent de midy*: ad septentrionem, ex illius regione, est alius quoque editissimus, vulgo *la Dent de Morcles*, a pagulo in montibus illis dicto, *Morcles*. Ex eadem parte Ardonium & Sedunum versus ascendendo, montes *Bernatum* ditionem a Vallesianis distinguentes, generaliter sub nomine montis *Sanetii* comprehendit *Guillim.* Germ. Sanetchberg, vel Sanetzberg, a valle Sanensi.

Ad septentrionem *Sideriani* conventus est mons *Sylvius* dictus Austelberg, secundum *Mercatorem*. Sylvium tamen alibi collocat *Simler. Desc. Vall. Lib. I.* cum ait Mattiam vallem, in conventu Vespiano, incipere a monte *Sylvio*, per quem iter est ad Salassos & Ajazam vallem, *das Kremertal*, *&c. Com. de Alp.* Apud Sedunos mons est, quem quidam Sylvium nuncupant, Salassi Rosæ nomen ei imposuere; in hoc monte ingens est glaciei perpetuæ cumulus, &c. *& alio loco*; per juga montis Sylvii, quem nostri *Gletscher* vocant, duo sunt itinera, unum ad Salassos, alterum in vallem Sessitis.

Supra thermas *Leucenses* (Leuckerbad) montes & præruptæ rupes extraordinariæ altitudinis conspiciuntur: dicuntur vulgo *Lætsch*, aut *Lætschemberg*, *& Gemmi*, hunc *Guillim*. Gemmium vocat, unde *Dama* aut *Dala* fluviolus oritur: per hujus montis rupes iter arduum ac horridum factum est, per quod ex valle Frutingensi (Frutingerthal) in illas thermas descenditur: hoc iter æstate quidem frequentissimum; hyeme vero impervium est: illius autem tanta est altitudo & asperitas, ut non male quidem *Gemmium* a gemitu nominatum putent. *Simler. Desc. Vall. Lib. I. Munster. Cosm. Lib. III.* Specialia uniuscujusque montis referre nomina difficile nimis, imo mihi illorum ignaro impossibile.

De Lepontiis Alpibus.

Inter Alpes non ultimas tenent, quas veteres *Lepontias nominant*: *has sic describit Marlianus. Fuerunt illæ,*

illa, ex quibus Rhenus inter fines Sedunensis & Curiensis dioecesium oritur, quas Lepontias Caesar & alii scriptores appellavere: nunc D. Gotthardi, ac Divi Nicolai dicuntur. Merulae dubium non est, eas comprehendere omnes Alpes, a Rheni fontibus ad Rhodani usque scaturiginem, ubi hodie *Levantinae*, *Brenniaque*, quae *Palenza* dicitur, incolae; ad quas *Crispaltus & Lucumonis* mons, altera parte pertinent; a *Lepontiis* populis nomen accepisse credibile est, antiqui nominis vestigium manet in valle, per quam *Ticinus* fluit, quae *Levantina* quasi *Lepontina*, Italis dicitur, accolis vero *Livinerthal* vel *Levantinerthal*. Jovius has minores Lepontias vocat, ad earum differentiam, quibus a lacu Comensi per *Clavennam*, *Curiam Rhaetorum* itur, quas *majores Lepontias* nominat. *Alciatus* in Switensibus, qua Glaronam ex Bilitionis castro recta tenditur, *Lepontias* statuit, sed anguste nimis. Sub Lepontiis mons altissimus *S. Gotthardi*, est, per quem ab Uraniis Helvetiis in Italiam trajicitur, haec via duobus locis maxime periculosa est; 1. In *ponte tremente*, sic enim vocant, in ascensus, qua Italiam spectat, fere medio; unde ad cacumen usque, nihil nisi nuda rupes, cum nivibus & multa glacie; dicitur vero *pons tremens aut tremulus*, non quod ipse tremat, sed quod montem ascendentes viso praesenti periculo, tremere incipiant. 2. Ex altera parte, visitur *vallis infernalis*, ubi supra Sillinium, pagum Uraniorum, juxta *Ursam* fl. & prope Ursarium vicum, pons est, quem Diaboli aut inferni pontem (vulgo die Teuffelsbrug) nominant: hujus meminit *Platina*, in vita Pii II. dicens eum ante pontificatum, tempore Concilii Basileensis ex Italia, per *Inferni pontem*, Lucernae lacum, Helvetiorum campos, Basileam tandem pervenisse, de his vide *Jovium. Lib. XV. Simler. Com. de Alp. Vigener. Com. in Caesar, &c.*

Hic mons *S. Gotthardi*, multis verticibus constat, inter quos habentur, *Mons Furcae*, Germ. die Furcken, a bifurcato, & in duos vertices diviso summo jugo, nomen habet. Hic mons asper est valde, nec inhabitatur, limes est inter Uranios & Vallesianos, & ex eo Rhodanus oritur. *Munster. Cosm. Lib. III.* refert olim vocatum *Juberum*, & *Contium*, aut secundum alios *Ursellum*. Non longe ab hoc est mons *Grimsel* aut *Grimsula*; continuus est Furcae, & sub Lepontiis quoque comprehenditur: Vallem Haselam sub ditione D. D. Bernensium, a Vallesianis dividit; iter admodum arduum & asperum est per Grimsulam. Inter Lepontias quoque numeratur mons *Lucumonis*, (Germ. Luchmanier) hoc nomen a quodam *Lucumone* Tusco accepit: dicitur etiam Mons S. Barnabae, ubi est rupes Cadelin, de qua postea Cap. XI. hic mons Rhaetos a Lepontiis distinguit.

De Alpibus Rhaeticis.

Succedunt Alpes Rhaeticae, a Rhaetis populis eas incolentibus, dictae: de his apud veteres frequens mentio. Tacitus Hist. Lib. I. *Rhaeticorum jugorum* meminit, hos montes *Merula*, a Como Veronam usque extendit. *Rhaeti* (inquit Strabo Lib. IV.) *ad Italiam spectant supra Veronam & Comum.* Dicit *Marlianus*, Alpes Rhaeticas agro Tridentino adjacere, ut & Veronensi, quibus ex Italia in Sueviam & Austriam iter est. Plurima autem sunt Rhaeticarum Alpium juga, inter ea principem locum tenet, secundum plerosque, mons *Adula*. Strabo Lib. IV. Ἀδούλαν Alpium partem facit: Guarinus in Strabonem vitiose legit *Diaduellam*. Ex hoc monte Strabo & Ptolomaeus Rhenum deducunt; illius summitas vocatur Germanis *der Vogel, aut Vogelberg*, Rhaetis *colmen del olcello aut ocello*, *vel Monsted del vecello*, Italis *monte del Vocello*, ut annotat D. Gaudard. secundum alios mons *S. Bernardini*, per quem a Rhaetis Bellizonam itur, *Bralium* vocat simplicitas vernacula, ut ait apud *Simler. Alciatus. Vuillichius in Tacitum*, accolis dici, Etzel, refert; non oportune in lacus *Larii* descriptione, *Grajas* appellari *Jovius* scribit. Sprech. Pall. Rhaet. Lib. VII. montem *Avicular* vocat, unde Rhenus posterior oritur: in loco scaturiginis quondam sacellum fuit Nymphis dicatum, cujus adhuc vestigia cernuntur, referente eodem *Sprech.* Sunt & alii, qui *Adulam* sub Lepontiis collocent, inter quos est *Vigenereus*, qui Gotthardi, Crispaldi, Lucumonis montes sub Adula comprehendit, & Adulam aut Adyam, ut etiam legit *Alciatus*, inaccessum significare dicit. Sic *Vuillichius: Adula ita monti S. Gotthardi connectitur continenti quidem jugo, ut sit summarum Alpium veluti brachium aut cornu.* Guillimannus quoque Adulam summarum Alpium sive S. Gotthardi orientalem partem facit. Parum vero refert hoc, cum *Alpes Rhaeticae & Lepontiae* vicinae, imo conjunctae sint.

Spluga aut Speluga mons (a Spluga vico celebri in primo Rhaetorum foedere) Adulae proximus est. Hujus mentionem facit *Jovius Lib. XV.* Latinis scriptoribus *Ursulus vel culmen Ursi*, Rhaetis, *Colmo del Orso*, Germanis *der Urseler oder Splugerberg*, Vigenereo *S. Bernardini* mons, quibusdam etiam *Avicula*, dicitur. In hoc monte columnam Julii Caesaris ostendi, ait *Simler. Com. de Alp.* Ad illius radicem fl. Liro oritur vallem Clavennensem interfecans; huic valli ad orientem adjacent montes, *Furcula & S. Jori.*

Rhaetico mons inter altissimos a *Mela Lib. III.* nominatur; eum in finibus Rhucantinorum collacat *Mercator:* a Rhaeto Tuscorum Duce, denominatum vult *Simler. Com. de Alp.* Tschudus *Prättigowerberg* appellat, qui in Helvetia est, de eo sic in Tacit. Germ. Althamerus. *Rhaetico mons, apud Pomponium Melam, est jugum illud Rhaetiae primae inter fines Curiensium & Vallesianorum, Helvetiis imminens, cui adhaerens vallis vetusti nominis reliquias servat: vulgo enim Braetigow (vicum habens Penatium) id est Rhaetorum ager, pagus aut vallis pro Rheticone appellatur, puto insuper Pomponium, Braetigow, ad Romana lingua figuram in Rheticonem deflexisse, dicitur praeterea vallis Montasum à Comitibus de Sonnebergo, quibus paret.* Secundum longitudinem hic mons extenditur usque ad Estiones; ab uno illius latere est vallis Drusiana, quam mediam secat fluvius *Langarus*, qui in altissimo Rheticonis vertice (selva Rhaeta, quasi sylva Rhaetiae dicto) oritur, videantur *Sprech. Pall. Rhaet. Lib. IX. & Altham.* de variis Rhaeticarum Alpium nominibus.

Supra de Penninis Alpibus locuti sumus, quae sunt inter Vallesianos & Salassos: sunt & aliae, quas Tacitus juga *Pannina* nominat, quibus ex Italia in Noricum & Germaniam iter est, referente *Marliano.* Loquitur quoque *Ptolomeus* de παινοις Alpibus a Penninis diversis, quae Italiam a Rhaetia separant, suntque inter Rhaeticas Alpes & Ocram montem, ad fl. Lyci fines positae: has a Pennone Noricorum Rege, dictas ait *Aventinus*, illas etiam Bojas nominans, addensque ab eodem Pennone, nuncupatum Penninum montem (unde oriuntur Athesis & Rhenus) quem vulgo *Venusticum* dicunt, istas autem Alpes his verbis ita describit. *Vindelicia, quam jam Bojariam nominamus, clauditur ab austro perpetuis montium jugis, & hoc dorsum a Lyco ad Oenum pertinet, quod amplius si anfractus sequeris, centum & viginti milia passuum percurrit; quod si bisce quincuncem demseris, reliquum est recti itineris intervallum. Alpes a Ptolomeo Penninae (aut potius Panninae)* num-

nuncupantur, *sicut celsissimæ undique prærupta*, *& abscissa rupes*. *Cacumina perpetua nive albicant*, *longe*, *late ad quadragesimum*, *& amplius lapidem a peritis discernuntur*. Alpium quas *Aventinus* describit, inquit *Simlerus*, summa juga a nostris nominantur, *de Arlberg oder Albelen* (ab Aquila nomen habent) item *venustus mons Binstermüntz*. Atque, inter *Oenum & Lycum*, isti montes longe procurrunt, & vallem efficiunt, quæ a Germanis *Intbal*, vocatur: hanc idem *Simler. Desc. Vallesf. Lib. II. & Com. de Alp*. Pœninam vallem, (rectius Oenina diceretur) quæ a Rhætiæ prolegato regebatur, esse ex quadam quæ Floreni, in agro Veronensi, visitur inscriptione, arbitratur.

Alpium Helveticarum pars est *mons Albius*: jacet is inter *Tigurum & Tugium*; & est ubique pascuus: hujus mentio fit in literis quibusdam Ludovici, circa annum septingentesimum. Hunc *Rupertus* Thuricensis, S. Galli monachus *Albiscum* nominat. *Simler*. MSC. Apud Lucernates mons est quidam Lucernæ urbi imminens, dictus *Mons fractus & Pilati*, ubi est caverna quædam, de qua *Cap. Præced*. & lacus Pilati, de quo suo loco. Certissima ex hoc monte, tempestatum indicia petunt Lucernates annotante *Simlero*, *Com. de Alp*. hunc montem descripsit *Gesnerus*. Si quis plura, sive in genere, sive in specie de Alpibus scire cupiat; *Simlerum* illas peculiari libello docte describentem, *Merulam* illius Epitomatorem, aliosque quamplurimos consulat. Hodierna diversorum Argoviæ montium nomina, ad peculiarem locorum descriptionem referre oportunius est.

CAPUT IX.

De Helvetiæ Sylvis.

DE montibus hactenus; Sylvas quod attinet, tantus est earum varii generis numerus, ut omnium nomina, vix quis enumerare aut commemorare queat. Nota satis insignis illa Germaniæ sylva, quæ communiter *Hercinia*, ab Hercino Germaniæ monte, ut Marliano placet; aut *Hartzinia*, ab Hartz, id est, resina, secundum Ammianum; quibusdam corrupte *Martiana*, Eratostheni *Orcinia*, Germanis *Schwartzwaldt*, Gallis, *la forest noire*, dicitur. Asserit vero Mercator, illam se in Helvetiam usque extendere, & *Helvetiæ sylvas* illius esse portionem, ac veluti brachia quædam, quamvis modo hic, modo illic diversa accipiant nomina. Sylva, quæ prope Zoffingam est, dicitur *Bonvaldt*; profert hæc abietes procerissimas, centum & triginta pedibus longas, quæ secunda Arula, per Rhenum in mare, ad construendos navales malos transmittuntur, vide *Munst. Lib. III*. Reliqua *Argovia* frequentes habet sylvas, de quibus in speciali illius descriptione. *In Vallesia* duarum sylvarum meminit *Mercator*, unam vocat *Melebach*, prope Arnen; alteram *Persinwaldt*, prope Perigard: sunt autem sylvæ per totam Helvetiam crebræ satis, sive in locis montanis, sive in planis. Insignis quoque ea est sylva, quæ per mediam fere *Vaudi* regionem, longe lateque porrigitur, dicta vulgo *Jurat*, forsan quia cum Vaudi editiora loca occupet, & montem quasi referat, sit velut alter, aut quasi minor mons *Jura*. Alias reticeo, quarum communiter nomina ab oppidis aut pagis vicinis desumuntur. Cum autem Helvetia, sive in montibus sive in planitie varias habeat sylvas, varii quoque generis arbores alit, de quibus aliquibus aliquid hic dicere, oportunum erit.

Castanearum non exiguæ sunt sylvæ apud Rhætos, qui siccatas adversus famem, magno pauperum commodo recondere didicerunt: si enim recte, ac ex arte siccatæ fuerint, siccæ pariter & elixæ esui aptæ sunt, panisque ex illis in plebis usum coquitur, ut ait *Simler. Com. de Alp*. Sunt quoque alibi castaneæ in Helvetia, maxime apud *Antuates*, & in præfectura Nevidunensi, ditionis D. D. Bernensium.

Sunt & *Querceta* variis in locis, unde quercuum usus, ob ligni firmitatem, in ædificiis construendis est. Sic Berna, in Querceto primo, a Berchtoldo Zæringiæ Duce ædificari cœpta est ex quercubus. Glandes mirifice ad saginandos porcos inserviunt, unde magna utilitas; famis quoque tempore, apud pauperes in usu sunt. Ligno, in quercu nati visci, pro amuleto adversus comitialem morbum nonnulli utuntur, & similiter contra sanguinis undequaque eruptiones; sed exiguo, imo nullo cum fructu aut successu, sicut monet *Dodon. Pemp. VI. Lib. IV. Cap. III*. In veterum quercuum caudicibus enatum *Polypodium*, apud Medicos magni æstimatur, & aliis præfertur.

Inter glandiferas arbores annumerat Dioscorides *Fagum*, quamvis Quernæ glandi nihil simile fructus habeat. Egregiæ procerarum fagorum sylvæ, in Helvetia reperiuntur. Lignum ad ignis usum optimum est; illius cineres ad vitri compositionem utiles, scribit *Petrus Crescentius*. Interiores fructus nuclei, sapore cum levi adstrictione dulces, feruntur renum ex calculo dolores, si edantur mitigare, & ad calculorum ac arenularum faciliorem exitum, prodesse; Columbæ ac turdi his delectantur, horum pastu sues saginantur, muribus ac sciuris gratissimi sunt.

Inter montanas arbores a *Theophrasto* enumerantur abietes, pinastri & piceæ; constat autem experientia, non solum has arbores in Alpibus felicissime provenire, sed & in locis planis, illarum enim sylvæ per totam Helvetiam frequentes satis sunt, verum montanæ ob majorem materiæ firmitatem, sunt præferendæ, sicut ostendit *Simler. Com. de Alp*. pag. m. 322. De variis resinis tum aridis, tum liquidis, ut & de pice, vide apud Plinium Lib. XVI. Cap. X. & passim. Galenum, Dodoneum & alios, ex conis seu strobylis, quidam civis Lausannensis, oleum stillatitium conficit, quo adversus varios morbos feliciter utitur. In resina & pice colligenda maxime dant operam, vallis Galangascæ apud Rhætos incolæ, unde se, familiasque suas alunt, *Simler. Com. de Alp*. unde quoque resinarii dicuntur *Guillim. de Reb. Helv. Lib. IV. Cap. II. p*. 430.

Inter coniferas arbores, non contemnenda videtur *Larix* Theophrasto & Græciæ ignota, Alpibus nostris propria, quarum ingens copia est in sylvis apud Vallesianos, & Rhætos præcipue. Illius lignum in tempestatibus firmissimum, adversus cariem illæsum, ad ædificia aptum, visu pulchrum, odoratu suave, & contra lepram efficax, habetur. *Resina larigna*, in officinis Terebinthinæ loco divenditur, quod jam sua ætate factum *Galenus* refert. Fungus quidam in larice nascitur, vulgo Agaricum nominatur. *Plinius Lib. XVI. Cap. VIII*. Galliarum arbores maxime glandiferas ferre Agaricum dixit, sed fallitur, non enim glandiferæ, sed coniferæ, & quidem inter has sola larix, quæ non in Gallia hodierna, sed in Helvetiæ & Italiæ Alpibus crescit. Agaricum autem adversus capitis do-

lores prodesse dicit Plinius Lib. XXV. Cap. VI. viscerum obstructiones expurgat, lumbricos pellit, aliisque morbis medetur, ut Medici testantur. Obiter hic notandus duplex *Plinii* error. 1. enim folia amittit autumno, quod non cognovit *Plinius*. 2. Laricem non comburi igne, dixit idem *Plinius Lib. XVI. Cap. X.* quod etiam de castro Tarigno a Cæsare oppugnato refert Vitruvius: sed hoc falsum esse experientia comprobat, a nullo enim alio ligno magis liquefiunt metalla, ut in Tridentinis montibus videre est; omnium *laricis* carbones ferrariis officinis utilissimos scribit *Matthiolus*: apud Vallesianos non alia in foci usum ligna, multis in locis adhiberi tradit *Simler. Com. de Alp.*

Platanus Italiæ advena & peregrina, sicut ex Plinio Lib. XII. Cap. I. videre est, in Helvetia communis est; illius proprietates vide apud eundem, *Plin.* Lib. XXIV. Cap. VIII. *Fraxinus*, ita serpentibus infensa est, ut nullas illius umbras ferre possint *Plin. Lib. XVI. Cap. XIII.* Experientia sibi compertum scribit Plinius, fraxini fronde & igne clausum & circundatum serpentem, per ignem potius quam per fraxinum, evasurum. Hinc summa naturæ benignitas; floret, antequam serpentes egrediantur, nec ante conditos folia demittit, pauci imo nulli sunt serpentes ubi fraxinorum est copia, ut apparet quibusdam in Helvetiæ locis, ubi multæ sunt fraxini. Sed hæc de arboribus quibusdam dicta sufficiant.

CAPUT X.

De Helvetiæ fontibus.

Sequitur nunc, ut pro instituti nostri ratione, quibus fontibus, fluviis, & lacubus, Helvetia nostra decoretur, videamus. Nulla sane est regio, præter Helvetiam, quæ tot aquis gaudeat. Fontibus, amnibus ac lacubus, non esse similem Helvetiæ nationem, existimat *Glarean. in sua Paneg.* Lacus enim navigabiles viginti quatuor & ultra fluvii sex numerantur, fontes vero innumeri. Hujus aquarum crebritatis causam indicat *Seneca, Lib. Nat. Quæst. III. Constat, Germaniam, Galliamque, & proxime ab his Italiam abundare rivis & fluminibus, quia cœlo humido utuntur, & ne æstas quidem imbribus caret.* Hoc certe de Helvetia maxime verissimum est, ut experientia patet: Regio etiam ipsa maxima ex parte montana frigidior est, & montes quam sæpissime nubes, pluvias, aut nives emittentes: attrahunt ita ut recte dixeris, cum Silio:

Abeunt in nubila montes; aut cum Virgilio.

. . . . *Sæpe cadunt de montibus imbres.*

Unde Placidius Placentinus, *nubiferas Alpes* vocavit.

Hæc aquarum copia, etsi quandoque, ob locorum aquis vicinorum inundationes, noxia sit, piscationi tamen utilis est, irrigandis pratis, atque vehendis oneribus & mercibus oportuna.

Fontes eosque innumeros & maximos habet Helvetia, ita ut passim obvii sint (maxime vero in illa valle, montiumque tractu, quæ Emmenthal dicitur) & illos in summis montibus reperias. Si quis in præcipuorum Europæ fluviorum origines inquirat, eos in Helvetiorum montibus quærat. Suas Helvetia aliis nationibus communicat aquas, imo suas cum illis, ad exteros populos, sordes amandat. Quoniam vero tot, sive in planitie, sive in montibus, fontes reperiantur, dignum est, ut, unde oriantur, indagemus. Ab aquis pluvialibus fontium scaturigines voluere nonnulli; sed illæ sufficere non possunt, non raro enim per multum tempus deficit pluvia, & quæ infra pedes decem decidit, terram non madefacit, *Seneca* Lib. III. Nat. Cap. VII. In siccissimis tamen locis, puteis in altum actis, per ducentorum & trecentorum pedum spatia uberes aquarum venæ inveniuntur. Ex montibus etiam & saxis erumpunt flumina, quibus nihil pluviæ conferunt. Ex terra in aquam mutata fontes provenire scripsit *Seneca*. Sed contra facilius aqua ob suam densitatem in terram mutari posset, ut ait *Jonst. Thaum.* p. 64. Ex aëris vaporibus in terram conclusis, & eorum frigore condensatis, fontes nasci, sensit *Aristoteles*: Quod vero vaporibus esset opus ad unici saltem fluvii constitutionem? & perpetuas dari causas necessum est, perpetui illius aquarum fluxus, sicut loquitur *Sperling. Inst. Phys. Lib. IV.* Dicendum ergo per subterraneos canales, & terræ venas, instar sanguinis animalium, e mari fontes manare, quibus solum mare sufficit. Sicut autem maris origo a Deo est, *Gen. I. v.* 9. 10. ita mare fontium, rivorum, fluminum hospitium, caput & origo est. *Eccl. I. v. 7. omnia flumina properant ad mare, nec tamen mare impletur; quocunque loci flumina properant, eodem revertuntur propere.* Unde Psaltes, *Psal. CIV. v.* 9. loquens de marinis aquis, *Terminum opposuisti, ne transeant, ne revertatur ad operiendam terram*, postea addidit, *v.* 10. *Qui emittis fontes per valles, ut inter montes ambulent.* Talis ergo est fontium a Divina potentia, origo; de ascensionis modo maxima inter Physicos controversia; vide quæ ex *Thoma Lydiat Anglo* habet *Jonstonus*. Maximum autem est Divinæ Providentiæ beneficium, quod tot, atque diversi generis fontibus abundet Helvetia; varie autem illius fontes distingui possunt: vel enim alii sunt perennes, alii temporarii; alii frigidi, alii calidi; alii dulces, alii aciduli, salsi, sulphurei, &c. alii salutares, alii noxii, &c.

Cum autem magna hæc in aquis varietas, Divinæ sapientiæ ac potentiæ sit index, non mirum est tot qualitatibus ac peculiaribus viribus aquas gaudere: probabile quibusdam videtur, istas aquas, aliis atque aliis atomis repletas esse, quarum beneficio nunc sympathiæ, nunc antipathiæ, nunc corruptiones, nunc generationes, aliaque ejusmodi fiant. De aquis mineralibus dignus est *Sperlingii Inst. Phys. Lib. IV.* locus, qui hic adscribatur. *Parum erat* (inquit ille) *aquam detergere sordes, gignere fruges, producere olera & arbores. Potiora adhuc potentiæ aquarum ponenda erant exempla. Quid acidulæ, acridulæ, salsidulæ, dulcidulæ? Tanta eis inest vis, ut calamo satis depingi nequeat. Calefaciunt, siccant, attenuant, solvunt, penetrant, appetitum excitant, ventriculum confortant, obstructiones viscerum aperiunt, lapides in renibus & vesica frangunt, homines ex ipsis mortis faucibus eripiunt. Et cum commemorare vires nihil habeat sapientiæ, an causam rei possimus, tentandum. Hæc autem non in aquarum alteratione, sed in mineralium commistione quærenda. Mineralis aqua tunc oritur, cum minera aliqua, sub specie halitus, vaporis, aut tincturæ, cum aqua conspirat. Hinc pro multiplicitate mineralium multiplices fiunt minerales aquæ. Et cum multiplex paucorum etiam mineralium fieri soleat mistio, innumerabiles pene fiunt aquæ istæ. Quodnam vero in specie cum aqua conspiret minerale, docet effectus. Aluminosæ aquæ vulnera sanant & ulcera, æratæ prosunt oculis, nitrosæ fœminas reddunt fœcundas, sulphuratæ vitiligines tollunt, & impetigines sanant, salsæ leviter cutem mordent, aluminosæ mordent & adstringunt.*

Nunc

Nunc ad admirandas Helvetiæ aquas accedendum. De perennibus fontibus, iisque puris & potui utilibus, non eſt quod hic agamus; de temporariis aliquid dicendum; ſunt autem illi in duplici differentia, vel enim ceſſationis cauſa patet, vel latet, aut ſaltem non ita cognoſcitur bene. Notandum vero in Alpibus non omnes fontes a mari ſuam originem trahere, ſed multos a pluviis, nivibus & glacie ſolutis dimanare, unde propterea deficiunt, ceſſante cauſa. Cum enim Alpes magnum ac vaſtum corpus habeant, contingit in illis, velut in gremio aut ſinu aliquo, pluviæ ac nivium copiam aſſervari, nec poſſibile eſt quamplurimis in locis pluvias aut niveas aquas evacuari, unde etiam fiunt in ſummis montibus ſtagna & laculi, qui cum per rivulos non effluant, id per meatus ſubterraneos, & rupium montiumque concavitates fiat, oportet. Atque inde varii in inferioribus locis, fontes oriuntur. Experientia quibusdam locis hoc demonſtrare videtur: ſi enim hyberno tempore non altæ cadant nives, ſi verno mature liquefactæ fuerint, ſi æſtas pluviis non infeſta, ſi Sirius arſerit, videas tunc multos fontes ex montibus, ubi nullæ remanſerunt nives, ortos maxime in canicula deficere, poſtmodum accedente pluvio tempore, aquas ſuas iterum emittere. Audivi quoque a fide dignis Montanis aliquando lignum ſerra ſectum, in quoddam ſtagnum, ſeu, ut illi vocant, lacum, in ſummo, apud Fryburgenſes Helvetios, monte ſitum, conjectum fuiſſe, quod per fontem in ditione Bernenſium, ab illo ſtagno duobus milliaribus Germanicis diſſitum, cum aqua effluxerit. Verum etiam eſt, vivas eſſe ſcaturigines, quæ aquæ nivalis confluxu augeantur: unde ceſſante nive minores exiſtunt. De aquis autem niveis & earum qualitatibus vide *Simler. Com. de Alp.*

Sunt vero fontes, quorum temporarius fluxus admiratione non caret. *Non praterierim*, inquit Schwizer. Deſc. Helvet. *fontem in valle Haſela* (*vulg. Haslandt,*) *in monte Engſilen nominato, haud procul ab Arola fontibus, qui nullo anni tempore fluere conſuevit, præterquam Julio, Junio & Auguſto menſibus, cum pecora & armenta ibi paſcuntur: fluitque certis tantum horis, mane & veſperi, quando a paſtu ad potandum pecora abiguntur; & ſi quid impuri in eum immittas, fluere fons ceſſat, demumque poſt aliquot dies aqua redeunt.* Sic de fonte Mariano apud Leucianos Valleſios, Caſpar Collinus Sedunus.

Eſt præterea frigidus limpidiſſimusque fons non procul a maximo balneo verſus meridiem, Deiparæ nomine inſignitus, quoniam in Majo, vel ſaltem ſub finem Maji proveniens in Auguſto circa feſtum aſſumptionis Mariæ fluere deſinit: cujus rationem aſſert his verbis. *Fons hic originem ducere videtur a nivibus vel glaciebus illis perpetuis, quæ cum incipiunt liqueſcere, ut in Majo fit, aquæ earum per canales ſubterraneos eo defluunt, ibique ebulliunt, quum vero calor deficit ſole averſo, ut fit in fine æſtatis, fons iſte, ſuo curſu deſtituitur: promanat enim, cum ver eſt calidius, ſolito citius, &c.*

Narrat quoque *Munſter. Coſm. Lib. III.* Fontes Fabarianos apud Rhætos, vere aquas emittere, & autumno eaſdem ſiſtere, creſcere creſcentibus herbis, marceſcentibus vero paulatim deficere. Iſtis tamen adhuc mirabilior mihi videtur fons prope Aquileam (Aigle mandement ſub ditione Bernens.) in inferiori parte vineti, ad montis pedes, qui aquas ſuas ſatis copioſe, ſeptimo quoque anno tantum per aliquot ſeptimanas emittit, ut ipſe aliquando vidi; vocatur ab incolis, *la Tare*: miror autem neminem adhuc hunc fontem obſervaſſe.

Sunt etiam varii fontes frigidi, in Helvetia, ſalutares. *Apud Glaronenſes*, inquit Simler. Com. de Alp. *in monte Wepchio fons eſt frigidiſſimus, quem aqua ſolutarum nivium & glaciei in ſinum quendam collecta conficiunt, in hoc incolæ ſeſe contra varios morbos immergunt, idque tertio præ frigore namque diutius in aqua ſubſiſtere non poſſunt. Exiſtimant autem hujus balnei uſu aciem oculorum juvari, & auditum in ſenibus recuperari: Quidam vero in calidiſſimis febribus, & nonnunquam in dyſenteria aquam frigidiſſimam, eamque potiſſimum, quæ ex glacie veteri ſoluta defluit, abunde ad vomitum uſque bibunt, & ita ſæpenumero liberantur.*

In Viſpianorum, apud Valleſios, tractu, medicati quidam fontes aquæ frigidiſſimæ, ex duriſſimo ſaxo, tribus vel quatuor in locis proſiliunt, ex venis partim cupreis, partim aureis; ut colligit *Caſp. Collin.* Ventrem laxare, a materia quacunque interna purgare, oculos caligantes ob quamcunque cauſam ſanare, & alias membrorum partes reſtituere feruntur. Teſte eodem *Collin.* apud quem vide fuſius; ut & quæ habet de gelidiſſimo ac limpidiſſimo fonte a Sanct-Surgo, in jura monte ſub D. Bernenſium jurisdictione, qui inſignis, ac adverſus varios morbos utilis, hactenus habitus eſt.

Sunt & aquæ acidulæ apud Rhætos. 1. In Fridiſii vallicula in tertio Rhætorum fœdere: vocantur aquæ federicæ, vel fiderianæ, a pago Fideris ſupra Jenatium; celebres ſunt & tota Germania frequentatæ; cardiacis & ictericis aliisque internis morbis maxime conducunt; vide *Munſt. Lib. III. Sprech. Pall. Rhæt. Lib. IX.* Præcipue vero elegans *Jacobi Eckholdi Medici Pindavienſis* de illarum viribus ſcriptum. 2. Prope S. Mauritium vicum in ſecundo Rhætorum fœdere, etiam acidulæ ſunt, a Theophraſto Paracelſo ſummopere celebratæ. *Sprech. Pall. Rhætic. Lib. VII.* 3. Optimus acidularum fons apud Scolium in Rhætia extat teſte eodem *Sprech. Lib. VIII.* Habet quoque Helvetia fontes ſalſos. In ditione D. D. Bernenſium, apud Antuates, ſunt fontes ſalſi in monte ſupra Aquileam, in loco communiter dicto *Pane*, qui ex rupe marmorea proſilit, quia vero aqua dulcis ſalſæ miſcebatur, multis impenſis, per rupem arte concavatam conquiſitus eſt fons aquæ dulcis, ut a ſalſa ſepararetur, quod an obtentum bene fuerit, nondum audivi. Unus ex fontibus ſalſis periit jam ab aliquo tempore, quod ex illa aqua ſalſa reliquum eſt, per canales, ad vicum *Roche* dictum, & duabus horis a fonte diſtantem, partim ducitur, ob ligni in coquenda aqua ſalſa neceſſarii oportunitatem. Repertus fuit quoque alius ſalſus fons in montibus ſupra Bactiacum (Bex) ſed loco inoportuno, ob terræ ruinas. Viſitur etiam hodie in præfectura Sanenſi, in valle Eſtivenſi (vulgo Eſtivaz, Germ. Leſſy) fonticulus ſalſus, quo tamen nemo utitur.

Apud Rhætos non longe a Caſtro Taraſpo, ſalſum fontem, a *Conrado Geſnero* Medico, & *Johanne Fabritio* Montano, verſibus celebratum indicat *Sprech. Pall. Rhæt. Lib. VIII.* Apud Valleſianos, in conventu ſeu Deſeno Sedunenſi, Salſularum fons ante annos aliquot inventus fuerat, ut ait *Simler. Deſc. Vall. Lib. I.* Sed hodie negligitur, tum quod ſal illud non multum probetur, tum quod maximi, in ſeparanda aqua dulci, a ſalſa faciendi ſint ſumptus.

Sulphurei fontes in Helvetia ſunt varii. 1. In ditione D. D. Bernenſium, fonticulus quidam ſulphureus eſt in eadem valle Eſtivenſi, de qua modo ſermonem fecimus. Meminit *Collin.* fontis ſupra arcem

Nobilium de Blonay, in præfectura Viviacensi, albicantis, ac vehementer sulphur olentis, & adversus scabiem optimi. Apud Yverdunum fons olim celebris sulphureus cernebatur, sed temporum injuria, & hominum negligentia pene exolevit, ita ut pauca illius reperiantur vestigia; ajunt hodie, multos ibi esse serpentes.

2. In ditione Fryburgensium prope pagum, vulgo dictum *Chernay*, in montibus situm, satis magnus visitur fons sulphureus, in quo lignum immersum sulphure super inducitur, atque sic flammam edit & odorem sulphureum. Alios esse per Helvetiam sulphureos & frigidos fontes, non dubito, sed mihi nondum cogniti sunt. *Ad thermas* quod attinet, maxima ex parte sulphureæ sunt, quales Brygenses, Badenses, Alvanienses: de his & aliis, apud Helvetios eorumque fœderatos breviter agemus, prius aliquid de thermarum calore dicturi. *Aristoteles* thermarum calorem a fulmine provenire existimavit, sed vis fulminis pestifera, qua ratione thermis vim salutiferam posset conferre? *Bartholinus de aq.* Subterraneo igni adscribit.

Horstius de Nat. Therm. Nativo terræ calori, seu cuidam calido spiritui. *Sennertus scient. Nat. Lib. IV. Cap. X.* hoc fieri dicit a duabus aquis ad tactum frigidis in concursu ob spirituum repugnantiam incalescentibus; quod animadvertitur in oleo Tartari, & spiritu Vitrioli, item Tartari & aquæ fortis: quæ etsi ad tactum sint frigida, tamen si misceantur, incalescunt, & quidem ita, ut si repente aquæ forti, in qua ferrum solutum est, oleum Tartari infundatur, non solum ebulliat, sed & flammam mistura concipiat. Hæc postrema sententia multis arridet magis. In thermarum enumeratione ordinem regionum sequemur, ita ut nobis aliæ sint thermæ proprie Helveticæ, aliæ Rhæticæ, aliæ Vallesianæ.

Thermæ Badenses, non solum ob salutarem earum usum, sed ob loci amœnitatem & oportunitatem celebres sunt; ita dicuntur ab oppido hodie nominato *Baden* Germanice, quæ vox balneum sonat: oppidum illud amœno salubrium aquarum frequens dicit *Tacitus Hist. Lib. I.* Sunt autem thermæ infra oppidum prope pagum, qui ad illarum usum constructus fuit: ibi varii sunt fontes calidi, tum prope fl. Ursam, tum & in ipso fluvio: sulphuris multum, aluminis parum habent; harum thermarum descriptionem vide apud *Munster. Cosm. Lib. III.* Apud Tigurinos multum olim deferebatur utique Vulturino & Urdorffensi balneo, quorum illud Magnus Bullingerus ex usu haud obscure commendabat, ut habet *Cl. D. Hotting. Meth. Leg. Hist. Helv. p.* 242.

Apud Rhætos sunt etiam variæ thermæ. Primum inter eas tenent locum Fabarianæ, ita dictæ a Monasterio Fabario, aut apud fabarias (ut habet *Munster. Lib. III.* qui illas accurate satis descripsit) Germ. Pfavers. *Locus celebris factus est*, inquit Sprech. Pall. Rhæt. Lib. III. *propter saluberrimas thermas ibidem prope, in vasto ac deformi, horribilique aspectu antro, Friderici II. Imp. tempore, ab aucupe quodam (der Vogler) dicto, ex familia Alto-Balconorum nato, dum corvorum sylvestrium nidos indagaret, repertas.* Nullus in illis est odor ingratus, sulphur, aut nitrum redolens; procedunt siquidem ex venis auri & cupri teste *Munstero*. Has egregie descripsit *Theophrastus Paracelsus*, & postea carminibus illustrarunt, *Carolus Pascalis*. Galliarum Regis apud Rhætos Legatus, *Johannes Gulerus a Weineck*, Eques Auratus.

Thermæ Alvanienses, seu Alvonovanæ a vico Alvanio vel Alvinovo, *Alvenau*, in tertio Rhætorum fœdere, dictæ sunt; sulphureas, mulieribus, & febre diuturna laborantibus maxime conducentes esse testatur *Sprech. Pall. Rhæt. Lib. IX.* Apud Baidenum, in valle Leguntina, in primo Rhætorum fœdere sunt balnea pro febricitantibus admodum salubria. *Sprech. Lib. VII. Pall. Rhæt.* Non longe a pago Lacuprato (Seewyss) in Alpibus est locus dictus Cany balneis admodum salubris, fœminis præsertim sterilibus celebratus. *Sprech. Lib. IX.* In valle Telina saluberrimæ conspiciuntur thermæ, nomine S. Martini insignitæ; quæ podagricis præsertim, Ischiadicis, sterilibus mulieribus, aliisque frigidis morbis conducere existimantur: de quarum mirabili virtute, *Caspar Sermundus* Medicus & *Gulerus* fuse scripserunt.

In Vallesia thermæ sunt tum apud Leucenses, tum apud Brygianos. Leucenses seu Leucianæ a præcipuo hujus conventus pago *Leuca*, Leuck, denominantur, quamvis a Leuca duabus horis distent: sunt illæ in loco aditu difficili, rupibus arduis, & horrendis circundato: fontes quinque præcipui diversis locis scaturientes sunt, iique calidi, nullius odoris, per cupri & auri, cum aliqua calcis portione, mineras defluentes. Istarum thermarum vires & descriptionem ampliorem pete ex *Munster. Lib. III. & ex Collino.* Brygentes thermæ, a Bryga vico dictæ sunt, a quo tamen occidentem versus mille & quingentis passibus distant: harum aqua limpida & calida est, sulphur valde olens. Ex proximi montis ruina periisse ante aliquot annos, audiveram, an restitutæ fuerint, nescio. De his vide etiam supra dictos, *Munst. & Collin. & Simler. de Vall.* Est etiam in Veragris prope destructum oppidum Schellon aut Sallion, quidam fons tepidus, scabiem sanans. Referunt Historici, nigredinem contrahere, quidquid *Sibari* aspersum fuerit; & *Clitumnum* Umbriæ potum candidos boves facere: Certum apud Vallesianos, fontem esse, in conventu Vispiano, in valle Sas, in quem lapides conjecti rufo tingantur colore, hic fons tepidus est; terra quam suo delapsu attingit & conspergit, rufa fit; propterea Germanice ab incolis dicitur *der Rothbach. Collin.* In Alpibus Engadinorum fons est, qui quaqua fluit, omnia rubro inficit colore, terram, arenam, lapides, &c. hoc etiam mirus quod calculo laborantibus & leprosis mire prosit; a Paracelso commendatus. *Frey.*

De aquis utilibus & salutaribus diximus: Noxiis quoque non prorsus caret Helvetia. Nos hic, quæ *D. Hottinger. Meth. Leg. Hist. Helvet. pag.* 240. ex aliis authoribus habet, brevitatis ergo afferemus. Sunt aquæ, quarum potus, vel gutturosos, vel alio modo vitiosos reddit, præsertim in Vallesia, vide *Simler. Descr. Vall. Lib. I. & Dan. Eremit. in Descr. Helvet. p. m.* 499. Negat tamen aquæ vitium esse, quod & divitibus raro aquam bibentibus eveniat. Quasi non alio modo aqua nocere queat, quam potu? Verba authoris sunt: Sunt & in his vallium nonnullæ strumosæ dictæ, eo quod earum incolæ grandibus sub gutture strumis sint, aquarum id vitio fieri autumant, falsa ratione; cum & idem divitibus, aquam perraro bibentibus, eveniat: nugantur alii, implere pituita artus & inflare aquas venis metallorum infectas. Ego incertas rei causas, in medio relinquam: nisi quis & loci vitio adscripserit; cum eadem ratione naturæ, iisdem in locis sint & pagi, fatuis referti, nullo cibo humano, quidam & stercore & excrementis, alii fœno pascuntur: nudi etiam per hyemem incedunt: sono magis quam sermone utuntur, quippe qui a nullo mortalium intelligatur. Monstratur tamen & fons in agro Tigurino, paulo supra, qua Taurus

Rhenum ingreditur (Flaach vocatur; non Ilacah, ut est in notis *Dan. Erem. pag.* 530.) cujus aqua hausta, strumosos efficiat; & in Cicera valle amnis qui fatuos ac stolidos: Quarum rerum causæ in occulto latent, hæc *Hotting. Plinius Lib. XI. Cap. XXXVII.* Strumas vitio aquarum tribuit: Aquas autem illas venenatis quibusdam atomis repletas esse, ita ut quamvis limpidæ videantur non tamen magis puræ sint quam urina aut lixivium, probabile est.

CAPUT XI.

De Rheno.

IN genere aliquid de fontibus diximus. Nunc aliquid de fluviis dicendum. Sunt autem illi vel majores, vel minores. Majores vocamus, in quos alii rivi cum suorum nominum amissione influunt, inter hos *Rhenum* & *Rhodanum* censemus, quibus quoque *Arulam* adjungere liceret. De *Rheno* hoc capite. *Rhenus* a Græcis Scriptoribus, dictus est ῥῆνος, Latinis Rhenus & Rhenum in neutro genere, ut patet ex Horat. de arte Poët.

Aut flumen Rhenum, aut pluvius describitur arcus. Germanis dicitur *der Rhein* vel *Rhyn*. Gallis *le Rhin*. Batavis *de Ryn*. De hujus ortu varie loquuntur veteres Historici & Geographi: quidam generalius, specialius alii illum describunt. Tacitus Lib. de Germ. *Rhenus Rhæticarum Alpium inaccesso ac præcipiti vertice ortus, &c.* Dio Coccejanus Lib. XXXIX. *Rhenus ex Alpibus Celticis paulo extra Rhætiam oritur.* Generalius adhuc Mela Lib. III. Cap. II. *Rhenus ab Alpibus decidens, &c.* Cæsar Lib. I. bel. gal. *Rhenus oritur ex Lepontiis qui Alpes incolunt.* Strabo Lib. IV. *Apud Nantuates Rheni sunt fontes in Adula monte.* Marlianus; *Rhenus Germaniæ fluvius non longe a Danubii & Rhodani fontibus, & fere in medio eorum oritur ex Lepontiis.* Sed hæc sententia Marliana errore non vacat. Melius Guilliman. *Rhenus ex monte Adula, qui pars orientalis summarum Alpium, sive S. Gotthardi, est, oritur.* Patet ex Tacito atque Mela, priscos Romanos, unum tantum istius amnis fontem agnovisse: hodie tamen duo noscitantur ortus, duoque alvei, cognomento anterior & posterior (*Vorder Rhyn und Hinder Rhyn*) 43. m. p. separatim fluentes, ut ait *Willichius in Tacit.* Tres vero Rheni fontes statuit *Vigenereus in Cæsar.* post *Simler. Com. de Alp.* Rheni anterioris fons ex monte Crispalto: Rheni medii ex monte Lucumonio, ubi ex rupis cacumine *Cadelin* dicto nascitur amnis Erode, qui progrediens S. Barnabæ montem versus, exinde Rhenus medius dicitur: Rheni posterioris ex S. Bernardini monte, fontes oriuntur. Unde Cluver. eos errasse ait, qui *Virgilium* de his locutum credunt Aeneid. 8.

Extremique hominum Morini, Rhenusque bicornis. Tales sunt Rheni fontes. Medius cum anteriori miscetur infra Ilantium; anterior vero & posterior concurrunt infra Retzuns: Exinde Rhenus unico alveo continetur, donec lacum Brigantinum apropinquans bipartiatur: sic enim Vadianus in Mel. Lib. III. *Lacum Acronium gemino alveo ingreditur, quorum alterum vetusti Rheni cognomine, vocant accolæ, palustri effigie adeo tardum, ut quam in partem eat observes vix: alterum Rheni nomine plenis ripis, tanta vi, undas emittentem, ut candidus amnis fluxus, suum inter cæruleas lacus undas iter, in multam a littore distantiam retineat.* Notandum vero, quod Mela ait Lib. III. Cap. II. *Prope a capite duos lacus efficit Venetum & Acronium.* Dicit ille, *prope*, maxima est distantia a Rheni fontibus ad lacus influxum usque, sicut eam ad XC. m. p. refert *Cluver.* A fontibus autem suis ad anterioris & posterioris confluxum magis orientem versus respicit, postmodum ad septentrionem incurvatur, donec lacum Cellensem egressus, ad occidentem cursum dirigat, varias urbes alluens: ab urbe vero Basilea in septentrionem, quandoque in occidentem parum profluit; quo respexit Tacitus: *Modico flexu*, inquit ille, *in occidentem versus septentrionali Oceano miscetur*, & Dio Lib. XXXIX. *Versus occidentem profluens ad sinistram Galliam ejusque incolas, ad dextram Celtas dividit; tandemque in Oceanum exit.* Hoc vero de universo ejus cursu, aut maxima parte intelligendum esse vult *Cluver. Lib. II. Cap. XL.* Sic igitur Rhenus ad Lacum Constantiensem usque, Rhætos ab Helvetia; ab illo lacu Basileam usque Helvetios a Germanis dividit, quod & agnovit Cæsar. Sed de hoc fluvio plura differendi locum illis per quorum fines fertur, relinquemus: solum hoc annotabimus. Sicut hic fluvius tres fontes, unde oritur, ita tria ostia, ex quibus in mare influit, habet. Tria Rheni cornua testibus *Althamero in Tacit. & Glarean. in Cæsar.* a Germanis hodie nominantur, Wahalis vulg. *Wael*: Lecca, *Leck*: Isella, *Yssel*. Horum postremum olim non erat, unde Virgilio ignotum, qui Rhenum vocat tantum *bicornem*, sed a Druso adversus Germanos bellum gerente, ducta a Rheno ad mare fossa, effectum est, ut munimentum adversus Barbarorum incursus, esset. Hic fluvius inter maximos a Veteribus habitus est. Herodianus Lib. VI. *Hi maximi amnium sub septentrione feruntur Rhenus ac Danubius.* Cæsar *latissimum atque altissimum* dicit. Lib. I. bel. gal. *Latum* quoque agnoscit Poeta Bartholinus:

Obtulit & lato vicina colonia Rheno.

Verum quidem Rhenum a sua origine modicum esse; interim quo magis progreditur ulterius, eo multis rivis undique concurrentibus, ac liquatis nivibus adjutus magis augetur, quousque lacum ingrediatur Acronium, ut loquitur in Melam Olivarius. Sic de hoc Vadianus in Exp. Mel. *Constat experientia Rhenum a fontibus, sole juxta cancri tropicum obversante, propter Rhæticarum Alpium liquefactas nives, & antecedente hyemis ratione, plus minusve crescere, noxia plerumque accolis undarum vi longe lateque intumescente*, maxime ubi imbrium ubertas effluvium auxerit. De Rheno *Mantuanus.*

Ut Rhenus cursu violentus & unda, &c.

Conradus Celtes Germ. eum vocat impigrum, item rapidum.

- - - Rapidus gelato flumine Rhenus.

Quamvis autem magnus & rapidus sit, tamen sæviente frigore congelatur, teste *Herodiano* Lib. VI. ubi de Rheno & Danubio loquens sic ait. *Aestate quidem navigabiles sunt, altissimo latissimoque alveo: per hyemem concreti gelu, camporum in morem perequitantur, est autem adeo alvei solida glacies, &c.* Propterea *Ausonius* gelidum vocat.

Bissula trans gelidum stirpe & lare prosata Rhenum.
Sic *Lucanus* Lib. II.

- - - Rheni gelidis quod fugit ab undis.

Priscianus glacialem nominat; & *Lucan.* Lib. I. Spumantem dicit:

Fregit & Arctoo spumantem vertice Rhenum.

Hoc maxime contingit quibusdam in locis, ubi aqua per rupes & cataractas præcipitatur. Ad Rheni cataractas multi obstupescunt, cum vident ingentem fluvium immani fragore ex alto scopulo præcipitari, ita

ita ut vicina loca late aspergat, & nebulam quodammodo ripæ offundat. *Simler. Com. de Alp.* De Rheni infra Scaphusium cataractis vid. *Munst. Lib. III.* Audiendus Frey Cap. II. Adm. Gall. *Rhenus fluvius profundissimus, & mirus geminis cataractis, dum plurimis auctus aquis, lacumque impermistis undis emensus, in subjectos ex altis rupibus scopulos tanto fremitu præceps devolvitur, ut nocte, ventis nubibusque libera, ad quatuor leucas exaudiatur: & quod idem flumen clementius fit ripa Gallica, periculosius vero turbulentiusque Germanica.*

De Rheno hoc mirabile narratur, nempe quod hic fluvius Celtarum infantes, intra sinum suum conjectos, si polluta matris pudicitia suscepti essent, tanquam impuri lecti vindex rapidis vorticibus suffocare consuesceret, quos autem legitimo & impolluto matrimonio natos sensisset, in portum placidis aquis deferret; referente Juliano in Epist. ad Maximum, & post hunc *Nazianzeno* hoc versu:

Celtæ quidem explorant prolem Rheni fluentis.

Videre quoque hoc est, ex quodam epigrammate Græco, ubi inter alia hoc dicitur; *ipse scuto imposuit novum puerum.* Sic *Claudianus* in Ruffinum. Lib. III.

Et quos nascentes explorat gurgite Rhenus.

Idem quoque testantur *Nonnus* Lib. XXIII. & XLVI. *Theophilactus*, & *Eustathius* in Dionys. Alex. Sed cum vox Celtæ generaliter Gallos, Germanosque designet, quæritur, de quibus hoc intelligendum? I. Non de Germanis intelligendum esse credit *Cluver.* quod Tacitus, exactus Germanicorum morum descriptor, istius rei non meminerit. II. Hoc de Gallis accipiendum conjecturæ ex authoribus excerptæ magis probant, imo de Helvetiis & Sequanis. Helvetios ut & alios, suos liberos in Rhenum immersisse ad eos indurandos, ut suo loco dicemus, ex *Strabone* & *Galeno* patet, sed ad discernendos a legitimis spurios, non ita certum, cum *Julianus* non dicat se hoc vidisse, sed audivisse. Nos cum *Cluverio* figmentum esse veremur. Si quis super hoc argumento plura quærat, videat *Cluver.* Lib. I. Cap. XXI. item *Vadianum* in Mel. Lib. III. Qui etiam hujus rei ante Cluver. mentionem fecit. De Salmonibus Rheni sic *Frey*, Cap. VII. *Salmones fluviatiles licet in Gallia multi, maxime tamen in Rheno proveniunt, non ut vulgus arbitratur, quod in mari nati adversum flumen petant, sed postquam in Rheno, jam biennes mare petunt, & felle carent; at postquam mari ita sunt satiati, saginatique, ut libras aliquando vel 20. pendere accolæ Rheni noverint, Rhenum repetunt, & cum cataractas superare nequeant, ingenti multitudine capiuntur.* Atque hæc de Rheno Germanico, quem ita nominamus ad differentiam alius Rheni a *Paul. Merula* Par. II. Lib. IV. Cap. XI. Parvi nominati, & in Apennino infra Pistorium nati, ut notat *Leander.*

CAPUT XII.

De Rhodano.

RHodanus, *ῥοδανὸς*, antiquioribus Græcis dicitur is amnis, qui in Vistulam apud Gedanium oppidum defluens, vulgo dicitur *Reddaune*, vel *Reddune*, unde maxima apud illos horum trium fluviorum, *Rhodani*, *Eridani*, seu *Padi*, atque *Vistulæ* confusio referente *Cluver. Lib. III. Cap. XLIX.* *Merula* fluvium Eridanum nominasse *Oppianum* in Halieut. Lib. IV. & *Philostratum* in vitis Sophist. memorat. *Plinius* Lib. III. Cap. IV. ab Rhoda, Rhodiorum in illo tractu colonia nomen impositum scribit. Sic D. *Hieronymus* in Ep. ad Gal. de Lugduno. *Oppidum Rhodam coloni Rhodiorum locaverunt, unde omnis Rhodani coloni Rhodiorum locaverunt, unde omnis Rhodanus nomen accepit*, in hac sententia sunt *Volater.* Lib. III. & *Sabellic.* Enn. V. Lib. I. *Nomen fluvio*, inquit, *dedit Rhoda oppidum in Narbonensi Gallia, a Rhodiis conditum.* Sed hoc obscurum satis: potius Rhodanus a rodendo, dicendus esset, quod ripas suas rodat. *Munst. Lib. III. Cos.* unde etiam sæpe sine aspiratione scribitur, dicitur quandoque Rhodanum in genere neutro. De istius fluvii fontibus varie scriptores. Mela Lib. II. Cap. V. *Rhodanus non longe ab Istri, Rhenique fontibus surgit*; idem in Hannib. vita scribit *Plutarch.* Marcellin. Lib. XV. *A Peninis Alpibus effusiore copia fontium Rhodanus fluens, & proclivi impetu ad planiora digrediens, proprio agmine ripas occultat*, videatur & *Plinius* Lib. III. Cap. IV. Item *Strabo* Lib. IV. *Rhodanus ab Alpibus magnus, magno defluit impetu.* *Polybius* eum tribus fontibus oriri supra intimum maris Adriatici recessum, mox Lemano lacu excipi; dicit, teste *Sabell. Enn.* V. Lib. I. *Marlianus & Merula*, illius ortum constituunt, non longe a Danubii, Rheni, Arolæ, Ticini, &c. Fontibus, circa fines diœcesis Sedunensis, prope montem, cui nunc *Briga* nomen est, sed non ita accurate: melius *Munsterus*, *Stumpfius* & *Vigenereus*, illius fontes in monte Furcæ collocant.

Sed ut aliquid specialius super hac re dicamus; notandum varios esse fontes, unde Rhodanus oriatur, inter quos maxime conspiciuntur tres in extremis Vallesianorum finibus, in conventu Gomesiano: a sua origine procedens, occidentem versus fertur, atque totam Vallesiam irrigat, donec variis rivis auctus, paludi sese ingurgitet nomine Lemano, ut loquitur *Marcellinus.* Quidam ex liquatis nivibus originem habere dixerunt cum *Silio:*

Aggeribus caput Alpinis & rupe nivali
Proflit.

Vallesiani tamen limpidissimum in meridionali loco e terra scaturientem fontem, pro vera Rhodani origine demonstrant, vide Simler. Descr. Valles. Lib. I. fuse.

Porro audiendus est Ausonius qui de Rhodano sic loquitur.

Qua rapitur præceps Rhodanus genitore Lemanno,
Interiusque premunt Aquitanica rura Gebennæ.

Sed decipitur bonus ille Poeta, nisi valeant Merulæ excusationes. *Sic loquitur Ausonius*, inquit Merula Par. II. Lib. III. Cap. X. *non quod Rhodanum generet lacus, sed quod Rhodanus lacu egressus fiat quasi auctior, ejusque aliquantam auferat cum suis aquarum vim, ut tumidior pleniorque procedat.* Pomponius Mela Lib. III. Cap. III. Germaniæ fluvium videtur agnoscere, forte quod, ut ait Merula, fons illius apud Germanos, potius quam Gallos sit. *Idem tamen Lib. II. Cap. V.* disertis verbis inter Galliæ flumina describit; unde putant quidam priore loco, apud Melam, Rhenum pro Rhodano reponendum. *Plinius* Lib. III. Cap. IV. Galliæ Narbonensis fluvium facit. *Sidonius Apollinaris* inter Galliæ flumina collocat. Sic quoque *Tibullus* Lib. I. eclog. 7.

Testis Arar, Rhodanusque celer, magnusque Garumna.

Nos originaliter Helvetiæ fluvium asserimus, imo & illius ad Lemanum lacum usque progressus respectu, a quo Gallis eum relinquimus; unde Mela: *Amnium in alias gentes excuntium Danubius & Rhodanus.* Varro unum

unum ex tribus maximis Europæ fluminibus esse arbitratur. *Volaterr. Lib. III.* omnium Galliæ maximum nominat; *Marcellin.* maximi nominis flumen. In summis caloribus mirum in modum, ex liquefactis Alpium nivibus augetur, ita ut multa terris damna inferat: fertur impetuose, imo furere videtur, unde non frustra *Silius* vocat.

- - - *Rodanumque furentem.*

& Lib. III. sic canit

- - - *Tumidique minaces*
Accedit Rhodani festino milite ripas.

Tibullus, *celerem*, Volateranus *rapidissimum*, Munsterus *impetuosum*, dicunt. Faustus vero sic loquitur:

Raucisono Rhodanus fluit agmine praeceps.

Solinus Cap. VIII. *Amnis præcipitatus Alpibus primo per Helvetios ruit, occursantium aquarum agmina secum trahens.* Rhodanum fluviorum Galliæ fertilissimum ex Plinio vocat Simler. Desc. Vall. Lib. I. Alit enim, inter alios pisces, maximas Truttas. De hoc fluvio, apud veteres narratur mirabile. *Mel.* Lib. III. Cap. V. *Rhodanus Lemano lacu acceptus tenet impetum, seque per medium integer agens, quantus venit egreditur.* Marcell. Lib. XV. *Paludi sese ingurgitat nomine Lemano, eamque intermeans, nusquam aquis miscetur externis.* Idem quoque asserit Plinius Lib. II. Cap. CIII. Id se vidisse testatur Merula Par. II. Lib. III. Cap. IX. ubi ita loquitur. *Lacum Lemanum apud pagum Novam Villam (Neville) ingressus, servato fere colore (quem ipse qui lacum sæpissime navigavi, & familiarissime etiam cum periculo meo novi, viridiorem animadverti, aquam autem fluvii limpidam pellucidamque: cum quæ erat ipsius lacus crassior esset, & a terrena fece impurior) permeat.*

CAPUT XIII.

De reliquis Helvetiæ fluviis.

ATque de duobus maximis Helvetiæ fluminibus actum; de minoribus agendum: hi omnes vel immediate vel mediate in illos diffunduntur. Inter quos præcipui nominis est *Arola*, vel *Arula*, Germanis *Aar*, vel *Are*; tum quod longum habeat cursum, tum etiam, quod infinitos ferme rivos cum illorum nominibus absorbeat; & diversas Helvetiæ oras irriget: unde etiam regio ipsa, multaque oppida nomen trahunt, veluti *Argovia*, *Arberg*, *Arwangen*, *Arburg*, *Aarau*, *&c.* Ejus origo secundum quosdam est in monte Grimsel, a S. Gotthardo non longe dissito, supra locum dictum *Spital*, in summa valle Haslensi (vulgo *Haslilandt*) ubi post aliquod intervallum duo laculi in Arulam influunt. Alii ejus fontem, in montibus, ad vallis Frutingensis orientem sitis quærunt, & quidem ad radices montis vocati *Schrekhorn*. Recipit autem diversos rivulos in valle Haslensi, quam præterfluit Arula: postmodum lacubus Brientzensi (*Brientzersee*) & Thunensi (*Thunersee*) effluens, alios fluvios iterum recipit; præcipuorum quorundam mentionem faciemus. *Kandel* (ut est in tabulis Geogr.) vel *Kander* (ut vulgo nuncupatur) ortus ex montibus, thermis Leucensibus, vicinis Frutingensem vallem alluit: cum hoc fluvio confluunt, servato tamen suo nomine, *Engstlen*, infra Frutingen; & *Simmen*, vallem vulgo dictam Simnenthal, vel Sibenthal, infra Wimmis: tandem hi omnes fluvii Arulæ immiscentur infra oppidum Thun. Recipit quoque Arula fluvium *Girben* supra Bernam: postea fluvium *Sanam* (ita dictum, quia Sanensem vallem, Sanerthal, præterlabitur, & in illius montibus oritur) supra Arberg, in quem prius influxit fluvius *Sensa*, vulgo *die Sensen*, infra Laupen: Deinde fl. Thelam, Gall. La Thiele vel La Teile: Germ. *die Zil*) per quem lacus Ebrodunensis, Muratensis & Nidoviensis in Arolam se exonerant, apud Meyenried, supra oppidum Büren. *D. Gaudard.*

Emma aut Amma, major (ad minoris differentiam, quæ apud Entlibuochanos orta, infra Lucernam se in Ursam exonerat) oritur in superiori Emmenthal, supra Tschangnaw in montibus lacui Brientzensi vicinis, Habcheren versus, per medium Argoviæ superioris fluit & infra Solodurum Arolam influit. Sabuli auri ferax est, teste *Simlero Com. de Alp.* idque maxime ubi rivus χρυσοφόρος vulgo *Goldbach* ei se miscet supra oppidum Burgdorf, annotante *D. Gaudardo.*

Inde etiam a dextra recipit rivos, *Oentz*, *Langenthal*, *Root*, *Pfaffferen*, *& Wiger*, qui supra Willisaw ortus, Zoffingam alluit, & supra Aarburg, Arolam intrat: ubi fere ab altera parte, paulo inferius etiam fl. *Dinneren* in monte Jura ortus, se Arolæ miscet. Mox fl. *Sur*, supra lacum ejusdem nominis (vulgo Sursee, vel Sempachersee) ortus, recepto prius ad dextram fl. *Wünen*, infra Aroviam (*Aarau*) fere e regione castri Biberstein, etiam in Arolam se præcipitat. Huic mox succedit fl. *Aa*, qui supra Baldeck in Sempachianis montibus, Lucernam versus, ortus, duobusque lacubus, Ruchensi & Hallwylensi (Ruchensee & Hallwyllersee) egressus, & Lentzburgum prætérlapsus, recepto prius etiam ad dextram fl. *Bintz*, supra Wildeck in Arolam influit. *D. Gaudard.*

Ursa, aut etiam *Russa*, Germ. Rüss. oritur ex palude vel parvulo lacu, qui est in valle pervia, inter duo suprema S. Gotthardi juga, (*ut observavit idem D. Gaudard*) unde septentrionem versus effluit, ac per Uranios cursum suum dirigit, donec lacum Lucernensem vel Sylvaniensem (vulg. *der Lucernersee*, vel *der Vier Waldstätten See*) ingrediatur. *Simlero MSC.* dictus videtur hic fluvius, ab Ursariis populis (ubi Urseren ad radices fere S. Gotthardi) qui pro insignibus habent ursum; unde vulgus per metathesin literæ *Russam* vocat. Egressus ex lacu Lucernensi & in sinum suum receptis fluviis *Emma minore* infra Lucernam, & rivo Tugiensi infra Meyenbergam, tandem se infra oppidum *Bruck* in Arulam dat præcipitem. Testatur *Simlerus* Ursam aurum ferre, unde Lucernates multi studiose auri ramenta colligunt, maxime quando imbribus aut nivibus solutis vicina prata inundat, tum enim sabuli auri ramentis deferre solet.

Limmagus, vel *Limagus*, vel *Lindemagus* & *Lindemacus*, ut ex veteribus actis refert Guillim. in Habsp. Otthoni Frisigensi Lemanus, sed vitiose, Germ. *Limmath*, *Limet*, & *Limat*. In Glaronensium territorio oritur, lacum Wesenium præterfluit, postmodum etiam Tigurinum, ex quo effluens Tigurum bipartitur, Badam alluit, & tandem etiam in Arulam diffunditur. Sed hæc dicta sufficiant de amnibus notatu dignioribus in Arulam influentibus; sunt quidem alii maximo numero rivi & fluvioli, de quibus omnibus loqui operosum nimis, imo tædiosum esset: de illis in peculiari locorum descriptione, si Deus dederit.

Thaurus, aut *Durus*, Germ. Thur aut Dur originem habet in montibus Werdembergensibus, aut in Toggiis, supra pagum qui sylvestris domus nominatur, & Zuinglii patria fuit. A fonte septentrionem versus decurrit, Turgoviam, cui forte nomen dedit, irrigat: a Finibus (Pfin) in occidentem curvatur, donec ad Schellembergam in Rhenum influat. Recipit

quoque

quoque Thaurus plurimos amnes de quibus nunc aliquid dicere non multum juvat.

Tosa Germ. Toss. (non eum hic intelligimus, qui ex Sempronio ortus Italiam versus decurrit latine Athiosa) in Glaronensium confinibus nascitur, in monte qui a cornu apud Germanos nomen invenit, Hörnli. Comitatum Kyburgiensem præterfluit, rivum, *Eilach*, Vitodurum alluens recipit, tandem inter Rynsbergam & Eglisovium Rheno miscetur.

Apud Rauracos & eorum vicinos, quidam etiam amnes conspiciuntur, inter quos sunt: *Byrsa* amnis in monte jura ortus & multas valles præterlapsus, rates variique generis & usus ligna secum Basileam magnam usque trahit: ducta ibi fossa est ad molendinorum usum *Mercator in suo Alt. Min. Munst. Lib. III.* *Wiesa* alius fluvius, Byrsa quidem minor, interim magis parvæ Basileæ opportunus, piscationi, varii generis molendinis, & adducendis ad ædificia lignis commodus, ab Hercinia sylva profluit. *Munst. Lib. III.* Meminit quoque *Simler*. MSC. cujusdam fluvioli, quem nominat *Ergentz*, a quo (ut ait) putant quidam Rauracos dictos, pagum Arragove, ut ex literis Arnulphi Imperatoris, quæ in S. Galli cœnobio asservantur, videre est.

Fluvios, quos Rhodanus capit in Vallesia (potius rivos & torrentes nominare licet) quod attinet, de illis pauca habemus dicenda nunc, eos ad peculiarem Vallesiæ descriptionem referre juvat. Hic pro fine annotabimus aliquid de fluvio aut potius torrente, qui infra, & prope Genevam Rhodano miscetur; vocatur *Arua*, (non Arna, ut vult Frey Cap. IX.) is tanto sæpe aquarum impetu fertur, ut Rhodani cursum impediat, & ad lacum regredi cogatur, unde fit, ut Pistrina Genevensia, inter lacum & Aruæ confluentum, contrario motu moveantur ac molant: quod ad An. M D LXXII. observatum est a *Casaubono ad Lib. IV. Geog. Strabon. & a Thuano Lib. XLVII.* De Rhætiæ nobilioribus fluviis alibi, data occasione, agemus.

CAPUT XIV.

De Duobus Majoribus Helvetiæ Lacubus.

Sequuntur nunc *Lacus*, quibus Helvetia abundat. Sunt autem illi vel majores ut *Lemanus & Brigantinus*, vel minores, de quibus capite sequenti: de duobus illis vero hoc capite.

In duobus Helvetiæ extremis positi sunt tota Europa celebres illi duo lacus, *Lemanus* a Sabaudia, Brigantinus a Suevia, Helvetiam dirimentes. Primas vero tenet Lacus *Lemanus*, quod omnium Europæ lacuum navigationis patientissimus, & maximus sit: sicut enim lacus grandes Hebræis maria dicebantur, ut ex Evangelio videre est; *Salmas. in Solin. pag.* 614. (Annotat *D. Gaudard.* hoc adhuc in Germania inferiori, & apud omnes septentrionales in usu esse; quod enim Helvetii & omnes Germani superiores, *See*, id est, lacum nominant, illi *Meer*, mare dicunt, & contra): Ita enim Lemanus accolis quibusdam mare audit, & sane sæpe maris instar sævit, ut ait *Merul.* Par. II. Lib. III. Cap. XLIII. Hic lacus jam antiquissimis temporibus *Lemanus* ab Authoribus vocatus fuit: vetustissimi variorum authorum codices, N, in Lemano geminant, quod maxime apud Poetas locum habet. Extant adhuc hodie ab utraque lacus ripa duo vici illius nominis vestigia retinentes. *Strabo Lib. IV.* vocat lacum magnum ex quo exit Rhodanus, item πιλαμένα λίμνη, ut est in *Casaubon*. codice, vel in manusc. τῆ λαμένα, & alio ejusdem libri loco λιμένναν. *Nonus Pintianus Cast. in Mel.* refert apud Strabonem vocatum *Limennam*, & apud Ptolomeum *Limene*, λιμένη. Unde vero *Lemani* nomen fluxerit, non omnium eadem est sententia. Fingunt Vaudi chronica quendam regem nominatum *Lemanum* Paradis filium fuisse, qui lacum & vicinam regionem de se nominaverit. Dicunt alii Lemanum Alemannorum patrem fuisse: *Munster*. de hoc Lemano ejusdem gestis, ex quibusdam antiquis Maneti Ægyptii & Pierronii authoris Græci loquitur. *Bergeronus in sum. temp.* refert tempore Ehud circa annum mundi MM DC XII. in Gallia *Lemanum* regnasse, a quo lacui nomen inditum. *Albertus* ab Alemannis Lemanum lacum vocare voluit, referente *Vadiano in Mel. p.* 172. sed fallitur, cum Lemanum, Constantiensem esse putaverit, per quem Rhenus fluat, ut ostendit idem *Vadianus* in quadam ad Rudolph. Agricol. Epist. Forsan *Lemani* vocabulum, a Græco λίμνη, corruptum fuerit, unde hic lacus ita per excellentiam vocatus sit; alii vero tantum paludes; sic *Strabo*, uti diximus, vocat λίμνην μεγάλην. *Antoninus in Itinerario* eum nominat *Lausonium*; in quibusdam exemplaribus est *Lausinius*; in tabula Peutingeriana, legit *Merula*, lacui supra scriptum, locum *Losonne*, inscriptum vero, lacus *Losanete* vitiose, nisi sic Theodosii Imperatoris ævum enuntiarit. Hodie ab oppidis ripæ adsitis denominatur; pars quidem orientalior, communiter dicitur *Lac de Lausane*, *lacus Lausanensis*, sive *Lauxanæ*, ut scribit Sabellic. Enn. VI. Lib. V. sed non ita bene: pars occidentalior, lacus Genevensis, Germanis modo *Genffersee*, modo *Lausanersee* dicitur. Istius lacus latera oppidis aliquot utrimque vestiuntur, quorum tamen nobiliora sunt, quæ ad septentrionalem ripam sedent, prima inter ea sibi vindicante Lausanna.

Maxima Geographorum pars hunc lacum in Gallia collocant, sic eum describit Sulpitius. *Lacus est Galliæ Cisalpinæ, per quem Rhodanus Ararim deferens rapitur, is Helvetios a Gallia separat, suisque accolis Lemanorum indidit nomen.* Mela Lib. II. Cap. V. Galliam in duas partes per lacum Lemanum dividit. Ejus longitudo litoralis, qua Helvetios respicit, est sedecim horarum, aut juxta *Turquetum* tantum quindecim; latitudo ejus maxima est trium imo quatuor leucarum; sive, ut ait *Cognetus in* Epist. Ortel. longitudo ejus ad octo milliaria Germanica, aut paulo amplius protenditur, latitudo ad tria fere accedit. *Munst. Lib. III.*

Habet hic lacus varia promontoria & diversos portus, item & hoc notatu dignum, quod in extremis caloribus extraordinarie tumeat & augeatur, cum alii decrescant, crescunt vero per pluviosas hyemes & liquefactas nives. Vulgus lacui Lemano hoc contingere credit, quia herba quædam, accolis, *herba lacus*, dicta (species est musci marini) tum temporis frequens in lacus fundo generetur, aut quia Rhodanus in extraordinariis caloribus, ob liquefactas in summis Alpibus nives, mirum in modum excrescat; sed hæ non sunt sufficientes causæ; nec enim semper ob herbæ illius copiam, aut ob aquarum Rhodani abundantiam tumet lacus: crediderim potius, maris instar, caloris solaris vi, illius aquas tumere, & quasi ad ebullientis ollæ similitudinem infervescere.

Hoc etiam huic lacui est proprium, quod flante nullo in superficie vento, facile idque admodum turbetur, sæpe non sine navigantium periculo, ab aliquo interiore

interiore vento, in imo (ut ferunt) lacus fundo latente, & accolis *la Vaudaise*, aut *Vaudaire* nominato, motus. *Frey. Cap. IX. Adm. Gal.* de hoc lacu sic loquitur. *Lacus Lemanus his præsertim quatuor mirandus: quod maximus Galliarum, quod ventis ex ipso fundo assurgentibus attollatur, sereno alias & quieto cœlo: quod, ut Gregorii verba sunt, pisces Truttas centum librarum ferat: & quod Germanis quos jam Alemannos vocamus, nomen dederit, ut visum multis.*

Notandum autem quod de eo scribit Cæsar Lib. I. *A Lacu Lemano qui in flumen Rhodanum influit, ad montem juram, &c.* An verum illud? inquit Merula; *Res ipsa sequius loquitur, Rhodanus lacum influit, non lacus Rhodanum, authorem non capio, nisi legatur, unica mutata litera*, quem, *pro*, qui in, *flumen Rhodanum influit. Turbavit vox Rhodanum eos qui non intellexerunt etiam dici Rhodanum in genere neutro; sicut flumen Rhenum apud alios, & similia, ut a Criticis satis est probatum.* Hanc non enervat conjecturam *Ausonius*, qui in Narbonis elogio *Lemanum* Rhodani genitorem appellat, quod qua ratione intelligendum sit, supra capite XII. ostendimus. De hoc lacu Poëtæ. *Lucan. Lib. I. Bel. Phars.*

Deseruere cavo tentoria fixa Lemanno.

Dicitur cavus, vel ob ripas, quibus inclusus jacet, utrinque eminentiores; vel ob diversas voragines, aut gurgites; tanta enim quibusdam in locis est profunditas, ut comperiri quingentis orgiis a nautis non potuerit. *Mantuanus* modo liquidum, modo gelidum vocat.

Agmine in extremo liquidi gens dura Lemanni.

Item:

Huc veniunt gelidi quos nominat unda Lemanni.

Quare vero eum gelidum nominet, nescio, nunquam enim congelatur, quamvis Mercator congelari raro dicat, præsupponens, aliquando hoc fieri: quin contra, quo magis frigescit, eo magis instar fumi vapores exhalat. *Bartholinus* de hoc lacu quoque canit.

Ostrifero madidum caput occultare Lemanno.

Utrum vero legendum sit ostrifero, an œstrifero nihil refert, cum utrumque verum sit, & ostreas, id est, conchas fert, & œstros, id est, Tabanos, maximo numero in æstate habet, qui circumagentibus sæpe molesti sunt.

ALTER lacus Lemanum magnitudine æquiparans, is est quem Plinius, Solinus & alii *Brigantinum* aut *Brigantium* appellant, ab antiquo oppido Brigantio; ubi prætereunda non videtur *Bodini* conjectura, qua credit latrones, Gallis, *Brigands*, nomen a populis circa *lacum Brigantium* incolentibus accepisse; testatur siquidem Strabo illos latrociniis fuisse deditos, *Ammianus & Mela* hunc vocant, *Acronium*, aut *Acromum*, alii *Potamicum*, *Venetum*, *&c.* Circa hæc varia nomina *Vadiani* judicium audiamus in Epist. ad Rudolph. Agricol. ubi sic ille. *Volaterranus Acromum lacum Bodinæ, vocabulo non sane feliciter excogitato nominat; sed melius Podinicum aut Podamicum, der Podmersee, ab antiqua familia Nobilium de Podmen, quorum nomen adhuc durat, dicitur. Valafridus vocat Potamicum, a ποταμὸς, quod fluviis augeatur, &c. Nisi quis Bodicum, seu Botigum dicere malit, hoc est, fundo carentem.* Credidit etiam Vadianus apud Melam legendum potius *Acronium*, quam *Acromum*, qua voce indicari possit, lacum hunc nunquam gelu obdurari; Græci enim Oceanum glaciale *cronium*, id est, Saturninum & frigidum, tardumque appellarunt, authoribus inter alios *Ptolemeo, & Plinio Lib. IV. Cap. XIII.* Quoniam vero hic lacus quasi in duos dividitur, ita eum distingunt eruditi, ut *Venetus* (a calore marino, qui cæruleus est, ita dictus, ut pluribus refert *Vadianus*, vel a populis Venetis, ut vult *Munster.*) is sit qui nunc *Constantiensis*, ab urbe Constantia, & *Podamicus* ab oppido Podmen, vulgo vocabulo detorto, *der Bodensee*, nominatur. *Acronius* vero is sit, quem Inferum appellant, vulgo *der Undersee* & *Cellersee*, id est, lacus *Cellensis*, ab oppido Cella; atque hæc est *Vadiani & Cluverii Lib. II. Cap. XL. Germ. Ant.* sententia; quæ præferenda illi, in qua est *Olivarius in Melam*, *Munster. Lib. III.* contrarium enim sentiunt, dum Venetum, inferiorem & Cellarium superiorem esse censent.

Non convenit inter omnes de longitudine & latitudine. *Hic lacus*, inquit Strabo, *in ambitu habet stadia amplius CCC. trajectum vero prope CC.* Ammianus Lib. XV. eum fuse satis describit, & pene tam latum esse, quam longum, ait; sed decipitur Ammianus, *Vadiani* judicio: constat enim XII. m. p. ubi latissimus est, non excedere, cum longitudinem habeat passuum non minus XXIV. mil. Dicit quoque *Cluver.* Strabonem & Marcellinum erraffe, quod quædam adjectæ sint paludes, & summa ejus longitudo sit XL. m. p. latitudo maxima VI. m. p. *Munst. Lib. III.* illius longitudinem extendit ad sex aut septem milliaria Germanica; latitudinem ad duo, & alicubi ad tria. *Mercator* longum facit XXIV. milliar. latum vero XII.

Asserit etiam *Vadianus* in Mel. Lib. III. Falsissimum esse, hunc lacum aquæ limosæ esse, cujus colluvie Rheni undæ nec tardentur, nec inquinentur, ut refert *Marcellin.* & Rhenum suas aquas non miscere, sicut cum eodem Marcel. credunt nonnulli. Puram & limpidam illius lacus aquam esse refert *Munster.* Lib. III. Est autem hic lacus amœnus, amœna quoque circumvicina regio, & urbes ac arces frequentes ad ripas sitæ; omnia circa illum vinetis, pomariisque cultissima, paucis in locis mollior littorum planities scirpo & arundine sterilis est. *Gallus*, inquit Frey. Cap. II. Adm. Gal. I. *Finit lacus Brigantinus, hoc mirum, quod quemadmodum aliquæ singulis annis cœlum mutant aves; ita hic pisces innumero numero cœlum ne dicam, an aquam? mutent.* Habet hic lacus quasdam insulas; prima ea est, ubi sita urbs Lindavium *Lindaw*, ad orientem Arbonæ, qua pro receptaculo Tiberius cum Vindelicis navali certans pugna, usus est: videatur *Strabo Lib. VII. & Guillim.* pag. 149. Altera locum habet vulgo dictum Maynou. Tertia est in lacu Cellensi, ubi visitur Abbatia, Richenovium nominata. *De his Munst. Lib. III. fuse.*

Marcellinus hos duos lacus suo more paludes nominat, sed non ita accurate: a physicis enim definitur lacus, aqua stagnans & perpetuo durans: palus vero, aqua stagnans perpetuitate carens: differt palus a lacu, sicut torrens a fluvio.

CAPUT XV.

De reliquis minoribus Helvetiæ lacubus.

DE duobus majoribus Helvetiæ lacubus verba fecimus: jam alii his minores sequuntur: in quorum descriptione naturæ ordinem sequemur.

Lacus Neocomensis, Germ. *Newenburgersee*, ita dictus est a Neocomo, aut Novicastro, præcipuo, circa hujus lacus littora, oppido. Initium sumit prope Yverdunum oppidum, a quo etiam quandoque denominatur *lacus Yverdunensis*, le Lac d'Yerdun. Ejus longitudo

 constat

constat quinque Leucis Germanicis, latitudo maxima una & semi. Influit post aliquod intervallum hic lacus per fluvium Telam *in lacum Biellensem*, *Biellersee*, ita denominatum ab oppido Bienna, *Biel*, non ita tamen proxime ad lacus exitum sedente; hic lacus amœnus est piscosusque, cujus littora vitibus consita sunt; Neocomensi minor: vocatur etiam Nidoviensis, a castro Nidaw ad Telæ ex hoc lacu effluxum, jacente, ad quod, ut monet *D. Herman*. hujus lacus jurisdictio pertinet, excepta tantum illa, quæ Biennam versus respicit, extremitate. In quibusdam veteribus Actis dicitur lacus *de Nerol*, *Neurol*, *vel Nerol*, *item Nuiruil* a certo quodam loco supra villam novam sito, sed jam antiquato, ut refert idem *D. Herman*. In medio fere lacus, quædam jacent insulæ, major vocatur *S. Petri*, & satis patet, amœna est, sylvam, vineas aliquas & prata continens: minores reliquæ parvi sunt momenti, cum sæpissime aquis submergantur. Rigente frigore sæpe congelatur. Famosus est ob uberem piscationem piscinum vulgo dictorum *Hewrling. vide Munst. Lib. III.*

Lacus Muratensis, *Murtensee*, ab oppido non incelebri Murato; non tam late patet, ac duo præcedentes: a fluvio *Broja* initium habet, cujusque aquis augetur, qua ex parte latius olim patuisse credunt nonnulli, ita ut ad muros Aventicanos se extenderet; unde quoque credit *Guilim.* quondam *Aventicensem* nominatum. Extant quoque fœderum tabulæ Anno MCCCXXXIII. scriptæ, in quibus nominatur, *der Uchtsee*, unde colligit *Simler. MSC.* Aventicum tunc *Uchten* nominatum, a quo regioni nomen Uchtland. Diffunduntur autem illius aquæ per fluvium Broiam in lacum Neocomensem, prope ædes dictas, *a la Sauge*, *ad Salicem*: Locus vero ubi Broya eo ex lacu effluit, vocatur *ad Salices*, unde etiam pagus vicinus vocatur *Sougiez*. Ferunt, omnino deperdi, quidquid in hoc lacu submergitur: piscosissimus est; quandoque in summis frigoribus ita firmiter congelatur, ut glacies onustos etiam currus ferat.

In parochia S. Saphorini, præfecturæ Lausanensis, visitur magnum stagnum vulgo dictum, *lac de Bro*, *Brou*, *& Bré*, & in Actis lacus Bromagus, hujus littora scirpis & arundinibus maximam partem marginata sunt. Quibusdam in locis trabes quernæ, & quadrati lapides in aquis conspiciuntur: credit vulgus locum illum fuisse submersum, & in voraginem dejectum: piscibus non caret, cancros magnos alit; nullis amnibus augetur, interim tamen per rivulum in Lemanum lacum diffunditur.

In monte Jura sunt etiam laculi optimis piscibus abundantes, inter quos maxime conspicuus est *Lacus Juriensis*, vulgo *lac de Joux*, ab antiqua ejus nominis, olim ad lacum illum sita Abbatia; ex hoc lacu per subterraneos meatus effluis amnis Urba, uti alibi vidimus. Monet *D. Herm.* tres esse lacus, per quos fluat fluvius Urba: primus dicitur *lac des Rosses*, aut *Quinsonnet*: secundus nominatur *magnus lacus*, *le grand lac*: Tertius vocatur, *lac Burnet*; separatur hic a magno per pontem dictum *des Charbonieres*.

Lacus Brientzensis, *Brientzersee*, ab oppidulo *Brientz*; *Thunensis*, *Thunersee*, ab oppido *Thun*, dicuntur. Arula in Brientzensem primo influit, & illum post aliquod intervallum Thunensi jungit, ex quo prope *Thun*, servato nomine effluit: uterque magnam habet piscium copiam, unde præcipue apud Abbatiam Interlacensem piscatio ita uberrima est, ut prodigio non careat. Thunensis Brientzensi major est; ex utroque, orientem versus, Alpium perpetuis nivibus albicantium prospectus patet.

Sunt & alii laculi, in Argovia superiore & inferiore, quos utrum magna stagna, an paludes nominaveris, parum refert, de quibus in genere notandum eos sæviente hyemis frigore, congelari, interea tamen piscibus non carere, præcipuorum mentionem faciemus. *Richensee* lacus est parvus a vico ejusdem nominis dictus: ad illius caput est locus dictus *Baldeck*, & ubi effluit per rivum *Aa*, jacet vicus Richensee, jungitur vero majori lacui dicto *Hallwylersee*, ab oppiduo Hallwyl, ad effluxum si. Aa ex illo lacu, posito. Ab oppido *Sursee* denominatur alius lacus, dictus etiam *Sempachersee*, ab oppido Sempach, ad illius fere caput, orientem versus: jacet vero oppidulum Sursee ad egressum fluvii Sur ex isto lacu, qui a meridie septentrionem versus porrigitur.

In monte fracto, supra Lucernam, est etiam laculus, quem *Pilati lacum* vocant: situs est in loco paludoso, solitario undique collibus, a quibus liquescentes nives defluunt, cincto, ac sylvis circundato, ne a quoquam irritetur, vulgo enim persuasum est, toti regioni ex tempestatibus, & inundatione periculum esse, si quidquam ab homine de industria injiciatur; *Simler. de Alp.* *Quadus in Descr. Helv. Merul. Part. Lib. III. Cap. X.* *Mercator*, *Frey*, *&c.* Fabulantur autem, olim illic in eminente rupe Pilatum consedisse, horrendasque excitasse tempestates, quem postea depulsum conjurationibus incantator quidam in proximum lacum deturbarit. Ridet hæc *Gesnerus in Descript. montis pag.* 52. referente CL. *D. Hotting. in Met. Leg. Hist. Helv. pag.* 241. Magnam famæ authoritatem conciliat vicinorum rigor, qui montem conscendentibus hoc sollicite injungunt, ne paludem turbarent. *Vadian.* in Pomp. Mel. *Capit res fidem, quod pacatum irritare ausos mox fuisse capite plexos, ob illatam accolis calamitatem, oppidani referunt. Illud retulerim, nos in ascensu, a pastore illo, qui ducebat, tantum non jurisjurandi sacramento adactos fuisse, ne quid importunius tentaremus viso, aut ne quid injiceremus. Capitis ille sui aleam ludi aiebat*, *&c.* Mutavit tamen postea sententiam *Vadianus*, ut habet *Gesiner*. pag. 59. Superstitiosam tempestatis concitationem plenius exaggerat *Malleolus* apud Gesner. p. 61. *Paulus Eremita* Desc. Helvet. *Mirum quod de eo lacu vulgus nugatur, sed nec fidem meretur, nec habet.*

Lacus Lucernensis, *Lucernersee*, ab oppido Lucerna, super hoc lacu ad fl. Ursæ effluxum sedente nomen habet; ex hoc lacu plura, quam ex territorio suo, fere commoda Lucernates habent: huic lacui jungitur alius dictus *Sylvanius*, a Sylvaniis seu Underwaldensibus ita dictus, qui in lacum Lucernensem influit & proprie vocatur *der vier Waldstettensee*, quia medius inter quatuor illos pagos (vulgo *die vier Waldstett*, *Uri*, *Schweitz*, *Underwalden* & *Zug*, situs est. Ab hoc non longe occidentem versus in pago Underwaldensi visuntur parvuli lacus, quos verius cum Marcellino, paludes dixeris: orientalior *Hurwylsee*, occidentalior, *Lungernsee*; hi duobus rivis effunduntur, qui simul juncti, in alium laculum influunt. *Sachslersee*, ex quo effunditur rivus, *Aa*, se infra Stantium in lacum Lucernensem præcipitans.

Lacus Tugenus, vel Tuginus, aut Tugiensis, *Zugersee*, ita ab oppido Tugio nominatur, recipit fluvium *Loretz* dictum, qui ex lacu egressus postea Ursæ miscetur. Hic duobus superioribus minor est: Eique ad orientem etiam duo adjacent laculi, quorum prior voca-

vocatur *Egeryfee*, per fl. *Loretz* in prædictum lacum Tugenum se exonerans. Alter vero vocatur *Lowertzsee*, prope portum Brunnen in lacum Sylvaniensem influens. Tertius paulo remotior orientem versus apud Glaronenses a valle Clontal vocatur *Clontalersee*, qui per rivulum Löntsch, in rivum Sarnff se exonerat, & hic in Limagum illapsus cum eo in lacum Tigurinum defertur.

Lacus Tigurinus, Valafrido *Turicinus*, longus satis est, a meridie septentrionem versus; latitudo maxima est inter Rapertisvillam, & locum dictum Hurden, aut saltem paulo inferius; exinde Tigurum usque, ubi Limagus lacu effluit, paulatim arctior & angustior fit. Non longe a Rapertisvilla, pons est ligneus, quo lacus trajici potest; sub hoc, mensibus septembri & octobri, uberrima piscatio fit, ibi lacus non admodum est profundus. In quibusdam tabulis geogr. ea lacus pars, quae a Rapertisvilla ad Limagi ingressum extenditur, nominatur *Obersee*, id est lacus superior. Uterque quibusvis mercibus ex Italia & Rhaetia Tigurum transvehendis ingentem commoditatem afferens: adeo ut singulis diebus Veneris circiter ducentas omnis generis naves in Urbem appellere videres. De lacu Tigurino, sic Henricus Stephanus. *Lacus est longus circiter* XII. *mil. pas. supra quem amœnus Alpium prospectus est, ut voluptas sit vel in media æstate nives & quasi quandam hyemem intueri.* Et Author Archon. Cosm. *Lacus ipse longitudinem triginta millium passuum continet, & ab urbe Tigurinus vocatur.*

Lacus Rivarius, in Glaronensium regione, ita dicitur ab oppido Riva, ad lacus caput sito: Germanice vulgo nominatur *Valensee*, vel *Walenstattersee*, quibusdam etiam *Wesenius*, vel Wesenensis ab oppidulo Wesena, ubi Limagus effluit, ut postea in lacum Tigurinum influat. Tempestatibus plerumque obnoxius, adeoque & periculosus est: ad cujus littora pagi Tertzen, Quarten & Quinten, olim a stationibus Romanorum sic dicti, siti sunt. Caeterum ejusdem cum lacu Tugiensi, magnitudinis esse censetur.

In pago Tigurino est laculus, *Pfeffickersee*, nomen habens a loco dicto Pfeffikon, aquas suas diffundit per rivum Aa (Nota esse tres rivos hujus nominis in Helvetia: primus est in Argovia inferiore effluens ex lacu Hallwylensi. Secundus influit in lacum Lucernensem. Tertius hic est in pago Tigurino) in alium majorem nominatum *Gryffensee*, a vico ejus nominis: ex hoc lacu exit Glat fluvius in Rhenum infra Eglisovium influens. Abbatiscellani in suarum Alpium cacuminibus tres pusillos lacus truttas ferentes ostendunt, teste *Simler. in Com. de Alp.*

In summis Rhaetorum Alpibus loco dicto *Montasum*, lacus est in quem si lapides injicias statim nebula oritur, & inde grando: Ergo incolae pœna capitis prohibentur lapides injicere, ut nobilissimi ad Regem legati docuerunt: referente *Frey*. Cap. IX. De aliis laculis in Rhaetia sermonem non hic instituimus, sed sistimus gradum, ad Helvetios properaturi.

CAPUT XVI.

De Helvetiorum antiquitate & origine.

HElvetiam, insignem Europæ regionem, qua potuimus fide & diligentia, pro virili nostra, quoad adjuncta & partes, lustravimus. Postulat nunc nostræ methodi ratio, ut ad regionis incolas accedamus: de quibus in genere duo disquirenda sunt. I. De *Helvetiorum antiquitate & origine*. II. *De variis eorum nominibus*. In specie de eorundem lingua & moribus agemus. Sed hoc capite in illorum antiquitatem & originem inquiramus. Suis non caret difficultatibus, quæ de Helvetiorum tum antiquitate tum origine movetur quæstio, cujus explicationem, dum quærere conantur Authores, eam suis frivolis conjecturis & discordantibus sententiis magis magisque implicant. Quisque se veritatem assecutum credit, dum certorum monumentorum, aut firmarum demonstrationum loco suas nobis traditiones obtrudunt: suam hic fateri ignorantiam, & supinam præteritorum sæculorum negligentiam deplorare præstat, quam aliquid, vel somniis simile, vel fabulis proximum, in medium proferre. Attamen ut ingeniorum curiositati satis fiat, discrepantes Authorum opiniones referre, non fuerit injucundum, unicuique vero credendi quod placuerit, libertas erit.

De *Helvetiorum* autem antiquitate & origine locuturis, distinguendi nobis videntur Helvetii. Alii enim sunt Helvetii, & alia illorum ratio, quorum mentionem faciunt Antiquiores Historici & Geographi, Græci, Plutarchus, Strabo, &c. Et Latini, Cicero, Cæsar, Tacitus, Florus, &c. Alii (posteriores nominare licet) de quibus Historici recentiores a quatuor aut quinque sæculis agunt.

Helvetii priores & antiquiores Græcis dicebantur Ἐλβήτιοι, vel Ἐλβήττιοι, secundum *Plutarch*. Latinis Helvetii. Horum nomen apud Veteres, antiquum esse certum, magis quam probatione indigeat. Vide *D. Hotting. in Meth. Leg. Hist. Helvet. pag.* 198. Certa vero non ita illorum origo, unde *Bodinus Meth. Hist. Helvetia regio nulla veteris appellationis habet vestigia.* Perierunt prisci illi Helvetii, periit quoque originis ipsorum memoria. Interim varias hic referre sententias juvabit. *Vandi Chronica* narrant, *Eruclonum* quendam tres habuisse filios, *Sequanum*, *Allobrogem & Helveticum*: hi patris imperium inter se diviserunt, ita ut Sequanus, Sequanis nomen dederit; Allobroges ab Allobroge denominati fuerint. Helveticus vero eam habuerit regionem, quæ postmodum ab ipso Helvetia dicta sit: Sed penes Chronicorum illorum authorem sit fides: apparet quisquis illorum compilator fuerit, eum multimode in chronologia errasse, unde etiam tot habuerit commenta vix sciri potest.

Aventinus *Helvetios* gentem vetustissimam nomen & originem traxisse perhibet ab Helvetio Herculis filio. Hercules enim Alemannus, varios habuit liberos, inter quos fuerunt *Noricus* primogenitus, *Hunnus*, *Helvetius*, & *Bojus* natu minimus. Scribunt quoque alii Bojum & Helvetium post diluvium ex Armenia profectos, ea occupasse loca, quæ eorum nomen retinuerunt, & a Mose Gen. Cap. X. *Havilah* & *Jobab*, nominatos fuisse perhibent. Sed in aliam alii eunt sententiam. Sic enim loquitur *Guillim*. Lib. I. Rer. Helv. *Helvetiorum nomen unde fluxerit, primus, ut arbitror, Henricus Glareanus investigavit, & nisi meus aberrat, reperit: Helvetter enim celtica lingua dictos quasi Ditis propinquos, sive nobilitatis inde, ut a Deo, sive antiquitatis ex eodem fonte insignia capere voluerit.* Cæsar Lib. VII. *Galli se a dite patre prognatos prædicant.* Berosus Lib. V. Ant. Ditem in Galliam colonias duxisse memoriæ commendavit. Deus autem ille, quem Latini *Ditem* nominabant, a Græcis *Plutus* dictus fuit, hunc a Gallis præ cæteris Diis cultum, & *Hellum* illorum lingua nominatum, nonnulli credunt. Sed super hac re audiendus Frey Cap. IV. Adm. Gall. *Galli omnes, apud*

Caesarem, Dis pater noster est, ajunt. Romani Gallicarum ignari vocum, earum praesertim quae religionis mysteria concernerent, Celtica vocabula, latina inclinatione flexerunt: & cum Gallis esset Dieu, ipsi in suum Ditem verterunt. Quis enim ita mente vacuos credat Gallorum primos, ut se a Daemone ortos profiteri publicitus voluerint? Scio equidem Helvetios gentem Gallicam aliquibus videri dictam quasi cognatos Ditis; Hel enim ipsis infernus est, Vetter, cognatus, sed meliori intelligitur significatu. Hel, id est, lucidum, ut cognatos lucis potius quam inferni interpreteris. Dubitat hic, nec sine ratione, Doctiss. *Hottinger.* utrum vox Vetter, Helvetiis jam tum, cum Helvetiorum antiquissimi Scriptores meminerunt, hoc sensu fuerit usitata. Adfert adhuc aliam sententiam D. Hottinger. his verbis. *Non desunt qui Helvetios, seu (ut Glareanus scribit) Helveteros dictos putant, quasi, Held Vatter, Heroum patres, vel ἥρωες ἄνδρες. Et quanquam non negemus, fuisse aliquos in Helvetia ὑπερφυεῖς μεγέθους viros, id quod varia eruditorum monumenta probant; certum tamen est, de plerisque judicium Casp. Ens, non longe aberrare a vero. A rebus itaque gestis & magnis conatibus, quam statura corporis ita Helvetios denominatos verisimilius est.* Simlerus autem vir eruditissimus & diligentissimus antiquitatum indagator, in tam antiquis, & discrepantibus Authorum sententiis, nihil pro certo affirmari posse credidit. Quod si quis conjecturis gaudeat, forsan ab Helvo colore, qui est inter rufum & album; teste *in Salm. Salmasio*, Helvetii dicti fuerint: cujus denominationis ratio, peteretur ex eo, quod Helvetii maximam partem rufi & albi fuerint: superiores sententiae, fabulosae vel incertae, haec ridicula videri possunt.

Alia adhuc est quaestio, non admodum facilis. *Utrum Helvetii ex Germania in Helvetiam prius venerint, aut ex Helvetia in Germaniam transierint?* Huic quaestioni ansam praebuit Tacitus qui Lib. de Mor. Germ. ait. *Inter Hercyniam sylvam, Rhenum & Maenum amnes Helvetii, ulteriora Boji, Gallica utraque gens tenuere.* Idem fere Strabo referente Volaterrano Lib. VII. *Rhaetii & Helvetii, Vindelia, & discreta Bojorum regio ad Istri fontes prope sylvam Hercyniam sunt usque ad Pannonias, e quibus Helvetii & Vindelici, in montibus campos habitant, Rhaetii vero & Norici usque ad Alpium summa tenent, & Italiam versus inclinant.* Loquutur quoque Ptolomaeus de *Helvetiorum Eremo*, de qua diversae sunt sententiae. Quidam hanc ponunt in Clatgovia circa fines Scaphusianorum. *Munst. Lib. III.* circa Waltzhutum, ubi non longe, capit initium Hercynia sylva. Alii in Alsatia prope urbem olim nominatam *Helvet*, nunc Slestadium, unde Carion, *Helvetii forte nomine iidem, qui nunc Alsati, Helvetiorum Eremus Martiana sylva in Marchionatu Badensi:* sed hoc a Doctiss. *Cluverio* Lib. III. Cap. II. Ant. Germ. refutatur. Volunt quin etiam alii, Helvetios circa Danubii fontes coluisse regionem, vocatamque fuisse Helvetiorum desertum. Ex supra dictis, maxime vero ex *Taciti* verbis colligit *Aventinus*, Helvetios in Germania primum habitasse, deinde Rhenum transgressos in Galliam Belgicam colonias duxisse, & *Helvettum* ac *Aventicum* urbes condidisse. Aliter tamen censent alii, ac dicunt Helvetios in Germaniam ex Helvetia migrasse, quod intelligendum non quod omnes, relicta sua patria, eo se contulerint, sed quod ut ait *Simler.* MSC. colonias in Germaniam duxerint, aliquamque ejus partem suo imperio subjecerint: refert enim Caesar, *Helvetios reliquos Gallos virtute praecedere, quod fere quotidianis praeliis cum Germanis contendant, cum aut suis finibus eos prohibent, aut ipsi in eorum finibus bellum gerunt.* Quo autem tempore coloniae in Germaniam deductae, aut Germani sub jugum missi, incertum. Conjicit *Simlerus*, Helvetios forsan, cum Cimbrorum socii essent, non tantum Italiam invasisse, verum etiam in Germaniam exercitum deduxisse, & vicina sibi subjecisse loca. Sed quamplurimi arbitrantur Helvetiorum illorum genus, jam pridem extinctum, cum hodie Germani potius quam Galli sint (ut Cap. I. ostensum) qui antiquam Helvetiam incolunt: apud Latinos tamen Scriptores antiquum illud nomen etiam retinent. Ego, salvo aliorum judicio, crediderim, non omnes antiquos illos Helvetios, aut saltem illorum genus prorsus periisse, non enim omnes qui montes habitarent, bellis omnino deletos credibile est. Videatur *Simler. Descr. Vall. Lib. I.*

Posteriores Helvetii varie a latinis Scriptoribus nominantur; Aventin. Ann. Boj. Lib. IV. *Suitones*, Volater. & Rolvingus Carthusianus *Suiceros*, Joh. Vitoduranus *Suicenses*, Genebrard. *Suitenses* vel *Suissos*, Oswaldus Molitor *Suitos*, vocant. Germanice *Schweitzer*, vel *Schwytzer*, vel *Eydgnossen*; Italice, *gli Suizzeri*, vel *Suizzari*; Hispanice *los Suiçeros*, Anglice & Belgice *De Switzers*: Gallice, *les Suisses*. De horum quoque origine variant sententiae. Narrant Historicorum nonnulli. Vitas gentem Aquilonarem prope Tigurinos suas fixisse sedes; illorum vero regionem Uri dictam esse. Alii volunt Vitas fuisse Saxones quos Carolus Magnus, ob iteratas rebelliones ex Saxonia ejecerit & in Helvetia Alpina concluserit: quemadmodum maximum incolarum lateris septentrionalis fl. Albis numerum in Flandriam & Brabantiam ablegavit. Vitae autem illi postmodum Suitae vocati sunt, ut volunt superioris sententiae Authores. De istis Saxonibus Carolo Magno rebellibus, & a fide Christiana deficientibus, non idem narrant omnes. Sic Nauclerus. *Verius videntur sentire, qui scribunt Carolum Magnum, An. D. DCCCVI. devictis Saxonibus ferociores ex eis ad 10000. virorum cum uxoribus & liberis deportasse, & per diversas Galliae ac Germaniae provincias relegasse. Causa hujus fuit, quod Gens ista saepe ad fidem Christianam conversa, toties apostatavit, & in vicinos crudeliter saevit, unde maximam ipsorum partem in Hungariam septem castrorum, ubi modo degunt, destinaverit: aliquos vero ad Comitatum Vallesiae Sedunensis dioecesis collocavit; aliquos ultra montem Jovis in Longobardia, prope Augustam Taurinorum Domino nunc Duci Mediolani, habentes adhuc linguam Teuthonicam, ut & septem castrenses in Hungaria: Alios transtulit ad vallem Uraniae, & arctam, ubi illa est ejusdem nominis, Art, Constantiensis Dioecesis, montibus altissimis & lacubus munita, ut ibidem sederent pro custodibus, & dum ipse Carolus in Italiam iturus esset, liberum haberet ingressum, fertur obligasse. Qui ubi consederant Saxonica lingua feruntur dixisse: Hie wolen wir Schwitten, id est, hic volumus in sudore terminos constituere, a quo verbo, Schwitten, Suitzer dicti sunt.* Paulo aliter historiam narrat *Felix Faber Hist. Suev.* introducit enim Carolum ad istos exules, post exactum ab ipsis juramentum fidelitatis & constantiae, loquentem de illo juramento, quod tria implicaret & includeret. *Pro primo articulo juramenti* (ajebat Carolus) *do vobis, ut nuncupemini, confaederati, scil. Imperio, ut in ipso vestro nomine sponsionis vestrae memores sitis, ideo etiam in Theutonico nominamur, Eidtgnossen, pro secundo articulo aliud impertior vobis nomen: quia enim promisistis in labore desudationem, hic nomen vestrum erit, & dicemini, Schwitzer, id est, Sudantes, &c.* Ista vero sapiunt fabulam, & etymologiae illae ridiculae *D. Hotting. Met. Leg. Hist. Helv. p.* 206. De his & similibus varia habent, praeter supra memoratos,

ratos, *Munsterus*, *Cellarius*, *Rhenanus*, *Alciatus*, *Merula*, *Mercator*, *&c.*

Alii a Suecis, Suiceros originem trahere crediderunt, inter quos sunt *Tschudus*, *Stumpfius*, *Genebrardus*, *&c.* Refert *Munster*. Lib. III. tempore Sigisberti cujusdam Sueciæ Regis, Suecorum multitudinem, aut ob Oceani inundationes, aut ob terræ sterilitatem, quæ tanto populorum numero nutriendo, impar esset, novas sedes quærere coactam fuisse. Hi populi transgresso Rheno, Gallos ipsis obviam factos profligarunt; obstupuere reliqui Galli, qui ad novos hospites legatos mittunt; a quibus nihil aliud petunt Sueci, quam ut ipsis vivendi daretur facultas, & regiones quas incolerent excolerentque, concederentur: qua de causa Helvetii, interiorem suæ regionis partem, montibus ac lacubus plenam permiserunt; unde postea illa loca fertiliora, habitationique commodiora facta sint. Sed nobis quoque audiendus est Oswald Molitor. *Ducunt Suiti originem a Suedis, qui in extrema septentrionem versus Europa sunt (alio nomine Gothi appellantur) cui rei testimonium non modo nostræ historiæ afferunt, sed & ii, qui vel hodie Suediam inhabitant. Ex quibus sæpe quæsitum a Mercatoribus nostris quidquam ne haberent in annalibus, quod argueret expulsos jam ex sua patria in nostras, uti apud nos creditur, sedes devenisse. De conformitate regionum, morum, naturæ, aliarumque rerum, ut solet, nihil minus inquisitum. Asseverarunt omnia, illud adjicientes, miris se gloriari modis, tam laudatum, apud omnes gentes populum originem sibi ferre acceptam.*

In hac fuit sententia Garissollius Lib. X. Adolph. qui de fœdere, quod cum Helvetiis, Rex Sueciæ Gustaphus Adolphus, inire cupiebat, locuturus, sic de Helvetiorum a Suecis origine canit.

Arctoo gens orta situ, generosaque factis
Æquans arma patrum, gemino Suecosque Gothosque
Sanguinis attingit titulo. Nam vulnere postquam
Dejectus Tejas vitalibus exiit auris,
Eousque solo regnavit in Ausone Narses,
Italiam liquisse Getas, montesque propinquos
Insedisse ferunt: Nec prisumus objutis armis
Incola, sed facilis latio jam rure remotos
Excepit, regnique favens in parte locavit,
Complexus populare genus. Constantia fama
Nempe refert, patrio digressos Sueonas orbe
Auspiciis Gotherice tuis, fausioque gradivo
His sedem statuisse locis, perque oppida leges
Sancivisse suas, & longos regna per annos
Firmavisse manu, sic utraque finibus ejus
Crevit, & æterno se fœdere nexuit Arctos,
Helvetiosque dedit mundo, nec degener ortum
Dedecorat populus, sed nomine dignus avorum est.

Hac occasione annotat D. Hottinger. Meth. Leg. Hist. Helv. pag. 201. *Certum est magnam utriusque non modo gentis, sed & quorundam Dialecti idiotismorum esse γνησίαν. Observavit Clar. D. Ericus Odhelius, Gothus, dignissimus in Ubsaliensi regia Professor, meus per aliquot menses hospes gratissimus, multas apud nos loquendi voces & formulas per universam Germaniam ignotas, Suecis tamen familiares. Quid? quod Suetiam cum Suitia sensu generali pro universa Helvetia sæpius exteri authores confundant. Vide Anal. P. I. pag. 167.*

Quamvis autem hæc virorum doctorum opinio non videatur contemnenda, illorum etiam rejicienda non est, qui Suitenses, aut Helvetios ita hodie dictos volunt a pago Suitensi. Inter quos sunt Oswald. Molitor, in Paneg. Glareani. *Suicia sequitur, unde omnes confœderati, commune apud vulgus hodie tenent nomen Suitenses, vel Suiceri.* Sic Conringius de Imp. Romanoger. *Perinde uti Respublica omnibus fœderatis nomen dedit, urbs Romana omnibus sociis, hodie fœderati omnes Helvetii, ab uno pago Suitceri, &c.* Felix Faber. Monach. Ulm. Lib. I. *Omnes Communitates juncta Suitzeris, cum eis nomen communicant, & Suitzeri a villa Suitz nominantur, &c.*

Istius denominationis rationes afferri possunt. I. Quoniam initium confœderationis factum est in oppido Suitensi; Suitensium sive Suissorum nomen omnibus confœderatis est tributum. Ut ait *Genebrard. Lib. IV.* II. Quod primi omnium ex Pagis tribus, Austriorum irruptioni expositi fuerint & inter tres pagos maxima fuerit eorum potentia, ut loquitur *Simler. Lib. I.* Reip. Helv. III. Quod in Suitensium regione pro libertate pugnatum sit: ex quo factum est, ut paulatim reliqui tyrannidis jugum excusserint. *Inde postea*, ait Guillim. Lib. II. Rer. Helv. Cap. XV. *Suitiorum apud quos primo pugnatum fuit, nomine, & fama apud nationes Helvetii omnes in celebritatem abierunt, Suitzerique gens universa adpellati.*

CAPUT XVII.

De Variis Nominibus Helvetiorum apud Veteres.

INter difficultates quæ in Authorum lectione occurrunt, & lectores quandoque vexant, non infimas tenet ea, quæ circa varia populorum nomina, versatur. Helvetios variis insignitos nominibus diligens historiarum scrutator reperiet. Sæpissime generaliter sub Celtarum aut Gallorum nomine comprehenduntur, quo maxima Europæorum pars designabatur, ut alibi vidimus. Julius Cæsar apud Dionem Lib. XXXVIII. in oratione ad milites, *Helvetios* Gallicam nationem ὁμοίους facit atque ὁμοφύλους Marcomannis Germanis, id est, similes & ejusdem gentis populos. Marcomanni autem quales fuerint, variant sententiæ. *Wilichius in Tacit.* eosdem fuisse quos nunc Moravos nominamus, credit. *Munst. Lib. III.* dicit Marcomannos habitasse Bohemiam, post superato Danubio in Croatia substitisse; sed utrum hoc cum Taciti verbis conveniat, æquo lectori judicium relinquo; sic vero *Tacitus* Lib. de mor. Germ. *Præcipua Marcomannorum gloria, viresque atque ipsa etiam sedes pulsis olim Boiis, virtute parta, &c.* Marlianus conjicit forte, eos fuisse qui finitimam Helvetiis vallem incolebant, cui nomen est *Marcomanna*, Sequanis & monti Juræ proximam, cum his Marcus Antoninus Philosophus periculosum diuturnumque bellum gessit. Quidquid sit, si Dioni aliqua sit adhibenda fides, ex eo colligere possemus, vel Helvetiorum colonias in Germania Marcomannis fuisse vicinas, vel illorum regionem, ab Helvetiis non multum remotam. *Livius* vocat *Semigermanos*, quia (ut ait *Cluverius*) eorum lingua Germanorum quam Gallorum sermoni fuit propior. Postquam enim Helvetii Rhenum sunt transgressi, probabile est eos, se, & linguæ & moribus Germanorum, labente tempore, assuefecisse. Helvetios quoque *Alpinorum* populorum *Tauriscorum* nomine designatos non obscure indicat Polybius Lib. II. *In Alpibus ab utroque latere loca montuosa habitant, ad eam partem quæ versus Rhodanum & septentrionem spectant, Galli qui Transalpini appellantur, ad eam quæ campis imminet Taurisci, Agones, alia pleraque Barbarorum genera, a quibus Transalpini non*

 genere,

genere, sed differentia loci differunt. Hac occasione *Cluver.* Ant. Germ. Lib. I. Cap. V. & Lib. de Vindel. Cap. II. ait, omnes Alpinos populos unius ejusdemque fuisse gentis, qui communiter Græce & Latine, *Taurisci*, sibi ipsis, *thi Taurischen*, appellatione ex Alpium nomine desumpta, quo in commune hodieque nonnullis Germanis appellantur *Taurn:* Romani omnem Tauriscorum Gentem dixere Alpinos & Inalpinos populos. *Plutarch.* in Marcel. *Polybius* Lib. IV. *Orosius* Lib. IV. Cap. XIII. *Sabellic.* Enn. IV. Lib. IX. Gallos inter Rhodanum Alpesque incolentes, ab eo, quod mercenaria stipendia merebant, *Gessatas*, vocant. Gessatarum autem nomen, non gentis, sed mercenariorum Gallorum est, ut loquitur *Orosius*, sive ut ait *Cluver.* non gentis sed conditionis est vocabulum; quod quam optime Helvetiis conveniat, non solum locus, ubi Gessatas collocat *Polybius* (ut recte observat *Guillim.*) sed etiam Helvetiorum mos, qui jam ab antiquis temporibus apud ipsos invaluit, quemque adhuc retinent, dum suam ad bellum operam, Principibus constituto pretio, locant, ostendunt. Ita ergo conductitii milites Celtica lingua, Gessatæ, nominati sunt, istius nominis vestigium remansisse videtur hodie apud Britannos, qui servos conductitios *Guessin* vocant. *Merul. Part. II. Lib. III. Cap. XV.* Gessatas, sic a Gessu lanceæ genere, aut quod se omnes Gessel, hoc est, socios appellarent, sicut Germani se fratres nominant, dictos credit *Guilliman.* Gessatæ, vel a stipendio, ut vocamus (Gesinde) seu a genere teli, quod a Varrone & Virgilio Gesum dictum, ita sunt appellati, ut loquitur *Sprech. Pall. Rhæt. Lib. I.*

Mercator refert Eutropium *Helvetios* nominasse *Quados*, qui juxta Tacitum Lib. de moribus Germ. Marcomannis fuere proximi. Aliter *Alciatus* in eundem Tacit. *Eutropius*, inquit, *Helvetiorum sedes a Quadis occupatas satis ostendit, ut suspicer omnes delectos, cum Quadi Marcomannique sub Aureliano, in Italiam proruperе.* In quo autem Eutropii libro, Helvetii Quadi nominentur, me animadvertisse non bene memini; imo quidem me legisse Lib. VI. *Julius primo vicit Helvetios, qui nunc Sequani appellantur.* Id quod demum (ut ait *D. Hottinger*) a Cæsaris tempore in usu esse cœpit. Antea enim Gallis annumerabantur, postea Belgis, qui & Celtobelgæ dicuntur, vide *Stumpf. Lib. IV. Cap. I.*

Post Gentium migrationes, cum maxima Helvetiæ pars sub Burgundiæ regno comprehenderetur, Helvetii etiam Burgundiones dicti sunt. Qui vero sub Ducatu Alemanniæ comprehensi fuerunt, Alemanni simpliciter, aut etiam sæpe Superiores Alemanni, ab Authoribus vocantur. Qui in Tacitum de pop. Germ. comment. dedit (referente *D. Hotting.*) existimat *Paulum Æmilium*, Transjuranorum vocabulo, significare Helvetios, cum inquit Lib. I. *Transjurani ferox genus hominum Burgundionibus, ante rerum potientibus attributi, & tunc sui prope juris effecti.*

CAPUT XVIII.

De Antiqua Helvetia Lingua.

Explicatis, ut potuimus, *Helvetiorum* antiquitate & origine, superest, ut qualis fuerit eorum lingua, & qui mores, videamus. Quæstionem illam, qua quæritur. Qualis fuerit antiquorum Helvetiorum lingua? Perplexam, & non explicabilem satis, ut par est, & res ipsa loquitur, & Doctissimi, quibus hæc crucem fixit, fateri coguntur.

Quærunt autem hic I. Quidam: *Utrum veterum Gallorum & Helvetiorum lingua fuerit Græca?* Affirmant nonnulli, inter quos *Joachimus Perionius* in Dialog. & *Johannes Picardus* in Celtopæd. Suam sententiam probare conantur, ex Gallicæ Græcæque linguæ cognatione, maxime vero *Cæsaris* authoritate, Lib. VI. bell. Gall. referentis, Druides in publicis privatisque rationibus, extra suas disciplinas (quas literis mandari nefas existimabant) characteribus Græcis uti solitos. Dicit quoque idem *Cæsar* Lib. I. in castris Helvetiorum tabulas literis Græcis confectas, fuisse repertas. *Strabo* Lib. IV. sic ait. *Urbs (Massilia) Barbaris loco ludi literarii patefacta, tantum literarum græcarum studium apud Gallos excitavit, ut contractuum quoque formulas, græce conscriberent.* Refert quoque *Merula* viros doctos esse, qui putent characteres illos, quibus utuntur Græci, non vere Græcos esse, sed Gallicos, & ex Gallia in Græciam, non ex Græcia in Galliam fuisse advectos, ideoque *Cæsarem* eos appellare debuisse, Gallicos, non Græcos; Græcos tamen dixisse, cum Græcos tunc iis uti sciret, a Gallis autem accepisse ignoraret. Certe ipsorum Græcorum testimonio, characteres isti α, β, γ, & reliqui non vere Græci sunt, sed Barbari, sicut videre est ex *Varrone* Lib. VII. de Ling. Lat. Quantum autem robur insit illis argumentis, ex responsis erit colligere. Respondetur itaque primo. Probandum prius esset, hodiernam Gallorum linguam, cum veteri eandem esse. II. Ex illa linguarum cognitione, quæstio quæ affirmatur, concludi non potest, sic enim quoque argumentari liceret, lingua hodierna Gallica plurimas voces a Latina mutuatur; Ergo Gallorum lingua est Latina. Ad *Cæsaris* & *Strabonis* testimonia quod attinet, majoris sunt ponderis, interim responderi potest. I. Secundum quosdam, Druides & Helvetios characteribus quidem Græcis usos, Græce tamen non locutos fuisse, quod non dicit *Cæsar:* aliud quippe est Græcis literis aliquid concipere, aliud Græca lingua; Sic Thalmud Hebræo constaret sermone, quia Hebraicis sit excusum: Imo *Cæsar* ipse Lib. V. satis ostendit Gallos Græca lingua non fuisse usos, quando Græce per equitem Gallum, ad, &c. Ciceronem apud Nervios obsessum, scripsit, alias ipsius consilia, cum epistola intercipi potuissent. II. Arridet magis aliorum responsio: non enim simpliciter negandum, Gallos aut Helvetios Græca lingua usos fuisse, siquidem simpliciter non dicat *Strabo* Gallos Græcis literis usos, sed Græce scripsisse. Distinguendæ igitur sunt linguæ: aliæ sunt a natura congenitæ, & ut vulgo dicitur, maternæ; aliæ ab arte tantum & studio. Dicimus itaque Græcam linguam Gallis non fuisse congenitam, aut a natura, sed tantum ab arte: sic fieri potest, ut Helvetius, Italice loquatur, sed ab arte, cum naturalem linguam habeat; sic Galli & Helvetii calluerunt Græcam, quam in Schola Massiliana edocti erant; illos autem Massiliam frequentasse, Author est *Strabo*, ut supra allatum. A Massiliensibus etiam, ut ait Justinus Historicus Lib. XLIII. *& usum vitæ cultioris, deposita & mansuefacta barbaria, & agrorum cultus, & urbes mœnibus cingere didicerunt. Tunc & legibus, non armis vivere: tunc & vitem putare, tunc olivam serere consueverunt: adeoque magnus & hominibus & rebus impositus est nitor, ut non Græcia in Galliam emigrasse, sed Gallia in Græciam translata videretur.* Cur non etiam Græcam linguam ab illis habuerint? Hinc tamen inferre non licet, omnes Gallos & Helvetios Græce fuisse locutos, sed eos solum, qui illam linguam didicissent, quales erant Druides, quibus illa, in suis mysteriis,

erat

erat familiaris; Galliarum Primores, aliique illius linguae studiosi: Imo credibile est, huic operam navasse, qui τὰ συμβόλαια scribebant, ut ait *Strabo*, quemadmodum superioribus saeculis, contractus, pacta, litigationes, latine scribebantur, quamvis pauci latine scirent. Doctorum illorum supra recensita sententia varie urgeri potest. I. Posito, non concesso, Gallos & Graecos eosdem habuisse characteres, eandem tamen linguam habuisse non sequitur: habent quidem Chinenses cum Japonensibus, communes characteres, linguam non item. II. Gratis dicitur suas literas Graecos, a Gallis mutuasse, cum Cadmum primum eas aut invenisse, aut ex Phoenicia in Graeciam transtulisse, nonnulli Authores perhibeant. Nec illud probat *Varronis* testimonium: Graeci fatebantur se suas habuisse literas, aut saltem earum nomina a Barbaris; sed quid inde, non soli Galli Graecis erant Barbari, sed alii quoque populi, lingua, moribus, & loco dissiti, atque differentes, sive a Graecis ipsis, sive etiam a Gallis.

Cum vero communem veterum Helvetiorum linguam Graecam fuisse non constet, qualis ergo fuerit, quaerat aliquis; Difficilem quaestionem esse jam diximus, nunc difficultatis causae adducendae. I. Certum non est, hodiernam Helvetiorum linguam, eandem esse cum veteri, de qua quaestio. II. Helvetii hodierni ab Antiquis sunt diversi, si origine, cur non etiam lingua? Ipsorum linguam, cum ipsis Helvetiis periisse credibile est. III. Cum non conveniat inter veteres, sub quibus populis comprehensi fuerint Helvetii; *Caesar* sub Celtis, *Plinius* & *Ptolomaeus* sub Belgis, &c. Non ita scitu facile est, utrum Helvetiorum lingua Celtica fuerit an Belgica? IV. Cum diversis temporibus tot factae fuerint populorum migrationes, quis non credat, sicut facta est populorum confusio, ita quoque linguarum? Quis hodie non videt, linguam Italicam hodiernam, a Latina, unde corrupta est, multum differre? Gallica indies mutatur, de aliis mihi ignotis non loquor. V. Hanc difficultatem augent, quicunque de populorum linguis locuti sunt. Germani suam linguam omnium hodiernarum antiquissimam, imo quidam primaevam ridicule autumant; Galli vero suam praeferunt; Cantabri superioribus contradicunt: Ita dum unusquisque sibi adulatur, a vero discedit, & in varia absurda incidit. Ut tamen super hac quaestione dicamus aliquid, in genere notandum & quidem Julii Caesaris tempore Aquitanos, Celtas seu Gallos, & Belgas, lingua, institutis, & legibus inter se fuisse discrepantes. Sed hic iterum nodus reperitur, nempe, utrum discrimen illud fuerit in tota lingua, vel tantum in Dialectis? Quidam tres fecere linguas, Aquitanicam, Celticam, & Belgicam, inter quos *Merula Part. II. Lib. III. Cap. XV.* Alii volunt, unam tantum fuisse linguam, sed Dialectis distinctam, quae multorum est sententia, impris vero *Cluv. Ant. Ger. Lib. I.* Postquam enim ostendit Aschenazem Noachi pronepotem, cum filiis suis atque nepotibus, omnem, post diluvium, obsedisse Celticam, id est, totam Europam, sicut ille ex Mosis Scriptorum antiquissimi monumentis deducit; asserit quoque, Europaeos omnes unam eandemque inter se habuisse linguam, variis solum distinctam dialectis, quod probare conatur, veterum Authorum testimoniis, populorum appellationibus uno eodemque modo apud omnes Europaeos, formatis, privorum hominum propriis nominibus, oppidorum vicorumque vocabulis, aliisque complurium rerum vocibus, Europaeis omnibus, communibus: Sed haec apud ipsum vide prolixius. Quaeri etiam specialius potest; *Quaenam fuerit Caesaris tempore, Aquitanorum, Gallorum & Belgarum lingua, & utrum adhuc extet?* Merula, loco supra citato, censet linguam veterem Aquitanicam, eandem cum Cantabrica, Celticam cum Britannica, & Belgicam cum Germanica, esse. Sunt & aliae aliorum sententiae, quibus non explicatur, sed implicatur quaestio. Nos in re tam obscura, tamque ab aevo nostro remota, in tot frivolis conjecturis, & discrepantibus Authorum sententiis, nihil certi & explorati statui posse credimus: Unde multis nec arridet, nec probatur *Tschudi, Glareani, Goldtii, &c.* sententia, qua statuitur, veterem Gallorum sermonem eundem cum hodierno Helvetico fuisse. Quidquid autem super posita prius quaestione certum aut verisimile dici potest, ad hoc revocatur: Antiquos Helvetios, in quantum Gallica gens fuerunt, ut referunt *Caesar* & *Tacitus*, eandem aut non longe diversam cum Gallis linguam habuisse. Qualis autem fuerit illa Gallica, nobis non frustra laborandum esse judicamus: Satius est rem in medio relinquere, quam incerta aut ἄτοπα proferre. Sed hanc concludamus quaestionem. Cum linguarum puritas & perfectio (cardinales excipio) ad nostrum tempus non pertigerint, difficilimum est, imo impossibile definire, quaenam fuerit Helvetiorum ante mille & septingentos annos lingua. Afferant hic nobis aliqua illius temporis monumenta aut scripta, qui suas nobis volunt obtrudere conjecturas. Regeret quispiam non mutari linguas, sed magis ac magis in melius restitui, perfici & expoliri: Verum illa perfectio corruptio potius dicenda est; Nam quo magis aliqua lingua a prima sua origine discedit, eo magis corrumpitur: Ideo Hebraicam ad nos incorruptam pervenisse dicimus, quia eam, qualis fuit, habemus. Communes linguas mutationes pati, testatur experientia. Vix Galli, (ita mutationibus assueti sunt) qui ante quingentos annos vixerunt, si hodie resurgerent, hodiernam Gallorum linguam intelligerent.

Hodie vero qualis sit Helvetiorum lingua; satis notum eam Helvetiae partem quae Germaniae proxima est, Germanicum idioma retinere, qua de re, tanquam illius ignaro loquendi non datur facultas: Quae Gallias magis spectat, linguam ad Gallicam hodiernam accedentem habet, quali utuntur Vaudi incolae, & illis confines; haec tamen peculiarem habet dialectum, imo infinitas voces, aliis utpote Sabaudis, Burgundis, & in genere Gallis prorsus ignotas minimeque communes: Hanc veterem esse multa satis indicant: Quamplurima comprimis vocabula, quae tum Graecam, tum Latinam originem sapiunt. Sic vero Schwitzer. Desc. Helvet. de Hodierna Helvetiorum lingua. *Tribus hodie loquuntur linguis Helvetii, & his Foederati: Germanica per universam fere Helvetiam est usitatissima. Eadem Rhaeti & Lepontii nonnulli utuntur. Habent etiam Rhaeti quidam, propriam suam linguam ab aliis longe diversam. Praeter illam & Germanicam Rhaeti sicut etiam Lepontii, Italica loquuntur lingua. Antuates, Sabaudica, id est, corrupta Gallica utuntur. Vallesiani Viberi Germanicam, Veragri Sabaudicam, Seduni medii utramque in usu habens.* Credit *Simler. Descr. Vall. Lib. I.* duo haec. I. In summis vallibus, & quae cacuminibus Alpium proximae sunt incolas Germanicae linguae usum retinuisse, ut apud Vallesios Lepontios, &c. II. *Hos veterum incolarum reliquias esse, in variis enim,* inquit Simler. *migrationibus Gentium, ipsis suae sedes permansere, nemo enim alius in his locis habitare voluisset, aut potuisset, praesertim cui liceret alibi cultiori loco sedes quae-*

quærere. Hoc vero non evincit Germanicam hodiernam Helvetiorum linguam, eandem esse cum veteri, aut veterem illorum linguam fuisse Germanicam: Etsi enim concedatur, non omnes summarum in Alpibus vallium incolas periisse, nihil aliud concludi potest, quam quod illi antiquam suam linguam mutaverint, cum eadem sit, quæ reliquorum Helvetiorum, aut dicendum esset Helvetios hodiernos ab antiquis non dissimiles, quod tamen nemo, cum veritate affirmare potest: Repugnant enim tot populorum migrationes, eorumque interitus, ut ex Historiis videre est. Verisimile etiam non est, veterum incolarum paucas reliquias, novorum & pene innumerorum linguam immutasse potuisse. Non negamus tamen, eam esse antiquam satis & insignem linguam, sicut ostendit Caspar Scioppius, in consult. de Scholarum & studior. ratione.. *Helvetica*, inquit, *Dialectus, qua quondam omnes fere Alemanni, hodie Helvetii tantum utuntur, quam haud scio, an omnium superioris Germaniæ copiosissimam, minimeque depravatam recte dixerim. Homines enim suo contenti, & Aularum contemptores (ex quibus fere Helvetiorum Republicæ constant) exteris minus misceri, neque de lingua polienda, & adscitis peregrinis vocibus, loquendique generibus exornanda solliciti esse solent.* Quid dicam? Sola Rhætia hodie quatuor diversis linguis utitur: Scilicet I. *Germanica*; qua Helvetiam attingit, & septentrionem versus. II. *Engadina*, (vulgo Romansch) in valle ejusdem nominis, quam fluvius Ænus mediam secat. III. *Chur-Welsch*; in medio scil. Rhætiæ. IV. *Italica*; videlicet in Comitatu Clavennensi & Valtelina, qua Lepontios, Mediolanenses & Bergomates attingit. *Ut annotat præstantiss. D. Huldericus.*

CAPUT XIX.

Helvetiorum mores tum circa corpus, tum circa ingenium.

De Helvetiorum lingua dictum: Nunc quoque qualis sit eorum genius, quales mores, dicendum. Pauca Veteres, speciatim de Helvetiorum moribus habent, interim satis multa de Gallis & Germanis afferunt: Cum autem certum sit, medium inter Gallos & Germanos tenuisse Helvetios, eos etiam utrorumque moribus communicasse verisimile est: Aliquam ergo illorum collationem instituere nobis est animus. Considerari vero possunt Helvetiorum mores, vel in rebus privatis, vel in negotiis publicis. Illi vel corpus, vel ingenium respiciunt.

Gallos corpora plusquam humana, *Jornandes*; mirifica specie & magnitudine, *Hirtius*; celsioris staturæ, *Ammianus*; procera *Livius*, habere memoriæ prodiderunt. Scribit *Cæsar* Lib. II. bel. Gal. Gallis ob suorum corporum magnitudinem, Romanam brevitatem contemptui fuisse. Ingentium vero Gallorum corporum causam tradit *Frey Cap. VI.* Quod vini abstinentissimi forent & reliquo in victu temperantissimi. Certe quod de Gallis in genere dicitur, id de Helvetiis in specie verum esse, testatur experientia: Habent adhuc procera corpora, proceriora & robustiora olim habuisse, dubium non est. Uti enim frigidissimæ Alpium regiones procerissimas arbores, & præstantissima armenta educant, sic cœli solique natura ferente, homines quoque celsioris & firmioris staturæ producunt. *Simler. Lib. II.* Sic Carolo Magno bellum Germanorum toties rebellibus populis, præsertim Saxonibus inferenti militavit Gigas ex Turgoja. Hic per fluvios etiam reluctantes traxit equos; hostes hasta sua transfixos humeris suspendere solitus, eosdem ranunculas vocans, hoc solenni dicto. Ego interdum octo hasta mea transfixos nescio quid coaxantes huc illucque circumtuli. *Frey. Cap. VI. ex Aventini Annal. Lib. IV.* Meminit quoque *Jovius* Lib. XV. quorundam Helvetiorum proceritate corporum, animique virtute insignium, in prælio Marignano, maxime vero duorum, his verbis. *Ibi quoque Zambronius, & Antius Encher, vasti animi, & terribilis staturæ homines, &c.*

Antequam autem de Helvetiorum corporum qualitatibus quippiam dicamus; qua ratione a teneris educentur annis, prius videndum. Refert *Plinius* Lib. XI. Cap. XLI. Italos oleo suos inunxisse liberos; idem Athletas, ut firmiora & agiliora haberent corpora, fecisse notum. Helvetiæ mulieres deficiente oleo, butyro, vel vino, vel utroque simul, ad illud ipsum utuntur. Testatur *Cel. Rhodig.* Lect. Ant. Lib. III. Cap. XVI. *Apud barbaras gentes morem fuisse, vel amne gelido infantes abluere, vel tenui amiculo convestire, qui Gallis mos est; ad cuncta enim quæ prosunt initio statim insuescere optimum est: Adjuvat autem pueros innatus calor adversus frigora vim. Sic Virgilius.*

- - - - - Natos ad flumina primum
Deferimus, sævoque gelu duramus & undis.

Hoc in more positum apud Helvetios fuisse credibile est, ut jam supra Cap. XI. attigimus. Hodie adhuc apud multos rusticos, maxime montanos, hoc in usu est; Urbani vero qui suos mollius educant, barbarum esse credunt. Corporum adjuncta & qualitates, in variis conspici possunt.

I. Helveticorum corporum robur, eorundem staturam comitatur, id in diversis apparet rebus: *primo* enim cum regio ipsa maximam partem montana, multis locis aspera, cultuque difficilis, & magna sui parte olim sylvestris & inculta, necessario hominum genus, non laboriosum modo, sed & durum robustumque aluisse, & adhuc alere credendum: summus igitur in excolenda terra labor, corporis vires omnino requirit. *Secundo* venatio per aspera loca, illud ipsum demonstrat, quis corpore infirmus montes pene inaccessos, & ardua quævis loca conscendat? Unde Simler. Lib. II. ait. *In montibus quoties a rusticis operibus otiantur, venatione assidua se exercent, & modo capreas & rupicapras atque ibices per montes summos & præruptas rupes insectantur, modo cum Ursis & lupis, lincibus & apris congrediuntur, & honori ducitur, si quis ursorum aut luporum capita, quos interfecerit postibus præfigat, quin & a Magistratibus plerumque præmia accipiunt. Aprorum etiam capita veteri Græcorum consuetudine honoris ergo, claris & nobilibus viris, aut regionum præfectis, quasi ἀριστεῖον quoddam venationis donantur.* Mantuanus etiam Helvetios facit venatores

Gens fera, contemptrix animæ, consueta per Alpes,
Figere cervos, certare ursis, nive candida semper,
Per juga veloces cursu prævertere cervos.

Varia corporis exercitia, quibus dediti sunt Helvetii, eorum vires arguunt. Gallos nare assuetos ait *Marcellinus* Lib. XXV. Nullam in orbe Christiano gentem esse, quæ ita se natando exerceat, ut Helvetios, qui lacus maximos, quibus abundat regio, & rapidissimos fluvios, facile natatu superant, *Simlerus* asserit. Germani prisci omnem juventutem præcipue tamen pueros, non molliter educabant, sed laboriosis

ſemper exercitationibus, pugnæ etiam ſimulachris aſſuefaciebant: ut cum ad virilem perveniſſent ætatem, nihil tam difficile, aut durum eſſet, quod non remoto omni corporis dolore ſubire auderent; referente *Alexand*. Lib. II. Cap. XXV. Helvetios non minus quam Germanos omnibus laboribus ſe aſſuefacere certum eſt; modo agriculturæ navant operam, modo in aliis robur ſuum probant, uti ſunt curſus, ſaltus, lapidis projiciendi, inſtar diſci, veterum ludus, vecte certare, lucta, digladiationes, & certamina in omni armorum genere, aliaque media ad militarem virtutem præparantia: ſed de innato Helvetiis bellandi ſtudio poſtea dicemus. Quibus porro viribus, quove robore inſtructi a natura Helvetii, & hiſtoriarum teſtimonia, & populorum experientia, manifeſtum faciunt, magis quam probatione indigeat.

II. Antiqui Galli corpulenti quidem erant, ſed ita temperantiæ ſtudioſiſſimi, ut modum creſcenti ventri poſuerint, quem ſi quis juvenum præſertim, exceſſiſſet, caſtigabatur. *Munſt.* Lib. II. *Frey.* Cap. VI. Helvetii non ſolum corpulenti, ſed & graves ac obeſi, maxima ex parte ſunt: hujus rei cauſa eſt, tum regionis temperies & aër purus, ut Gallorum exemplo in Helvetia morantium apparet, tum vis naturalis caloris, & robuſtum temperamentum. Hinc fit, ut mali & verſipelles non ſint naturaliter; ſic enim Cæſar Antonium & Dolabellam malos eſſe non cenſebat, quod obeſi eſſent: ſic quoque *Bodinus* Meth. Hiſt. in ejuſmodi corporum vaſtitate, minimum calliditatis ac malitiæ latere, tradit.

III. Helvetiorum color generaliter loquendo rufus eſt & albus, *Marcell*. Lib. XV. omnes pene Gallos candidos facit & rutilos. Comam natura rufam habere, ſtudio tamen augere hunc colorem, inquit *Diodorus*. Certe non multos nigros fert Helvetia; inter filias multis uſitatum locis, rufos crines certo quodam modo mentiri, ſi tales a natura non fuerint; imo quamvis hoc ſit, etiamnum illum colorem augent. Gallos comam nutrire (unde & Galliæ Comatæ nomen) *Clemens Alexandrinus* poſt *Strabonem* eſt Author. *Plinius* Lib. XI. Cap. XXXIX. refert, Allobroges fœminarum inſtar comam habuiſſe. Diverſos autem circa comam habuiſſe mores, teſtantur hiſtorici. Apud Germanos Cattoſque, barbam capillumve tondere nefas fuit, niſi quis ex acie hoſtis caput retuliſſet. *Alex. ab Alex.* Lib. V. Cap. XVIII. Ægyptii omnes capillos nutriebant, barbam tamen tondebant, *Ravisio* teſte. Gallos omnes promiſſam gerere barbam, memoriæ mandavit *Livius*. Diſtinguit *Diodorus*, ſcribens, barbam quoſdam radere, quoſdam nutrire parce: Nobiles quidem radere genas, barbam vero promittere, ut corpora operiant, eo accidere, ut cum edant, cibo repleatur, cum vero bibant, veluti per canalem potus inferri videatur. Comam Germanis decoram fuiſſe refert *Seneca*: apud veteres quoque qui liberæ conditionis erant, comam magis nutriebant, ſervi & mancipia contra; unde *Ariſtoteles* Rhet. Lib. I. dicit comam libertatis eſſe ſignum, impedit enim ſervienti. Nunc ad antiquos Helvetios quod attinet, cum de iis præciſe nihil apud Authores extet, cæterorum Gallorum conſuetudinem habuiſſe, imo & eos ſub Gallia Comata fuiſſe credimus. Hodie vero ruſtici fere omnes, capitis capillos breves habent, barbas vero intonſas gerunt, ita ut aſpectus eorum Satyris ac Panibus ſimilis videatur, ſicut ait de Gallis *Diodorus*. Sed hæc ſufficiant, tædioſum enim eſſet hic referre omnes mutationes, ſive in coma & barba, ſive etiam in veſtibus, quæ quotidie in hac mundi veſpera contingunt. Superioribus adhuc ſæculis Helvetii tot mutationibus non erant obnoxii, ita ut extrinſecus ab aliis nationibus dignoſci poſſent, nunc vero aliarum gentium ſimiæ videri volunt: ſed hæc eſt hujus ſæculi vanitas. Audiamus adhuc Daniel. Eremit. De Helvetico veſtitu loquentem. *Veſtitu a Germanis diſtinguuntur locupletiſſimi, fluitantibus & verſicoloribus braccis, tegmine quondam veterum Gallorum. Cæteri ſtrictis & ſingulos artus exprimentibus, rari ſagulo aut pallio utuntur. Domi tamen frugalior & rudi craſſaque lana, foris cultior; per urbes, per itinera ornatiores incedunt, uno atque altero ſervorum comitati. Fœminarum habitus elegantior; opulentiores ſerico, alia lineis amictibus velant; utraque purpura aliiſque coloribus variant, nigro fere, etſi diverſo capitis velamine, pilei in modum, nam centone non utuntur.*

Talis fuit & eſt corporum qualitas; de Helvetiorum genio & ingenio aliquid dicendum. Primo intuitu, ſtupidi cenſeri poſſent Helvetii, aut ſaltem non ita acuti: nam *cum corpus & intellectus* (ut ait Bodinus) *contrario modo afficiantur, quo major eſt vis hujus, eo minor eſt illius, & quo quiſque intellectu eo minus corpore viget.* Docet quoque nos experientia, ſcientiam mollem reddere animum; Turcæ bellicam fortitudinem ſuæ debent ignorantiæ. Hac ratione Helvetii corpore valentes, minus ingenio pollerent; ſed hoc non eſt axioma catholicum; habent hæ rationes, ut plurimum, non vero ſemper, ſuam veritatem. Jam Cæſaris tempore ipſos græcis literis operam dediſſe ſupra monuimus. Divico qui bello Caſſiano Helvetiorum Dux fuerat, non minus bene dicendi quam belli gerendi arte clarus fuit. Poſtquam etiam Romanis Helvetii paruerunt, apud eos bonarum artium, & linguæ latinæ ſtudium florere cœpit. *Plinius* Lib. III. Cap. V. Inter Italiæ laudes ponit, *quod tot populorum diſcordes feraſque linguas ſermonis commercio, contraxerit ad colloquia, & humanitatem homini dederit*; ſenſim enim ſparſa latina lingua, generis humani bono, tam longe lateque, ut omnes fere homines, ſuo ævo, ea uſos *Plutarchus* ſcripſerit. Gallos Auguſti tempore Barbaros amplius dicendos negat *Strabo*. Claudius Coſſus Helvetiorum legatus facundia celebris fuit, ut oſtendit *Tacitus*. Vide *Hotting*. in Meth. Leg. Hiſt. Helv. pag. 535. Cauſidicos in Helvetia fuiſſe teſtatur Epitaphium quoddam, quod meminit cujuſdam eruditi cauſidici, annum tantum decimum octavum agentis. Habuit Aventicum ſuos Medicos & Profeſſores, qui ſine dubio Philoſophiam Academicam & Stoicam, tanquam Helvetiorum moribus & veteribus opinionibus maxime congruentem, docebant. Videatur inſcriptio quam referemus ad Urbem Aventicum. Sed de poſterioribus Helvetiis agamus. Sunt, qui Helvetiis, ſtuporem, ingenii tarditatem, literarum odium maligne exprobrent, montanam & brutam gentem eſſe publice ſcribentes, ſic *Theſ. Polit*. *Ingeniis Helvetiorum nihil craſſius, nihil pinguius, nihil incultius, præſertim olim.* Quaſi vero amœnis Alpium receſſibus Muſæ non delectarentur? Quod ſi ante reformationem non multi in Helvetia extiterint literati, commune fuit, ut ait *D. Hotting*. Europæ fatum, nec Helvetiæ genti armis ubique occupatæ, exprobrandum, quod totum mundum inundavit. Quamvis autem Helvetia, armis nobilior fuerit, quam literis, juxta *Eraſmum*, quamvis Helvetii Gallis ingenii acumine & promptitudine inferiores videantur, non tamen protinus, eos eſſe omnis prorſus judicii expertes, cenſendum eſt: fortitudo bellica judicium non tollit. Verum quidem, literas apud noſtros majores, non ita cultas; noſtra tamen

ætate, teste *Simlero* Lib. II. in omnibus Helvetiæ pagis, omnium ordinum viros, variarum linguarum, & artium peritos invenies. *Literas scire quam videri malunt, multique sciunt multa*; sicut ait *Daniel Erem.* Multi quoque latinæ linguæ ignari, nihilominus omnis generis historias ex veteribus authoribus, Germanice aut Gallice redditis, diligenter cognoscunt, & libris vulgari lingua scriptis, instructas habent bibliothecas. Vetustissimæ in Helvetiis scholæ, olim in S. Galli cœnobio, & in Curiensi collegio fuerunt, antequam Monachi laborem cum ignavia, & scientiam cum ignorantia commutassent. Academiam florentem olim a Pio Papa institutam, Basilienses: celebres scholas Tigurini: frequentia Bernæ & Lausannæ collegia Bernenses habent. Tigurinorum, & Basiliensium typographicas officinas celeberrimas & instructissimas prætereo. Viris doctis etiam clara Helvetia. *Habuit illa*, inquit Theod. Zuing. Theat. Lib. I. *Conradum Gesnerum Tigurinum, Helvetiæ decus; Hubertum Basiliensem, in quo perfecta Medici idea, Uldaricum Zasium Constantiensem Jurisconsultum insignem, ab Italis, paucis alioqui Ultramontanorum laudatoribus, summo in pretio habitum.* De clarorum apud Tigurinos virorum numero Buxtorffium audiamus in Præf. Dissert. Philolog. *Testes sunt hujus rei, tot viri ob variarum rerum præclaram scientiam, & æternitate dignissima literarum monumenta, toto orbe celeberrimi, quos urbs vestra semper, a superiore præsertim sæculo, vel produxit, vel gremio suo benignissime fovit. Taceo nunc Theologos, immortalibus scriptis claros, quorum solorum numerus justum posset catalogum conficere. Philologos, Historicos, linguarum omnium, & omnis antiquitatis peritissimos, si quis requirat, ubi præstantiores & celebriores, quam inter vestrates, reperiet? Conradi Pellicani, Theodori Bibliandri, Gualtheri Stuckii, Rodolphi Hospiniani, Conradi Gesneri, Caspari Waseri, Lavaterorum, & aliorum nomina, atque indefessi laboris, inexhaustæque in philologia doctrinæ, scripta, quis nisi qui literas penitus omnes ignorat? Quæ regio in terris horum non plena laboris? Quis in antiquitate angulus, quem illi non excusserint? quæ lingua, quam non excoluerint? quæ scrinia, quæ illi non perquisiverint? quid obscuri, quod illi non illustraverint?* De Bullingero Tigurino pastore sic Thuanus Lib. LXI. *Henricus Bulingerus Bremogarti Helvetiorum oppido natus, anno hujus sæculi quarto, Helveticæ confessionis post Zuinglium & Oecolampadium summus propugnator, & illo mortuo ad Tigurinæ Ecclesiæ curam vocatus, sed mitiore quam Doctor suus ingenio præditus, in qua cum XLIII. annos egisset, variis ac prope infinitis scriptis editis tandem senio gravis decessit 15. Cal. Octobr. Anno MDLXXV.* Elogium Josiæ Simleri mihi prætereundum non videtur, de quo idem Thuanus Lib. LXII. *Josias Simlerus Capella in Helvetiis natus, ultimum vitæ diem clausit Tiguri, An. MDLXXVI. cum tantum XLV. annos exegisset, animi candore, & omnijuga eruditione præstans, qui Petro Martyri Vermilio successor in schola Tigurina datus, stylum præcipue in Samosatenos, Arrianos, Nestorianos, Euthychianos, Macedonianos, & nuper veluti ab inferis hoc ævo in Polonia excitatos Tritheitas, strinxit, aliis scientiis egregie instructus, ac præcipue Mathematicis, quas & per se percepit, & summa cum laude diu professus est, & instrumentis ingeniosissime a se excogitatis illustravit, in bonis literis & excelluit, & de Republica Helvetiorum commentarium magna prudentia scripsit, ac præterea de Alpibus & Vallesia commentarium edidit, patriam etiam historiam, ab Ægidio Tschudo viro doctissimo vernacula lingua olim inchoatam, publico daturus, nisi eo in literis assiduo & arthritide ac calculi intolerandis doloribus in horas afflicto, properata mors, & præclarum rei literariæ juvandæ desiderium, & conceptam de optimi viri laboribus spem abrupisset.* Testatur *Frey*. Cap. X. Alchimiam Helvetiis deberi, parente Aureolo Theophrasto Paracelso Helvetio; is enim, ut ait *Ramus in sua Basilea*, in intima naturæ viscera sic penitus introivit, metallorum stirpiumque vires & facultates tam incredibili ingenii acumine exploravit ac pervidit, ad morbos omnes vel desperatos, & opinione hominum insanabiles percurandum, ut cum Theophrasto nata primum medecina perfectaque videatur. Platterorum ex Vallesia oriundorum, aliorumque infinitorum, de quibus idem Ramus & alii, non memini: eorum enim si enumerationem vellem instituere;

Icariæ numerum dicere coner aquæ.

CAPUT XX.

De variis Helvetiorum moribus.

Sic se habet Helvetiorum genius, tum quoad corpus cum suis adjunctis & qualitatibus, tum quoad ingenium & judicium: peculiares eorundem mores, vel circa *habitandi*, vel circa *vivendi* rationem, versantur.

De domiciliis.

Varia fuisse veterum domicilia testantur authores. Gallorum domicilia, teste *Cæsare*, plerumque in sylvis, aut circa flumina, æstus vitandi causa; eaque ex scandulis robusteis aut stramentis, *Vitruvio*; e tabula & cratibus rotunda, testudinumque instar constructa, magno imposito fastigio, tradit *Strabo*; stipula vero tecta fuisse *Plinius*. Hypocaustorum usum habuisse documento est Juliani Imperatoris in misapogone historiola. *Merul. Part. II. Lib. III. Cap. XIV.* Nullas Germanorum urbes, teste *Tacito, de Mor. Germ.* populis habitari satis notum, ne pati quidem junctas inter se sedes, sive adversus ignis casus, sive ædificandi inscitia. Helvetios autem non tam barbaros fuisse, ut urbibus carerent ex *Cæsare* patet, qui duodecim oppida, & quadringentos vicos eos habuisse scribit *Lib. I. Bell. Gal.* Ex qua porro materia suas olim domos extruxerint Helvetii, non ita certum; eas fuisse ligneas (tum ob lignorum, quibus ipsa abundat regio, copiam, tum quod ex variarum urbium, multorumque vicorum ruinis, vix aliquæ supersunt reliquiæ) verisimile est. Interim urbes non inscite conditas & constructas eos habuisse, unum testatur Aventicum, de quo Ammianus Lib. XV. *Aventicum desertam quidem civitatem, sed non ignobilem quondam, ut ædificia semiruta quoque demonstrant.* Hypocausta habuisse, sicut Gallos, credibile est, quod regio natura frigida sit. Hodie vici quamplurimi, in montibus maxime, aut prope sylvas, domos ligneas, sed eleganter & commode adversus frigoris vim constructas habent. Magnificis quoque urbibus, in quibus admirandi operis ædificia conspiciuntur, Helvetia non caret. Unica Berna, vix ulli alii cedat; de qua sic Daniel Eremita. *Berna eleganti & pervenusta ædium omnium & viarum similitudine, nulli urbium quam sibi similis. Ædificia habet mirabiliter extructa, nam licet tutum circumire sub porticibus cameratis totam fere urbem etiam pluviosissimo tempore.* Nihil hic de Basilea, Tiguro, aliisque dicam, templi etiam Lausanensis laudes reticeo. Ad suppellectiles quod attinet, suas, sive in urbibus, sive in pagis, instructas & ornatas domos divites habent:

hent: pauperes vero, ut alibi ſunt pauperes. De cubandi modo, aut aliis ejusmodi rebus, nihil apud Antiquos reperitur. *Polybius*, ſuper ſtrato gramine, *Diodorus* in ferarum pellibus, Gallos dormiviſſe referunt. Utrum hoc apud Helvetios in more fuerit poſitum, incertum: veriſimile potius eſt eos, cum & urbes & pagos habuerint, ab ejusmodi barbarie fuiſſe alienos, hodie molles habent lectos, in quibus ſuper culcitis plumeis decumbunt; Gallis autem hodiernis laneæ culcitæ magis placent.

De vivendi modo.

Porro vivendi rationem quod attinet, conſiderari poteſt, vel in œconomicis, vel in Ethicopoliticis. *Plinius* Lib. XI. Cap. XLI. miratur, barbaros lacte veſci; Græci enim omnis generis cibis, lacte excepto, utebantur. Author ex *Poſſidonio Athenæus* eſt, Italos veteres ita frugalitate inſignes fuiſſe, ut ad Poſſidonii tempora aquam fere biberent, & quidquid objiceretur, eſitarent, referente *Rhodiginio*, Lib. IV. Cap. IX. Notum vero, hoc cum tempore mutatum, & talem frugalitatem jam exulaſſe; Antiquos Helvetios, non minus quam hodiernos, ex carnibus, caſeo, butyro, lacte & ſimilibus, cibum ſibi comparaſſe juxta regionis qualitatem, de qua Cap. IV. credibile eſt. Quemadmodum autem temporum mutatio facta eſt, ita degeneravit in vitium virtus: periit magna ex parte illa veterum in victu & omni vita frugalitas & temperantia. *Non eſt illa*, inquit Simlerus, *continentia & parcimonia quæ olim fuit, cum absque ſtipendiis exterorum Regum & Principum omnes ſuo labore & induſtria victum ſibi compararent.* Qualis ſit Helvetiorum œconomia, oſtendit Quadus. *Hodie viris juvenibusque minime ignominioſum eſt & vaccas mulgere, & reliqua puellaria munia obire, quare mirum videri queat eandem gentem ſummæ fortitudinis ac pene infinitæ ſervitutis capacem, &c.* Hoc de Helvetiis montanis maxime intelligendum. Hactenus etiam Helvetii Agriculturæ dabant operam, tunc vivebant ut, ait *Juvenalis*.

- - - - *contenti caſulis, & collibus iſtis.*

tum, ut inquit Boetius:

Felix nimium prior ætas
Contenta fidelibus arvis,
Nec inerti perdita luxu:
Facili quæ ſera ſolebat
Jejunia ſolvere glande.

Tunc, inquam, ut loquitur Cicero pro Roſcio Amer. *Vita ruſtica, quam nos agreſtem vocamus, parſimoniæ, diligentiæ, juſtitiæ magiſtra* erat.

Antiquitus mutuæ fraternitatis & humanæ societatis fovendæ cauſa, inſtituta & ad praxin revocata convivia, ſive privata ſive publica apud omnes fere nationes. *Populus ipſe Helveticus*, teſte Simlero Lib. II. *maxime omnium publicis delectatur conviviis, in urbibus quidem opificum collegia, aut civium ſocietates peculiares ædes habent, his conventibus deſtinatas, in agro vero ſinguli publicam domum habent, quam quod amicitiæ cauſa eo conveniunt, ſociorum domum nuncupant.* Hactenus in illis conviviis non ſumptuoſe aut delicate vivebatur, ſed plerumque uno aut altero carnium ferculo convivium finiebatur: quod quidem adhuc obtinet in ordinariis conviviis, & apud multos, quibus habendi plura non datur facultas: alias apud divites ſumptuoſe ſatis vivitur atque opipare; illic carnes ferinæ cervorum, aprorum, urſorum, rupicaprarum, leporum, &c. inter volatilis generis carnes quoque habentur, Phaſiani, tetraones, ruſticulæ, perdices, turdi, coturnices, columbæ, gallopavones, alaudæ, capi &c. Deſunt minime varii generis piſces, inter quos maxime in pretio habentur truttæ. De Helvetiorum conviviis ſic Daniel Eremita. *Epulæ operoſæ magis quam delicioſæ, & quamvis inconditi, largi tamen apparatus, cibi ſimplices ſed copioſi. Apud Rhætos ferina & agreſtis, cujus idem apud illos uſus, qui apud nos bubulæ aut ovillæ, mures montanos & mihi in ſolenni convivio appoſuerunt.* Quod tamen non de omnibus, ſed de montanis & ruſticis Helvetiis maxime eſt intelligendum; alias ordinariæ ſatis ſunt bubulæ, vitulinæ, vervecinæ & ſuillæ, quibus ſalſis ſæpe utuntur, & ipſis maxima ſuppetit copia, ita ut Helvetii quidam σαρκοφάγοι alii vero ἀρτοφάγοι, nominari poſſint. Refert *Diodorus*, humanis carnibus Gallos vixiſſe, crudas vero Germanos voraſſe, ſcribit *Mela* Lib. III. quam barbariem antiquis Helvetiis tribuere non poſſumus. Tradit *Ariſtophanes*, a barbaris gentibus eos modo credi viros, quibus vorandi plurima, & bibendi facultas eſſet: Verum quidem, Helvetios multo cibo ac potu uti, ſed requirit hoc tum regionis frigiditas, tum validus eorum ſtomachus, & magna corporis moles: Fatendum tamen eſt, in hocce corrupto ſæculo, varie in exceſſu peccari, non enim aut cibis communibus, aut iis quæ naturæ ſufficiunt, contenti ſumus, ſed varias quærimus cupedias, quibus gulam noſtram irritamus, & ventrem præter neceſſitatem replemus.

Hactenus conviviorum materiam vidimus: Convivæ ſunt, non ſolum viri, ſanguine, affinitate, aut amicitia & ſocietate conjuncti, ſed & quandoque cum maritis uxores advocantur. Aſſerunt *Rhodiginius* Lib. VII. Cap. LIV. & *Willichius in Tacitum*; Celtas & Gallos quidquid contentionis & inteſtinorum odiorum eſſet, per fœminarum interventum compoſuiſſe; idem fere contingit inter Helvetiæ Germanicæ ruſticos, habent illi in ſuis epulis, ut plurimum uxores comites, quæ, ubi inter maritos ebrios non convenit, lites componere ſolent. In conviviis vero honeſtioribus, quod apud Lacedæmonios lege cautum erat, ut ſeniores & Magiſtratus his intereſſent, quo decore & moderate cuncti agerent, id apud Helvetios ex veteri conſuetudine ſponte fit, ut in eodem ſint cœnaculo omnes tribules, & illius ſocietatis principem teneant locum Magiſtratus & ſeniores, ſicut loquitur *Simler. Lib. II.* Quomodo autem ſe in his conviviis gerant, oſtendit Daniel Erem. *Convictibus non alia gens effuſius indulget, ſine loci, perſonæ, temporis diſcrimine, iiſdem epulis, eodem potu, quemvis excipiunt: cum familiaribus & notis familiarius & diutius adſident comi ſemper vultu: Tanquam volentes & non inviti faciant.* Veteres finito convivio, eruditas confabulationes, deinde fides & tibias, ac ſymphonias adhibuerunt, quibus majorum laudes carmine decantabant. *Alex. Lib. V. Cap. XXI.* Olim apud Helvetios rarus erat in conviviis muſices uſus, quod majorem ex mutuis colloquiis, in quibus ſæpe de privatis, plurimum de publicis rebus diſputabant, delectationem perciperent, præſertim vero ſenioribus, res præclaras vel a majoribus, vel a ſe geſtas, commemorantibus: hodie ſatis frequens eſt, muſices & varii generis fidium uſus; *delinimenta quoque ſoni adhibent, ſed incultis inconditisque numerorum modulis* Dan. Erem. hoc de ruſticis intellige.

Quemadmodum vero veterum Helvetiorum in omnibus moderatio & temperantia ſummam meretur laudem, ita hodie eorum, qui nocte dieque bacchanalia vivunt, ebrioſitas vituperio non caret; de hoc vitio, præcedenti ſæculo conquerebatur *Simlerus:*

 Quid

Quid vero dicturus non esset, si hodiernorum Helvetiorum mores cerneret? aut aliarum gentium exprobrationes audiret? Hic digito labellum compesco, nec multa dantur argumenta, quibus hoc Helvetiorum excusari possit vitium, ipsis quasi quarto modo proprium, ut Galli vulgo sentiunt: Vide, quæ super hac re habet liber, cui titulus, *Les Estats & Empires, &c. Ils aiment extremement à faire carous, & y passent les jornées & les nuicts entieres, & ceste procedure est si avant, qu'on ne sçauroit faire aucun affaire, ni contracter amitié qu'en bevant à toute reste: Veu que ceux qui boivent davantage, ou qui s'enyvrent, sont estimés plus francs & plus hommes de bien que les autres, qui refusent de faire ces exces domageables au corps, & à l'esprit. Et mesmes ils ne se contentent pas seulement de cela, comme on fait en Flandre, & en tous les Pays-bas; mais encor si quelquun refuse de se noyer de vin, ils luy porteront soudain le poignard à la gorge, & ce qui luy deuroit seruir de gloire, luy sert de suject de querelle.* Sed virulentius adhuc Daniel Eremita. *In potu deliciæ, in potu voluptas, nullo impensiore ad alia gustu, in hoc conveniunt, in hoc coeunt, in hoc negotiantur, hoc auspicantur, hoc initiantur, hoc peragunt, inde dies noctesque potando trahunt. Ebrietas, nulli probro, saturi a convivio ad vomitum & ad reliqua exeunt; exonerati redeunt, penatum domusque cura fæminis liberisque delegata, mira parcimonia ac frugalitate viventibus, quo maritorum gulæ parcatur, continuo popinis adsidentium. Etiam de rebus agendis inter pocula consultant: præclare aut a majoribus, aut a se gesta tanquam audientibus exemplo futura, libenter memorant, eadem qua cætera libertate se suosque extollunt; aperiunt quoque secreta pectoris sui per vinum nihil silentio transmittentes. Nec dies tantum potu & sermone trahunt; in ætates ducuntur pocula. Hyeme juxta focum & hypocaustis adsident; sed tum inclusi & ægre advenas hospitio excipientes: stultum videtur fovere illos, qui sibi ipsis parcere nesciant, tali tempestate foras euntes. Raræ ut inter vinolentos rixæ, raræ contentiones; Sed & illæ de æmulatione armorum aut rerum præclare gestarum; sæpius convitiis, raro cædibus aut vulneribus transiguntur; quod mirum in continua ebrietate est. Quin etsi quando vehementius in se insurgunt, depositis in medium armis, pugnis rem manibusque decernunt; sed eodem momento conveniunt, iisdem epulis, iisdem poculis, a quibus surrexere, conciliantibus; & nullo alio ex contentionibus damno, nisi quod innovata pocula in noctem ducantur.* Quis vero tot reticeat convitia? Scilicet regerendi nobis non esset locus; an non idem violentiam Helvetiis exprobrantibus dicere possemus, quod Germanus quidam Italo respondit.

Ut nos dulce merum, sic vos Venus improba vexat.

An temulentia Helvetiis sit propria tantum, ut volunt Sycophantæ, consulendus est *Plinius* Lib. XIV. Cap. XXII. Num Helvetios vinolentos magis quam alios facit? Videtis ergo in nulla mundi parte ebrietatem cessare, tanquam ad perdenda vina essemus geniti, & effundi illa non possint, nisi per humanum corpus: Quod olim prædixit Seneca. *Habebitur aliquando ebrietati honor, & plurimum meri cepisse virtus erit.* Id in moderna ætate evenisse forsan existimandum est, imo & antiquum obtinere; sic enim Galenus. *Optimus censetur, non qui sermone philosophico uti novit, sed qui multos maximosque calices exsiccavit.* Polybius Lib. II. refert, Gallos ob immoderatas crapulas & ebrietates seditionibus deditos. *Marcellinus*, Gallos vini avidum genus vocat. *Tacitus*, Germanos quoque facit bibaces. Ariæi singulis diebus fiebant ebrii, teste *Alex.* Lib. II. Cap. XIV. Non ergo soli Helvetii perpotationibus fuerunt, aut adhuc sunt dediti. Germani hodie illis hac in re sunt superiores, quid si ebriositatem non minus quam linguam ab illis mutuaverint? Galli etiam non sunt abstemii; illi generosis vinis utuntur, Helvetii vero vilia bibunt. Hæc autem dicuntur, non ut prorsus ab ejusmodi vitio eximantur, sed ut discant calumniatores tritum illud:

Turpe est Doctori, cum culpa redarguit ipsum.

Ita vulgo contingit, ut qui in alienis sunt oculatissimi, in propriis cæcutiant. Verum quidem, plurimos Helvetios, maximos esse potatores, interim tamen multi dantur sobrii & temperantes, imo leges vinolentiam prohibentes sunt a Magistratu positæ, sub gravibus satis pœnis; sic enim Petrus Mosellanus. *Multa quidem præclare in sua ditione instituunt fortissimi libertatis suæ defensores Helvetii, sed nihil præclarius, nihil laudabilius, nihil Reip. utilius, quam quod ab illis nuper scitum est. Nam cum per ebrietatem passim peccari viderent, ut aditus ad id vitii omnes præcluderent, in sua ditione statuerunt, ne cui deinceps alio vulgarium istarum innuitationum prætextu ad ebrietatem solicitare impune liceat.* Jam antiquitus si quis ex ebrietate aliquoties peccasset, non tantum carcere puniebatur, sed illi quoque vinum ad annuum tempus interdicebatur, teste *Simler*. Lib. II. Maxime autem apud Reformatos Helvetios Leges de mulctandis ebriosis, vigent. Videte nunc, o Helvetii, quo nomine apud exteras nationes audiatis: Ad praxim revocate Apostolicum effatum. Ephes. Cap. V. v. 18. *Ne inebriamini vino in quo est ἀσωτία.* Quid enim aliud est ebrietas quam litium mater, furoris generatrix, petulantiæ magistra, rabies voluntaria, invitatus hostis, honestatis illecebra, & pudoris injuria. Sed quid non ebrietas designat? Judicium rationis offuscat, naturalem virtutem enervat, infirmitatem generat, rebus temporalibus spoliat, mortem adducit, & Divinam maledictionem inducit.

Sera juvenum Venus, inquit *Tacitus* de moribus Germanorum, imo nulla apud antiquos Germanos erant scorta, teste in Tacitum *Willichio*. Utinam adhuc hodie, sicut olim apud Helvetios, locum haberet ejusmodi castitas, & a Venere abstinentia. Qui fit, ut hodie non ita corpore valeant Helvetii, sicut præcedentibus sæculis, nisi quia gulæ nimium indulgetur, & a teneris annis Venus improba colitur. Hoc agnovit *Vergilius*.

Nec Veneris, nec tu vini capiaris amore:
Uno namque modo, vina Venusque nocent.
Ut Venus enervat vires, sic copia Bacchi
Et tentat gressus, debilitatque pedes.

Sic Propertius Lib. II. Eleg. ad Cynthiam.

Vino forma perit, vino corrumpitur ætas.

Ergo secundum eundem Vergilium:

Vina sitim sedent, natis Venus alma creandis
Serviat, hos fines transiliisse nocet.

Saltationibus, Græcos, Indos, aliosque tum in sacris, tum in prophanis fuisse deditos testatur *Rodig. in.* Lib. III. Cap. III. Helvetii, *saltu etiam capiuntur, sed ad sonum tympani gravi & affectato incessu, ita tamen ut delectari videas*, sicut loquitur *Dan. Erem.* Vitium, vanitas & delirium est hodiernum, maxime apud Helvetios

vetios montanos, qui a choreis & saltationibus non magis quam a pane abstinere possunt: Videas ipsos inter saltandum corpus insano modo ita agitantes, ut, præcipue apud rusticos, amentes potius quam sani homines censendi sint. Apud emendatæ tamen religionis cultores (sic Reformatos vocat Thuanus) hæc insania & stultitia ecclesiasticis legibus sub gravi mulcta condemnatur.

De Helvetiorum Justitia & æquitate,

Quemadmodum Helvetiorum Rempublicam summa æquitate constitutam, & justitiæ laude, ex legibus, fœderibus, institutis, moribus veteribus, plurimis denique factis & exemplis, claram fuisse constat; ita semper æquitatis & justitiæ studium apud ipsos viguit, idque absque ulla personarum acceptione, ut apparet Orgetorigis exemplo apud *Cæsarem Lib. I. bel. gal.* & in omnium injuste oppressorum gratiam. *Exempla* (inquit Hottinger. in Iren. Helvet. p. 171.) *non pauca suppeditant annales domestici: Luculentiora sunt, Maximilianus Sfortia Dux Mediolanensis, & Renatus Lotharingus, Etterlin. pag. 95. Gradleri ex Styria, & Eulachii Mylhusini. Id. pag. 82. Ne privatis quidem civitatis Helveticæ jure donatis suum denegabant patrocinium, quod An. Christi M CCCC LX. contra Campidonensem Abbatem in œnopolæ cujusdam gratiam feliciter susceperunt; Tschach. p. 151. vide Simler. Remp. Lib. II. p. 129.* Sic in Justitiæ Helveticæ laudem loquitur *Gillius* in annal. Franc. *Ab eo tempore cœperunt Helvetii suis dominiis juste & æquiter præesse, multaque eximia & magna prælia fortiter pugnarunt, pro defensione suarum terrarum, privilegiorum, juris ecclesiastici, viduarum & pupillorum suæ ditionis, unde magnam sunt consecuti toto orbe famam & gloriam.* Zuing. Theat. Lib. III. *Populi Helvetii in ferendis sententiis æquitatem & justitiam, summi sæpe Principes admirati sunt, ita ut non raro gravissimæ controversiæ, justissimo Helvetiorum arbitrio committerentur.* Reges autem & Principes apud Helvetios facti sui rationem reddere non puduisse, ostendit memorabilis illa epistola Matthiæ, Hungariæ & Bohemiæ Regis, qua se Helvetiis, ob bellum Imperatori ex inopinato illatum, solicite purgat, Anno MCCCCLXXX. Epistolam vide apud *Hotting. in Iren. Helvet.* p. 171. &c. De Helvetiorum æquitate in nominibus exigendis, in rixis & pugnis dirimendis, in criminibus puniendis, in itineribus ab omni periculo repurgandis, aliisque similibus, vide *Simler. Lib. II.* Antequam autem ulterius progrediamur, nobis adhuc audiendus *Bodinus* (qui tamen in omnibus non ita bene de Helvetiis loquitur) is in Meth. Hist. sic ait. *Quid Helvetii? Qui cum a Suecis originem traxerint, non modo seipsos, sed etiam finitimos populos tyrannide oppressos in libertatem vindicarunt, Austriæ Principes sæpe fregerunt: Germanis maximas clades intulerunt, Imperii Germanici non minimam partem armis occuparunt: Denique tantum armis ac viribus profecerunt, ut Principum censores ac magistri vocentur.*

De Fidelitate & Constantia.

Talis fuit Helvetiorum Justitia: Hanc comitatur in promissis exequendis, aliisque rebus, fidelitas & constantia, nec enim illi hactenus subterfugia quæsiverunt, sed rotunde & sincere egerunt, maxime vero, antequam aureis Regum & Imperatorum asellis patefactæ essent Alpes: Tunc ipsis mens immota manebat, ut loquitur *Virgil.* nec fluxam gerebant fidem. Non laborarunt Gallorum infirmitate, qui in consiliis capiendis mobiles erant, & novis plerumque rebus studebant; teste *Cæsare Lib. IV. bel. gal.* Abfuit enim, in hoc usque tempus, ab Helvetiis omnis animi levitas;

Odi etenim ceu claustra Erebi, quicunque loquuntur
Ore aliud, tacitoque aliud sub pectore claudunt.

Homer. Iliad. IX. Nondum apud Helvetios impium Machiavellicum illud receptum est axioma; *Principi pejerare, fallere & dissimulare sine ulla dubitatione licere.* Norunt illi legem Dei, & Sophoclis dictum.

Apposito jurejurando cautior & diligentior
Animus fit. A duobus enim sibi cavet tum,
Et ne lædat amicos & ne peccet in Deos.

Hanc Helvetiorum fidem celebrat *Jovius* Lib. XI. *Populus Helvetius fide, virtute & recenti victoria inclytus, specioso decoroque titulo, defensor Pontificiæ libertatis appellatus est.* Hac de causa jam ab antiquo tempore eorum amicitia, & auxilium a variis quæsitum, & ut ait Vadianus in Melam, Principum stipatores facti sunt. Sic Becanus Jesuita opus. Lib. I. *Quare Pontifex Romanus, Rex Christianissimus, & nonnulli alii Principes, pro custodia corporis adhibent Helvetios? Propter fidelitatem.* Sed aliter sentit Bodinus, dum ait. *Helvetios Reges magna mercede semper quæsiverunt, non quod viribus suorum, ut inepte plerique arbitrantur, diffidant: Sed quod intelligant, in illa vastitate corporum, minimum calliditatis ac malitiæ latere*; eosque potius militis, quam Imperatoris munere delectari.

De Hospitalitate.

Hospitalitas apud gentem Helveticam semper commendata fuit: *Johan. Magnus* Lib. IV. Cap. II. refert, vix alibi in tota Europa promptiorem liberaliorem que hospitalitatem, quam apud Suecos & Gotthos, hodie inveniri: Sed non minor est Helvetiorum erga extraneos humanitas, & erga egenos beneficentia; Advenis enim apud se habitandi potestatem libere faciunt, modo quiete vivant, & quamvis regio ipsa immensis non abundet opibus, maximus tamen est Xenodochiorum in Helvetia numerus, tantaque peregrinorum emendicata stipe victitantium copia, quanta vix reperiatur, vide *Simler.* Lib. II. pag. 130. *Vadian.* in Mel. p. 175.

CAPUT XXI.

De Helvetiorum religione.

HElvetiorum privatos præcipue mores vidimus; magis publici nunc inspiciendi sunt: conspiciuntur autem illi vel in sacris, vel in prophanis: hoc capite de eorum tum Ethnicismo, tum Christianismo agemus.

De Helvetiorum Ethnicismo.

Nullam nationem esse tam barbaram, quæ numen aliquod non agnoscat & colat, testatur Cicero, vir alioquin a veri Dei notitia alienus. Helvetios antiquos, sub universalibus Ethnicismi tenebris constitutos, aliorum Ethnicorum more commentitia numina Deos & Deas coluisse ex variis inscriptionibus, certum est. Notanda autem hic est *Frey.* Cap. IV. observatio. *Pleranque*, inquit ille, *partem Celtas non fuisse idolorum cultui mancipatos, inde certum esse potest, quod Dei signa, altissimas quercus arbitrarentur, nec templa ædificarent; indignum rati Deum in humani oris similitudinem effigiare, parietibusque Deum cohibere, sed lucos & nemora consecrabant, Deique nomine appellabant.* Videatur super hac re *Plinius* Lib. XII. Cap. I. Ejusmodi lucos habuisse

buiſſe Helvetios, conjici poteſt ex loco illo, qui apud Antoninum nominatur Penne lucus, de quo ſuo loco.

Sicut vero eosdem fere cum reliquis Gallis mores, ita & quoque religionem habuerunt Helvetii; cum Germanis commune aliquid habuiſſe vult *Guillimannus*, eorum tamen religionem ad Gallorum magis, quam ad Germanorum cultum, acceſſiſſe credit *Simler*. Mss. Imo ex inſcriptionibus diverſis locis inventis Romanorum Deos, ſive id ſuis inſtitutis, ſive Romanorum conſuetudine a Julii Cæſaris temporibus factum fuerit, coluiſſe apparet. De Gallorum autem religione ſic Cæſar Lib. VI. Bell. Gal. p. m. 213. *Deum maxime Mercurium colunt: hujus ſunt plurima ſimulacra. Hunc omnium inventorem artium ferunt: hunc viarum atque itinerum ducem, hunc ad quæſtus pecuniæ, mercaturasque habere vim maximam arbitrantur. Poſt hunc Apollinem & Martem, & Jovem & Minervam, de his eamdem fere quam reliquæ gentes habent opinionem, &c.*

Jovem ab Helvetiis cultum oſtendunt, tum inſcriptio Paterniaci reperta, tum duo loca, ubi Jupiter Penninus ſummo erat in honore, & quæ a Jove Pennino denominabantur. Prior locus erat in illius montis vertice, qui hodie a S. Bernardo nomen habet, de quo ſupra Cap. VIII. poſterior erat Penne lucus, de quo alibi.

Apollinem in Helvetia pro numine agnitum, arguunt quædam inſcriptiones tum Genevæ, tum Aventici inventæ.

Mercurium quoque coluerunt Helvetii, ut apparet ex ſtatua Mercurium referente, quæ adhuc non ita pridem ex parte Vindoniſſæ cernebatur. Sunt & varia loca, quæ adhuc hodie Mercurii nomen retinent; Sic extra Salodorum porta occidentali eſt Hermesbuhel, quaſi Mercurii collis. *Guilim*. p. 123. Mercurium autem fuiſſe ſolem, ait *Macrobius* Saturn. Lib. I. De hoc ſic *Frey* Cap. IV. *Mercurium, magnum fuiſſe Celtis numen, Cæſari quidem dictum, ſed inductum, quo aut agnomine aut cognomine cultum. Aliunde mihi certiſſimum eſt Triſmegiſti, ſeu ſi mavis Ter Maximi fuiſſe epithetum Gallis ſolenne. Dubio procul de Auguſtiſſima in Divinis Trinitate, unde tandem aliquid innotuerat. Maximum ſcilicet Patrem, Maximum Filium, & Maximum Spiritum, ideoque ter Maximum, Mercurii licet nomine venerati.* Sed levis eſt conjectura. Mercurium etiam coluerunt Germani; teſte Tacito, cui certis diebus humanis quoque hoſtiis litare fas erat; imo religioſiſſimum putabant, *Alexand. Lib. VI. Cap. XXVI. Quid ergo dicemus*, inquit D. Hotting. *an ab hac crudelitate barbarica majores noſtros excuſabimus? qui vero id poſſemus, cum factum negare non poſſimus? quis enim credat, eos aliter feciſſe, quam tum tota faciebat Gallia & Germania?* neque ſolum Germania, ſed ipſa parens *domina rerum Roma. Excuſat hoc* Frey Cap. IV. *his verbis: Non eſt, quod jurati Gallorum hoſtes Romani crudele hoc facinus detegantur, quis enim neſcit jure belli licitum captivos occidere? cur igitur eodem gentium antiquiſſimo, quod humana ratio dictavit, jure, licitum fuerit, captivos ad aram ſeu immolare ſeu occidere?*

Deas quoque habuerunt Helvetii: & primo quidem Iſidem, ut ex quadam dedicatione in templo Vettingæ prope aquas Helveticas (Baden) & Regensberg, apparet. In pago Tigurino inter Albium montem, & Urſam fluvium, mons eſt, in quo multa adhuc veteris cujusdam ædificii rudera reperiuntur, vulgus locum, ſua lingua, Ethnicum templum nominat & montem *Iſenbergium* q. d. Iſidis montem, unde ibi Iſidis fanum aliquod fuiſſe conjectura eſt. *Simler*. Mss. *Hotting*. p. 529. Iſtius Deæ mentionem facit *Tacitus*, cum Suevorum partem Iſidi ſacrificaſſe affirmat: Idem quoque conjicit Iſida Ægyptiacam ex navigio in Germanicam veniſſe, ut ex Dialogis Luciani non eſt obſcurum. *Willichius* in Tacit. eam Herculis matrem fuiſſe, quæ ſub Suevo VII. Thuiſconum Rege in Germaniam venerit, credit. *Servius* autem ex ea terram facit. *Plutarchus*, & ante eum *Diodorus Siculus* lunam eſſe fingunt, unde juxta Plutarchum eſt κεράσφορος, corniculata Lunæ modo, quam ſub Iſidis idolo Ægyptios coluiſſe affirmat *Sabellicus*, Enn. I. Lib. I. Hanc in Helvetiorum tractu præcipue cultam vult *Willichius*. Teſtatur etiam *Eponam* Deam agnoviſſe Helvetios, inſcriptio quædam Salodori: De hac *Prudentius* in Apotheoſi. Eadem videtur eſſe, quæ *Hippona* quaſi ſtabularia, quod jumentis præſit ut conjicit *Simler*. Mss. Quidam mendum eſſe arbitrati ſunt & DEÆ BONÆ legendum exiſtimarunt: Sed non tantum in hac inſcriptione expreſſe nomen *Eponæ* poſitum eſt, ſed idem in quadam Carinthiæ inſcriptione legitur, ut oſtendit CL. *D. Hotting*. p. 531.

Dea *Aventia* in ſumma quoque fuit veneratione, imo tota Helvetia celeberrima, ut variæ oſtendunt inſcriptiones, de quibus poſtea, ſi Deus dederit, ad locum vulgo Germ. dictum Munchewyler. Hujus templum fuit in colliculo ſupra Aventicum, ſicut ait *Guilliman*. cujus vide conjecturas pag. 126. *Simler*. Mss. eandem cum *Diana Aventina*, quæ Romæ colebatur, fuiſſe conjicit, de qua *Propertius*, & *Ovidius*.

- - - - - *Aventino luna colenda jugo.*

Forte hoc modo Helvetii, ſicut de Maſſilienſibus refert *Strabo*, in amicitiæ Romanæ indicium, Dianæ Aventinæ ſimulacrum & cultum habuerunt, imo veriſimile eſſet, coloniam Romanam, quæ Aventicum incolebat, iſtius idololatriam ex Italia attuliſſe. Sed cum plures fuerint Dianæ, ut ſcribit *Cicero Lib. de Nat. Deor.* nominatiſſimam illam, eodem partu, cum Apolline ex Jove & Latona natam, quæ ſylvarum & nemorum Dea putabatur, fuiſſe credibile eſſet, quod apud Helvetios, & venatio & ſylvæ frequentes eſſent. Sicut vero fabuloſæ ſunt de illa Dea narrationes; ita levem eſſe conjecturam ſupra allatam credimus: Diana enim illa, de qua *Ovidius*, Aventina a monte Aventino, qui in Italia eſt, dicta fuit: quam autem coluerunt Helvetii, *Aventiam* (non Aventinam) ab urbe Aventico, nominatam teſtantur inſcriptiones, quae quidem a coloniis Romanis profectæ, ad illam tamen Romanorum Dianam Aventinam non reſpiciunt. Placet magis illa conjectura, qua volunt nonnulli, Deam tutelarem fuiſſe: Etenim cum is eſſet Ethnicorum mos, ut loca celebriora, Deos aut Deas tutelares haberent, cur non inſignis illa urbs Aventicum Helvetiorum caput, ejusmodi Deam a ſe denominatam habere non potuiſſet? Aſferenda hic *Frey*. Cap. IV. ſententia. *Eſt coloniæ cuidam in Gallia Belgica, in Helvetiorum limitibus, nomen Aventia, ſeu Aventicum, & hodie Avenza: Illic olim eodem nomine numen cultum. Quod nomen ſi a Gallico,* Avant, *derivetur, certe hoc numen, creatrix omnium rerum ſapientia eſt, quæ ab initio & ante ſæcula eſt. Si vero a Belgico, quod verius eſt, originem habet,* Avang, *principium adhuc uſitata dialecto denotat, nempe vetuſtas Germana principium univerſorum, Deum religioſe coluit. O mirum in paganis tenebris univerſum obtenebrantibus orbem in Gallia veritatis lucem!* Sed o parum felicem ſubtilitatem!

Augu-

Augustorum Numina coluerunt etiam Helvetii, ut ex inscript. apparet, quod Romani Imperatores inter divos referrentur, sæpe etiam pari adulatione vivis imperatoribus divinos honores decrevere; *Hottinger.* p. 530. In vetustis quoque inscriptionibus frequens est *Geniorum* mentio, quos religiose coluerunt, tanquam distributos urbibus a Divina mente custodes. Helvetios habuisse Sacerdotes, Augures, Pontifices, Flamines & Flaminicas, sacris operantes, testantur antiqua marmora, quæ cum a Romanis coloniis profecta sint, ita etiam institutum more Romano, templis, aris, statuis, sacrificiis, festis diebus, votis & similibus ceremoniis, cultum ostendunt: Unde Druidas habuisse credibile non est.

Religioni antiquitus Helvetiis fuit defunctorum corpora, non minus quam apud priscos Germanos & Romanos, ignibus dare, quod testantur urnæ quibusdam locis repertæ.

De Helvetiorum Christianismo.

Atque hæc de Helvetiorum Ethnicismo; De eorundem Christianismo varia a variis afferuntur, maxime a *Guillimanno* Lib. I. Cap. XV. ubi docet, Beatum Anglum sacerdotem a Petro in Helvetiam ad prædicandum missum, imo Petrum ipsum Helvetios primum convertisse, præcipue in pago Aventicensi & Urbigeno, Beatumque illum apud Vindonissenses Episcopum constituisse: Credat vero, qui volet ejusmodi μυθοποιῶν καὶ μυθολόγων commenta. *Theodoretus* Lib. IX. decur. græc. affect. inter Gentes ab Apostolis conversas Germanos & Britannos numerat. Is vero qui sub Dorothei Tyri Episcopi nomine synopsin de vitis Apostolorum commentus est, Apostolum nominat, qui Germaniam adierit: Thomam enim ait Germanis, Hircanis, Bactris, & Magis prædicasse; Sed hæc non multum probat *Conringius.*

Circiter annum Christi CLXXVII. Lucius quidam ad Christianismum conversus (hunc Britanniæ Regem fuisse, fingit *Sigismundus* religiosus in Chron. Augustano) in Rhætia & Tigurino pago, strenuum se Evangelii præconem gessit, ibique martyrio affectus est, referente *Guilliman.* & *Munst.* Lib. III. Scribit aliter *Aventinus* antiquitatis diligentissimus investigator in Annal. Bojor. Lucium Cyrenensem Pauli commilitonem & cognatum, in Vindelicia, Rhætiis, provinciisque Histro conterminis Christianæ pietatis sementem fecisse.

S. Mauritius, ex Mauritania Africæ regione oriundus, post Sebastianum, militiæ Dux Christianus, pietate ac militari virtute præstans, *Curio Chronol. Lib. II.* Sub Diocletiano floruit, cum legione Thebea; ab hoc tempore Helvetiorum Christianismus certius peti potest.

S. Fridolinus, gente Hybernus ex stirpe regia in Helvetia diu versatus, Glaronensem regionem & viciniam partim convertit, in fide confirmavit, sub Clodoveo primo Christiano Francorum Rege. Eodem quoque tempore S. Severinus apud Agaunenses & Antuates in magna virtutis fuisse fama perhibetur.

S. Columbanus cum suis discipulis, ob Brunechildis fraudes, se in Helvetiam recepisse fertur. *S. Gallus* Anglus cum Columbano in Galliam profectus, tandem ad Theodebertum, ad Brigantinum lacum in loco Tuconia dicto idola exussit, inde pulsus Arbonam venit, postmodum Columbano in Italiam proficiscente, in Suevia mansit; sed hunc Gunzonus Suevorum Princeps idololatra terra sua excedere imperat; cum vero Fridberga Gunzoni filia a Dæmone correpta fuisset, revocatus a Gunzone fuit S. Gallus, ut filiam sanaret, quo facto in Helvetiam se recepit, postea que monasterium condidit, quod in urbem S. Galli excrevit: obiit ille febre ætatis suæ An. XCV. Christi vero DCXL. in castro Burguirio sepultus. Adeo pie vixit, ut etiamnum vivens sancti cognomen meruerit, teste *Platina*, & referente *Zwing.* Theat. Lib. XII. Istius Galli laudes vide apud *Vadianum* in Mel. Lib. III. pag. 191. Sed omnes horum sanctorum historias infinitis conspurcatas fabulis commemorare tædet. Quidquid sit hoc certum. 1. Helvetios ante multos alios populos, a primis post Christum natum sæculis, ad Christianam religionem conversos, non quidem omnes, certum enim est, non eodem tempore, pulsas ex Helvetia paganismi tenebras, sicut illud ostendit *D. Hotting.* pag. 540. 2. Duos in Helvetia fuisse Episcopatus, Aventicensem & Vindonissensem, quorum ille Lausannam, hic Constantiam postea translati sint.

In istis porro ultimis sæculis, cum jam a longo tempore, universalis illa in Ecclesia ἀποςασία contigisset, quam futuram prædixerat Paulus 2. Thess. Cap. II. & jam dudum satis in templo Dei, tanquam Deus sedisset ὁ ἄνθρωπος τῆς ἁμαρτίας, ὁ υἱὸς τῆς ἀπωλείας; hujus Deo placuit, oris sui spiritu interneciouem in Helvetia incipere, & quidem Hulderici Zuinglii ministerio, is enim vel ante Martinum Lutherum, vel saltem eodem tempore, Christianam religionem ad primævam suam puritatem & veritatem, discussis errorum tenebris revocare studuit, qua de re sic *Pareus* in dedic. Tom. III. *Etsi vulgo primæ Luthero deferri solent in Evangelii restitutione, quæ facta ab ipso anno superioris seculi decimo septimo: tamen ex Zuinglii libris haud obscure liquet, jam biennio ante Glaronæ in Helvetia Christum populo Christiano fuisse annunciatum: cum ne nomen quidem Lutheri illis oris a Zwinglio tunc fuisset exauditum: imo decennio ante ait ipse, Græcanicis se literis ea causa operam dedisse, ut ex fontibus doctrinam Christi haurire posset.* Doctrinam autem Zwinglii novam non fuisse, ut dictitant Papistæ, relictis aliis Theologorum nostrorum argumentis, fatetur *Guilimannus* ipse Pontificius Lib. III. Cap. V. pag. 353. *In Helvetia Uldaricus Zwinglius, sacerdotii ordinis nonnulla quoque nova tradere, cœpit, aut pleraque, quæ olim Arnoldus Brixianus Tiguri docuerat, longa oblivione, & tenebris damnata, post quadringentesimum annum, in lucem memoriamque revocavit.* Quam male, insulse & Ethnico modo hodiernam Helvetiorum religionem describat *Dn. Eremit.* ostendunt ipsius verba. *Deorum cultus variat. Religione nonnulli meliores, cæteri superstitione utuntur: contemptu sanctorum, obliterata divinorum memoria, & libertate quoque divini cultus insolescunt: Deos quos colere, nonnisi pro libitu volunt, ne in templis quidem admittunt: exempla sanctorum cum imitari nequeant, supervacuum putant credere & memorari; scilicet eadem qua Principes rebellione dejecerunt, Deos quoque oblivione traducturi. Manet tamen antiqua fide & moribus potior pars, reliquorum pervicaciæ exemplo relicta, ne error impetu cœptus, ignorantia & absentia veritatis nutriatur.*

Inter Helvetios Reformatæ religionis cultores sunt Tigurini, Bernates, Basilenses, Scaphusiani, Sangallenses, Neocomenses & Biennenses. Cum Papistis mixti Reformatorum multi, apud Rhætos, Glaronenses, & Abbatiscellanos; reliqui Romanæ religioni sunt addicti, ita ut nunc quibusdam locis papanos ritus, magis quam Romani, aut ipse Papa observent; alias antiquis temporibus non ita superstitiosi fuerunt, frequentem imaginum cultum, ut alibi, non habuerunt, excommunicationes Pontificias contempserunt, aut saltem parvi

fecerunt, indulgentiarum mercatum non approbarunt, Clerum refrænarunt, & in eum sua supplicia statuerunt, Papam officii monere non semel ausi sunt, quarum & aliarum ejusmodi rerum probationes per exempla vide *D. Hotting*. in Meth. Leg. Hist. Helv. pag. 542. &c. Digna sunt Nicolai Underwaldii verba, apud Wimphel. referente eodem *Hotting*. quæ huc apponantur: *Nolite confidere in ceremoniis quibusdam, quas vobis ipsis, præter morem aliorum Christianorum, imposuistis. Nolite arbitrari, quod per sacras literas Spiritus S. prohibet, id a vobis solis Deo acceptum esse. Gestus & ceremoniæ quædam inter orandum manifeste & in propatulo fieri possunt. Quasdam autem (inter quas est una brachiorum per modum crucis expansio) non in publico; sed secretissime in intimis penetralibus faciendas sapientissimi patres edocuerunt.* Notent hæc hujus temporis superstitiosi.

CAPUT XXII.

De Helvetiorum politica.

TAles fuerunt Helvetiorum in sacris seu religione mores: In prophanis seu extra religionem publici eorundem mores considerantur in rebus tum *politicis*, tum *bellicis*. De politia nunc.

Quænam causa primum homines civilem aliquam societatem inire, multisque adeo legibus sese subjicere commoverit, variant sententiæ. Nonnulli a tyrannico imperio omnem civitatem initium sumpsisse autumant, quasi nimirum primi tyranni domitos a se populos in unum coegerint. Alii contra sponte credunt homines nonnullos cojisse, metu tamen quasi coactos, improborum hominum scelere ubivis grassante. Vult *Aristoteles*, hominem innato naturæ instinctu ad civilem ferri societatem, adeoque natura politicum esse animal; hominem etiam absente omni malorum metu, civilem nihilominus hanc appetere societatem. Cum autem tanta sit humanæ naturæ pravitas, ut homines simul sine dissidiis habitare non possint, juxta illud Poetæ; *Fratrum quoque gratia rara est:* fieri non potest, quin permultæ in omni societate, civilique convictu, oboriantur controversiæ, adeoque nulla possit existere Respubl. quæ non perpetuis flagraret factionibus ac motibus, nisi ejusmodi litigiis pacate dirimendis, commodis occurreretur remediis. Ejusmodi autem in omni paulo rectius constituta Repub. non tantum supremæ majestatis terror, Magistratusque civilis potestas est, sed & judiciorum publicorum vigor, talium scilicet institutio virorum, qui & publica litigia arcere, & privatis civium controversiis dijudicandis vacare queant. Quamvis vero pauca ex veteribus de antiqua Helvetiorum Republica habeamus, liquido tamen constat, eam pro temporis ratione recte fuisse constitutam; ante enim Cæsaris tempora, in quatuor pagos, in quibus duodecim urbes & quadringenti vici distincta fuit Helvetiorum Respubl. ubi notandum breviter. 1. Antiquitus Helvetios regiam admittere authoritatem noluisse, tanquam quæ ipsis non arrideret, & gentis genio non congrua esset: ut hujus rei fidem facit Orgetorigis suæ civitatis imperium obtinere cupientis, exemplum: Sic enim Cæsar Lib. I. *Ea res, ut est Helvetiis per indicium enuntiata, moribus suis Orgetorigem ex vinculis causam dicere coegerunt, damnatum pœnam sequi oportebat, ut igni cremaretur, &c.* Hinc 2. liquet, cum nulla societas absque judiciis vel brevissimo tempore consistere possit, Helvetiis sua non defuisse judicia, nec Magistratus, unde sic pergit Cæsar. *Die constituta causæ dictionis, Orgetorix ad judicium omnem suam familiam ad hominum millia decem undique coëgit: & omnes clientes, obæratosque suos, quorum magnum numerum habebat, eodem conduxit: per eos ne causam diceret, se eripuit. Cum civitas ob eam rem incitata, armis jussum exequi conaretur, multitudinemque hominum ex agris Magistratus cogerent, Orgetorix mortuus est, &c.* 3. Probabile est, unum fuisse toti Helvetiæ commune aliquod judicium, utpote quæ unam tantum Rempubl. obtinuerit; locumque ad judicia & conventus publicos destinatum fuisse Aventicum, antequam cremaretur Julii Cæsaris tempore, postmodum vero aquas Helveticas, ut alibi videbimus. Ut autem aliquid sive de antiqua sive de nova Helvetiorum Politia dicamus: observandum prius, qualis fuerit Helveticæ Reipublicæ status; deinde quæ forma. Statum hoc modo secundum tempora distinguimus, ut alius fuerit Helveticæ Reipubl. status ante insignes illas populorum migrationes, alius vero post. Prior ille status suis distinctus est periodis duabus. *Prima* periodus ad Julii tempora extenditur, tum Helvetia mere libera fuit: in tanta enim animorum ferocia & fortitudine, quis dubitaverit incredibile quoque fuisse libertatis studium. Est quippe libertas quasi fortitudinis, omnisque militaris rei & gloriæ mater nutrixque. *Secunda* porrigitur periodus ab anno, ante natum Christum, circiter septuagesimo, ad annum Christi circiter CCCC. quo tempore per Alemannorum expeditiones attritum valde fuit Romanum imperium. Hac periodo diversus fuit Reipubl. Helveticæ status, primo enim quamvis a Cæsare victi, tamen aliqua ratione liberi fuerunt, ita ut reparatis Cæsaris jussu oppidis & pagis, & fœdere cum Romanis percusso, ad Vitelii usque tempora pacati manserint, a quibus & territorii & suæ famæ non parvam jacturam fecerunt, ut ex Tacito patet. Interim de Helvetiorum cum Romanis fœdere sic loquitur *Vadianus* in Mel. *Illud non præteribimus, Helvetios Romanis jam olim fœderatos fuisse, ea tantum conditione adjecta, ne in cives reciperentur, ne quis hodiernum libertatis studium novum esse his gentibus, aut prorsus tale quid permitti eis non debeat, occlamet, meminit ejus fœderis pro Cornelio Balbo M. T. Cicero*, his verbis. *At quædam fœdera extant, ut Germanorum, Insubrium, Helvetiorum, Japidum, nonnullorum item ex Gallia barbarorum, quorum in fœderibus exceptum est, ne quis eorum a nobis civis recipiatur.* Guillimannus credit, Helvetios ex hoc fœdere aliquid populo Romano debuisse, de cætero liberos perstitisse, suam Rempubl. leges suas, suos magistratus retinuisse, exiguam Populi R. rationem habuisse, civitatis & petendorum honorum jus consecutos, Aventicosque a Galba civitate donatos fuisse, teste Plinio Lib. III. Cap. IV. Addit quoque Guilliman. sub finem Cap. VIII. Lib. I. de reb. Helv. *Quod autem Helvetios ad amicitiam & societatem recipere, quam servitute & tributis opprimere maluit Cæsar, quantum inde commodi, periculique caveretur, ea qua fuit prudentia consideravit. Homines enim fortissimos, & libertatis, jurisque retinentissimos, eo statu, qui servis abjectisque deberetur acturos nequaquam existimavit, potius quos hostium loco habuerant, Germanos exituros, majoreque detrimento & copiis, facta nova comparatione provincias Romanorum repetituros. Accedebat, quod veluti speculam populi R. & propugnaculum, quod de Martio Narbone colonia, dixit Cicero, infestis nationibus oppositum, qui fœlices Germanorum pericula a P. R.*

a P. R. *copiisque propulsarent, Helvetiorum amicitiam intelligebat: Quantum enim animis, virisque possent, suo periculo cognoverat Cæsar, cognoverant ante miserabili suorum internecione Romani*. Egregia & plausibilia sunt hæc, quæ de Helvetiis sentit *Guillim.* an vero hæc ita se habuerint valde dubito. Certum hoc, communes vicarios & tributorum exactores ex quadam Villariæ inscriptione, habuisse Helvetios, unde consequitur, eos fuisse aliqua ratione tributarios, non ergo ita liberos, ut affirmat Guillimannus.

Cum autem constet, Romanos in Helvetia colonias habuisse, breviter disquirendum, quid fuerint coloniæ & quotuplices, cur institutæ; & qualis earum administrandarum ratio. *Gellius* Lib. XVI. Cap. XIII. ait, colonias esse quasi parvas effigies & simulachra quædam populi Rom. Nam coloniæ sunt urbes minores ex civitate propagatæ, habentes jura atque instituta omnia populi Romani, cujus erant arbitrio, quæ conditio cum magis sit obnoxia & minus libera, quam municipium, tamen potior ac præstabilior existimatur, propter amplitudinem majestatemque Pop. Rom. sicut ait *Prevotius* de Magist. Rom. pag. 47. Hæ coloniæ propter juris diversitatem, duplicis fuerunt generis; quædam enim *latinæ* dictæ sunt, quædam *Romanæ*. Coloniæ Romanæ sive civium Romanorum vocabantur, quæ jure Quiritum donatæ erant, hoc est, quæ privatum civium *Romanorum* habebant jus consistens in *jure privatæ libertatis, connubiorum, patriæ potestatis, legitimi dominii*, ut, *hæreditatis, mancipii, nexus, usucapionis*, & reliquorum; item in *jure testamentorum & tutelarum*: Jura vero publica civitatis Rom. non habebant: quare qui eo adscripti *Coloni* erant, nomine quidem *cives Romani* erant, re vero *Coloni*. Merul. Part. Lib. IV. Cap. XIX. *Latinæ coloniæ* licet ex Romanis constituerentur, non tamen jure civium, sed sociorum, id est, latinorum utebantur. Nam jure Romano sic comparatum erat, ut si cives Romani in latinam coloniam nomina dedissent, vel sua voluntate, vel metu mulctæ ipsi latini juris fierent civitatemque amitterent, id Cicero testatur pro domo sua ad Pontifices & pro Cecinna. Quod si Latini in Romanam coloniam essent profecti, non tamen fiebant cives, sed latini juris erant, ut *Livius* scribit de Ferentibus. *Prevot.* pag. 49. In eo autem consistebat latii sive latinitatis jus, ut suffragiorum potestatem, Magistratu permittente, haberent, & cives Romani fierent, modo in latina civitate, aut Latii jure donata Magistratum gessissent. *Merul. supra cit. loco.*

Institutarum porro coloniarum variæ fuerunt causæ; *Guillim.* Lib. I. Cap. X. pag. 82. sex causas potissimum fuisse affirmat his verbis. *Una ad populos, quos Romani vicissent, armis melius coercendos: Altera hostium incursionibus, earum quasi objectu, reprimendis: tertia stirpis augendæ & propagandæ causa: quarta plebis urbanæ exhauriendæ: quinta seditionibus, per partium divulsionem abolendis: sexta & ultima, ut præmiis milites, qui toties vitam pro Republ. in discrimine habuerant, afficerentur*. Vide & *Prevot.* pag. 48. Coloniarum administrandarum ratio posita erat maxime in legibus & Magistratibus. Leges non unius erant generis: aliæ quidem quas coloni vel ab ipso populo Romano, vel a Rom. triumviris qui coloniam deduxerant, accipiebant, aliæ vero quas ipsum coloniæ concilium, id est, senatus populusque sibi ferebat.

Magistratus erant vel sacri, vel prophani, quandoque tamen una eademque persona utrumque & sacrum & prophanum gerebat magistratum, ut ex inscriptionibus patet. *Sacri* erant vel Pontifices, Sacerdotes, Augures, Flamines, de quibus superiori Cap. vel IIIIII VIRI AUGUSTALES, qui sive ludis, sive festis præerant, ut opinatur *Guillim.* pag. 128. Hos in coloniis cooptatos testatur Ciceronis Agraria: an vero certus fuerit Sacerdotum numerus, an vero pro coloniæ magnitudine variarit, parum explorata apud Antiquos est memoria. *Profani* erant, tum Decuriones, tum Duumviri, Censores, Ædiles, Prætores &c. Sicut ergo Romæ erat (ut ait Onuphrius) populus & senatus, sic hi novos colonos in Decuriones & plebem dividebant. Decuriones, senatus, plebs populi Rom. imaginem referebat: ita dicebatur notante Pomponio IC. Quod decima pars eorum, qui deducerentur, publici consilii gratia, solita esset conscribi. Eorum numerus an in omnibus coloniis idem fuerit, certo sciri non potest. Hoc sane ex *Plinio* Juniore patet in Decurionibus legendis non aliter, atque in Senatore Rom. observatum fuisse censum, qui centum erat millium. Ex Decurionibus singulis annis, *duo* plerumque vel IV. VIRI. creabantur juxta coloniæ magnitudinem vel parvitatem, qui II. VIRI, vel IV. VIRI I. D. id est, juri dicundo vocabantur, & Consulum Rom. vel Prætorum speciem repræsentabant. Annuum erat eorum imperium, de his, maxime de Duumviris, in variis inscriptionibus, quæ extant, Genevæ, Nevidoni, S. Mauritii, &c. ut suo loco videbuntur. *Censores*, authore *Festo*, dicti sunt, quod rem suam tanti quisque solitus sit æstimare, quantum illi censuerint. *Varro Lib. de Ling. Latin.* censorem ideo dictum putat quod ad illius censionem, id est, arbitrium populi censeretur. *Livius I. Dec. Lib. I.* ab agendo populi censu, nomen hoc originem habere scribit. De censorum numero, potestate & authoritate, denique hujus Magistratus gerendi tempore, vide *Ciceron. III. de Leg. Ædiles* viarum, publicorum ædificiorum, annonæ & publicorum Redituum locandorum, curam habebant. Præter hos fuerunt *tributorum Exactores*; Tributa enim pependisse, militemque dedisse colonias dubium nullum *Guillim.* pag. 84. Eosdem curatores & procuratores vocatos credit Guillim. quorum munus esset, reditus & tributa, aliaque quæ ad fiscum, colligere & erogare, causasque simul capitis cognoscere, pag. 102. & 103. Fuerunt & *coloniarum Patroni*, Romuli instituto, qui ut plebeis tutores patricios, ita coloniis, & sociis pop. Rom. quos quidem ex civibus vellent patronos, legendi potestatem fecit. Vide *Guillim.* pag. 85. *Triumviros* ærarii curam habuisse, & ejusdem præfectos egisse ex inscrip. R. ostendit idem *Guillim.* pag. 87. Idem forsan fuerint, qui Quæstores. Ad militiam quod attinet, meminerunt insc. R. in Helvetia Præfectorum Fabrum, & Tribunorum militum. *Præfecti Fabrum* artificibus præerant, qui castra sequebantur: quales fabri lignarii, ferrarii, carpentarii: illorum cura fuit fabrilem operam procurare, ac præbere cæteris & urbibus expugnandis necessariam: *Prevot.* par. 108. *Tribunos militum*, a tribuendo, quod militibus jura redderent, dictos putat *Vegetius*. Duo Tribunorum militum genera fuisse scribit *Asconius*: Alii *Comitiati*, qui Romæ comitiis designabantur, de quibus hic nobis non est sermo. Alii Rufuli dicti, a Rutilio Rufo, qui de eorum jure legem tulit: Postea literæ mutatione Rutuli vocati sunt, ut author est *Festus*. Hi in exercitu creari solebant, & curam habere militum, ut essent armis bene muniti, & militari disciplina eruditi. Eorum quoque officium erat in castris milites continere, ad exercitationem producere, vigilias circumire, rei frumentariæ præesse, commilitonum querelas

relas audire, valetudinarios inspicere, denique castrensia omnia curare & observare; cujus generis Gallia suos Marescallos habet. Ut loquitur *Prevot*. pag. 159. Sed hæc de coloniis dicta sufficiant, quantum quidem ad Romanarum inscriptionum in Helvetia intelligentiam attinet. Ad institutum redeamus. Post attritum ab Allemannis & fere eversum a Vandalis & Gotthis imperium Romanum, quibus temporibus Helvetia misere vastata est. Helveticæ, Reipubl. status iterum tribus periodis distinctus est. Prima periodus complectitur Helvetiæ sub Francis statum, ab Anno CCCCXCIX. ad An. DCCCCXIX. juxta *Hottingeri* calculum: Sub his dura fuit servitus, ita ut in plerisque populis libertas extincta videretur. *Lucan*. Lib. VII. Hist.

Libertas ultra Tanaim Rhenum recessit,
Et toties nobis jugulo quæsita negatur,
Germanum Schyticumque bonum.

Hac de re *Æmilius* florentissimus rerum Gallicarum scriptor. *Cadit Alemannorum res: Alemannia fracta, ingens tributum pendere jussa, leges etiam graves, Magistratusque ab irato victore accepit.* Joachimus Vadianus epistola quadam, quam recitat Goldastus Tom. II. Ant. Alem. ita loquitur. *Plena fuit servis & servitutibus Alemannia nostra, cujus magna pars hodie Helvetia est. Nec est, quod sciam montanus pagus aliquis Helveticus, qui rebus Francorum florentibus, durissimam illam servitutem non servierit, extant enim tabulæ veteres, quæ hanc rem clarissime testantur.* De beneficiis & potestate in Clerum a Francorum Regibus collata vide *D. Hotting*: in Iren. Helvet. pag. 183. *Secunda* periodus ostendit statum Helvetiæ sub Imperat. Germanis, sub quibus quidem quædam fuerunt liberæ imperii urbes, attamen variorum Ducum, Comitum, Baronum, aliorumque Nobilium maximo numero plus onerati quam honorati Helvetii: quod etiam illi sempiterno fœderi occasionem dedit, ita ut in *Tertia* periodo aurea iterum jam ante Christum natum consueta & usurpata redierit libertas. Ut enim liberis populis exosa est tyrannis, ita Helvetii a Nobilibus, aliisque ejusmodi generis hominibus, præter modum vexati, pristinam bono cum Deo libertatem recuperarunt, atque sic restaurata est primæva Helveticæ Reipubl. forma, quæ jam a quatuor seculis in hoc usque tempus feliciter continuatur. Soli Helvetii ut antiquam Celtarum dignitatem retinent, ita fere eandem Reipubl. formam conservant hodie: Sicut loquitur *Guilim*. p. 46. De hodierna autem Reipubl. Helveticæ forma breviter agendum. Triplicem vulgo statuunt Reipubl. formam, vel enim est *Monarchica*, quando omnis Reipubl. potestas penes unum est; huic contraria est tyrannis. Vel quando authoritate pollent optimates, & vocatur *Aristocratia*, cui Oligarchia opponitur. Vel denique Reipubl. forma dicitur *Democratica*, cum imperium obtinet populus: huic contrariatur Anarchia vel Ochlocratia. Varias olim fuisse Respubl. non incelebres, ex historiis patet. Celeberrima fuit Atheniensium civitas ex variis oppidis & populis a Theseo collecta. Achæorum Respublica duodecim constabat urbibus. Lyciis erant viginti tres urbes, quæ suffragia habentes in unum conveniebant: Similis & Caribus conventus ad Jovis chrysaorei fanum, insignis fuit. Florentissimam semper fuisse Helvetiorum Rempubl. testatur rerum præteritarum experientia. *Helvetica societas*, inquit Conringius, *paucas quidem urbes comprehendit, at æternitate & robore plane sine exemplo est. Non enim ipsa illa antiquitati celebrata, vel Achaicum, vel Ætholicum, Græcarum urbium fœdera, cum Helvetio, sive potentia, sive tempore contendi merentur, omnia alia συμμαχίας fœdera ad breve tempus, & pleraque intra paucas urbes stetere, &c.* Jam vero quæritur, *utrum hodie tredecim Helvetiorum fœderati pagi, una & eadem dici possint Respublica?* Negant multi eruditi, quos vide apud *D. Hotting. Meth. Leg. Hist. Helvet. p.* 450. Non enim ut ait Bodinus, *diversarum civitatum fœdera, commercia, leges, jura, religiones Rempub. constituunt eandem, sed ejusdem imperii conjunctio.* Fatetur Simlerus, hoc quidem verum esse, si exacte singula perpendantur. Interim certo quodam modo quæstio affirmari potest: Unum enim est totius gentis consilium, de pace & bello decernens, pleræque provinciæ communi administrantur imperio, easdem fere leges & consuetudines habent omnes, perpetuisque pactis adeo arcte devincti sunt, ut si non una sit Respubl. quam proxime saltem ad unius formam accedant, ut ait *Simler*. Lib. I. vel ut verbis CL. *D. Hottingeri* utar, si non καθ' ἀκρίβειαν, saltem καθ' ἀλήθειαν. Una ergo est, si non omnimodi imperii, saltem animorum conjunctione, una, inquam, est fœderis perpetuitate, & variarum rerum communione. *D. Hotting*. rationes vide fuse pag. 454. & seqq. Quæritur iterum, *utrum Helveticæ Reipubl. forma, Aristocratica, Democratica aut Monarchica sit?* Monarchicam non esse satis constat; ad Aristocraticam & Democraticam magis accedit. Dicimus autem, sufficientem non esse Reipubl. formarum enumerationem: Vel enim formæ illæ, mere Monarchicæ, ut in regnis Ottomannorum, Persarum, &c. Aut mere Aristocraticæ, aut mere Democraticæ, aut mixtæ, sive ex Monarchica, Aristocratica, ut in quibusdam regnis, ubi de rebus pace & bello necessariis deliberant & concludunt optimates. Rex vero eas opportune debet exequi. Sive etiam ex illis tribus mixta est Reip. forma, ut in amplissimis Romanorum, Carthaginensium & Venetorum Rebuspublicis videre est, in quibus populus a gubernaculis prorsus non removebatur, nec supremi Magistratus dominium & authoritatem optimatum tollebat. Denique mixta dici potest Reipub. forma ex Aristocratia & Democratia, qualis est Helvetiorum Respubl. Hic tamen adhibenda est distinctio. Vel enim tredecim Cantones (ut vulgo vocant) considerantur simul & quatenus unum ejusdem gentis constituunt corpus: Vel separatim, & quatenus unusquisque pagus peculiarem habet gubernationem. Priori modo Aristocratica est Helvetiorum Respublica magis quam Democratica; Pagorum enim legatis ad publica consilia convenientibus tractandarum rerum confertur potestas. Posteriori modo ex pagis quidam statum habent pure Democraticum, ut Uranii, Suitenses, Underwaldii, Glaronenses, Tugii & Abbatiscellani: Reliqui omnes ab optimatibus reguntur, quamvis adhuc Aristocratice magis quidam; populariter magis alii, sed de his fusius apud *Simler*. Lib. II.

Itaque errore non caret illorum sententia; 1. Qui statum Democraticum improbant, & cum Platone censent, miseras esse Respublicas, quæ judicum multitudine abundarent. Nos tamen consilium ex multis conflatum unius consilio præstare credimus: Nec enim fieri potest, ut unus tam accurate Reipubl. caussas vel negotia inspiciat atque expediat, neque difficultatibus ac periculis ita mature obviam eat, quam plures eo consilii & consociatis curis: Propterea non immerito Sapiens Rex Salomon dixit Prov. Vers 14. *Ubi non sunt prudentia consilia, corruit populus, salus autem est in amplitudine consiliarii.* Non est ergo ob Democra-

mocratiam contemnenda Helvetiorum Respublica, cujus amicitiam Imperatores, Reges, Principes, aliæque Respubl. quin & Concilia, Pontifices, Cardinales, Episcopi, Abbates non modo ambiverunt, sed & obtentam, magni fecerunt sollicitèque aluerunt; sicut exemplis ostendit *D. Hotting.* p. 485. Quæ ut origine & progressu miraculosa est, ita nec vi hactenus nec dolis magno & incredibili Dei beneficio, supprimi potuerit: Idem *Hotting.* p. 461. 2. Qui Anarchiam inter Helvetios locum habere tradunt, illis maxime sunt injurii: Inter quos est Daniel Eremita. *Populariter omnes; omnium maxime Rhæti, agunt ad 24. juridictionum capita; Et singulis infiniti conventus, omnes absoluti: Sine rectore, sine capite, sibi unoque vivente: Ipsi regunt, ipsi reguntur: Ipsi legationes obeunt, ipsi audiunt: Ipsi imperant, etiamdum imperantur.* Habent certe Helvetii & illorum fœderati sua statuta, leges, consuetudines, magistratus, adeo ut, quamvis Democratice vivant, tamen negotia publica recte & εὐτάκτως tractentur. 3. Vana est & improba calumnia, qua ab Helvetia Nobiles exulare credunt nonnulli, inter quos sunt Bodinus Gallus, & Machiavellus, qui super hac re sic loquitur. *Germaniæ civitates, & Helvetiæ pagi summa pace & tranquillitate vivunt, propterea quod æqualitatem inter se tuentur nec patiuntur, ullos Nobiles viros in sua ditione agere. Ac si qui forte rari inter eos supersunt, eos adeo implacabili odio prosequuntur, ut casu in eorum manus delapsos inclementer interimant: Quippe ab aliis (ut ferunt) nequitio ludo omnia corrumpi & perdi, &c.* Sed qui apud Helvetios vixerunt, istum scribam falsi & vanitatis coarguere possunt. Multi enim sunt, qui non tantum avitæ nobilitatis ac dignitatis jura obtinent, sed Reipubl. quoque munia funguntur: Tantum abest, ut apertum nequitiæ ludum habeant, ut pro se quisque civitatis suæ pacem & tranquillitatem foveant, clientibusque suis jus reddendum curent. Notandum ergo hic *primo*: Semper fuisse maximum in Helvetia nobilium numerum; sic Friderici II. tempore observat *Guillimm.* p. 291. *Nobilitas per illam tempestatem in Helvetia tanta, ut præter dictos comites, baronesque numerarentur stirpis comitum, & originis, ultra quinquaginta, barones centum sexaginta, nobiles & equestris ordinis ultra mille ducentos.* Superiori adhuc seculo in una Turgeæ præfectura supra viginti nobilium arces & jurisdictiones enumeravit *Simler.* in præf. Reip. imo etiam hodie vix pagus est ubi non existant nobiles, imo, in plerisque civitatibus peculiares societates & ampla privilegia obtinent. *Secundo* verum quidem est, multorum Nobilium familias extinctas, eorumque arces destructas, summumque aliquando erga illos fuisse Helvetiorum odium: Sciendum tamen est, sicut ait *Simler.* in præf. *non exiguam partem nobilitatis, ab Austriis principibus, Alberti filiis, necem paternam vindicantibus, cæsam & domo pulsam esse, arcibus ipsorum eversis;* atque sic Nobilitas ab ipsa nobilitate maximam passa est cladem. *Hotting.* p. 216. Quod si qui Nobiles ab Helvetiis male tractati sint, certe proprii infortunii fuerunt fabri; libertati enim Helveticæ insidiantes, Monarchiæ viam quærentes in Helvetiorum funeribus, eosque persequentes inique, temeritatis & injustitiæ suæ pœnas luerunt: Unde non mirum est, si majores nostri, vatiniano odio, ejusmodi nobiles prosequuti fuerint. Quod si nobilium quorundam injustitia, & præfectorum improbitas, Helveticæ libertatis asserendæ, & vindicandæ occasionem dederit; sic patuit ira Dei e cœlo adversus omnem impietatem & injustitiam hominum; & ostendit Deus, liberas civitates sibi summopere placere, quod in iis magis quam in alio Reipubl. genere commune bonum conservetur, jus suum unicuique æqualiter tribuatur, civium animi vehementius ad virtutem & laudem accendantur, religio colatur, sacra peragantur. *Guicciar.* Lib. X. Hist. Quodque dignitates virorum, non divitiarum sint, non contra, sicut Aureliani temporibus factum fuisse testatur *Vopiscus.*

Non minimam autem admirationis præbet materiam, qua ratione tot populi percusso fœdere in unam quasi civitatem ita brevi coalescere, & concordiam per aliquot secula constanter fovere potuerint. Verum quidem, sæpe civilia bella, ut alibi fit, exorta fuisse, & sæpissime non unum esse animorum consensum, & judiciorum concentum, sicut ait *Manlius:*

> - - *Hominum mentes inimica forte feruntur.*

Brevi tamen semper lites compositæ; dissidentes pacificati, luxata negotia in integrum restituta, & diremptæ amicitiæ colligatæ. Atque talis est Helveticæ Reipubl. status, qui in hoc usque tempus, ringentibus quamvis inferorum repagulis floruit: Utinam in æternum floreat, & illius hostes pudore suffundantur, atque valeant qui

> *Perniciem in nostram percusso fœdere jurant.*

Hic vero breviter observandæ quædam causæ, quæ Helveticam concordiam turbare solent aut possunt, nec non illius conservandæ remedia. Quidam discordiarum fomitem, in religionis divortio collocant, sed male, certum enim, pacatiorem & tranquilliorem nusquam fuisse Helvetiam, quam ab ipsa illa ætate, qua religionis divortium fuit introductum. *Hotting.* pag. 189. certum tamen est, etiam ex Reformata Religione, pacis turbandæ quærere prætextus Æolos quosdam ab Austris flantes; ii, ut juxta juramentum res sedis Romanæ & Domus Austriacæ, promoveant, specioso religionis prætextu utuntur, animos accendunt, & conciliis, dictis, factisque suis bellum excitare, concordiam turbare, amicitiasque dirimere student: Audiamus *Thuanum*, de ejusmodi Rerumpubl. cacodæmonibus loquentem Lib. LXXIX. ad An. MDLXXXIII. *Apud Helvetios portenti illius Romani largitionibus ac vafritie turbulentisque Jesuitarum concionibus belli civilis incendia propemodum hoc biennio excitata sunt, ut Bernates emendatæ religionis cultores, Caroli Sabaudiæ Ducis, in eos ex composito irrupturi armis obruerentur.* Istorum natura optime describi potest Virgilii verbis

> *Tu potes unanimes armare in prælia fratres,*
> *Atque odiis versare domos: tu verbera tectis,*
> *Funereasque inferre faces, tibi nomina mille,*
> *Mille nocendi artes.*

Sed numquid odisset Deus, qui seminat discordias? *Proverb. VI.* numquid quoque odissent homines, ejusmodi discordiarum satores & fautores. *Homerus* Iliad. IX.

> *Flagitiosus is est, sceleratus, inutilis, excors,*
> *Quisquis amat populis bella intestina movere,*
> *Quæ mala tanta ferunt secum, causasque malorum*
> *Innumeras sine fine ferunt civilibus armis.*

Utinam Helvetia ejusmodi γεννήματα ἐχιδνῶν careret, aut a lentis, sed periculosis venenis salutari vomitione liberaretur.

Concordiam non parum inter Helvetios labefactat invidia, eaque duplex: prima est exterorum principum, maxime vero vicinorum, qui potentiam Helveticam torvis oculis respiciunt. *Hesiodus.*

Sen-

Semper vicinus, vicino est æmulus, hunc ut
Condere cernit opes properantem graviter, &c.

Altera invidia est sociorum & fœderatorum inter se, inter pares potentia, opibus impares livor malevolentiam parit. Quod agnovit *Daniel Eremita*. *Bernatibus cum magnitudine finium invidia crevit odiosa.* Sed hæc & alia parvi debent esse momenti, nec talia, quæ Reipubl. Helveticæ florentem in hoc usque tempus, statum turbent. Itaque, o Helvetii, quorum hactenus fama toto orbe fuit celeberrima, partam semel libertatem, integramque vestram existimationem conservare, ne auri argentive eorum, quorum tyrannidis jugum excussistis, mancipia sitis, fallacibus promissis aures obturate, Machiavellicas sententias seu pestem fugite; neve φιλαργυρία Peruviana oculis vestris tenebras offundat. *Sophocles:*

Non omni ex re lucrum oportet capere,
Plures enim turpibus ex lucris
Damno affectos videas, quam servatos.

Pristinam sinceritatem, constantiam, simplicitatem, prudentiam, fidelitatem, concordiam, æquitatem, aliasque veterum Helvetiorum virtutes ad praxin revocate: Sicut illis cuncta fuerunt prospera, ita illorum vestigiis insistentibus bene erit: *Nolite existimare, majores nostros armis Remp. magnam ex parva fecisse: si ita esset, multo pulcherrimam nos haberemus. Quippe sociorum atque civium, præterea armorum & equorum major copia nobis quam illis. Sed alia sunt, quæ illos magnos fecerunt, quæ nobis nulla sunt: Domi industria: foris justum imperium: animus in consulendo liber: neque delicto, neque libidini obnoxius. Pro his nos habemus luxuriam & avaritiam: publice egestatem, privatim opulentiam. Laudamus divitias, sequimur inertiam: inter bonos & malos nullum discrimen, omnia virtutum præmia ambitio possidet.* Austuginus Lib. V. de civit. Dei, Catonem loquentem inducens. Hic vero gradum sistimus. De Helvetiorum enim inter se, aut cum aliis principibus, fœderibus, de publicis ipsorum conventibus, & publicarum controversiarum judiciis, aliisque ad Politiam pertinentibus dicere nunc nihil attinet, cum inter alios, ea exacte in sua Republ. Lib. II. *Simler*. descripserit.

CAPUT XXIII.

De bellica Helvetiorum virtute.

JAm ad rem militarem accedamus, qua jam olim Helvetii floruerunt, & toto orbe conspicui fuerunt. Nobis autem de priscis Helvetiis ex veteribus Scriptoribus agendum.

Sicut pronum in arma Gallorum animum variis depingunt coloribus Historici, ita quoque ipsorum in bellis ferociam & audaciam describunt. Gallos animosos facit *Claudianus*; bellicosos & armipotentes alii tradunt: unde *Cicero* de provinciis consularibus agens, dixit, Galliam Romanis esse timendam; & *Salustius*, Italiam omnem ab hac gente contremuisse, adeo ut cum Gallis non de gloria, sed de salute certari fuerit solitum. *Nulla gens*, inquit Sabellicus in Præf. Enn. IV. *Italiæ formidolosior, nulla majores ipsi terræ intulit clades: certarunt Romani cum finitimis populis de principatu, cum Pyrrho de gloria, cum Carthaginensibus de imperio, cum Gallis de vita semper.* Sed quæ de Gallis circa rei bellicæ studium habent veteres, ea in eminentiore gradu Helvetiis tribuenda censemus. Nonne *Cicero*, in orat. de Prov. consf. acerrimam Helvetiorum nationem facit? Nonne scripsit Cæsar, *Helvetios, reliquos Gallos virtute præcedere?* nonne eos vocat, *homines bellandi cupidos, qui pro multitudine hominum, & pro gloria belli, atque fortitudine, angustos se habere fines arbitrabantur?* Nonne *Tacitus* Hist. Lib. I. Helvetios *Gallicam gentem, olim armis virisque, mox nominis memoria claram facit? Orosius* Lib. VI. Cap. VII. fortissimam omnium Gallorum gentem dixit. Helvetios, *cupidam bellandi gentem*, ut ait *Sabellicus* Enn. VI. Lib. V. semper fuisse ostendunt, variæ ipsorum cum Gallis in Italiam & Græciam expeditiones; audax occupandarum Galliarum, Cæsaris tempore consilium: & frequentes suæ ad bellum operæ locationes; unde *Gessatæ* Polybio nominati, uti vidimus supra Cap. XVII. Porro quibus armis uti consueverint, eos communem Gallorum armaturam habuisse credibile est. Helvetiis non minus quam Gallis graves fuerunt gladii, imo prælongi & sine mucronibus, *Polybio* & *Livio* notantibus, ad hoc tantum utiles, ut quemadmodum apud Strabonem videre est, desuper in hostem impingerentur, unde

. . . . *Alte consurgit in ensem.*

Apud *Virgilium* censore Servio: his impetentes hostium capita abscindebant. Gæsa & scuta cum reliquis Gallis habuerunt, de his *Virgilius* Æneid. VIII.

. . . . *Duo quisque alpina coruscant*
Gæsa manu, scutis protecti corpora longis.

Dicuntur *alpina* non solum, quod Alpini populi iis uterentur, verum etiam, quod ex alpina materia facta essent. *Simler*. de Alpib. *Cæsar* Lib. III. bel. gal. Gesa vel Gæsa, ut scribendum putant quidam, *Veragris* Gallis tribuit. Quodnam vero fuerit armorum genus, variant Authores: tela fuisse ex *Varrone* habet *Nonius*, unde etiam *Cæsar*, citato loco ait, Gallos Gesa in vallum conjecisse. Hastas viriles ad *Virgilii* locum interpretatur *Servius*, qui viros fortes, *Gesos*, a Gallis vocatos censet. Volunt quoque nonnulli, Gessatas ab hoc armorum genere, nomen accepisse, quod Gessatis Helvetiis, magis quam aliis Gallis proprium fuerit. *Vox in inferiore Germania*, inquit Merula, *bellis renata civilibus, pervulgataque, & uni parti adversæ ab altera nuper indita.* Qualis autem in Helvetiis fuit præliorum virtus? Virium prorsus confidentia ingens, fuerunt enim homines aperti, minimeque insidiosi, per virtutem, non per dolum dimicare consueti. Hinc Divico Helvetius, ad Cæsarem, qui Tigurinos circumvenerat, locutus legitur. *Se ita a patribus majoribusque suis didicisse, ut magis virtute quam dolo contenderent, aut insidiis niterentur.* Cæsar Lib. III. bel. gal. de Gallis loquitur sic: *ut ad bella suscipienda Gallorum alacer ac promptus est animus, sic mollis ac minime resistens ad calamitates perferendas mens eorum est.* Livius quoque ait, *Gallorum prima prælia plusquam virorum, postrema minus quam fœminarum.* Sed Livium mendacii arguit Frey Cap. VI. *Impudenter Livius subjungit, postrema minus quam fœminarum, verius enim & fidelius, Leo de bellico apparatu. In magno, inquit, opprobrio parvam retrocessionem ponunt, atque eam, fugam existimant Galli.* Quidquid sit, non fuit ille Helvetiorum animus, quid esset fuga, nesciverunt; Sic enim Cæsar Lib. I. *Hoc toto prælio, cum ab hora septima ad vesperam pugnatum sit, aversum hostem videre nemo potuit.* Notabile est, Helvetios fortissimam gentem, nunquam victos fuisse, nisi a Romanis rerum dominis, qui totum orbem sibi subjecerunt, sicut ait *Petronius*, satyr.

Orbem jam totum victor Romanus habebat,
Qua mare, qua terra, qua sydus currit utrumque.

Et Buchananus.

Roma

Roma armis terras, ratibusque subegerat undas
Atque iidem fines, orbis & urbis erant.

Vulgati olim fuerunt sermones, Romam mundi caput, unde Martialis;

- - - - *Terrarum Dea, gentiumque Roma.*

Et Cicero ita scripsit. *Nulla gens est, quæ non aut ita subacta sit, ut vix extet, aut ita domita, ut quiescat, aut ita pacata, ut victoria nostra imperioque lætetur.* Quare mirum non est, Helvetios cum reliquis populis eandem habuisse sortem. Quales fuerint ipsorum præparationes & commeatus, cum aliquod bellum susciperent, docet ipse Cæsar. *His rebus adducti & authoritate Orgetorigis permoti, constituerunt ea, quæ ad proficiscendum pertinerent, comparare: jumentorum & carrorum maximum numerum coemere, sementes quam maximas facere, ut in itinere copia frumenti suppeteret: cum proximis civitatibus pacem & amicitiam confirmare, &c.* Sic veteres Helvetii militaturi maximam rei frumentariæ rationem habuerunt, ut ea ipsis suppeteret, hostibus vero deficeret. Carris quoque sua castra claudebant, teste eodem *Cæsare*. Uxores & liberos secum in bellum ducebant, imo legimus, Tigurinorum & Ambronum (qui Helvetii erant) mulieres in bello Cimbrico, in suis castris Mario diu restitisse, donec a Romanis superatæ, se suosque parvulos fœmineo furore, vi autem virili necavissent, ut loquitur *Orosius* Lib. V.

Galli & Germani olim cum hoste congressuri, dissono & truci cantu, quem barritum vocant, cum ululatu & tripudiis scuta quatientes prælia inibant. *Alex.* Lib. IV. Cap. VII. Hic militaris tumultus frequenter a *Livio* notatur, præcipue Dec. III. Lib. I. *Galli occursant in ripam, cum variis ululatibus, cantuque moris sui, quatientes scuta super capita, vibrantesque dextris tela.* Idem fere fuit Helvetiorum mos, sic enim *Alex. ab Alex. jam citato loco. Ambrones incessu tardo arma pulsantes rythmis cum congressu & pulsu armorum consonantibus suum nomen exprimentes in hostes irruebant.* Plerosque Gallos super umbilicum nudos pugnare consuevisse, narrant & *Polybius & Livius:* Idem quoque fecisse Gessatas Helvetios ostendit *Polyb.* Lib. II. *Gessatæ ob magnitudinem animi & incredibilem gloriæ cupiditatem abjectis scutis, &c. nudi tantum cum armis ante omnes stabant, rati per eum modum se aptiores & magis expeditos ad bellum fore, siquidem densæ in iis locis sentes implicarent vestes & armorum usum præpedirent*, & eodem libro sic ait. *Magna ac nuda corpora, & bellici quidam motus sub clypeis miraculo simul & formidini erant.* Sic Cæsar Lib. I. *multi ut diu jactato brachio, præoptarent scutum manu emittere & nudo corpore pugnare, &c.* Obsides accipere, non dare consuevisse veteres Helvetios, refert idem *Cæsar*.

Cæterum Helvetios innatum rei bellicæ studium & masculum animum non solum antiquioribus, sed & posterioribus seculis habuisse certum est experientia, testimoniis & rationibus. Experientia in historiarum narratione cernitur. Testimonia ejus rei habemus multa, quædam hic proferemus. *Volaterranus* Geog. Lib. VII. Helvetios, gentem animæ prodigam & bellicosissimam: *Baptista Pius*, Truces: *Mantuanus*, genus armipotens: *Egnatius*, feram gentem armis, Helvetiam: *Oswaldus Pergenerus*, Martigenas & bellicosos: *Author Thes. Polit.* bellicosos & natura feroces: *Guicciard.* Lib. II. Nationem Helvetiorum omni tempore invictam & ferocem, faciunt. Ludovicus Palatinus Comes habito ad Fridericum Ducem sermone, Helvetios acre ac bellicosum hominum genus vocat. *Gerard. de Roo* Hist. Aust. Lib. IV. Ita bellicosos faciunt Helvetios omnes pene Scriptores. Sic *Quadus*: *Tanta horum virtus ac potentia, ut & Imperatores aliquot, dum eos subjugare nituntur, non solum animo, sed & opes & sumptus defecerint, quod inviolata eorum fœdera præstiterunt.* Sic quoque *Gillius* in Annalib. Franc. *Homines bellicosi, & in armis exerciti, quorum proinde opem & auxilium exteræ sæpius nationes quærunt.* Non ergo solum ob eorum fidelitatem & constantiam, a Regibus ad sui corporis custodiam quæruntur, ut jam supra diximus, sed etiam ob bellicam eorum fortitudinem, unde *Belleforestius* in Carol. IX. *fideles & fortes Regum Galliæ compatres*, appellat. Ita & Bodinus: *Ab Helvetiorum salute & tranquillitate, securitas Francorum quodammodo pendere videtur.* Quin etiam Imperatores & Pontifices, non semel eos, quibus aqua & igni interdictum erat, Helvetiis expugnandos & in ordinem redigendos tradiderunt, ut variis exemplis ostendit *Hotting.* p. 473. Helvetiorum laudes militares canunt Poetæ. Sic *August. Coccejus.*

Helvetii, gens una Jovi carissima summo
Et cara Martis pignora.
Invicti bello populi, certissima Regum
Bellantium spes ac metus.

Gaspar Ursinus Velius, cum de aliis nationibus, carmine cecinisset, ita de Helvetiis pro fine subjungit.

Intrepido excellens animo, & fulgente securi,
Martius his colophon additur Helvetius.

Sic Bartassius Poeta Gallus de Helvetiis in pugna Yvriacensi adversus Henricum IV. loquitur, post fugam Ligæ. An. MDXC.

- - - - *Seul l' escadron d' Helvece*
Ne voulant dementir son antique prouesse,
Bransle le fraisne aigu contre le camp vainqueur,
Et plus la route croit, plus il enfle son cœur.
Mais aussi tost l' esclair de ta guerriere face,
Leur cœur diamantin transforme en fresle glace,
De fresle glace en eau, d' eau en tiede vapeur,
Et ceux à qui la mort, vient plustost que la peur,
Ceux dije qui jamais, ne tournerent l' espaule
Qu' au Phœnix des guerriers, au dompteur de la Gaule,
Ces vieux fleaux des tyrans, ces correcteurs des Roys,
Prosternent a tes pieds, & leurs & leur bois,
Lors toy pour ne flestrir d' infamie eternelle
Un peuple de tout temps au sacre lis fidelle,
De ton cœur despité la fureur appaisant,
Fais de leurs chers drappeaux à leurs Cantons present.

Quemadmodum autem Europa populos natura bellicosiores & ferociores Asiaticis plerumque habet; Ita in ipsa Europa, qui asperas, montanas & frigidas incolunt regiones, aliis bellicosiores esse perhibentur; ut apparet ex populorum, e Septentrionis asperrimis regionibus egressorum vastationibus, quibus Romana potentia omnibus quondam terribilis, contrita fuit. *Simler.* Lib. II. In plerisque regionibus, alii sunt milites, alii agricolæ, alii opifices. Alibi spectatur ætas, & juvenes leguntur, qui juxta *Vegetium* de re milit. Cap. IV. ita dicti sunt, quod in re militari juvare Rempubl. possint, quod ut fiat, parendo mature imperare discant, discendi & exercitandi se spatium habeant, &c. Aliis ad bellum tantum apti videntur, non omnis conditionis opifices, sed tantum fabri ferrarii, carpentarii, macellarii, venatores, iique non omnium animalium & fugacium lepusculorum, verum cervorum, aprorum, ursorum, &c. *Veget.* Lib. I. Cap. VII. In Helvetia autem omnes quodammodo milites nascuntur, neque quisquam est corpore integro, & ætate, in quo non militaris quidam

ſpiritus eluceat. *Simler*. Lib. II. *Adde longam eorum bellicis in rebus experientiam, cui rei aſſidui vacant quaſi ad id ſolum fuerint nati. Naucler*. Sed militaribus hominibus de bellis & bellandi modo loquendi munus relinquimus. Itaque nihil de exercitiis & ludis ad virtutem militarem præparantibus, nihil de armorum generibus, nihil de militum delectu, nihil de commeatuum cura, nihil de partiundæ prædæ modo, nihil de diſciplina militari, aliisque ejusmodi dicemus, de quibus *Simler*. Lib. II. Et *Hotting*. paſſim in Irenic. Helvet. & in Meth. Leg. Hiſt. Helv. Antequam tamen hujus rei dicendæ finem faciamus; quædam annotabimus, quæ ex antiqua conſuetudine obſervant Helvetii, & inter priores & poſteriores aliquem inſtituemus parallelismum.

I. Ingenium & ſtudium militare, utrobique neceſſitate ſemper fuit auctum: Ante Julii Cæſaris tempora bellicoſi erant Helvetii, quod Germanis quibuscum continenter bellum gerebant eſſent proximi. Eadem fuit militiæ neceſſitas quæ noſtros majores, jam a tribus aut quatuor ſeculis bellicoſos effecit; cum enim Helveticam libertatem vicini fere omnes, præſertim Auſtriaci, continuis bellis opprimere conarentur, contigit neceſſitate ſic efflagitante, ut qui agriculturæ & rei pecuariæ præcipue ſtuderent, fortes ac generoſi in hoſtium ſuorum perniciem, milites facti ſint. *Simler*. Lib. II.

II. Utrorumque conatus altum, excelſum, & qui fidem pene ſuperet, oſtendunt animum. *Hotting*. p. 288. confer veterum Helvetiorum facinus & conſilium, Julii Cæſaris tempore, cum heroicis recentiorum in Mediolanenſi Ducatu factis.

III. Veteres Helvetii, Gallis annumerati fortitudinis palmam, omnibus præripuerunt, teſte Cæſare. Poſteriores inter Germanos relati eandem retinent laudem. *Sunt noſtro ævo militum Germaniæ, quorum opera potiſſimum in bello Europæi utuntur Principes, tria genera. Primos Bojemos appellamus. Secundum genus collectitia manus eſt, ex omnibus Teutonum regionibus, ipſi patria lingua ſeſe Landsknechten, hoc eſt, patriæ miniſtros, nuncupant. Tertium genus a pago Suitones nominatur: Ipſi ſe Eydgnoſſen, Alemannica lingua, quaſi dicas fœderatos, dicunt. Liberi ſunt, & immunes omnis imperii ſupra quam ea loca, quæ olim Helvetii incoluerunt, non ſolum tenent, ſed etiam implent. Suitones, ſuperbiæ nobilitatis adverſi, modeſtia, concordia, victus parſimonia, diſciplina præferuntur*. Aventin. Annal. Bojor. Lib. IV. pag. 367. referente Hotting. pag. 288.

IV. Priores Helvetii nunquam victi, niſi a Romanis rerum Dominis, ut jam ſupra diximus; Poſteriores vero nunquam intra ſuos fuſi aut cæſi limites, quod ex *Stumpfio* obſervat *Hotting*. p. 289. *Helvetios extra patriam vincere queas: Quod nequeant plus quam triginta aut quadraginta hominum millia producere. Domi invicti ſunt, quod iſthic centum millia armare queant*. Machiavel. Lib. II. Cap. XII. non ſolum propter hoc, ſed quia pro aris & focis ſemper maſcule dimicarunt.

V. Multa alia ſunt, quæ recentiores Helvetii, ab antiquis habent; Graves enſes & obtuſa cuſpide, quibus cæſim cæditur: Carris quoque utuntur, mulieres complures ſecum ducunt. Peditatu magis quam equitatu valent, quia corpore robuſti ſunt & nimis, maxima ex parte, magna ſe mole movent. Unde utrobique fuit conſerta acies; *Propria genti conglobatio & per acies cuneosque pertinax conjunctio*. Dan. Erem. quæ facile frangi neſcia & ad rejiciendum equitatum idonea eſt. *Hac ætate prima illis peditatus gloria*, Alciat. in Tacit. *Pedites fere præliantur; rarus aut nullus equitum uſus; eoque victores ſæpius quam victi. Nam in univerſum & cum judicio æſtimandum, plus penes peditem roboris*, Dan. Erem. Refert *Diodorus* Gallos vocem gravem atque aſperam, & tubas ſuo more barbaras & aſperum ſonum reddentes habuiſſe. Helvetii hoſtem aggreſſuri clamore etiam initium faciebant: Sic teſtatur *Etterlin*. cum Anglos agrum Bernenſem infeſtantes adorirentur. *Decretum*, inquit, *erat prælii initium facere clamore magno*. *Tſchachtlanus* addit, non exiguum hoſtibus clamore iſto fuiſſe incuſſum terrorem. Sic *Guicciard*. Lib. XII. *Tantis clamoribus ad Gallorum caſtra contenderunt, ut ejus rei neſcii, magnam aliquam victoriam adepti videri poſſent*. Uranii in bellis, ſylveſtris Uri cornu operoſo argento circa labra ornatum inflant, Taurum Uranienſem vocant. *Simler*. Lib. II. *Jovius* Lib. XV. *Guillim*. Lib. III. pag. 319. *Hotting*. pag. 406. Simile quoque cornu Underwaldii ſecum ferunt: Lucernates quandoque æreis cornibus utuntur.

Apud Germanos qui ſcutum amiſiſſet in bello, a publico conſilio & ſacris arcebatur, in transfugas vero, velut majori crimine obnoxios, & patriæ ac civium proditores capitali pœna plerumque ſævitum eſt, ut videre eſt ex *Alex*. Lib. II. Cap. XIII. & ex Fulgoſio. Lib. II. Cap. I. *Hæ Helvetiorum ſunt ſeveriſſimæ leges, ut ſub oculis ſpectantis exercitus, qui præ metu turpia, atque indigna viro forti tentaverint, a proximis commilitonibus ſtatim obtruncentur*. *Jovius* Lib. X. qui etiam Lib. XV. quandam cæremoniam tum uſitatam refert. *Pontinerium proceritate corporis, animique virtute inter Helvetios duces clariſſimum adequitantem ordinibus, ac ſuos clara voce, adjectis in Germanos contumeliis, cohortantem, ſclopetorum ictibus equo dejecere, & vaſti obeſique corporis adipe, atque arvina patentibus plagis defluente, cruentas lanceas ſpectantibus Helvetiis inunxerunt: Quæ apud barbaros, in acerbioribus exactæ vindictæ graviſſima cæremonia perhibetur.*

Qualis autem ſit eorum militaris veſtitus, ordo, & gravis inceſſus, vide *Jovii* Lib. II. graphicam Helvetiorum Romam ſub Carolo VIII. Galliarum Rege introeuntium deſcriptionem. Tandem audiatur in Helvetiorum laudem Natalis Comes. *Omnium prope militum maxime gloria, obſervantia, virtute rei militaris, præſtare putandi ſunt Helvetii, quorum ordo tam facile reſarcitur, quam facile reliqui milites profligati diſſipantur, ac toties aciem inſtaurant, quoties labefactata hoſtium virtute fuerit*. Et Lib. XXIV. Hiſt. *Ea eſt Gallorum natura, ut ſummus ſit illorum ardor, formidabilesque ſint præcipue initio bellorum: Sed hæc acies facile retunditur, ſi virtutem & conſtantiam adverſariorum inveniat. Helvetii contra reſurgunt, ut ita dixerim, vel profligati, cum facile aciem inſtaurent*.

Quamvis autem bellicoſi natura Helvetii ſint, temere tamen bella non ſuſcipiunt, alia enim prius experiuntur remedia, quam ad arma concurrant: Imo ipſe *Guicciardinus* Lib. XIV. ait, ipſos præ omnibus aliis diuturnioris belli tædio & impatientia affici ſolere. Hactenus ergo extrema quoque tentare, & omnia experiri, quam bello decernere maluerunt, ſicut oſtendit *Hotting*. p. 273. Nec apud Helvetios ullo eſt loco Machiavelli theorema, qui dicit; Bellum juſtum eſſe, quibus neceſſarium: & pia arma, quibus nulla niſi in armis ſpes eſt: norunt enim illi, eos qui æquas pacis leges fiducia virium recuſant, aut mox pœnitere, aut in deteriore ſua fortuna pacem facere ſæpiſſime cogi. Modici ſæpe Duces potentiſſimos Principes & magnos exercitus parva manu fudere,

probat

probat hoc Caroli Burgundi adversus Helvetios bellum gerentis, & omnes pacis conditiones recusantis exemplum.

Antequam vero his finem imponamus, aliquid de mercenaria militia dicemus: primo quidem de ejus origine, deinde de effectis & consequentibus. De mercenariæ militiæ origine & principio sic *Erasmus*, in Adag. Chil. prima, Cent. VI. Adag. XIV. IN CARE PERICULUM. *Suidas* scribit: *Cares primos mortalium mercede militasse, ut qui vitam suam venalem haberent. Hos igitur qui conduxerant, primos in acie collocare consueverant, ut primos hostium impetus suo exciperent periculo, aut ubi fortuna belli difficillima videretur, illic objiciebatur. Persæ sua lingua κάρδακας appellabant, qui rapto vivebant. Carum laudem his temporibus æmulare videntur Helvetii, gens bello nata, simplex alioquin, ac minime malum hominum genus planeque dignum, ut equidem sentio, quod hac quoque nota vacaret, & in literis, & in cæteris honestis studiis egregie valiturum, si relictis bellis huc animum appellerent.* Helvetios antiquissimis temporibus hanc mercenariam militiam exercuisse, eosque propterea *Gessatas* nominatos, supra vidimus; quod tum mirum non fuit, cum natio ferox & ad bella proclivis, ac sub Ethnicismi tenebris constituta existeret. Quod vero illum morem hodie sub Christianæ religionis luce retineant, hoc improbant multi, nec sine ratione, ut demonstrare facile est ex detrimentosis & pernitiosis quibusdam hoc militiæ genus consequentibus. Quod enim in hoc usque tempus bonum ex illa mercenaria militia consecuti sunt Helvetii? Num honestum? Num jucundum? Num utile? Nihil horum certe, nisi forsan apparenter. Nimiam illam bellandi consuetudinem & licentiam minime esse honestam apparet. 1. Ex duris illis, & veteribus inauditis exprobrationibus, quibus apud exteros propterea notantur Helvetii, qui *Pensionarii* Besoldo per contemptum vocantur; aliis Natio bruta & mercenaria. Galli quoties fœdus Helveticum, ipsis pro votis non successit, in Helveticam gentem varia debacchati sunt. *Genebard*. Lib. IV. Chron. ad An. M D XXXI. *Helvetii asperi, montanique homines, soliti aliis dissidentibus mercenaria auxilia submittere.* Wimphelingus potissimum Helvetiis mercenariam militiam objicit, non minus quam in captivos sævitiam, nimium in inferendis ob levissimas causas beliis ardorem, & armorum potius ferociæque quam honestorum exercitiorum studium. Vide ex *Hotting*. p. 620. Parum ergo honestum est illud, ex quo famæ & existimationis detrimentum accidit: quod ex variis authoribus ostendit *Hotting*. p. 617. 2. Scilicet honestum est libertatem suam auro vendere, se propter pecunias mancipia & quasi carnifices Principum præstare, quod si quod non est justum, idem honestum non sit; Neque justum, neque honestum fuerit sanguinem pro argento commutare. Unde Dan. Erem. *Cum vicinis Regibus fœdera inierunt, servituti magis quam securitati; arma sua vitasque levi pretio addicunt: idque apud illos Reipubl. munimentum dicitur, cum servitus sit: libertatem quippe exteri cujusque opibus gratificantur: turpe vero, quod armis peperis auro vendere.* Scilicet honestum est immoderata pecuniarum profusione in varias & contrarias partes flecti, animosque constantes expugnari? scilicet jucundum est humanum, sed Christianum sanguinem sine necessitate, sine coactione, tanquam in laniena effundere? qui amat periculum, in eo peribit, Ecclesiastici 3. v. 26. Sed quæ ex hac mercenaria militia utilitas? Nulla certe; nisi quod illis bellis optimorum quorumcunque jactura fiat; Agricultura tantopere necessaria omittatur (vide querelam subditorum Bernensium apud *Stetlerum*, Anno M D XXI.) Domum reversi milites ægre ad labores redeant, *Dan. Erem*. Tumultus in patria excitentur; Dissidia inter fœderatos oriantur, &c. vide fusius *Hotting*. p. 614. & seqq. De his quoque *Dan. Erem*. *Hinc illæ tot tantæque dissensiones, simultates, partium studia; his pro Hispaniarum, illis pro Galliæ Rege nitentibus; alios Sabaudiæ regulo; alios Venetorum Reipubl. alios Cisalpinæ Galliæ proregi conventionibus adstrictos, quid mirum sit, cum hanc aut illam in partem pretio flectantur. Nulli tamen avidiores ad pauxillum hoc commodi, Rhætis sunt, paupertate & ambitione diversis inter se malis stimulantibus, in totum venales: & tamen se liberos vocant; cum in illis pretium sit auctoramentum servitutis. Illa demum vera libertas est, quæ sub patrocinio ductuque Principis, a vicinorum incursu tuta libere suis perfruitur bonis. Non est liber ille, qui arma vitamque non propriæ virtuti, sed aliorum commodis emancipavit. Principum quibus fæderibus adstricti apud se legatos patiuntur, specie amicitiæ, etiam imperio utentes, pecuniæ vi, ambitu, corruptionibus trahunt, turbantque res, ut pro arbitrio fiant.* Non defuerunt tamen viri clari sive Ecclesiastici, sive Politici, qui hanc militiam & fœdera illa mercenaria improbarint, ut ostendit *D. Hotting*. & *Simler*. Lib. I. de Republ. Hel. p. 84. *Huldricus Zuinglius, qui sacris concionibus præerat, quotidie gravissimis concionibus populum a militia mercenaria dehortabatur, docens neque jus, neque fas esse homini Christiano, ut se mercede conduci patiatur ad fundendum sanguinem miserorum, & plerumque innocentum hominum, a quibus nulla unquam injuria ipse affectus sit. Majorum qui manu libertatem Helveticam asseruerint, mores imitandos dicebat, qui ab hujusmodi vitæ genere alienissimi, domi suæ sibi labore victum parantes, nulli principi se addixerint, neque suam libertatem venalem habuerint. Hujusmodi vero fæderibus libertatem Helveticam imminui, & alienis regibus atque principibus prostitui, multis ille rationibus & argumentis, uti erat summa facundia præditus, ostendere conabatur* & paulo post. *Quod vero commoda fæderis attinet, quæ vulgo jactabantur*, fœdus Gallicum intelligit, *plerique ita sentiebant, multa & ampla emolumenta ad paucos privatos homines reditura esse, qui pensionibus Gallicis ditandi sint: toti autem Reipubl. parum consuli: primum enim cataphractorum, quos Rex auxilio promittat, & omnis externi militis nullum esse usum in nostris regionibus, quæ ægre domesticas copias possint alere. Deinde spe auxiliorum & pecuniæ Gallicæ enervari veram fortitudinem militum nostrorum, cum majorum exemplo spes & fiducia in Deum reponenda sit, & is colendus vera pietate, & justitiæ studio. Non tantum vero spes in Deum labefactari videbatur, sed metuebatur vitæ, morumque veterum ingens mutatio & dissolutio, neglectus agriculturæ & honestarum artium, & otii fructus, luxus, ebrietas, scortationes, adulteria blasphemiæ: hi enim sunt militiæ fructus, & artes, quæ plerumque in exterorum principum castris addiscuntur.* Hæc Simlerus de militiæ mercenariæ fructibus, quibus addimus *Lucani* Lib. X. bel. civil. versus, quam sæpe veros.

Nulla fides, pietasque viris, qui castra sequuntur
Venalesque manus: ibi fas, ubi maxima merces.

Rationes, quibus hanc mercenariam militiam excusant nonnulli, quasque refert idem *Simler*. parvi sunt momenti.

1. *Sancti homines bella gesserunt, & in his aliorum auxilio usi sunt.* ℞. Dispar est ratio, tum respectu necessitatis, tum Resp. modi militandi, &c. 2. *Helvetiorum militia non est mercenaria & venalis, quia uni tantum Regi militant.* ℞. Imo venalis est, quia sine pecuniarum vi non fit, juxta proverbium Gallicum, *point d'argent, point de Suisse.* Nec fœderibus cum uno rege contenti sunt, ut ex *Dan. Erem.* audivimus, & experientia comprobat, &c. 3. *In injusto bello Magistratus Helveticus militem potest denegare.* ℞. Non potest honeste denegari alicui, quod quis promiserit, aut propter quod pecunias jam acceperit. Principes semper, ut credunt & asserunt, justas habent bellandi causas, &c. 4. *In incerta & dubia causa militis non est ea de re curiosius inquirere.* ℞. Sed debet inquirere, qui dat militem; patitur interim justus, & quidquid delirant Reges, plectuntur Achivi; ignorantia causæ non semper excusat, &c. 5. *Regio sterilis magna ex parte, & maxime populosa.* ℞. Non tam sterilis est, quin posset suum populum alere, modo parsimoniæ sit locus, & contenti fuerimus iis quæ habemus. Potuerunt sine exterorum stipendiis vivere Majores nostri, cur nos sine iis non possemus? 6. *Externorum præsidiorum usus spem in Deum non tollit, & adversus vicinos Helvetiæ libertati invidentes utilis esse potest.* ℞. Verum, causam primam non tollere secundas, accidit tamen sæpissime, ut homines magis ad has quam ad illam respiciant: & firmior est in Deum fiducia, cum humana subsidia deficiunt. Invidia hactenus, Deo sic bene volente, invidentibus parum profuit, nec Helvetiis media ad sui conservationem deerunt, modo concordiam colant, & fiduciam suam in Deum collocent. 7. *Helvetii artem militarem Rebuspublicis necessariam addiscunt.* ℞. Helvetios natura bellicosos supra vidimus, possunt illi arti in patria sua etiam operam dare; & illam satis norunt, quantum ipsis pro sua defensione conducit, ut apparet majorum nostrorum exemplo, quamvis etiam publice milites juxta illa mercenaria fœdera, non conscriberentur, tamen semper multi fuerint bellorum frequentatores, &c. 8. *Et si nonnulla fœdera damnosa fuerint, pleraque tamen fortunata fuerunt.* ℞. Fœderum illorum maxima pars Helvetiis noxia fuit. Quæ fœdera aliqua ratione fortunata visa sunt, non caruerunt incommodis illis variis supra memoratis quæ præponderant. Fœderibus etiam illis odium & invidia conciliata, &c. Alia quamplurima super hac materia in medium proferri possent, sed hic metam figimus.

SPECIA-

SPECIALIS AC BREVIS
LOCORUM AC POPULORUM HELVETIÆ, REGIONUMQUE FINITIMARUM
DESCRIPTIO
EX ANTIQUIS MONUMENTIS ET AUTHORIBUS.

De Speciali Antiquiorum Helvetiæ locorum Descriptione.

PROEMIUM.

PEragrata generaliter Helvetia, & descriptis, ut potuimus, Helvetiorum moribus, specialem antiquiorum Helvetiæ locorum descriptionem aggredi nobis est animus. Cum autem varia celebrem reddant hanc regionem, ut hactenus vidimus, non ultimas inter illius celebritatis causas, tenent multa antiquitatis monumenta, quibus nostra decoratur Helvetia; horum illustria variis locis conspiciuntur vestigia, sicut ex hoc brevi apparebit tractatu, in quo locorum antiquitates considerabimus, quales ante insignes illas populorum sub Arcadio & Honorio migrationes fuisse, qualesque ex diversis vastationibus superesse potuerunt. Nos ab urbe Geneva initium faciemus; quamvis enim illa, *extremum* fuerit *Allobrogum oppidum*, ut ait *Cæsar*, tamen quia Helvetiorum finibus, teste eodem, fuit proximum, Helvetiisque hodie, quibuscum pacem & amicitiam colit, fœderatum est, illius mentionem sumus facturi.

De Urbe
GENEVA.

VEtustissimum hoc oppidum, GENEVAM Cæsar vocat: hanc veram fuisse & esse vocis enunciationem, ostendit etiam hæc inscriptio, Genevæ extans, prope domum Monetæ, ut vulgo vocant, quam *Gruterus*, & post eum Civ. Genev. pag. 328.

C. VALERIO. T. F. A. N.
TR. MIL. LEG. II.
PATRONO OPTUMO.
GENEVENSIS PROVINCIA.
B. M. P.
VIXIT. ANN. LX. M. II.
DIES XVII.

Id est, Cajo Valerio, Titi Filio, Annii Nepote, Tribuno Militum, Legionis secundæ, Patrono Optimo, Genevensis Provincia, Bene Merito Posuit, &c.

Cenava dicitur *Antonino* in regio exemplari, in itinere quod ducitur Mediolano per alpes grajas, Argentoratum, juxta hodiernam fere pronuntiationem Sabaudorum qui *Zenava*, vel *Cenava*, accentu in prima enuntiant. In multis Antonini codicibus hoc oppidum non habetur, ut ait *Merula*. In quibusdam legit *Cluverius* Lib. II. Cap. IV. *Bautas* pro Geneva, sed vitiose; *Simlerus* Lib. de Vall. Bautas opinatur esse *Bonam* in Sabaudia. Male quoque Genuam Cæsari appellatam dixerunt *Sabellicus* Enn. VI. Lib. V. & *Volaterranus* Lib. III. ubi ita loquitur: *Gebenna urbs Genua Cæsari appellata apud Lacum Lemanum, ubi Cathaldum ejus urbis præsulem ac professorem adorant.* Genua enim urbs Ligurum est, ad mare Ligusticum sita, nobile emporium, Italis vulgo *Genova*, Gallis *Genes*, Germ. *Genuwa*. Geneva vero Gallis *Geneve*, Germ. *Genff*, sita est ad lacum Lemannum. In veteribus Actis, maxime vero apud Poetas dicitur Gebenna, (apud veteres etiam legitur Gevenna, observante *D. Gaudardo*) vel Gebennæ, sic vulgo creditur *Lucanum*, Lib. I. de hac urbe locutum.

- - - - Qua montibus ardua summis
Gens habitat, cana pendentes rupe Gebennas.

Sed refragatur *Philibertus Monetus* in Paral. Gall. his verbis. *Gebenna & Gebennensis, pro Geneva & Genevensis, adulterina sunt, & pravo inducta usu, ab ignaris interpretibus Lucani Poetæ, ad locum proxime citatum, ubi ex mente Authoris, nulla est Genevæ mentio, sed Gebennarum, seu Cemmeni pervulgati montis, apud Volcas Arecomicos. Hujus ineptæ interpretationis, ab imperitia Lucani Scholiastæ traditæ, & a Ludimagistris æque ignaris in scholis jactatæ, Authores suis scriptis accesserunt, ante annos trecentos, Gunterus in Ligurino, Frisingensis in Chronico, ac ante*

istos

ipsos forte alii, quam inde acceptam, Sulpicius Veronensis, & Ascensius Badius, superiore seculo, tanto amplius evulgarunt & confirmarunt, suis in Lucanum notis, in quibus asserunt, Gebennam, esse montem Arvernis, & Helvetiis interjectum, in quo monte sit Gebenna urbs, monti cognominis. Gregorius Turonensis, ante annos mille Genevam vocat Janobam: Author appendicis ad Gregorii historiam, Genevam appellat: alii scriptores Gallici, deinde eam secuti Jenoban, & Jenovam, nominant, nemo quem legerim supra trecentesimum annum, Gebennam nuncupat, & quicunque nuncupant, eo quem indicavi, errore laborant.

Miræ antiquitatis oppidum esse ostendit *Cesar*, dum Lib. I. istius & pontis super Rhodanum siti, ac ab ipso rescissi, meminit. Mirari vero satis non possum, quod nulla tam præclaræ, tamque antiquæ urbis, apud Strabonem, Plinium, Ptolomæum, aliosque veteres, memoria reperiatur. De istius oppidi antiquitate & origine non idem omnes sentiunt. Narrant nonnulli, quendam Genabum Numantinum, vastata a Scipione Numantia, ad eam pervenisse regionem, ubi nunc est Geneva, ibique urbem, quam Genabam vocaverit, condidisse; cujus conjecturæ authorem faciunt, quendam Frontonium, Poetam, qui tamen aliter eam nominat: illius fragmentum hoc recitatur.

Est locus Allobrogum, prisci dixere Gebennas,
Quem lacus illustrat, crystallo clarior omni.

Sed isti, ut opinor, Genevam confundunt, cum Genabo, de quo Cæsar Lib. VIII. & Marlianus *Genabum, inter Celtas Carnutum oppidum, quod pons Ligeris fluminis continebat, proximum Vellaunodimo, & Agendico oppidis Senonum, ac Avarico & Novioduno oppidis Biturigum, in regno Francorum situm.* Hodie vulgo putatur esse Aurelia, Orleans. *D. Gaud.*

Miram istius urbis vetustatem habet *Munsterus* Lib. II. apud quem vide. Mercator ædificatam vult anno mundi MMDCCCCXCIV. ab Alemannorum patre, Lemano, Paridis filio, Priami nepote.

Eadem fere habent Vaudi chronica, aliique historici, quorum historia breviter sic se habet. Lemanus magni illius Galliarum Regis Herculis nepos, cum Arpentinam urbem florentissimam cruento bello delevisset, ejus facti pœnitentia ductus, locum novæ urbi ædificandæ opportunum quærens ad collem prope lacum juniperis plenum pervenit, ubi An. M. MMMDCCCCXCIV. urbem ædificavit quam *Geneuram* aut Genebram, a juniperis, gallice *Geneures* nominavit. Itali adhuc hodie hanc urbem Geneuram vocant, & illius incolas Genebrios, sed id per contemptum esse, observavit *D. Gaudard*. Verum non ita certa hæc omnia, nec ad has conjecturas recurrere opus est, ut illius probetur antiquitas, cujus alia multa fidem faciunt. Primo enim authenticum est Cæsaris testimonium. Deinde variæ inscriptiones Romanæ, quæ Genevæ adhuc visuntur, illius antiquitatem arguunt. Illas huc referre lubet.

IMP. CAES. M.
AURELIO
ANTONINO
PIO FELIC. AUG.
PONTIF. MAX.
TRIB. POTEST. XVI.
COS. III.
CIVITAS
EQUESTRIUM.

Hæc inscriptio hodie basilicæ civilis conventus muro indita est. Hinc colligere licet, 1. hic Romanam fuisse coloniam, sicut etiam hoc ex aliis inscriptionibus patet; imo volunt nonnulli, hanc urbem vocatam fuisse civitatem Equestrium, aut Equestrem, quamvis hoc alii Neviduno tribuant, ut postea videbimus. 2. Equestrem illam coloniam hanc M. AURELIO ANTONINO, tanquam Genevæ reparatori inscriptionem posuisse: cum enim Geneva igne maxima ex parte, misere consumpta fuisset (quod incendium ad Heliogabali tempora referunt quidam, at male) ferunt hunc Imperatorem Aurelium Genevam restaurasse, cui *Aureliæ* nomen dederit, illo vero mortuo, antiquum retinuisse nomen: Falluntur ergo, qui hanc reparationem Aureliano tribuunt. Quis autem hujus equestris coloniæ fuerit conditor, conjicit *Guillimannus* ex hoc epigrammate, quod Genevæ ad portam Rivæ extat.

C. PLINIO M. F. O.
FAUSTO
ÆDILI IIVIRO COL.
IVL. EQ. FLAMINI
C. PLINIUS FAV.
VIVOS I.
O.

Insignem fuisse hanc coloniam equestrem dubium non est, tum quod inter Allobroges, & Helvetios collocata opportune ad eos in officio continendos; tum quod illa suos habuerit Tribunos, Ædiles, Præfectos Fabrum, &c. ut ex variis apparet inscriptionibus quarum adhuc hodie quædam extant. In muro urbis non longe a porta antiqua monetæ visitur sequens inscriptio quam sic refert. CIV. Gen. pag. 27.

T. IVL. T. FIL. CORN. VALERIANO
PATRONO COLON. IIVIR. ÆR. IIIVIR.
LOCOR. PERSEQUENDOR. TRIB. MIL.
LEG. VI. VICTR. PRÆF. FABR. FLAM. AUG.
PONTIFICI
JULIA. T. F. VERA. PATRI OPTIMO.

Prope horologium plateæ dictæ Molard, cernitur hæc inscriptio. Civ. Gen. p. 26. Guillim. p. 87.

D. VALERIO ASIATICI LIBERT.
SISSI IIIIII. VIRO. COL. EQ.

Ibidem loci extat monumentum, juveni Advocato, a patre positum, quod *Guilliman.* inter Genevam & Versutium fuisse refert. Guillim. pag. 439. *Hotting.* pag. 536. *Civ. Gen.* pag. 26.

D. M.
L. AUR. RESPECTO JUVEN.
ERUDITO CAUSIDICO
BIS CIVI VALINSAE.
ET EQUESTRE DEFUN-
CTO. ANNORUM XVIII.
FILIO PIENTISSIMO
L. AUREL. RESPECTUS
PATER PONENDUM
CURAVIT.

Alio in loco, in urbis muris, aliud est monumentum, cujus in suis inscriptionibus meminit Gruterus pag. 898. & Civ. Gen. p. 370.

VIXI. UT. VIVIS.
MORIERIS. UT. SUM. MORTUUS.
SIC. VITA. TRUDITUR.
VALE. VIATOR.
ET. ABI. IN REM. TUAM.

Extra mœnia ad portæ Rivæ sinistram est & hoc. Civ. Gen. pag. 27.

ANNOR

ANNOR. XII.
I. PLINIO
FAUSTI FIL.
SABINO.

Inter ædificia, quæ Genevæ antiqua esse creduntur, sunt, 1. Specula in insulæ extremitate, qua orientem respicit; hanc a Cæsare constructam volunt; hodie adhuc nominatur, *la Tour de l'isle, & de Cæsar*. Vaudi tamen chronica, & *Guilielm. Gueroult*. Lib. I. Cosm. hujus turris conditorem faciunt quendam Regem Obluis, longe ante Cæsaris tempora. 2. Templum D. Petro, olim Apollini consecratum: Unde vetustatem sapere constat, maxime ex hoc epitaphio, quod in eo templo extat. Civ. Gen. pag. 329.

C. JULIUS CÆSAR LONGINUS
D. CIL.
C. JULI LEIBERTUS
PERRUPTIS. MONTIB. HUC TANDEM
VENI. UT. HIC. LOCUS. MEOS CONTE
GERET. CINERES.
APPOLLO. TUAM. FIDEM.
VIXIT. ANOS. XLI. MESS. III.
DIES XIII.
HOR. NUL.
T. FULVIUS. D. L. L.
COMMILITO. COMMILITON.
VALE. LONGINE. AITERNU
S. T. T. L. (siti tibi terra levis)

Appollinem Genevæ cultum ostendunt duæ sequentes inscriptiones. Prima est in collegio, ad quartæ Classis januam. Civ. Gen. pag. 32.

APOLLINI
MUERATIUS.
MERCATOR.

Altera est in privatis quibusdam civitatis ædibus. Civ. Gen. pag. 32.

APOLLINI
MAUFUSTIUS
CATUSO.

Fuerunt quoque in hac urbe Augures, ut ex hac inscriptione patet, quæ extat ad pedes graduum, domus atrii rerum nundinalium, in platea dicta *Molard*. Civ. Gen. pag. 27.

D. JUL. D. F. VOLT. CAPITOI
AUGURI IIVIRO ÆRAR.
FLAMINI. MARTIS TR.
MIL.

Referunt antiqua quædam Sabaudiæ chronica MSC. Paradocum, ex LXX. Christi discipulorum unum, & Dionysium, Ecclesiæ Genevensis fuisse fundatores, atque hunc Parisios ivisse, illum vero Genevæ mansisse; Quod confirmatur ex adversariis quorundam Bibliorum Latinorum Genevensium, quæ diligenter a Canonicis conservabantur, & in quibus inscriptum erat, Ecclesiam Genevensem ab Apostolorum discipulis, aut viris Apostolicis originem trahere, eamque florentissimam, dominationem in urbes, intra Alpes Rhæticas & Celticas sitas, obtinuisse. Civ. Genev. pag. 22.

HAS Vero
CIVIT. CELEBER. FLORENTISS. Q.
ANTIQUITATES
S. P. Q. GEN.
REFORM. RELIGION. CULTOR.
Inclyto, Pio, Felici.
D. D. C.
JOH. BAPT. PLANTINUS,
V. D. M.

De Muro Cæsaris.

Mirandum fuisse murum illum, a Cæsare adversus Helvetios constructum, arguunt varia. I. Quod longitudo ejus fuerit a lacu ad montem Juram. II. Quod ubique fossa, & variis castellis munitus fuerit, atque adeo firmus, ut ab Helvetiis superari non potuerit. III. Quod magnum illud opus, brevi tempore confectum fuerit. Duas circa hunc murum reperio difficultates. Prima respicit locum specificum, ubi ædificatus fuerit ille murus. Omnes Geographi, de hoc loquentes, illum cum fossa prope Nevidunum ponunt, imo illum ab oppido Neviduno secundum rectam lineam, ad radices usque montium vicinorum monti *de la Dolaz*, fuisse ductum autumant: non obscura ejus operis se vidisse vestigia testatur *Merula* Par. II. Lib. III. Cap. XLIII. Sed falluntur omnes illi, meo saltem judicio, cum enim *Cæsaris* textum inspicerem diligentius, illorum sententiam cum Cæsare consistere non posse animadverti. Certum autem est ex Cæsare. 1. Helvetiorum regionem Genevam usque fuisse porrectam, sic enim Cæsar. *Ex eo oppido* (Geneva) *pons ad Helvetios pertinet*. Vox illa, *pertinet*, duplicem pati potest explicationem; quidam enim illam interpretantur per *spectat*, aut *respicit*. Alii accipiunt possessive, Geneva enim extremum erat oppidum Allobrogum, qui lacu & Rhodano ab Helvetiis dirimebantur. Credibile etiam est, partem S. Gervasii nondum fuisse ædificatam, pontemque illum, qui prope urbem erat, Helvetiorum fuisse, quem rescindi curaverit Cæsar mature, ne eo Helvetii uti possent. 2. Sic clare loquitur Cæsar: *Helvetii ea spe* scilicet itineris per Allobroges a Cæsare obtinendi, *dejecti, navibus junctis, ratibusque compluribus factis, alii vadis Rhodani, qua minima altitudo fluminis erat, nonnunquam interdiu, sæpius noctu, si perrumpere possent, conati, operis munitione, & militum concursu, & telis repulsi, hoc conatu destiterunt*. Non ergo murus ille prope Nevidunum fuit; alias Helvetios murum fossamque superasse oportuisset, siquidem Rhodanum ratibus transire conarentur. Verisimilius est ergo, illum Cæsaris murum fuisse prope Genevam, non longe ab Rhodani ex lacu effluxu ad montem Juram; seu, ut observat *D. Gaudard*. inter ipsam urbem Genevam & ipsos Helvetios, incipiendo paulo supra urbem versus locum in radice montis, ubi vicus *Jornan*, per Gayensis territorii medium: Credit *D. Gaudard*. constructum fuisse illum murum non tantum ad coercendos Helvetios, temerarii eorum conatus tempore, sed etiam ad eos deinceps intra suos fines continendos.

Altera difficultas est circa hujus muri longitudinem; qua de re sic Cæsar. *A lacu Lemano quem flumen Rhodanum influit ad montem Juram, qui fines Sequanorum ab Helvetiis dividit, millia passuum decem & novem, murum in altitudinem pedem sedecim, fossamque perducit*. Opinatur *Cluverius* apud Cæsarem mendum esse, & ex variis exemplaribus, ubi in his essent X. m. p. in illis IX. m. p. imperitos conjunxisse XIX. m. p. & revera a lacu Lemano prope Genevam ad montem Juram, non tanta est distantia, ut tot passuum millia reperiri possint. Hunc murum extendunt nonnulli usque ad Virginis (ut vocant) castrum.

De Celebrioribus & Antiquioribus Helvetiæ locis.

AD celebriora Helvetiæ loca quod attinet, ea maximo fatis fuisse numero certum est. Cæsar in quatuor Helvetiæ pagis XII. urbes & quadringentos vicos fuisse dixit; quinam fuerint illi pagi, alibi vidimus. Oppida non recenset, neque vicos. Loca illa certo rescire difficile nimis, & nominare velle temerarium judicamus: Cum enim Helvetii omnia igne consumpsissent, eos iisdem locis sua reædificasse oppida, aut ea iisdem insignivisse nominibus, certum non est. *Antoninus* & alii quidam veteres, variorum locorum meminerunt; utrum vero hic vel ille locus oppidum, aut vicus, vel castrum fuerit, non semper dicitur: neque omnino certum est, omnia illa loca, jam Cæsaris tempore fuisse. Nos tamen uniuscujusque loci antiquitatem, quantum ex conjecturis, inscriptionibus, & authoribus fieri poterit, investigabimus: a locis autem in pago Urbigeno celebrioribus ordiemur. Hic enim pagus, ut in agri bonitate & amœnitate, alios superavit, & etiamnum hodie superat, ita quoque populis, oppidis & vicis aliis frequentiorem creditu non est difficile.

Nevidunum aut Noviodunum.

TRium oppidorum sub Novioduni nomine meminit Cæsar. Primum inter Belgas erat situm, Suessionibus & Veromanduis finitimum, Parisiisque proximum. Hodie civitas est Episcopalis in provincia Rhemensi, antiquum nomen retinens, gallice *Noyon*, de quo *Cæsar* Lib. II. Alterum Celtarum ultra Ligerim fl. fuit oppidum, in Biturigum finibus, Avarico Biturigum, Genabo Carnutum, Vellaunoduno & Agendico Senonum oppidis proximum, de quo Cæsar Lib. VII. Tertium inter Celtas Heduorum fuit oppidum ad Ligeris ripas, Bibracti Heduorum oppido vicinum, ut testatur idem *Cæsar*, eodem Lib. VII. Est tamen & aliud Noviodunum, in Helvetiorum finibus, tribus circiter miliaribus a Geneva distans, quod Nevidunum, magis quam Noviodunum vocare præstat. Gall. Nyon. Germ. *Newis*. Hujus quidem mentionem non facit Cæsar, antiquum tamen esse aliunde probatur: Quod antequam videamus, hoc annotare juvat. *Clitipho* antiquus apud *Plutarchum* author, qui de fluminibus librum conscripsit, testis est vocem DUN, aut DUNUM, veteri Celtarum lingua, collem seu montem significare, unde etiam adjectam plerumque videmus eorum oppidorum nominibus, quæ ad montes aut colles, aut saltem non longe ab illis, edita fuerunt. Sic *Minodunum*, *Nevidunum*, *Lausodunum*, *&c*. Hujus vocis vestigium remansisse videtur apud Belgas, *Duynen*, & Gallos, *Dunes*, id est, aggeres adversus maris fluctus constructi; Sicut annotat Bodinus. Athæneus vero Dounos a Celtis Dominos appellari scribit. Hoc oppidum ante Julium Cæsarem, *Benevis* vocatum fingunt *Vaudi chronica*, a quodam *Beneno* Helvetiorum Rege, qui in hoc sumptuose ædificato, & variis privilegiis ornato, regiam sedem fixerit: Illud ab Helvetiis cum reliquis combustum vult *Guilimann*. Quid vero conjici possit, nescio. Si enim jam Cæsaris tempore, Helvetiorum fuerit oppidum, miror, qua ratione hujus non meminerit Cæsar, cum ab urbe Geneva, ubi per aliquod tempus mansit, non multum distet; atque prope illud murus ille a Cæsare constructus fuerit, ut voluerunt quamplurimi. Crediderim potius, nondum Helvetici belli tempore oppidum fuisse, alias si verum esset, quod murus ille ibi fuisset extructus, Helvetii sine dubio in illud opus impediendum incubuissent. Verisimile itaque est neque oppidum, neque murum hoc in loco fuisse; Nec contrarium ullo idoneo probari potest testimonio. Dicit quidem *Mercator*, Nevidunum olim vulgo Benevis, ante Cæsaris adventum destructum, quod postea sub Vespasiano, a quodam Centurione *Nyon*, reparatum fuerit: Sed, ut opinor, hæc commenta ex fabulosis illis Vaudi chronicis desumpsit. *Cluverius* Lib. II. Cap. IV. supponens illum Cæsaris murum hac in parte fuisse, credit ex pluribus castellis a Cæsare extructis, primum, lacuique proximum haud dubie fuisse, quod postea in oppidi modum excreverit, & colonia cognomento equestris factum sit; Quin hinc militum præsidium a Cæsare contra Helvetios lacui impositum, vult idem *Cluverius*, unde *Lucanus*.

> *Cæsar ut acceptum tam prono milite bellum*
> *Fataque ferre videt: ne quo languore moretur*
> *Fortunam, sparsas per Gallica rura cohortes*
> *Evocat: & Romam motis petit undique signis.*
> *Deseruere cavo tentoria fixa Lemanno.*

Hæc tentoria fuisse creduntur inter Nevidunum & Rotulum, propiora tamen Neviduno; annotante *D. Gaudard*. Quidquid sit, hoc certum hunc locum nominatum, *coloniam Equestrem*, aut simpliciter, *Equestrem*, ut ex quadam inscriptione supra ad urbem Genevam recensita, patet; aut *Equestrim* pro *Equestrium*, scilicet civitatem, apud *Antoninum*. In notitia Romanar. provinc imperii occidentalis, cujus autor existimatur *Marianus Scotus*, ut habet *Merula*, sub provincia Lugdunensi quinta recensetur *civitas Equestrium*, hoc est, Nevidunum. Hanc Equestrem Coloniam *Plinius* Lib. IV. Cap. XVII. in Helvetiis, Ptolomeus vero in Sequanis posuerunt. Non desunt, qui dubitent, utrum illa equestris colonia sit Nevidunum, an *Thonon* in Allobrogibus; alii quoque Neocomum esse crediderunt, aut Lausannam. *Pinetus*, Plinii interpres Gallic. Illis tamen assentiri non possumus. Verisimile est, Cæsarem pacatis Allobrogibus, & imminente Helvetiorum bello, Genevæ, ob loci opportunitatem coloniam equestrem collocasse, quæ ab ipso *Julia* denominata fuerit, (ut testantur Genevenses inscriptiones) quæque postea Nevidunum usque ob commodam alendis equis regionem, se extenderit, & oppidum illud extruxerit, ut adversus Helvetios se tueri posset, & in illa regione firmiores haberent sedes. Nevidoni enim adhuc extant Romanæ inscriptiones, Romanos hic habitasse indicantes. Fuit in hoc oppido Fabrorum præfectus, qui ex Jura monte, per Rhodanum in mare, abietes ad navigationem deducendas curabat, ut *Guilliman*. ex hac colligit inscriptione, quæ lapide inverso, in inferiore urbis parte in officina quadam sic extabat.

D. IVL. L. F. VOL. RIPANO
CAPITONI. BASSIANO
EQV. PUBLICO. HONORATO
PRÆFECTO. FABRUM
TRIBUNUS. MIL. COH. I. GAL.
L. IVL. BROCCHUS
VALER. BASSUS.
FILIO.

Sequen-

Sequentis quoque inscriptionis fragmentum, Neviduni non ita pridem in superiore urbis parte cernebatur.

- - - - - ANTABRO - - - - -
VAC. R. CONVENT.
HELVETIC. IIVIRO.
IVLIÆ. GELL. MARCEL.
CORNELIA. F.

Inter castri ruinas visebatur & hujus fragmentum, in lapide fracto, referente *Simlero* MSC.

NIE PRIMUS
E CENA OVIL IIII
E CENAM BIL
ERIEM

Nevidunum antiquis temporibus illustre & amplum fuisse oppidum non incertum & ex ejus ruinis ædificatum postmodum *Coppetum*, credibile est, cum ibi epitaphium extet, procul dubio ex Neviduno allatum. *Simlerus* & *Stumpf*. Lib. VIII. pag. 272. referunt fuisse in pariete privatarum ædium hoc modo.

D. M.
PHILEII. BRIT
TÆ ANNORUM
XXIIII DEFUNCT-
O. CLAUDIA
NUS. FILI UNICI
ET. PIISSIMI
P. C.
SUB ASCIA DED.

In porta *Versovii Versoïs* apparet & hæc inscriptio procul dubio etiam ex Neviduno illuc translata: Quam *Stumpf*. Lib. VIII. p. 272. Sic refert.

D. VALERIO ASIATICI LIBERT
SISSI IIIIII VIRO COL. EQ.
EX T.

In arce *Prangina* prope Nevidunum, alia visitur inscriptio, ex qua conjicere est, vel Nevidunum huc usque porrectum, vel saltem inscriptionem huc translatam, quæ *Guillimanni* tempore integra adhuc cernebatur hoc modo

C. IVL. C. F. VOLT.
SEMATO
IIVIRO. ITERUM
FLAMINI. AUG.
L. IVL. CAPITO. AMICO
OPTIMO.

Lausanna.

QUamvis istius urbis origo non ita certa, nec de illa quidquam apud Cæsarem, & alios veteres multos habeatur, nullæque ibi hodie Rom. extent inscriptiones, antiquam tamen esse certum, non tamen ubi nunc est, sed lacui propiorem vetustissimis temporibus ædificatam, constat ex multis murorum ruderibus, lapidibus sepulchralibus, & urnis in agro Vidiano repertis, nec non etiam variis veterum Imperatorum numismatibus, quorum maximam copiam apud D. Des Bergeries Hebraicæ linguæ in Lausannensi Academia Professorem vidi. *Vidianæ civitatis*, observat D. Hermannus; *vestigia inter alia sunt etiam ista innumerabilis quantitas lateritiorum fragmentorum quæ reperiuntur, tam in littore lacus, quam in agris & campis*. Mirabilis est quoque parva bovis cum Sacerdote effigies ibidem reperta ante aliquot annos & quæ hodie in curia visitur. Non injucundum erit, quæ super hac re scripsit D. *Depetra* nuper Lausannensis Pastor hic referre, sicut in eadem curia in tabella visitur.

Jehovæ optimo Max.
Et Patri Dom. N. Jesu Christi clementis
Benedictio, laus & gloria:

Qui sicut nos elegerit in ipso ante jacta mundi fundamenta, ita temporibus ignorantiæ dissimulatis, tandem nos vocavit in admirabilem lucem suam, discussis & dissipatis gentium tenebris, in quibus territorii hujusce incolas, tot retro ante secula positos delituisse comprobat nuper repertum, in Vidiano (quem vocant) agro, ubi quondam Arpentinum oppidum ad lacum Lemanum, in jurisdictione Lausannensium situm fuisse constans est fama:

Agalmation hocce.

Olim haud dubie, ni nos fallit conjectura, saxo aut ligno in pariete celebris alicujus ædificii, sive sacri, sive prophani, puta delubri, aut Principis alicujus viri palatii, tanquam insigne, seu monumentum solennis alicujus sacrificii antea feliciter peracti, affixum, quippe dimidiatum & concavum. Hic vero habes Taurum, seu victimarium demulcentem aut præparantem de more victimam: nulla enim hic mola & corona in capite Tauri. Quod attinet Sacerdotem, non tam infulatum aut vittatum, quam simpliciter velatum, (lino an lana incertum) animadvertis: nec coronatum, nec ulla ad feriendam aut jugulandam victimam, securi cultrove instructum. Quid sinistra innixa Tauri dorso teneat, vix conjicimus: nisi forte strigileculam dixeris, qua leniter scalpere, & fricare prurientem belluam, aut sordes abradere videatur. In dextra porro illius vides urceolum, Ulochyten dixit Homerus, ex quo in cervicem Tauri conatur infundere aliquid: fortean nitrum, quo infuso victimæ fiebat exploratio, sic Æneid, IV.

Ipsa tenens dextra pateram pulcherrima Dido,
Candentis vaccæ media inter cornua fundit.

Ubi commentator monet, non esse sacrificium, sed hostiæ explorationem, utrum apta sit - - - inter cornua fundi solere credunt. Græci tamen moris esse scribit Rhodiginius, Tauros explorare farina apposita, si gustare abnuissent, concipiebant inde haud valere. Os insuper Sacerdotis apertum, sacrum aliquod carmen, aut, ut cum Macrobio dicam, sacrificale verbum, quod de more aut pronuntiaret, aut mussitaret, insinuat. Addo de calceis dimidiatas ocreas videri, tanquam ejus qui in udo loco sacra faceret. De Tauro quæ maxima creditur victima, obesus ille, præpinguis & eximius (quod Poëtæ verbum) cui porro hæc præparetur hostia, si quæris amplius: Respondeo, aut Neptuno, aut Apollini, aut Marti. Jovi enim Tauros mactare nefas erat. Quare erravit in hostia Dux Trojanus, cujus hæc sunt verba Æneid. III.

- - - - - - Superosque nitentem,
Cælicolum regi mactabam in littore Taurum.

Unde & Pontificii juris rituve ignaros fuisse Lystrienses sacerdotes, qui Act. XIV. Barnabæ quem Jovem, & Paulo, quem Mercurium esse credebant, perperam Tauros mactare conabantur, observandum, nisi forte ibi per Tauros, Juvencos intellexeris: Jovi enim Juvencum immolari solitum annotat Servius ex Poëta.

Et statuam ante aras (Jovis) *aurata fronte juvencum.*

Alias Attei Capitonis lex est, si quis forte Jovi Tauro fecerit piaculum dato. Neptuno autem potius

quam Apollini, aut Dæmoni cuipiam alteri mactari Tauros religionis esse, ut credam, facit loci circumstantia, in littore enim lacus Lemanni, ubi non ita procul reperta imago, olim vere Anchialum Thalassium Neptuniumque fuit oppidum; in ejusmodi vero locis tales immolari victimas, marinis illis Deastris religionis esse, vel ex uno illo Cloanthi apud Virgilium Æn. V. pro impetranda victoria in navali certamine, solenniter concepto voto intelligimus.

Dii quibus imperium Pelagi, quorum æquora curro,
Vobis latus ego hunc candentem in littore Taurum,
Constituam ante aras voti reus, extaque salsos
Projiciam in fluctus & vina liquentia fundam.

Hinc obiter hallucinatum Cœlium Rhodiginium observo, qui Neptuno Tauros Panmelanas, ob maris colorem immolari tantum solitos, scribit. Cur vero Tauri, illi Deo immolarentur, rationem subjiciens ait, quod veluti boves, sic flumina terram proscindant, vel quod fluviis fere adjacent pascua. At magis illa spectant flumina, quibus Poëta etiam Tauri formam appingunt: itaque idem author tradit potius Tauros Neptuno immolatos ob mugitum quem commotior agitato mari edere videtur, unde illi Mycetias epithetum, quidni etiam hanc ex fabula affingamus causam? conculcati nempe dorsi pedibus Tauri Europam ex Phœnicia in insulam Cretam deportantis, unde hoc animal tanquam invisum sibi mactari gaudeat numen? Non aliter quam Venus ob interemtum Adonidem amasium apri morsu sibi suem immolari gestit. Quod attinet materiam, ex qua conflata effigies, subit mirari perennitatem illius, quippe in qua nihil tot seculorum continua serie & multitudine adesum imminutumve, hic ferme pati videtur enstasin, verissimum alias illud Nasonis epiphonematicum pronuntiatum.

Tempus edax rerum, tuque invidiosa vetustas
Omnia destruitis, vitiataque dentibus ævi,
Paulatim lenta consumitis omnia morte.

Quis hic non stupeat, ad tantam tantuli æris contumaciam, adversus non solum tot hostium devastationes, sed & elementorum ipsorum, cœli, aquæ, ignis, terræ, ipsiusque denique cuncta consumentis temporis injuriam, violentiam & edacitatem, ne minimam quidem in minima parte passi, quam penitius contemplantium oculis ingerat diminutionem; Nam quod cornu dextrum fractum præ se ferat, ea forma fusum credibile est, ut inde pugnacis Tauri ferociam colligas, ac proinde de victimæ pretio constet. Etsi autem de ætate hujus imaginis nihil potest definiri & constitui certi: verum tamen cum reperta sit, non quidem in ruderibus, quorum vix tantula majoribus nostris apparuere vestigia; sed veluti in cineribus florentissimæ quondam civitatis, quam multo ante C. Julii Cæsaris tempora eversam funditus a Lemano quodam (a quo & lacui nomen) Magni cujusdam Herculis Gallorum regis filio; & ex ejus reliquiis Genevam fundatam anno ab orbe condito ter millesimo nongentesimo nonagesimo quarto, non modo ex iis, quæ hujus Vaudensis regionis (quam vocant) circumferuntur chronicis, sed ex fide dignis authoribus accepimus: Inde liquet, hanc imaginem esse ad minimum circiter mille sexcentorum & sexaginta annorum, si jam modo liceat numerare, ab orbe condito cum nonnullis, qui circa istam temporum supputationem videri volunt omnium accuratissimi, quinquies mille sexcentos quadraginta novem annos. Quoad orichalcum, ex quo conflatum hoc simulachrum, olim in maximo pretio fuisse contestantur vetustissimi quique Scriptores. Et hoc metallo plerique fere omnes nummi cusi, nondum priscis illis mortalibus tanta vis auri & argenti innotuerat. Habes paucis descriptum vetus hoc signum. Quid insuper penitius intuentes admoneat, & cum Paulo tacite contestari videatur.

Accipite.

Mementote vos quondam &c. Ephes. II. v. 11. 12. &c. Ergo gratias agite Patri. Coll. I. v. 12. 13. Quin & illud hieroglyphicum monitum non aspernandum.

Appingo: fortasse etiam non affingo;

Circunspecte agat Taurus, jam altero cornu mutilus, caveat ille ne adstantis instantisque victimarii Rom. aspersionibus, carminibus, aliisve blanditiis Pontificis delinitus, deceptus & præparatus (quod propitius nobis hactenus Deus averruncassit) AUST. Numini cadat victima.

S. P. Q. L.

Mnemoneuticum oblatum & appensum Pinacium. COS. Nobiliss. Amplissimo, literatissimoque viro Benjamino Rosseto Domino de Wifflens. PRAET. URBANO D. Johanni Copino viro integerrimo, & juris observantiss. æquissimoque. QUAEST. Nobilissimo Prudentissimoque viro D. Joh. Bapt. Signodo. TRIBB. PLEB. Nobilissimis ornatissimisque Viris D. D. Henrico Prarromano Domino de Cheires. Joh. Rodolpho Mistrali. Abrahamo de Monterand. Joh. Bap. Seignodo. Francisco Gaudino. ÆDILITATEM gerente Jodoco Gaudardo viro politissimo & Architecturæ peritissimo, diligentissimoque. Anno a Virginis Partu. M DCXXIX. 5. Id. Apr.

Gabriel Depetra Eccl. Laus. Pastor.

Sed ad institutum nostrum redeamus, & unde Lausannæ antiquitas peti possit, videamus. Refert *Mercator* in veteribus chronicis reperiri, Lausannam An. M. MMDCCXC. ab Arpentino Herculis centurione fundatam sub nomine Carpentoracti (aut potius Arpentinæ) quod immutatum, cum urbs super montem transferretur, circa Martini Episcopi tempora An. Chr. DXCIII. Eadem fere habent Vaudi chronica: Narrant enim Arpentinum, sub Hercule belli Ducem, prope rivum nomine Carma. Anno Mundi MMDCCCXLII. urbem quam Arpentinam nominaverit, condidisse, ex cujus ruinis Lausannam ædificare cœperit Imper. Valerius Aurelianus. Dicimus vero ad hæc: Urbem aliquam ibi fuisse conjectura est non levis, de cujus origine narrationem in medio relinquimus. Deinde hallucinantur illa Vaudi chronica, dum Aurelianum, & Genevæ restauratorem, & Lausannæ fundatorem constituunt; si enim idem est Lausannæ conditor, qui Genevæ restaurator, non ille Aurelianus erit, sed Marcus Aurelius Antoninus, ut ex inscriptione quæ Genevæ extat supra vidimus: Sed nascitur hic mihi scrupulus ex supra memorata inscriptione. Utrum ille Aurelius sit, qui Pius cognominatus est, aut qui ei successit, & dictus fuit M. AUR. ANTONINUS VERUS PHILOS. Priorem esse, indicare videtur inscriptio, dum eum nominat AUREL. ANTONINUM PIUM, sed eadem inscriptio etiam refragari videtur, dum eum vocat M. id est, Marcum, non enim reperio eum Marcum, sed T. id est, Titum, nominatum: *Eutropius* Lib. VIII. istius nomina recenset hoc modo: TITUS AURE-

AURELIUS FULVIUS ANTONINUS PIUS. Aut ergo in hac inscriptione M. positum est pro T. aut quod verisimile esse posset, qui illam ex marmore descripserunt, in describendo erraruni; Vel adhuc, intelligenda esset inscriptio de M. AURELIO ANTONINO, cognominato VERO & PHILOSOPHO, qui forsan etiam PII nomen acceperit. Quidquid sit, certum saltem est, Genevæ restauratorem & Lausannæ fundatorem non esse Aurelianum, qui dictus est, L. DOMIT. AUR. VAL. AURELIANUS, *Guillim*. hæc nomina sic refert pag. 167. hic nunquam vocatur PIUS, imo crudelis fuit, regnavitque centum circiter annos post duos superiores imperatores.

Credidit *Guillimannus* p. 31. Lausodunum ex XII. oppidis Cæsaris tempore incensis, fuisse, illudque esse oppidum, quod apud Ptolomæum, librariorum incuria, aut Scriptoris ignorantia *Diasanium*, corrupte pro *Lausanium*, vocatur; facilis enim apud Græcos Δ & Λ est lapsus, ut notat *Simlerus*, MSC. Sed his relictis, evidens & antiqua est, in *Antonini itiner*. Lausannæ mentio, ubi lacus *Lausonius* dicitur distare ab Equestribus XX. m. p. crediderim vitiose legi *lacum*, pro *locum*, & tum temporis, non quidem urbem fuisse, sed locum aliquem, puta vicum, aut arcem celebrem. In tabula itineraria est *lacus Losonne*; legit in inscriptione lacus *Cluverus*, lacus *Losanente*, corrupte pro lacus Lausanensis. Apud Antoninum legisse videtur *Guillim*. Lausunum. *Sabellicus* Enn. VI. Lib. V. Lauxanam pronuntiavit, sed male. Observat *D. Hermannus* accuratus antiquitatum indagator; constare ex veteribus documentis, præcipue ex Testamento Berthæ Burgundiæ Reginæ, Lausannæ civitatis nomen fuisse *Lausona*; & ex aliis antiquis Actis *Lausene* & *Losene*, juxta *D. Gaudardi* observationem. Inepta autem est quorundam originatio, qui Lausannam dictam putant a duobus rivis, inter quos maxima urbis pars jacet, juxta hunc versum, quem sic pronuntiant:

Inter *Lau* & *Anna*, fuit fundata *Lausanna*.

Certum vero est nec rivos illos ita nominari, nec ab initio istius urbis fundationis, inter dictos illos rivos fuisse, quotquot enim ædificia, quæ nunc ibi sunt, longe post vicum Burgi, *la rue de Bourg*, constructa fuisse constans est inter Lausanenses opinio, ex Vaudi chronicis, &c.

Urba.

HOc oppidum non multa antiquitatis habet monumenta, hic nullæ Romanæ inscriptiones. Antiquam tamen esse constat, cum enim pagi Urbigeni mentionem faciat Cæsar, exinde non levis elicitur conjectura, ab oppido Urba, denominatum illum pagum, ut volunt fere omnes antiquitatum Scriptores. Istius quoque meminit *Antoninus*; unde conjecit *Cluverus* pagi illius fuisse caput, cui successerit Aventicum, Urbamque Antiquorum esse Orbam hodiernam, siquidem præter nominis similitudinem, intervallum probe conveniat, quod est a Lausanna XVIII. m. p. secundum *Antoninum*. Referunt *Vaudi chronica*, priscis temporibus vocatum hoc oppidum *Tavelles*, constructumque fuisse ab Alemannis, qui illam Helvetiæ oram occupassent, sed illis ab Helvetiis profligatis & devictis, destructum & dirutum, idque ante Cæsaris tempora, ut volunt eadem chronica.

Ebrodunum.

NOminatur hic locus Ebrodunum, aut Eburodunum, hodie Yverdunum. Tria fuisse loca hoc nomine appellata annotat *Cluverius*. Primus locus est in Alpibus Delphinatus, cujus meminit *Antoninus*, vulgo *Embrun*. Alter in Germania est ultra Bojohæmum. Tertius est in Helvetia, cujus quoque mentionem facit Antoninus, in itineraria tabula. In libello ubi Romanæ provinciæ recensentur, Ebrodunum inter castra ponitur, teste *Guillim*. qui unum ex XII. Cæsaris oppidis fuisse credit, Romanosque hic habuisse præfectum, per quem curarent abietes ex monte Jura, ad navigationem parari, dicit. Hoc oppidum jam Cæsaris tempore fuisse conjectura tantum est: Veterum enim nulli, & ante Antoninum, & illum *Notitiarum librum*, meminerunt. Visitur quidem hodie ibi inscriptio, in rotundo marmoris albi lapide, muro privatarum ædium indito. Inscriptio manca est, & sic se habet, prout ipse eam descripsi

IMP. CAES - - -
L. SEPT. SEVERO
PERT. AUG. ARAB.
PAR. H. G. MAX. P. P.
IMP. CAES. M. AUR.
- - - NON NO. POTE - - -
COS - - - - - - - - -
- - - - - - - - - - -

Sed lapidem hunc repertum fuisse in pagulo vicino nominato, *Treycovagne*, testantur multi. Cum præstantissimus Vir Dominus Daniel Morlot, Illustrissimæ Reipublicæ Bernensis Chiliarcha & expræfectus Romanimonasterii & Morgiensis ante aliquot annos una cum aliis laudatissimæ societatis immensi illius aquæductus operis consociatis Canalem illum inter Albonam & Ebrodunum per mediam paludem, omnis generis mercibus & præcipue vino Yverdunum usque transvehendis opportunum, magno molimine conficiendum curarent, inter rupes præscissas Serratæ, quasi in medio earum, qua patet, transitus, Anno MDCXL. repertus est lapis cum sequenti inscriptione, quæ ita se habet cum interpretatione & expositione Præstantissimi Viri, Domini *Cæsaris Lentuli*, inclytæ Reipublicæ Bernensis Senatoris Clarissimi ex Nobilissima & antiquissima illa Romanorum Lentulorum prosapia oriundi.

IMP.
CÆS. TR. P. AILIO.
HADRIANO.
AUG. P. M. TRIB.
POT. COS. III. P. P.
AVENTICUM
M. P. XXXXI.

Interpretatio.

IMperatori, Cæsari, Triumphatori, Publio, Ælio, Hadriano Augusto, Pontifici Maximo, Tribunitia potestate, Consuli tertium, Patri Patriæ, Aventicum, monumentum posuit (Anno vitæ Hadriani) quadragesimo primo: Vel quod millia passuum 41. iter aperuisset.

Ælius Hadrianus XV. Rom. Imp. immensi laboris: quippe qui provincias omnes pedibus circumierit: Socias civitates, atque tributarias & subditas mirifice juvit, multas earum invisit, & quas nullus ante se imperatorum viderat,

 atque

atque omnibus aliquid opis & auxilii tulit. Ejus cum alia monumenta, tum in Helvetiorum finibus Pons Ælius, in comitatu Burgundiæ, quem Pontarlinum vulgo nominamus, itinere illo cujus extant adhuc vestigia, quod quondam Agrippa Galliæ præfectus ex Lugdunensi provincia, & Heduis in Sequanos Rauracosque & Rhenum perpetuis stratis perduxit. Natus autem Hadrianus Anno Chr. LXXV. Imperator creatus Anno CXVI. Regnavit Annos XXII. vixit Anno LXIII. objit Anno Chr. CXXXVIII. Subductis igitur annis imperii XXII. ab annis ætatis LXIII. restabant Anni XLI. qui numerus est de quo agitur.

Abiolica.

HUjus loci distantia varie apud Antoninum legitur. In tabulis Abiolica ab Eburoduno distat XIV. m. p. apud Antoninum XXIV. m. p. *Merulæ* testimonio. *Cluverius* vero dicit in Tabul. Antonini VI. m. p. distare ab Eburoduno Vesontionem versus. Hinc natæ discrepantes sententiæ, credit enim Merula esse *Ornans*, in Burgundiæ comitatu. Vult vero Cluverius nomen hoc & spatium situmque convenire vico hodie dicto *Bulet*, in monte Jura sub DD. Bernensium jurisdictione, in præfectura Yverdunensi. Observat tamen *D. Herman.* vicum Bulet, non antiquum esse, imo quidem vicum *Sanctæ Crucis*, dictum. Ex veteribus enim actis ostenditur, locum illum Bulet fuisse, tempore Sabaudiæ comitum, extirpatum a quibusdam tributariis, unde etiam illius incolarum hodierna lingua, accentum retinet Sabaudicum.

Vivifcum.

MEminit hujus loci Antoninus, eum vocans Bibiscum, & in Tabul. Viviscum; vulgata has literas B & V mutandi ratione, ut ait *Guillim.* p. 42. Nos rectam pronuntiationem credimus esse, Viviscum, & hodiernum nomen hoc modo enuntiandum *Vivey*, Germ. *Vivis*: Et in actis male Viviacum & *Viveis*. Corruptum igitur est hoc nomen apud *Lambertum Schaffnaburg*, qui in itinere Henrici IV. Imp. vocat *Civis*, pro Vivis. Distat hic locus, secundum Antoninum, a *Penne* VIII. m. p. *Cluverius* Lib. II. Cap. IV. ait, hunc locum extra Helvetiorum fines fuisse Nantuatium; Nos vero in Helvetiis situm fuisse asserimus, vicumque antiquitus, ob loci opportunitatem, celebrem judicamus. Ad Nantuates & Antuates quod attinet, quam regionem occuparint, postea videbimus.

Calarona.

QUamvis istius loci non meminerit Antoninus, antiquum tamen esse, certum. *Præsidium*, inquit Guillim. pag. 100. *habuisse paulo certius est, si libro Notitiarum fides, in eo enim tribunum & cohortem locat.* Sic enim liber ille; *In provincia maxima Sequanorum Tribunus cohortis primæ Flaviæ Calaronæ, &c.* Nominis vestigium hodie manet in quadam arce ad lacus ripam prope vicum S. Symphoriani, in præfectura Lausannensi: vocatur arx illa *Glerolles* vel *Gleroule*, & in actis Glerola vel Gleyrola. Locum illum antiquitus vicum, oppidum aut castrum fuisse, incertum est, antiquum tamen esse crediderim ex hac inscriptione, quæ nunc in templo S. Symphoriani cernitur, prope portam minorem in rotunda columna.

TIT. CLAUDIUS. DRUSI. F.
CÆSAR. AUG. GERM.
PONT. MAX. TRIB. POT. VII.
IMP. XII. P. P. COS. IIII.
F. A.
XXXVII.

Bramagus.

IN plerisque *Antonini* exemplaribus legitur *Bramagus*, secundum *Cluverium* vero *Bromagus*, in tabulis *Viromagus*, distat hic locus a Vivisco VIII. m. p. Non convenit inter Authores; quis sit aut esse possit locus ille: credit Cluverius esse vicum *Bro*, sed Bro aut Bre lacus est, non vicus, saltem hodie, nisi quis credere vellet, quod alibi diximus, & revera distantia magis convenit, ut & nomen, dicitur enim in Actis lacus Bromagus, ut Cap. XV. vidimus. Aliter tamen *Simler.* primo Lib. de Vall. & *Guillman.* qui sic loquitur pag. 40. *Bramagus vulgo Bromasin parœcia oppidi Ru, paulo infra situs vicus nunc, oppidum olim fuisse nonnulli voluere, quod Ru usque se porrexerit, parsque ejus fuerit, una cum arce quondam nominatissima, sed jam olim a Sabaudiæ comitibus eversa, quod eam latrones occupassent, unde toti subjectæ regioni grassabundi dominarentur. Et mihi relatum nonnulla Bramagi vetustatis monimenta notari.* Ego rem in medio relinquo, cum utrobique nomen satis conveniat, at non distantia, quæ in diversis Antonini exemplaribus variat, legit enim *Cluverius* VIII. m. p. & *Guillim.* XIX. m. p. unde ex illis Antonini distantiis, firmæ non possunt esse conjecturæ. Annotat porro *Cluverius* vocem, *Magus*, utique annecti vicis & oppidis ad amnes positis. *Rhenanus* domum denotare dixit; Affirmant alii, docuisse *Plinium*, hanc vocem significare urbem.

Minodunum.

HUjus loci distantia apud Antoninum in variis exemplaribus diversa est. *Guillim.* legit distare a Bramago II. m. p. Alii VI. m. p. Antoninus vocat Minodunum, in tabulis Minodum, mutilato vel abbreviato nomine, pro Minodunum, ut ait *Cluver.* Lib. II. Cap. IV. variat hujus nominis pronuntiatio; Minnidurum apud Antoninum legit *Guillim.* p. 41. Ab aliis quoque vocatur Melidunum, Meldunum, Modunum. Imo & *Merdunum* in quibusdam antiquis actis, usitata scil. consuetudine mutandi L in R & vice versa: Sicuti in infinitis aliis vocabulis; ut *Arbona* pro *Albona*: *Arussens* pro *Alussens*: *Curtilies* pro *Cultulues*. *Curculari* pro *Calculari*: *Curculus* pro *Calculus*: *Farcata* pro *Falcata*: *Fulmen* pro *Furmen*: *Malnam* pro *Marnam*: *Albiter* pro *Arbiter*: *Algenteus* pro *Argenteus*: *Ulgere* pro *Urgere*: *Falchus* pro *Furcis*: *Pulgare* pro *Purgare*, *&c.* ut observavit ex actis *D. Gaudard*. Cæterum crediderim ego hunc locum rectius nominari Minodum. *Gall.* Moudon, *Germ. Milden*. Oppidum hodie est, antiquum nomen retinens, de cujus antiquitate alia nobis nunc non occurrunt dicenda.

Pater-

Paterniacum.

ETſi apud antiquos hujus loci non fiat mentio, antiquum tamen eſſe credimus, tum ob commodum loci ſitum, tum quod ibi adhuc viſatur inſcriptio Jovi facta, quæ extat in marmore rotundo ſuper ponte Brojæ.

JOVI. O. M.
GENIO. LOCI
FORTUNÆ
REDUCI. D. AP.
PIUS. AUGUS
TUS. DEDIC.

Volunt nonnulli nomen & originem accepiſſe a quodam *Graccho Paterno* Romano, cujus meminit inſcriptio Villariæ, quam poſtea referemus. Hoc incertum eſſe vult *Guilim.* p. 39. qui tamen illud Cæſaris tempore igne periiſſe credit. Ego, ſalvo aliorum judicio, conjicio antiquiſſimis temporibus, aliquem fuiſſe, ad trajectum Broiæ, vicum, qui poſtea ex Aventici ruinis in oppidum excreverit; non enim, dum Aventicum in flore eſſet, illi proximum fuiſſe oppidum veriſimile eſt.

Aventicum.

NUnc ad illuſtrem, & tota Helvetia celeberrimam urbem accedimus. Perantiquam eſſe dubium non eſt, ita ut de hac vere affirmare poſſimus, jam eam Cæſaris tempore extitiſſe. Vocatur hæc Antonino *Aventiculum*, in tabulis *Aventicum*, Ptolomæo *Aventicum*; in libro Provinc. ſub Theodoſio (ut volunt) edito, *Civitas Helvetiorum*. Diviſis ſub Auguſto in XVII. Provincias, Galliis, Aventicum ſub Provincia Lugdunenſi quinta habita, & *Civitas Helvetiorum*, vitioſe, pro Helvetiorum, vocata. *Ptolomæus*, in Sequanis poſuit Aventicum, referentibus *Guilim.* Lib. I. de Reb. Helvet. & *Cluverio* Lib. II. Cap. IV. *Marcellinus* Galliæ facit civitatem, quam ſub Alpium Graiarum & Penninarum Provincia collocare videtur; Alii in Maxima Sequanorum, quæ eadem cum Lugdunenſi quinta. Antiquam vero eſſe oſtendunt, I. Narrationes, quæ de illa apud veteres habentur. Narrant Vaudi chronica, Helveticum (a quo Helvetiæ nomen) quarto ſui regni anno, Aventicæ Concubinæ ſuæ impulſu & precibus, hanc condidiſſe urbem, quam in illius gratiam, Aventicum nominaverit. An. Mundi MMMM LXXI. Refert *Viterbienſis* Chron. Part. IX. Aventicum, ſeu ut ille vocat, *Avenzam*, jam fuiſſe tempore Brenni, qui Romam cepit A. M. MMM D LXXVII. Olymp. XCVIII. Ab urbe Cond. CCCLXV. ſecundum *Funccii* chronologiam; imo volunt multi Brennum Celtarum Ducem, Allobroges & Avenzam Helvetiorum caput tenuiſſe. *Valer. Anſel. Ryd.* in Catal. Ann. p. 14. *Carion.* p. m. 151. II. Inſcriptiones Romanæ illius antiquitatem arguunt; variæ autem ſunt, tum in ipſo oppido hodierno, tum in locis vicinis, in quæ translatæ fuerunt. Antiquiſſimæ omnium eſſe perhibentur, quæ Veſpaſiano poſitæ; harum fragmenta quædam cernuntur.

IMP. CÆSARI. VESPASIANO
AUG. PONTIF. MAX. TR. POT. III.
IMP. VIII. COS. III. DESIG. IIII. P. P.
- - - - - - - - - - - - - -
- - - - - - - - - - - - - -

In turri quadam literis initialibus.

ERUNT
TI. PRÆF.
VESPASIAN VESPAS
CAIO LÆLIO

Freculphus Tom. II. Lib. I. Cap. III. de Tito Imperatore loquens dicit, eum civitatem Aventicum, quam pater ejus Veſpaſianus ædificare cœperat, conſummaſſe; quod non ita intelligendum, quaſi ejus urbis fundamenta jecerit, ſed quod colonia eam amplificaverit, quam abſolverit Titus. Cum enim Helvetia ſub Vitellio, a Cæcinna vaſtata fuiſſet, & Aventicum captum, ut refert *Tacitus* Hiſt. Lib. I. Veſpaſianus, qui in imperio Vitellio ſucceſſit, plurimas per totum terrarum orbem civitates terræ motu aut incendio afflictas reſtituit in melius, *Suetonio* teſte: hic, inquam Imperator, cujus pater Sabinus apud Helvetios fœnus exercuerat, cum Helvetiorum eſſet Patronus Aventicum reſtaurandum curavit, & ut populis eſſet frequentius, eo deduxit Coloniam, quæ Flavia (a gente Flavia, unde oriundus erat Veſpaſianus) vocata fuit, ut apparet ex inſcriptione, quæ legebatur adhuc Aventici in angulo templi A. C. MDXXXVI. ut referunt *Guillim.* & *Stumpf.* Chron. Lib. IV. p. m. 278. fuſe, an bene neſcio. Illius tantum poſtrema hæc verba *Velſerus* in ſuis inſcript. Vindelic. & *Cluverius* in ſua Germ. Ant.

COLONIA. PIA. FLAVIA. CONSTANS. EMERITA.
AVENTICUM. HELVETIORUM. FOEDERATA.

Apollinem hic cultum, alibi diximus, quod oſtendit inſcriptio ſequens ipſi facta, & templi muro indita, quam ſic referunt *Guillim.* & *Stumpf.* Lib. VIII. pag. m. 263.

NUMINIB. AUG.
ET. GEN. COL. HEL.
APOLLINI. SACR.
Q. POSTUM. HERMES.
LIB. MEDICIS. ET PRO-
FESSORIBUS.
D. S. D. (de ſuo dicarunt.

Cernebatur etiam hoc monumentum in columna, quæ in platea jacebat. *Simler.* MSC. & *Stumpf.* Lib. VIII. pag. 263.

D. M.
SEVERIAE
MARTIOLAE
SEVER. MAR
CIANUS
FRATER
F. C.

Referunt quoque idem *Simler.* MSC. & *Stumpf.* ibidem & hoc epitaphium

AELIAE MODESTINAE
QUAE VIXIT ANNIS II. M. VI.
AELIUS CLADAEUS ET CANI
NIA MODESTINA PARENTES
FILIAE DULCISSIMAE
POSUERUNT.

Quam autem celebris fuerit hæc urbs, illustria veterum ostendunt testimonia, quorum maxima pars eam Helvetiorum, non oppidum, sed civitatem vocant. *Tacitus* in Vitellio, Helveticæ gentis caput agnovit. *Marcellinus* Lib. XV. dicit, Aventicum *desertam quidem civitatem, sed non ignobilem quondam, ut ædificia semiruta nunc quoque demonstrant*. Gottfridus Viterbiensis Friderici I. & Henrici ejus filii secretarius de ea urbe sic loquitur.

Cum loquor Allobrogos fluvium perpendo Labrojam
Quæ fuit urbs quondam grandis velut altera Troja
Nomen Avenza fuit quæ peritura ruit.
Illa superborum viguit feritate virorum,
Marte Suevorum periit primatus eorum:
Decidit armorum cultus, & omne forum.

Longe lateque ejus patuisse pomœria, ostendunt adhuc hodie murorum & turrium quibusdam in locis rudera; unde Glareanus,

Mœnia lata vide non quæ præsentat is orbis
Oppiduli, sed quæ circulus exter habet.
Gentis Aventinæ cecidit suprema potestas,
Quæ caput Helvetiæ tempore prisco fuit.

Imo adhuc antiquissimis temporibus latius adhuc patuisse, quam quod hodie videri potest, credibile est, & ex ejus ruinis ædificatos per universam viciniam vicos, maxime vero vicum dictum *Munchenwyler*, quasi monachorum villam, Gall. *Villar le moine*. Cum enim variæ ibi extent inscriptiones, conjicere & colligere licet, vel Aventici fuisse suburbium, cum adhuc non longe distet, vel inscriptiones ex Aventici ruinis eo translatas: vult quoque *Guillim*. ibi Deæ Aventiæ fuisse templum; Unde ad dextram & sinistram majoris portæ seu introitus atrii in muro apparent sequentes inscriptiones: de quibus etiam *Stumpf*. in Chron. Lib. VIII. p. m. 264. & *Simler*. MSC.

DEAE. AVENTIAE
ET GENIO INCOLAR.
T. IANVARIUS.
FLORIANUS.
ET. P. DOMITIUS.
DIDYMUS
CURATORES. COL. (scil. Aventicensis.
EX. STIPE. ANNVA.

Super sequentem inscriptionem cernitur mulieris effigies:

IVLIAE CEN
SORIANAE
CA. IVL. C. AUG.
PIUS PATER.

Item sequens inscriptio:

OCTACILIAE. FA
VENTINAE. VXO
RI. M. OCTACILIUS
IIIIII. VIR. AUG.
- - - B - - - SA. VIVA - -
- - - - - - - - - - -

Item in rusticæ cujusdam domus angulo ad viam publicam extat in marmore hæc inscriptio:

DEAE. AVENTIAE.
T. TERTIUS.
SEVERUS.
CURATOR. COLON.
IDEMQUE. AL.
CUI. INCOLAE.
AVENTICENS.
PRIM. OMNIUM.
OBS. EJUS. ERGA.
SE MERITA
TABULAM ARG.
P. L. POSVER. (publico loco.)
DONUM. D. S. P. (de sumptu publico)
EX. VCC. L. D. D. D. (locus datus decreto Decurionum.)

Et Alia in lapidis fragmine ibidem. *Guillim*. pag. 103. & *Stumpf*. Lib. VIII. p. m. 264.

DONATO. CÆS. AUG.
SALVIANO. EXACTORI.
TRIBUTORUM. IN. HELV.
COMMUNIS. VICARIUS.

In templi pariete etiam sequentem fuisse inscriptionem referunt *Guillim*. & *Stumpf*. Ibid.

GENIO
PAGI. TIGOR.
P. GRACCIUS
PATERNUS
CVR. COL. ET
SCRIBONIA
LUCANA
V. FEC.

In cœnobio in ara templi, apparet etiam hæc.

D. M.
L. CAMILLIUS.
FAUSTUS.
IIIIII. VIR. AUG.
VIV. FECIT.
IN. ANNO. LXX.
VIXIT ANNIS
LXXXXI.

Extat adhuc lapis in dicto templo a D. David Morlot Domino dicti loci *Munchenwyler* nuper inventus, cum hac inscriptione.

- - - ROEPULON
- - - VGUST. PR. PR
- - - IAN. SUPERIOR
- - - VBL. PATRONO.

Extant quoque Murati sequentes inscriptiones, procul dubio ex Aventici ruinis eo translatæ, constat enim Muratum antiquum non esse. *Simler*. MSC. In Ecclesia parrochiali S. Mauritii extra urbem hæc legitur inscriptio.

D. M.
T. NIGRI
SATURNIN
SATURNINA
GANNICA
LIBERTA ET
CONIUNX.
F. C.

Ab altera vero parte templi hæc extat inscriptio.

D. M.
HIBERNIAL
VALENTINA.

Petines-

Petinefca.

HUjus loci meminit *Antoninus*. Diftat ab Aventico XIII. m. p. vel juxta *Guill*. XXVIII. m. p. In tabulis eft Peteni∫ca. Legit apud Antoninum *Guill*. Pyrenefca, creditque fuiffe oppidulum hodie dictum *Büren* in ditione Bernenfium ad Arolam fitum. Vult tamen *Cluverius* effe oppidum *Biennam*. De hoc nihil aliud apud veteres habemus; unde dubius hæreo, & quinam poffit effe locus, vereor definire. Non effe Biennam certum, quia non eft recta via ab Aventico Salodorum usque. Hic prætereunda non eft fententia D. Gaudardi, qui ait, *Petinefcam (vel potius* Pedinefcam*) eo loci fuiffe, ubi hodie eft viculus* Tribey *medio fcil. Aventico Salodurum usque itinere non procul a Nydovio inter Arolam & fl. Telam & Pagos illos*, Jens & Schwanden, *quousque olim per mediam paludem antiqua illa Romanorum via (quæ adhuc hodie aliquibus in locis integra apparet & vulgo der Heyden-Wäg, der Römer-Wäg, das hoch Gfträff appellatur) in linea recta pertingebat. Quod probare videtur.* 1. *Nominis affinitas*; Tribey *enim latine diceretur* Tripes, *fcil. a tribus viis, quæ Aventicum, Salodurum & Nydovium (& inde Bipennem vel Biennam, Gall.* Bienne, *Germ. Biel,) ducebant. Unde a Genitivo* TriPEDIS, *nomen* Pedinefca *ortum. Vel dicitur* Pedinefca *quafi* Pedienfca, *nominibus duorum illorum locorum* Tripedis & Jens *in unum conflatis, quia procul dubio olim pagus Jens dicti loci* Tribey *fuburbium fuerit.* 2. *Rudera ædificiorum, maxime fub terra, longe lateque difperfa.* 3. *Ruinæ veteris cujusdam arcis.* 4. *Varia Numismata ibidem reperta.* 5. *Loci in regione fertili ad montis pedem fiti, & medio inter Aventicum & Salodurum itinere, commoditas.* 6. *Foffa quædam ex vicina Arula omnis generis mercibus & aliis rebus huc advehendis opportuna, quæ adhuc hodie vulgo der Gieffen appellatur. Quæ omnia urbem hic fuiffe oftendunt, & fententiam noftram confirmant.* Hactenus D. Gaudard.

Noidenolex.

APud Antoninum non habetur hic locus, fed in libro Provinciarum, inter quinque Sequanorum civitates ponitur. Arbitratur *Guill*. p. 30. hunc locum effe Neocomum oppidum, comitatus Neocomenfis caput, cujus vetuftatem petit jam a Cæfaris tempore, quo ex duodecim Helvetiorum oppidis unum, & cum aliis combuftum fuiffe credit. Alii Laufannam effe dixerunt, fed male, cum lacus Laufonii, ut vidimus, diferta apud Antoninum fiat mentio: referente eodem *Guillimanno*, apud quem vide. Alias etiam dicitur Noidonolex.

Celebriora & Antiquiora Pagi Ambronici loca.

JAm ad Ambronicum accedimus pagum, qui quidem Urbigeno oppidis & vicis minus frequens fuit, cum enim maxima hujus pagi portio montofa fit, & antiquis temporibus minus culta fuerit, non tot oppida, nec tot vicos habuiffe verifimile eft. Unde etiam loca quæ in hoc pago antiquiora effe creduntur, in inferiore Argovia, id eft, extra montes in planitie prope flumina conftructa fuerunt. Inter hæc numeramus *Salodorum* & *Vindoniffam*, fi quæ alia fuerint, eorum memoria ad nos non pervenit.

Salodurum.

HUjus loci (ut opinor) primus fcriptorum meminit *Antoninus*, qui diftare ait a Petinefca X. m. p. & ab Augufta Rauracorum XXIII. m. p. apud enim alios vetuftiores non fit, quod fciam, mentio, nifi valeant *Cluverii* Lib. II. Cap. IV. conjecturæ; credit enim ille vitiofe apud Ptolomæum, *Ganodurum* pro *Salodurum* legi, cum pofitio Saloduro magis conveniat, quam Conftantiæ (quæ Ganodurum Ptolomæi quibusdam videtur) Antonino *Saloturum*, in tabulis *Salodurum* dicitur.

Unum ex antiquiffimis totius Helvetiæ oppidis effe dicit *Simler. Lib. I. Reip.* imo fororem æftimari Trevirorum, quorum urbem Nini feculo conditam vetufti tradunt annales. Hinc *Alftedius in Thefaur. Chron. Tit. XXIX. afferit*, Salodurum & Tigurum XXX. annis poft Trevirim (*id eft, circa A. Mundi M M.*) fuiffe conditas, adeoque has tres urbes forores appellari. Sed hoc fabulofum nimis judicat *Guillim*. qui tamen unum ex XII. Helvetiorum oppidis fuiffe afferit, quod poft ejus incendium, reftitutum maximus fuerit vicus, & poftea fub Maximiano caftrum factum. *Stumpf. Lib. VII. Chron. p. m.* 223. afferit etiam hanc urbem temporibus Abrahami XX. circiter annis poft Trevirim fuiffe conditam, eodem fcil. tempore, quo Damafcus in Syria condita fuit. Quidquid fit, celebrem ac veterem fuiffe locum, oftendunt non folum cocti lateres varii coloris, & rudera per ambitum reperta, fed etiam veteres Romanæ infcriptiones, quarum adhuc quædam extant, reperta enim fuit infcriptio Deæ Eponæ facta, Heliogabali, ut credo, tempore, qui & Antoninus dictus, & folis Sacerdos fuit: extat illa in privatis ædibus e regione macelli.

	DEAE. EPONAE. MA - - -	X.
	OPILIUS. RESTIO. M - - -	IL.
L	- EG. XXII. ANTONI	
	ANAE. P. P. F. IMMV	
NI	- - S. COS. CURA. SA	
LE	- - NS. VICO. SALOD - - -	OR
D.D.	- - - XVIII. KAL. SEPTEMB.	
IMP.	- - - - D. N. ANTONINO.	
AUG.	- - - - II. ET. SACERDO	
TE	- - - II. COS.	
	V. S. L. M.	

Hanc infcriptionem *Stumpf. Chron. Lib. VII. p. m.* 224. fic interpretatur; Deæ Eponæ maximæ Opilius Reftio, miles Legionis XXII. Antonianæ primigeniæ piæ felicis immunis cuftos, Curator Salenfium, vico Salodoren. dedicavit XVIII. Kal. Sept. Domino noftro Antonino Aug. & Sacerdote II. & Confule: Votum folvit libens merito.

Circa annum Chr. CCLXXXVIII. fub Diocletiano & Maximiano, S. Urfum ex legione Thebana, cum fexaginta fex fociis, martyrio affectum ferunt, ibique fepultum, unde poftea in ipfius memoriam, conditum templum, in quo erat monumentum hoc, cujus pars tantum habetur.

T. CRASSI C - - -
AVITO F.
AN. XXXV.

Cum Anno MDXIX. altare majus bafilicæ diffolveretur, in eo repertum arcæ fpecie faxum quadratum, educta in cacumen fuprema parte, ligamentis ferreis admodum firmum, exterius erant hæ literæ, referente *Guilliman*. & *Stumpf*. dicto loco.

 D. M.

D. M.
FL. SEVERIANAE.

Interius repertæ duorum corporum reliquiæ, in cranio unius erat argentea lamina, cum hoc versu;

Conditur hoc Sanctus tumulo Thebaidos Ursus.

Duas reperio, circa vocis Salodori originem, sententias. Credunt nonnulli Salodorum dictum, quasi *Solis turrim*, quod arguere videtur Antonini & aliorum pronuntiatio, qui Saloturum vel Soloturum pronuntiant, & antiqua turris, quæ adhuc in urbis medio conspicitur quamque arcis ab oriente introitum servasse ait *Guillimannus*. Unde volunt multi vocem *Durus* aut *Durum*, veteribus significasse turrem, quam Germani vocant *Thurn*, aut *Thorn*, ad quod respicere videtur hodierna pronuntiatio Germanica *Solothurn*. Referunt tamen alii, inter quos *Cluverius* Lib. I. Cap. VII. vocem illam significare transitum in urbibus ad amnes positis; Anglis enim *Dore*, Germanis *Deure*, idem fere significare quod Græcis θύρα porta, per quam transimus. Prima hæc sententia hac conjectura firmari posset, nempe quod cum Apollo, id est, Sol, in Helvetia celebratus, hic quoque coleretur, ejusque cultus, vel institutus, vel restitutus sub Heliogabalo, solis Sacerdote, cujus meminisse videtur inscriptio, fuerit; verisimile esset illam turrim soli consecratam, ex quo Soloturum nomen acceperit.

Arridet tamen aliorum sententia, qua statuitur Salodurum, a Saliensibus populis ita denominatum, quorum fuerit caput: Et sane supra memorata inscriptio vocat Salodorum (non Solodorum) vicum Saliensium, quorum memoriam conservare videtur *Salsach*, sive Saliensium aquæ, vicus inter Salodorum & Biennam: quin etiam regio quæ Neocomo Salodorum usque pertingit, antiquitus appellabatur *Salgew* sive *Salcugew*, id est, Saliensium tractus aut regio. Salienses autem dextram Arulæ ripam a Bienna usque ultra Salodorum incoluisse testatur *Guillim*. pag. 375. Qualis vero fuerit Saliensium origo, non ita certum; forsan a Saliis Germaniæ populis, qui & Franci dicti sunt. *Marcell. Lib. XVII.* hos ita nuncupatos a Sala fluvio opinatur *Althamerus* in Tacit. Ab his legem Salicam promanasse putat *Alciatus*. Fuerunt quoque Salii Martis sacerdotes, dicti ab Hebr. salal id est, exaltare, elevare, Merul. Part. II. Lib. IV. Cap. XVIII. de quibus Virgilius Æneid. VIII.

Hic exultantes Salios nudosque Lupercos.

Est quoddam militum genus, quos Soldurios a Gallis appellatos narrat *Cæsar*. Lib. IV. Bel. Gal. *Horum*, inquit Cæsar, *hæc est conditio, ut omnibus in vita commodis una cum his fruantur, quorum amicitiæ se dediderint: si quid iis per vim accidat, aut eundem casum una ferant, sibi mortem consciscant, neque adhuc hominum memoria, repertus est quisquam, qui eo interfecto, cujus amicitiæ se devovisset, mori recusaret.* Quid si hoc militum genus, ex ea, in qua erat Solodurum, regione, oriundum fuisset? Sic enim Gessatæ Polybii, Helvetii quoque fuerunt, ut alibi vidimus. Quos vero esse putet Soldurios Cæsaris, *Guillim. pag.* 114. *Lib. I. &c.*

Vindonissa, Windisch.

EXtat hodie in inferiore Argovia exiguus vicus dictus *Windisch*, cujus tam pauca vetustatis supersunt argumenta, ut olim celebrem fuisse locum vix credi posset, nisi ejus antiqui meminissent Scriptores, qui amplissimam populosissimamque civitatem fuisse testantur, sed ab Attila Rheni hoste (sic eum vocat *Sidonius Apollinaris*) ita funditus eversam, ut hodie vix vici mereatur nomen. Hujus antiqui illustrisque loci inter alios *Antoninus* in suo itinerario, Vindonissam inter Vitodurum & Augustam Rauracum sitam scribens, & *Cornel. Tacitus* variis locis, meminerunt. Liber provinciarum ac urbium Gallicanarum, *castrum Vindonissense*, Gallorum vero vulgus *Vindonem* aut *Vendonem*, vocant.

Sita est Vindonissa ad amnem Ursam, ubi Arulam ingreditur, in territorio DD. Bernensium: *Habuitque*, (ut ait *Russingerus*) *magnam commoditatem a duobus illis navigabilibus fluviis, duos trajectus sortita, ac alteram quoque Rusæ fluvii ripam ædificiis olim complexa. Stumpf.* Chron. Lib. VII. p. m. 205. hanc urbem adeo amplam fuisse asserit, ut omnia circum vicina loca, ubi hodie oppidum *Bruck*, castrum *Altenburg*, Abbatia *Königsfelden*, *&c.* ambitu suo complexa fuerit. Post cujus vastationem solum suburbium *Bruck* propter eo loci trajectus necessitatem conservatum fuisse. Maximam urbem fuisse testantur longe lateque sub terra dispersa rudera, inventa numismata, muri, collapsi omnis generis fornices, & pavimenta, &c. Male ergo *Marhamus* Vindonissam prope Moguntiam urbem collocat. Hunc locum jam Cæsaris tempore fuisse, atque post illius incendium reparatum credibile est, a quo iterum varias passus est vastationes, donec tandem, ut jam diximus, penitus est deletus. Vindonissam olim fuisse legionum hybernaculis nobilem tradit *Tacitus* Lib. IV. Hist. *Hyberna subversa cremataque, iis tantum relictis, quæ Maguntiaci, ac Vindonissæ sita sunt.* Et paulo post, eodem Lib. *Atque interim una & XX. legio, Vindonissa, Sextilius Felix, cum auxiliaribus cohortibus per Rhætiam irrupere.* Insignis quoque fuit hic locus ob victoriam adversus Alemannos a Constantio, Constantini patre reportatam, qua de re sic Panegyristes ad Constantinum de patre Constantio, loquitur. *Quid commemorem Lingonicam victoriam, & Imperatoris ipsius vulnere gloriosam? Quid Vindonissæ campos hostium strage completos, sed adhuc ossibus opertos?* Hanc historiam, cum hujus non sit loci, vide apud *Eutropium*, maxime vero apud *Sigonium* de imp. occident. ad An. CCXCVI. Supersunt adhuc apud Vindones quædam antiquitatis monumenta. In cœmeterio in quodam exterioris parietis templi angulo, Mercurii imago adhuc ostendebatur An. MDCXIX. quam *Guilliman*. pag. 23. suo tempore integram prope adhuc fuisse refert. Ibidem in cœmeterio lapis visebatur cum his literis:

CLAUDI

In eodem cœmeterio lampas effossa est cum hac inscriptione:

ATIMETI

Fuit ejus nominis Atimetus quidam civis Romanus, & Tiberii Cæsaris libertus. *P. Appian*. antiq. Rom. & *J. Lipsius*. ad ann. Taciti, referente *Russingero*. In alicujus incolæ domo hæc Rom. inscriptio extabat.

CAL.
VII.
I. O.

Inter arcis Altenburgi, prope Vindonissam reliquias, hæc inscriptio inter duas saxi partes cernebatur, sicut refert *Guillim*. pag. 25. & *Russingerus*, sed jam magis suo tempore mancam.

L. VEG-

L. VEGNATIO.
POL. MAXIMO. DO.
FOR. COR. MIL. LEG.
XI. G. P. F. GUSORIUS (geminæ piæ felicis)
ANN. XLVIII. STIP. XX.
H. S. E. (Hic situs est)
G. ROSCIUS OMPHA
LUS. HER. FAC. CUR.

Hanc *Stumpf.* supradicto loco paulo aliter refert. *Simlerus* MSC. dicit, rusticum quendam hunc lapidem muro inseruisse, ita ut nunc non appareat. Sequentem inscriptionem apud Campum regis (*Kungsfelden*) ex Altemburgo allatam, cum rusticus hortum moliturus eruisset, exscripsit *Guillim. Habspurg.* Lib. II.

C. VALERI
US. C. F. VOL.
CAMPANUS
VIENNA. MIL.
L. XI. G. P. F.
- - OLNI- -ANNO. XI.
STIP. XI. T. FE
C. COMINIUS
NEMAUSUS F.
F. C.

Reperti quoque sunt nummi apud Vindones, in quibus erant Diocletiani & Maximiani imagines. Nummi qui Diocletiani effigiem ferebant, ex una parte hanc habebant inscriptionem IMP. CE. VAL. DIOCLETIANUS. AP. AUG. ex altera parte erat Jovis effigies, cum hac circumscriptione JOVI CONSERVAT. AUG. C. In nummis Maximiani, ex una inscriptum erat IMP. MAXIMIANUS AUG. ex altera vero parte GENIO POPULI ROMANI. P. LS. Vindonissæ etiam in tegula quadrata hoc apparebat monumentum referentibus *Russingero* & *Stumpf*. Ibid.

IN ONORE SCI
MARTINI ECPI
VRSINO SEB
ESCUBUS IT DE
TIBALDUS LIN
CULFUS FICIT.

Guillimann. Habsp. Lib. II. tres ultimas lineas paulo aliter habet.

ESCUBET (OIDE
TIBALDUS +LIN.
CULPFUS FECIT.

Tobinium: Zoffingen.

DE hoc loco non alia habeo dicenda; referam hic *Guilliman.* verba de Reb. Helvet. p. 37. *Tobinium nunc Zoffingen vocant, oppidum prope fl. Altacum vel Viggerum, cujus antiquitatem etsi nulla probent Romana, aut vetustatis insignia, tamen inde colligas non parum dignitatis habuisse, quod tempore jam Caroli Crassi Imp. cudendæ monetæ licentiam, authoritatemque haberet, oppidumque esset, cum Tigurum non nisi vicus esset, & exiguo in honore, nisi quantum monialium attulit monasterium. Id autem manifestum est ex privilegio, quod idem Carolus Abbatissæ Berthæ sorori suæ Anno Chr. DCCCLXXXIII. dedit cudendæ Turegi monetæ, quo in privilegio usus Tobiniensis nummi expresse memoratur, recipiturque, &c.*

Pagus Tuginus.

HUnc pagum, alibi diximus, hos habuisse limites, Limagum & Ursam amnes, inter quos conclusi fuerunt *Tugini*, vel Toygeni secundum *Strabonem*. Henrico Stephano, *Tugi*, (sic eos vocat) fuerunt vetustissimi Helvetiorum populi, quorum præter Strabonem, *Eutropius*, *Plutarchus* in Mario, aliique meminerunt. Hi Cimbrico periere bello, suique nominis in oppido Tugio (*Zug*) reliquerunt vestigium, quod quidem (quamvis veterum illius meminerit nemo) unum ex XII. incensis ab Helvetiis oppidis fuisse, & postmodum diversis vastatum temporibus vult *Guillim.* De hoc nulla alia habemus antiquitatis monumenta.

In hoc pago suas etiam habuerunt sedes Sylvanii, quorum maxima pars Cimbri fuerunt, qui Rumone Principe eam occupaverunt vallem, quæ Underwaldia hodie dicitur: reliquos suppeditavit Roma, ex Imperatorum Augusti, Tiberii, Caligulæ & Neronis proscriptionibus: Unde Romana apud Sylvanios remanserunt nomina, inter quæ præcipuus locus dicitur *Stantz*, quod ibi demum stetissent, unde etiam Sylvanii omnes inferiores & superiores *Stantes* nominati, & eorum regio, *vallis in Stantz* vocata fuit. *Guillim.* Lib. III. Cap. III.

Haseli (vulg. *die im Haßliland*) hujus pagi quoque fuerunt incolæ, hodie Bernensibus parent. De illorum origine sic Guill. pag. 330. *Haseli ex Frisia orientali, & urbe Hasselunga, quæ in Westphalia, aut potius Hassel, oppido ad Vidrum fl. finibus Frisiæ occidentalis, provinciæ Transisulana, Haslam de se vallem Restio duce constituerunt.*

Fuit hic pagus reliquis, saltem quoad oppida, minus illustris; regionem enim non ita fœcundam, maximamque partem inter montes sitam, occupavit. Pauca sunt in hoc pago loca, quæ, quantum sciri potest, antiquitatem sapiant, si solas *Aquas Helveticas* excipias, quas *Rhenan.* Lib. III. *Castellum thermarum*, Glareanus vero *Thermopolin* appellant, vulgo *Baden*, ubi adhuc Romana visuntur monumenta. Anno Domini centesimo, quo imperium iniit Trajanus, marmorea apud Aquarum castellum, columna illi cum hac inscriptione erecta est. Hanc sic refert *Guilliman.* pag. 159. Et *Stumpf.* Chron. Lib. IV. Cap. XXI.

IMP. CAESARI.
DIVI. NERVAE. F.
NERVAE TRAIA
NO. AUG. GERM.
PONT. MAX. TRIB.
POT. COS. II. P. P. DES.
III. M. P. LXXXV.

Paulo aliter *Russingerus*, sed non ita bene.

IMP. CAESARI DIVI
NERVAE F. NERVAE
TRAIANO AUG. GERM.
PONT. MAX. TRIB.
POT. COS. II. P. P.
DES. III. M. P. LXXXV.

Hanc columnam in suburbanis oppidi Aquensis agris repertam, Ægidius Tschudi Glaronensis, tum ejus Comitatus præfectus in arcem transtulit, & ante arcis pontem collocavit. An. MDXXXIV. *Guillim.* pag. 160. Et *Stumpf.* ibid. In istius oppidi templo, ad latus sinistrum ingrediendo, quondam saxum, cum inscrip-

inſcriptione Antonino, Caracallæ cognominato facta, ſitum fuit, ut refert *Simler*. MSC.

M. AURELIO. ANTONINO. CAES.
IMP. DESIGNATO. M. L. SEPTIMI
SEVERI PERTINACIS AUG. FILIO RESP.
AQV.

Fuit & reperta dedicatio Deo invicto facta, in ſaxo quadrato, ab Uldarico Comite a Monte forti Tetnacum translato, An. M D LXIV. quod aræ forma cum his literis cernebatur, ut habet *Guillim*. pag. 124.

DEO INVICTO
TIB. CASSIUS
SANCTUS
ET TIB. SANCTE
IUS VALENS
L.

Hujus loci meminit *Tacitus* Lib. I. Hiſt. dum ait. *Irritaverant turbidum ingenium Helvetii Gallica gens, olim armis viriſque mox memoria nominis clara, de cæde Galbæ ignari & Vitellii imperium abnuentes. Initium bello fuit avaritia ac feſtinatio undevicesimæ legionis: rapuerant pecuniam miſſam in ſtipendium caſtelli, quod olim Helvetii ſuis militibus ac ſtipendiis tuebantur. Ægre id paſſi Helvetii, interceptis epiſtolis, quæ nomine Germanici exercitus ad Pannonicas legiones ferebantur, centurionem & quoſdam militum in cuſtodia retinebant. Cæcina belli avidus, proximam quamque culpam, antequam pœniteret, ultum ibat. Mota propere caſtra: vaſtati agri. Direptus longa pace in modum municipii extructus locus, amœno ſalubrium aquarum uſu frequens. Helvetii propter vaſtatos agros, vicum Thermarum direptum, commoti in Cæcinnam & Vitellium, lecto Claudio Severo duce ſtatuerant legioni reſiſtere. Sed cum cogitarent exitioſam adverſus veteranos eſſe prælium, & intutam obſidionem caſtelli dilapſis vetuſtate mœnibus, non auſi tentare fortunam, arma abjecerunt inter Cæcinnæ exercitum & Rhæticas cohortes in medio vagabundi*. Ex his Taciti verbis colligere eſt. 1. Celebrem, ob loci amœnitatem, & thermarum commoditatem fuiſſe locum, quem jam Cæſaris tempore extitiſſe credibile eſt. 2. Helvetios in hoc aquarum caſtello præſidium habuiſſe, tum quod locus eſſet adverſus Germanos munitus & reſiſtendo opportunus, tum quod, ut ait *Cluverius*, huc ad concilia venerint Helvetii, & hic ſuas archivas habuerint. 3. Vicum fuiſſe inſignem, qui in municipium excreviſſet, tempore pacis quæ a Julio Cæſare ad Vitellium usque duraverat, tum enim & direptus thermarum vicus, & aquarum caſtellum, locus tamen poſtea reſtitutus, ut ex inſcriptione ſupra memorata, & Antonino Caracallæ Severi filio facta conſtat, ubi Reipubl. Aquenſis fit mentio.

Meminit cujusdam inſcriptionis ad ædem ſacram Gebesdorfi non longe ab oppido Baden, vici, *Guillim*. Habsp. Lib. II. quam ſic refert.

M. MAGIUS. M. F. PO. MA
CRIUS. VERONA. MIL. LEG. XI. G. P. F.
MARCI. MODESTI. ANNO. XXXIII.
EX TESTAMENTO. H. F. C.
LENNIUS SECUNDUS
Q. ROMANUS VERECUNDUS.
H. S. E.

Bremgarten.

Oppidum eſt ad Urſam fluvium, ita dictum, ut vult Guillimannus pag. 99. *quaſi prima Guardia a ſtatione Romanorum decem ſcil. millibus paſſuum ſupra Vindoniſſam. Nam ſi loci ſitum, firmitudinem, ubertatem, amœnitatem ſpectes, nullum dubium erit, quin Romano cultu fuerit paratum. Illud flumen Urſa, ut circino circumductum, pene totum cingit, aſſurgente ſenſim eo in colliculum, qui qua planitiem ducit, foſſa clauditur & præcipitio.*

Lucerna.

Lucernam admodum antiquam vult *Tſchudus*: Naſium olim vocatam refert *Volaterran*. Lib. VII. Luceriam vocandam cenſet *Orwaldus Molitor* Lucerinus. Non oppidum quidem, ſed aliquem antiquum locum fuiſſe crediderim, cum nomen latinam linguam ſapiat. *Meyerus* Lacocernam, alii ſimpliciter Lucernam vocant, quod illic olim in navigantium uſum, noctu lucerna apponeretur, cui rei vetuſta illa turris ad ſuperiorem pontem, inſervierit: Pharos hujus generis turres dixerunt. vid. *Simler*. Lib. I. Reip. & *Guillim*. pag. 335. Et maxime *Stumpf*. Chron. Lib. VII. Cap. VII.

Literæ fundationis monaſterii Lucernenſis, hanc urbem vocant locum, qui Lucerna ex antiquitate dictus fuerit. *Munſt. Lib. III. Stumpf. dicto loco.*

Præcipui hujus pagi incolæ Tugini dicti ſunt. Habitarunt & hic alii populi, quibuscum illi ante bellum Cimbricum fuerunt; aut etiam poſt illud novi hoſpites in hoc pago ſuas fixerunt ſedes. *Uranios* Tauriſcorum reliquias eſſe plerique crediderunt. De Tauriſcorum autem origine non idem omnes ſentiunt. Arbitrantur quidam, Tauriſcos Phocæorum fuiſſe colonos, qui relicta Aſia in Galliam Tauro navi (unde Tauriſcorum nomen) appulerunt, & Maſſiliam, Tauroentium Ptolomæo & Strabone authoribus, condiderunt, poſtmodum mutatis iterum ſedibus, eum Helvetiæ tractum, qui inter Urſam Rhenumque eſt, occuparunt. Vide fuſius apud *Guillim*. Lib. III. Cap. I. *Marcellin.* vero Lib. XV. de Tauriſco Galliæ tyranno ab Hercule interfecto loquens, innuere videtur, Tauriſcos ab hoc tyranno nomen accepiſſe, ſed hoc fabulam ſapit. De Tauriſcis ſic Stephanus. *Tauriſci populi prope vel circum Alpes, dicuntur & Taureni Polybio. Erathoſtenes Teriſcos ipſos vocat, per e. Hi etiam Trojani dicuntur*. Sed unde dicti fuerint, Cap. XVII. diximus.

Suitiam qui coluerunt, non minus quam Uranienſes Tauriſcos fuiſſe credit *Guillim*. Lib. III. Cap. II. ſed poſtea Cimbrorum reliquias ea inſediſſe loca. Fuerunt autem Cimbri Cimbricæ Cherſoneſi populi, qui nunc Sueci dicuntur. Referunt Suitii majores ſuos ob Oceani inundationes, ſedes mutare coactos has occupaſſe valles. vide *Flor*. Lib. III. Cap. III. Et *Plinium* Lib. XVI. Cap. I. Alias quasdam circa hoc nomen ſententias Cap. XVI. vidimus. Solum hoc addimus, Suitios forſan dictos a Suitonibus, quos *Tacitus* Aquilonarem Sueviæ gentem facit. Vel a Sueſſiis Germaniæ populis, de quibus ſic *Marlianus*. *Sueſſii Populi Germaniæ, quos conjectare licet fuiſſe Conſtantienſi, Baſilienſi ac Sedunenſi agro finitimos, & inter Celtas Helvetiosque annumerari, ſive forte Suitenſes eſſe, qui cum Turicenſibus quondam Helvetiis noſtra memoria bella geſſere: Vel Sueſſii, id eſt, Suevi: Nam cum ſingulis annis domo, Suevorum media pars excederet, forte diverſas ad habitandum regiones ſibi delegerunt, ex quibus forſan ſunt illi maritimi, qui Daniæ & Norvegiæ ſunt finitimi, ac qui circa Lepontios Rhætosque habitant, &c.*

Glaronenſes quoque ſub hoc pago fuerunt. Hos Suanetes, aut Suanetas, de quibus *Plin*. Lib. III. Cap. XX. credit *Guillim*. Rer. Helvet. Lib. III. Cap. VI.

num

non solum quia inter Alpinos populos ponuntur, sed etiam quia in ejus regionis medio est praecipuus locus, *Suanda*, dictus. Quoniam vero & a Plinio & a Ptolomaeo juxta Regușcos collocantur, credidit *Simlerus* de Alp. forte fuisse Algovios & Suevos qui interiores a lacu Brigantino campos habitant. Alii adhuc opinati sunt, *Suanetes* dictos quasi Sarunetes, fl. Sar accolae, hodie comitatus Sarunegaunensis, de his inter Rhaetiae populos.

Pagus Tigurinus.

Tigurinos vetustissimos fuisse Helvetiae populos dubium non est: Eorum enim antiquissima fit mentio apud *Caesar*. Lib. I. *Strabon*. Lib. VII. *Florum* Lib. III. Cap. III. *Orosium* Lib. V. Cap. XVI. *Plutarchum* in vita Marii, &c. Hi fortissimi populi, Cimbrorum in Italica expeditione fuerunt socii: Horum virtutem expertus est Lucius Cassius: Tandem a Caesare Galliarum domitore circumventi in bello Helvetio ad Ararim fl. caeduntur. Sed quod magis considerationem meretur, antiquitatis suae memoriam, nec non virtutis laudem, adhuc hodie conservant, ita ut primas inter Helvetios teneant. Quosnam vero limites habuerit hic pagus, Cap. III. vitum. Fuit dubio procul hic pagus duobus praecedentibus, sive in agrorum bonitate & amoenitate, sive in populorum & oppidorum frequentia, sive in regionis amplitudine, superior & illustrior. Nos de istius celebrioribus & antiquioribus locis breviter agemus, quantum saltem eorum antiquitas nobis innotescere potuit.

Tigurum.

Quamvis in hac illustri urbe nulla hodie extent (saltem quod sciam) Romanarum antiquitatum monumenta; antiquissimam tamen esse credimus, eamque Tigurinorum populorum, a quibus denominatam censemus, caput fuisse verisimile est. De illius tamen origine non idem omnes sentiunt. Fingunt Vaudi chronica, hanc urbem conditam & denominatam, a quodam Tiguro, Helvetiae rege; fabulantur alii Thuricum regem Arelatensem urbem minorem condidisse Abrahami tempore, majorem vero Suevum alium regem: unde Duregum, quasi duorum regum opus, dictum sit. *Simler*. MSC. *Guillim*. *Lib*. *III*. *Cap*. *V*. referentibus. Tradunt annales domestici, sedecim annis post Trevirorum urbem conditam esse. Treviros autem Trebetam Nini filium Abrahami Patriarchae temporibus condidisse *Marian. Scotus* in chron. memoriae prodidit; teste *Siml. Lib. I.* Reipubl. Helvet. Quidquid sit, illius antiquitatem agnoscimus, etsi ejusdem originem ignoremus. Fuit sine dubio unum ex XII. Helvetiorum oppidis, quod Caesaris tempore combustum, postmodum reparatum fuerit: cum vero varias passa sit a Caesaris temporibus vastationes Helvetia, ab iis non immune fuit Tigurum. Sic memorabilis fuit Diocletiani & Maximiani Imperatorum tempore Alemannorum in Helvetiam expeditio; multas enim urbes funditus everterunt, & quaedam Romanorum castella, inter quae Tigurum & Vitudurum, destruxerunt, ac ipsorum moenia diripuerunt: unde inter Tiguri conditores, aut potius restauratores, creditur Diocletianus, qui post reportatam de Alemannis per Maximianum Herculeum victoriam, restaurandum curavit castrum Tigurinum, in quo circa An. Chr. CCXCVI. martyrio affecti sunt Felix, Regula & Exsuperantius. Iterum adhuc ab Attila eversum Tigurum a Thurico, Theodorici Gotthorum regis ab Attila in campis Catalaunicis caesi filio, reparatum conjicit *Simler*. MSC. Antiquum istius oppidi nomen fuisse *Tigurum*, mihi dubium non est, posterioribus seculis immutatum & inflexum, imo corruptum crediderim: quidam enim *Thuricum* aut *Thauricum* a Tauriscis; Alii *Thuricum* vel *Thuregum* Tigurinorum, *Tugurum*, *Tauregum*, & *Thuricinium* nominarunt. Imo quidam & *Terregum*, quasi Terrorem Regum dixerunt. *Stumpf*. *Chron*. *Lib*. *VI*. *Cap*. *XII*.

Tigurum rectius dictum Turigum, ut inferioris seculi appellatur authoribus, credit *Cluverius Lib. II. Cap. IV.* Sicut Germani ex voce Tabern fecerunt Zabern, ita ex voce Turegum, Zuregum aut Zurich. *Munst*. *Lib*. *III*. vel ex *Thuricum*, *Thürich* vel *Zürich*. Vide *Stumpf*. *Chron*. *Lib*. *VI*. *Cap*. *XI*. *XII*. *&c*. *Sabellicus* Enn. *VI*. *Lib*. *V*. Suriciam vocavit; *Naucleras* vero Duricenses dixit pro Thuricenses. Male Suricum distinguit a Thurego *Marlianus*. Hic addere placet, quae de Tiguro habet, status Romano-Germanici descriptor. *Tigurum, urbs libera Helvetiae primaria, & vetustate antiquissima a Tigurinis nomen adepta est. Hi cum Tuginis quartum Helvetiae pagum tenebant, & una cum Cimbris in Italiam infusi, multum damni ei dederunt. Ex quo liquet, ante Christum natum Tigurinos Alpium tumulos Noricos insedisse, & Helvetiam incoluisse. Appellatur eadem a nonnullis Turigium & Turregum in Ducatu Alemannico, in pago Turgauensi. In monumentis vetustissimis extat posterius nomen in versu, qui cuidam portae urbis inscriptus est:*

NOBILE TURREGUM MULTARUM COPIA RERUM.

Germanice Zürich, mutatione literarum non magna. Sita est ad exitum lacus magni, & dividitur ab amne Limago, in civitates duas, majorem & minorem, quae tribus pontibus junguntur valde amoenis. Exusta est cum aliis urbibus, cum in Galliam profecti sunt cives cum Rauracis, Tulingis, & Latobrigibus, ut sedem magis opimam & fertilem quaererent. Idcirco ne quis in fuga subsidium sibi relictum putaret, & domum redire posset, omnes urbes, oppidaque sua incenderunt. Nihilominus tamen a Julio Caesare fusi, & fugati, in pristinam sedem redire coacti sunt, & urbem suam de integro adornarunt. Imperante Constantio Chloro a Germanis destructa est haec urbs: a Diocletiano autem reparata, amplificata, ac muris, turribus, fossisque munita magis. Subdita fuit Romanis annis circiter D. usque ad Valentiniani III. imperium. Postea ab Alemannis & Francis Orientalibus Rhenum trajicientibus, una cum Gallia Belgica & Helvetia, penitus vastata est, &c. Plura vide apud praedict. *Stumpf*. Chron. Lib. VI. Cap. XI. XII. &c.

Vettinga.

Hunc vicum ad Limagum situm, infra Tigurum, non longe a Thermis Helveticis, vel antiquum, vel inscriptionem, ejus antiquitatis indicem, aliunde translatam esse credimus: extat enim lapis antiquus insculptus cum hac inscriptione, quae in templo visebatur Isidi Deae dedicato: quam sic referunt *Guill*. pag. 125. & *Stumpf*. Chron. Lib. VI. Cap. XXIII.

DEAE. ISIDI. TEMPLUM. A. SOLO. Stumpf.
T. ANUSIUS. MAGIANUS. Annusius
DE. SUO. POSUIT. VIA. AQUENSIS. Vir Aquensis
AD. CUJUS. TEMPLI. ORNAMENTA.
ALPINIA. ALPINULA. CONIUNX.
ET PEREGRINA. FIL. DEDE-
RUNT. L---D---D---VICANORUM.

Sic vero eam habet *Rußingerus*.

DEAE ISIDI TEMPLUM A SOLO
L. ANNUSIUS MAGIANUS
DE SUO POSUIT VIR AQUENSIS
AD CUJUS TEMPLI ORNAMENTA
ALPINIA ALPINULA CONIUNX
FIL. XC DEDERUNT
L. D. D. VICANORUM.

Forum Tiberii: Zurzach.

ANtiquum fuisse locum ex Ptolomæo, qui hujus meminit, constat, quinam vero hodie sit ille locus, diversum sentiunt Authores. Forum Tiberii, Suntia, *Volater. Lib. VII. Cluver. Lib. II. Cap. IV.* credit esse oppidulum nominatum Germ. *Keyserstul* in præfectura Badensi, non longe a Rheno. *Glareanus* nominat hoc oppidum *Solium Cæsaris*: Rhenanus & alii Tribunal aut prætorium Cæsaris; quia ut credit *Guillim*. Tiberius adversus Rhætos & Vindelicos bellum gerens, suis militibus, vicinisque regionibus, hoc in loco jus redderet. Alii rectius volunt Forum Tiberii esse vicum nomine *Zurzacum*, *Stumpf. Chron. Lib. VI. Cap. V. & alii*. Tertia sententia est eorum, qui credunt locum illum prorsus interiisse, ejusque nulla hodie extare vestigia, ex cujus ruinis Zurzacum excreverit, atque nundinæ quæ antea apud Forum Tiberii, nunc Zurzacum translatæ fuerint, ubi bis in anno, maximo Helvetiorum, Germanorum, Gallorum & Italorum concursu peraguntur. Quidquid sit vicus hic hodie ingens ad Rhenum fl. oppidi in morem excultus, antiquus est, & olim nominatus *Certiacum*, a quodam M. JUNIO CERTO milite Romano (ut ait *Simler. Lib. II.* vel Viennensi, secundum *Guillim*. pag. 35.) qui forte in illo antiquo oppido aliquo munere defungebatur, cujusque memoriam ejus hæredes in hac conservarunt inscriptione, quæ adhuc Anno MDXXXV. legebatur sic referente *Guilimanno*.

M. JUNIO. M. F. VOLT. CERTO.
DOM. VIEN. VETERAN.
MIL. LEG. XIII. GEMINAE.
CERTUS. ET AMIANTUS.
PII. HAEREDES. FECERUNT.

Credit idem *Guilimannus* antiquitus vocatum Certiacum, *aquas duras*, ACH enim in voce *Zurzach*, significat aquam. Observat tamen *Dan. Eremita*, ach, Celtica lingua denotare agrum.

Confluentia. Coblentz.

DE hoc loco sic *Guillim. pag. 97. Vicus est, eo ubi Arula Rheno conjungitur loco, nomen Romanum. Ipsi talia vocabula tenere soliti, ubi fluminum confluxus, corrupte Cobolens (aut Coblentz) ita in Germania secunda, oppidum ea de causa, nominatum, ubi se Mosella in Rhenum præcipitat. Hic contra Harcinios credibile est Romanos stationem habuisse, nam e regione altera, sive dextra ripa oppidum Waldshut, sive custodia sylvæ, in loco satis munito & edito, sæpe enim Alemanni ex Harcinia in Romanos hac, aut illa ripa per insidias irrumpebant, qua ratione factum, ut ubique vigilias agitarent, &c.*

Rupertisvilla. Rapperswyl.

RUpertivilla, vel Raperswilla, oppidum est inter utrumque lacum superiorem & inferiorem Tigurinum, in prominente cornu, adinstar peninsulæ conditum, loco amœno, formaque eleganti. Hujus loci antiquitatem arguere videtur loci opportunitas, maxime vero eam colligit *Guillim*. ex lapide in aræ speciem formato qui nunc *Jonæ* in proximo vico ostenditur, pone templi ostium, cum his paucis literis.

C. OCT. PROVIN.
S. (statuit)
L. D. D. D. (locus datus decreto Decurionum)

Dicitur autem hodie Raperswyl, quasi Rupertis villa, a quodam Ruperto militiæ, sub Ludovico Rege, Duce qui amœnitate loci delectatus, arcem ædificavit, ut ait *Guillim*. pag. 37. observat *Dan. Eremita*, in suis notis, Weil aut Wyl habitationem significare, ut in Rapersweil, Halweil, &c. Manet & hodie vocabulum, sed moram denotat; quod latinis idem cum habitatione est: Hinc Gallicum *Ville*, non a *Villa* latino, ut vulgus nugatur, & tot nomina ex eo composita, *Theonville*, *Neufville*, &c.

Vitodurum. Winterthur.

HUjus antiqua mentio apud Antoninum, in cujus exemplaribus variat lectio; quidam enim legunt Vitudurum, alii *Vitudurum*, *Vitudurum*, aut *Vitodurum*. Crediderunt nonnulli Vitodurum fuisse Constantiam, sed hos refutant *Guillim*. pag. 26. & *Cluverius Lib. II. Cap. IV.* Et *Stumpf. Chron. Lib. V. Cap. X.* Illius nominis vestigium manifeste satis apparet in oppido hodierno Winterthur, ad fl. Eulach sito, in ditione Tigurinorum. Volunt autem quidam Vuinterthur vel Wintherdur a *Duro*, seu *Thur* fl. nomen habere. Hujus oppidi antiquitatem petit *Guillim*. a Julii Cæsaris temporibus, dum unum ex XII. Helvetiorum oppidis fuisse statuit, quod post eorum reditum reparatum fuerit. Diocletiani & Maximiani tempore Romanorum erat castellum, sed ab Alemannis cum multis aliis eversum: Hoc Constantius & Galerius, Diocletiani & Maximiani in imperio successores, instaurandum curarunt per Aurelium Proculum in Helvetia Procuratorem: ejus rei testimonio est vetus lapis Constantiæ, cum hac inscriptione, quæ adhuc legebatur interius in S. Blasii capella, An. MDXX. & a *Guilimanno* pag. 26. & *Stumpf.* dicto loco sic refertur.

IMP. CAES. G. AVRE. VAL. DIOCLETIANUS. AUG. PONT. MAX. SAR. MAX. PERS. MAX. TRIB. POT. XI. IMP. X. COS. V. P. P. ET. IMP. CAES. M. AVR. VAL. MAXIMIANUS. AUG. PONT. MAX. SAR. MAX. PERS. MAX. TRIB. POT. X. IMP. IX. COS. IIII. P. P. ET. IMPP. FL. VAL. CONSTANTIUS. ET. GAL. VAL. MAXIMIANUS. FILII. CAESS. MURUM VITUDUREN A. SOLO. INSTAVRARUNT. CURANTE. AURELIO. PROCULO. V. C. PR. PROV. MAX. SEQ.

Russingerus paulo aliter eam refert.

IMP.

IMP. CAES. M. AUREL. VAL.
DIOCLETIAN. SAR. MAX.
PERS. MAX. TRIB. POT. XI. IMP.
IMP. CAES. M. AUR. VAL. MAXI
MIAN. MAX. PERS. MAX.
TRIB. POT. X. IMP. VIIII. COS.
M. VAL. CONSTANTIUS. ET.
GAL. VAL. M. CAESS.
MURUM VITUDURENSEM.
A. S. CUR. AURELIO
PROCULO. V. C. PR.

Arbor felix. Arbon.

VEteris hujus oppidi ad lacum Acronum siti, in suo itinerario meminit *Antoninus*. *Ammianus* Gratiani ex Helvetia in Pannoniam iter describens, mentionem facit in hoc præsidii Romani. *Dispositis*, inquit, *quæ pro temporum captu, per Gallicas res, nationesque poscebant, Gratianus exinde digressus per castra, quibus arboris felicis nomen est*, &c. Liber notitiarum ostendit, in eo fuisse Tribunum cohortis Herculiæ ex Pannonia. Quidam hoc oppidum ita ex Constantii, Constantini filii, contra Alemannos victoria dictum putant, sed antiquum magis est. Præstat hic *Munsteri* sententia, qua credit hunc locum, *arborem felicem*, dictum ob maximam soli fertilitatem. Vetus nomen ex parte manet in hodierno *Arbon*. Walafridus & Rapertus *Arbonam* vocant, & vicinam regionem, *pagum Arbonensem*. Arbonam cum arce antiquissima Divi Galli morte nobilitatam ait *Vadianus* in Mel. *Lib. III. Plura vide apud Stumpf. Chron. Lib. V. Cap. IX.*

Steina. Stein.

ASserit *Guilimannus* hoc oppidum, ad Rheni ex lacu Cellensi egressum, non longe situm, ex ruinis *Burgi*, antiquitus Romani præsidii, sed ab Alemannis vastati, in altera Rheni ripa ædificatum fuisse. Romana apparent monimenta, & ingentes murorum ruinæ, per totum ejus collis, ubi *Burgum* fuerat, circuitum, usque ad vicum *Eschentz*, in cujus templo, & castri antiqui ruderibus hæc mutilata cernebatur inscriptio, Cajo Cæsari facta, quam sic refert *Guilimann*. pag. 95.

IMP. CAES. CAIUS. PONT.
MAX. TRIB. P. P. - - - -
- - - - P. P. PROC. - - - -
- - - - - ND - - - - - S.
- - - - - - - - SC - - - -

Stumpfius vero Chron. Lib. V. Cap. XIV. sic refert.

IMP. CAES. CAIUS - - -
MAX. III. TRIB. P. P. - - -
- - - - - - - - - - - - - A -
- - - DPP. PROC - - -
- - - - - - - - - - - - - M
- - - - - - - - - - - - SC -
- - - - - - - - - DE - - - -

Rinovium. Rhynaw.

PErvetus oppidum *Simlero Lib. II.* videtur Rinovium, quamvis hodie ædificiis parum excultum sit: eo loci quondam castra adversus Alemannos habuisse creduntur Romani. Ossium tumuli & numismata ex agris effossa loci celebritatem & antiquitatem indicant, videatur *Guilim*. p. 96.

Sunt sine dubio in hoc pago alia antiqua loca, de quibus tamen nihil aliud habeo dicendum, præter hæc paucula.

Est locus in Turgovia dictus hodie *Pfin*, cujus meminit Antoninus eum nominans *ad Fines*, distat locus ab *arbore felice* XX. m. p. & a Vindonissa XXX. m. p. forte ita nominatus, quod Rhæti eo usque fines suos extenderint.

In præfectura Sarunegaunensi, ad lacum Rivarium est oppidulum, vulgo vocatum *Walenstad*, quasi Italorum oppidum aut statio (Walen enim Germanorum multi Italos nominant, teste *Guilimanno* p. 148.) quod vel ibi adversus Rhætorum irruptiones ibi custodias collocarit Tiberius, vel Rhæti ipsi iis locis aut deducti, aut prædabundi stationes cœperint. Unde etiam in eadem regione est *Gayeren*, latine castra Rhætica, quod ostendit Rhætos quandoque in Helvetiorum fines irrupisse. *Reliqua vide apud Stumpfium Chron. Helvet. Lib. IV. & seqq.*

Atque hæc de quatuor Helvetiæ pagorum celebrioribus & antiquioribus locis breviter pro tenui nostro modulo, & quantum rescire potuimus, dicta sunto, alias forte plura dicturi, ubi plura edocti fuerimus.

DE HELVETIÆ FINITIMIS POPULIS ET LOCIS.

HActenus de Helvetiis vetustissimis populis, & antiquioribus Helvetiæ locis verba fecimus. Non injucundum erit, nec inutile aliquid de populis Helvetiæ finitimis, & celebrioribus quibusdam locis dicere. *Cæsar Lib. I. Bell. Gall.* de illa memorabili Helvetiorum in Gallias expeditione loquens, mentionem facit: Primo Helvetiorum tanquam præcipuorum tum belli Authorum, tum regionis incolarum. Deinde Tulingorum, Latobrigorum, Bojorum & Rauracorum. De Helvetiis jam disseruimus. De Boiis non est quod multis agamus, cum extra Helvetiæ fines in agro Norico fuerint positi, dubio procul aut Helvetiis fœderati aut subjecti. *De aliis ordine.*

De Tulingis.

TUlingos Helvetiis finitimos scripsit Cæsar, verum quam occuparint regionem, non eadem est omnium sententia. I. *Marlianus* populos inter Celtas non longe ab Allobrogibus esse asserit. II. Aliis fuerunt incolæ Turegi oppidi, nunc inter Helvetios siti. III. Crediderunt non pauci eos incoluisse oppidum hodie nominatum *Thoul*, in Lotharingia. *Sabellic.* Enn. VI. Lib. V. *Tulingi qui postea Lothoringi.* IV. Crediderunt nonnulli Tulingos trans Rhenum in Suevia fuisse. Videntur Tulingi, *Simlero* MSC. authore prope Hercyniam sylvam in Eremo Helvetiæ habitasse, forte tum Helvetiorum imperio subjecti, aut cum illis fœdere conjuncti; Nominis vestigia duobus locis mansisse credit, I. In *Stulinga* arce & oppidulo ad Harcyniæ sylvæ caput. II. In *Tuttelinga* vico ad Danubium: Ista duo loca Tulingorum fuisse conjicit Simlerus, cum non longe distent. Sed hæ omnes sententiæ variis gravantur incommodis. Prima, cum nihil certi ac determinati dicat, eadem facilitate rejicitur, qua profertur. Altera nullo fulcitur fundamento, & Cæsari repugnat, qui Tigurinos a Tulingis manifeste distinguit. Tertia ob nimiam locorum distantiam, refutatione indigna, & jam pridem apud Doctos exulat: Lotharingia enim a Lothario Ludovici Pii filio nomen accepit, teste Platina in vita Sergii II. Papæ. Quarta verisimilior est, vix tamen consistere potest. Cæsar enim clare satis Helvetios a Transrhenanis distinguit, inter quos quotidiana erant bella & Tulingos Helvetiorum vicinos facit: dixit quidem Cæsar, Bojos trans Rhenum incoluisse, quare ergo reticuisset, si Tulingi trans Rhenum habitassent? Propterea *Cluverius* eos prope Rhenorum confluentes fuisse, inter Rhætos scilicet & lacum Brigantinum credit. Hæc opinio probabilis est, ut & ea qua conjicitur fuisse amnis Tauri (Thur) accolas, quos nunc Turgovios vocant.

De Latobrigis.

L*Atobrigi*, aut Latobrigii, *juxta Orosium Lib. VI. Cap. VII.* Helvetiorum fuerunt finitimi inter Celtas non longe ab Allobrogibus, quos Lausannenses fuisse conjectura est, ut ait *Marlianus*. *Tschudus* & post eum *Guillimannus*, Cloetgoviæ intra Rhenum & Hercyniam sylvam, incolas fuisse, quorum Scaphusia fuerit caput, credunt. *Simlero* MSC. corruptum videtur vocabulum ex Altemburg, vico ex adverso Rinovii oppiduli ad Rhenum. *Rhellicanus* hanc vocem vertit *Wallisserland*, unde conjecit (ut credo) *Cluverius* Lib. II. Cap. VII. Latobrigos superiorem Vallesiæ partem habitasse, cujus rei extet vestigium in vico *Briga.* Sed hæc conjectura variis urgeri potest incommodis, præcipue vero his. 1. Cæsar loquens de Vallesiæ populis & de ipsorum gestis mentionem quidem de Veragris & Sedunis facit, Latobrigorum non item. 2. Qua ratione tot populi in tam angusto contineri spatio potuissent? 3. Non ita Helvetiorum sunt & finitimi, a quibus montibus altis & fere imperviis separantur, qui Brigensem tractum incolunt. 4. Non verisimile est Latobrigos, si in illo tractu suas habuissent sedes, patriam suam deserturos fuisse relictis vicinis Sedunis, qui Helvetici belli tempore pacati fuerunt, quique postea cum Veragris domiti, ut colligere est *ex Lib. III. Bell. Gall.* Scrutari autem & certo scire, quamnam regionem incoluerint Latobrigi, difficile admodum est, cum Cæsar nihil aliud quam nomen referat, & altum apud veteres alios historicos & Geographos sit silentium. Quod si conjecturis detur locus, probabilius esset *Latobrigos*, seu *Lacobrigos* (ut pronuntiant, *Glareanus*, *Tschudus* & *Guillim.m.*) lacus Brigantini, prope Rheni ingressum, & vicinorum locorum accolas constituere, unde nominis aliquid manserit in antiquo Brigantio; sic Lacobrigi fuerint, qui postea *Straboni* Lib. IV. Brigantii. Alias infirma sæpe est, quæ a nominum similitudine petitur, conjectura: sic enim *Plinius* & Antoninus mentionem faciunt *Lacobricæ*, aut secundum Ptolomæum *Lacobrigæ*, sed quid hoc ad Latobrigos Cæsaris, cum oppidum illud Plinii, Antonini & Ptolomæi fuerit Burgos in Hispania, *Cluverii* saltem judicio.

De Rauracis.

R*Auraci*, qui & *Raurici*, & *Rauriaci* dicti sunt, ut ex veteribus inscriptionibus, & authoribus patet; populi fuerunt in Rheni ripa inter Helvetios & Sequanos. Horum faciunt mentionem *Cæsar* Lib. I. *Plinius* Lib. IV. Cap. XII. & XVII. &c. *Solinus* Cap. XXIII. eos Galliæ facit populos, sic enim ille. *Ister Germanicis jugis oritur, effusus monte qui in Rauracos Galliæ spectat.* Hos Basileenses fuisse communis est sententia. Germani, qui suam linguam reliquis antiquiorem & præstantiorem a[illegible]mant, istius nominis originem trahunt a *Rhuc* & *Rachen*, id est, angustiæ & fauces, quoniam supra Basileam montes prope Rhenum ferme conjunguntur, & fauces, per quas Rhenus effluit, efficiunt,

ut

ut annotant *Munsterus*, *Vigenereus*, & *alii*. Rauracorum gentem vetustissimam quidem, exiguam tamen ex illorum numero, ostendit Cæsar. Refert quoque *Cluverius* Plinii tempore unum tantum habuisse oppidum; nullius enim alius loci meminit nisi coloniæ Rauracæ.

De Augusta Rauracorum.

HIc locus sine dubio antiquissimis temporibus florentissimus totius gentis fuit caput; cujus tamen hodie perexiguum, in viculo supra Basileam nominato *Augst*. superest vestigium, vocabatur vero Augusta Rauracorum aut Rauricorum; *Plinio* Lib. IV. Cap. VII. colonia Rauriaca, in veteri inscriptione Raurica. *Onuphrius Panninus* Lib. III. comment. inter septem Galliæ Belgicæ colonias, numerat *Augustam Rauracorum*. Ita autem denominata est in honorem Augusti, sub cujus imperio colonia illuc deducta est, ut militibus pecuniæ & agri darentur, atque hæc Galliæ pars tutum adversus Germanos haberet præsidium. Coloniæ illius ductor fuit Lucius Munatius Plancus, qui secundo imperii Augusti anno, quadraginta annis ante Christum, ut vult *Cluverius* Lib. II. Cap. V. consul fuit, sed prius Ciceronis discipulus, & Censor; hunc tamen inconstantiæ, aliorumque criminum arguit in sua historia *Velleius*. De isto Planco sic habet inscriptio, quæ cernebatur Cajetæ in regno Neapolitano.

L. MUNATIUS. L. F. L. N. L. PRONEP.
PLANCUS. COS. CENS. IMP. VII. VIR. EPUL.
TRIUMPH. EX RHAETIS. AEDEM
SATURNI FECIT DE MANUBIIS
AGROS DIVISIT IN ITALIA BENEVENTI
IN GALLIA COLONIAS LUGDUNUM
ET RAURICAM.

Tandem hæc urbs ab Alemannis eversa est, imo jam eam Juliani tempore destructam fuisse ex *Eunapio Sardiano* constat, hanc a Valentiniano reparatam vult *Guilliman*. sed in castrum; unde non civitas, sed castrum Rauracense, in *libro Provinc*. nominatur. Tandem ab Attila funditus eversa est Augusta, a quo tempore non amplius restaurata fuit. Mirum autem videri non debet, pauca ejusmodi veterum oppidorum vestigia remansisse, quod ut observant *Munster*. Lib. I. & *Guill*. pag. 35. paucas domos ex saxis & lapidibus construerent antiqui, solum mœnia, turres, & munimenta, ea ex materia ducerent, ædes privatas ex cratibus & limo, vel simpliciter ex ligno compingerent, unde ex variis antiquitatis Augustæ monumentis pauca hodie habemus. Juxta Liechstallum subterranearum ruinarum vestigia adhuc apparent. Repertus quoque fuit Augustæ An. MDLXV. teste *Simlero* MSC. lapis vetus quinque pedum altitudine, latitudine vero duorum, cum hac inscriptione.

III TONIS
OM VIII. F.
OCCISSI IN
VOCRULLO
VISURI X
T. MALER P. C.

Sed hunc lapidem nunc habet Comes Monfortius.

Ex Augustæ porro ruinis jam ante Attilæ tempora, Basilea suam traxerat originem, de qua tamen variant authores, vult *Cluverius* Basileam esse Arialbinum *Antonini*, apud ipsum enim nulla Basileæ mentio: alii tamen dixerunt Arialbinum fuisse Mulhausium. Non desunt, qui credant, jam sub Adriano fuisse Basileam, cujus meminerit *Phlegon* Adriani libertus, sed an de hac in Rauracis Basilea loquatur, dubitat *Simlerus*, nec sine causa; est namque Basilia Insula in Oceano septentrionali, de qua *Plinius* Lib. IV. Cap. XIII. Sunt etiam Basilei, secundum Strabonem populi Sarmatiæ Europeæ ad utramque Istri ripam incolentes, maxima ex parte e Nomadibus, id est, Pastoribus constantes; iidem (ut opinatur *Henricus Stephanus*) cum iis quos *Pomponius* a regiis moribus Basilidas vocari tradit, sed quid hoc ad Basileam Rauracorum? *Munsterus*, *Cluverius* & alii ad Valentiniani & Grat[ia]ni tempora istius urbis incrementa referunt, voluntque *Marcellinum* Basileæ primum meminisse: dicit enim, Valentinianum post vastatos aliquot Alemanniæ pagos, adversus Barbarorum incursus munimentum ædificasse prope Basiliam, quod vocant accolæ Robur: unde *Cluverius* Lib. II. Cap. V. Basiliam non appellat urbem, castellum aut vicum, sed Robur accolis Basil, quod nihil aliud erat quam magna, vetustaque quercus Deorum alicui consecrata, cui ipsi nomen Basil; imo non dubitat *Cluverius*, authorem Basiliæ constituere Valentinianum circa An. Chr. CCCLXXIV. atque Arialbinum Antonini munimentum illud a Valentiniano prope S. Quercum Basiliam conditum fuisse credit. Quidam tamen munimentum illud fuisse existimant Robbergum arcem Salodorensium; Alii Fryburgum; Alii Rhinfeld ubi arx vetusta, &c. Posita autem *Cluverii* sententia aliorum concidunt conjecturæ. 1. Eorum, qui Basiliam a Basilisco sic nominatam finxerunt. 2. Qui a Basilena Juliani imperatoris matre denominatam volunt hanc urbem. 3. Non melior est illorum sententia, qui a Græco βασιλεια dictam autumant, quasi urbem regiam. 4. Non multum firma est *Rhenani* conjectura, qua vult Basileam vocatam quasi Passileam a fluvii Rheni transitu (juxta veterum Gallorum sermonem) qui hoc in loco commodior fuerit, quam apud Augustam. Basileæ mentionem facit *Ligurinus* Poeta.

Hæc adeo tellus a sedibus incipit illis,
Qua Basilea sitos, vicino flumine muros
Alluit, & Rhenum venientem læta salutat.

Veterem esse Rauracorum Episcopatum testantur historiæ. Pantalus enim An. Chr. CCXXXV. primus Episcopus fuisse perhibetur, comes D. Ursulæ cum XI. m. Virginum Romam usque & martyrii socius. Justinianus An. CCCXLVII. Rauricensis Episcopus synodo Coloniensi interfuit: referentibus *Munst. Lib. III.* & *Ruchingero*, in Vindon. descr.

De Sequanis.

SEquani Helvetiis fuerunt vicini ab occidente æstivo, inter quos fuit mons Jura (ut ait *Cæsar Lib. I.*) qui Helvetiorum fines a Sequanis dividebat: de his præter Cæsarem mentionem quoque faciunt *Cicero* in Epist. ad Attic. *Marcellin*. Lib. XV. Sidonius Lib. I. Epist. XI. *Σηκουανοὶ Straboni Lib. IV. Σηκανοὶ, Ptolomæo; Σηκοανοὶ Dioni Cocceio*, dicuntur. Eorum regionem *Maximam Sequanorum* vocat *Sextus Rufus*. Notitia imp. occid. *Sequanicum* appellat; *Civitas Sequanorum* universim pro tota ditione, in quadam Lugdunensi inscriptione, sumitur. De Sequanis sic Marlianus: *Sequani populi inter Celtas Burgundiæ comitatum incolentes, quos a Gallia provincia Romanorum Rhodanus fluvius dividebat, finitimi Helvetiis, Heduis, Lingonibus, ac Rheno, per fines comitatus nunc Ferretensis, nihil ut videtur,* de his

de his quæ in Ducatu Burgundiæ sunt, tunc possidentes, quod illa omnia speciali nomine Heduis & Lingonibus adscriberentur, nec illi dicerentur Sequani, sed hi solum, qui a Rhodano prope Bellicensis urbis diœcesin usque ad Vesontionem civitatem maximam Sequanorum, & ab inde usque in fines comitatus Ferretensis, ac diœcesis Argentinæ, Rhenumque fluvium protendebantur. Inter quos fluvios Rhodani & Rheni per civitatem illam Vesontionem, quæ quasi in medio est, quinque dierum iter expedito patet finibus iisdem. Ultra quoque Ararim fluvium non longe post ejus ortum, Sequanorum fines, quos ipsa Vesontina diœcesis complectitur, protendi videbantur. Sequanorum autem provincia post Julii Cæsaris tempora longius latiusque patuit, siquidem, ut alibi vidimus, Helvetiæ pars Sequanis tributa est. Unde vero dicti Sequani, nihil habeo certi. *Vaudi chronica* faciunt Sequanum quendam Eructoni filium, Lemani nepotem, Sequanorum regem a quo illud nomen sortiti sint. *Golludius* Sequanos a Sequana fluvio originem trahere, ait. Sequana autem, secundum *Marlian.* fluvius est ortum habens prope fines Heduensis ac Lingonensis Diocœsium in Ducatu Burgundiæ, in Alseti regione, non longe a vico abbatiæ & monasterii S. Sequani. Sed Sequanos destruxerunt & eorum nomen Burgundi aboleuerunt, præter exigium illud, in voce *Suugoiæ*, vestigium. Horum meminerunt inter alios *Marcellin. Lib. XVIII. Orosius Lib. VII. Sigonius*, variis locis. *Agathias* eos appellavit Burguziones: Aliis Burgundi, vel Burgundiones dicuntur; quod olim vicos habitarent, qui eorum lingua *Burgi* vocantur *Sigon. Lib. VII. Munster. Lib. II.* &c. *Petrus* tamen *Sancto-Julianus* Burgundiæ etymon a loco quodam diducit, qui vulgo *Burg-Ogne*, in agro Langrensi. Fuerunt vero Burgundiones Germaniæ Populi, ex Vandalorum orti sanguine: ii sub Theodosio Juniore Arcadii filio, expulsis late Sequanis Heduisque, non solum illam veteris Galliæ partem, sed & dimidiam Helvetiam occuparunt, adjunctis sibi sociis Nuithonibus, de quibus Tacitus, & Vandalis, ab his regionem Vaudi nomen accepisse, sicut ab illis Nuchtlandiam volunt quidam. Imperium illis olim fuit vastum, Sedunos enim, Veragros, Antuates, Allobroges, Lugdunum, Viennam, Provinciam hodiernam, Helvetiæ partem &c. complectebatur. Sed de his apud Historicos, & forte, si Deus dederit, aliquando dicturi.

De Allobrogibus.

DE his populis tria nobis breviter disquirenda sunt. I. De illorum *nomine*. II. De illorum *origine*. III. De illorum *Regione*.

Nomen quod attinet varie enuntiatum, tum apud Græcos, tum apud Latinos. Ἀλλόβρυγες vocant *Charax* (teste Stephano) & *Strabo Lib. IV.* qui Ἀλλόβρυγες, υ pro ο, *Apollodoro*, apud eundem Stephanum, *Ptolemæo Lib. II.* apud quem tamen in multis exemplaribus Ἀλλόβριγες; Ἀλλόβριγες *Polybio* apud eundem Stephanum, *Dioni*, aliisque Græcis. Allobroges veteribus latinis, ut *Salustio*, *Cæsari*, *Livio*, *Plinio*, & aliis, quibusdam Allobrogæ, *Viterbiensi* Allobrogi. De horum *origine* & denominatione, varia a variis afferuntur: aliquas sententias proferemus. *Vaudi chronica*, *Paradinus*, aliique a quodam Rege dicto, *Allobrox*, denominatos volunt, sed de isto Allobroge rege varia narrantur. Vaudi chronica eum faciunt Eructoni filium, Lemanni nepotem, Sequani & Helvetici fratrem. *Paradinus* ait, Allobrogem fuisse filium Jasii ex Herculis genere, eumque ex Regibus illis novem, qui successive Galliis imperarunt, usque ad Trojæ destructionem, unum fuisse &c. Nugatur Viterbiensis de Allobrogum etymo, ad XVIII. Assyriorum regem suppositititii Berosi: non convenit etiam inter omnes, quo tempore in Galliis regnaverit iste Allobrox. *Epitome chronic.* mundi vult, Allobrogem Gallias rexisse circiter Anno Mundi MMMMCCLXVIII. *Bergeronus* in summa temp. An. M. MMCCCCXXXIII. Aliter etiam alii. Ego in tanta Authorum diversitate fabulosa pleraque crediderim. De eorum denominatione sic antiquus Interpres ad Juvenal. Satyr. VIII. *Allobrogæ Galli sunt, ideo autem dicti Allobrogæ, quoniam Brogæ, Galli agrum dicunt, Alla autem aliud: Dicti igitur, quia ex alio loco fuerunt translati.* Allobroges *Sabaudos* interpretatur Tschudus. *Delfinates* Poldus & Rhenanus. *Marliano* fuerunt populi citra Rhodanum fl. & ad Juram montem & Lemanni lacus ripas, extra Belgas, Celtas & Aquitanos. Vanderburchius gentem Galliæ Narbonensis facit. Quidquid sit, etsi eorum origo non ita certa sit, certum tamen est, eos latum imperium & potens nomen habuisse, ita ut Allobrogum regio comprehenderet hodiernam Sabaudiam, Delfinatum, & confinales Provincias; *Ptolomæus* enim *Viennam* Allobrogum facit metropolim: Et Cæsar Lib. I. Allobrogum extremam, Helvetiorumque finibus proximam Genevam dicit. Ἔθνος δυνατώτατον Γαλατικὸν, id est, Gallicam gentem potentissimam *Apollodoro*, apud Stephanum. *Livius Decad. III. Lib. I.* de illis sic loquitur. *Allobroges, gens jam inde nulla Gallica gente opibus aut fama inferior.* De illorum moribus & contra eos gestis agere non est hujus loci. Quæ vero prius Allobrogia dicta est, postmodum *Sabaudia* nuncupata fuit, quæ certe non semel in libro Notitiarum nominatur inter Galliæ Narbonensis provincias. Meminerunt ejusdem, nunc *Sabaudiam*, nunc variante Scriptura Sapaudiam nominantes, & medii ævi Scriptores. Non tamen æque patuit Sabaudia, ut Allobrogia, proprie enim Sabaudiæ nomen illi regioni, quæ inter Alpes & Lacum Lemannum, est impositum. Eo vero tempore quo sub Imperatoribus Romanis fuit Helvetia, regio, quæ hodie Vaudi dicitur, sub Sabaudia habita est; Sic de Calarona in Lib. Notitiar. *In provincia maxima Sequanorum Tribunus cohortis primæ Flaviæ Calaronæ Sabaudiæ.* Sic de Ebroduno in eodem libro. *In provincia maxima Sequanorum Præfectus classis Barcariorum Ebroduni Sabaudiæ.* Sed post Gentium migrationes Sabaudiæ nomen trans lacum retrocessit: *Burgundiæ* enim *minori* Vaudi regio tributa est, donec iterum Sabaudiæ Comites eam usurpassent, ut alibi vidimus. Tandem restituta Helvetiæ libertate, restituti etiam sunt antiqui Helvetiæ limites, ita ut hodie, non minus quam ante Julii Cæsaris tempora, Vaudi regio Helvetiæ accensenda sit. Hic reticere non possum *Dan. Erem.* in Waldenses convitium. *Bellicosi, inquit, Bernates, sed imbellis turba subditorum: Quorum pars Sabaudiæ, alia aliis debetur: Eos Helvetios non esse lingua & degener animus arguit; Nihil etiam ex proceritate illa corporum, nihil ex virtute retinent.* Quasi vero quoniam Waldenses Sabaudis paruerunt, generosi esse non possint? Quasi vero omnes Sabaudi timidi fuerint? Scilicet inter Belgas, o Daniel Eremita, nulli existant pusillanimes & ignavi? Scilicet lingua aut corporis proceritas magnanimum faciat quempiam? Sabaudiæ nomen unde impositum, varii varie quærunt. Sic *Carion* Lib. V. p. m. 842. *Nomen Sabaudiæ novum est, tractum vel a Savona oppido inter Genuam & Nicæam,*

Niceam, vel a Sabbatiis Alpinis populis. Hoc postremum voluisse *Ptolomæum* testis est *Wanderburch*. Alii a *Sabatiis vadis* derivant, inter quos est *Paradinus*. Est autem Sabatium vadum (hodie *Vay*) Plinio Liguriæ urbs, quæ *Sabatia*, Melæ; σάβατα, Ptolomæo; σαββάτων οὐάδα, Straboni, dicitur. Alii Sabaudiam vocant, quasi *Sabbatorum*, quos Sabaudienses scribit *Volaterranus*, *Auwe*, id est, ager, pratum, locus pascuus. Quibusdam quasi *Saul-voye*, via per salices, dumosaque & aspera quondam loca. Nonnullis quasi *Sauve-voye*, salva via, quod Beraldus latrones viis infestos destruxerit & viatores in illa regione ab omnibus periculis liberaverit. *Paradin*. Multi ex *Sebusianis*, de quibus *Cæsar Lib. I.* quos Segusianos vocat *Strabo*, factos Sabaudos volunt. Conjiciunt adhuc alii, Sabaudiam vel Sapaudiam, a *Sapinis* (gallica lingua *Sapins*) id est, abietibus, dictam: Fert enim regio abietes & piceas proceras, navali materiæ aptas. *Simler*. Lib. I. de Valles.

De Antuatibus.

DE his populis variæ sunt sententiæ, multi enim eos cum Nantuatibus confundunt. Sic *Casaubonus* in Lib. IV. Strab. Antuates & Nantuates apud Cæsarem diversas fuisse gentes non credit. Quidam Antuates, *Vantuates*, seu Vaudi incolas appellant. *Marlianus* eos facit *populos citra Rhodanum extra Belgas, Celtas & Aquitanos, finitimos Allobrogum, & Gebenna oppido, ac Galliæ provinciæ Romanorum proximos. Hujus nominis extat vicus & præfectura quædam Monachorum, inter Genevam & Delfinatum, qui est Genevensis diocæsis*. Hæc Marlianus. Duæ priores sententiæ refutationem non merentur, postrema simpliciter vera non est. Geneva enim est in finibus Allobrogum, unde *Marlianus* Antuates nimium extendit, quod ipse quoque animadvertit, dum dicit. *Videntur secundum Cæsaris descriptionem Antuates magis fuisse inter Allobroges & vicum Veragrorum, cui D. Mauritius Sedunensis diocæsis nomen est.* Sic autem *Cæsar* initio Lib. III. *Cum in Italiam proficisceretur Cæsar, Servium Galbam cum legione duodecima & parte equitatus, in Antuates, Veragros, Sedunosque misit, qui a finibus Allobrogum & lacu Lemanno & flumine Rhodano ad summas Alpes pertinent.* Ex illis Cæsaris verbis colligere est illos eam occupasse vallem, quæ a S. Mauritio ad lacum usque extenditur, quæque maxima ex parte D. Bernensibus hodie paret; quod reliquum est trans Rhodanum Vallesianis. Nominis *Antuatium* vestigium remansisse videtur in pagulo quodam, Mandamenti (ut vulgo vocant) Olonensis, vocato *Antagne*. De Antuatibus jam aliquid diximus Cap. III. Horum regionem postea *Chablasii* nominatam volunt quidam; quamque alii Genevam usque extendunt, alii ad Genevensium confinia restringunt, dicuntque sic appellatam a *caballis*, quod eo equitatus Romanus se reciperet. Acta tamen antiqua S. Mauritium in Chablasii regione situm ostendunt. Antuatium celebriora loca sunt *Penne locus*, & *Aquilea*. Distat *Penne locus* a Tarnada XIV. m. p. secundum Antoninum in Tabulis est *Penne lucus*. Alius non reperitur locus, cui Antonini calculatio, magis quam *villa nova*, ad lacus caput conveniat, ponit enim (inquit Guillim.) medio inter Tarnadam sive S. Mauritium, & Viviscum itinere: sed fallitur, longius enim distat Penne lucus a Tarnada, quam a Vivisco. *Cluverius* tamen credit Penne lucum esse Novillam vicum ad Rhodani ripam, dictumque Penni lucum quasi sacrum Jovi nemus: De Penno Veragrorum Deo alibi diximus. Villam novam (*la ville neuve*) quod attinet, antiquum esse locum testatur sequens inscriptio ex quadrato marmore vel columnæ Epistylio inter Villam novam & lacum a Clariss. *D. Hermanno* nuper descripta: quæ ita se habet.

VICTORIA - - - - -
AUG.
NITIO GENNÆ
TULLIA.
- - - - NTI - - - -
, , , , , , , , , , , , ,

Aquilea vicus hodie est Gallice dictus *Aigle*. Germ. *Aelen*. Antiquus est sine dubio, quamvis hujus non meminerit Antoninus. *Ala* enim nomen (accolis *Alo*) accepisse credit Guillimannus p. 99. ab equitum alis, quod ibi equitum Romanorum Aquilam pro insignibus habentium, præsidium fuerit, unde etiam nomen & insignia habent hodie Aquileenses: Est quoque pagus vicinus dictus vulgo *Yvornaz* ab hybernis, ad id enim locus valde commodus erat: propterea *Cæsar Lib. III.* equitatus partem in Antuates misit.

De Vallesianis.

EA regio, quam Germani *Wallis* aut *Wallisserland*, Galli *Valley* aut *Valez* vocant, Latinis vulgo *Vallesia*, vel secundum quandam inscriptionem, quam ad urbem Genevam vidimus, *Valinsa*; quo nomine jam Romanorum tempore, indigitatam fuisse credimus. Incolæ dicti *Vallenses*, *Vallesii*, & *Vallesiani*. In conciliorum Epaunensis & Aurelianensis quinti subscriptionibus, Episcoporum Octodurensium *Valinsanorum* mentio fit, ita enim quædam exemplaria vocant, alia vero *Vallensium* nomen habent, ut & in libro provinc. *Simler*. de Vall. Lib. I. *Guillim*: pag. 440. Vallesiam dictam vult *Munst*. Cosm. Lib. III. vel, a *valle*, quod hinc atque hinc altissimis montibus vallata sit, vel ab arce *Valeria* quæ Seduni est. Vel forsan a Dea *Vallonia*, quæ ut ait *Sipontinus* erat Dea vallibus præsidens, & forte apud Vallesianos culta; siquidem haberent vallem fertilissimam, munitissimam, & amœnam. Vallis ipsa in longitudinem fere C. m. p. patet, tota tamen angusta est, nisi qua inter montes in alias valles diffunditur, quarum quædam XV. nonnullæ etiam XXX. m. p. longitudinem habent. De longitudine & latitudine sic *Cluver. Lib. II. Cap. IV. Rhodanus ab excelso Alpium vertice (nunc est D. Gotthardi mons) profluens vallem efficit XC. m. p. a capite ad lacum Lemannum in longum porrectam, latam vero ubi summum patet duum millium passuum.* Munsterus Lib. III. eam ab oriente in occidentem extendit per spatium trium aut quatuor dierum, *Mercator* vero quinque. Terminos autem habet a Septentrione Helvetios, ab oriente Lepontios, a Meridie eosdem Lepontios & Salassos, ab occidente Antuates. Vallem hanc Penninam a quibusdam vocari vidimus in Alpibus Penninis, *Cap. VIII. Polybius Lib. III.* Vallesianos, *Ardyes* nominasse videtur, cum sic loquitur: *Multus Rhodani cursus est intra convallem: cujus septentrionale latus Ardyes Celtæ colunt.* De horum populorum nomine vestigium remansisse vult *Cluver. Lib. II. Cap. VII.* in vico *Arnen*, sed vocis similitudo major est in vico & fluvio *Ardonio*; Nec *Arnen* est ad latus septentrionale, sicut *Ardon*. Vallesiam porro varios populos incoluisse certum est; Horum trium meminerunt veteres, Viberorum, Sedunorum, & Veragrorum, de his aliquid dicturi, adversum petemus Rhodanum, & a Veragris incipiemus tanquam ab Antuatium vicinis.

De Veragris.

VEragrorum primus meminit *Cæsar Lib. III.* qui eos etiam sub Gallorum nomine comprehendit. *Straboni* dicuntur Ὀυεράγροι & ab ipso inter Alpinas gentes collocantur Lib. IV. Apud *Plinium* Lib. III. Cap. XX. legunt multi *Varagri*. Horum regio, male dicitur, *Pays de Gavot*, Ægidio Tschudo; *Chablasii Ducatus*, Pingonio; late nimis *Wallisserland*, Guilielmo Paradino. Melius Marlianus: *Veragri populi extra Celtas, Belgas & Aquitanos, inter Sedunos, Antuates & Allobroges, montesque S. Bernardi & Brigam, quos Veragros fluvius Rhodanus interlabitur*. Clarius Simlerus Lib. I. de Valles. *Post Sedunos Veragri imam vallem inhabitant, a Morsia flumine ad fauces usque, qua Rhodanus egreditur, inferiorem Vallesiam, eorum regionem hodie nuncupant*. Celebriora & antiquiora Veragrorum loca sunt Tarnadas & Octodurus.

Tarnadas locus est, cujus meminit Antoninus, in Tabulis *Tarnajas*; distans ab Octoduro XII. m. p. Convenit hæc distantia S. Mauritio, in Vallesianorum ditione. Hunc Veragrorum caput constituunt *Volaterranus Lib. III.* & *Marlian.* in Cæsar. de hoc sic *Guillim. Lib. IV. Cap. III. Tarnada, Agaunum prius Celtis nominata, Ain Gaund, hoc est, ad rupem, seu saxorum & montium prærupta. Nam & vita D. Mauritii, ut in veteribus munis, in ejus gloriosissimi martyris basilica legebamus, ait Agaunum corrupte ita dici, pro Ain Gaund, quod Gallica lingua, hoc est, Celtica, ad saxa significat, quod multa eo loco saxa, & rupes altissimæ quæ Vallesianos ab Helvetiis tanquam claustro, & arce dejungunt. Octoduri quidem primo Thebææ Legionis miserata cædes, sed major pars Agauni trucidata. S. Sigismundus Burgundiæ Rex præclarum ibi monasterium condidit in honorem SS. Martyrum*. Vocatum autem est monasterium illud S. Agaunensium, & vicus postea dictus *S. Mauritius* a S. Mauritio, cujus reliquiæ hic asservari creduntur: De hujus Mauritii martyrio sic Viterbiensis, Chron. pag. 15. *His temporibus Imperatores B. Mauritium in Gallias ad expugnandos hostes imperii cum legione sua destinaverunt, qui a Marcello Papa, cum legione sua christiana benedictione percepta, simul cum Imperatore* (Maximiano) *Alpes per montem Jovis transcendit, cumque apud Octodurum ad idololatriam vocaretur, cum suis renuens martyrizantur, ex quibus juxta fluvium Rhenum* (corrupte pro Rhodanum) *novem occidunt in campo quod Enuna vocatur, &c.* Eadem fere habet, sed fusius Sigonius Lib. I. ad An. CCLXXXV. videatur & *Simlerus*. Hunc locum veterem esse ostendunt non solum quod Antoninus illius meminerit, sed etiam variæ inscriptiones Romanæ: imo munitum Gallico bello locum a Julio Cæsare fuisse plerique credunt, ut sic in sua potestate Alpium haberet transitum: quo consilio etiam Latio donati sunt Octodorenses. *Simler.* de Vall. Lib. I. fuerunt hoc in loco Flamines Sacrorum administri, ut ex inscriptione sequenti, quam mancam reperit *Guillim.* pag. 86. in ruinis chori veteris B. Martyrum.

--- VIPANSIO. COR.
-- V. FILIO SEVERO
IIVIRO FLAMINI
IVLIA DECUMINA
MARITO.

Aliter hanc refert *Simlerus* de Valles. Lib. I. & magis integre.

D. PANSIO M. FI
SEVERO AN. XXXVI.
IV. DECUMINA MATER
FIL. PIENTISSIMO
X PANSIO. COR.
.... FILIO. SEVERO
IIVIR. FLAMINI
IVLIA. DECUMINA
MARITO.

Simlerus, & post eum Hottingerus, sequentem habet.

V F
IVLIA DECUM. FIL.
DECUMINA.
FLAMINICA.

Ait quoque idem Simlerus, multas præterea inscriptiones in templi pavimento, parietibus & muro cœmeterii, sed vetustate exesas & attritas paucis exceptis literis cerni, quasdam sic refert:

D M
--- M --- SER --- G ---
-------- M --------
---- SE --- P --- R ---
------- AT --------

SEX --- F ------ L ---
SEVERI -------------

IMP. CÆSARI AUGUSTI F.
------ OTI PRINCIPI
-------- COS. DESIG.

Inscriptionem Tito Vespasiano factam se reperisse Agauni testatur *Guillim.* Lib. II. pag. 157. sed quæ præter nomen & paucos characteres vix aliquid certi demonstraret.

Octodurus Cæsari vicus fuit Veragrorum, cujus meminit *Antoninus* scribens Octodurum a summo Pennino distare XXV. m. p. & a Tarnada XII. m. p. quæ distantia hodie quoque eadem fere traditur: nisi quod quidam ad summum Pennini plus III. m. p. numerant. *Simler.* de Vall. Lib. I. In libro Provinc. vocatur *Civitas Vallensium* h. e. *Octodurum*: & apud Viterbiensem *Ottodurum*. Jovius, Marlianus & alii Octodurum interpretati sunt per S. Mauritium, sed male, ex Cæsare enim patet esse Martiniacum hodiernum: Cæsaris hæc sunt verba Lib. III. *Qui vicus positus in valle, non magna adjecta planitie altissimis montibus undique continetur. Cum hic in duas partes flumine divideretur, alteram partem ejus vici Gallis ad hyemandum concessit, alteram vacuam ab his relictam, cohortibus attribuit.* Hæc descriptio Martiniaco probe convenit. Flumen autem non a Cæsare intelligi Rhodanum, sed Dransam ostendit *Eutropius* qui torrentem nominat: nec Rhodani celeberrimi fluvii nomen reticuisset Cæsar. Refert *Guillman.* Lib. IV. p. 445. florente adhuc Octoduro supra fuisse arcem Martiniacum nominatam, ubi vero oppidum subversum, antiquum nomen abolevisse, restante solo nomine *Martinach* ab arce in præcipiti petra sita, cujus adhuc hodie rudera cum turri conspiciuntur. Celebris fuit hic locus, cum Vallensium quondam caput fuerit, & suos Episcopos habuerit, ut ostendit *Guillman.* sed hic Episcopatus, cum ob nimbi ruinam oppidum fere corruisset, a multis seculis antiquatus est, & Sedunum translatus. Postremo Romanæ inscriptiones loci vetustatem testantur, has duas refert *Simler.* Lib. I. de Valles. in angulo templi.

RI.

RI. AUGUSTI. F.
I. NEPOT.*
RI. IVETUTI.
CI. COS. IA.

Columna e rudi lapide sub posteriore porticu ejusdem templi.

IMP. CÆSARI VAL.
CONSTANTIO PIO
FEL. INVICTO AUG.
DIVI. CONSTANTII. PII. AUG.
FILIO FOR. CL. VAL. BONO
REIPUBLICAE NATO.

Testatur *Munsterus* Lib. III. se in illa columna potuisse tantum legere hæc verba.

INVICTO. AUG. DIVI. CONSTANTII. FILIO.

De Sedunis.

DE his sic Marlianus. *Sedusii vel Seduni, populi Germaniæ, si pro Sedunum urbem incolentibus capiuntur, ut conjectura est, Helvetiis, & pro parte Celtis annumerantur, vel saltem eis sunt finitimi, ipsisque flumen Rhodanus irrigat, finitimi etiam sunt Veragris, inter montes quibus nunc Briga & S. Bernardi nomen est, non longe ab Antuatibus & Allobrogibus, Germanica lingua magna ex parte utentes, Civitas est Episcopalis, Tarentasiæ latine nomen retinens: in cujus finibus Rhodanus oritur, nec longe ab eis versus Curiensem & Tridentinum diœcesis Rhenus exoritur.* Sed quam varie & turpiter hallucinatur bonus vir: unde merito a Glareano & Rhelicano notatur. Nos Sedunos sic describimus.

Seduni antiquissimi fuerunt Galliæ populi, de quibus Cæsar, Plinius, Mela & alii, mediam Vallesiæ regionem incolentes, Veragros ab occidente, Viberos, aut Juberos ab oriente habentes: a Septentrione Helvetiis, a meridie Lepontiis finitimi, sed ab illis altissimis montibus separati. Hos *Simlerus* Lib. I. de Vall. extendit a rivo Morsia, ad conventum Vispianum inclusive; *Cluverius* vero ad vicum *Leuck*. Horum urbs, civitas Sedunorum, & Sedunum, totius gentis nomine vocata est: quod aliis quoque accidit urbibus, ut populorum quorum essent capita, nomina sibi adsciscerent, sic Rhemorum & Parisiorum nomine celeberrimæ in Gallia urbes nuncupantur, quæ maxima horum populorum oppida quondam fuerunt. Dicitur Sedunum hodie, Germ. *Sitten*, Gall. Syon. Urbem vetustissimam credit Simlerus, tum quod Sedunorum apud Antiquos reperiatur nomen, tum quod ex variis incendiis & vastationibus quædam adhuc supersint antiquitatis monumenta, inter quæ est inscriptio sequens, ad majorem templi B. Virginis portam, Cæsari Augusto facta; hanc sic se habere testatur Simlerus.

- - - P. CÆSARI DIVI I. - - -
- - UGUSTO. COS. XI. - - - -
- - RIBUNICIA POTESTATE XV.
PATRI PATRIÆ
- - - TIFICI MAXIMO
- - - - - AS. SEDUNORUM
- - - - PATRONO.

Integra vero sic se habuit.

IMP. CÆSARI. DIVI JULI F.
AUGUSTO COS. XI. IMP. XIII.
TRIBUNICIA POTESTATE XVI.
PATRI PATRIÆ
PONTIFICI MAXIMO
CIVITAS SEDUNORUM
PATRONO.

A tempore quo Alpinæ Gentes sub Augusto devictæ sunt, oppida Sedunum, Octodurum & Agaunum condita & mœnis cincta fuisse credidit Simlerus Lib. II. de Vall. cum ante vici fuissent; Inter quæ Octodorenses Latio donatos Plinius tradit: Idem de Seduno & Agauno suspicatur *Simler*. Veteres enim inscriptiones Romanos, aut saltem Italos, in his locis mercaturæ causa, & ad Alpina itinera tuenda, habitasse ostendunt. Arx illa, quæ hodie Canonicorum est, & *Valeria* nominatur, sine dubio vetustissima est: Ferunt quidem, Canonicos propter assidua bella, ante aliquot secula hunc exædificasse & inhabitasse locum. *Verum tamen*, inquit Simlerus, *nomen ipsum Valeriæ me movet, ut multo ante tempore hunc locum a Romanis munitum credam, sed bellis aut alio modo vastatum, postea a Canonicis opportunitatem loci secutis denuo restitutum.* Dicta forsan Valeria, vel a Valerio Procillo, qui sub Cæsare in Gallia militavit, vel ab aliquo alio Valerio ejus nominis Romano.

De Viberis aut Juberis.

NEmo horum populorum, inter veteres meminit præter *Plinium Lib. III. Cap. XX.* qui eos inter Alpinas gentes collocat, & Rhodani fontis accolas facit. Uno apud Plinium loco, *Viberi*, & alio ubi Augusti trophæum ponitur JUBERI nominantur: Quo loco Sigismundus Gelenius Viberorum nomen reposuit, sed non ita apposite, ut ostendit *Simlerus* de Vall. Lib. I. nec ullam ejus rei affert rationem. Observat *Munst. Lib. III.* Montem Furcam unde Rhodanus oritur, nominatum Coatium, Ursellum & Juberum, est etiam mons vicinus (unde Elmius fluvius, quem quidam Rhodani fontem faciunt) *Jubet* nominatus & forsan is est, quem Jovius vocat *Jovet*. Quidam Viberos, volunt esse Ursarios aut Ursellanos in pago Uriensi. Sic vero Simlerus. *Juberi seu Viberi supremam Vallesiæ partem tenent, quorum nomine, si quis Ursarios quoque comprehendi contendat, quando forte idem populus ab utraque parte alicujus montis habitat, non valde repugnarim.* Dicti autem Viberi forte a *via*, quod apud eos sit via in Italiam: Hujus nominis vestigium remansisse vult *Simlerus* in vico Briga, dicto quasi Viberiga, aut Viberico vico. Observat vero *Cluverius Lib. I. Cap. VII.* Ant. Germ. vocem Briga antiquis Celtis significasse pontem, quem Germani *Brug*, Prussi *Brigge*, & Angli *Bridge*, vocant; & oppida terminantia in *Brige* esse ad fluviorum ripas.

De Rhætis.

ANtiquissimam fortissimamque fuisse Rhætorum gentem nullum est dubium, cum ampla sit illorum apud omnes Veteres mentio. Nostri non est instituti, hic ea omnia quæ illi habent referre, sed tantum quædam Rhætiæ & Rhætorum antiqua breviter proferre, quantum quidem Rhætorum, tanquam Helvetiis finitimorum, hodieque fœderatorum cognitio, Helveticis antiquitatibus & historiis aliquam poterit afferre lucem.

Rhætorum origo satis nota. Sic *Plinius Lib. III. Cap. XX.* *Rhætos Thuscorum prolem arbitrantur a Gallis pulsos, duce Rhæto.* Fusius Justin. Histor. Lib. XX. p. m. 213. *Gallis causa in Italiam veniendi, sedesque novas quærendi, intestina discordia, & assiduæ domi dissensiones fuere: Quarum tædio, cum in Italiam venissent, sedibus Tuscos expulerunt, & Mediolanum, Comum, Brixiam, Veronam, Bergomum, Tridentum, Vicentiam condiderunt.*

Tusci quoque duce Rhæto, avitis sedibus amissis, Alpes occupavere, & nomine ducis gentem Rhætiorum condiderunt. Consulendi Livius, Strabo, aliique veteres. Hoc factum An. Mundi MMM CCC XCVI. juxta supputationem Verderii Lib. II. V. C. CLXXXIV. Olym. LII. IV. An. IX. Regni Servii Tullii Romanorum regis, secundum Chronol. *Funcii*. Circiter CCC LIX. An. ante Christum natum. Epit. Chron. pag. 29. Tusci, a Tusco rege Herculis filio dicti, secundum *Pompejum* Festum, prius Umbros expulerant. *Plin. Lib. III. Cap. XIV.* postmodum Thusci eandem sortem experti sunt a Gallis, sub Belloveso eorum rege. A Thuscis ergo Rhæti originem, & a Rhæto duce nomen habuerunt, unde etiam Rhæti aliquid de Tuscorum lingua retinuerunt. *Strabo Lib. IV. Merula pag.* 794. Quamvis vero sub Rhætis varii comprehensi fuerint populi, hodie tamen solis Grisonibus mansit. *Dan. Erem.* in obs. *Cluverius* in sua Vindel. Cap. III. ait Gerras de quibus *Dionisius Afer*, & *Avienus* Poetæ, esse Rhætos, qui etiam Cani (vide Guillim. 418.) dicti sunt, unde *Marcellin.* Lib. XV. eorum regionem, campos caninos vocat. Retinent hanc appellationem Itali, eos *Grisones*, & Germani, *Grawpündter canos confœderatos* vocantes. *Simler.* Lib. I. Reip. Helv. Late autem patuit quondam Rhætia, quæ non tantum Alpinas regiones, sed maxima ex parte Sueviam & Bavariam comprehendebat, unde non solum Rhæti ad Italiam usque pertinent supra Veronam & Comum, ut ait *Strabo* Lib. IV. sed & ad Brigantinum usque lacum extenduntur *Solin. Cap. XXXIV.* Hinc *Magino*, Rhæti sunt vel cisalpini vel transalpini. Romani etiam imperatores duplicem fecerunt Rhætiam, *primam* & *secundam*, seu *superiorem* & *inferiorem*. Secunda Rhætia comprehendebat lacum Brigantinum, vicinasque regiones hinc *Curiam* versus, illinc ad *Augustam*, quam vetustas nominavit Augustam Rhæticam; appellatio adhuc in extrema ora hæret prope Noringam. *Carion.* p. m. 195. & hæc fuit inferior Rhætia. Prima Rhætia superior etiam dicta, appellatur totus ille tractus, qui ab Helvetiorum finibus initium sumens bonam Galliæ cisalpinæ partem ad Larium usque lacum occupat; Grisones appellantur. Secundum *Cluver.* Primæ & secundæ Rhætiæ mentio apud Antoninum. *Notit. imper. Rom. Paul. Diac. Lib. II. Cap. XV.* Sed cum Rhæti, Alpina gens, varios sub se populos antiquitus comprehenderunt, eorum aliquos breviter videamus.

De Lepontiis.

LEpontii ita dicti creduntur, quod ab Hercule eo loco relicti fuerint. *Simler.* de Alp. p. m. 202. de his sic Sprech. pall. Rhæt. Lib. I. *Gens hæc antiquissima est; Cæsare, Strabone, Ptolomæo, & Plinio teste: Qui eos ab exercitu Herculis, Alpes transcendentis, in summis ibidem Alpibus relictos & collocatos (inde λεπόντιοι, quasi relicti) fabulantur.* Habent Lepontii a septentrione Helvetios, & ab occidente Vallesianos finitimos: Horum nomen mansit in valle Lepontina, ut alibi vidimus. Non bene eos Marlianus describit his verbis. *Lepontii populi sunt Germaniæ, qui Alpes incolunt, inter Sedunensem & Curiensem Diœceses: Hos quibusdam placet fuisse Sarmatas, apud quos flumen Rhenus oritur, forte hodie Suitenses dicti: Inter fontem Rhodani fluvii, & Rhæticas Alpes siti.*

De Nantuatibus.

HI fuerunt Helvetiorum finitimi, habuerunt enim a septentrione, Uranios & Glaronenses, interpositis tamen Alpibus. De his non levis difficultas inter authores diversum sentientes suborta est, ut autem aliquam super hac re lucem afferamus: 1. Nostram sententiam proponemus, unde. 2. Apparebit, quam invalidæ (nostro saltem judicio) sint aliorum conjecturæ. Ut igitur cujus regionis fuerint incolæ perspectum sit, consulendus Cæsar Lib. IV. qui & primo & clarius de illis locutus est. *Rhenus*, inquit, *oritur ex Lepontiis, qui Alpes incolunt & longo spatio per fines Nantuatium, Helvetiorum, &c. citatus fertur.* Non obscure quoque Strabo Lib. IV. *Ad Rhenum primi omnium habitant Nantuates;* & eodem libro. *Apud Nantuates Rheni sunt fontes in Adula monte.* Animadvertendum tantum in priori Strabonis loco vitiose in quibusdam exemplaribus legi οἰκοῦσιν αἰθουάτιοι, pro οἰκοῦσι ναντουάται, vidit *Xilander* Strabonis interpres (inquit *Casaubonus* in Lib. IV. Strab.) locum esse ex Cæsare corrigendum, quanquam ne Cæsaris quidem authoritate fuit opus, sed tantum ipso Strabone. Fuerunt ergo *Nantuates* populi Alpini ad Rhenum anteriorem habitantes, ubi nunc est cœnobium Dissentinum, & vicus Tauetsch, quem latini Scriptores, Ætuatium, juxta vitiosam Strabonis lectionem, vocant. Cum autem Strabo & Cæsar Nantuates Rheni accolas faciant, vel ipsa die clarius est eos errasse, qui illos a Rheno longe nimium collocant. 1. Quidam eos male posuerunt, in tertio Rhætorum fœdere, ad vicum vulgo *Tauaas* dictum. 2. Errant Tschudus, & qui cum ipso sentiunt, tractum illorum hodie *die Waat*, & *Uchtland* Germanice, Gallis *le pays de Vaud* dici, unde Nantuates quasi *Vautuates*: ubi vero Rhenus in isto tractu? nonne fuit pars Helvetiæ potior, in qua Aventicum Helvetiorum caput? 3. Delirant *Volaterranus* Lib. III. qui urbem Tarantasiensem, & *Paradinus*, qui oppidulum *Nantua* habitasse Nantuates credunt. 4. Fallitur quoque Cluverius qui collocat eos in illo Valleliæ tractu, ubi est vicus *Naters*: sed 1. vocis similitudo ad evertendam Cæsaris & Strabonis authoritatem, sufficiens non est argumentum. 2. *Plinii* authoritas, qua niti posset *Cluverius*, superiorem evertere non potest, dum Lib. III. Cap. XX. illos inter Viberos & Sedunos locat. Notandum, Plinium variis locis corruptum, maxime vero in illa Alpinorum populorum inscriptione, omnium fere Doctorum judicio; Apud Plinium ergo Nantuates ante Lepontios collocandi sunt. 3. Qui duo populi Latobrigi & Nantuates juxta Cluverianam sententiam in tam angusto Vallesiæ tractu fuissent habitaturi? Briga enim & Naters non multum distant. 4. Quid aliud esset quam Rhenum Rhodano miscere? Tandem *Marlianus* eos Constantienses esse non bene dixit, sic enim Straboni repugnat, cujus verba supra vidimus.

De Rheguscis.

HI populi inter Alpinas gentes nominantur, & inter Rhætos numerantur. *Rugusci* dicuntur Plinio, & *Rugantii* aut *Rucantii* Straboni, de his Ptolomæus. *Incolunt Rhætiæ septentrionalia Brixantæ, Australia Suanetæ & Riguscæ media Calucones & Vennones, &c.* Hi sunt, qui supra lacum Brigantinum vallem Rheni dictam Germ. *Rhintal*, habitant; eos nimium extendere videtur *Simlerus*, ad eum usque locum, in quo Rheni fontes confluunt. Helvetiis hodie parent.

Sed

Sed de aliis quibusdam Rhætiæ populis ab Helvetia remotioribus agamus breviter ex Plinio Lib. III. Cap. XX. ubi ſic Auguſti trophæum, ſed variis modis corruptum ponit:

IMPERATORI CÆSARI DIVI FIL. AUG. PONT. MAX. IMP. XIIII. TRIBUNITIÆ POTESTATIS XVIII. S. P. Q. R. QUOD EJUS DUCTU AUSPICIISQUE GENTES ALPINÆ OMNES SUB IMPERIUM POPULI ROMANI SUNT REDACTÆ: GENTES ALPINÆ DEVICTÆ: TRIUMPHILINI CAMUNI, VENNONETES, ISARCI, BREUNI, NAUNES, FOCUNATES, VINDELICORUM GENTES QUATUOR, CONSUANETES, VIRUCINATES, LICATES, CATENATES, ABISONTES, RUGUSCI, SUANETES, CALUCONES, BRIXENTES, LEPONTII, VIBERI, NANTUATES, SEDUNI, VERAGRI, SALASSII, AGITAVONES, MEDULLI, UCENI, CATURIGES; BRIGIANI, SOGIONTII, EBRODUNTII, NEMALONI, EDENATES, ESUBIANI, VEAMINI, GALLITÆ, TRIULLATTI, ECTINI, VERGUNNI, EGUITURI, NEMENTURI, ORATELLI, MERUSI, VELAUNI, SUETRI. NON SUNT ADIECTÆ COTTIANÆ, CIVITATES XII. QUÆ NON FUERUNT HOSTILES, ITEM ATTRIBUTÆ MUNICIPIIS LEGE POMPEIA.

Hanc inſcriptionem & in populorum nominibus & in eorundem ordine corruptam, aliquo modo ſic reſtitui poſſe credimus, ex variorum doctorum ſententiis.

IMP. CAES. DIVI, F. AUGUSTO
PONT. MAX. IMP. XIIII. TRIB. POT. XVII.
S. P. Q. R.
QUOD. EJUS. DUCTU. AUSPICIISQ.
GENTES. ALPINAE. OMNES.
QUÆ. A. MARI. SUPERO. AD. INFERUM.
PERTINEBANT.
SUB. IMPERIUM. P. R. REDACTÆ. SUNT.
GENTES. ALPINÆ. DEVICTÆ.
TRIUMPILINI. CAMUNI. VENNONES.
VENNONETES.
MISAUCI. BREUNI. GENAUNES. FOCUNATES.
VINDELICORUM. GENTES. VIIII.
CONSUANETES. VIRUCINATES. LICATES.
CLATENATES.
ABISONTES. RHEGUSCI. SUANETES.
COLLUCONES.
BRIXENTES. LEPONTII. NANTUATES.
JUBERI. SEDUNI. VERAGRI.
SALASSI. &c.

Reliquos, cum extra inſtituti noſtri ſphæram ſint, omittimus. Simlerianam horum Alpinorum populorum deſcriptionem proponemus, cui obſervationes breves addemus.

TRIUMPILINI. (Corrupte Triumphilini apud Plin.) *Hos Ægidius Tſchudus in Rhætia ſua ſcripſit ad lacum Larium habitare, ac illos eſſe qui hodie Tripleven nominantur, quorum ſunt Domaſium, Muſſum, Gravedona.* (In hac ſententia videtur eſſe Cellarius, hic lacus dicitur Larius Virgilio Lib. II. geor. Plinio, aliisque; Λάριος Straboni, Ptolomæo, cæteriſque Græcis: Comacenus, ab urbe Como adjacente, Paulo Diacono & Antonino. Hodie lago di Como, Italis; *Chumerſee* Germanis.) *Idem tamen poſtea viſus eſt aliter ſentire, atque Triumpilinos exiſtimavit illos eſſe, qui vallem Trupiam, vel Triumpiam incolunt, atque hæc ſententia verior videtur, cum enim Euganei fuerint, quos intimum ſinum maris Adriatici usque ad Alpes Plinius incoluiſſe ſcribit, rectius videntur ad Benacum, quam ad Larium collocari. Jacet autem hæc vallis inter Benacum, & vallem Sarcæ fluminis, & præterea Camunicam vallem. Sunt in hac valle Cliſius, & Caſtor fluvioli, & Ludro oppidum, a quo Comites Lodronii nomen habent, qui exiſtimantur a Plinio Abitranenſes nominati Lib. III. Cap. XIX.* Lacus Benacus, Virgilio, Plinio, Sex. Aurelio, Βήνακος Straboni; Βένακος Ptolomæo, is eſt qui hodie dicitur lago di Garda Italis.

CAMUNI. *Nomen horum retinet vallis Camunica* (val Camonique) *quæ ſupra Triumpilinos, inter vallem Solis, & alteram de Serra (qui forte ſunt Aſſeriates Plinio) atque vallem Volturenam poſita eſt. Ollius fluvius* (Oglio) *ex hac valle in Sebinum lacum* (ita dicitur Plinio Lib. III. Cap. XIX. & Sevenius Lib. II. Cap. CIII. hodie lago d'Iſco, ab Iſco caſtro, in illius ripa) *influit. Parent autem Triumpilini & Camuni noſtra ætate Brixienſibus: & Plinius ſcribit Triumpilinos, Camunos, compluresque ſimiles finitimis municipiis attributos fuiſſe.* Plinius etiam dixit Camunos ex Euganæis oriundos, & ex Lepontiorum numero fuiſſe referente Cellario. Sabellicus & Guarinus legerunt Camuli, pro Camuni.

VENNONES. *Meminit horum Strabo, & eos inter Vindelicorum ferociſſimos numerat, quique cum Rhætis ad orientem verſi ſint. Plinius quoque, caput (inquit) Euganeorum Stoni, Rhætorum Sarunetes, Vennonesque ortus Rheni amnis accolunt. Quo loco Æni* (In fl. oritur in Engadina ſuperiore ex Alpibus Juliis, ex Malojo illarum membro, & lacum Silienſem primo efficit, vallis per quam fluit, dicitur Pœnina, aut potius Oenina, hodie Inthal ut alibi vidimus) *nomen pro Rheno quibusdam ſupponendum videtur. Erunt igitur Vennones vallis Venuſtæ, quam Germani Vinſgow nominant* (Cellarius eos ad Æni aut Oeni, & Atheſis, Adeze, fontes locat. Guillimannus duplices facit Vennones, Ænanos & Atheſinos) *& ſupra hos in proxima valle ad ortum Æni Sarunetes jacent.* Quidam Sarunetes interpretati ſunt Sarunegaunenſes, Sargans. De his idem *Simler. Lib. I.* Reipubl. Helvet. Quoniam Sarunetum ſedes eſt ad ortum Leni fluminis, qui populi hodie Engadini appellantur, hi Sarunetes aut Saruneganſii ſuperiorum forte coloni ſunt, aut ſuum nomen non ab illis, ſed a Sara fluviolo oppidum Sargans præterfluente acceperunt. Quidam apud Plinium pro Vennones legerunt Vennotes & Venetes, qui & Venetici, lacus Acromi inferioris, Veneti etiam dicti, accolæ, ſecundum Guillim. pag. 250.)

VENNONETES. *Hi exiſtimantur incolæ eſſe vallis Volturenæ, quam Valtelinam vulgo vocant,* (Volturena quaſi vol torrens, Celtice, Dan. Erem. in obſer.) *in cujus ſummitate Abdua fluvius ex jugis Bormianis oritur.* (Abdua, melius Addua, Plinio & Tacito nominatur, Ἀδδύας Polybio & Straboni, Adda vulgo: Ejus originem inconſideratius Strabo deducit ex Adula, obſervantibus Guillim. & Merula, cum ex monte, qui Vormſerioch vulgo a Bormio proxime ſubjecto vico, aut Braulius a ſacello S. Braulii, dicitur.) *Et in Larium per vallem hanc cultiſſimam defluit. Hæc ab ortu habet Sarunetes atque Vennones, a meridie Camunos, atque ut*

Dion Lib. LIV. scribit tam Camuni quam Vennonetes a Publio Silio auspiciis Augusti Cæsaris in servitutem redacti sunt, anno urbis conditæ DCCXXXVII. Lucio Domitio, & Publio Scipione Coss. Hanc vallem Vennonetum regionem, Valtelinam Itali nuncupant a castro eminentissimo Tilio. Habitatam tradunt nonnulli anno post diluvium DCLXXV. sub Campo Blascone, aliisque Hetruscis principibus; Tyrrenamque vallem, a Tyrrhenis Hetruriæ populis denominatam, a quibus eximia civitas Volturena nomine in infima vallis parte, ipsisque lacus Larii (Larius Hetrusca lingua principem sonat) faucibus ædificata sit, indeque illustres ejus habitatores, Volturheni patres in historiis vocati. Sprech. Lib. X. pal. Rhæt. Merul. Part. II. Lib. IV. Cap. VII.

HISARCI. *Tschudus existimat legendum Misauci. Sunt autem Misauci Lepontiorum populus* (habitant hi vallem Mesoltinam vel Misaucinam, Masoxerthal, cujus præcipuus locus dicitur Misaucum, Masox, arx munita in primo Rhætorum fœdere.) *supra Verbanum lacum* (Ὀυέρβανος Straboni, Italis lago maggiore, Germanis Langsee, Itinerariæ tabulæ dici videtur Cusius, & Virgilio Maximus, in hoc versu:

Anne Lacus tantos? Te Lari Maxime, &c.

Vox enim illa, secundum quosdam, *Maxime*, non est lacus Larii epitheton, sed proprium lacus nomen. Diversas, cur Verbanus nominetur, rationes vide apud Merul. pag. 755.) *ad Muezam fluvium ex Adula monte* (dicitur hic amnis Guillimanno Mesa, unde populo nomen; Merulæ Muetium, Rhætis *die Mouß*, Italis la Mueza, oritur specialiter ex monte Avicula, quem etiam S. Bernardini montem nominant) *prope Bellinzonam in Ticinum defluit.* (Guillimannus pag. 429. dicit quatuor supra Bilitionem p. m. Ticiro misceri. Hic fluvius oritur ex monte Summano, seu S. Gotthardi, & vallem Lepontinam, Bellizonamque prætérlapsus & variis amnibus auctus in Verbanum lacum evolvitur; dicitur Ticinus Plinio, Livio, Silio; Τίκινος Polybio, Straboni, Plutarcho, Ptolomæo; Ticenus tabulæ itinerariæ, Italis Theſino) *Alii tamen existimarunt Hisarcos populos esse Vindiliciæ, ad ortum Isaræ fluminis.* (vulgo Iser, videatur Cluver. Germ. Ant. pag. 725.)

BREUNI. *Ad Ænum fluvium populi habitant Germanis dicti Brunnewer. Hos Aventinus Brennos nominat. Leander Albertus Breunos ponit ad Bellinzonam, ex Bonaventuræ Castilionæi sententia, qui etiam Berinzonam, vel Breunizonam id oppidum* (in faucibus Alpium jacet, inter montes ad Ticinum fluvium, non una arce validum; castrum Bilincionis dicitur Paulo Diacono, & Gregorio Thuronensi; Bernardinus Corius refert, Valentinianum tertium Imperatorem sepultum Bilitioni. Paret cum valle Brennia Uraniis, Suitensibus & Underwaldiis) *appellari perhibet, quod sit Breunorum castrum, & tanquam agri Breuni zona. Fluvium etiam qui ex Lucumone profluit, Bremium nominant, qui octo millibus passuum a Bellinzona Ticino miscetur: Agrum quoque circa fluvium vallem Bremiam nominat Leander.* (dicitur & vallis Plenia, item val di Palenza.) *Horatius inter Vindelicorum populos, quos Drusus devicit, Breunos numerat* (Od. XIV. Milite nam tuo Drusus Genaunos implacidum genus, Breunosque veloces, &c.) *In quibusdam tamen manuscriptis codicibus Breuni nominantur:* (Sic quoque pronuntiavit Sabellic. En. VI. Lib. IX.) *In aliis Breuci* (sic apud Suetonium in Tiberio, Rhætico atque Vindelico gentes Alpinas: Pannonico Breucos & Dalmatas subegit, &c.) *Strabo Brencos* (sic etiam Guarinus) *nominat ac Porphyrio scribit, Brennos populos cisalpinos esse: Verum id Horatii sententiæ repugnare videtur, qui eos Vindelicis annumerat* (sed non mirum esset Horatium erratse, cum Poeta fuerit, non Geographus.) *Sunt qui existiment Bernenses nominari a Plinio XIX. Cap. III. libri. Quo loco inter Cisalpinos Feltrini & Tridentini, & Bernenses* (hos stulte Volateran. Lib. VII. credidit esse Bernenses Helvetios) *Rhætica oppida numerantur. Brunecum oppidum in Alpibus* (Brunna etiam vicus apud Suitenses, ad Breunorum nomen satis accedit) *hujus nominis vestigia servat: Et de ejus loci populis Horatianum versum non incommode interpretari possumus. Quos vero idem Poëta Gelonos vocat, in quibusdam exemplaribus Genauni, & Gerauni & Genauvi nominantur, quæ postrema lectio videtur magis ad Germanicum idioma accedere, in quo auwe, vel ouw, quod & insulam & agrum significat, multis nominibus adjicitur, an autem sint populi ad Glanum fluvium* (nescio an per Glanum intelligat Simlerus Glennerum in monte Adularum Alpium membro ortum, vallem Legunitiam præterfluentem, & prope Ilantium oppidum Rheno se miscentem.) *an hi, quos Plinius Naunes vocat* (Cluverius Germ. Ant. p. 776. credit corrupte apud Plinium legi Naunes, & eosdem esse, quos Horatius od. XIV. & Strabo Genaunes vocant.) *& Ptolomæus Benlaunos, Vindeliciæ populi, an alii montani Cisalpini, aliis conjiciendum relinquo.* (Cum verisimile sit, Breunos esse Bruniæ vallis incolas, istos Genaunes aut Gelones Horatii (si iidem fuerint, qui Naunes Plinii) fuisse vallis Gelontinæ, & per metathesin literarum, Leguntinæ in primo Rhætorum fœdere accolas, credibile esset, qui Breunis sunt septentrionales.) NAUNES (Simlero, *videntur esse, quos Germani vocant Nanser, vel Nansperger, Latini montem Neanis: Vallis hæc est admodum culta in Tridentino Episcopatu, cujus initium tribus milliaribus a Tridento abest, præcipuus vicus hujus vallis Naum vocatur, per quem octo itinera transeunt, in quibus celebriora sunt a Tridento, a lacu Benaco, Bolzano, Merano, valle Camunica, Bormio.* (De Brennis & Genaunis sic Strabo Lib. IV. Vindelici & Norici montana exteriora tenent magna ex parte cum Brennis, qui jam ad Illyrios pertinent.)

FOCUNATES. *Hos ex conjectura quidam existimant referendos ad vallem, quæ ab oppido Suls* (*quod nunc D. Bartholomæi habet*) *vallis solis nominatur, & partim Venetis, partim Tridentino Episcopo paret, atque ad vallem Camunicam, & Volturenorum montes pertingit. Per hanc vallem fl. Nussum defluit, qui ex montibus Camunicos ab hac valle dividentibus ex adverso Ollii oritur.* (In hac sententia fuit Hermolaus, qui etiam Focunates Plinii esse Bechunos Βεχουνὲς Ptolomæi credidit. Focunates vallem Serianam colere notat Leander.

VINDELICORUM GENTES IIII. *Ita quidem in exemplaribus Plinii impressis, quæ ego vidi, legitur. Verum mendum mibi esse videtur, in numerorum notis, omissa librariorum incuria nota quinarii numeri. Itaque legendum arbitror, Vindelicorum gentes VIIII. Nam quatuor quæ proxime præcedunt, non pertinent ad Vindelicos, mihique magis probatur eorum sententia, qui illas cis Alpes ostendunt. Atque ut maxime illæ gentes Vindelicæ sint, tamen non est dubium, gentes, quæ proxime sequuntur, novem numero ad Vindelicos pertinere & Rhetos: itaque cum subjicitur, Gallicæ, id pertinet ad gentes, quæ has novem sequuntur: quod si quatuor tantum sint Vindelicorum gentes, oportebit, Abisontes, Rugusços, & alias Rhætorum gentes Gallis adnumerare, cum tamen Rhætia nunquam ad Gallicam pertinuerit.* Sed hic subsistimus nec de reliquis, tanquam nimium remotis agimus, pauca quoque de illis haberemus dicenda.

Antiqua

Antiqua quædam fœderatorum loca.

IN primo Rhætorum fœdere sunt quædam loca, quæ vel a *Rhætio* Tuscorum duce, vel a *Tuscis* ipsis fundata creduntur, eorumque nomina retinent.

Johannes Camertes in Solin. Cap. XXXIV. dicit, *Rhætium* (vulgo *Retzuns*) a Rhæto primo conditore denominatum. *Dux ipse Rhætus*, inquit Sprech. pal. Rhæt. Lib. I. *tria, ut pote Rhætiam altam* (Rhealt), *innam, & Rhætium suo nomine insignita* loca erigit. *Tusciana* (Tuscis) vicus est nomen a Tuscis, ut & originem habens teste eodem *Sprech*.

Speluga (Splugen) insignis est vicus teste Willichio in Tacitum, per quem iter faciunt, qui ex Curia in Italiam per Aviculam aut Ursum proficiscuntur. Antoninus hunc locum *Curiam Tarvesede* nominare videtur, si tamen milliaria conveniant, quod non fieri ostendit *Guilim*. p. 429. Si igitur Speluga est Tarvesede veterum, cum alius opportunior vicus hac iter facientibus non occurrat; tum vel erravit in dimensione *Antoninus*, vel vitiati sunt apud ipsum numeri, quod in hoc sæpe accidit authore, vide *Simler. de Alp*. Est tamen locus in tabulis geographicis dictus Tarvesede (q. torvæ ædes) hodie Madesium in valle S. Jacobi supra Clavennam, & sub illius oppidi jurisdictione per hanc vallem fluit Lira amnis: ibi quoque regia via erat, vide *Sprech*. pal. Rhæt. Lib. X.

In summis Alpibus situs est locus *Thennen* dictus forsan a Tennanis, sicut apud Strabonem pro Genaunis legit *Guarinus*, de quibus etiam inter populos Rhæticos *Sabellicus* Enn. VI. Lib. VI.

In secundo Rhætorum fœdere.

CUria *Rhætorum*, Germanis *Chur*, Gallis *Coire* oppidum hodie est ad dextram fl. obstreperi, Plessuræ nomine, qui ex valle Scanavina in Rhenum infra Curiam II. m. p. influit, situm. Affirmant Curienses antiquitus *Imberg* dictam, referente *Guillman*. p. 430. Alii Ptolomæum, qui sub Adriano & Marco Antonino Imperatoribus vixit, ejus meminisse, & *Ebrodurum*, aut *Ebodurum* nominasse affirmant. *Guillim*. ibid. *Sprech*. Lib. VIII. pal. Rhæt. *Antoninus* non amplius Ebodurum vocat, sed *Curiam Rhætorum*, quam a Brigantio L. m. p. & a Tinnetione XX. m. p. distare ait. *Onuphrius* colonias Rhætiæ recensens hujus mentionem facit; fuerunt autem quinque, *Augusta Quintanorum*, *Augusta Tiberii*, hodie Reginoburg; *Augusta Rhætorum*, Augspurg; *Colonia Confluentia*, Coslentz; & *Curia*, Chur. *Munsterus Lib. III.* ejus originem ad Constantii Constantini filii tempora refert, circa An. Chr. CCCLVII. *Curiæ* nomen desumptum videtur ex populis Corvantiis, quos inter petulantissimos Rhætiæ populos ponit *Strabo Lib. IV.* quique Celtarum primi hanc incoluerunt regionem. *Sprech*. *Lib. VIII.* hos feroces & in arcibus a natura munitis locis degentes socios & cives assumpserunt Rhæti Tuscorum progenies in hos montes profugi ex Italia. Idem Sprech. Lib. I. qui Lib. II. & VIII. de istius urbis incrementis agit. Cum enim ab Hadriani temporibus Rhætia, in duas, primam & secundam, divideretur, utrique præsides dati a Romanis. Secundæ Rhætiæ præses Augustæ Vindelicorum sedem habuit. Primæ vero in duobus castris, *Marsoila* (mars in oculis) & *Spinoila* (spina in oculis) ab his successiva habuisse incrementa vult *Sprecherus*, tum etiam ab arce egregia, quæ in planitie erat, Planterra (Imburg) jam centrum civitatis, hoc est, emporio ibidem extructo. Aucta deinde fuit Curia, quum in campis Caninis Constantius imperator Anno circiter CCCLV. contra Alemannos hyberna sua haberet. Vide fusius tum Munst. tum Sprech. apud quos etiam vide de Episcopis & Episcopatu Curiensi, &c. In templo S. Lucii tria visuntur Epitaphia antiqua satis, sed etiam barbara satis. Duo meminerunt duorum Rhætiæ præsidum; tertium circa Ann. DXL. Episcopi cujusdam, duo priora a Guillimanno pag. 421. tertium a Sprechero Lib. VIII. referuntur.

Primum.

HIC SUB ISTA LAPIDE
MARMOREA
QUEM VECTOR VER IN
LUSTER PRESES
ORDINAVIT VENIRE
DE VENOSTES
HIC REQUIESCIT
DOMINUS.

Alterum.

HIC SUB ISTA LABI
DE MARMOREA
QUEM VECTOR
VIR INLUSTER PRESES
ORDINAVIT VENIRE
DE TRIDENTO
HIC REQUIESCIT
CLARESIMUS VICTOR
PROAVUS
DMNI VECTORIS
EPI
ET DOMNI JACTADI.

Tertium.

SCEM. EPCS.
HOC JACET IN TOMOLO QUEM DEFLET RETICA TELLUS
MAXIMA SUMMORUM GLORIA PONTIFICUM.
ABIECTIS QUI FUDIT OPES NUDATAQUE VEXIT
AGMINA CAPTIVIS PRÆMIA LARGA FERENS.
EST PIETAS VICINA POLO NEC FUNERIS ICTUM
SENTIS OVANS FACTIS QUI PETIT ASTRA BONIS
HIS POLLENS TITULIS VALENTINIANE SACERDOS
CREDERIS A CUNCTIS NON POTUISSE MORI.
QUI VIXIT IN HOC SAEC. C. ANN.
PLS. MN. LXX. DPS. SUB. D 75. ID.
JAN. SPPs. PCs. BASIV CCS IN DXL
PAULINUS NEPOS IPSIUS HAEC
FIERI ORDINAVIT.

Tinnetio, cujus meminit Antoninus, vetus nomen retinet, Rhæti enim *Tinnezono*, Germani *Tintzen* vocant, vicus est a curia tribus milliaribus Germanicis distans, ab eo itur ad alium vicum, quem Germani *Stallam* vocant, Rhæti *Bevio*, quod illic via per Alpes in duas partes dividatur, una per Septam, aut Septimium montem Clavennam ad Larium, altera ad Engadinos tendit per Julium montem, ubi columna Julii Cæsaris ostenditur. *Simler*. de Alp.

Murum (hodie Castelmur) distat, secundum Antoninum, qui hujus meminit, a Curia Tinnetionum XV. m. p.

m. p. & a ſummo lacus Larii XX. m. p. Vicus eſt Prægelliæ vallis per quam a Septimo ad Larium deſcenditur, prope quem arcis, a qua Nobilis Caſtromurorum familia nomen habet, ruinæ apparent. *Simler.* de Alp.

In tertio Rhætorum fœdere.

M*Ayenfeld* oppidum eſt hodie (inquit Guillim.) ad Rhenum planitie patentiore frumenti vinique juxta feraci & amœna. Antiquum eſſe volunt, & dictum Majavillam, quaſi Majæ villam aut campum, a Maja Mercurii matre, quæ apud Paganos ibi colebatur. *Munſt. Lib. III. Guillim. Lib. IV. pag.* 437. *Sprech. Lib. IX.* Idem tamen *Munſterus* alio loco Majavillam corrupte pro *magnam villam* dici credit. Antiquitates Epiſcopatus Curienſis *Lupinum* vocant, teſte *Sprechero*.

Clavenna hodie oppidum eſt ſub Rhætorum dominio, meminit *Paulus Diaconus Lib. VI. Langbard. Cap. XXI. Clavenna* Antonino, *Chiavenna* Italis, *Cleven* incolis dicitur, diſtat ſecundum Antoninum a Curia Tarveſede XV. m. p. & a lacu Lario X. m. p. Nomen a *Clave* venit, per caſtrum enim Clavennæ, tanquam per clavem cæteris populis tranſitus in Italiam olim præcludebatur. *Sprech. Lib. X.*

Pro fine & concluſione, Germanorum, Alemannorum, & Vandalorum denominationes, ſeu unde dicti credantur, ſubjungemus: cujus rei cognitio, ad hiſtoriæ Helveticæ notitiam, non erit inutilis.

Sicut, ſecundum quoſdam, Gomer cognominatus Gallus, Latinorum, & Tubal Hiſpanorum, ſic Thuiſco Germanorum pater fuit, qui Thuiſco, primus Teutonum & Sarmatarum Princeps cum eſſet, ab eo, qui Germani dicti, prius Thuiſcones nominabantur. Quidam Germanos dictos volunt, quod ſe Germanos omnes vocarent, id eſt, fratres. Aliis dicuntur Germani, a voce antiqua Celtica, *Gerre*, unde Gallicum vocabulum, *Guerre*, id eſt, bellum, & *Mann*, id eſt, vir, quaſi dicas belli virum, quod nomen nonniſi excellentioribus tributum, *Sprech.* Lib. II. pall. Rhæt. *Carion.* Lib. IV. *Cluver.* Lib. I. Cap. VIII. Germ. Ant. De Germanis varia apud omnes fere Veteres mentio. Tacitus præcipue de ſitu, moribus & Populis Germaniæ libellum reliquit: Et Cæſar eos Helvetiis facit finitimos, interjecto tantum Rheno. Refert etiam *Ammianus*, lacus Brigantini accolas vocatos fuiſſe *Alemannos*, qua ratione Helvetiorum fuerunt vicini, non minus quam Rhætorum. De his Alemannis varie meminerunt hiſtorici. Quidam nominum ſimilitudine decepti male Alemannos deducunt a lacu Lemano: Nec melior eſt Otthonis Friſingenſis originatio, qua Allemannos dictos cenſet a Lemano fluvio, qui ex lacu Tigurino egreſſus in Rhenum exoneratur, ſed vitioſe *Lemannum* pro Limago dixit, ut alibi jam obſervavimus. Aliis putantur dicti, quaſi *Allerley Mann*, id eſt, omnis generis homines, ſeu promiſcua ex Germaniæ populis multitudo, propter Romanorum ducum tyrannides, ad recuperandam libertatem concurrens, & ad invadendos Romanos fines conjunctis animis, & uno veluti fœdere parata. *Carion.* p. m. 289. *Sprech.* Lib. II. Sicut Germani, hoc eſt, plane viri, re fortiter geſta nomen invenerunt, Authore *Tacito*: ita qui Romanorum ſervitutem, potentiamque ultra ferre non potuerunt, *Alemannos*, hoc eſt, omnes viros dictos judicat *Guill.* L. II. p. 173. *Agathias* a Græca voce dictos eſſe ſcribit quaſi ἀλήμονας, id eſt, errantes ſeu vagabundos. *Alemanni*, inquit Agathias Lib. I. *ſi Aſinio Quadrato viro Italicenſi fides preſtanda eſt, adventicii ſunt, & ex varia hominum colluvione conflati, quod ſane eorum cognomento præfertur.* De Allemannis ſic Viterbienſis:

Rhenus ab antiquis deſcribitur eſſe Lemannus,
Indeque nonnulli dictos referunt Alemannos,
Sed vox æquivoca nomina falſa parat.
Illud ego nomen alia video ratione,
Quidquid priſca ſonent, quod ſentio, littera promet,
Lector ab hinc capiet, quæ magis apta ſonent,
Alle *ſonat totum;* Man, *vir. Si Theutona lingua*
Hæc duo conjungat, totum vir littera ſignat;
L. geminata ſatis nomina clara facit.

Vadianus in Epiſt. ad Rudolphum Agricolam refert, Alemannos dictos a Deo *Alman*, quem peculiariter coluerunt, cujus ſimulachrum adhuc in lacus Conſtantienſis ripæ vetuſtiſſimo cœnobio, Augiam majorem vocant hodie, cernitur; ut id ſe vidiſſe, in ſua Geographia teſtatur *Uladislaus Sunthaim*.

Carion Chron. Lib. IV. ait, primam Alemannorum reperiri mentionem in hiſtoria Valerii Probi, qui trucidatis quadringentis Francorum & Alemannorum millibus, utramque gentem repreſſit. Duplex autem eſt *Carionis* ſententia, prima ea eſt, qua *Alanos* ab *Alemannis* non diſcernit, quorum nominum illud in hoc migravit exigua mutatione, quam non aliter accidiſſe exiſtimat, quam evenit, ut qui Alani in oriente vocati ſunt, nunc Albani nominentur. Altera eſt, quæ habetur Lib. II. his verbis: Etſi nomen Alemani vicinum eſt, (ſcilicet Alani) & effuſam eſſe Alanorum gentem in occidentem conſtat: tamen non affirmo, inde factam eſſe appellationem Alemannorum. Cæterum etymologia ducis eſt, Alman ab Elam, quod eſt Juvenis, unde & Alma eſt, quod virginem ſignificat.

Sicut variæ fuerunt *Vandalorum* variis temporibus migrationes & expeditiones, ita de illorum denominatione diverſa eſt Authorum ſententia. Vandalos Germaniæ populos a fluvio, quem accolunt, nominatos cenſet *Sabellicus* Enn. VI. Lib. IX. Refert *Munſterus* Lib. III. quoſdam ita dictos a Regina *Vanda*, crediddiſſe. Alii a Vandalo Germaniæ rege, cujus meminerit *Tacitus*, derivant. *Verdier*. Lib. I. Hunc Vandalum octavum Germanorum regem facit *Willichius* in Tacitum, qui Lib. de morib. Germ. hos populos Vandalios vocat, & de illorum origine ſic loquitur. *Celebrant carminibus antiquis (quod unum apud illos memoriæ & annalium genus eſt) Tuiſtonem Deum terra editum & filium Mannum, originem gentis conditoreſque: Manno tres filios aſſignant, e quorum nominibus proximi Oceano Ingævones, medii Herminones, cæteri Iſtævones vocentur. Quidam autem licentia vetuſtatis plures Deo ortos, pluresque gentis appellationes, Marſos, Gambrivios, Suevos, Vandalios affirmant: eaque vera & antiqua nomina.* Non contemnenda videtur Carionis opinio, quæ habetur Lib. IV. his verbis. *Ingævonum & Vandalorum nomina non petitis procul derivationibus, nec aſſumpto etymo alieno, aut violenter detorto, conjicio contraria eſſe. Ingævones ſuo ſignificatoque ſuffragante ſignificant indigenas & αὐτόχθονας,* quaſi *Einwohner*, *Vandali advenas ſeu peregrinos & novos homines. Wandeln enim Germanica lingua uſitatiſſima & notiſſima idem eſt, quod peregrinari. Nec repugno, ſi quis Vandalos ideo nominatos exiſtimet, pervulgata his temporibus conſuetudine, & ſignificato uſu trito, quod negotiorum & mercimoniorum commutandorum cauſa longa ſuſceperint itinera, & diverſas obierint terras, ut Ingævones fuerint coloni & agricolæ, qui colenda terra domi: Vandali vero negotiatores, qui evehendis invehendiſque mercimoniis alibi victum quæſiverint.* Eos autem cum Burgundionibus in Helvetia ſubſtitiſſe ſupra diximus. His vero finem imponimus.

F I N I S.